



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



SAMUELI PUFENDORFII



*Ista Pufendorfii facies. Sed nobile. si vis
Ingenium. penitus nascere, Scripta lege.*

L. M. Q. adronob.

L. A. Rechenberg P.P.

DE
GENA
ET
GEN
LIBR


SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ
ET
GENTIUM
LIBRI OCTO.

EDITIO SECUNDA, AUCTION MULTO,
ET EMENDATIOR.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII
Charactere JOANNIS PHILIPPI ANDREÆ

Anno M DC LXXXIV.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
 PRINCIPI AC DOMINO,
 DOMINO
CAROLO XI.
 SVECORUM, GOTHORUM,
 VANDALORVMQUE REGI, AC
 PRINCIPI HEREDITARIO,
 MAGNO PRINCIPI
 FINLANDIÆ,
 DUCI SCANIÆ, ESTHO-
 NIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BRE-
 MÆ, VERDÆ, STETINI, POMERANIÆ,
 CASSULÆ ET VANDALIÆ,
 PRINCIPI RUGIÆ,
 DOMINO INGRÆ ET
 WISMARIÆ,
 NEC NON COMITI PALA-
 TINO RHENI, BAVARIÆ, JU-
 LIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM
 DUCI, &c. &c.

SERENISSIME AC POTEN-
TISSIME REX,
DOMINE CLEMENTISSIME!



Non longe sunt arcessendæ rationes,
REX AUGUSTISSIME, quas excu-
sandæ audaciæ meæ debeam allegare,
quod huncce librum MAJESTATI
TUÆ consecrare sustineam. In sa-
pientissimis legibus, quas populo sibi
quondam peculiariter dilecto ferre dignatus est Deus,
Ipse sibi vindicabat prima quæque foecunditatis specimi-
na non animalium duntaxat, sed & quæ mortalium pro-
vocata labore terra quotannis profunderet: scilicet
quod fas esset, antequam ipsi eas res usibus suis adplica-
rent, publice profiteri, omnem istam naturæ ubertatem
Dei beneficium esse; illum animantibus vires sese mul-
tiplicandi, agris & arboribus fructus protrudendi in se vi-
se; Eiusdem dono felicissima se regione potitos. Quin &
mortales inter venerationis aut singularis affectus argu-
mentum habetur, primitias selectiorum fructuum offer-
re,

re, queis post tarde labentis anni moras ipsa novitas lenocinatur. Gratioſo primitiarum nomine, & hicce liber ad MAJESTATIS TUÆ delubrum deponitur; primus quippe ingenii foetus, in CAROLINA TUA conceptus editusque, qui publicam eruditi orbis lucem ſubire non formidet. Eo impenſius propitiam MAJESTATIS TUÆ auram ſibi exoptat, quod prout iſta allubuerit, ita vivacitatem ſibi, fatumque præcepturus ſit; poſtquam ex eo ſolo, quod ad tanti argumenti illustrationem ingenium aut industria mea conferre potuit, applauſum ſæculi ſperare, ambitioſum plane & improbum foret. Cæterum ejus voti fiduciam ex ipſa potiffimum CAROLINÆ gratia adſumere audet. Hanc enim cum conditoris ſui nomen præferre juſſerit MAJESTAS TUA, ejusdem celebris ſibi peculiariter cordi futuram ſatis oſtendit; eoque iſthæc futuræ foecunditatis rudimenta haut rejectum iri ſpes eſt, quod & cætera ejusdem ingenia minus verecundentur famam laceſſere, poſtquam de tanto ſibi tutelari Numine cautum intelligunt. Et ſane quod ejusmodi potiffimum monumento teneros annos inſignire MAJESTAS TUA voluerit, id & futuræ Tuæ magnitudini lætiſſimo præludit augurio, quaſi recenti opus foret ac vegeta ingeniorum vi, quæ geſtis Tuis dicendis ſit defatiganda: & de MAJESTATIS TUÆ in pietatem, honeſtamque animorum

culturam propensione splendidissime testatur. **Q**uanquam ad istam capeffendam **MAJESTAS TUA** non modò excitato Musis novo delubro, sed & proprio exemplo cives suos excitatum it. Sane enim mirabundi percipimus, quam felici successu **MAJESTAS TUA** vividam istam capacissimi ingenii vim per omne sapientiæ genus circumferat, qua quidem imbui decorum aut proficuum fuerit illis, quos summo rerum humanarum fastigio **DEUS** destinavit. Jam primum sincero de divinis sensu imbutus animus, ut supremi Numinis pace conciliata semper meminerit omnia ad ipsius placitum ac gloriam referre, atque ita subiectum sibi gregem moderari, ut ratio eidem constare possit apud illum, cui in reges ipsos imperium est. Simulque perspectum, sanctissima morum præcepta, quæ cum divinis mysteriis simul inculcantur, ita cum indole vitæ civilis conspirare, ut ista per imperantes æque ac cives expressa beatissimum reip. statum producere sint idonea. Inde curæ fuit haurire linguas, eruditarum animarum interpretes, intelligere vitæ humanæ genium, mores ac studia mortalium expendere, quæ vis irritandi animos, componendique, quibus mediis civitati intus quies, adversus externos securitas constet. Aliorum præterea exempla Principum, ac imprimis Majorum tuorum bello ac pace egregie gesta perillustrata, quæ & stimulos ad paria aut majora patrandam
sub-

subdere possent, & planissimam designare viam offensa
procul ad immortalem gloriam grassandi. Deniq; nec illa
regionum studiorum postrema pars fuit, nosse, quæ insti-
tuta mortalium vitam temperent, quæ hominibus invi-
cem obligatio, quibus legibus diversorum inter se popu-
lorum negotia regantur, quæ causa aut compages civi-
lium societatum, quæ imperantium potestas, quod ci-
vium adversus hos, aut inter se vinculum. Quorum plera-
que cum isti libro deducere propositum fuerit, vel ipsa ar-
gumenti commendatione apud **MAJESTATEM**
TUAM molliorem sibi admissionem pollicetur. Præ-
fertim cum **MAJESTAS TUA** huic disciplinæ maxi-
mam dignationem addiderit, dum eandem in Regni sui
Academiis publice doceri iussit. Scilicet quod indignum
videretur, **Ulpiani** ac **Papiniani** decretis omnia pulpita
resonare; Creatoris **O. M.** leges, per congenitæ rationis
lumen mortalibus insinuatas, incultu velut obsolescere,
reli quarum utiq; legum fundamentum & norma, jura ci-
vilia nobilitate tantum excedentes, quantum omne ge-
nus humanum una civitate, totiusq; civitatis salus & tran-
quillitas singulorum civium incolumitate potior est. Et
cum **MAJESTAS TUA** ad isthanc disciplinam in re-
cens abs se instituta **CAROLINA** docendam laudis me-
conditionibus clementissime evocare dignata sit, non vi-
sa fuit ratio magis idonea expromendæ devotissimæ ve-
nera-


(((

nerationi eo nomine MAJESTATI TUÆ debitæ,
quam si in hoc qualicumque documento declararem, sal-
tem voluntatis affatim esse, si qua tenuitas ingenii patia-
tur, aliquid ad exornandam, quæ commissa est, Spartam
conferendi. Quod si conatus iste MAJESTATI TUÆ
quocumque nomine probatus fuerit, neque cæterorum,
qui æqui sunt, favorem despero, neque iniquorum ma-
levolentiam formidabo. Ita DEUS O. M. sceptrum
MAJESTATIS TUÆ secundet, ut CAROLIS, GU-
STAVISQVE Tuis per gesta Tua non minus splendoris
accedat, quam Familiz, Regnoque Tuo ipsi intulerunt;
TUAMQVE MAJESTATEM cælos ad euntem non
nisi feri nepotes videant; postquam CAROLUM LIN-
DECIMUM, delicias & miraculum seculi præsentis, ad-
mirationem & exemplum futurorum ab solverit.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS TUÆ

devotissimus & humillimus servus,

SAMUEL PUFENDORF.



LECTORI BENEVOLO

S. P.



In ingenio aut industria meo satis confiderem, supervacuum foret rationes conquirere, quare & ego aliquid operæ sumserim circa excolendam & illustrandam nobilissimam atque utilissimam disciplinam, quæ diu neglecta & fere ignorata hoc demum seculo dignitati suæ adferi coepit: cum id apud omnes sat favoris habeat, de publico benevelle mereri. Enim vero cum tam celebri ferantur fama scriptores, qui primi lumen huic scientiæ intulerunt, causas hujus instituti exponere non abs re faciat, ne vel actum agere, vel improbam adversus monumenta tam illustrium ingeniorum comparationem affectare videar. Et primo quidem cum quondam juvenilibus annis Elementa quædam hujus discipline in lucem dare sustinuissem, non tam ex temeritate, aut irreverentia adversus eruditissimum seculum, quam ut illi, qui mihi tunc bene cupiebant, qualecunq; haberent specimen, ex quo occasionem me commendandi arripere possent; quæ apud plerosque bonos excusationem ex ætatis atque conatus simplicitate invenerunt: decorum sane videbatur, maturiore aliquo scripto prioris immaturitatem velut publice deprecari. Quo ipso etiam manifesti mendacii arguentur impuri cujusdam Sycophantæ commenta, contra istud opusculum libello famoso disseminata. Etsi jam tum viri boni publicis quoque scriptis calumniam istam ultro confutaverint; & mihi nunquam par visum fuerit, isti homini tantum dignationis addere, ut responsi quid eidem reponerem. Sed & illa causa me ad aliquid in hoc genere conandum impellere potuit, quod cum SERENISSIMUS ELECTOR PALATINUS ad isthanc disciplinam in Academia Heidelbergensi docendam clementissime me evocasset, primumq; me ab eadem disciplina professoris titulum gerere jussisset; (quo exemplo deinde alii eandem professionem Juris Naturalis & Gentium in suas Academias receperunt:) omnino elaborandum mihi fuerit, ut ad eam disciplinam excolendam aliquid conferrem, quæ primo me in-

terprete in publicas cathedras adscendisset. Et sane poterat adhuc illa suppeditare materiam, quæ non minus ingenii quam industriæ caperet; nec solum *Συμπεριουσιέν*, quod erudito cuiquam Viro visum, heic relictum: haustum forte ex illo *Quintiliani Inst. Or. l. 5. c. 10. Dicta sunt omnia, antequam præciperentur, mox ea scriptores observata & collecta ediderunt.* Equidem palmam hætenus tulisse iudicatus fuit non præter meritum *Hugo Grotius*, qui & primus seculum ad istam disciplinam æstimandam evocasse videtur, & ita in eadem est versatus, ut circa magnam ipsius partem cæteris nil nisi specilegii laborem reliquerit. Quantumcunque tamen ejus viri fama nobis cordi sit, qui & peculiari nomine ejusdem Filio obstricti sumus; fatendum tamen est, non pauca ab ipso plane esse præterita, quædam levi dumtaxat brachio tractata, quædam denique admista, quæ & ipsum hominem fuisse arguerent. Inprimis autem non exiguam nobilissimo operi labem adspergunt, queis passim à receptis orthodoxæ Ecclesiæ sententiis diversus abit. Qui quidem magnorum ingeniorum infelicissimus labor mihi semper visus fuit, circa divina aliquid novare; cum tanta aliarum rerum superlit copia, in qua alicui innoxie cornicum oculos configere liceat. Et per isthæc etiam vere ac utiliter dictis autoritas detrahitur, ac plurimorum asperrimæ censuræ provocantur, qui alias contra tales viros ne hiscere quidem digni erant. Conati quidem sunt Viri quidam docti editis ad istius libros *de jure belli & pacis* commentariis his defectibus mederi; quorum unus & alter operæ pretium fecit non spernendum. Aliis tamen longe utilius iudicatum fuit, totam istam materiam denuo incudi subjicere, ac in novam formam refingere. Sic & *Thomas Hobbes* in operibus suis ad civilem scientiam spectantibus plurima habet quantivis pretii; & nemo, cui rerum ejusmodi est intellectus, negaverit, tam profunde ipsum societatis humanæ & civilis compagem rimatum fuisse, ut pauci priorum cum ipso heic comparari queant. Et qua à vero aberrat, occasionem tamen ad talia meditanda suggerit, quæ fortasse alias nemini in mentem venissent. Sed quod & hic in religione peculiaris sibi & horrida dogmata finxerit, hoc ipso apud multos non citra rationem sui a versationem excitavit. Quanquam & illud non raro contingere videas, ut ab illis maximo cum supercilio condemnetur, abs quibus minime lectus fuit aut intellectus. *Joannes Seldenus* nemini fortasse secundus haberi posset, si ei propositum fuisset, eadem *arabæ* jus naturale ad uni-

universum humanum genus, quam ad tradita Ebræorum accom-
 modare; aut si unius populi scita pro sufficienti promulgatione ju-
 ris omnes gentes obligaturi possent haberi. His ergo causis mo-
 tus operi huic manum admovi, atque universam hanc materiam eo,
 qui mihi commodissimus fuit visus, ordine digessi; atque id labo-
 ravi, ut omnia solidis & perspicuis rationibus, quantum fieri po-
 tuit, confirmarem, & illa, in quibus antea laudati autores impegerant,
 declinarem. Id quoque pensi habens, quod est apud *Quintil. Instit.*
Orat. l. 12. c. ult. Si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se melio-
rem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur: ii ipsi qui sunt optimi non fuissent.
Ac ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. De cæ-
 tero uti omnibus à quibus aliquid ad hoc opus spectans didici, bona fide
 suum restitui; cum *benignum* sit, & *plenum ingenii pudoris, fateri per quos*
profeceris, obnoxii contra animi, & infelicis ingenii, deprehendi in facto malle,
quam mutuum reddere: ita in ejusmodi materia, in qua suo jure ratio re-
 gnat, nullius hominis autoritas tanta mihi videri potuit, quin id potius
 amplecterer, quo graviores rationes ducebant. Eoque haut quidquam
 offensam metuo Virorum eruditorum, qui adhuc in vivis sunt, popu-
 larium cum primis meorum, quod non raro ab ipsorum placitis diversus
 abierim, modeste tamen, & citra detrahendi studium, & ut non nisi ra-
 tionem cum ratione contenderem. Atque inde, quam in alios mihi
 summi libertatem, aliis quoque in mea lubens indulgeo. Neque enim in-
 ter illud genus hominum meum profiteor nomen, qui statim in odia &
 iras effervescunt, si sua omnia velut ex tripode dicta non adorentur; aut
 qui intolerabili cum fastu crepare non dubitant; se nullos agnoscere er-
 rores. Id tamen denunciare non verear, postquam isthoc opus S. R. E.
 GIA MAJESTAS ad probatione sua clementissime dignata est, me
 nullius præterea censoris autoritatem formidare. Atque istis quidem,
 quos aut fastus cum ignorantia conjunctus, aut petulans quædam *πολυ-*
πραγμοσύνη ad talia confenda propellit, promptissimum fuerit occinere il-
 lud: ne sutor ultra crepidam. Si qui alii ad ista carpenda accedere velint,
 illi solis rationibus mecum sibi agendum sciant. Neque enim, si qui ex
 illis, queis divinas literas explicare injunctum, nonnullas quæstiones, ad
 hanc disciplinam propriè pertinentes, sibi desumendas sumsero, ideo aut
 hæc in articulos fidei potuerunt abire; aut sanæ rationi ultima earundem
 decisio subtrahi debet, aut ipsis majorem hanc sibi autoritatem arrogare


convenit, quam quibus isthæc ex professo aguntur. Neque vero novitatis exprobratio, modo sana ratio addixerit, nobis in hisce magis defugienda aut metuenda est, quam illis, qui hocce seculo rem medicam, scientiam naturalem, & mathesin incognitis antea inventis immortalis sua cum gloria illustrarunt. *Quintil. Inst. Or. 1. 3. c. 6. Supervacuum foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis. Idem 1. 8. c. 6. Tanquã consummata sint omnia, nihil generare audeamus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis facta moriantur.* (Add. *Baconi de Verularmio Cogitata & Visa p. m. 381. 382. & Novi Organil. 1. c. 89. Ubi rationem reddit, quare versus incrementa, & novas velut oras philosophiæ, omnia ex parte religionis pravæ suspicionum & impotentis fastidii plena sint.*) Quanquam antiquitati debitum me honorem non detraxisse constat, utpote qui passim antiquos potissimum autores dictorum meorum testes excitem. Recentiorum scriptorum nubem allegando cumulare, supervacuum visum. Inprimis autem quare illos hinc excluderim scriptores, qui inter sectæ Romanæ addictos mores sibi atque conscientias hominum regendas sumere, quos ipse *Grotius* & alii magno agmine in partes vocare gaudent; ejus rei ratio mihi apud cordatos satis puto constabit. Scilicet istis hominibus suorum traditorum nullum certum fundamentum, aut hypothesin substernere solenne est: sed præter illa, quæ à *J. Cris.* mutuari solent, frivolas ut plurimum quaestiones paribus ratiunculis confirmare contenti, de cætero integras legiones suæ sectæ scriptorum allegasse præclarum habent, quorum unum si noveris, omnes noveris, ita omnes magno conatu magnas nugæ agunt: ut tamen vix ulla sit quaestio, in qua isti in partes non discedant. Cujus instituti hæc est arcana ratio, ut, postquam inter fundamenta sacrae istorum recip. est, hominum conscientias non ratione, sed autoritate sacerdotum regi, ubique in promptu sit autorum nubes, quæ qualemcunque sententiam stabilire idonea sit, prout quemque persuaderi ipsorum interest. Atque inde de bono publico pessime mereri arbitramur, qui in tanta solidarum scientiarum luce ad istas adhuc nugæ, regni tenebrarum foetum juxta ac stabilimentum, juventutem manuducere laborant. Turpiter vero otio suo abutitur, & vulpes jungit ac hircos mulget, qui ista in utramque partem disceptare, & cum sana ratione conciliare satagit. Cæterum id quoque monere visum, me fundamentum universi juris naturalis posuisse socialitatem hominis; quod nullum aliud principium deprehenderem, ad quod admittendum, ipsa mortalium conditione suffragante, adigi possent

sent omnes homines, quamcunque demum circa divina persuasionem haberent. Neque vero posito hoc fundamento, iusto arctiores hujus disciplinae videntur limites fore; id quod *Prodrromus* magni cuiusdam operis arguit. Equidem dicitur: *jus naturale societate esse antiquius*. Verum praeterquam quod nihil repugnet, obligationem in altero existere, antequam existat objectum, in quod illa exerceri possit: etiam effectum Numinis, statim atque primus hominum conditus fuit, extat: non est bonum hominum hominem esse solum. Dantur sane & officia seu *virtutes tum adversus Deum, tum cuiuslibet adversus seipsum*. Verum cura religio, quatenus ad disciplinam juris naturalis pertinet, intra sphaeram hujus vitae terminetur; eo quoque intuitu ad socialitatem referri potest, quatenus illa societatibus hominum efficacissimum vinculum praebet. Et quae adversus seipsum homini observanda sunt, eundem utique societati commodiorem reddunt. Quae nam autem sit illa *morum honestas & innocentia ubique & extra societatem servanda*, seu citra reflexionem ad alios homines, nondum dispicere potui. Quod additur: *societatem formare, & ad eam media applicare, in natura arbitrio relictum*; eoque si societatis tantum esset jus naturale, fore mere voluntarium, arbitrarium, atque mutabile: id inane est. Nam natura hominis semper ad socialitatem in genere à Creatore determinata est; sed peculiares societates constituere atque inire ex ductu rationis in hominum arbitrio relictum: per quod nullo modo jus naturale redditur arbitrarium. Quid porro planius est, quam hoc; naturam hominis, quatenus à Creatore socialis facta est, esse regulam & fundamentum ejus juris, quod in societate tam universali, quam particulari sit sequendum. Neque vero majorem firmitatem aut lucem huic disciplinae inferunt, qui isthoc fundamentum commendant: *Ejus, quod naturaliter unumquodque justum sit, ultimum argumentum esse ipsam naturam, quae legem sui facit. Ductum naturae sequendum, ac diligenter considerandum, ad quod ex se in moralibus ducat, unde nos cohibeat. Quocirca jus naturale quaerendum in convenientia & inconvenientia cum natura. Naturam autem haec accipiendam, non ut per corruptam progeniem, & in probos mores nunc depravata est, sed quae primitus concreata est integra & incorrupta*. Enim vero praeterquam quod pleraque haec dicta videantur petere id, quod est in principio, & obscurum per aequae obscurum explicare; etiam illud, naturam hominis primitus à Deo creatam fuisse integram, & post culpa hominis depravatam, quaestio facti est, de cuius veritate non nisi ex divinarum autoritate literarum constare potest. Et consequenter isthoc fundamentum illi tantum ex Christianis

ad-

admittunt, qui cum nostris Ecclesiis peccatum originis agnoscunt. At cum hæc disciplina non solos Christianos, sed universum mortalium genus spectet; tale sane principium constituere convenientius fuerit, quod nemo, modo rationis compos sit, abnuere queat. Sed de isthac re iudicium penes sapientes esto. Quod superest, uti bonos & cordatos viros huncce laborem meum suo favore dignaturos esse non despero; ita sic ubi forte hallucinatus fuero, id ut humanæ conditionis imperfectioni adscribant, summopere peto; cum inhumana plane, ac vesaniæ proxima sit immanitas, propter unam aut alteram inutilem herbulam toti segeti ignem immittitur, juxta illud *Horatii: Ubi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura.* Neque vero ea est mihi superbia, nec eam adhuc cani pertinaciam addunt, ut monitu sapientiorum aliquid didicisse, aut emendasse erubescendum mihi ducturus sim. Quin & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia paratus ero. Quomodo enim cuipiam cordato erubescendum sit, adplicare sibi illud *Marci Antonini l. 6. §. 21. Si quis convincere me poterit, palamque mihi facere, quod in re ulla minus recte vel sentiam, vel me geram, lato lubentique animo mutabo.* ἤνῳ γὰρ ἴαν ἀλήθειαν, ὑπὸ ἧς ἕδεις πώποτε ἰβλάθῃ. βλάπτειται δὲ ὁ ἐπιμένων ἐπὶ τῆς ἰαυτῆς ἀπάτης καὶ ἀγνοίας. *Sec̄tor enim veritatem, à qua nemo unquam laesus est. Leditur vero, qui in errore suo & ignorantia persistit.* Neque ex eorum numero esse velim, de quibus *Aristoteles Nicom. VII. c. 10. εἰσὶ δὲ ἰχυρογνώμονες οἱ ἰδιογνώμονες, καὶ οἱ ἀμαθεῖς, καὶ οἱ ἀγροικοί. Sunt pertinaces sua sententia homines, & ineruditi, & rustici. B. V.*





SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ ET GEN-
TIUM
LIBER PRIMVS,

Præcognita ejus juris continens.



CAPUT PRIMUM.

DE ORIGINE ET VARIETATE ENTIVM
MORALIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Introductio.</i> | 11. <i>Monita quaedam circa status.</i> |
| 2. <i>Vita humana temperatur per Entiam moralia.</i> | 12. <i>Divisiones personarum simplicium</i> |
| 3. <i>Quid sint entia moralia, quæ eorum causa, qui finis?</i> | 13. <i>Et compositarum.</i> |
| 4. <i>Modus eadem producendi. Impositio. Eorundem operatio, & unde?</i> | 14. <i>Monita circa personas morales.</i> |
| 5. <i>Divisio.</i> | 15. <i>Persona ficta.</i> |
| 6. <i>Status quid?</i> | 16. <i>Res morales.</i> |
| 7. <i>Status naturalis & adventitius.</i> | 17. <i>Modorum moralium divisio.</i> |
| 8. <i>Pax, & Bellum quid, & quotuplex?</i> | 18. <i>Tituli.</i> |
| 9. <i>Status determinati.</i> | 19. <i>Potestas.</i> |
| 10. <i>Status respectum ad tempus habentes.</i> | 20. <i>Ius.</i> |
| | 21. <i>Reliquæ qualitates morales.</i> |
| | 22. <i>Quantitates morales.</i> |
| | 23. <i>Entia moralia quomodo pereant?</i> |



AD Philosophiam primam spectabat, siquidem genuinæ suæ indolis mensuram impletura erat, latissimas rerum definitiones tradere, ac easdem in certas classes congrue disponere, adjuncto, quæ cujusque rerum generis in universum natura sit atque conditio. Verum uti in classe quidem rerum naturalium sic satis hoc præstitisse viden-

videntur, qui eam disciplinam excolendam hætenus sumfere; ita res ipsa loquitur, eosdem circa entia moralia non pro istorum dignitate fuisse sollicitos. Quin multi de iisdem ne cogitarunt quidem; alii levi duntaxat brachio attigerunt, velut inania, aut nullius momenti figmenta. Cum tamen eorundem naturam maxime deceret intelligere hominem, cui talium producendorum data est facultas, & per cujus vitam istorum vis sese penitus diffundit. Eares necessitatem nobis imponit, neglectam à plerisque doctrinam hæc præmittendi, quantum quidem instituto nostro sufficere videbitur. Saltem ne definitiones rerum moralium, quas dabimus, obscuritate aut novitate sua lectorem morentur, cui ejusmodi genera in vulgaribus libellis fortasse rarius occurrerunt. Quod si pleraque isthæc delicatis innutriti literis fastidiant, & ad nova vocabula Latio ignota frontem contrahant, illos hanc veniam poscimus, ut si ipsos circa delicias suas quandoque plus satis argutantes ferimus, etiã iidem nos paulisper *excusebunt* magis rerum, quam flosculos verborum sectantes tolerant. Nam qua ratione isthæc commodius exprimi possint, nondum dispicimus, ni pertæditos ambages majore obscuritate eadem involvere velimus. Abs novitatis calumnia vindicabit nos illud Ciceronis de finibus l. 3. *Imponenda nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cujus usus vulgaris communisq; non sit, multam novitatem nominum esse.* Ad ductis dein exemplis tum artium liberalium, tum opificiorum subjungit: *quo magis hoc philosopho faciendum est: ars enim philosophia est vita: de qua differens accipere verba de foro non potest. Manilius Astron. l. 3. Ornari res ipsa negat, contenta doceri. Et si qua externa referantur nomina lingua. Hoc operis, non vatis erit. Non omnia flecti possunt, & propria melius sub voce notantur.* Sed & si quis nullo modo isthæc tetrica digerere valet, ei licebit, his omissis, ad planiora statim transire.

§. 2. Res igitur omnes, quarum complexu hoc universum componitur, uti suis constant principiis, quæ cujusque essentia constituta assignavit, & attemperavit Creator O. M. ita earum quælibet suas habere affectiones, ex dispositione ac habilitate substantia redundantes, nec non in certas sese actiones pro modulo virium à Creatore inditarum effundere deprehenditur. Illas naturales solemus vocare; post-

CAPUT I.

re; postquam naturæ vocabulo designari sivevit tum ipsa rerum creaturarum universitas, tum modus ille & actus rerum, ex congenitis ipsarum viribus fluens: per quas producuntur infinitæ illæ motuum varietates, quibus omnia in hocce universo agitari cernimus. Ac cætera quidem, quæ operationes suas vel citra omnem sensum, vel cum sensu tantum directo, aut parum exquisitè reflexo, exercent, solo naturæ instinctu aguntur, suasque actiones modis quibusdam à se ipsis inventis temperare haut-quidquam norunt. Ast homini uti præter insignem corporis habilitatem datum est singulare mentis lumen, cujus operes posset accuratius comprehendere, eas inter se conferre, ex notioribus ignotiora colligere, deque rerum convenientia inter se judicare; nec non ut motus suos non ad eundem semper modum cohereret exserere, sed eosdem expromere, suspendere, ac moderari valeret, prout videretur: ita eidem homini indultam adminicula quædam invenire aut adhibere, quibus utraque facultas insigniter adjuvaretur ac dirigeretur. Quid notionum inventum fuerit sublevando intellectui, ne per infinitam rerum varietatem confunderetur, aliorum est curatius tradere. Nobis illud jam est dispiciendum, quomodo ad dirigendos voluntatis potissimum actus certum attributi genus rebus & motibus naturalibus sit superimpositum, ex quo peculiaris quædam convenientia in actionibus humanis resultaret, & insignis quidam decor atq; ordo vitam hominum exornaret. Et ista attributa vocantur *entia moralia*, quod ad ista exiguntur, & iisdem temperantur mores actionesque hominum, quo diversum ab horrida brutorum simplicitate habitum faciemque induant.

§. 3. Exiisde commodissime videmur entia moralia posse definire, quod sint modi quidam, rebus aut motibus physicis superadditi ab entibus intelligentibus, ad dirigendam potissimum & temperandam libertatem actuum hominis voluntariorum, & ad ordinem aliquem ac decorem vitæ humanæ conciliandum. *Modos* dicimus. Nam concinnius nobis videtur ens latissime dividere in substantiam & modum, quam in substantiam & accidens. Modus porro uti substantiæ contradistinguitur; ita eo ipso satis patet, entia moralia non per se subsistere, sed in substantiis, earumque motibus fundari, ipsasque

certa duntaxat ratione afficere. Caterum modorum alii ex ipsa re naturaliter velut profluunt, alii per potentiam intelligentem rebus modisque physicis superadduntur. Quod enim intellectu præditum est, id ex reflexa rerum cognitione, earundemque inter se collatione tales potest notionem formare, quæ ad dirigendam facultatem homogeneam sunt idoneæ. Et ex hoc genere quoque sunt entia moralia. Quorum primum autorem merito DEUM O. M. dixeris, qui utiq; noluit, ut mortales hanc vitam sine cultu, sine more, ad brutorum instar transirent, sed ut ista, & eorundem actiones certa ratione forent temperata: id quod citra entia moralia fieri nequibat. Pleraque tamen arbitrio ipsorum hominum post superaddita, prout vitæ humanæ excolendæ, & velut in ordinem dirigendæ, talia introduci proficuum videbatur. Hinc etiam finis eorundem patescit, qui non est, uti entium physicorum, perfectio hujus universi, sed peculiariter perfectio vitæ humanæ, quatenus præ brutorum vita decori cujusdam ordinis capax erat, utque in re maxime vaga, qualis est motus animi humani, concinna aliqua harmonia inveniretur.

§. 4. Porro uti modus originarius producendi entia physica est creatio; ita modum, quo entia moralia producuntur, vix melius possis exprimere, quam per vocabulum *impositionis*. Scilicet quia illa non ex principiis intrinsicis substantiæ rerum proveniunt, sed rebus jam existentibus & physice perfectis, eorundemque effectibus naturalibus sunt superaddita ex arbitrio entium intelligentium, adeoque unice per eorundem determinationem existentiam nanciscuntur. Ac per eadem ipsis certi quoque effectus assignantur, qui iterum eorundem lubitu possunt deleri, nulla mutatione physica in re, cui erant superadditi, proveniente. Unde vis operandi quæ illis inest, non in hoc consistit, ut intrinseca sua efficacia motum aliquem physicum, aut mutationem in re aliqua immediate præducant, sed tum in eo, ut pateat hominibus, qua ratione libertas actionum ipsis sit moderanda; tum ut peculiariter reddantur habiles ad commodum vel incommodum aliquod recipiendum, vel etiam ad certas actiones adversus alium cum peculiari effectu exercendas. Et efficacia quidem entium moralium à DEO institutorum inde fluit, quod penes ipsum tanquam creatorem fuerit libertatem voluntatis, quam homini concedere placuerat, certis limitibus circumscribere,

CAPUT I.

scribere, & reluctarem intentato aliquo malo versus eam, quam ipse vult, partem flectere. Sed & homines abs se inventis vim potuerunt addere, per suas vires repræsentato aliquo malo ei, qui sese istis conformare detrectaverit.

§. 5. Cum igitur entia moralia sint instituta ad conciliandum ordinem vitæ mortalium; cui fini requiritur, ut & illi, queis ad eam normam est vivendum, certo se modo invicem habeant, & actiones suas certo modo regant, & denique circa res, quarum in vita humana usus est, certo modo sese gerant: ideo eadem potissimum velut inhære intelliguntur *hominibus*, ipsorumq; *actionibus*, & aliquatenus *rebus*, per naturam, aut adjuvante eam industria hominum, productis. Quamvis autem juxta hæc tria subjecta eorundem divisio non absurde poterat institui; concinnius tamen visum fuit, ad normam entium physicorum ista quoque moralia in classes redigere. Idque tum quia in illa majori studio inquisivere philosophi, sicut ex eorundem comparatione hisce multum lucis accedere possit; tum quia vix aliter quam ad analogiam entium physicorum intellectus noster materiæ immerfus moralia concipere valet.

§. 6. Etsi autem entia moralia non per se subsistant, adeoque in universum non in classe substantiarum, sed modorum sint censenda:prehendimus tamen quædam concipi ad modum substantiarum, quia in iis alia moralia videntur immediate fundari pari fere ratione, qua substantiis corporeis quantitas & qualitates inhærent. Verum quemadmodum substantiæ physicæ velut supponunt spatium, in quo suam quam habent naturalem existentiam ponunt, & motus suos físicos exercent: ita ad harum analogiam etiam personæ potissimum morales dicuntur, & intelliguntur esse in *Statu*; qui itidem iis velut supponitur aut subternitur, ut in eo actiones atq; effectus suos exercent. Inde natura status non incongrue exprimi potest, quod sit ens morale suppositivum, ob analogiam, quam habet cum spatio; quod itidem non videtur aliquod ens primarium, sed eo destinatum, ut cæteris velut subternatur, eaque certo modo sustineat. Sic & certi status sunt instituti non propter se, sed ut in iis personæ morales existere intelligantur. Quamquam in eo differat status à spatio, quod hoc sit quoddam substantiæ genus immobile, & extensum primo ac per se, quod etiam

sublatis rebus naturalibus existere queat; status vero (ut & cætera moralia formaliter considerata & quæ talia) modi & attributi duntaxat rationem obtineat, ita ut remotis personis, quæ in statu illo morali esse intelliguntur, ipse quoque status existentiam suam vix amplius tueri posse videatur.

§. 7. Porro uti spatium duplex est; unum secundum quod res *ubi* esse dicuntur, aut in loco, v. g. hic, illic; alterum secundum quod dicuntur esse *quando*, aut in tempore, v. g. hodie, heri, cras: ad eundem modum duplicis esse generis statum animadvertimus, unum qui notat *ubi* morale, seu qui cum loco aliquam habet analogiam; alterum qui notat respectum ad tempus, quatenus ex eo moralis aliquis effectus redundat in illos, qui in isto tempore existere dicuntur. Prior status loco analogus considerari potest vel *indeterminate*, quatenus duntaxat ex qualitatibus moralibus resultat: vel *determinate*, quatenus etiam respectum ad quantitatem aliquam moralem & comparisonem involvit. Status hominis indeterminate consideratus est vel *naturalis*, vel *adventitius*. Naturalem hominis statum vocamus, non quod is citra omnem impositionem ex physicis principiis essentia humanæ fluat; sed quod ex impositione Numinis, non ex arbitrio hominum, hominem statim ab ipsa nativitate comitetur. Solemus autem statum hominis naturalem considerare vel *absolute*, vel *in ordine ad alios homines*. Priori modo consideratum statum hominis naturalem tantisper, cum commodiore vocabulo destituamur, vocabimus humanitatem, seu conditionem illam, in qua homo esse constitutus intelligitur, dum eximium præ aliis animantibus esse voluit Creator. Cicero *off. I. Nobis personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, præstantiaque animantium reliquorum*. Ex quo statu fluit, quod homo debeat esse creatura autorem sui agnoscens, colensque & ipsius opera admirans; quodque diversa planè à brutis ratione vita eidem sit exigenda. Huic statui vita & conditio bestiarum opponitur. Cum porro ex eo statu, quod quis homo sit, certe obligationes proveniant, nec minus certa eidem jura competant, non abs re fuerit heic monere, quando iste status in singulis hominibus initium capiat. Quod recte videtur constitui, quando aliquis vere homo dici potest, etiamsi adhuc desint illæ perfectiones, quæ non nisi post aliquem temporis tractum hominem sequuntur; adeoque quando

tan-

tanquam peculiaris substantia vivere & sentire incipit, licet nondum
 visceribus maternis sit egrossus. Sed quia obligationes ad sui imple-
 tionem requirunt intellectum sui, & ejus quod agitur; igitur non nisi
 tunc efficaciam suam actu exerunt, quando homo actiones suas ad
 normam aliquam conferre, & eas inter se discernere novit. Ast jura,
 quæ in aliis, rationis usu jam gaudentibus, obligationem quid præstandi
 inferunt, & prodesse possunt etiam ignorantibus quid geratur, statim
 atque homo quis esse incipit, vim suam proferunt. Inde cum omnibus
 hominibus hoc jus competat, ne ab aliis lædantur, sane si ejus quoque,
 qui in utero est, corpus dolo malo lædatur, injuria fit non parentibus
 solum, sed & ipsi factui; quam etiam eundem adultum postea suo nomino
 exsequi posse arbitramur, ubi de ea intellexerit. Sed antequam illud
 quicquid est in formam hominis in utero materno coaluerit, si quis ef-
 ficiat, ut illud corrumpatur atque elidatur, in massam illam injurius dici
 non poterit, nisi revera in legem naturæ peccet, societati humanæ mem-
 brum intercipiendo; & injuriam faciat civitati, quam cive, & parenti-
 bus, quam prole sperata spoliat. *In ordina autem ad alios homines con-*
sideratus naturalis status ille dicitur, prout intelliguntur homines se in-
vicem habere ex nuda illa & universali cognatione, quæ ex similitudine
naturæ resultat, ante factum aliquod aut pactum humanum, quo pecu-
liariter unus alteri redditus fuerit obnoxius. Quo sensu in statu na-
turali invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent domi-
num, & quorum unus alteri non est subjectus, quique inter se neque be-
neficio neque injuria sint cogniti. Quo etiam accedit tertia status na-
turalis consideratio, prout nempe abstracta intelliguntur omnia inven-
ta, & instituta humana, aut homini divinitus suggesta, queis vitæ huic
decor & commoditas fuit conciliata. Adventitius autem status est, qui
nascentibus, aut jam natis factis aliquo humano supervenit. Cujus di-
visiones infra commodius adducentur. Ubi obiter observandum,
non esse quod puter aliquis, statum naturalem posteriori sensu nun-
quam extitisse, aut existere posse, ideo quod nunquam extiterint plures
homines, qui nuda illa naturæ similitudine, prout à cognatione abstra-
hit, citra vinculum adventitium inter se fuerint conjuncti. Evam
quippe Adamo vinculo conjugali fuisse sociatam. Ex hisce descen-
dentes per communionem sanguinis & stirpis, cognationemque ar-
 ctius

ctius coaluisse. Verum sciendum, vinculum illud ex cognatione resultans paulatim inter eos exolefcere, qui longe à communi stirpe sunt remoti; nec idem ulterius fere judicatur vim aliquam obtinere, quam quousque isti exprimendo peculiaria homines vocabula invenerunt. Adeoque licet ab initio generis humani ille status actu non extiterit; idem tamen deinceps lapsu temporum emerfit, postquam communis stirpis memoria, aut ex eadem ortæ necessitudinis sensus foret extinctus.

§. 8. Quanquam autem omnis status respectum aliquem & habitudinem involvat adversus alios in eo, qui in statu esse dicitur; cum quemlibet statum comitetur jus aut obligatio aliqua, quæ sine objecto, in quo vim suam exerat, non intelligitur: magis expresse tamen quidam status respectum erga alios homines notant; quibus scilicet simul exprimitur modus, quo sua negotia invicem expediunt homines. Uti sunt præcipue *pax*, & *bellum*. *Libanius progymn.* δύο καιροὶ πάντα διατάσσουσιν τὰ τῶ ἀνθρώπων πράγματα, λόγῳ δὲ πόλεμον καὶ εἰρήνην. *Sunt tempora duo, penes quæ totius vita est arbitrium, nempe pacis & belli.* Pax quippe est status ille, quo homines inter se quiete, & citra injurias violentas agunt, & quæ invicem debent, velut ex obligatione & ultro præstant. Bellum contra est status injurias violentas mutuo inferentium & propulsantium, aut quæ sibi debentur vi extorquere nitentium. Dividi potest *pax* in *communem*, quæ adversus quoslibet homines per sola officia, ex mero jure naturæ fluentia, colitur: & *peculiarem*, quæ expressis foederibus, & certis præstationibus constat. Quæ iterum est vel *interna*, inter membra ejusdem reipublicæ: vel *externa*, erga alios extra nostram rempublicam constitutos, amicos vulgares, aut peculiare ac foederatos. *Bellum* aliquod *commune* aut universale omnium in omnes inter homines non datur; cum illud sit consecrarium status bestiarum. Bellum *particulare*, quod in certos duntaxat homines geritur, est vel *internum* seu civile, vel *externum*. Illud geritur inter ejusdem reip. membra; hoc inter eos, qui eadem civitate non continentur. Quando suspenduntur actus bellici, statu manente, *inducia* vocantur.

§. 9. *Determinate* considerari possunt aliqui status prout adjunctam habent intensionem aut remissionem existimationis, seu prout multum aut parum honorifici censentur. Cum enim quemlibet statum aliqua

aliqua jura aut obligationes comitentur : eo splendidior plerumque censetur status, quo plura & validiora jura is adjuncta habuerit; aut si obligationes eo tendant, ut tales teneatur præstare operas, quæ insignem vim animi aut ingenii requirunt. Contra quæ crasso labore obeuntur, ut plurimum parum dignationis habere judicantur.

§. 10. Posterius genus status, quod respectum ad tempus habet cum effectu morali consideratum, dividi potest 1. in *junioratum* & *senioratum*. Quorum uterque dicitur vel in respectu ad durationem existentia in vita humana, vocaturque ætas; cujus gradus infantia, pueritia, adolescentia, juvenus, ætas virilis, statura, vergens, senilis, decrepita: vel in respectu ad statum aliquem adventitium, prout quis diu in eo fuit versatus. 2. In *majorennitatem*, quando quis per ætatem censetur idoneus ad bona sua proprio Marte administranda; & *minorennitatem*, cum quis tutore adhuc aut curatore opus habet, eo quod ob judicii imbecillitatem, aut affectuum in vana impetum rebus suis non satis dextre præesse posse præsumatur. Cui statui apud diversos populos diversi termini constituti deprehenduntur. A minorennitate differt ætas doli capax, cui itidem in universum certus terminus assignari nequit. Memorabilem modum doli explorandi refert *Ælianus* l. V. c. 16. *Puer cum auream laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, sustulisset, in judicium adductus est. Judices igitur crepundia, talos, & laminam auream proposuerunt puero: qui cum iterum ad aurum se contulisset, plexus est tanquam sacrilegus.*

§. 11. Antequam ad alia discedamus, illud quoque monendum videtur, quod ob inopiam vocabulorum uno eodemque nomine frequenter cogamur exprimere & statum, & attributum statui proprium. Quæ tamen revera distincta sunt, & diverso modo concipiuntur. (*Seneca de beneficiis* l. 2. c. 34. (*Ingens copia est rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis, commodatisque*)) Sic v.g. libertas pro statu concipitur ad analogiam spatii; pro facultate agendi ad modum qualitatis activæ. Sic nobilitas alias notat statum, alias attributum personæ, quod ad modum patibilis qualitatis concipitur. Sic & vocabulum induciarum, pacisque & statum, & conventionem notat. Sed nec illud prætereundum, quemadmodum una persona in pluribus statibus simul existere potest, modo obligationes, quæ status illos

comitantur, sibi invicem non adverfentur: ita obligationes, quæ uni cuiquam statui adherent, posse ex diverfis principiis per partes derivari. Unde haut statim ille, qui obligationes ex uno aliquo principio fluentes colligit, reliquis prætermiffis, ejusmodi format statum, cui præter eas, quarum ipse meminit, nullæ possint adhærere obligationes aut debeant. Sic qui ex solis Scripturis Sacris partes officii sacerdotum colligit, haut quidquam negat, ad illa quoque obeunda eosdem obligari, quæ ex constitutionibus singularum civitatum requiruntur. Sic & nos, qui heic illa dantaxat hominis officia tradimus, quorum necessitas ex lumine rationis colligi potest, nequaquam pertendimus, ejusmodi statum hominum unquam extitisse, aut jam esse posse aut debere, in quo solæ istæ obligationes in eundem caderent. Quanquam illud fortasse supervacuum fuerit multis inquirere, an talis status hominum existere unquam debuerit. Neque enim ita liquido probatum adhuc est, quod aliqui tradunt: *si homo mansisset in statu sanctitatis primæ, solam naturæ legem, uti ab initio illum rexit, ita recturam deinceps fuisse, nisi quod una aut altera positiva accedere poterat.* Nescio enim, an probabile sit, genus humanum, utut peccati expers, perpetuo intra unius horti spatia ævum fuisse exacturum, fructibus sponte enatis victitans, nec per industriam ac varias artes inventas cultura vitæ allata. Quid enim, hominibus multiplicatis, particulares societates, rerump. instar habentes, sanctitati obstitissent, nondum dispicio. Ast istiusmodi societates sine legibus positivis intelligi non posse videntur.

§. 12. Entia moralia, quæ ad analogiam substantiarum concipiuntur, dicuntur *persona* morales, quæ sunt homines singuli, aut per vinculum morale in unum systema connexi, considerati cum statu suo aut munere, in quo in vita communi versantur. Sunt autem personæ morales vel *simplices* vel *compositæ*. Simples pro discrimine statuum vel munerum, in quibus versantur, sunt vel *publicæ* vel *privatæ*, prout ipsorum munus immediate ad usum societatis civilis, aut proprium cujusque commodum spectat. Personæ publicæ ex usu populorum Christianorum dispescuntur in *politicas* & *ecclesiasticas*. Illæ sunt vel *principales* vel *minus principales*. Inter illas quædam cum summo imperio rep. regunt; quædam potestate à summo imperio delegata partem aliquam imperii exsequuntur, quos magistratus proprie acce-
pto

pro vocabulo dicunt; vel circa recte gubernandam remp. consilia suggerunt. *Minus principales* operam minus nobilem reip. & magistratibus ut talibus præstant. In bello magistratibus respondent duces superiores & inferiores, quibus subsunt milites gregarii; quos inter personas publicas eo respectu possis referre; quod per summam potestatem civilem immediate aut mediate autorantur ad arma pro referenda. Peculiaris quoque species personarum politicarum est, quas dicere possis *representativas*, ideo quod personam aliorum referant; quæ scil. potestate & autoritate agendi ab aliquo instructæ, hujus vice negotia expediunt eodem cum effectu, ac si ab illo ipso essent confecta: ut sunt legati, vicarii, syndici, & similes. Etsi recentius commentum sit distinguere inter eos ministros, qui habent *characterem representantem*, uti sunt præse dicti Legati: & inter ministros secundi ordinis, puta Missos, aut Residentes, qui fastigium eorum, ad quos mittuntur, haut ita, sicut priores representant. vid. *Autoris Anonymi Memoires touchant les Ambassadeurs* p. 542. Istorum instar aliquod inter privatas personas gerunt tutores & curatores; quatenus pupillorum & minorum res atque negotia administrant. Quo loco minus recte monet *Hubbes Leviathane* c. XVI. in civitatibus non raro contingere, ut quis representet & gerat personam rei cujusdam inanimatæ, quæque adeo per se persona non est, puta Ecclesiæ, Nosocomii, pontis. &c. Nam non necessarium videtur, per fictionem quandam istarum rerum aliquam personam constitui; cum simplicissime dicatur, à civitate certis hominibus injunctam curam colligendi redditus istis rebus servandis destinatos, & quæ eo nomine oriuntur actiones persequendi aut excipiendi. Quæ personarum ecclesiasticarum sit varietas, cuius agnoscere in proclivi est, prout religioni alicui innutritus fuerit. Quid personarum quoque scholæ generent, neminem eruditum fugere potest. Privatarum personarum magna est varietas. Præcipuè illarum differentię desumuntur 1. ex negotio, quæstu aut artificio, circa quod quis est occupatus, & unde rem facit, quod est vel ingenuo dignum, vel cum sordibus conjunctum. 2. Ex conditione seu situ quasi morali, quo quis utitur in civitate. Quo intuitu alius est civis, pleno aut minus pleno jure; alius inquilinus, alius peregrinus. 3. Ex conditione in familia; quo respectu aliquis est paterfamilias,

miliæ, qui mariti, patris ac heri personam simul complecti potest, alia uxor, alius filius, & servus; quæ sunt membra velut ordinaria familiæ, quibus extra ordinem accedit interdum hospes. 4. Ex stirpe; unde sunt nobiles, quorum diversis in civitatibus diversi gradus: & plebeji. 5. Ex sexu & ætate. Hinc est puer, juvenis, vir, senex: illinc mas, foemina. Quanquam enim sexus & numerus annorum non sit ex impositione; ista tamen inter homines in vita communi aliquid moralitatis involvunt, quatenus diversos sexus diversa decere intelliguntur, alioque modo dispari cum sexu agere convenit.

§. 13. Persona moralis *composita* constituitur, quando plura individua humana ita inter se uniuntur, ut quæ vi istius unionis volunt aut agunt, pro una voluntate, unaque actione, non pro pluribus censeantur. Idque tunc fieri intelligitur, quando singuli voluntatem suam voluntati unius hominis aut concilii ita subjiciunt, ut pro omnium voluntate & actione velint agnoscere, & ab aliis haberi, quicquid iste decreverit aut gesserit circa illa, quæ ad unionis ejus naturam ut talem spectant, & fini ejusdem congruunt. Unde est, quod cum alias ubi plures quid voluerint, aut egerint, tot voluntates & actiones extare intelligantur, quot numero personæ physicæ seu individua humana ibi numerantur; in personam tamen compositam coalitis una voluntas tribuatur, & quæ ab illis ut talibus proficiscitur actio, una censeatur, ut ut plura individua physica ad eandem concurrerint. Hinc etiam ejusmodi persona composita jura ac bona peculiariter potest ac solet obtinere, quæ haut quidquam singuli ex isto corpore, quæ tales, sibi arrogare aut vindicare possint. Sed & illud heic observandum, quemadmodum corpora physica manent eadem, etsi successu temporis per varias particularum accessiones ac decessiones tacitis momentis non parum in iis fuerit mutatum; sic per particularem individuorum successionem non desinere eandem manere personam, nisi uno & eodem tempore talis mutatio ingruat, quæ prioris corporis rationem penitus tollat. Qua de re alio loco pluribus. Personas porro morales compositas, seu societates ad modum personarum simplicium dividere possumus in *publicas* & *privatas*. Illæ iterum sunt vel *sacræ* vel *politicae*. Inter sacræ alias possumus vocare *generales*, ut est ecclesia catholica, ecclesia particularis vel certis civitatum terminis comprehensa, vel publicis confessionum formulis distincta: vel *speciales*, ut

ut sunt concilia & synodi, consistoria, presbyteria &c. Societas politica itidem est vel *generalis*, ut respublica, cujus multæ species, simplices, compositæ, regulares, irregulares; vel *particularis*, ut Senatus, ordo equestris, tribus, parlamentum &c. Societas *sagata* dicitur exercitus, cujus partes sunt legio, turma, cohors, manipulus, &c. Societates *privatae* non solum sunt familiæ, sed & in civitatibus, quæ vocantur collegia, puta mercatorum, opificum & similia. Omnes species minutatim heic colligere, operæ pretium non videbatur.

§. 14. Id porro circa naturam personarum moralium simplicium observabimus, quemadmodum unus idemque homo in diversis statibus, sibi invicem non repugnantibus, esse potest: ita unus idemque simul plures velut personas gerere potest, modo munia, quæ personas illas comitantur, ab eodem simul obiri queant. Nam uti ex naturali ratione idem non potest esse maritus & uxor, filius & filia; nec ex morali ratione simul dominus & servus, iudex & reus, actor & testis: ita nil prohibet, quo minus idem simule esse queat v. g. domi paterfamilias, in curia senator, in foro advocatus, in aula consiliarius. Scilicet quatenus singula ista munia totum hominem non requirunt, sed distinctis temporibus commode obeuntur. Huc aliquo modo facit illud *Cicero- nis Offic. 1. Intelligendum est, duabus quasi nos à natura indutos esse personis: quarum una communis est, ex eo quod omnes participes sumus rationis, præstantiaque ejus, qua antecellimus bestiis. Altera autem, quæ proprie singulis est tributa. Histertia adjungitur, quam casus aliquis vel tempus imponit. Quarta etiam, quam nobismetipsis iudicio nostro accommodamus. Idem de Oratore: tres personas unus sustineo, meam, adversarii, iudicis.* Atque ea ratione sapientiores gentilium πολυβίοντα, quam rationi repugnare satis intelligebant, excusatum iverunt; scilicet ut in eodem numine plures velut personæ conciperentur, prout per diversas operationes in rerum natura sese illud exserit. *Seneca de benefic. l. 4. c. 7. Tot appellationes Dei possunt esse, quot munera. Maximus Tyrius dissert. 23. ὅτι ὅν μὴ ἴσθαι ἃ φύσις, πολλὰ δὲ τὰ ἰνόματα, Decorum una natura, sed multa sunt nomina. Nos vero à subsidio, quod hominibus præstant, singulis eorum, quæ nos fraest ignorantia, nomina imponimus. Aliter alius Deorum appellatur.* Sed & hoc ex natura impositionis facile intelligitur, quando alicui homini nova persona velut induitur, non fieri in ipso physicam quandam muta-

mutationem, aut novas in eo qualitates physicas produci, veteres vè augeri: sed quicquid novi heic generatur, id intra sphæram rerum moralium subsistit. Sic quando aliquis consul renunciatur, non ideo fit prudentior, neque si Magistratu abierit, simplicior; etsi aliqui observarint, multorum actiones ex splendore muneris non parum ponderis mutuari, & aliquos cum imperio, & privatos non eosdem visos. Id quod tamen ego inter deceptiones velut opticas, quas adparatus inanium efficit, retulerim. Quomodo rustici ad efficaciam medicamentorum etiam doctoris titulum aliquid facere credunt. *Juvenalis sat. 7. Purpura vendit Causidicum, vendunt amethystina, convenit illis, & strepitus & facie majoris vivere census.* Nisi quod sæpe ingenia quædam magnitudine negotiorum excitentur, otio obtorpescant. Vid. *Cornel. Nepos Alcibiade c. 1. n. 3. 4.* Quin tamen DEUS, si ipse alicui peculiarem imponat personam, eidem qualitates, moralium mensuram supergressas, addere possit, & soleat, dubitare non licet. Vid. *Exod. III. IV. Deut. XXXIV. 9. 1. Sam. X. 6. 9. Matth. X. 1. 19. 20.* Ex superioribus etiam patet, Judæos quondam regenerationi suæ, per quam antehac gentili nova persona Profelyti justitiæ imponebatur, effectus nimis amplos tribuisse, velut nulla ei restaret pristina cognatio, nec fratrem, sororem, patrem, matrem, liberos ante genitos omnino in suis haberet. Vid. *Seldenus de J. N. & G. l. 2. c. 4.* ubi & ejus erroris causa notatur, quod scilicet crederent, Profelyto novam animam infundi.

§. 15. Monendum deniq; & hoc videtur, homines personarum moralium quasdam velut umbras & simulacra quandoque fingere, quæ istas per ludicrum repræsentent. Unde factum, ut personæ vocabulum sibi peculiariter scena vindicaret. Fictæ autem personæ essentia in eo consistit, ut alterius scriæ personæ habitus, gestus, oratio dextre exprimatur; sicut & omnis ipsius adparatus non nisi ludicram faciem præ se fert; & quæ abs tali aguntur, aut dicuntur, nullum post se effectum moralem relinquunt, sed sola repræsentationis dexteritate æstimantur. Quam ob causam, ut hoc obiter addam, miror, quare Petrus Alexandria Episcopus adprobaverit baptismum, à puero Athanasio inter ludendum collatum, ap. *Sozomenum hist. Eccles. l. 2. c. 16.* Add. quæ ab Episcopo Minorensi disputantur de intentione ministri, sacramentum administrantis, apud *Petrum Suaven. hist. concil. Trident. l. 2. p. m. 214. 215.*

Ast

Aut veras personas morales quæ productio imponitur haut quidquam ita est libera, quin ejusmodi qualitates debeat præsupponere, quæ aptæ sint, ut solidus aliquis effectus in vita humana inde proveniat. Et illas qui circa constituendas personas respicere neglexerit, per vecordem petulantiam mortalibus insultare est censendus. Sic poterat Caligula nequam aliquem & stolidum hominem consulem creare, dummodo civis Romanus ille foret, & inania saltem istius muneris obire nosset. Aut quodequo sito incitato consulatum quoque destinaret, id vero furor, & insipida petulantia erat. Non minus, quam quod eidem patrisfamilias personam indueret, data familia, domo ac suppellectile, quo invitati ejus nomine lautius acciperentur. Vid. *Suet. Calig. c. 55.* Par vefania, cum summa impietate conjuncta, erat, quod multi veterum populorum Principes, civitatum conditores, aliosque illustres viros post mortem ob merita aut per adulationem in Deorum numerum referrent. Vid. oratio Tiberii apud *Tacitam A. IV.* Sed & quid de relatione inter sanctos apud Pontificios sentiendum sit, cordatis judicare in proclivi est.

§. 16. Enimvero ut *res*, quatenus sub objectum juris veniunt, in censum entium moralium propriè referamus, opus non videtur. Non enim, quemadmodum homines ob diversum statum aut munus tanquam diversæ personæ concipiuntur; ita res quoque aliter concipimus, prout nostræ, aut alienæ, aut nullius intelliguntur. Scilicet quando quædam res dominium subierunt, reliquæ dominio vacuæ fuerunt relicte, non nova qualitas ipsis rebus imposita debet intelligi, sed potius introducta rerum proprietate moralis aliqua qualitas inter homines cœpit existere, quæ hos quidem afficeret, in rebus autem duntaxat terminaretur. Uti enim, quum res in communi primæva forent, homini jus erat, in medio posita occupando usibus suis adplicare: ita dominio constituto jus peculiare fuit datum domino de re disponendi, & in reliquis non dominis enata obligatio ab eadem re abstinendi. Res autem ipsæ non nisi denominationem aliquam extrinsecam inde sunt sortitæ, prout istius juris & obligationis objectum constituunt. Sic quando certæ res dicuntur religiosæ & sacræ, non in ipsis rebus inhæret qualitas moralis & sanctimoniam, sed hominibus tantum incumbit obligatio eas res certo modo tractandi; quæ obligatio quando remittitur, in promiscuum usum

usum illæ iterum recidere intelliguntur. Si quis tamen omnino res quasdam morales dicendas contenderit, is ita erit explicandus, ut moralitas non formaliter, sed objective duntaxat rebus tribuatur.

§. 17. Hactenus de entibus moralibus, quæ concipiuntur ad analogiam substantiarum. Dispiciendum jam de iis quoq; , quæ & formaliter sunt modi, & ut tales concipiuntur. Videntur autem modi commodissime posse distribui in *affectivos*, & *æstimatorios*: secundum illos personæ certa ratione affectæ intelliguntur, secundum hos personæ & res æstimari aptæ sunt. Illi vocabulo *qualitatis*, hi *quantitatis* latissime accepto veniunt. Qualitates, quantum nostro instituto sufficit, dividi possunt in *formales* & *operativas*. Illæ sunt, quæ non tendunt aut ordinantur ad actum & operationem aliquam, sed tantum ad instar nudæ formæ subjecto conveniunt, & tribuuntur. Unde istas quoq; attributa simplicia possis vocare. Operativa qualitas est vel *prima* vel *orta*. Illa est, secundum quam res apta aut efficax esse concipitur ad actum, & est vel *interna*, vel *externa*, quam etiam dicere possis paribilem qualitatem moralem. Orta est, quæ à prima provenit; ut actus.

§. 18. Inter attributa moralia eminent *tituli*, quibus designantur discrimina personarum in vita communi secundum æstimationem ac statum. Hi in duplici potissimum differentia deprehenduntur. Quidam enim directe notant intensiorem existimationis personarum in vita communi, earumve qualitates peculiare; statum autem connotant & innuunt, clarius aut obscurius, prout ille titulus paucis aut pluribus statibus assignari suevit. Uti sunt nomina adjectiva, quæ vocabulis personarum honoris causa solent adjungi, v. g. serenissimus, eminentissimus, illustrissimus, &c. quorum significatio pro ratione substantivorum, quibus junguntur, crescit aut decrescit. Quidam autem tituli directe notant aliquem statum, aut situm seu locum peculiarem in statu, indirecte vero connotant intensiorem existimationis, quæ illi statui aut officio solet adharere: ut sunt nomina personarum moralium, saltem honorificum statum obtinentium. Quæ heic spectantur non tam in se, quatenus sunt notiones alterius intellectui statum & officium alicujus personæ representantes; quam quatenus ex impositione hominum jura, potestatem, ac munus denotant ejus, cui tribuuntur. Inde non est profus de nihilo, quod interdum magno ardore super

per titulis inter homines pugnatur; ideo quod titulo denegato, denegari quoque alicui intelligantur status, munus, potestas atque jura, quæ iste titulus exprimere aut innuere solet. Id autem accurate heic observandum, quod circa plerosque titulos impositio non sit perpetua & uniformis, sed apud diversos populos, aut apud eosdem diversis temporibus magnopere variet. Sic prioris generis tituli apud majores nostros oppido quam simplices & modici; & quod olim viro principi satis erat, hodie mediocri scribæ fastiditur. Inde ejusmodi titulorum incrementa non semper augmentum dignitatis arguunt; sed ubi, titulis gliscentibus, res ipsa permanfit, istorum valorem minuisse est censendum. Quandoque etiam ordini alicui tribuitur titulus aliquis in elogii vicem, ideo quod res eo titulo notata plerisque ex illo ordine adsit, aut adesse debeat. Quo titulo & illi frui solent, qui rem ipsam non possident. Sic ex ordine literario aliqui clarissimi & doctissimi audiunt, qui nihil minus sunt. Sic etiam ignavus nobilis maxime strenuus solet salutari. Sæpe quoque privati aut alii titulos aliorum augent vel minuunt, prout illis adulari, aut eosdem parvipendere ex conditione præsentis rerum suarum ducunt. Quin & in posterioris generis titulis sæpissime contingit, ut titulus maneat, res ipsa, seu dignitas, & jus non parum augeatur, aut decreseat. Sed & hoc frequentissimum est, ut apud diversas civitates eodem vocabulo diversus dignitatis gradus exprimatur. Unde valde imperitum foret, omnes, qui ubique locorum eundem titulum gerunt, eadem classe censere. Est & hoc observandum, aliquando alicui nudum titulum tribui sine re, seu sine functionibus & emolumentis illis, quæ alias istum titulum comitari solent; eo duntaxat sine, ut exteriora insignia & certum inter cives suos locum per eum consequatur. Circa titulos denique familiarum principum in Europa potissimum contingit, ut idem titulus aliquando notet profapiam simul cum possessione nominatæ ditionis, aliquando profapiam citra possessionem cum solo jure, ubi ordo tetigerit, succedendi.

§. 19. Operativæ qualitates morales sunt vel *activæ* vel *passivæ*. Illarum nobilissimæ species sunt *potestas*, *jus* & *obligatio*. *Potestas* est, qua quis aliquid legitime, & cum effectu morali agere potest. Qui effectus est, ut alteri adferatur obligatio aliquid exequendi, aut actiones ab altero exercitas admittendi, vel non impediendi, aut ut valeat in alterum conferre facultatem aliquid agendi aut habendi, quæ antea aberat. Est enim



enim

enim hæc qualitas maxime velut diffusiva sui. Dividitur potestas ratione efficaciz in *perfectam* & *imperfectam*. Illa est, cujus exercitium etiam per vim adferri potest adversus illos, qui eandem illegitime impedire aggrediuntur, (vis autem in civitatibus exercitur potissimum per actionem, extra civitates per bellum.) Hæc est, cujus exercitio si quis illegitime fuerit prohibitus, inhumaniter quidem tractatur, ita tamen ut ad idem asferendum actionem, aut bellandi jus non habeat, nisi forte, quod eidem efficaciz deest, necessitas supplerit. Dein intuitu subjecti potestas dividitur in *personalem* & *communicabilem*. Illa est, quam quis in alterum legitime transferre non potest. In qua ipsa tamen nonnullæ differentiz occurrunt. Quædam enim potestates ita arcte cum persona sunt conjunctæ, ut earum actus per alium recte exerceri omnino nequeant. Talis est potestas mariti in corpus uxoris, quam per vicarium obire leges haut quidquam admiserint. Quarundem autem, etsi ipsæ quoad actum in alium transferri à nobis nequeant, actus aliis delegari ad exercendum possunt, ita tamen ut omnem autoritatem ab eo habeant, in quo istæ radicaliter hærent. Ex quo genere est potestas regum, qui voluntate populi sunt constituti. Isti enim jus regnandi in alium transferre nequeunt, & tamen ad actus ejusdem exercendos opera ministrorum uti possunt. Potestas communicabilis est, quæ ab uno in alterum recte transferri potest, idque vel proprio arbitrio, vel accedente autoritate aut consensu superioris. Denique respectu obiectorum pleræq; potestates ad quatuor species revocari possunt. Respiciunt enim illæ vel *personas* vel *res*, & utrasq; vel *proprias* vel *alienas*. Potestas in personam actionesque proprias vocatur *libertas*, (etsi quibus ambiguitatibus hoc vocabulum labore, alibi sit tradendum.) Quæ tamen non tanquam divisum principium ab eo, cui tribuitur, est concipienda, aut tanquam vis seipsum invitum ad quid adstringendi, (conf. l. 5 r. D. de recept. l. 13. D. ad L. Aquil.) sed ut facultas de se suisque actionibus proprio ex arbitrio disponendi; quæ & ipsa involvit negationem impedimenti ex alia quadam potestate superiore provenientis. Potestas in res proprias vocatur *dominium*. Potestas in personas alias *imperium* proprie est; potestas in rem alienam *servitus*.

§. 20. *Juris* vocabulum valde est ambiguum. Præter illas enim significationes, quibus usurpatur pro lege, & complexu seu Systemate legum.

gam homogenearum, ut & pro sententia à iudice pronunciata; frequentissimum est, ut accipiatur pro qualitate illa morali, qua recte vel personis imperamus, vel res tenemus, aut cujus vi aliquid nobis debetur. Videtur tamen inter vocabula potestatis & juris id discriminis intercedere, quod illa magis insinuet actualem præsentiam dictæ qualitatis in res vel personas, obscurius autem connotet modum, quo quis ea sit potitus. Jus autem proprie & perspicue indicat, recte eam fuisse adquisitionem, & recte jam obtineri. Quia tamen pleræque species potestatis peculiare obtinent nomen, quo ea qualitas, per quam aliquid nobis deberi intelligitur, caret, eam heic peculiariter juris vocabulo insignire placuit, etsi propter per vulgatum usum aliis ejusdem vocabuli significationibus abstinere nolumus. Referimus autem jus ad qualitates activas eo respectu, quod propter illud aliquid ab altero possit exigi. Sed idem quoque inter *qualitates morales passivas* censetur, quatenus per id aliquid recte quid accipere potest. Sunt enim qualitates passivæ, per quas aliquid recte quid habere, pati, admittere vel recipere potest. Earum tres dari videntur species. Una, secundum quam recte quid admittimus, sed ita tamen, ut nulla nobis sit potestas idem exigendi, nec alteri obligatio idem tribuendi, qualis estabilitas accipiendi donum aliquod mere gratuitum. Ejusmodi autem qualitatem non plane de nihilo fingi, vel inde licet intelligere, quod v. g. iudici, ne à partibus quocunque prætextu donum accipiat, interdici potest. Altera, secundum quam idonei sumus ad recipiendum quid ab altero, non quidem ut ab invito id possit extorqueri, nisi forte subigente necessitate, sed ita tamen, ut alter idem ex virtute aliqua morali præstare teneatur. Hæc *Grotio* vocatur aptitudo. Tertia secundum quam nos alterum vel invitum ad quid exhibendum possumus adigere, & ipse ad idem plene est obligatus ex lege aliqua pœnam definitam dictitante. Observandum autem & hoc, multa communiter venire sub censum jurium, quæ, si accurate velimus loqui, compositum quid sunt ex potestate ac jure præse dictis, involventia simul aut supponentia obligationem, honorem, aut simile quid. Sic civitas seu jus civitatis complectitur facultatem exercendi cum pleno effectu actus istius civitatis membris peculiare, & jus fruendi commodis eisdem propriis, supponens obligationem erga eandem. Sic v. g. honores literatorum complectuntur potestatem

exercendi certos actus isti dignitati proprios & jus commodis ejusdem ordinis fruendi, cui insuper intensio existimationis adhæret.

§. 21. *Obligatio* est, per quam quis præstare aut admittere vel pati quid necessitate morali tenetur; de cujus speciebus infra pluribus agetur. Dantur etiam qualitates morales patibiles, quæ certo modo iudicium hominum afficere intelliguntur; sicut inter qualitates physicas eo nomine vocantur, quibus facultas sensitiva afficitur; ut est honor, ignominia, auctoritas, gravitas, claritas, obscuritas, & similia.

§. 22. Jam pauca quoque subnectenda de modis æstimativis seu *quantitatibus moralibus*. Adparet enim in vita communi personas & res æstimari non tantum secundum extensionem substantiæ physicæ, aut intentionem motus, & qualitatum physicarum, prout considerantur tanquam aliquid ex principiis naturalibus resultans: sed & secundum aliud quantitatis genus, & diversum à quantitate tam physica quam mathematica; quæ quantitas ex impositione, & determinatione potentiæ rationalis oritur. Deprehenditur autem quantitas moralis & in rebus, quæ dicitur *pretium*; & in personis, quæ dicitur *existimatio*, quarum utraque sub valoris notione venit; & in actionibus, quæ peculiari vocabulo caret. De singulis sit loco agetur. Atque isthæc de varietate entium moralium pro ratione instituti nostri sufficere possunt. De moralibus actionum humanarum quantitatibus inferius agetur.

§. 23. Caterum entia moralia uti impositioni suam debent originem; ita ab eadem stabilitatem quoque, aut mutationes sortiuntur, & ubi ista velut cessaverit, ipsa simul evanescent; non secus atque extincto lumine umbra simul disparet. Et quidem, quæ divina ex impositione orta sunt, non nisi divino arbitrio iterum tolluntur. Quæ hominum placito constituta sunt, eodem iterum abolerentur, ipsa personarum aut rerum substantia physica haut quidquam immutata. Quanquam enim id per rerum naturam nequeat fieri, ut quod semel est factum, factum non sit, ut qui consul fuit, consul non fuerit; ut tamen quis, quod fuit, desinet esse, id tota die videmus; simulque ut entia moralia, quæ in aliquo hærebant, penitus exolescant, nullo velut vestigio reali relicto. Nunquam enim ens morale in vim qualitatis physicæ evalescere potest. Unde valde imperitum est credere, si alicui persona quædam imponatur, per nudam impositionem moralem ipsi characterem aliquem indelebilem

lens imprimi. Sic si ex plebe quis fiat nobilis, jura duntaxat nova accipit, substantia & qualitates physicæ ne hilum quidem mutantur. Nobilis si suo ordine ejiciatur, jurium tantum suorum jacturam facit; quæ natura dedit, omnia integra perstant.

CAPUT II.

DE CERTITUDINE DISCIPLINARUM,
QUÆ CIRCA MORALIA VERSANTUR.

- | | |
|--|--|
| 1. Plerique disciplinis moralibus certitudinem apodicticam abjudicant. | 6. An quid honestum aut turpe ante omnem impositionem? |
| 2. Quid sit demonstratio? | 7. An istius rei argumentum sit pudor? |
| 3. Principia demonstrationum. | 8. De latitudine actionum moralium ratione qualitatis. |
| 4. In illam duntaxat disciplinam moralem cadit demonstratio, quæ de rectitudine & pravitate actionum humanarum agit. | 9. Grotii sententia expenditur. |
| 5. Objicitur rerum moralium incertitudo. | 10. In quantitatibus moralibus datur latitudo. |
| | 11. Quid vocetur moraliter certum? |

Inolita dudum plerosque eruditorum tenet persuasio, disciplinis moralibus deesse illam certitudinem, qua scientiæ aliæ, & cum primis mathematicæ gaudent; eo quod in illis locum non habeant demonstrationes, ex quibus solis liquida scientia, metuque erroris vacua provenit; sed quæ circa easdem cognoscuntur, probabili duntaxat opinione constare. Quæ res quidem immane quantum nocuit nobilissimis, vitæque humanæ maxime necessariis disciplinis. Inde enim factum, ut suspensio fere brachio docti excolerent, quæ tam lubrico inniti fundamento credebant; & plausibilis heic negligentibus excusatio suppetebat, certis demonstrationibus ista haut quidquam contineri, sed crassa duntaxat Minerva posse tractari. Quem errorem haut parum alius autoritas *Aristotelis*, quem plerique intellexisse summum eruditionis fastigium credidere, quasi quo ulterius progredetur humani ingenii solertia non haberet. Ejus sunt de disciplinis moralibus isthæc decreta *Ethic. ad Nicom. l. I. c. I.* τὸ ἀνεπίδες ἢ ὁμοίως ἐν ἀπασὶ τοῖς λόγοις ἐπιζητη-
τῶν. *Accurata tractatio non simili modo in unoquoque genere exquirenda est.*

est. Τὰ κατὰ τὴν τῆς Διαιτης, ἀλλ' ὅν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, ἑσάυτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάτην, ὡς δοκεῖν νόμος μόνον εἶναι, φύσις ἢ μή. *Honestam autem & iustam, de quibus civilis disciplina considerat, tantam differentiam tantumque errorem in se habent, ut lege non natura esse videantur.* Ἀγαπητὸν ἐν ἀλλοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων λίγοντας πεχυλῶς καὶ τῶν τὰ ληθῆς ἐσδέινουσαι. *Contenti igitur erimus, si nos, cum de talibus & extalibus differamus, pingui quadam Minerva, atque adumbrata figuratone verum ostendamus.* Πιστωδευμένῳ γὰρ ἐστὶν ἐπὶ τοσούτων λακείσις, ἐπιζητεῖν κατ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τῷ πράγματι φύσις ἀπιδέχεται. Παραπλήσιον γὰρ φησὶνται, μαθηματικῆ τε πιθανολογούντων ἀποδείξει, καὶ ῥητορικῶν ἀποδείξεως ἀπαρτεῖν. *Est enim eruditi eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus utentem adprobare, & ab oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur.* Enimvero uti sola hujus autoritate haut quidquam movemur; ita quid ad rationes ipsius aut aliorum præcipuas respondendum sit, exponemus, postquam de natura demonstrationis pauca præmiserimus.

§. 2. Demonstrare igitur nobis est, rerum propositarum certitudinem necessariam è certis principiis tanquam suis causis indubitato cognoscendam syllogistice deducere. Quod quanquam in se manifestum sit, & ex quotidiana Mathematicorum praxi liquido adpareat, quibus nemo sanus artificium demonstrandi abjudicavit; tamen unius atque ulterius vocabuli prava interpretatio effecit, ut plurimi philosophorum hætenus misere hæc fuerint hallucinati, & ex multis philosophiæ partibus per summam incertiam demonstrationes excluderint. Origo erroris inde potissimum promanavit, quod cum *subjectum demonstrationis* necessarium esse debere dicatur, id illi hoc modo sint interpretati, quod in syllogismo demonstrativo subjectum conclusionis, prædicato contradistinctum, debeat esse ens necessario existens. e.g. in trito illo exemplo, & quo tanquam cothurno utuntur, homo est risibilis, quia rationalis, homo subjectum demonstrationis habetur; qui utique ens necessarium. Enimvero subjectum demonstrationis non est simplex aliquis terminus, sed integra enunciatio, cujus necessaria veritas ex certis principiis syllogistice deducitur. Ubi quidem parum interest, an subjectum propositionis demonstrabilis necessario existat, vel non; sed sufficit, si posita ejus existentia certæ ipsi affectiones
neces-

necessario competant, easque eidem competere ex indubiis principiiis ostendi queat. Sicut parum mathematicis curæ est, necessarium an contingens sit ens triangulum, dummodo id demonstretur, ejus angulos esse duobus rectis æquales. Adeoque necessarium dicitur subiectum demonstrationis propter necessariam connexionem, qua in ea enunciatione prædicatum subiecto cohæret.

§. 3. Quales autem oporteat esse illas propositiones, per quas demonstratio fit, ex fine, & effectu hujus facile intelligitur. Scientia est illud, quod per demonstrationem quærimus, id est, cognitio certa, liquida, undiquaque & perpetuo sibi constans, & ab erroris metu immunis. *Πάντες ὑποκαμβάνομεν, ὃ ἄριστόμιστα μὴ ἐδίδχαμε ἄλλως ἔχειν. Οἷμες ἰδὸν ἴσχυομεν, ὃν ἄλλως ἔχειν.* Aristotel. *Ethic. ad Nicom. l. VI. c. 3.* Igitur veras esse illas necessum est, reapse, non ex sola concessione, aut ex hypothesi. Nam etsi ex posita hypothesi, multæ conclusiones concetenatæ deduci queant: non possunt non tamen, quæ ex principio velut precario aut illiquido derivantur, scaturiginis suæ indolem sapere. Et si vel maxime dentur duæ hypotheses contrariæ, quarum alterutram veram esse necessum sit; ex iisdem tamen & ἄ, duntaxat indubitato demonstrari poterit, & ἄ, firmitatem suæ hypotheseos semper tanquam conditionem supponet. Easdem quoque oportet esse *primas*, idque ut vel ulteriori probatione non indigeant, sed ipsa sui evidentia fidem mereantur; vel ut demum ultimo ad aliquam primam veritatem reduci queant. Quemadmodum autem quædam propositiones à primis principiiis propius, quædam longius absunt; ita non est credendum, quamvis demonstrationem unico syllogismo semper debere absolvi; sed à propositione demonstranda argumentationes eousque sunt continuandæ, donec ad primum aliquod principium deveniatur. Non enim illi solum recte ratiocinantur, qui subinde *quicquid, atqui, ergo* ingeminant, sed & qui incipiendo à principiiis evidentissimis texere norunt discursum ex consequentibus continuo necessariis. Requiritur & hoc, ut *immediata* sint eædem, id est, citra interruptionem aut hiatum ex se continuo fluentes. Ad catenæ hancque instar consertam oportet esse argumentationem demonstrativam, singulis enunciationibus velut annularum mutuo nexis, quarum una abrupta aut deficiente, tota ratiocinatio perit compages. *Causa* denique *conclusionis* ideo sunt, quod rationem con-

contineant, quare in propositione demonstrabili prædicatum subiecto necessario competat. Quæ omnia prolixius explanavit *Erhard. Wigelius* in *Analyſi Aristotelica ex Euclide restituta*, quo ex nostratibus de illa doctrina hæcenus nemo melius est meritus.

§. 4. His præmissis ulterius & hoc observandum; etsi quicquid est disciplinarum moralium id habeant commune, ut non intra nudam theoriam subsistant, sed in usum transferri debeant: non leve tamen discrimen inter duas illarum præcipuas licet deprehendere; quarum una versatur circa rectitudinem actionum humanarum in ordine ad leges, altera circa dextram gubernationem actionum suarum & alienarum, ad securitatem & utilitatem potissimum publicam. Posterior quippe hæc sedem suam potissimum sortitur sub prudentia, quam *Aristoteles ad Nicom.* l. VI. c. 5. definit ἔξω ἀληθῆ καὶ λόγῳ πρακτικῷ περὶ τῶν ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακά. *Habitu verum cum ratione activum circa ea, quæ bona & mala homini sunt.* Unde prudentis officium d. l. ita designatur: δεκῆ δὲ φρονιμῆ εἶναι, ἢ δύνασθαι καλῶς βελτυσαῖν περὶ τῶν αὐτῶν ἀγαθὰ & συμπίροντα, πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον. *Videtur prudentis viri esse proprium, posse recte consultare de iis, quæ sibi ipsi bona sunt & utilia ad bene vivendum in univ.ersum.* Atque hæc sua dogmata superstruit axiomatibus formatis ex dextrarum humanorum atque eventuum in rebus humanis observatione & collatione. *Fabius apud Livium* l. 22. v. 39. *Non eventus modo hoc docet, stultorum iste magister est: sed eadem ratio quæ fuit, futuraque donec eadem res manebunt, immutabilis est.* Ista tamen axiomata tam firma esse non videntur, ut inde demonstrationes indubiæ deduci queant, propter insignem lubricitatem, & inconstantiam, quæ subinde in hominum ingeniis occurrit; & quod eventus rerum sæpenumero levi momento impulsu in diversum cadant. Accedit quod in applicatione istorum axiomatum humana perspicacia frequenter fallatur propter improvisos casus, qui omnia repente turbant; & quod divina providentia mortalibus etiam astutissime disposita sæpe eludere soleat. Unde qui in actu rerum versantur consilia sua haut quidquam ad ἀκρίβειαν demonstrationum exigere laborant; sed ubi sagacissima circumspeditione, & quadam quasi divinatione fuerunt usi, eventum fati committunt. Vid. 2. *Samuel.* X. v. 12. Licet enim sciri possit, quid possibile sit, possibilis que inter se comparari queant, ac certo sciri, quidnam ex duobus possibilibus non modo pluris

aut

ant minoris valiturum sit, si quando existant, sed etiam quodnam è pluribus causis, quod à paucioribus nunc existentibus aut mox extituris fieri possit; quod autem pluribus modis fieri potest, magis probabile fit futurum esse, plurisque valeat ejus expectatio: (vid. *Rich. Cumberland de leg. nat.* c. 3. §. 4. n. 4.) tamen non omnia possibilea menti humanae semper & ubique occurrunt, & rite ponderantur, & propter casus improvisos multa, quæ magis possibilea judicabantur, ubi in rem præsentem fuerit perventum, secus deprehenduntur. Sicuti & plerique circa comparandam prudentiam sufficere putant sequi illud *Aristotelis ad Nicom.* I. VI.

C. 12. *ὅτι ἀπορίων ἢ ἰμμεταίων ἐπιπεσοῦσαν ἢ ἀπορίων τὰς ἀναποδείκτους φάσεις ἐπιδέξασθαι, ἐκ τῶν ἢ ἀποδείξεων. ὅτι γὰρ ἔχουσιν ἐκ τῆς ἰμμεταίας ὁμολογίας, ὅπως τὰς ἀπορίων.* *Peritorum hominum & seniorum seu prudentum pronuntiationibus & opinionibus absque demonstratione, non minus quam demonstrationibus attendendum est, quia namque ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur.* Verum super hac Helena alii certent. Ast illa disciplina, quæ considerat, quid in actionibus humanis sit rectum & pravum, & cujus præcipuam partem nos jam tradere instituimus, omnino ejusmodi fundamentis nititur, ut exinde genuinæ demonstrationes, quæ solidam scientiam parere sint aptæ, deduci queant. Adeoque ejusdem decreta ex certis principiis ita derivari possunt, ut dubitationi locus non amplius supersit. *Seneca de beneficiis* I. VII. c. 1. *Natura quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit.* Quod eo clarius fiet, si quæ in contrarium heic adduci possunt, discussimus. Quamquam in eo fallat *Hobbes de homine* c. 10. qui ideo ethicam & politicam, i. e. scientiam justii & injustii, æqui & iniqui, à priori demonstrari posse putat, quod principia, quibus justum & æquum, & contra injustum & injurium quid sit cognoscitur; i. e. justitiæ causas, nimirum leges & pacta ipsi fecimus: cum ante pacta & leges conditas nulla neque justitia, neque injustitia, neque boni neque mali *publici* natura fuerit inter homines, non magis quam inter bestias. Id quod falsissimum esse alibi demonstrabimus; sicuti & fraus sub vocabulo *publici* latet.

§. 5. Sunt igitur, qui jactant, res morales in universum esse incertas ac instabiles. Non posse autem majorem certitudinem esse ipsius scientiæ, quam earum rerum, quæ sciuntur. Ad hoc reponitur: etsi entia moralia suam originem debeant impositioni, eoque ipso non sint absolute

D

lute

lute necessaria; non tamen adeo dissoluto ac vago modo provenerunt, ut eam ob causam incerta penitus sit circa eadem scientia. Pleraque enim ut inducerentur, postulavit ipsa hominis conditio, à Creatore Optimo Maximo eidem pro bonitate & sapientia sua assignata; ut isthæc saltem incerta atque instabilia vocari haut quidquam possint. Id quod infra clarius adparebit, quando in originem legis naturalis inquiremus. Et si vel maxime actiones humanæ ideo morales dicantur, quod sint non necessariae, sed liberae; ex eo tamen non consequitur; positis certis principiis non posse competere illis actionibus ejusmodi affectiones, quæ de iis indubio possint demonstrari. Sane enim constat, actus, de quibus naturali lege disponitur, intrinsicam habere vim ad socialitatem; etsi ut isti actu existant, libera hominum voluntas efficiat. Ac dum deliberamus, merito liberi dicimur, & effectus è nostris actibus proventuri respectu illius libertatis recte dicuntur contingentes: postquam tamen nos ad agendum determinavimus, nexus inter actus nostros & effectus omnes inde pendentes necessarius est, & plane naturalis, eoque demonstrationis capax. Nec ad rem facit, quod aliqui de actionibus humanis liquidum posse ferri judicium negent ob varietatem circumstantiarum, quarum vel unica aliam actioni affectionem conciliare videatur; unde & legislatores raro possint ferre ejusmodi legem, quæ nullam admittat exceptionem, atque adeo ubi deserta legis litera non sit ad æquitatem recurrendum. Nam dantur utique certa principia, ex quibus ostendi possit, quantam vim qualibet circumstantiarum habeat circa afficiendam aut variandam aliquam actionem. Et illa ipsa principia faciunt, ut legislatores sæpe non ita anxii sint circa excipiendos à legibus suis casus peculiaribus circumstantiis vestitos, sed paulo securius verbis generalibus utantur. Scilicet quia confidunt iudices, quibus facta peculiariter ad leges exigere incumbit, intellecturos quid quavis circumstantia circa actionem aliquam valeat. Et ex his fere perenda est ratio II. 3. 4. 5. 6. *D. de legib. Jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus in his, quæ τῶν ἑπιπέδων accidunt, non quæ ἐν ἀεθλοῖς. Ex his, quæ forte uno aliquo casu accidere possint, jura non constituuntur. Τὸ γὰρ ἀπαξ ἢ δις παραβαίνον ἢ νομοθετεῖται.* Id quod semel & bis existit, praterunt legislatores. Ast hinc non conficitur, quod decreta juris perpetui aliquando fallant; sed quod operæ pretium non sit, ut legislatores scriptas leges

PRO-

promulgent circa casus rarissime contingentes; cum illi per iudices ex principiis juris naturalis facite decidi queant. *Add. Rich. Cumberland de leg. nat. c. 4. §. 4. n. 1.*

§. 6. Ad hoc tamen, ut disciplina juris naturæ, circa quam occupamur, & quæ genuinam ac solidam doctrinam moralem & civilem absolvit, veræ scientiæ mensuram implere possit, haut quidquam necessarium arbitramur cum nonnullis statuere, quædam per se citra omnem impositionem esse honesta aut turpia: & hæc facere objectum juris naturalis & perpetui; cum illa, quæ ideo honesta aut turpia sunt, quia legislator voluit, sub legum positivarum censum veniant. Cum enim honestas sive necessitas moralis, & turpitudine sint affectiones actionum humanarum, ortæ ex convenientia aut disconvenientia à norma seu lege; lex vero sit iustum superioris; non a dparet, quomodo honestas aut turpitudine intelligi possit ante legem, & citra superioris impositionem. *Seldenus de J. N. & G. l. 1. c. 4. Ex iure efficitur in actibus discrimen boni & mali, seu turpis & honesti. In personis nascitur inde ad officium exsequendum obligatio & debetio.* Et sane qui extra impositionem divinam moralitatis actionum humanarum æternam aliquam statuunt regulam, nil aliud mihi videntur agere, quam ut Deo adjungant principium aliquod coæternum extrinsecum, quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit. Fatentur præterea omnes, Deum uti omnia, ita & hominem liberrima voluntate creasse; cui consequens est, in beneplacito ejusdem fuisse, qualem ei, quem creaturus erat, naturam vellet assignare. Qua ratione igitur actioni hominis possit competere aliqua affectio, quæ ex necessitate intrinseca & absoluta, extra Dei impositionem & beneplacitum, promanet? Sic ut revera omnes motus & actiones hominis, remota omni lege tam divina quam humana, sint indifferentes; earum autem aliquæ ideo tantum naturaliter honestæ aut turpes dicantur, quod eas fieri aut omitti quam maxime requirebat conditio naturæ, quam Creator homini libere attribuit. Non autem, quod citra omnem legem in ipso motu, & adplicatione potentiæ physicæ per se insit aliqua moralitas. Huc facit etiam illud *Platonis Convivio*: *πάσα πράξις ἢ εὖ ἢ κακῶς ἐστὶν ἐκ τῆς αὐτῆς ἰαυτῆς πραττομένη ἢ τε καλῶς, ἢ τε ἀσχηρῶς. οἷον, ὁ οὖν ἡμεῖς ποιῶμεν, ἢ πίνεμεν, ἢ ἴσμεν, ἢ ἀγαθὰ ποιοῦμεν, ἢ κακὰ καλῶς ἢ ἀσχηρῶς. ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἀν' ἑαυτῆς, οὐκ ἔστιν ἄλλο, καλῶς ἢ ἀσχηρῶς, ἀλλ' ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καλῶς ἢ ἀσχηρῶς.*

Actiois cujuslibet hæc est conditio, ut suapte natura neque honesta sit neque turpis, ut ea qua nunc agimus, bibere, canere, disputare. Nullum ex his seipso turpe vel honestum. Sed agendi modus actioni certum tribuit cognomentum. Quodenim boni rectique agitur, honestum; quod non recte, turpe existit. Atque id deinceps ad amorem quoque adplicat. Inde videmus quotidie bruta tales actus exercere citra peccatum, quibus homo patratis, gravissimo se scelere fuerat obstricturus. Non quod motus physicus hominis & bruti in se differant; sed quia quibusdam hominis actionibus moralitas per legem est imposta, quæ à bruti actibus abest. Nec est, quod quis regerat; cum homo ratione gaudeat, qua brutum destituitur, igitur naturale discrimen inter hujus & illius actiones existere. Nam si consideremus rationem, quatenus non est imbuta cognitione & sensu legis, seu normæ moralis, potest quidem ista fortasse homini suppeditare facultatem expeditius aut dexterius quid agendi quam brutum, viresque naturales per solertiam adjuvare. Verum ut citra reflexionem ad legem in hominis actionibus moralitatem deprehendere possit, id æque est impossibile, atque tæcum natum discrimina colorum dijudicare. Aliud argumentum suppeditat I. Ad. Osiander in Notis ad Grot. p. 60. Si daretur aliquid bonum & malum morale ante legem, quomodo obligatio, qua non nisi à superiore proficiscitur, ibi adesse posset? nam bonum & malum morale involvit respectum ad personam, qua istam actionem edit; cui si nulla est obligatio, neque etiam est bonum aut malum. Probe autem notandum est, indifferentiam illam motus physici in actionibus humanis à nobis tantum statui in genere morum. Nam aliàs actiones lege naturali præceptæ ex determinatione primæ causæ nativam habent vim bonum & hominibus proficuum effectum producendi, sicut & actiones vitæ contrarium. Verum hæc ipsa bonitas & malitia naturalis actionem per se haut quidquam in genere morum constituit. Nam & multa sunt ad felicitatem & commodum hominis aliquid facientia, quæ non sunt moraliter bona, utpote nec voluntariæ actiones, nec ulla lege imperatæ; & multi actus, qui in hominis commodum cedunt, eundem quoque in brutis effectum naturalem producunt, qui in his tamen nullam moralitatem habent. Sic à mutuis læsionibus abstinere, cibi & potu moderate uti, sobolis curam agere, ad brutorum conservationem æque ac hominum faciunt: neque tamen idco bruta actiones moraliter bo-

has

nas exercere dicuntur. Add. *Rich. Cumberl. de leg. nat. c. 5. §. 9.* Unde & actio-
num humanarum, de quib⁹ lege naturali disponitur, ultima resolutio fieri
potest in vires earundem naturales ad commodum aut noxam homini-
bus, sigillatim aut conjunctim spectatis, conciliandam. Sed non sem-
per vice versa, quicquid habet vires naturales ad juvandum & nocendum
in quovis genere animalium, id legis naturalis objectum est. Opponi-
tur quoq; illud *Aristotelis ad Nicom.* l. II. c. 6. ἡ πᾶσα δ' ἐπιχειρία ἀράζει ἢ δὲ
παίπειδ' ἢ τὴν μισότητα· ἕνια γὰρ ἐνδὺς ἰσότητος ἐπιχειρήματα μετὰ τῆς φουλό-
τατος· ἴσων ἐπιχειρητικῶν, ἀναισχυντία, φθόνος· καὶ ἢ τῶν ἀράζων, μοιχεία, πλο-
πῆ, ἀνδροφονία. *Neq; tamen omnis actio, omnisq; affectus mediocritatem ad-*
mittit; nonnulli enim sunt affectus, qui statim vel ipso nomine cum pravitate
implicantur, ut malevolentia, impudentia, invidia: & item actiones, ut adul-
terium, furtum, homicidium. Omnia enim hac & ejuscemodi ita appellan-
tur, quia non excessus ipsorum, aut defectus, sed ipsa mala sunt: ut nullo modo
possit quisquam in ipsis recte agere, sed peccare semper necesse sit. Enimvero
non sequitur: dantur vocabula affectuum aut actionum, quæ vitium de-
signant per se, non propter excessum aut defectum: ergo datur affectio
aut actio in se turpis citra respectum ad legem. Quin hæc ipsa vocabu-
la non notant nudos & simplices motus actusvè physicos; sed tales, qui
legibus repugnant, adeoque integras actiones morales. Cur enim
ἐπιχειρητικῶν, & invidia pravi habentur affectus, quam quia per legem na-
turæ ab homine nihil humani debet esse alienum; cui repugnat non nisi
ex aliorum malis lætitiā capere, & intabescere videndo successus homi-
num. Add. *Stobæus serm. CXI.* Sic quid est impudentia, nisi prava firmi-
tas animi adversus ea, quibus patrandis leges erubescere jubebant? Nam
non erubescere, ubi leges id nolunt, extra reprehensionem est. Sic ad-
ulterium est pollutio uxoris alienæ, quam leges soli marito suo addice-
bant. Furtum est atrectatio rei alienæ invito domino, quem leges solum
ejus arbitrum volebant. Homicidium est cædes hominis innocentis, &
contra leges. Incessum est commixtio cum tali persona, abs qua leges
abstinere jubebant ob reverentiam, quam vicino sanguini homines iti-
dem ex lege debent. Sic de aliis quoque judicandum. Ast sane si abs
his omnibus removeas respectum ad legem & illud, quod in istis actio-
nibus est morale, in ipso actu physico nulla implicatur contradictio,
propter quam ista etiam citra legem necessario turpia intelligi debe-
ant.

ant. Hoc enim modo utique indifferentia sunt; misceri cum illa, quæ origini tuæ naturali proxime juncta est: misceri eidem, cui miscetur & alter, cui tamen in eam nullum peculiare jus competit; eripere vitam ei, qui similis tecum est speciei: sumere rem, quam alius in suos usus destinaverat, cui tamen nullum jus per leges datum erat reliquos inde excludendi. Quod autem multi naturalem istam indifferentiam ægre concipere queant, inde est, quod à teneris istorum vitiorum detestatio nobis fuit inculcata; quæ opinio simplici adhuc menti impressa, in vim naturalis cujusdam affectus videtur invaluisse; adeoque efficit, ut paucis in mentem veniat inter materiale & formale istarum actionum distinguere. Unde adparet, non satis expendisse hanc rem *Grotium* de J. B. & P. l. I. c. 1. §. 10. dum inter illa, ad quæ divina se potentia non extendit eo quod contradictionem involvant, refert malitiam quorundam actuum humanorum. Equidem non possunt non bis duo esse quatuor, quia bis duo & quatuor re ipsa sunt unum & idem, vocabulis tantum differunt, aut modo concipiendi: manifestissima autem contradictio est, idem simul esse idem, & non esse idem. Ast talis sane contradictio non adparet in actibus juri naturæ adversantibus. Unde *Idem* mox eam malitiam derivatum it ex comparatione *ad naturam sanatione utentem*. Atqui in ipso vocabulo *sanationis*, quando homini tribuitur, inest respectus ad legem socialitatis à Creatore homini injunctam. Sicuti etiam *ib.* §. 12. aliquid juris naturalis esse, probari, ait, ex convenientia aut disconvenientia necessaria cum *natura rationali ac sociali*. Atqui socialem naturam homo sortitus est non ex immutabili quapiam necessitate, sed ex beneplacito divino. Igitur moralitatem quoque actionum ipsi, ut sociali, convenientium vel disconvenientium ex eodem fonte derivari par est. Ut adeo ista his attributa sit & competat non ex necessitate absoluta, sed hypothetica, posita ea conditione, quam homini præ reliquis animantibus DEUS libere assignavit. Neque in dictis Sacra Scripturæ, quæ d. l. allegantur, alterius sententiæ defensoribus aliquid est præsidii. Nam sine dubio ab initio DEUS humano generi denunciavit, se bonis fore remuneratorem, malis vindicem. *Hebr.* XI. 6. & se cuique daturum secundum sua opera. *Rom.* II. 6. Abs quo cum veracitas eum sua discedere non patiatur, recte huc provocat Abrahamus *Genes.* XVIII. 25. *Add. Ez.* XVIII. 25. *Rom.* III. 6. Ast quomodo inde sequitur, moralitatem inesse

in esse actionibus humanis per se citra impositionem divinam? Sicuti necdum adparet, quomodo eadem conclusio elici queat ex sententia illa apud *Esaï. c. V. 3.* merito omitti culturam ejus rei, in qua oleum & opera nequidquam perit. Denique *Micb. VI. 2.* dicitur quidem, proprio ex judicio mortales intelligere, par esse, ut pro beneficiis reddatur gratia. Sed ex hoc non licet colligere; ergo quod homines, quibus est beneficiorum sensus, debeant esse grati, id ipsis non est aliqua lege injunctum, sed idem ante omnem legem per se est necessarium. Ex quibus adparet, dictum illud, quod multis in ore est; præcepta juris naturæ esse æternæ veritatis; ita limitandum, ut ne ista æternitas ultra impositionem divinam, aut originem generis humani protrahatur. Quamquam revera æternitas, quæ legi naturæ attribuitur, ex oppositione legum positivarum, quæ mutationi subjectæ sunt, æstimanda & interpretanda est.

§. 7. Nonnulla etiam apud vulgum probabilitate urgeri potest; actionibus humanis honestatem ac turpitudinem per se & ex sua natura inesse, non autem ex impositione, ideo, quod turpium factorum velut naturalem sensum videatur habere ipse sanguis, ad istorum memoriam aut exprobrationem, etiam nobis invitis, faciem rubore suffundens. Jam autem non videri congruum, qualitati morali attribuere effectum physicum. Quin contra, cum certus motus sanguinis, ruborem in facie excitans, tanquam effectus physice ex actione turpi resultet, turpitudinem quoque affectionem seu qualitatem physicam & necessariam actionis habendam. Ubi fate-mur quidem, sapientissimum Creatorem animis hominum indidisse affectum pudoris, qui esset velut custos virtutis, & validum fræ-num reprimendæ malitiæ. Probabile quoque videtur, nî DEUS voluisset hominem suas actiones ad legem componere, ipsum hunc affectum animis humanis non fuisse insitutum; cum citra hoc nullus ejusdem usus adpareat. Enimvero nihil repugnat, qualitatem aliquam moralem, quæque adco impositioni suam debeat originem, in homine saltem mediate producere effectum physicum; quippe cum anima, corpori conjunctissima, dum ista moralia adprehendit, iisdemque afficitur, eo ipso quoque motum parti alicui corporis possit imprimere. Probe autem observandum, pudorem oriri non ex sola actionum

turpi-

turpitudine, verum ex quavis re, etiam moraliter non turpi, quæ existimationem nostram lædere creditur. *Est quippe pudor species aliqua tristitia, fundata super amorem sui metipsum, & qui procedit ab opinione vel metu vituperii*, juxta *Cartes. de Passion. art. 205*. Aut, uti *Aristoteles* loquitur *Rhetor. l. 2. c. 6*. *Δύπη τις καὶ ταραχὴ ἐστὶ τὰ εἰς ἀδούξια φαινόμενα φέρει τῶν κακῶν*. *Dolor quidam, & confusio in iis, quæ ad offensionem existimationis videntur pertinere*. Scilicet ambitiosum est animal homo, suæque præstantiæ cum primis jactabundum, quodque maximam animi voluptatem in eo repositam habet, si talia in se deprehendat, quibus se præ aliis efferre, ac gloriari queat. De cujus præstantiæ opinione, ubi quid apud alios sibi decessurum metuit, penitissimam animo concipit tristitiam; cujus signum in propria velut humanæ dignitatis sede adparet, dum cor repente sanguinem versus faciem propellit. Ast non ex sola peccatorum abstinentia præstantiam suam vult æstimari homo, sed ex aliis quoque rebus, quibus moralitatis nihil inest. Unde multos videmus valde erubescere pusilla statura, claudicatione, calvitio, struma, gibbere, aut alia corporis deformitate, certo morborum genere, paupertate, sordidis vestibus, ignorantia etiam quæ citra culpam adest, errore etiam innoxio, aliisque rebus, quæ moraliter turpes non sunt. Add. *Sirac. c. XLII. 19. seqq.* Et inter peccata illa potissimum ruborem incutiunt, quæ peculiariter infirmitatem aut abjectionem animi arguunt, quæque adeo nos viliores reddunt; & quidem non apud quosvis, sed apud illos, à quibus præcipue æstimari cupimus. Vid. *Aristot. Rhetor. l. II. c. 6*. Qui autem semel existimationis curam digesserunt, etiam turpissimis non amplius erubescunt. Add. *Cartes. de Passion. art. 207*. Isthæc tamen omnia haut quidquam faciunt ad detrahendam disciplinæ moralibus certitudinem, quæ adhuc satis firma haberi potest, si vel maxime moralitas actionum humanarum impositioni originem debeat.

§. 8. Sed quid fiet de tantopere jactata latitudine morali, quæ subinde τῆ ἀνεπιείκῃ mathematicæ opponitur; anne & illa certitudini hujus disciplinæ aliquid detrahit? Id vero manifeste adparebit, si consideretur, quosque demonstrationes hæc adhibendas asseramus, & in quibus demum rebus ista latitudo deprehendatur. Adhibentur igitur potissimum demonstrationes in moralibus circa qualitates morales hæctenus, ut eas actionibus & personis certo competere, & quibus de causis, constet; puta, an

ta, an hæc actio sit justa vel injusta, an in hanc personam, in genere consideratam, cadat hoc jus, aut hæc obligatio. Qualia ita liquido ex genibus suis principiis & causis deduci posse asserimus, ut nemo sanus ista in dubium revocare queat. Et si qua heic occurrerit latitudo, aut aliquid ei analogum, illa certitudini ipsi per se nihil officit. Equidem in ipsa actionum bonitate & malitia, quatenus notat convenientiam aut aberrationem à norma legis, latitudo non videtur dari, quin statim, quod à recto discesserit, in se pravam sit habendum. Contingit nihilominus, ut alio respectu, saltem inter homines, aliquod heic quoque deprehendatur latitudinis instar; (nam alias latitudo proprie tantum in quantitate est.) Et quidem primo, quia in ipsis legibus vis adstringendi mortales non eodem se modo semper habet, sed circa quasdam actiones præcipiendas aut vetandas laxior, circa alias strictior adparet. Unde est, ut aliud jure stricto, aliud ex æquitate, seu ex justitia strictè dicta, aut ex æquo & bono deberi dicatur. Quæ in eo differunt, quod istius præstandi major necessitas incumbat, ad hoc autem mollius adstringamur; etsi hujus quam illius objectum latius sese extendat. Latius quippe patent aliarum virtutum, quam justitiæ officia. Quin & contingit, ut inter homines, & in foro humano levium à lege aberrationum exigua habeatur ratio. Quædam etiam tam languido modo præcipiuntur, ut fere in cujusvis pudore posita censeantur; & laudem mereatur, qui fecerit, reprehensionem non adeo formidet, qui omiserit. Et huc referre videtur *Grotius* l. I. c. 2. §. 6. *concupiscitum, divortium, matrimonium cum pluribus feminis*, antequam lege divina ista interdicerentur. *Sunt quidem hæc, ait, ejusmodi, ut eis abstinere honestius esse dicet ipsa ratio; at non talia, ut absque lege divina nefas* (id est atrox delictum) *in illis adpareat.* De quibus tamen suo loco agetur. Huc spectat quoque illud *Aristot. Nicom. II. c. ult. ὁ μὲν μικρὸν τῷ ἴσθαι ἁμαρτάνει, ἢ ψιγεται, ἢ τ' ἐπὶ τὸ μᾶλλον, ἢ τ' ἐπὶ τὸ ἧττον, ἢ ἢ πλείον, ἢ τ' ἢ ἡλιθιότητι.* *Qui parum à recte agendo sive ad majus, si ad minus declinat, non vituperatur; sed qui multum excedit: is enim minime later.* Sæpe etiam accidit, ut aliquid in se sit indebitum ac indifferens, ut tamen ejus ommissio quam actio, aut vice versa, majorem utilitatem semper, aut certo tempore adferat. Quo pertinet illud *Apostoli* I. Cor. VI. 12. VII. 6. 7. 8. 9. X. 23. Eodem spectat quoque illud *Grotii* de J. B. & P. l. I. c. 1. §. 10. *Interdum per abusionem ea, quæ ratio honesta, aut oppositis me-*

liora esse indicat, etsi non debita, dici juris naturalis. Ex quibus intelligi potest, an & quatenus bono possit dari aliquid melius. Scilicet si bonum presse consideremus, pro eo quod congruit cum lege, manifestum est, bono melius non magis dari, quam recto rectius. Potest tamen unum bonum altero melius dici pro diverso necessitatis gradu, qui in utroque deprehenditur, & per quem unum alteri cedit, si utrumque simul obiri nequit, vid. *Matth. VIII. 21. 22.* ubi bonum erat mortuum patrem sepelire, melius Christum sequi. *Actor. VI. 2.* bonum erat ministrare pauperibus, sed melius prædicare Evangelium. Qua de re infra pluribus erit agendum. Quando deniq; actiones in se licitas & indifferentes utilitas metitur, una melior altera dicitur, prout plus emolumentum ex ea provenit.

§. 9. Ex hisce quoque explicanda sunt, quæ à *Grotio* l. II. c. XXIII. §. I. traduntur, circa causas dubiorum in actionibus moralibus. Ubi ait, *in moralibus non aque, ut in mathematicis disciplinis, certitudinem inveniri: quod eo evenit, quia mathematicæ disciplinæ à materia omni formas separant, & quia formæ ipsæ tales plerumque sunt, ut nihil habeant interjectum, sicut inter rectum & curvum nihil est medium. At in moralibus circumstantia etiam minimæ variant materiam, & formæ de quibus agitur, solent habere interjectum aliquid, ea latitudine, ut modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedatur. Ita enim inter id, quod fieri oportet, & inter id quod fieri nefas est, medium est quod licet, sed modo huic, modo illi parti propinquius: unde ambiguitas sæpe incidit, ut in crepusculo, aut in aqua frigida calefcente.* Ubi fatemur tum circa alias actiones, tum potissimum circa suscipiendum bellum posse dubium oriri, vel quia de facto, ob quod bellum movetur, nondum liquido constat, justum an injustum fuerit; vel quia non adparet, an illud ad bellum, rem periculosa plenam alex, & secum tanta mala trahentem, sufficiat; vel quia adhuc anceps momento nutant rationes, an temporibus reip. expediat injurias bello exsequi, an potius easdem digerere aut differre, ne intempestive suscepta ultio plura mala arcessat. Sed quod causæ dubitandi proveniant ex ipsa rerum moralium incertitudine, id vero negamus. Quod in mathematicis tam accuratæ dantur demonstrationes, causæ non est abstractio à materia, sed alia, quam mox adferemus. *In moralibus circumstantiam minimam variare materiam* ambigue dicitur. Si enim hic est sensus; minimam circumstantiam variare actionis qualitatem i. e. efficere, ut ex bona fiat mala, id nihil facit ad incertitudinem disciplinæ moralis. Nam &
linea

CAPUT II.

linea, quæ vel minimum à rectitudine discedit, in curvitatē degenerat; neque tamen inde in geometria aliquid incertitudinis provenit. Sin hoc dicitur, minima circumstantia intendit aut minuit actionis quantitatem; id saltem in foro civili semper verum non est, ubi sæpe minima non curat prætor. Et ponamus hoc, ne hinc tamen quidquam certitudini in moralibus detrahitur; cum etiam in mathematicis vel minima accessio aut decessio quantitatem variet. Licitum, quod inter præceptum & veritum est medium, interdum ad alterutram partem vergere eo respectu diximus, quod illud quandoque omitti, quandoq; fieri magis expediat. Verum neque id ullius incertitudinis causa existit; neque exinde formatur ejusmodi medium, quod rectum an pravum sit dignoscere liquido non liceat. Unde non congruunt similitudines de crepusculo, & aqua tepida. Hæc enim sunt ex eo genere, quæ solent vocari media participationis; sicut tepidum de calido & frigido participat. Sed quæ vocantur media negationis, quale est indifferens & licitum, de neutro extremorum aliquid trahunt, sed de utroque æque negantur. Æque enim dicitur, bonum non est indifferens, & malum non est indifferens. Quale medium, quomodo incertitudinis causa esse possit, non adparet.

§. 10. Revera tamen aliqua latitudo deprehenditur in quantitatibus moralibus, eoque potissimum nomine disciplinæ Mathematicæ morales subtilitate judicantur excellere. Cujus rei ratio dependet à diversa natura quantitatis physicæ, & moralis. Physicæ enim quantitates inter se exactissime comparari, mensurarique ac in certas partes dividiturate licet determinare, quam rationem aut proportionem istæ inter se habeant, accedentibus præsertim numeris, quorum ope ista omnia subtilissime exprimuntur. Ac sunt præterea quantitates istæ aliquid naturale, eoque immotum & perpetuum. Ast quantitates morales proveniunt ex impositione & æstimatione entium intelligentium & liberorum; quorum judicium atque placitum uti sub mensuram physicam non cadit; ita quod ista tanquam quantitatem sua impositione concipiunt atque determinat, ad similem mensuram revocari nequit, sed velut libertatem ac laxitatem suæ originis retinet. Neque vero finis, ob quem quantitates morales sunt introductæ, ejusmodi subtilitatem & minutiarum constitutionem requirebat; sed ad vitæ humanæ usum sufficiebat, *παχυλῶς* per-

personas, res atque actiones æstimari, atque inter se comparari. Sic igitur latitudo deprehenditur in valore personarum sive existimatione; per quam fit, ut licet iuste ligamus, unam personam alteri esse præferendam; non tamen præcise possimus determinare, duplo, triplo, an quadruplo una alteram dignatione superet. Similis quoque latitudo in pretiis diversarum rerum, & actionum in commercium venientium occurrit, per quam vix aliarum rerum, præterquam quæ functionem in suo genere recipiunt, pretia ad unguem exæquari possunt; de cætero fere pro æqualibus habentur, prout quæque hominum conventio & placitum determinavit. Sic & non nisi cum latitudine aliqua exæquatio inter delicta & pœnas instituitur. Quis enim examussim definiverit, quot plagæ, & qua violentia incussæ atrocitatem certi v. g. furti exæquent; sed heic quoque æstimatio paulo crassius & securius capitur. Sed & in multis vitæ humanæ negotiis insignis quandoque latitudo conspicitur. Legislatores civiles non omnia ad vivum solent rescare. *Aliter leges, inquit Cicero Offic. 3. aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manus teneri res possunt: philosophi, quatenus ratione & intelligentia.* Et in dicundo jure minima fere à Prætoze non curari talitium est. Sic & in arbitriis bonorum virorum suo velut jure locum sibi vindicat latitudo. Add. quoque l. 105. D. de solutionibus. Porro in exercenda justitia vindicativa non solum clementiæ, sed & ipsi rigori aliqua latitudo indulgetur. Quo spectat illud *Taciti Annal. XIV. 44. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Et illud *Jasonis Pheræi ap. Plutarch. de sanitate tuenda, & in præcept. gerenda reip. ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ ἵνα βυλομένους τὰ μεγάλα διακοσμοῦται.* *Neceesse esse, ut in minutis rebus injuste agant, qui in magnis justitiam servare velint.* Quin & pleræque virtutes extra justitiam in exercitio sui fat laxa libertate & latitudine gaudent, puta misericordia, liberalitas, gratitudo, æquitas, caritas. Sic quoque in vita communi vocabula habitum denotantia non citra latitudinem frequenter hominibus imponuntur. Unde justus audit, qui paucula injusta etiam studio perpetrat. Denique si quando in moralibus nonnullæ quantitates ad punctum usque reductæ deprehendantur, uti in pretiis quarundam rerum, in temporibus fatalibus, aliisq; ista tamen tam præcisa determinatio non tam ex ipsis rebus, aut temporum momentis, quam ex impositione & placito hominum provenit.

Add.

CAPUT II.

Add. *Rich. Cumberland. de leg. nat. c. 8. §. 14.* Ex hisce igitur genuinum discrimen inter mathematicas & morales demonstrationes patere arbitramur, quod nempe illæ circa quantitates potissimum, quæ ex sua natura exactissime determinari aptæ sunt, versentur; hæ autem certam duntaxat qualitatem de subjecto demonstrare satagant, quantitatum moralium determinatione in laxiore fere voluntatis placito relicta.

§. II. Cavendum tamen est, ne hanc, quam hactenus adstructum firmamentum moralem confundamus cum illa, quæ sæpe quæstionibus facti applicatur; quando e. g. dicimus, hoc vel illud moraliter certum esse, quod à testibus fide dignis fuit confirmatum. Isthæc enim certitudo moralis nihil aliud est, quam firma aliqua præsumptio, valde probabilibus rationibus submixta, & quæ nisi rarissime fallere possit. Et hanc à priori non satis distinxit *Zieglerus* ad *Grot. l. 2. c. 20. §. 1.* dum communiore quidem præcepta Ethicæ æque evidentia esse concedit, atque scientiarum proprie dictarum propositiones; *conclusiones tamen particulariores certitudinem longe minorem, & contra multum sæpe obscuritatis conjunctum habere, quod res ipsæ, de quibus loquuntur, multis modis mutabiles & contingentes sint.* Et exempli loco subjungit: *moralis certitudo & evidentia est, verum esse, quod vir bonus & gravis jurejurando solenniter confirmat. Quæ tamen evidentia non absolute talis est, sed secundum quid; quia non simpliciter impossibile est, hominem justum & gravem pejerare, cum possit virtute sua deficere.* Atqui longe alia est certitudo, qua scitur, perjurium esse malum; & qua creditur, virum bonum non pejerare; neque posterior propositio proprie conclusio est, quæ ex priori deducitur. Sic etiam moraliter certa habetur fides historicorum, quando testantur de re, à nostra memoria remotissima, & cujus non amplius testimonia velut realia extant, præsertim si plures eadem tradiderint. Nam non est probabile, plures de compacto falsa posteritati voluisse propinare, aut sperare potuisse, mendacia sua non in apricum productum iri. Et tamen non desunt exempla popularium velut fabularum, quæ multis seculis sub specie veri sese vendiderunt.

CAPUT III.

DE INTELLECTU HOMINIS, PROUT CONCURRIT AD ACTIONES MORALES.

- | | |
|---|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. <i>Intellectus duæ facultates.</i> 2. <i>Facultati intellectus representativa qualis indoles?</i> 3. <i>Intellectus circa moralia naturaliter rectus est.</i> 4. <i>Conscientia quid, & quotuplex?</i> 5. <i>Conscientia recta, probabilis.</i> 6. <i>Regula conscientia probabilis.</i> 7. <i>Regula circa eligenda utilia.</i> 8. <i>Conscientia dubia,</i> | <ol style="list-style-type: none"> 9. <i>Scrupulosa.</i> 10. <i>Ignorantia quid, & quotuplex?</i> 11. <i>Error quotuplex.</i> 12. <i>Error circa actiones licitas.</i> 13. <i>Error theoreticus circa actiones necessarias,</i> 14. <i>Aut indifferentes.</i> 15. <i>Error practicus.</i> 16. <i>Error circa actionem malam.</i> |
|---|--|

CUM disciplinæ hujus, quam evolvendam suscepimus, hoc præcipuum sit opus, ut quid in actionibus humanis rectum aut pravum, bonum aut malum, justum aut injustum sit, demonstretur: ante omnia istarum actionum principia & affectiones, tum quæ ratione per imputationem cum homine moraliter velut connecti intelligantur, erunt consideranda. Ex hoc igitur dignitas hominis præ brutis maxime elucet, quod iste nobilissima præditus est anima, quæ & insigni lumine circa cognoscendas & dijudicandas res, & exquisita mobilitate circa easdem adpetendas aut rejiciendas pollet. Sic ut eo nomine actiones humanæ longe eminentiori classe censeantur, quam motus brutorum, quos stimuli sensuum citra antegressam fere reflexionem eliciunt, quicquid in contrarium molitur *Charon de la Sage* l. 1. c. 34. n. 7. 8. Illa porro animæ humanæ potentia, quæ instar aliquod luminis gerit, intellectus nomine venit, cujus duæ velut facultates concipiuntur, quas circa actiones voluntario susceptas exerit. Una est, per quam velut in speculo objectum voluntati sistitur, & quæ in ipso sit ratio convenientiæ aut inconvenientiæ, bonitatis aut malitiæ, simpliciter ostenditur. Altera, per quam rationes bonitatis aut malitiæ, quæ sese circa multa objecta in utraque partem offerunt, expenduntur, & comparantur, ac demum quid, quando, & quomodo agendum sit, judicatur, simulq; de mediis ad finem maxime

CAPUT III.

maxime accommodis consultatur. Ubi & hoc notandum, regulariter actionis voluntariæ initium esse ab intellectu hominis. Inde tritum illud: *ignotum nulla cupido*. Quamquam ea cognitio, actum voluntatis antecedens, non semper sit distincta; cum etiam confusa ad hoc sufficere possit, ut voluntas sese moveat. Inde sæpe oritur cupido ignotum experiendi.

§. 2. Est autem circa priorem intellectus facultatem observandum, illam esse ex earum genere, quas communiter *naturales* vocant, contra distinctas *liberis* facultatibus; sic ut penes hominem non sit aliter res apprehendere, atque illarum imagines intellectui sese offerunt; neque voluntas intellectum possit cohibere, ne alicui propositioni assentiatur, quæ ei clara & manifesta adparet. Id tamen est penes hominem, obiecto considerando acriter incumbere, & accurata meditatione rationes bonitatis & malitiæ exactius trutinare; adeoque non in nuda duntaxat superficiali hæzere, sed in ipsa rei velut viscera penetrare. Quo facto etiam accuratum de obiecto sequi potest iudicium. Quemadmodum in discernendis per visum rebus multum interest, volanti quid oculo percurras, an intenta acie contempleris. Add. *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 9.* Unde obiter intelligitur, quousque culturæ, & legibus circa hanc animæ partem locus sit. Id scilicet humana opera præstari nequit, ut intellectus aliter adprehendat, quam ista adparent. Et cum assensus seu fides non possit non respondere speciei ab intellectu adprehensæ; non potest quis aliter de re iudicare, quam prout ipse eandem percepisse visus est; neque ut secus faciat, ulla lege recte quis exegerit. Sicuti & nemo ex nudo & simplici mandato sapiens esse potest. Quia tamen obiter considerantem multa solent fugere, quæ curiose rimantibus ultro sese velut offerunt, & voluntas intellectum à contemplatione alicujus veritatis impedire potest, alia objecta objiciendo: igitur & ad confirmandum intellectus iudicium plurimum valet diligens rerum contemplatio; & ut huic idonea suppetat occasio, illi prospicere debent, quibus aliorum cura demandata. Qui etiam pœnis sancire possunt, ut quis solite adhibeat illa media, quibus rerum obscuritas dispelli, earundemque genuina conditio representari valet.

§. 3. Porro cum intellectus velut facem præferat nostris actionibus; adeoque non recte prælucente, non possimus non in devia aberrare; pro certo

certo statuendum est, & in ipsa facultate adprehensiva, & in iudicio naturalem inesse rectitudinem, quæ, debita adhibita attentione, nos decipi circa res morales non patiat; nec utrumq; ita depravari, ut circa easdem non possimus non decipi. Sane speculum male conformatum utique distortas imagines refert; & bilis linguæ suffusa de saporibus recte iudicare prohibet. Nec vitio nobis verti posset, quod male egerimus, si bonum & malum liquido discernere non datum; & non nisi per summam iniquitatem imputaveris errorem, quem exuisse nunquam licuit. Ergo nisi omnem actionum moralitatem velimus evertere, omnino tenendum est, intellectum hominis naturaliter esse rectum, & præmissa debita inquisitione res objectas liquido, & prout in se sunt, adprehendere. Quin nec iudicium practicum, saltem circa generalia præcepta juris naturalis, ita posse depravari, ut quæ inde suscipiuntur actiones pravæ, ipsi nequeant imputari, velut ex invincibili errore aut ignorantia profectæ. Conf. *Rich. Cumberland. de leg. nat. c. 2. §. 10.* Quo loco monemus, non esse nobis heic sermonem, quid circa res à peculiari Dei revelatione pendentibus intellectus jam noster valeat circa singularem divinitus allubescentem gratiam; de quo alterius disciplinæ est inquirere. Neque de eo sumus solliciti, an quis circa veritates theoreticas, subtili mentis indagine investigandas, per pravam informationem falsam opinionem ita possit imbiberere, ut ea se exsolvere nulla ratione queat. Sed agimus de viribus intellectus, prout illis opus est ad actiones legi naturæ rite attemperandas. Ubi arbitramur, nullum hominem ætate matura, & rationis compotem tam habet esse, quin comprehendere queat saltem generalia juris naturalis præcepta, & quæ in vita communi frequentissimum usum habent, quamque illa cum hominis natura rationali & sociali habeant convenientiam perspicere. Et ut maxime quis per socordiam de uno atque altero præcepto nunquam cogitaverit, aut per præcipitantiam & temeritatem falsas de agendis opiniones conceperit, aut ex prava informatione, vel corrupto per vitiosam assuetudinem, pravorumque affectus animo, veritatem & necessitatem eorumdem in dubium revocaverit, aut contrarias legi naturali agendi regulas sibi finxerit: istam tamen ignorantiam, aut errorem haut quidquam arbitramur invincibilem, quique adeo efficiat, ut inde susceptæ actiones non possint imputari. Ita enim ista sunt exposita, ita penitus naturæ insita, ut nunquam

cousq;

CAPUT III.

41

eousque obbrutescere possit homo, quin ad ista adprehendenda, ac dijudicanda sit adhuc idoneus. Quippe cum ad hoc non requiratur eximia quædam ingenii vis, aut peculiaris rationis solertia, sed sufficiat qualescunque nativæ rationis lumen; modo morbo mens non sit oppressa. Quo facit illud Ciceronis *Tusc. Quest.* 1. 3. quando *stultitiam* i. e. *inconstantiam* sanitate vacantem tueri posse, ait, *mediocritatem officiorum; & vitæ communitatem, atque usitatum; furorem autem esse mentis ad omnia cæcitatem.*

§. 4. Solet præterea iudicium intellectus circa actiones morales, quatenus iste cognitione legum est imbutus, adeoque circa agenda & omittenda legislatori conscius, peculiari nomine vocari *conscientia*. Quam prout actiones hominum antecedit, aut consequitur; distinctionis causa, possumus vocare *antecedentem*, vel *consequentem*. Hæc est iudicium velut reflexum intellectus super omissis aut commissis ad probans bene, damnans secus facta; cui comes sequitur tranquillitas, aut inquietas animi, prout cuique ista testimonium fert, & de pace aut ira legislatoris, nec minus de cæterorum hominum erga nos benevolentia, aut infenso animo, sperare jubet. *Plin. Paneg. Alius fortasse alium, ipsum se nemo deceperit. Introspectat modo vitam, seque quid mereatur interroget.* Illa vero facta antecedit, quid bonum, quidque malum sit, & ideo agendum vel omittendum discutitans. Ubi tamen probe observandum, conscientiam nullo alio respectu circa dirigendas hominis actiones locum aliquem tribui, quam quatenus cognitione legum est imbuta; nam harum proprie est actiones humanas dirigere. Unde si quis iudicio practico aut conscientiam peculiararem vim dirigendi actiones tribuere velit, quæ à lege non dependeat, aut proveniat, quibuslibet hominum phantasiis vim legum tribuit, & summam confusionem negotiis humanis inducit. Et fatendum est, istum hunc vocabuli conscientiam sensum neque in divinis literis, neque apud veteres autores Latinos, quantum mihi constat, occurrere, sed à Scholasticis primo introductum, ac nuperis seculis qui vocantur casus conscientiam inventos à callidis sacerdotibus, flectendis ad suam libidinem hominum animis. Imo si genuinum ejus vocabuli sensum attendamus, contra conscientiam facere nihil aliud notat, quam scientem & volentem quid patrare, quod malum esse noras: & opponitur ei, quod ex errore aut ignorantia patrarur. Nobis tamen abusu proscripio in bono sensu id vocabulum retinere placuit.

E

§. 5.

§. 5. Conscientia recte informata duplici se modo habet; vel enim liquido intelligit persuasionem, quam super agendis vel omittendis obtinet, certis & indubiis principiis niti, seu cum legibus congruere, quæ norma sunt actionum & conscientiæ: vel persuasionem quidem suam pro vera & certa habet, nec quare eam indubium revocet idoneas rationes videt, etsi eandem ad formam demonstrationis deducere non norit, sed topicis fere argumentis adquiescat. Illam vulgo solent vocare conscientiam *rectam*, hanc *probabilem*. Circa conscientiam rectam hæc traditur regula: omnis actio spontanea, quæ fit contra eandem, & omnis omissio actionis, quam eadem necessariam dicitur, est peccatum; & quidem tanto gravius, quo liquidius officium suum homo intelligebat, cujus transgressio eo majorem animi malitiam arguit. Vid. *Luca XII. 47. 48.* Conscientiam autem probabilem à recta differre arbitramur non quoad ipsam persuasionis veritatem, sed quod eandem ad modum demonstrationis adornatam ita artificiose deducere ignoret, adeoque rectitudinis suæ ita evidentem & immotam non habeat cognitionem. Non enim datur, ut alii loquuntur, probabile in se, sed tantum respectu nostri intellectus. Et ista ratione pleraque pars mortalium suas actiones regit. Paucis quippe vitæ humanæ officia, quomodo ex primis fontibus profluant, perlustrasse datum est. Plurimos vitæ communis tenor, & docentium, extra fraudis suspicionem positorum, autoritas, & ipsa adfuetudo, & manifestus actionum decus aut usus ita securos reddit, ut in alium rationes curiosius inquirere supervacuum putent. Quemadmodum magna pars artificum ad compendiosa quædam instrumenta opera sua excogisse satis habet; artificiosa eorundem demonstratione mathematicis relicta. Idque eo magis obtinet circa propositiones, quæ à primis principiis longius distant, quæque adeo operosiore deductione indigent; qualem comprehendere est fere supra captum eorum, qui scientiis variis animum non habent subactum. Quo pacto tamen nihil præsidii accedit pestilenti isti probabilitati, quam recentiores Casistæ, & Jesuitæ potissimum comminiscuntur, quæ sese in solam autoritatem unius Doctoris, etiam à rationibus destituti, & abs quo cæteri dissentiant, resolvit. Quo figmento omnem doctrinam moralem subverti, conscientiasque hominum à libidine sacerdotum, commodis suis velificantium, suspendi manifeste ostendit *Lud. Montalvus in literis provincialibus*, & ad eandem *Wendrockius*, & *Sam. Rache-*

CAPUT III.

Rachelius. Ubi illud in super observamus, male ab istis confundi probabilitatem facti, cum probabilitate dogmatis & velut juris. In quæstionibus equidem facti unius viri gravis autoritas potest efficere aliquam probabilem præsumtionem, & probationem semiplenam. Sed in definiendo jure absurdum plane, & temerarium fuerit, unius viri effato, rationibus non suffulto, & abs quo alii non minori autoritate præditi in diversa abeunt, tantum tribuere, ut illud pro norma agendorum tuto possit admitti.

§. 6. Cæterum solent vulgo nonnullæ regulæ pro informanda conscientia probabili tradi; de quibus nostra sententia est, eas locum posse habere, quando inter se collidi videtur jus strictum & æquitas; aut quando utraque pars est quidem extra obligationem legum, ita tamen ut vel una propius ad honestum videatur accedere, vel una magis apta judicetur, ex qua commodum, aut incommodum aliquod proveniat, quam altera. Nam in iis, quæ lege aliqua proprie præcipiuntur aut vetantur, non datur ejusmodi electio, ut uno rejecto alterum liceat suscipere, (quippe cum leges definite quid vetent aut jubeant, non per plura ac diversa velut æquipollentia sibi satisfieri velint;) sed in licitis duntaxat, quæque adeo extra leges sunt posita. Sunt autem regulæ istæ fere tales: 1. In conscientia probabili duabus sententiis propositis, quarum cum neutra legi adversetur, una firmiter rationibus nititur, altera tutior videtur, utraque libet suscipi potest. 2. Duabus sententiis propositis, quarum altera infirmioribus rationibus nititur, altera tutior videtur, recte tutior illi præferitur. 3. In conscientia probabili vir doctus eam sententiam sequi potest, quæ sibi probabilissima videtur, etsi aliis forte talis non videatur; nisi ex eo incommodum aliquod metuatur, quod à communi opinione abeat. 4. Indoctus tutissime sequitur auctoritatem prudentiorum. 5. Alterius imperio obnoxius recte potest jussu superiorum agere, quod illicitum certo non novit, etiamsi non ita probabile sibi videatur. 6. In rebus parvi momenti, si utrinque sint probabilia argumenta, utrumlibet potest eligi. 7. In rebus magni momenti, si utrinque se ostendant argumenta probabilia, præferenda est pars tutior, seu ubi, si vel maxime à scopo sit aberratum, non adeo grave provenire potest malum, quam si ex altera parte fuisset impactum.

§. 7. Porro etsi nobis hæc maxime de bono & malo, justoq; & injusto agere sit propositum, disquisitione de utili & inutili ad aliam disciplinam

plinam rejecta; tamen non abs re fuerit paucis quoque hoc loco attingere, quas regulas in deliberatione circa utile iudicium intellectus respicere debeat. Præsertim cum superiores hiæc fere nitantur, & in dirigendis nostris actionibus non minima soleat haberi ratio utilitatis: juxta illud *Apostoli* 1. *Corinth.* VI. 12. *omnia mihi licent, nempe de quibus ibi egerat, sed non omnia expediunt.* Et in muneribus civilibus sæpe negotia in juncta alicujus prudentiæ & dexteritati committuntur; ubi sane male egisse censetur, qui per imprudentiam aut socordiam, quod minus utile erat, suscepit. In deliberationibus igitur, quæ circa talia institui solent, ad quæ necessitate aut obligatione determinata non adstringimur, (necessitas quippe deliberationem exciudit, & obligatio determinata solam executionem agentis relinquit;) id fundamenti loco supponitur, ne quid suscipiatur, ex quo morali æstimatione, (i. e. in quantum humana providentia inter incerta casuum, & futuri obscuritatem penetrare potest,) tantumdem mali atque boni, aut etiam plus mali quam boni videtur oriturum. Cujus ratio in propatulo est. Tantum enim de cujusque rei bonitate decedit, quantum illa mali habet adjunctum, adeoque exiit rationem boni, si æquale fuerit malum. Infaustum censetur prædium, cujus reditus impensas non superant. *Cato de re rustica* l. 1. *Ager quamvis questuosus si sumtuosus sit, non multum superest.* Suscipiuntur quippe ejusmodi res, de quibus jam loquimur, eo fine, ut emolumentum quid inde nobis adquiratur. *Xenophon rerum Græc.* l. VI. *Non illos laudandos censeo, qui in certaminibus sapius victoriam ac gloriam retulerunt; ita tamen contendunt, ut non antea desistant, quam victi laborem demum amittant.* Neque *alex. lusores, qui cum semel lucrantur, inde duplo plus perdunt, quam lucrum jam ante apertum.* Videmus enim tales ut plurimum ad extremam redigi inopiam. *Quæ & nos considerare decet, neque unquam eo certaminis descendere, ubi aut omnia vincere, aut cuncta perdere necessum sit.* *Lucanus* l. 1. *Par labor atque metus pretio majore petuntur.* Huc etiam potest facere illud *Isocratis Archidamo: Propositis duabus rebus bonis, quarum altera evidens est, altera obscura; nonne ridiculum fuerit, vos certam repudiare, controversam velle amplecti?* Ex quibus ista deducit consuetaria *Grotius* l. II. c. 24. §. 5. 1. *Si res, de qua agitur, æqualem, morali æstimatione, efficaciam habere videatur ad bonum & ad malum, i. e. si æque facile damnum quam lucrum ex ea provenire possit: ita demum est eligenda, si bonum aliquanto plus habeat boni, quam malum*

CAPUT III.

45

malum mali, i.e. si lucrum longe majus futurum est, ubi res bene cesserit, quam damnum, ubi secus alea ceciderit. Sic temerarium non fuerit decem periculo exponere, si centum sis lucraturus, ubi fors favorit. Conf. Epicteti enchirid. c. 35. 36. 2. Si videatur esse aequale bonum & malum, quod a re, de qua quaritur, possit procedere, ita demum ea res eligenda est, si efficacia ad bonum, quam ad malum major sit, i.e. si facilius sit lucrum inde, quam damnum provenire. Facere huc potest illud Arnobii, l. 2. Cum haec sit conditio futurorum, ut teneri & comprehendi nullius possint anticipationis actu, nonne purior ratio est, ex duobus incertis, & in ambigua expectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas spes ferat; quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil est, si quod dicitur imminere, cassum fiat & vacuum: in hoc damnum est maximum, si cum tempus advenerit, & sperietur non fuisse mendacium. Add. Pensées de M. Pascal. chap. VII. 3. Si videatur & bonum & malum esse inaequale, nec minus inaequalis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda est, si efficacia ad bonum major sit collata efficaciae ad malum, quam ipsam malum est collatum bono, i.e. si excessus mali minor sit, quam facilitas, qua bonum provenire potest; aut si bonum sit majus comparatione mali, quam efficacia ad malum comparata ad bonum, i.e. si efficacia, qua malum praebonum provenire potest, minor sit, quam excessus boni praemalo. 4. Ubi autem rei tam bonum quam malum, ut & efficacia ad utrumque sit inevidens, cauti est re abstinere, ubi nulla necessitas urserit.

§. 8. Quod si autem iudicium intellectus anceps haereat, & discernere nequeat, bonum aliquid vel malum, adeoque agendum sit aut omitendum, vocatur conscientia dubia. De hac isthaec fertur regula: quamdiu iudicium intellectus nullo rationum momento in neutram partem vergit, actio erit suspendenda; adeoque qui agit, conscientia velut in aequilibrio adhuc haerente, peccat. Nam talis, quantum in se, legem violavit. Perinde enim est, atque si diceret; mihi quidem non liquet, an haec actio legi repugnet; nihilominus sive repugnet, sive non, eam suscipiam. Cicero Off. I. Bene praecipunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit an iniurum. Aequitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat injuria. Subjungit Grotius l. II. c. 23. §. 2. hoc locum habere non posse, ut nempe actione abstinenceatur, ubi alicui omnino alterutrum est faciendum, & de utroque an aequum sit dubitatur: tunc enim licebit ei eligere, quod minus iniurum esse videtur. Semper enim, ubi electio evadi non potest, minus malum rationem

nem induit boni. Ubi tamen arbitramur, hoc axioma proprie locum habere in malis damnosis, ac non moralibus; ubi sane lucri instar est, minori damno majus potuisse declinare. Quando autem idem adplicatur ad mala moralia, dextra opus est interpretatione. Igitur proprie loquendo ex duobus malis moralibus neutrum est eligendum. Contingit tamen frequenter, ut duæ leges affirmativæ, aut altera affirmativa, altera negativa videantur inter se velut collidi, sic ut utrique eodem tempore nequeat satisfieri. Heic simpliciores quidem putant, comparisonem fieri inter duo mala seu peccata omissionis, illudque suscipiendum, quod omis- sisse majus peccatum viderur. Revera tamen heic non ex duobus pec- catis eligitur minus; sed quod extra ejusmodi collisionem peccatum e- rat, id peccatum esse desinit, ubi validioris legis implendæ necessitas in- cumbit. Sic v. g. ubi collisio fit inter præceptum affirmativum, *da elee- mosynam*, & negativum, *ne furtum facias*; sine dubio non est furandum, ut elemosynæ suppetat materia; juxta illa Apostoli; *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* In hoc tamen casu non dare elemosynam peccatum proprie non est; quia præcepta affirmativa vim obligandi non exerunt, ubi agendi materia deficit. Sic ubi collisio fit inter duo præcepta affir- mativa, v. g. *pare Deo*, & *pare magistratui*, sine dubio Deo magis oportet obedire, quam hominibus; (quam sententiam etiam expressit Socra- tes apud Platonem in *Apologia*: ἐγὼ δὲ ὑμᾶς ὡς ἄδρις Ἀθηνῶσι ἀσπάζομαι μὴ δὲ φιλοῦμαι πείθωμαι ἢ πρὸ θεῶν μᾶλλον, ἢ ὑμῶν. *ὁ viri Athenienses, diligo vos equidem, atque amo, Deo tamen parere malo, quam vobis*;) non quia ex duobus malis minus est eligendum, sed quia malum non est, magistratui non obedire, ubi id ci- tra violationem obsequii Deo debiti nequit fieri. Obligatio quippe la- xior cedit arctiori, quando utrique simul nequit satisfieri.

§. 9. Cum dubia conscientia cognitionem habet *scrupulosa*, quam vocant, quando anxia fornicatio judicium intellectus comitatur, ne forte id ipsum malum sit, quod bonum aliquis existimaverit, & contra. Ejus- modi scrupulus ubi probabilibus argumentis nititur, actio erit suspen- denda, donec eximatur rationibus, aut sapientum autoritate: qui autem ex molli quadam superstitione oritur, negligendus atque animo ejicien- dus est. Add. *Cartes. de passion. art. 170. & 177.* ubi contra *fluctuationem a- nimi*, & *morsum conscientia*, qui actionem antecedunt, recte quidem hoc *re- medium* præscribit, *assuscere formandis judiciis certis & determinatis de omni- bus*

in rebus, qua sese offerunt. Sed addendum est; iudicia illa esse formanda ex genuina & solida scientia morali, seu disciplina juris naturalis, ac religione Christiana, à superstitiosis hominum additamentis repurgata. Nam citra hoc obfirmari quidem fortasse animus ut cunquē potest, ne morsus aut fluctuationes sentiat; sed neque talis firmitas ad diuturnitatem valet, neq; à peccato liberat. Inde probari nequeunt, quæ d.l. sequuntur: *& censendo semper officium præstari, cum sit quod melius esse judicatur, etsi forte pessime judicetur.* Atqui hoc non est morbum curare, sed per anodynum male temperatum stuporem animo inducere.

§. 10. Ubi circa actionem aliquam suscipiendam aut omittendam deest cognitio intellectus, vocatur *ignorantia*. Quæ, quantum ad institutum nostrum, dividitur vel respectu *influxus in actionem*, vel respectu *originis*. Priori respectu est duplex: alia enim est causa ejus, quod ignoranter fit, alia non. Illam possis vocare *efficacem*, hanc *concomitantem*. Illa negat in intellectu eam cognitionem, qua præsentē actio fuisset impedita. Qualis erat in Abimelecho *Gen. XX. 4. 5.* qui si cognovisset, Saram Abrahami esse uxorem, haut quicquam ad eam ducendam animum fuerat adpliciturus. Hæc negat in intellectu eam cognitionem, quæ factum non impedivisset, ita ut aliquis nihilominus id facturum fuisset, etiamsi cognovisset, quod ignoravit. Ut si quis improvise hostem suum occiderit, quem nihil secius occisurus fuerat, etiamsi scivisset, in eo istum loco versari, in quem ipse telum fortuito, & citra intentionem quentquam lædendi, contorquet. Quo pertinet dictum istius, qui cum lapidem devolveret in canem, aberrante eo in novercam impulit, eamque occidit, ait: *ἄνθρωπος ἡμῶν κατὰ βολὴν ἔβαλεν*: *foris melius consilium cepit, quam nos.* Ist hæc duo ita aliqui volunt discernere, ut quod ex priori ignorantie specie proficiscitur, dicatur simpliciter fieri *ex ignorantia*; quod ex posteriori, *ab ignorante*. Et si & in posteriori casu non nisi fortuitum homicidium proprie sit admisum. Nam pravus ille affectus cum vitio quidem est conjunctus, ad eadem tamen nihil sane contulit. At respectu originis ignorantia dividitur in *voluntariam* & *involuntariam*. Illa quibusdam etiam vocatur *consequens*, & vincibilis; hæc antecedens, & invincibilis. Illa, (sive sit directe affectata, sive per *oscuritatem* & *incredulitatem* contracta,) est, cum quis ea ignorat, quæ scire poterat & debebat. Hæc est, cum quis ignorat
circa

circa certam rem, quæ nec scire poterat, nec tenebatur. Ignorantia porro invincibilis est vel talis *in se, sed non in sua causa*: vel *in se & in sua causa simul*. Illa est, quando quis in ipsa quidem actione ignorantiam, ex qua eadem procedit, exuere ac dispellere nequit; in culpa tamen est, quare in eam ignorantiam inciderit. Sic sæpe, qui per ebrietatem peccat, plane nescit, quid agat: est tamen in culpa, quare istud nesciat. Hæc est, quando quis non tantum ea ignorat, quæ scire ante actionem non potuit, sed etiam in culpa non fuit, cur in ista hæreret ignorantia, aut in eandem incidere. Pertinent huc ea, quæ habet *Aristot. Nic. II. c. 1.* & ad eum locum *Eustratius*. Ubi distinguit inter id, quod fit ab ignorante, & quod fit ex ignorantia. Illius exemplum adfertur id, quod fit ab ebrio, aut irato. Heic enim, etsi ebrius aut iratus sæpe quid agant, ignorent; actionis tamen causa non est ignorantia, sed ebrietas aut ira, quarum illam declinare, hanc compescere penes hominem erat. Addit deinde, invitos dici non posse, qui ideo peccant, quod ignorent quid agendum, quid omittendum; quam ignorantiam ipse vocat in electione, & universalium. Nam ista quilibet scire tenebatur. Sed ignorantiam, quæ circa particularia versatur, actionem reddere invitam. Particularia illa sunt, quis, quid, circa quid, & in quo, quo instrumento, quo modo. Hæc omnia simul ignorare nemo sanus potest. Saltem enim quis intelliget se ipsum agere. Sed circa singula reliqua ignorantia intervenire potest. In eo quod agitur, dicunt lapsos se esse, qui locuti sunt, quod nolebant. Item si quis catapultam ostendere amico volens, jaculum emisit, amicumque vulneravit. Circa quid, & in quo, (quæ idem sunt,) ignorantia versatur, ut si filium hostem quis putet, & interficiat. Circa instrumentum; ut si quis hastam mucronatam, quam credat obtusam esse, in aliquem projiciat, atque ita imprudens interficiat. Cujus causa; ut si pharmacum alicui salutis causa exhibeamus, idque mortiferum esse ignoremus. Quo modo; ut si quis docendi causa leviter percutere volens, ictum vehementem inflixit. Jcti quoque Romani peculiari titulo tractant de ignorantia juris & facti. Verum isti hanc non tam considerant, prout effectum habet circa actiones morales, quam prout facit ad jus aut actionem aliquam retinendam, aut acquirendam, vel amittendam. Eorum autem, quæ circa utramque traduntur, huc fere ratio redit, quod ignorantia juris ut plurimum cum aliqua negligentia culpabili sit conjuncta, ignorantia facti non item; igitur æquitatem ferre, ut illa quidem noceat, hæc non obsit.

CAPUT III.

§. 11. Quando autem non solum cognitio veri deficit, sed & eius loco falsa persuasio animum occupavit, sic ut hæc pro vera habeatur, in errore versari animus humanus dicitur. Qui error itidem est vel vincibilis, vel invincibilis. Ille est, quem quis adhibita diligentia moraliter possibili, seu quam communis conditio rerum humanarum admittit, discutere debuit ac potuit. Hic, quem quis omni diligentia moraliter possibili discutere non valuit. Ubi observandum, licet admitteretur illa sententia M. Antonini l. IX. c. 42. (Add. Arrianus ad Epictetum l. I. c. 28.) *πᾶς ὁ ἀμαρτάνων ἀφαιμαρτάνει ἢ ἀποκαίμεν καὶ πικρὰν*. Quisquis delinquit, à proposito aberrat, & deceptus est: tamen cum ille error non fuerit invincibilis, per eundem neque prave facta à numero peccatorum eximi, neque iisdem promiscue veniam indulgendam.

§. 12. Accurate autem observandum, quod diversos habeat effectus error, circa actiones, quas homo pro lubitu suscipere potest, & intermittere, seu quarum exercitium in ipsius arbitrio est relictum; & circa illas actiones, quæ lege aut jussu superioris illi sunt præceptæ vel interdictæ. Circa prioris generis actiones error consensus interciperi intelligitur; adeoque ex illis non sequuntur isti effectus, qui alias ex actione, in quam consenseris, fluere apti sunt; præsertim ubi iste error non ex supina nimis incuria obrepserit. Inde in pactis error circa rem, ejusve qualitatem, cujus intuitu quis ad paciscendum fuit motus, pactum reddit invalidum. Censetur enim heic aliquis consensisse non absolute, sed supposita præsentia illius rei aut qualitatis, cui tanquam conditioni consensus suum superstruxit. Qua non adparente, consensus quoque nullus fuisse intelligitur. Qua de re infra suo loco pluribus agetur.

§. 13. Ast vero aliter se res videtur habere circa actiones necessarias, seu à superiore præceptas, aut vetitas. Ubi distinguendum est, utrum error versetur circa theoriam, an vero circa praxin; seu utrum aliquis falsam habeat opinionem circa actionum necessitatem, putetq; intermittere eas esse, quæ faciendæ erant, & vice versa; an vero in ipso actionis exercitio error intercurrat, per quem secus quam par erat actio adplicitur. Prioris generis errores arbitramur non impedire, quo minus agentis actio impetetur, prout cum norma præscripta congruere aut non congruere videbitur; cum omnino censeantur esse vincibiles. Qui enim ali-

cujus actiones ad normam adstringere vult, is utique voluntatem suam sufficienter declarare debet, ut ab illo, quem obligare instituit, liquido cognosci queat. Alias enim iniquissime exigitur obsequium legis ignotæ, aut cuius sensum genuinum eruere sit supra captum eorum, quibus illa est lata. Ergo si quis in theoria erret, i. e. si quis sibi persuaserit, præceptum esse, quod est interdictum, & contra, censetur non adhibuisse debitam diligentiam; adeoque non poterit recusare, quo min⁹ ipsi imputetur, quod ex tali errore fuit commissum. Id ipsum alias sic effertur: Si conscientia versatur in errore vincibili circa rem malam, peccat homo tam si secundum, quam si contra eandem agit i. e. si persuaserit sibi, actionem esse præceptam, quæ erat intermittenda, aut contra intermittendam, quæ erat præcepta, peccat, si illam susceperit, & hanc intermiserit. Nam talis actio aut intermissio revera discrepat à lege: & agens verum legis sensum cognoscere poterat, & debebat. Et idem tamen non minus peccaverit, si actionem revera interdictam, quam tamen ipse præceptam credebat, omiserit; & actionem revera præceptam, quam tamen interdictam putabat, susceperit. Etsi enim nullus heic sit actus exterior, qui legi repugnet: tamen quia iste iudicat, conscientiam suam legi congruere; ideo saltem pro æresis ista legi repugnans pro peccato ipsi imputabitur. Nam mala intentio agentis facit actionem malam videri, saltem contra agentem. Unde adparet, ex iudicio intellectus erroneo non posse procedere actiones, quæ pro rectis agenti queant imputari; & ei, cui falso persuasum est, aliquid esse injustum, id tantisper pro illicito haberi, quamdiu eam persuasionem non correxit. Add. l. 46. §. 8. D. de furtis.

§. 14. Quod si tamen error theoreticus versetur circa rem in se indifferentem; i. e. si persuasus quis fuerit, aliquid necessario esse faciendum aut omittendum, quod revera est indifferens; peccabit tantum, si contra fecerit, atque falsa opinio suggerit, ob pravitatem pro ærescos; non autem, si secundum errorem suum fecerit. Indifferentia enim sunt extra legem, quæ non violatur, si quis ista suscipiat, si ve omittat. Et innoxius videtur error, qui peccato ansam non præbet. Id tamen in aperto est, non posse ex ejusmodi errore susceptas actiones obtinere illos effectus, qui alias sequuntur actiones legibus præceptas. Sic si legislator præmium obsequentibus legum constituisset, id sane sibi vindicare non poterit, qui per errorem indifferentia, velut de illis per leges in alterutram partem foret dispositum, observavit.

§. 15. Ast in exercitio actionum à legibus præceptorum frequentius est, ut error interveniat; puta si objectum actionis legitimum fuerit subtractum, & pro eodem aliud substitutum. Item si circa tempus, & locum executionis præscriptæ sit erratum. Tales actiones uti non consequitur ille effectus, quem alias recte adplicitæ actiones producant; ita error prohibet effectum malis actionibus proprium, siquidem iste non ex culpabili negligentia sit contractus. Quod alii sic efferunt: error interveniens prohibet, ne actio alicui in alterutram partem imputeretur, neque tanquam bona, neque tanquam malitiosa. *Seneca Herc. fur. Quis nomen unquam sceleris errori dedit?* Sic cum alias obligatione libereris, si solvas illi, cui debes; ubi per errorem solveris, peccatum non admisisti; prior tamen obligatio non fuit sublata. Sic qui bona fide beneficium contulit ex inconsulta liberalitate in hominem improbum, qui eodem ad flagitia sit abusus, de proba actione gloriari hautquidquam poterit; excusabitur tamen à participatione flagitii, quasi ipse ei patrandò quid contulerit. Verum ubi quis præcisè objectum, locum, aut tempus actionis explorare fuit iussus, vix effugere poterit, quo minus ipsi effectus actionis prave adplicitæ imputerentur, nisi errorem moraliter invincibilem demonstraverit. Sic si servo tuo præceperis, ut certa te hora noctis excitet, non audietur iste, si pulsus æris non recte abs se numeratos dixerit; culpa tamen carebit, si casu aliquo ipsum horologium aberraverit.

§. 16. Sed & illud sæpe contingit, ut in exercenda actione mala error intercurrat, dum ab objecto, quod sibi quis destinaverat, deviat. Quo ipso agentis quidem malitia manebit eadem; actio tamen ipsa gravior aut levior habebitur, prout objectum fuerit, in quod illa casu inciderit. Sic qui inimicum suum telo petere destinaverat, si alium quempiam casu percusserit, homicida nihilominus erit. Vid. l. 18. §. 3. D. de injuriis. l. 14. D. ad L. Cornelianam de sicariis. & Grotius in *spars. florum ad h. l.* Ipsa tamen cædes eo plus aut minus atrocitatis habere judicabitur, quo præstantior aut vilior fuerit, qui alieno vulnere sternitur. Huc etiam pertinet casus, quando quis præter intentionem occidit, qui vulnerare tantum volebat, aut minus lædere. Nana de hoc ex ipso facto decernitur. Ubi autem in objectum licitum

fuerit aberratum, in ea actione nihil erit vitii, præterquam quod ex prava intentione agentis profluit, Sic ut error talis efficiat, ne iste actus proprie ejus vitii nomine venire possit, quod quis patrare intenderat. Inde saltem in foro humano non obtinebit illud *Seneca de constantia sapientis* c. 7. *Si quis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit.* Add. *Idem de beneficiis* l. 2. c. 19. & l. 5. c. 13. *in fine.* Conferatur tamen *Libanius declam.* 35. p. 780. B. C. D. edit. Morelli.

CAPUT IV.

DE VOLUNTATE HOMINIS, PROUT CONCURRIT AD ACTIONES MORALES.

- | | |
|--|-----------------------------|
| 1. <i>Voluntatis actus.</i> | certa corporis. |
| 2. <i>Libertas voluntatis.</i> | 6. <i>Item habitus.</i> |
| 3. <i>Indifferentia voluntatis necessario afferenda.</i> | 7. <i>Et affectus.</i> |
| 4. <i>Voluntas quomodo in bonum fertur.</i> | 8. <i>Nec non ebrietas.</i> |
| 5. <i>Voluntatem sollicitant constitutiones</i> | 9. <i>Actiones mixtae.</i> |
| | 10. <i>In vitium quid.</i> |

CUM sapientissimus Creator hominem vellet creare, animal per leges gubernandum, ipsius animæ voluntatem indidit tanquam internam actionum moderatricem; ut objectis propositis, & cognitis ex principio intrinseco citra necessitatem aliquam physicam ad ea se moveret, & eligere posset, quod sibi tanquam maxime congruum arrideret; & contra ab illis se averteret, quæ sibi non convenire viderentur. Illa porro per duas velut facultates sese circa actiones humanas concipitur exserere, per quarum unam intelligitur agere *sponte*, per alteram *libere*. Spontaneitati, ut ita loquar, attribuunt certos actus aut motus; quorum quidam interiores, qui eliciti, alii exteriores, qui imperati sive vocari. Actus eliciti sunt, qui à voluntate immediate producuntur, & ab eadem recipiuntur. Eorum alii occupantur circa finem, ut volitio, intentio, fructio: cæteri circa media, ut consensus, electio, & usus. Volitio dicitur actus voluntatis, quo ipsa simpliciter fertur in finem, non habito respectu, an ille præsens sit, an absens; seu quo simpliciter ipsi probatur finis. Alii vocant voluntatem simplicis ad probationis, qua aliqua res cum alicujus natura & inclinatione congruere intelligitur, ita tamen ut ad illam produ-

cen-

CAPUT IV.

eandem, aut consequendam actu nondum sese efficaciter moverit. In-
 tentio seu proeresis est desiderium efficax finem obtinendi; seu est actus
 voluntatis, quo illa efficaciter fertur in finem absentem, eumque actu pro-
 ducere aut consequi nititur. Hæc cum sit conjuncta cum conatu, & spe fi-
 nem adsequendi, facile colligitur, qualia sint illa, circa quæ occupatur.
 Nempe, uti Aristoteles dicit Nicom. III. c. 4. ὅπως ἴσταιν ἢ ἀποδείξαις αὐτῶν τῶν ἰσῶν ἢ μὴ
 εἶναι. Omnino in iis electio esse videtur, qua in nostra potestate sita sunt. Προαίρεσις
 τίς, ὅσα οὐκ ἔστιν ἐν τῷ αὐτῷ. Eligat quis illa duntaxat, qua ex sese fieri posse exi-
 stimaverit. Inde ἀποδείξαις ἢ ἐστὶ τῶν ἀδύνατον. Electio minime est eorum, qua fieri
 non possunt. Idem Nicom. VI. c. 2. ἢ ἐστὶ τῶν ἀποδείξαις ἰσῶν γινώσκων. ἢ δὲ γὰρ βελίον
 αὐτῶν γινώσκων, ἀλλὰ αὐτῶν ἰσῶν, ἢ ἐνδεχομένων τῶν ἰσῶν γινώσκων ἢ μὴ γινώ-
 σκων διὰ τῶν ἀγνοῦντων, μόνον γὰρ αὐτῶν ἢ τοῦ εἰσείναι, ἢ ἀγνοῦντων ποιεῖν αὐτῶν ἢ πρὸς
 πραγμάτων. Nihil est eligibile quod factum est; non enim consultat quis de eo quod
 factum est, sed de eo, quod futurum est, esseque aliter potest: quod autem factum
 est, quin factum sit fieri nullo modo potest. Idcirco recte Agatho inquit: Re nam-
 que sola hac ipse privatur Deus, ut facta minime infecta possit reddere. Est
 quippe ἢ προαίρεσις μὴ λόγος ἢ ἀγνοῦντων, cum ratione & cogitatione. Cæterum
 intentionis etsi plures dantur gradus ratione vehementiæ, tamen in usu
 vitæ civilis illa fere dividitur tantum in plenam & semiplenam. Illam vo-
 cant, qua voluntas, re prius sufficienter expensa, & per affectuum vehe-
 mentiam non abrepta, in aliquid fertur. Semiplenam autem, ubi suffi-
 ciens deliberatio non adfuit, aut ratio affectuum turbine est concussa.
 Fruitio est quies seu delectatio voluntatis in fine jam obtento, & præsen-
 te. Cui opponitur pœnitentia, quæ est averfatio, ut plurimum cum pudore,
 & dolore conjuncta, ejus, quod antea à nobis fuit destinatum, aut effe-
 ctum. Consensus dicitur simplex ad probatio mediocri, quatenus uti-
 lia judicantur ad finem; quæ media, ubi in nostra potestate sunt sita, ele-
 ctio ad finem obtinendum destinatur, & usus adplicat. Actus imperatos
 vocant, qui ab aliis hominis facultatibus, per voluntatem motis, execu-
 tionem dantur.

§. 2. Libertatem vocant facultatem voluntatis, qua positis omni-
 bus adagendum requisitis, ex pluribus objectis propositis unum vel ali-
 qua potest eligere, reliqua rejicere; aut uno duntaxat proposito id admit-
 tere, vel non admittere, agere vel non agere. Requisita ad agendum aliàs
 vocabulo occasionis comprehendi solent, à quibus ultima agentis de-
 terminatio tanquam separatum quid concipitur; quippe qua ad cætera
 requi-

requisita accedente, actio utique sequitur. Si ut ista requisita contradistinguantur ei, quod ab homine ad actiones accedit. Peculiariter autem facultatem ex pluribus objectis unum vel aliqua eligendi libertatem specificationis, seu contrarieratis; facultatem circa unius duntaxat objecti electionem aut rejectionem versantem, libertatem contradictionis seu exercitii adpellant. Intelligitur autem spontaneitati superaddere libertas tum indifferentiam suorum actuum quoad exercitium, ita ut voluntas alterum actuum suorum, nempe velle & nolle, non necessario eliciat; sed circa objectum propositum particulare (nam in universum non potest non in bonum qua tale ferri, & malum qua tale averfari,) utrumlibet elicere possit, etsi fors ad hunc magis, quam ad illum propendeat: tum liberam determinationem, ita ut voluntas ex intrinseco impulsu alterutrum actuum suorum, velle aut nolle, heic & nunc eliciat. Est tamen & hoc addendum, etsi ut alicui res quæpiam adpetenda vel fugienda videatur, id à voluntate non dependeat, sed ab objecti conditione, prout id boni vel mali faciem repræsentat; tamen ista appetitio & averfio, quæ objecti velut faciem sequitur, non est adeo efficax, quin voluntati adhuc supersit libertas ad actum externum circa id objectum sese determinandi; præsertim cum unius mali facies tantisper velut adpetibilis reddi possit, ad latus posito alio malo. Inde ad elidendum dogma *Hobbesii de homine* c. XI. §. 2. quasi appetitio & averfio necessario sequatur præconceptum jucunditatis & molestiæ, ex ipsis objectis adfuturæ, eoque libero arbitrio nihil loci relinquatur, accurate volitio simplicis adprobationis ab efficaci seu proaversi est distinguenda; quarum hæc non ita necessario ab objectis particularibus dependet. In sequentibus verbis inanem adhibet subtilitatem, dum tradit: *quando dicimus liberum alicui esse arbitrium hoc vel illud faciendi, semper intelligendum esse cum apposita conditione hac, si voluerit. Nam ut quis liberum arbitrium habeat faciendi hoc vel illud, utrum velit nec ne, absurde dicitur.* Nemo quippe est tam stupidus, quin videat, id contradictionem implicare. Et stultum est, id ipsum, quod propositio asserit, eidem tanquam conditionem velle adjicere. Homo libere potest velle aliquid facere, si velit, est perinde ac si dicerem: Petrus currit, si currit. Quis hanc adjectionem conditionem vocaverit? Adparet

paret quoque ex dictis, quid sentiendum sit de traditis ab *Antonio le Grand Inst. Philos. Cartes. part. 7. art. 5.* Quasi non possit non homo adpetere, quod clare & distincte tanquam bonum percipit, & vice versa; quodque adeo homo peccet, quia malum non clare & distincte percipit.

§. 3. Coeterum primaria voluntatis affectio, & quæ immediate ex ipsius natura emanare videtur, est quod intrinsece ad certum, fixum, atque indeclinabilem agendi modum non sit adstricta, (quod tantisper *indifferentiam* vocabimus,) & quod isthæc intrinseca ipsius indifferentia per extraneum aliquod medium penitus extirpari nequeat. Idque eo firmius est tenendum, quod ista sublata actionum humanarum moralitas funditus simul tollatur. *Arrianus in Epicteto. l. 1. c. 17. Quis appetitionem vincere possit? Alia appetitio. Quis desiderium & aversationem? Aliud desiderium, & alia aversatio. Qui mihi mortis metum objicit, cogit me, inquit. Non id quod objicitur; sed illud quod prestare tibi videtur, aliquid istiusmodi committere, quam appetere mortem. Hic igitur etiam tua te coëgit opinio, hoc est, voluntatem voluntas. Idem l. 1. c. 29. ἡ ποσὶ πρῶτον εἰδὲν ἄλλο μὴ εἶναι δύνανται πλεονάζειν ἐαυτῶν. Voluntatem nihil vincere potest, nisi ipsa sese.* Add. *Simplicius ad Epicteti c. 1. p. m. 22.* Atque hoc revera facere certendi sunt, qui nescio quam prædeterminationem physicam in actibus humanis fingunt, ex qua ipse quidem motus in se, ut consideratur tanquam ens physicum, à causa prima ita sit determinatus, ut non possit non eo quo determinatus est, modo fieri, cui deinde à causa secunda moralitas accedat. Neque minus illi, qui ex præscientia divina absolutam actionibus humanis accedere necessitatem volunt. Quæ licet falli nequeat, tamen quod ideo non statim tollatur voluntatis indifferentia, facile concipi potest, si vel vocabulum præscientiæ, uti alia, quæ à rebus humanis petita Deo adplicantur, ab imperfectione, quam innuit, depuremus; (quippe cum in Deo nulla sit temporum successio;) vel dicamus, concursum divinum ita causas secundas comitari, ut hisce relinquatur agere illo modo, quem Deus ipsis assignavit; adeoque ut ne circa actiones morales ex classe causarum principalium inter causas mere instrumentales detrudantur. Add. *Lucian. Minoë, & Iove confutato. Ant. le Grand Inst. Phil. Cart. part. 8. c. 17. & 18.*

Quar-

Quantopere autem reip. noxia sint ejusmodi dogmata, bene monet *Grotius opusc. de dogmatis reip. noxiis. Liberum arbitrium si qui plane tollunt, evadere vix possunt, quin Deum omnium scelerum causam faciant, quod in rep. minime esse tolerandum dixit Plato (de rep. l. II. τὸ κακὸν ἀλλ' ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐστὶν τὰ ἀγρία, ἀλλ' οὐ τὸ θεῖον. Malorum quamlibet aliam prater Deum causam quarere decet.) Nec temere Suetonius (cap. 69.) Tiberium ideo ait religionum fuisse contemtorem, quod omnia fato agi crederet, assentiente ad Timaeum Proclo, qui tria ait eorum, quos atheos vocat, esse genera: primum eorum, qui Deo curam esse rerum & actionum humanarum non agnoscunt: tertium illorum, qui Deo talem tribuunt curam, qua necessitatem animis imprimat agendi quaecunque aguntur, nulla relicta homini libertate. Salustius philosophus de diis & mundo C. 9. τὸ ἡ ἀδικίας τε, & ἀσελείας ἐκ τῶν ἑμπαρμίης διδόνται, ἡμᾶς μὲν ἀγαθὸς, ἡ δὲ θεῶν ποιῶν ἐστὶ κακός. Injustitias, & per lasciviam ac petulantiam commissa scelera ad fatum referre, nos quidem probos, Deos vero nequam ac scelestos efficiet. Apud Plautum *Aulular.* cum unus diceret: *Deos credo voluisse, nam ni vellent, non fiet, scio: lepide regerit alter; at ego Deos credo voluisse, ut te apud me in nervo enicem.**

§. 4. Sed ut ista voluntatis indifferentia recte intelligatur, de natura boni in genere quædam monenda sunt. Et quidem licet bonum à quibusdam Philosophis etiam absolute consideretur, sic ut omne ens, quod revera existit, bonum esse feratur; nos tamen, non attendita hac significatione, cujus nullum usum perspicimus, bonum hæcenus tantum consideramus, prout idem respectum ad alios habet, & prout idem bonum alicui vel pro aliquo esse intelligitur. Quo intuitu natura boni consistere videtur in aptitudine illa, qua res quæpiam alteri prodesse, eandem conservare, aut perficere idonea est. Et quia hæc aptitudo ab ipsa rerum natura, & nativa aut per industriam adaptata habilitate dependet; ideo isthoc bonum, quod *naturale* possumus vocare, firmum est, atque uniforme, & nequaquam ab erroneis aut variis opinionibus hominum dependens. Quia autem bonum ad petendum hominis ultroneum non excitat nisi cognitum, saltem sub confusa notione; & vero cognitio velut sensualis satis crasse rerum genuinam indolem, & quæ inde provenire apta sunt repræsentet, ipsi quoque intellectui sæpe errores obrepant, sensuumq; atq; affectuum impetibus velut obstrepant: inde fit, ut alii notionem boni falso alicui rei imponant, unde oritur bonum, quod vocant *imaginariū.*

Et

Et de cætero singuli homines quamlibet rem, quantum in ea sui commo-
 di, suæque conservationis & perfectionis rationem contineri intelligunt.
 eandem etiam appetunt amantque; ac vice versa prout malum concipi-
 unt, ita & illud averfantur. Uti tamen ad rationem boni, ejusque vim
 eliciendi adpetitum non præcise requiritur, ut illud consideretur præcise
 tanquam soli adperenti bonum, & prout abstrahit à commodo aliorum,
 præsertim cum ob socialitatem & conjunctionem hominum aliorum
 bonum in nos quoque redundare possit: ita inter omnes homines satis
 concors est consensus circa generalem boni naturam, ejusque partes &
 species præcipuas, ut propter dissensum circa particularia quædam haut-
 quidquam neganda videatur vel generalis, eaque inconcussa & uniformis
 boni notio, vel illa unice in libertate naturali abs cujusvis, in civitate à
 summi imperantis opinione dependere, eaque sola merienda tradi debet.
 Add. *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 3.* ubi quos *Hobbes* circa indo-
 lem boni tradit errores, refellit, & c. 1. §. 20. Sed de bono *moralis*, quod
 in actionibus humanis cernitur, infra suo loco agitur. His ita præmis-
 sis, manifestum est, hanc esse voluntatis naturam, ut bonum in genere
 semper adpetat, malum in genere semper aversetur. Nam con-
 tradictionem non obscure implicat, non ferri in id, quod con-
 gruum tibi vides, & ferri in id, quod non congruum tibi ju-
 dicas. Atque in istac voluntatis inclinatione velut generali nul-
 la poni indifferentia potest, quasi perinde voluntas bonum, atq; malum
 adpetat adpetitu simplicis adprobationis. Verum circa particularia de-
 mum bona & mala indifferentiæ suæ vires exserit voluntas singulorum
 hominum, peculiaribus momentis in diversa-proclivium. Idque hanc
 ob causam, quod tantum non omnia bona & mala homini haut quid-
 quam adpareant velut pura, & simplicia, sed invicem mixta, mala bonis,
 bona malis. Quo cum accedat in singulis hominibus ad peculiaris quæ-
 dam singularis inclinatio, neque omnibus solida & duratura à fucatis &
 momentaneis liceat discernere; inde infinita fere in voluntatibus ac stu-
 diis hominum solet oriri varietas, & omnes suum sibi bonum, sed diver-
 sa via quæsitum erunt. Imò & multi, quæ sibi bona sunt, ignorant, eoq;
 non adpetunt; multi præ adparente facie mali, bonum adjunctum non
 æstimant, eoque rejiciunt, quod adpetendum erat; & contra adpetunt,
 quod fugiendum erat. Quo facit illud *Aristotelis Nicom. III. c. 6.* ἀρα φα-
 λείον, ἀπλῶς μὲν καὶ ἀλήθειαν, βελήϊον εἶναι τὰ γὰρ θόν. ἐκείνο δὲ τὸ φαιβέμενον.

H

Num-

Numquid dicendum, simpliciter quidem ac vera voluntate adpetibile esse id, quod est bonum: unicuique vero id, quod videtur unicuique. Possis huc adplicare illud *Guntheri Ligmino l. 3. Tantum falsa loquendo Fallere nemo potest: veri sub imagine falsum Influit, & furtim deceptas occupat aures.* Sic igitur circa quamlibet fere rem & actionem sese offerunt simul species bonorum & malorum; verorum aut adparentium, quæ postquam animum hinc inde traxerunt, tandem ad alterutram se partem voluntas intrinsece determinat. Et quæ hoc modo suscipitur actio, spontanea dicitur, de qua *Arist. Nic. III. c. 13. τὸ ἐξ ἑαυτοῦ δόξαι αὐτῶν, ἢ ἢ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἶδόντι τὰ κατ' ἑαυτῶν ἐν δὲ ἀπὸ πρῶτον.* Spontaneum illud videbitur, cuius principium est in eo qui agit, particularia cognoscente, in quibus actio consistit. Ad quem locum *Erstratius: Vtraque hæc particula ad spontaneum constituendum necessaria sunt, ut scilicet & principium sit in agente, & agens particularia cognoscat. Nam & qui ex ignorantia agit, in se agendi habet principium; & qui particularia cognoscit, agere violentia inductus potest.*

§. 5. Enimvero non semper contingit, ut velut in æquilibrio positus animus citra ullum accedens momentum sese ad agendum vel non agendum adplicet. Quin sæpenumero per varias causas versus unam partem vehementer trahitur; aliquando exterior violentia ita graviter incumbit, ut illius vires non amplius locum invenire censeantur. Quemadmodum non semper secundo vento pelagus decurrit navita; sed aliquando transversa licet frementibus Zephyris clavum tenet tamen, aliquando gubernaculo penitus excussus procellarum libidini navem committere cogitur. Inter illa igitur, quæ voluntatem hominis versus alterutram partem vergere faciunt, sunt peculiare ingeniorum dispositiones, quibus ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur; quales tam in integris nationibus, quàm in singulis hominibus deprehenduntur. Circa quas producendas non exiguam vim habere videtur cœli nos ambientis, solique genius, (*Lucanus l. 8. Emollit gentes clementia cœli. Herodotus Calliope: natura comparatum est, ut è mollibus regionibus molles viri existant, neque ex eadem terra admirandæ fruges, & egregii bello viri gignantur.* Add. *Charron de la Sageffe l. I. c. 42.*) humorum in corporibus temperatura, ex ipso semine, ætate, victu, valetudine, studiorum ratione, aliisque causis proveniens, conformatio organorum, queis animus ad fun-

ad functiones suas obeundas utitur, & similia. Add. *Hobbes de Homine* c. 13. & *Bacos de Verulamio de augment. scient.* l. 4. c. 1. Circa quæ omnia id tenendum, nulli harum tantam esse vim, ut voluntas nullo modo possit in diversam partem pertendere, in quantum istæ spectant ad actionem aliquam moralem producendam. *Horat. II. sat. 8. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit. Si modo cultura patientem commodat aurem.* Socrates ap. *Xenophontem Apomnem.* l. 1. πάντα μὲν ἔν ἑμοίῳ δοκεῖ τὰ κατὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀεὶ εὖ εἶναι. *Mibi quidem videtur omnia bona atque honesta homines exercitatione consequi posse.* Et quanquam impetus aliqui ex corporis constitutione orti, quo minus existant, aut aliqua in actum erumpant, per voluntatem prohiberi quandoque non posse videantur; id tamen saltem effici poterit, ut sine peccato erumpant. Sic si aliquis adeo validis in Venerem stimulis agitetur, ut eos reprimere non valeat; id tamen penes ipsum erit, ut citra peccatum iisdem satisfaciat. Vid. *1. Corinth. VII. 2.* Et *Plato l. IIX. de legibus* recte disputat, posse etiam in Græca civitate per leges reprimi nefarias libidines in eundem sexum, ut ut istæ apud eam gentem in publicos mores tunc invaluissent. Idem sentiendum de illis, quæ apud *Horatium de arte poetica*, & passim de moribus ætatum traduntur. Sic sint ad avaritiam proclives senes; penes ipsos tamen erit, citra aliorum injuriam rem querere, nec alios suis bonis injuste fraudare. Add. *Huartes scrutin. ingeniorum.* c. 5.

§. 6. Valde quoque voluntatem in certas actiones inclinat frequens earundem actionum repetitio, & consuetudo, per quam efficitur, ut expedite & libenter actio aliqua suscipiatur, objectoque præsentem in id velut trahi animus videatur. Atque ejusmodi inclinationes cum lubricitate ac dexteritate agendi conjunctæ *habituum* vocabulo solent vulgo venire; qui quatenus circa actiones morales, bonas & malas occupantur, virtutes & vitia nuncupantur. In quibus enumerandis non est quod & nos defatigemur, cum hactenus plerique, qui philosophiam moralem se tradituros professi sunt, magnam disciplinæ suæ partem, explicatis undecim virtutum vocabulis, repræsentasse se crediderint. Illud tantum in genere monuisse sufficiat, virtutes esse illas animorum dispositiones, quibus inclinantur homines ad actiones, se ac societatem humanam conservantes; & vitia contra, quibus proclives redduntur agere illa,

quæ ad seipfos & societatem destruendam tendunt. Quo loco etiam notandus est *Hobbesius de homine* c. 13. §. 9. qui tradit, *nisi in vita civili virtutum & vitiorum communem mensuram non inveniri*: Eoque talem non dari in naturali statu, qua virtus aut vitium æstimari & definiti possint. Sane enim definitio à nobis proposita etiam in naturali statu locum invenit. Ad quam exigenda sunt, quæ in civitatibus tanquam virtutes præcipi debent. Et si in civitate aliquid præciperetur, in quod ista definitio non quadrat, id præceptum absurdum erit habendum. Varietas, quæ in legibus diversarum civitatum conspicitur, non efficit, ut non detur communis aliqua & uniformis definitio virtutum. Nam ea diversitas vel versatur circa ea, quæ extra leges naturales sunt; vel oritur inde, quod præcepto alicui legis naturalis alicubi vis legis civilis sit tributa, alicubi non; vel denique indicio est, quosdam legislatores sanam rationem non habuisse propitiam. De quare infra plura. Porro quanquam vitia prævique mores diuturna assuetudine inolit, in naturam fere videantur abire, sic ut ægerrime iis resistatur: (*Calpurnius Flaccus declam. 2. Vbi semel pudor corrui, nulla inclinatis in vitium animis ruina deformis est.*) & *Lucianus adversus indoctum*: ἡδὲ γὰρ κύων ἀπαξ παύσαι ἀν αυτοφαγῶν μαθῆσα: neque enim canis ad corium edendum adsuesfacta facile desierit. Add. *Baco sermon. fidel. c. 37.* non ideo tamen inde profectæ actiones inter spontaneas censeri desinunt. Quin etiam, licet illæ actiones, quibus habitus introducit, quæque cum præcedunt plenioribus cum proaresi & intensiore cum conatu suscipiantur, quam quæ post contractum habitum fiunt, ubi velut ultro & citra jussum voluntatis facultates reliquæ in objectum ruunt: nihil tamen inde bonitati aut malitiae earundem videtur decedere. Nam sane inconveniens fuerit, ut ideo actio bona minoris sit, quia ab eodem crebro fuit exercita; aut ut ideo minus quis censeatur peccasse, quia sæpe peccavit. Præsertim cum quilibet ipse in causa fuerit, quare ita facile & expedite ageret. Quo facit *ilud Aristotelis Nicom. III. c. 8.* ἔχ ὁμοίως αἱ πράξεις ἐκείσοι εἰσι, καὶ αἱ ἕξεις. τῶν μὲν γὰρ πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους κύριοι εἰσιν, εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα τῶν ἕξεων δὲ, τῆς ἀρχῆς. τῶν καθ' ἕκαστα δὲ, ἢ πρόθεσις ἢ γνώμη, ὡς περὶ τῶν ἀρέσων. ἀλλ' ὅτι ἐφ' ἡμῖν ἦν, ἄτως ἢ μὴ ἔτω χεῖρα δαί, δὲ τὸ ἐκείσοι. Non simili modo actiones spontaneæ sunt, atq; habitus; actionum enim à principio usq; ad finem domini sumus, cum singula quæq; cognoscamus: at habituum principii tantum

tantum facultas in nobis est: singulorum autem additio non nota, quemadmodum in agrotationibus, quoniam tamen erat in nostra potestate vel ita, vel non ita uti, etiam habitus ipsi spontanei sunt. Ad quem locum Eust. atius: Habituum principii tantummodò facultatem habemus, incrementi ac finis non ita. Additio enim & incrementum eorum ignoratur, ac non advertitur: quippe cum sensim ac latenter augmentum accipiant; atq; ulterius aliquando in improbitate ac vitiis progrediantur nonnulli, quam voluissent. Vt in ebrietatibus ac libidinibus videre licet, in quibus quandoq; paulo liberius homines atque incautius progredientes, quasi in nostra potestate sit habitus acquirere, habitum continuatis actionibus imprudenter contraxere. Neque in vitiis solum additamenta atq; incrementa non percipiuntur, sed in virtutibus quoq; profectus ipsi latenter fiunt, ut advertere, nisi ubi profecerit, queat nemo.

§. 7. Non parum quoque voluntatem versus certas actiones impellunt motus animi, objecta potissimum specie boni aut mali excitati, quos affectus vocant; præterquam quod iidem non parum iudicium intellectus obfuscant. Pindarus Olymp. od. 7. αἰ δὲ φρεῖων ταραχὰς περιπλαξάν τῆς σοφίας. Mentis autem perturbationes in errorem impellunt etiam sapientem. Qui quotuplices sint, & qua ratione excitentur ac sopiantur, quemque usum illi habeant, argute cum primis tradidit Cartesius de passionibus, & Anton. le Grand. Inst. Phil. Cartes. P. VII. c. 9. Quicum etiam conferri potest Hobbes Leviathan c. VI. & de Homine c. 12. Illud instituto nostro sufficit annotasse, affectus ut cunq; vehementes voluntatis vim! haut quidquam omnino extinguere: quin illos ipsos quoq; qui imbecilliores animas habent, posse acquirere imperium absolutissimum in omnes suas passiones, si sat industria adhiberetur ad eos instituendos & dirigendos; quos ostendit Cartes. d. I. art. 50. Cicero Tusc. Qu. 1. 3. Animorum omnes morbi & perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Et fallit Medea ap. Ovidium met. 7. quando dicit: sed trahit invitam nova vis; præsertim cum ipsa dictamen rationis affectui reluctari agnoscat; aliudq; cupido, mens aliud suadet. Video meliora proboque, deteriora sequor. Non insuper quoque habendum, quod tradit Grotius ad Matth. c. V. v. 22. diversa esse τὸ πάθος, τὴν δὲ μὲν, & τὴν συγκατάθεσιν. πάθος ipsum, seu facultatem, qua irasci possumus, τὸ θυμοειδὲς à natura nobis insitum evelli non posse, & esse in rebus mediis, quibus recte aut secus uti liceat. Quia autem pars animi, in qua sunt τὰ πάθη, per se est ἀλογόν, inde fieri, ut non expectato rationis iudicio ἐβμαι sese exserant: quæ nisi diligenter

diligenter refrænentur, solere sequi *συγκατάθεσις*, cum scilicet pars illa, quæ data est moderandis affectibus, habens remissis trahi se patitur. Esse autem *συγκατάθεσις* voluntariam, fierique hominis arbitratu. Sed & primos illos motus, quos Philosophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invalescant, diligenti attentione & exercitatione, ante omnia vero Dei Spiritu obtineri solere. *Seneca de ira II. 4.* Sed & peculiaaria homini instrumenta à natura esse data moderandis affectibus simulq; maximam vitæ & valetudini hominis noxam, præ reliquis animalibus ex violentis & male coërcitis affectibus imminere, eoque ad eosdem temperandos majorem homini necessitatem incumbere, docet *Rich. Cumberl. de leg. nat. cap. 2. §. 26. 27.* Deinde cum affectuum alii excitentur specie boni, alii specie mali, & stimulent ad acquirendum aliquod bonum, aut declinandum malum; id discriminis inter eos observatur, quod illi parum aut nihil excusationis afferant, si quid eorundem impulsu secus quàm decebat, factum fuerit; hi autem eo plus veniæ habeant, quo infestius naturæ humanæ minatur malum, quod ipsos excitaverat. Longe quippe facilius est carere bono, ad naturam conservandam non necessario, quam excipere malum ad naturæ destructionem tendens; quicquid *Aristoteles Nicom. II. c. 2.* pronunciet *χαλεπώτερον ἢ δονῆ μάχεθαι, ἢ θυμῶ, Difficilius voluptati repugnare, quam iræ.* Et si quis titillanti libidini obtemperans male egerit, intelligitur pro præsentī voluptate eventuri inde mali aleam subiisse; adeoque cum jam fructus fuerit aliqua re, quæ ipsius iudicio tanti erat, quanti periculum secuturi inde mali, nullo prætextu ut malum id sibi mitigetur postulare potest. Ast qui terrore malī imminentis quid secus commisit, ei humanæ teneritas naturæ vehementer patrociniatur, quod levissimo malo, ut ipse iudicabat, voluerit defungi. Qua de re alibi prolixius erit agendum.

§. 8. Denique voluntatem ad certum genus actionis non parum iritat ebrietas, ex potu potissimum, aut fumis, vel etiam ex opio, per magnam Orientis partem avidissime usurpato, proveniens; quæ violento motu spiritus atque sanguinem impellit, & perturbat, & ad libidinem cumprimis, (*Propertius l. 4, Potæ non satis unius erit*), iracundiam, atque temeritatem homines proclives reddit: sic ut *Lycurgo* vinum dicatur *malum medicamentum, quod mentes immutaret. apud Hygin. fab. 132. Isocrates ad Demonicum: Cum vino mens corrupta fuerit, idem ei quod curribus evenit,*
è qui-

è quibus auriga sunt excussi. Nam ut hitemere feruntur, carentes gubernatori-
 bus; sic animus in multa delicta impellitur, mente subversa. Eoque lex Mi-
 nois apud Cretenfes talis extabat: μή συμπίνοι ἀλλήλοις εἰς μέθην, non com-
 potare invicem usq; ad ebrietatem. Plato Minoë. Add. Plinius N. H. l. 14. c. 22.
 Aristophanes *Vespis*. κακὸν τὸ πίνειν. ἀπὸ γὰρ δινε γίνεται καὶ θυροκοπήσαι, καὶ πα-
 τάσαι, καὶ βαλεῖν καὶ πῶσι δῶποτινεῖν ἀργύριον ἐν κραπέλαις. Potasse valde noxium
 est: vinum facit pultare januam, & fores confringere, tum pendere ara post
 solutam crapulam. Apud Indos ebrietas summopere improbatur, quam
 inter quinque gravissima peccata numerant, quæ sunt 1. Cum matre con-
 cubere, sub qua continetur etiam noverca, & uxor præceptoris. 2. Bra-
 minem occidere. 3. Aurum furari. 4. Inebriari. 5. Conversari cum illis,
 qui hæc faciunt. Manilius *Astrom.* l. 5. *Ardescit vitio vitium, viresq; mini-
 strat Bacchus, & in flamma sævas excuscat iras.* Machometes religionis
 subsidio fuit usus, ut avidissimas vini nationes ab ejusdem usu abstrahē-
 ret. Hanc qui sponte contraxerit, siquidem ipsius effectus apud se no-
 tos habebat, aut præsumere poterat, non magis sibi per eam commissa
 delicta ne imputentur postulare potest, quam queri de imbre in domum
 descendente, qui rectum suum ipse per petulantiam dejecit: *Plaut. Au-
 lular.* *Nimis vile est vinum, si ebrius impune facere, quod lubeat, licet.* Et si in
 actibus indifferentibus, & quos suscipere vel omittere in cujusvis est arbi-
 trio, ipsa, ubi mentem nimis obfuscavit, id efficiat, ut ne actum ille effe-
 ctus sequatur, qui secururus erat, si deliberato fuisset animo susceptus.
 Et isthæc quidem fere sunt, quæ voluntati vergentiam velut physicam
 adferunt. Moraliter autem maxime eandem inclinatur, aut certe inclina-
 re debet obligatio; quæ tamen, quantacunque sit, neque intrinsecam vo-
 luntatis libertatem tollit, neque actionem reddit invitam, ut ut tendente
 forsitan in diversum libidine. Quo adplicare possis illud *Aristot. Nicom.*
 III. 3. ἀποποιεῖν τὸ ἀκέραια φάσαι, ὡς δὲ ἐγγύδιαι. *Absurdum est, invita ea esse di-
 cere, qua oportet appetere.* Dicimus autem, quod voluntatem inclinare
 debet obligatio. Nam ea est humani ingenii pravitas, ut sæpe ipsum
 interdictum peccandi libidinem accendat. *Ovidius Amorum* III. *El.*
 4. *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Quicquid serva-
 tur, cupimus magis: ipsaque surem Cura vocat. Iuvat inconcessa vo-
 luptas. Cui peccare licet, peccat minus. Ipsa potestas Semina nequitia lan-
 guidiora facit.* Id quod pressius referre possis partim ad pravam
 curiositatem mortalium, quibus omne ignotum pro magnifico est;
 quam

quam opinionem asperitas interdicti, & sollicitudo custodiae vehementer confirmat; partim ad odium & contumaciam adversus vetantem, qua dedignamur libertatem nostram circumscribi ab eo, in quem malè affecti sumus. Cum contra amoris sit, libenter sese amati placito adplicare.

§. 9. Præterea & hoc observandum, voluntatem quandoque ab imminentibus gravissimis malis, & quæ communem animi humani firmitatem judicantur excedere, ita vehementer urgeri, ut in aliquid suscipiendum consentiat, abs quo extra illam necessitatem constituta maxime abhorrebat. Quales actiones solent vocari mixtæ ex spontaneis & invitis. Hactenus enim spontaneæ sunt, quod utique principium est in agente; sciente singula, quæ actioni insunt; quodque adeo voluntas pro præfenti tempore & necessitate in eas fertur, tanquam minus malum, aut partem mali, cum alias totum, aut majus malum foret subeundum. Id quod pro præfenti conditione naturam boni imitatur, quatenus utrumque simul non potest declinari. *Aristot. Nicom. V. c. 7. Εἰν ἀγαθῷ λόγῳ γίνεταί τὸ ἐλαττον κακὸν πρὸς τὸ μείζον.* Minus malum, si ad majus comparetur, boni locum obtinet. *Quintil. Inst. Or. l. 7. c. 4. In comparatione malorum boni locum obtinent levius.* Huc pertinet & illud *Arist. Nic. III. c. 1. ἀπλῶς ὁδὲ εἰς ἀποβάλλεται ἰκῶν. ὅπῃ σωτηρία ἢ αὐτῆ καὶ λοιπῶν ἀπαντες οἱ νῦν ἔχοντες. μικτὰ μὲν ἔν ἐσιν ὡς τοιαύτα πράξεις, εἰσὶ καὶ ἢ μᾶλλον ἑκουσίως.* Nemo sponte absolute sua abjicit, sed ob salutem tum suam, tum aliorum omnes, modo mentis sint compotes, facere id videntur. *Mixtæ igitur hujusmodi actiones cum sint, spontaneis tamen magis sunt similes.* Ex invito autem ejusmodi actiones id trahunt, quod ad eas contra suam inclinationem voluntas adigatur, nunquam eas susceptura, si gravius malum alia via liceret effugere. Quam ob causam id quoque cum invitis actionibus habent commune, quod effectus morales, qui alias actiones mere spontaneas consequuntur, in hisce omnino aut saltem ex parte deficient. Quanquam enim interdum tam rigida alicui obligatio injungatur, ut ne per intentatam quidem mortem, quæ inter naturalia mala terribilissimum habetur, ab ea discedere debeat: tamen ubi ista expressè non adparet, haut quidquam facile eadem præsumitur, tanquam conditione humana asperior; & ubi illa deest, stultum fuerit, non minima quaque parte mali velle defungi. Unde nonnulla, quæ alias extra talem casum perpetrata reprehensionem erant meritura, si propter incumbentem ejusmodi necessitatem suscipiantur, ab aquis hominibus

minibus laudantur; alia commiseratione magis, quam indignatione digna habentur; alia excusatio penitus aut ex parte prosequitur, in quibusdam denique odium ac culpa actionis in alium devolvitur, eo, qui factum executus est, innocente declarato. Quo pertinet illud *Aristotelis Nic. III. c. 1.* *Ob hujusmodi actiones interdum etiam laudantur homines, cum pro magnis & honestis rebus turpe aliquid, i. e. indecorum, aut molestum sustinerint. Ob nonnulla vero laus quidem minime, sed venia exhibetur, cum ea, qua non debet, agit quispiam ob ejusmodi, qua & humanam naturam excedunt, & à nullo sustinerentur. Quaedam autem fortasse sunt, ad qua perpetranda nemo cogi, compelli ve potest: sed potius extrema quaeq. pati ac mori convenit.* Add. *Eustratius ad d. l.* Ubi tamen nescio an in Episcopo cum primis Christiano probari possit, quod is actionis mixtae exemplum tale proferrat; rem habere cum aliena uxore turpe cum sit, efficitur non turpe, si interficendi tyrannici causa fiat.

§. 10. Denique cum ad spontaneum requiratur, tum ut principium motus sit in agente, seu ut agens voluntatis suae impulsu ad agendum accesserit, tum ut sciverit, quid ageretur; adparet, ubi alterutrum horum aut utrumque deficit, actionem reddi invitam. *Aristot. Nic. III. c. 1.* *δοκῆ ἀκούσια εἶναι τὰ βία, ἢ δι' ἀγνοίαν γινόμενα. Videntur invita ea esse, quae aut vi, aut ignorantia efficiuntur.* Circa posteriora recte monet. *Id. ib. c. 2.* *τὸ δὲ τοιαύτην τὴν ἀγνοίαν ἀκούσιον λεγομένου, ἔτι δὲ τὴν ἀρᾶν λυπηρὰν εἶναι καὶ ἐν μίση καὶ ἐν φόβῳ. Oportet, ut actio, quae ex tali ignorantia involuntarie facta esse dicitur, dolorem ac poenitentiam afferat.* Coactum autem stricte dicitur, ad quod ab extrinseco principio validiore quis adigitur membra sua adplicare, ita ut averfationem, ac dissensum suum signis, & praecipue reluctancia seu renitentia corporali ostendat. Exempli causa *Aristot. Nic. III. c. 1.* affert: *οἷον, εἰ πνεῦμα κομισασίς ποιοῖ, ἢ ἀνθρώποι κύριοι ὄντες, quemadmodum si ventus aliquo, aut homines, qui potestatem habeant, nos detulerint.* Quo referri potest exemplum de navi rostrata vi tempestatis in portum Rhodiorum compulsa, quam quaestor ex lege publicare volebat; apud *Ciceronem de inventione l. 2.* Sic amici *Lucretiam consolantur agram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti; mentem peccare, non corpus: & unde consilium absuerit, culpam abesse* apud *Livium l. 1. c. 58.* Ista autem reluctatio in foro civili adfuisse praesumitur circa quaslibet actiones aut passionnes, quae communiter sponte admitti non censentur, ubi omnia signa

actualis consensus deficiunt; quæ nonnullis dicitur reluctatio interpretativa. Ut quando in lege Ebraica vim passa judicatur virgo, quicum in agro quis, remotis arbitris, concumbit. Inde *Philo Judæus de legibus specialibus*, negat legem patrocinari puellæ, quæ in solitudine lubens stupratorem admisit. Sicuti nec eadem nocet puellæ, quæ in urbe clamare non potuit, aut nequidquam clamavit. Est autem coactum aliquid in se, sed non in sua causa, quando quis in tali statu versatur in præsens, ut vim illatam repellere nequeat; in culpa tamen fuit, ut in istum statum perveniret. Quo referre possis stuprum Dinæ illatum *Gen. 34*. Debebat enim virgo inter ignotos non peregrinari. Coactum autem in se, & in sua causa simul est, quando aliquis etiam in culpa non fuit, ut in talem perveniret statum, quo per vim ad aliquid cogi posset. Dicimus, *si in culpa non fuit*, i. e. si aliquid præter officii aut prudentiæ leges non suscepit. Nam si quis munere sibi injuncto fungitur, vel alias jure suo utitur, nec temere aut inconsulto quid agit, ei si vel maxime vis ingruat, nihil poterit imputari.

CAPUT V.

DE ACTIONIBUS MORALIBUS IN GENERE,
DEQUE EARUNDEM AD AGENTEM PERTINENTIA,
SEU AD IMPUTATIONEM APTITUDE.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Actio moralis quid?</i> | 8. <i>Impossibilia.</i> |
| 2. <i>Ejus materiale,</i> | 9. <i>Coacta; ubi de mera executione.</i> |
| 3. <i>Et formale, ubi de causa morali.</i> | 10. <i>Per ignorantiam patratæ.</i> |
| 4. <i>Actio moralis formaliter considerata semper est ens positivum.</i> | 11. <i>Per somnum visa.</i> |
| 5. <i>Causa, & fundamentum, cur imputari quid possit, vel non.</i> | 12. <i>Mala futura.</i> |
| 6. <i>Imputari non possunt homini necessaria.</i> | 13. <i>Mala tamen actiones, etiam ex habitu profecta omnino imputantur.</i> |
| 7. <i>Vegetabilium facultatum effectus.</i> | 14. <i>Actiones alienæ quomodo imputantur.</i> |

POSTquam pro ratione instituti nostri intellectum, & voluntatem expendimus, tanquam principia, ex quibus actiones humanæ id trahunt

hant, ut peculiari ab actionibus brutorum classe censeantur; proximum est, ut de moralibus actionibus in genere dispiciamus, circa quarum rectitudinem aut pravitatem investigandam hæc disciplina quam maxime occupatur. Sunt igitur actiones morales actiones hominis voluntariæ cum imputatione suorum effectuum in vita communi spectatæ. Voluntarias actiones vocamus illas, quæ à voluntate hominis tanquam à causa libera ita dependent, ut citra ipsius determinationem, ab actibus ejusdem elicitis prævia cognitione intellectus profectam, non fierent; quæque adeo, ut fiant vel non fiant, in facultate hominis est positum. Quæ heic considerantur non quatenus sunt motus producti à potentia aliqua per naturam constituta, sed quatenus à decreto voluntatis, potentia ad utramque contradictionis partem flexi aptæ, proficiscuntur. Duo quippe involvit actio voluntaria; unum est quasi materiale, quod est motus potentia per naturam existentis, seu ejusdem exercitium in se consideratum; alterum quasi formale, quod est dependentia ejus motus seu exercitii à decreto voluntatis, secundum quam ut à causa libera, & seipsam determinante, decreta concipitur. Ipsum exercitium seorsim, & in se spectarum, distinctionis gratia actio voluntatis potius, aut à potentia volendi in homine proveniens, quam voluntaria dicitur. Enimvero actio voluntatis ulterius consideratur, vel in se & absolute, prout est aliquis motus physicus prævio voluntatis decreto susceptus; vel reflexive, quatenus effectus ejus homini imputari possunt. Quam reflexionem complexæ actiones voluntariæ speciali vocis usu dicuntur humanæ. Et quoniam ab istis actionibus, prout bene aut male ab aliquo obeuntur, seu prout ad legem tanquam normam suam congruunt, vel non congruunt, ita moratus aliquis denominatur, ipsæque animorum inclinationes, ex frequentibus resultantibus actionibus mores adpellantur; inde factum, ut ipsæ actiones humanæ moralium vocabulo designentur.

§. 2. Actionum moralium posteriori modo consideratarum essentia duo complectitur, unum velut materiale, alterum formale. Materiale est motus aliquis physicus potentia physica, puta, locomotivæ, appetitus sensitivi, sensuum exteriorum & interiorum, & intellectus quoad exercitium adprehensionis; (nam judicium ex qualitate obiecti ad parentem ita dependet, ut circa istud voluntatis directioni non sit locus, etsi in formando illo judicio non sint nullæ arbitrii & industriæ partes,)

imo & ipsius voluntatis actus, in esse suo naturali consideratus, seu prout præcise spectatur ut effectus aliquis, per potentiam à natura inditam quatalem productus. Nec non privatio motus alicujus physici, quem homo vel in se, vel in sua causa poterat producere. Nam non minus omittere quam committere poenæ fit aliquis obnoxius. Item inclinationes potentiarum naturalium in certa objecta, comparatæ per antecessas actiones voluntarias, saltem in quantum ad agendum stimulos subdunt. Neque tantum mei motus, habitusvè, aut utrorumq; privationes possunt esse materiale actionum mearum moralium, sed & isthæc omnia, ab aliis immediate profecta, siquidem à mea voluntate possunt ac debent dirigi. Sic Sparta amasii peccata amator luebat. *Ælianus V. H. l. 3. c. 10.* Quin & meis actionibus moralibus velut materiam præbere possunt actiones aut operationes brutorum, vegetabilium, & rerum inanimatarum, quæ sunt capaces directionis à voluntate mea proficiscentis. Hinc in ipsa lege divina domino imputatur damnum à bove corrupta datum, siquidem quadrupedis vitium ipsi antea fuerat notum. *Add. l. 1. §. 1. in fin. 2. 3. D. si quis drupes. l. 11. §. 5. D. ad L. Aquil. Lex W. sigothorum l. 8. tit. 4. c. 16.* Sic vinitor tenetur, si per ipsius negligentiam vitis omnem fecunditatem in sarmenta effudit. Sic ignis voracitatem luit, qui subiecit; vastationes à mari aut flumine datas, qui aggeres firmare neglexit, aut rupit. Apud Quintilianum *Inst. orat. l. 1. cap. 10.* argumentum declamationis ponitur *tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, actoque illo in insaniam, & per precipitia delato, accusatur, quod causa mortis extiterit. Idem l. 7. c. 3. Iuvencus, qui convivere solebant, constituerunt, ut in litore canarent. Vnius, qui cana defuerat, nomen tumulo, quem extruxerant, inscripserunt. Pater ejus à transmarina peregrinatione cum ad litus idem adpulisset, lecto nomine suspendit se; dicuntur hi causa mortis fuisse.* Denique & materiale actionum mearum moralium possunt esse admissiones seu receptiones actionum alterius, quatenus illa ut perpetrarentur, ego in culpa fui. Sic foemina ex parte imputatur stuprum violentum, si per temeritatem sese contulit in illa loca, ubi prævidere poterat vim sibi illatum iri.

§. 3. Formale actionis moralis consistit in imputativitate, ut ita loquar, per quam effectus actionis voluntariæ agentis potest imputari, seu tanquam ad ipsum proprie pertinens haberi, sive ipse agens effectum quoque

quoque physice produxerit, sive ut per alios produceretur, effecerit. Et ab hac actionis formalitate ipsum quoque agens moralitatis denominationem participat, & *causa moralis* adpellatur. Unde facile intelligitur, *causa moralis* proprie ac stricte loquendo formalem rationem in imputatione, sed terminaliter spectata, consistere; adeoque eam nihil esse aliud; quam agens voluntarium, cui effectus imputatur aut imputandus est, ideo quod ejus autor ex toto, aut ex parte extiterit; atque inde sive boni quid fuerit, sive mali, eidem in acceptis sit referendum, sic ut pro utroque rationem reddere teneatur. Sic *causa moralis* læsionis in altero est, sive quis ipsi propriis manibus caput tuber reddiderit, sive fuste id diminuerit, sive canes in eundem incitaverit, sive sicarios in eundem immiserit. Sic muli *causa moralis* est Ana. *Genes.* XXXVI. 24. Sic *causa moralis* diversi coloris in ovibus Labanis erat Jacob. *Gen.* XXX. 37. Sic *Lysasorat. contra Agoratum*, cujus delatione aliquot cives ad mortem erant compulsi, dicit: *ὡς ἂν αἰτιῶ τῷ θανάτῳ, ἢ τῶν αὐτοῶν ἐστὶ.* Qui itaq; *causa* ipsi fuit mortis, hic est manifestarius. Ovidius *Heroid. ep.* 1. 2. *Phyllida Demophoon leto dedit, hospes, amantem; Ille necis causam præbuit, ipsa manum.* Et si non semper, qui nudam occasionem præbuit, ut aliquid ab altero fieret, facti *causa moralis* potest haberi. Unde stolidi erant, non crudelis solum sententia Cn. Pisonis apud *Senecam de ira* l. 1. c. 16. qui rationem, quare duci juberet militem, ob cujus occisi suspicionem alter damnatus erat, hanc aliebat: *te duci jubeo, quia causa damnationis commilitoni fuisti.* Neque valde videtur opus esse, ut cum *Autore dissertationis de principis justis & decori*, p. m. 161. distinguamus inter *causam* moralem *per se, & per accidens.* Nam & obscurus est iste terminus, *causa per accidens*, ac inanibus litigiis ansam præbere aptus; & cui nullus effectus actionis recte imputari potest, eum *causam* moralem per accidens haut quidquam dicemus, si vel maxime ad materiale actionis quid contulerit. Et si hoc manifestum sit, ad ipsam imputationis gravitatem non parum interesse, principaliter actio ab aliquo profluxerit, an minus principaliter. Item directe quis effectum aliquem intenderit, an ille per agentis incogitantiam, aut per aliam velut concomitantiam, secutus fuerit. Ex hoc enim contingit, ut alicui actio imputetur non velut contra justitiæ, sed contra prudentiæ, aut providentiæ leges admissa; utque adeo aliquis non malitiose, sed imprudenter duntaxat aut præcipitanter egisse judicetur.

tur. Non tamen abs re fuerit paulo pressius nonnulla expendere, quæ eo loco traduntur. Initiò igitur tale axioma ponit : *Quicquid sua natura malum est, ita ut nunquam bonum fieri possit; illud per accidens sequi potest ad usum aut defensionem mei juris extra peccati labem, neque idco teneor temperare ab usu juris mei.* Similem regulam proponit quoque Grotius l. 3. c. 1. §. 4. sed quam ibidem, & l. 3. c. XI. §. 9. bene restringit. Pergit; *per accidens aliquod peccatum sequi dicitur ad alium actum liberum, cum ad usum rei, ad quam jus habeo, sequitur aliquis effectus, ad quem producendum, extra illum usum rei jus non habeo.* Exempli loco adduci posset, quod à Theologis vulgo scandalum acceptum dicitur; circa quod tradunt, non debere aliquem actionem honestam, piam, & debitam omittre, si vel maxime pravus quispiam homo sit offendendus; idque exemplo Salvatoris nostri confirmant. Enimvero vel ob hoc ipsum exemplum abstinendum fuerit à vocabulo causæ per accidens; quia ne cum hoc quidem additamento pium est, causam mali nominare omnis boni fontem. Sed potius dicendum fuerit, illum, qui bonam, & necessariam actionem edit, nullo modo esse causam ejus peccati, quod alter ansa inde arrepta perpetrat. Ad eundem fere modum, quo dicimus: qui jure suo utitur, nemini injuriam facit. Quod porro addit; *cum quilibet jus habeat sanitatem suam conservandi, licere medicata potione uti ad recuperandam sanitatem, licet secutura inde sit alienatio mentis (per exiguum temporis spatium,) aut ebrietas, aut (ultronea) effusio seminis, aut abortus, (quando scil. aliàs matri & partui simul foret pericundum,)* adeoque talium effectuum, qui medicamento utitur, esse duntaxat causam per accidens: Hic planius fuerat dixisse, istos effectus in præsentibus casibus sub peccatorum censum non venire. Sed nec omnia exempla, quibus *causam moralem per se*, i. e. revera talem, illustrare vult, sat recte se habent. Equidem *qui ad supplicium capitale ducitur, licet ad locum supplicii incedat, & scalas conscendat*, hoc duntaxat nomine causa moralis suæ necis dici non potest; quia volentem lictores ducunt, nolentem trahunt. Quo minus tamen, qui poculis immodice indulget, aut laboribus honestis, & necessariis vires suas atterit, causa moralis acceleratæ sibi mortis dici queat, non video. Etsi ille peccet, hic peccato vacet; & neuter proprie loquendo homicida vocari debeat. Illum tamen recte causam moralem suæ necis dixeris, qui ideo condemnatur, quod noluerit proferre illa, quibus innocentia ipsius demonstrari poterat.

§. 4. Est

§. 4. Est autem & hoc observandum, quod formale actionis moralis, i. e. imputativitas, habeat rationem formæ positivæ, ex qua radicaliter affectiones, proprietates, & consecutiva ejusdem resultant. Adcoq; moralis actio ens positivum (saltem in genere moralium, si non semper in genere naturalium,) dici potest, sive materiale ejus sit motus physicus, sive motus physici privatio. Utenim aliquid in genere morum sit ens positivum, sufficit, si adesse aliquid intelligatur, ex quo veræ affectiones ejusdem generis emanant: cum, ut non entis nullæ sunt affectiones; ita illud, cui certæ ac positivæ competunt affectiones, non ens simpliciter dici haut quidquam possit.

§. 5. Cæterum quod actio moralis ad aliquem pertinere, eiq; imputari possit, (in quo formalem ejusdem rationem consistere diximus;) ejus causa nulla est alia, quam quod in potestate & facultate alicujus fuit, illam fieri vel non fieri, suscipi vel omitti. Id quod adeo manifestum est, ut etiam imperitissimi mortalium, ubi super facto aut omisso aliquo acufantur, non efficaciorum se posse excusationem asserere putent, quam si dicant; penes se non stetit, quo minus id factum vel non factum fuerit. Unde primarium axioma in moralibus est habendum, quod de illis actionibus rationem posci queat homo, quæ ut fiant vel non fiant, penes ipsum est. Seu, quod eodem recidit; quod quælibet actio, ad normam moralem dirigibilis, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, ipsi possit imputari. Et contra; id quod neque in se, neque in sua causa penes aliquem fuit, non potest ipsi velut ex debito imputari. Neque huic regulæ obstat, quod aliquando quis casum fortuitum, qui utique in nostra facultate non est, teneatur præstare. Nam illud non fit, nisi ultro se quis ad hoc obligaverit. Ast hoc utique penes aliquem est, obstringere se ad faciendum damnum, quod à causa extra directionem nostram posita provenit. Porro ut aliqua actio, seu factum, possit imputari, sufficit, si non invita fuerit, juxta illa, quæ c. præc. §. 10. diximus: & ut directioni nostræ voluntatis fuerit subjecta. Sed ut omissio alicui recte imputetur, requiritur, ut facultas, & occasio actionem suscipiendi adfuerit. Quæ occasio isthæc quatuor videtur complecti; ut objectum actionis sit in promptu; ut adsit commodus locus, ubi ab aliis non possimus impediri, aut post actionem malo aliquo maculari; ut adsit commodum tempus, quo non sint obeunda negotia magis necessaria, quodque itidem aliis qui

qui ad actionem concurrunt, sit idoneum: ut denique vires agendi naturales suppetant. Ubi horum quidpiam citra alicujus culpam defecerit, absurdum & iniquum fuerit ipsi imputare, cur quid factum non sit. *Cicero de Invent. l. 1. Occasio est pars temporis, habens in se alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.* Add. *Cartes. de passion. art. 144. 145. 146.*

§. 6. His in genere præmissis, operæ pretium fuerit distinctius, & in specie considerare, quæ homini possint imputari, quæ non. Non possunt igitur imputari ulli hominum, quæ proveniunt ex necessitate physica, aut quibusvis causis, extra directionem hominum positas. Sic stultum est, quod de regibus Mexicanis traditur: eos sub initium regni subditis promississe, se effecturos, ut sol justo tempore oriaur, & occidat, ut pluvix, quando opus est, cadant, ut terra fruges proferat. Sed nec id homini potest imputari, quod causæ naturales hunc, & non alium effectum, hoc, & non alio modo præducant; v. g. quod ignis calefaciat, non refrigeret. Hactenus tamen effectus causarum naturalium imputationi uberrimam præbent materiam, quatenus ab homine vis earundem activa fuit elicitæ, aut confirmata, activa passivis applicando, aut vires internas congruis mediis excitando. Quæ ratione colono imputatur ubertas frugum, quantum ipsius diligens cultura fecunditatem agri lacescit: incendiorum damnum illi, qui ignem supposuit: variegatus agnorum color pastoris Jacobi solertia. *Genes. XXX. 37.* Potest etiam talis effectus naturalis hactenus imputari homini, quod causam supremam; ista omnia dirigentem, ad eum effectum determinandum moverit. Quo intuitu triennialis siccitas precibus Eliæ imputari poterat. *1. Regum 17. v. 1. Iacob. V. 17.* Sic deprecante Æaco diurnam siccitatem Græciæ cessasse, in fabulis est. *Apollodorus l. 3.* Sic & mors illorum, quos pestilentia extinguebat, aliquatenus poterat Davidi, etsi non ad modum homicidii, imputari. *2. Samuel. XXIV. 13. 17.*

§. 7. Imputari quoque non possunt homini actiones & effectus facultatum vegetabilium, quæ in ipsius corpore deprehenduntur, prout istæ per nativitatem, aut ex causis ab ipso non dependentibus existunt. Etsi hoc penes hominem sit, facultatibus istis objectum suggerere congruum, aut ineptum, quodque virtutem ipsarum alat, debilitet, aut extinguat; nec non earundem organa detorquere, aut corrumpere. Sic cui
natura

natura corpus vegetum, robustum, procerum dedit, ipsi eo nomine nihil imputari potest. Sed debilitatem naturæ per industriam corrigere, nativasque vires augere, laudi; & contra easdem per socordiam aut petulantiam perdere, vitio habetur. Unde nemini poterit exprobari corpus imbecillum, tenerum, pusillum; membra distorta, aut mutila; robur languidum; siquidem debilitates istæ nulla ipsius culpa fuerint contractæ. Quo facit illud *Aristotelis Nicom.* 3. cap. 7. *Non animi solum vitia spontanea sunt, verum corporis etiam in nonnullis, quas scilicet increpare consuevimus. Qui enim natura deformes sunt, eo reprehendit nemo: sed illos, qui si à natura non essent, per neglectum exercitiorum, & incuriam tales evaserunt. Simili modo, si turpitudine vel ex infirmitate, vel ex membri alicujus mutilatione contigerit. Nullus enim ei, qui vel natura, vel ex morbo, vel ex vulnere factus sit cæcus, cæcitatem exprobrabit, sed miserebitur potius: at eum obijurgant omnes, qui ex temeritate, vel alia quapiam intemperantia excæcatus fuerit. Similia habet *Plutarchus de audiendis Poëtis: Ulysses Therpsita non claudicationem, non cæcuitatem, non gibbum exprobrat, sed promiscue garriendi vitium. Sic *Hæmæus deridet eos, quos claudicationis, cæcitatæ, aut similibus pudet; neque vituperabile ducens, quod turpe non sit; neque turpe, cuius non penes nos, sed penes fortunam est causa. Et mox: Sicut qui vestes flagellant, si corpora ipsa non attingunt: sic qui fortuna, aut natalium damna exprobrant, stulte & incassum in exteriora verberant, animam ipsam non attingentes, neq; ea, quæ vera correctione, aut insectatione indigent. Add. *Idem Symposiacoen* l. 2. quæst. 1. p. m. 633. A. B. C. Non tamen sine ratione apud veteres Gallos, referente *Strabone* l. 4. multabatur juvenis, quisquis zona mensuram excesserat. Quod ventrem prominulum in illa ætate ex ingluvia & desidia provenire judicarent. *Nicolaus Damascenus de moribus gentium. Beni zonam habent mensura certa, intra quam si venter cujusquam comprehendi nequeat, pro de decore id magno habetur. Huc spectant & cæteræ facultates, quæ à natura citra nostram operam insunt; puta, quod quis ingenio præditus est acuto, aut stupido, sensibus acerbis, aut hebetioribus, memoria firma, aut labili, ni naturalis vis per hominem aucta sit, aut afflicta. Pertinet quoque huc illud *Aristotel. Nicom. K. c. 10. πολλὰ καὶ τῶν φθῶν ἰσαχίονον οἰδῶν καὶ ἀπαύσιμον καὶ πάρομον, ὅτι ἔστιν ἕτερος ἰσχυρισμὸς ἢ τῆς φύσεως. Multa ex his, quæ sunt natura, scientes etiam agimus & patimur: quorum nihil neque spontaneum est, neque invitum: ut se-*****

nescere vel mori. Quæ, ut imputentur, idonea non sunt. Referre quoque huc possis, quod parentibus imputari nequeat pravos genuisse filios, modo ipsi pravitatem eorum in educatione non aluerint. Inde probari nequit sententia Vindicis, qui matrem Neronis ab ipso interfectam jure pronunciabat, *qua tale portentum peperisset*; apud *Philostatum de vita Apollonii Thyanaei, l. V.*

§. 8. Non posse quoque imputari, quæ vires nostras exceduat, neque per eas prohiberi aut effici queunt, in aprico est; modo illa non im-
 potentia per culpam nostram non sit contracta. Quo fundamento nituntur tria illa: impossibilem nullam esse obligationem: neminem lege sua censi præcepisse impossibilia; adeoque si in aliqua lege, ut & conventionem aut testamento, tale quid occurrat, id pro non adjecto haberi, aut commodiorem ejus inveniendam interpretationem. *Nulla potentia vires Præstandi, ne quid peccet amicus, habet. Ovid. de Pontol. l. 1. El. 8. Quintilian. Inst. Or. l. 6. c. 3. Inhumana solet videri fortuna insectatio; vel quia culpa caret, vel quia recidere in ipsos, qui objecerunt, potest.* Huc etiam pertinet id, quod *Herodotus Vrania* memerat, cum *Themistocles Andrios* pecuniam posceret, duabus validissimis deabus subnixus, *Suadela & Necessitate*; illi validiores deas opposuerunt, *Inopiam & Impossibilitatem*. Probe autem observandum, aliud dici *physice*, aliud *moraliter impossibile*. Prior impossibilitas ponit obstaculum, quod ipsam voluntatem constringit, ne in actum queat erumpere, aut conando omnem operam perdat. Verum moralis impossibilitas nullum impedimentum ponit superans agendi efficaciam in voluntate hærentem, sed illa tota ab ipsa voluntate oritur. Atque hoc modo impossibile dicimus, omnes homines velle conspirare, ut gratis aliquod mendacium posteritati tradant. Item, ut aliquis ita circumspicere & sancte vivat, ut ne in minimo quidem, saltem per affectuum præcipitantiæ, offendat. Ex hisce infert, *Autôr de princip. justit. & decori, p. 174, non posse quidem legistorem præcipere quid physice impossibile, posse tamen imperare obedi-
 tiam de iis, quæ impossibilitatem moralem continent: quia voluntatis liber-
 tati nihil contrarium imperat, cum tota difficultas parendi ex ipsa volun-
 tate oriatur. Sicut nulli impossibile est mendacium gratis fingere, si nulli, ex-
 go toti multitudini impossibile non est: certum tamen est totam multitudi-
 nem id non facturam.* Pariratione cuius liberum est veritatem dicere, ex-

90 & toti civium multitudini; certissimum tamen est, nunquam remp. tam beatam futuram, ut singuli cives à mendacio sibi sint temperaturi: at, tamen illa impossibilitas libertatem singulorum non tollit, nec à peccato excusat. Sic legis adimplerionem dicimus esse impossibilem, nec tamen illam impossibilitatem voluntatis libertatem impingitum ire. Tamenim homini singulari impossibile est in omnibus Dei voluntati obsequi, quam multitudinem ab omni mendaciorum esse: tam autem à singulis actibus peccaminosis sibi cavere potest, quam cives singuli à mendacio sese intemperatos conservare: quod tamen nunquam eveniturum est. Quæ quidem, quatenus ad dogmata theologica adplicantur, suo loco relinquimus. Si tamen intra limites fori humani maneamus, non adparet, quare isthæc non potius admitti debeant, quam illa Gratii l. II c. 20. §. 19. ubi de peccatis, quæ aliqui vocant, quotidianæ incurrationis agit: *Imo dubitari potest, an hæc recte & proprie peccata dicantur, cum libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata non habeant.* Quomodo enim velut collectim sumti ejusmodi lapsus peccati naturam effugiant, cum tamen singuli peccata sint? Et si in foro humano iidem fere extra poenam positi sint.

§. 9. Imputari quoque nequeunt, quæ quis coacte patitur, aut agit. Talia enim ad illum moraliter pertinere intelliguntur, qui vim intulit; & qui ista excepit, aut exsecutus est; rationem duntaxat objecti aut instrumenti physici habet. *Diomysius Halicarn. l. 1. ἀναστυχόμενος ἀξίον τὸ ἀναστυχέσθαι. omne involuntarium meretur veniam.* Cicero de Inveni. l. 1. *Si iis, qui imprudentes laeserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet.* Coactum autem habetur, non solum quando principium motus est in alio, qui per vim alterius renitentis & abhorrentis membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat: sed etiam quando quis intentato viræ periculo, aut alio gravissimo malo, ab altero compellitur ad suscipiendam executionem facinoris, quod ipse alias vehementer averfatur; ita tamen ut non ipse, sed alter ille ejus facinoris autor haberi velit. Prioris exemplum est, si quis robustior aliquem in alterum violenter impulerit, aut arreptam ipsius manum eidem impegit; aut si quis violentum stuprum foeminae intulerit, quæ nulla sua culpa alienam libidinem provocavit. Cujus quidem corpori hoc modò contumelia infertur, ut tamen ad animum ea labe non penetret. *Corpus est tantum violatum, animus insons;* dicebat

Lucretia ap. *Livium* l. 1. c. 58. De cuius facto eleganter differit *Henr. Stephanus Apolog. pro Herodoto* c. 15. Quanquam illas nequidquam excusaveris, quæ sibi digito male pertinaci anulum detrahi patiuntur. Posterioris exemplum est, v. g. si quis satellites iubeatur virum, quem ipse insontem novit, interficere, nisi ipse malit interfici. Hæc enim eo nomine nihil potest imputari, cum eidem nulla exsecutio iniungatur, quæ ne quæ à persona ipsius abhorret, neque ut cum dispendio vitæ detrectetur ratio est; cum is sua nece innocentem haut quicquam sit servaturus: Fatendum tamen est, executionem quorundam actuum ita esse gravem aut foedam, ut generosum habeatur mortis malæ, quam talibus patrandis sua membra accommodare, licet culpa in alio sit hæsuræ. Quo facit locus *Aristot. Nicom.* 3. c. 1. supra adductus. Et exempli loco potest esse, si quis iubeatur matri stuprum inferre. Quo ex ignorantia invincibili admissio Oedipus ita indoluit, ut oculos sibi ipse eruerit. Unde etiam in illo loco *Aristot. Nicom.* 3. c. 1. ἴσιν αἰ τὸ πᾶν ἀποστάντες αἰσχρὸν τι παθεῖν, κέρως δὲ γοῶντες τὴν τιμὴν, καὶ παθεῖν μὴ εὐλογοῦντο, μὴ παθεῖν δὲ ἀνδραγαθίαν. Ut si tyrannus aliquibus, quorum parentes ac liberos in potestate haberet, turpe aliquid agere iuberet; quia, id agerent, subvi essent; qui non agerent, perirent: τὸ αἰσχρὸν cum grano salis est accipiendum; & ne ad tale quid, cuius exemplum jam attulimus, extendatur.

§. 10. Ignorantia quoque in tantum imputationem tollit, quantum illa actionem reddit invitam. *Xenophon Instit. Cyri* l. 3. ὁμοῦ ἀγνοίᾳ ἀνδραγαθίᾳ τοῖς ἔσται ἀγνοῦσι, πᾶσα δὲ τὰ αὐτὸν ἔργα τοῦδε. Quacunque per errorem homines delinquunt, ea præter animi sententiam committi arbitror. *Eurip. Hippol. Coron.* τὰν ἀμαρτίαν τὸ μὴ εἰδέναι πρὸς τῶντοῦτο ἔλαβον ἄδικον. Erroris culpam primum solvis, quod nescieris. Quam ad rem illustrandam cum primis faciunt luculenta quædam apud *Aristotelem* loca; puta *magn. moral.* l. 1. c. 34. Quancunque perpetrandi aliquid causa fuerit ignorantia, id non fit sponte, & proinde ne afficit quidem injuria. At cum ipse sua causa fuerit ignorantia, perpetravitque quippiam ex ignorantia, cuius ipse extiterit causa, si plane afficit injuria, ac ejusmodi jure criminis arguetur: velut in ebriis evenit. Vino namque merfi si quid mali perpetrarint, sine controversia afferunt injuriam: quandoquidem ipsi sibi ejus ignorantia causa extiterunt. In iis enim fuit, ne tantum proluerentur, ut ignorantes caderent patrem. Idem in aliis est ignorantibus,

vantis, quæ ex ipsis cogitacionibus facientibus, sicut qui per ipsas inferunt injuriam, sunt iniusti. Quorum autem ipsi non sunt causa, sed ignorantia, ut delinquant, neutiquam iniusti. Est enim vero ejusmodi naturalis, velut nescii infantes patres cadunt. Hæc enim natura naturalis inscitia non facit, ut ab actione infantes dicantur iniusti. Ipsa superveniens facienda causa est inscitia. Neque ipsi sine causa in scitiam, idcirco non iniusti, quidem dicuntur. Seneca Phœnissis. At quis intra visceris dicitur: letum procoquis fatis tulit. Sed nunquid et peccavit? Quod tamen nolim ultra forum humanum extendi. Quamquam circa infantes notandam, ipsos quandoque propter talia increpari, aut verberari, non quod ista in foro humano, pro peccatis proprie dictis haberi queant, sed per modum nudæ emendationis, ne per talia molestiam alius facessant, aut illo, cui tenetis in annis adsusserunt, post adultiores quoque facti delectentur. Idem de furiosis & mente motis habendum, quibus citra suam culpam iste morbus provenit. His enim si quando verbera infliguntur, non magis rationem poenæ delicto respondentis habent, quam quæ equo calcitrato impuguntur, ut calces deinceps jactare desistant. Add. Ant. Matthæus, de criminis proleg. c. 2. §. 5. 6. 7. 8. At qui ignorantia suæ causa est, ac sciens videns efficit, ut ignoraret, quæ nosse poterat, & debebat, perinde habetur, ac si sciens, & deliberato quid animo parasset, Aristot. magn. moral. l. 1. c. 9. Egrotos & deformes reprehendimus, cum ipsos putamus sibi aut morbi alicujus aut deformitatis esse autores, quia videlicet in ipsis id fuisse possumus intelligitur. Et plenius ad Nic. l. 3. c. 7. Legislatores eos, qui mala perpetrant, castigant, ac puniunt, si tamen neque vitæ contraria egerint, neque ea ignorantia, cujus ipsi sibi causam non exhibuerint. Ob ignorantiam etiam puniunt, si sibi ipse ignorantia causa quispiam fuisse videatur. Unde ebriis duplices poenæ instituta sunt. In ipso enim, qui inebriatur, principium est: cum sui quisque in eo dominus sit, ut non inebrietur: id quod ignorantia est causa. (Plautus Truculento act. 4. sc. 3. Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent, qui quidem prohibent.) Eos quoque puniunt, qui aliquid eorum ignorant, quæ ad leges pertinent: quæ quidem & fieri debeant, & difficilia non sunt. Simili modo etiam in aliis, quæcunque ignorare per negligentiam videntur, eo quod in ipsis sit non ignorare: quippe qui adhibenda diligentia domini sunt, ac potestatem habeant. Sic & imputationem tollit non ignorantia universalium, & ejus quod quis scire tenebatur, sed tantum ignorantia singularium, & quæ in fa-

Et versatur. *Aristot. Nicom. l. 3. c. 2.* Inuitus dici debet, non si quis ignorat id, quod conducit; non enim ignoratio, qua in electione consistit, inuiti est causa, sed prauitatis: neque ea qua est universalis: quippe cum ob eam homines vituperentur; sed ea, qua circa particularia versatur, in quibus, & circa qua actio existit. In his enim & misericordia, & venia locum habet: nam qui horum aliquid ignorat, is sano inuitus agit. Exemplum à Cicerone de *Inuent.* l. 2. tale adfertur. Lex alicubi extabat, ne quis Diana vitulum immolaret. Nauta, cum aduersa tempestate in alto jactarentur, voverunt, si eo portu, quem conspiciebant, potiti essent, ei Deo, qui ibi esset, vitulum immolatu ros. Casu erat in eo portu fatum Dianae ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cum exissent, vitulum immolauerunt. Accusantur. Quod si autem ab alicujus facto malitia quidem abfuerit, & ultro contracta ignorantia, sed hæc duntaxat per aliquam inadvertentiam obrepserit, (quod *Aristoteli* proprie ἀμαρτήματ^ο nomine venit,) imputatio non quidem plane tollitur, sed ex parte tamen minuitur. Et hæcenus tantum admitti potest illud *Quintiliani Inst. Or. l. 1. cap. 6.* Vel error honestus est, magnos duces sequentibus. Quo pertinet egregius locus *Aristot. Nicom. l. V. c. 10.* quem vertit, & illustravit *Gratius l. 3. c. 11. §. 4.* Et hæc retulerim illud ex *Arist. magn. moral. l. 1. c. 17.* de muliere, quæ philtum amatori præbuit, ex quo ille mortuus est: Hanc accusatam Arcopagitæ absolverunt, ideo quod non consulto, & cogitato id fecisset, Amoris enim causa, non hominis perimendi animo dedisse: verum ab isto aberrasse. Circa quod judicium tamen omnino præsupponendum fuit, fœminæ isti nunquam in mentem venisse, poculum illud ullo modo noxium esse posse. Alias enim potior est l. 38. §. 5. *D. de penis.* Add. *Ant. Matthæus de crimin. ad l. 48. D. tit. 5. c. 5. §. 6.*

§. 11. Cum quoque non sit in arbitrio nostro, quas per quietem imagines phantasia formet; ideo non possunt imputari illa, quæ quis in somniis agere sibi videtur, nisi quatenus talibus interdum cogitandis cum delectatione immorans, eorum imagines alte animo impressit. *Nonnus Dionys. l. 42.* ἀντίτυπον γὰρ ἔργον, ὅστις ταῖον τις ἐν ἡματι, νυκτὶ δοκίμει. Simile enim opus quod facit quis in die, nocte cernit. Unde nullum sane crimen illius, qui Claudium per somnium corona spicea redimitum viderat, apud *Tacitum A. XI.* Add. *Ammian. Marcell. l. XV. c. 2.* Sic & nequidquam anxius erat piscator ille apud *Theocritum Idyl. 22.* qui per somnum jurasse

jurasse sibi visus erat, quod in mari non amplius pedem esset positurus. (Add. tamen de juramento ab Evagrio per somnum facto, apud *Sozomenum hist. Eccles.* l. 6. c. 30.) Neque in cæcis Cæsar ob somnium, quod refertur ap. *Sueton. Cæs.* cap. 7. Quanquam non omnino pura Biblis, quæ placida resoluta quiescere Sape videt, quod amat, visa est quoq. jungere fratri Corpus, & erubuit, quæntois sopita proeret, apud *Ovidium Metam.* l. IX. Neque vana omnino sunt, quæ *Plutarchus de profect. virtut. sent.* disputat, ex somniis non obscurum posse argumentum duci, quam composito aliquis animo sit. Epicurus apud *Diogenem Laërtium* l. 10. dicit sapientem *ἐν τῷ ὕπνῳ ὁμοιωμένον* in somniis quoque sibi similem futurum. Nonnulli etiam huc adplicant *Psalnum XVII.* 3. Add. *Claudian. prefat. ad l. 3. de raptu Proserpine.* *Theocritus Idyll.* 22. *ἐνὶ ὕπνῳ ἴσθι τὰ κτήνη* In somno quævis canis divinat.

§. 12. Denique contrarationem est, ut futuri alicujus facinoris mali imputatio ad antegressos velut recte trahatur; nisi forte futurum illud facinus à præsentis quopiam aut futuro nostro actu, tanquam effectus necessarius à sua causa, dependeat. Nam ut effectus illi imputetur, ad quænt causa pertinebat, frequentissimum est. Equidem illud hæc absurdum, ut per imputationem ex gratia futurum aliquod factum in ipso agente, aut alio, effectum velut in antecedentem exserat. Cum enim cuilibet beneficium gratis dare liceat, penes benefactorem futuri gratum erit, sub aliquo titulo beneficium impertire. Ast rum malæ actiones non nisi ex debito queant imputari, absurdum profus fuerit, retrorsum eas imputari aliis, queis nulla futuri cognitio, nulla obligatio, aut facultas id impediendi, quo minus fieret, nulla denique cum eo, qui commissurus id erat, actionis communicatio intercessit. *Cicero de inventione* l. 1. Remotum est, quod ultra quam factum est petitar, hoc modo: *Quid si non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tanta seditione orta non essent. Quare hoc incommodum Scipioni adscribere non videtur.*

§. 13. Extra hæc nulla actio humana invite & imputationis incipax censeri debet, si vel maxime eam suscipi à sana ratione abhorreat, aut morbo animi quis in eam vehementer rapiatur. Equidem

Plato

Plato de leg. l. V. tradit: *in iis injuriis, quae tales sunt, ut sanari possint, nosse in primis oportet, nullum injustum sponte injustum esse.* Nemo enim unquam maximorum malorum aliquid alicubi vellet habere, multoque minus in his, quae sibi praestantissima sunt; uti est suus cuique animus. Add. Idem in Timaeo p. m. 1085. A. & Marsilius Ficinus praefat. ad Platon. l. 9. de LL. & Apulejus de Philosophia. Aristippus dicebat apud Diogenem Laërt. l. 2. Errata (ἀμαρτήματα) venia digna esse; neque enim volentemquam errare, sed perurbatione aliqua coactum. Eadem sententia extat apud Marcum Antonium l. 4. §. 3. l. 7. §. 22. 63. l. 8. §. 14. l. 11. §. 18. Quam sententiam non uno in loco refellit Aristoteles: Sic magn. moral. l. 1. c. 9. Socrates dixit, in nobis non est, probis vel malis esse: quandoquidem si quis roget, aliquem, velitne justus esse, an injustus? nemo delegerit injustitiam. Inde perspicuum est, si mali sint aliqui, non sponte eos esse malos, & proinde ne probos quidem. Id quod eo argumento rejicit Aristoteles, quod aliàs absurde legislator bona juberet, mala vetaret aut plecteret, niutraque essent in eis, in nostra potestate: Et quod alias absurde virtutem laus, vitium vituperatio conferretur. Et prolixius Nicom. l. 3. c. 7. Ubi recte quoque rejicit argumentum, πάντες ἰσχυρὰ τὰ φαινομένη ἀγαθὰ τῆς δὲ φαντασίας ἢ κέρους ἀλλ' ἰσχυρὰ πρὸς ἡμᾶς ἔστι, τοῦτο δὲ τὰ τέλη φανήσονται αὐτῶν. Omnes appetunt, quod bonum esse ipsis videtur: phantasia autem dominus est nemo, sed talis ut nunciq; finis adparet, qualis quisque est. Nam id utique in nostro arbitrio neque adeo arduum est; ut quid justum sit, quid non, recte intelligamus. Add. Eustratius ad d. J. Sic & ibidem recte docet Aristoteles: uti ignorantia, quam quis sua culpa contraxit, invitam non reddit actionem; ita nec pravos habitus, & corruptum crebris peccatis animum actionem invitam reddere. Si quis non ignorans, inquit, ea agit, ex quibus injustus efficitur, sponte injustus est; non tamen si voluerit, injustus esse desinet, & justus erit. (Quod posterius tamen intelligendum vel in sensu composito, vel quod nuda voluntas non statim contractum semel animi morbum tollat: quem tamen sane connixum studium abolere iterum potest.) Nam neque qui agrotat, sanus efficitur; licet, si ita contigerit, sponte agrotet, tum intemperanter vivenda, tum Medicorum praecipis non obtemperando: verum tunc quidem licebat illi non agrotare; ubi tamen semel neglexit, non amplius licet. Quemadmodum qui lapidem projecit, resumere eum amplius non potest; quamvis in eo projiciendae facultas

facultas fuerit : principium enim in ipso erat : eodem modo quoque & injusto & intemperanti à principio licebat non esse ejusmodi : unde sponte ejusmodi sunt : ubi vero semel tales sunt, non amplius non esse talibus eis licet ; antequam scilicet se correxerint. Hoc loco expendi quoque debent, quæ Autor de princip. just. & decori p. m. 165. seqq. disputat ; habitus morales, quos vulgo malos vocamus, revera non esse peccata, nec pœna dignos, si in se considerentur. Illos quippe nulla causalitate morali effectum attingere, quamdiu manent habitus, nec in actum prorumpunt. Ac si virtuti ponant impedimentum, id facere per actum, quem homo voluntate elicit, quæ voluntas tunc est causa vitii moralis. Voluntatis autem causam aliam moralem superiorem dare velle, esse voluntatis naturam tollere, & actum elicitum facere imperatum, & habitui actualem operandi efficaciam attribuere sine operatione. Operari enim tantum per voluntatem & ante elicitum actum voluntatis nihil morale operari potuisse, cum actus moralitas à voluntate proficiscatur. Imo ante voluntatis actum esse tantum rem physicam, sive modum animæ physicum. Quando autem anima operatur per voluntatem male, tunc desinere actum esse habitum. Illam efficaciam, qua habitus mali disponunt animam ad male agendum, esse diversam ab ea, qua v. g. sermo impudicus animis audientium instillat libidinem : cum ille sermo operetur ante voluntatem ejus, qui eum audit, licet effectus non semper sequatur. Quæ isthac similitudine declarari possunt. Pedis distortionem in se, & quamdiu pes quiescit, non peccare contra regulas artis saltatoriæ. Sed ubi loripes gressus male formatos fecerit, causam moralem esse non distortionem pedis, sed voluntatem ejus, qui pedem movit. Addit ; causam quare malos habitus oderimus esse, tum quod malis actionibus homo eum comparaverit ; tum quod homines istis imbuti in actus malos soleant esse proclives. Et quanquam isti sint morbi animæ ; non tamen illos per se pœna dignos esse, sed quia voluntarie contracti sunt. Sicuti si puerum verberibus oneremus, qui petulanti, ac temerario saltu sibi talum detorsit ; causa plagarum non est ipsa tali detorsio in se, sed saltus ille temerarius.

§. 14. Porro imputari homini solent non propriæ duntaxat, sed & alienæ actiones. Quod tamen ut recte fiat, necessum est, ut ad eas ille aliquo modo efficaciter concurrerit. Aliàs enim ratio non fert, ut effectus actionis moralis de persona in personam transeant, nisi ad eandem quis influxerit, aliquid agendo vel omittendo. Arriani Epictetus l. I. c. 28. δι' αλλότρου ἔργου π' αὐτὸν ἴσθαι. Nemo ex alieno facto cladem accipit. Marcus

L

Anto-

Antoninus l. 8. §. 56. Arbitrio meo ex aquo res indifferens est arbitrium vicini mei, atque animula aut caruncula ejus. Etiam si enim alter alterius causa mutuo nati sumus, mentium tamen nostrarum peculiaris sua constat potestas. Alioqui vicini mei malitia malum me faceret: id quod Deo non est visum, ne alieni arbitrii esset miserum me facere. Sic cum etiam nobis invitis sonus ad aures accidat, crimine caret aliquid audivisse; si nihil præterea accesserit. Lucianus de imaginibus: ἐν τῷ αὐτῷ μὴ λῶν νομιζέτε ἀρπαγῆς ἰσθῆναι εἶναι. nisi putes & in auditione culpam quandam esse. Etsi aliquando quieta auditio pro assensus signo habeatur. Hinc apud Tacitum Ann. 1. Germanicus, cum seditiosi imperium ipsi offerrent, quasi scelere contaminaretur præcepit tribunali desiluit. Themistius orat. V. Olim in ejusmodi criminibus nihil inter culpam & fortunam discernebatur; parque & idem erat noxæ genus nefarium aliquid ac scelus moliri, & id ipsum præter voluntatem audisse. Atqui hoc erat naturam hominis arguere, quod apertas ac patulas aures dedisset, nec quemadmodum palpebras atque os, sic etiam aures claudere ac diducere in nostra potestate esse voluisset: cum fere unus hic sensus potestatem nostram atque libertatem effugiat, ac quicquid in eum incurrerit, velut janua carentibus & apertis adibus, ita necessario sint illi omnia suscipienda. Ὡς ἂν τὸ μὴ ἀνομιλῆσαι πάντας τῶν ἐγκλημάτων. Tu vero auditum prorsus ab crimine separasti. Quandoque igitur contingit, ut ei, qui immediate actionem patrat, illa penitus non imputetur, sed alteri, qui eandem imperavit. Nempe si quis subiecto sibi, sub comminatione gravissimorum malorum, & quæ repræsentandi facultas ipsi est, meram executionem alicujus actionis injungat. Quo spectat illud Procopii hist. Goth. l. 1. Legatus mittentis jussu verba enunciat; eorum culpam, si quid peccatur, non ipsi, sed ei qui imperavit, æquum est imputari: cum legato obsequii incumbat necessitas. Sic cum in Senatu Romano decretum esset de Consule Romano Sannitibus dedendo, stolide quidam censuit, cum quoque dederum, qui dum foedus feritur, porcā tenuerat. Cicero de Invent. l. 2. Mamertin. paneg. 1. Ab Imperatore proficiscitur, etiam quod per alios administratur. Seneca Troad. Ad autores redit sceleris coacti culpa. Apud Appianam Alexandr. Mithridat. cum Mithridates Attilium & alios infidiarum sibi structarum reos occidisset, Attilii libertas illæsos dimisit, ὡς δὲ αὐτῶν ὑπονομιζέμενος, tanquam patroni sui ministros. Sed fre-

frequentius est, ut & ei, qui actionem patravit, illa simul imputetur. Idque fit triplici potissimum modo: vel ut alter principalis causa actionis, patrazor minus principalis habeatur; vel ut uterque pari velut passu ambulet; vel ut alter minus principalis, patrazor principalis causa sit. Ubique autem concursus ad actionem alienam sit vel positive, vel privative; seu committendo aliquid, aut omittendo. Principalis igitur causa actionis ab alio immediate patrazæ habetur, qui jubet aliquid fieri ab eo, qui ipsius est imperio subiectus; vel qui autoritate duntaxat sua, cui non facile erat reluctari, aliquem permovet ad patrandum aliquid, quod pro imperio, stricte accepto, injungi non poterat. Quo pertinet proprie illud Tiberii apud Tacit. Ann. 3. de M. Pisone, quem ipse crimine civilis belli purgavit: patris quippe jussa nec potuisse filium detrectare. Add. l. 37. princ. D. ad L. Aquil. l. 11. §. 3. seqq. D. de injuriis. Ant. Matthaus de crimin. proleg. c. 1. §. 13. Nam ut isto se crimine obstringeret, autoritas, non imperium paternum, valere quid poterat. Item, qui consensum requisitum adhibet, citra quem alter non erat acturus. Conf. Valer. Max. l. 2. c. 8. §. 2. Libanius progymn. ἢ μὴ συγχωρήσειν ἢ ἀνὰ πόλις ἐπιπρακτο, ἵνα τὸν ἵνα τοῦ δικῶν ἢ ἀπαχθίντων ὁρεῖται. Absque cujus permissu nunquam perpetraretur, eum pœnas commissi persolvere debere statuit. Id. ib. δὲ τὰ ἀδικήματα νομίζων ἢ τῶν τῶν χερσὶν ἐραζομένων μάλλον, ἢ τῶν τῶν δουρῶν δὲ δουρῶν. Maleficiorum autores non tam putandi sunt illi, qui patrazarunt illa manibus suis, quam qui ut patrazari possent copiam dedere. Item, qui ex obligatione perfecta, & ex qua alteri jus erat illud ab ipso exigendi, quid debebat vetare, & non fecit. Vid. l. 45. D. ad L. Aquil. l. 2. D. de noxal. act. l. 1. §. 1. D. si famul. furt. sec. dic. Seneca Troad. Qui non vetat peccare, cum possit, jubet. Sophocles Philoetete: οἱ δὲ ἀκοσμητῆς ἑποτρῶν διδασκαλῶν λόγοισι γίγνονται κακοί. Delinquentes fiunt mali exemplis regentium. Quo nomine etiam Diogenes pædago pueri obsoniis edendis dediti pugnum incussit; ὁρῶν δὲ ἢ μὴ μάνασαντ, ἀλλὰ ἢ μὴ διδάξαντ, ἢ ἢ ἀμάρτημα ποιῶν. Recte non ei, qui non didicisset, sed qui non docuisset, culpam imputans. Plutarch. libro; virtutem doceri posse. Vid. quoque Ælian. l. 3. c. 10. Juvenalis sat. 14. Nemo satis credit tantum delinquere, quantum Permittas, adeo indulgent sibi latius ipsi. Add. l. 4. §. 2. D. de offic. procons. Apud Tacitum A. IV. Messalinus censuit. Cavendum SCro, ut quanquam infantes magistratus, & culpa

culpa aliena nescii, provincialibus uxorum criminibus, perinde quam suis ple-
terentur. Sic & legibus Angliæ maritus pro offensis uxoris, lingua aut
 opere adversus alterum patris, respondere, & satisfactionem præstare
 tenetur, eo quod non sit usus potestate sua, qua pollet circa errata ejus
 corrigenda. Quin si maritus simul & uxor feloniam committant, per
 leges uxor neque principalis habetur in delicto, neque in parte accessio-
 rii, quod propter obsequium, quo marito tenetur, necessitas ipsi illata
 credatur. *Edward Chamberlain Notitia Angliæ part. I. c. 16.* Pari fere culpa
 habetur, qui mandat, aut alios ad patrandum facinus conducit. *Vid. Ant.*
Matth. d. 1. §. 12. & ad lib. 48. D. tit. 5. c. 3. §. 16. Qui adjuvat; puta qui furi
 per fenestras in ædes invadenti scalas supposuit; qui alicui nummos ex
 crumena excussit, ut ab altero rapi possent; qui alterius pecora fugavit,
 ut alius eadem interciperet. *Add. l. 54. §. 4. l. 66. §. 2. D. de furtis.* Qui re-
 ceptum præstat, juxta versiculum *Phocylidis*: ἄμφοτεροι κλέπται, καὶ ὁ κλε-
 ψάδης, καὶ ὁ κρύψας. *Vterque fur, & qui furatus est, & qui occultavit.* *Plato*
de LL. l. 12. Si quis rem furto sublatam sciens receperit, in eadem culpa sit,
 qua ille, qui furatus est. *l. 1. princ. D. de fugitivis.* *Add. t. r. D. de receptori-*
bus. Et *Edictum Regis Theodorici c. 116.* De adjutoribus adulteriorum
 vid. *l. 8. l. 9. D. ad L. Iuliam de adulteriis.* Periander Corinthiorum tyran-
 nus τὰς ἀπορωγὰς πάντα καταπόντισε, lenas omnes mari demersit. *Heracli-*
des de Politicis. *Add. Ant. Matthæus de crimin. proleg. cap. 1. §. 11. & ad lib.*
47. D. tit. X. cap. 1. & 2. Item, qui cum opem ferre deberet injuriam pa-
 tientis, id non fecit. *Cicero Off. 1. Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ,*
tam est in vitio, quam si parentes aut amicos aut patriam deserat. *Add. Ant.*
Matth. proleg. c. 1. §. 15. Sic conducti ad viatorum præsidium milites, ubi
 grassatores ingruentes, quibus pares sunt, repellere noluerint, pari cum
 his classe censentur. Sic recte imputabitur incendium vigili, qui cum
 illud exoriens prohibere posset, neglexit. *Add. Ezech. 33. v. 6.* Sic apud
 Ægyptios si quis in via hominem interfici, aut quamlibet vim sustine-
 re videns, cum posset non vindicasset, capitali supplicio obnoxius erat.
 Si quis opem per infirmitatem ferre non potuisset, indicare tamen la-
 trones, & actione scelus persequi tenebatur. Hoc negligenti plagæ
 certo numero inflictæ, ac triduo cibus interdictum. *Diodor. Siculus l. 1.*
c. 77. Add. l. 7. D. Nautæ, caup. stab. l. 2. l. 6. D. ad L. Pompejam de parricidiis
l. 7. d. t. l. 9. §. 1. D. ad L. Cornel. de falsis l. 6. §. 3. D. de re militari. Sic & Abas
 Per-

Perſæ rex, ut latrones extirparet, decretum emiſit, ut ſi quis occiſus aut ſpoliatus eſſet, incolæ proximi oppidi rationem de eo facto redderent. Vid. *Petrus de Valle Itin. part. 2. epiſt. 1.* Sic apud Spartanos, qui ſe præſente peccantem non caſtigaret verbis, in eadem erat culpa cum delinquente. *Plutarch. inſtitut. Lacon.* Sic Cato, inſtigans magiſtratus ad imponenda ſontibus ſupplicia, dicebat: eos, qui male agentes prohibere poſſent, neque id facerent, eorum flagitiis aſſentiri. Vid. l. 2. D. de noxal. act. l. 7. D. qui ſine manu- miſſione. t. t. D. de magiſtratibus conveniendis. De ſilentio quoq; , atq; diſſimulatione magiſtratuum egregie Plato de LL. l. 9. Secundus ille hoſtis eſt civitati, qui quamvis particeps huius ſceleris, (nempe læſæ majeſtatis) non ſit; tamen cum ampliſſimis fungatur in ea rep. magiſtratibus, eas conjurationes non animadvertit, & ſi animadvertit, timiditate quadam patriæ non ſuccurrit. Addatur hiſtoria de filiabus Scedaſi apud *Plutarchum* in amatoriis narrationibus. *Grotius ad Proverb. 29. 24.* Par furi eſt, qui à magiſtratu adjuratus furem ſibi notum non indicat. Vid. quoque *Levit. V. 1.* Sic & qui furioſum ſuæ cuſtodix creditum negligentius habuerit, & iſte aliquem læſerit, cuſtos ex facto tenebitur; etſi ipſi furioſo nihil imputetur. Vid. l. 14. D. de offic. præſidis. Minus principales autem cauſæ alieni facti habentur, qui conſilium dant, qui laudant, & aſſentantur ante patratum facinus, & ita, ut ipſorum conſilium, laus, & aſſentatio ad facinus ſuſcipiendum aliquod momentum attulerit. Alias enim, qui laude ſua ad pravum facinus nihil contulit, non ipſum facinus, ſed pravam ſuam voluntatem lucrere poteſt. *Ovidius Trift. l. 5. Eleg. ult.* Qui monet ut facias, quod jam facis, ille mancendo Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo. Sic lex Longobardorum l. 1. tit. 9. §. 25. pro faciente habet, qui facinoroſum adſtans hortatur. Add. *Roman. l. v. ult. Quintilian. declam. 255.* Natura ſimile eſt, facere ſcelus & probare. Ant. *Matthæus de crimin. proleg. c. 1. §. 9. 10. & 14.* Poſſis etiam huc referre, qui ſua commendatione efficiunt, ut negotium quoddam alicui committatur, quorum peccata non immerito iſtis quoque ruborem incutiunt. Vid. *Socratis ap. Xenophontem memorab. l. 2. p. m. 472.* Peculiariter autem circa conſilium expendi meretur §. II. I. de furtis. & quæ ibi Interpr. diſputant; utrum verba, ope & conſilio, conjunctim, an diſjunctim ſint intelligenda. Si enim conſilium idem ſignificat cum intentione aut deſtinatione; ille ſane duntaxat furti eſt reus, qui non per imprudenciam, ſed dolo malo furem adjuvit. l. 52. §. 13. D. de fur-

is. Quod si vero consilium quis citra opem dederit, videndum est, generale id fuerit, an speciale. Prius est, v. g. si quis de paupertate querentem hortetur, ut furto rem sibi quærat. Talis consiliarius, saltem in foro humano, pro fure haberi nequit. Sed si speciale consilium quis dederit; puta si ostenderit, qua via in ædes sit penetrandum, & quo tempore, ubi res amoveri aptæ sint positæ, aut quæ ratio latendi: hic sane non mediocriter furem redolebit. Vid. *Ant. Mattheus de crimin. proleg. c. 1. §. 7.* Est præterea circa consilium, & similem influxum ad actionem alienam observandum, per id communicari duntaxat reatum, non autem à patrante in consulentem plane devolvi; nisi hic peculiariter ad eventum præstandum sit obligatus. Inde non injuria queritur *Diodotus* apud *Thucydidem* l. 3. quod oratores concilii sui rationem reddere debeant, non autem populus suæ auscultationis. Addit: *Equidem si quam suasor, tam is qui credit, damnum subiret, prudentius judicaretis. Nunc vero si quando ira ad irritum cadentis spei commovemini, suasorem solum multatis, non vosmetipsos, qui vos frequentes erroris comites præbuisistis.* Inde in universum pronunciat *Hobbes Leviath. c. 25.* *Dantem consilium is qui petit neque punire, neque accusare jure potest. Nam qui petit, consilium arbitrio dantis dari voluit. Itaque qui Monarcha vel cetui consilium dat petenti, sive placeat, sive displiceat, puniri non potest, ut quod volentibus datum est.* (Addiderim tamen, modo consiliarius bona fide sententiam dicat, & rei de qua consulit notitiam habeat. Improbum quippe est, circa res incognitas sententiam velle dicere.) *Sed si civis civi consilium det faciendi aliquid, quod lege prohibitum est, sive consilium id à prava intentione, sive ab ignorantia tantum procedat, puniri à civitate potest; quia ignorantia legis illum, qui legis notitiam habere debuit, non excusat.* Inde & sine grano fallis admitti non potest illud axioma apud Anglos, cujus æquitarem commendat *Georg. Bateus elencho motuum Anglic. part. 1. Rex nunquam potest errare, aut cuiquam injuriam facere: quippe in ministros & consiliarios; (quorum est admonere Principem, iniqua volenti denegare operam, aut officio renunciare potius, quam contra leges quidquam jubenti parere) tam culpa omnis, quam pœna derivari & solet, & debet.* Add. *Gellius* l. 1. c. 3. de *Chilone*, qui conscientia vellicationes sensit, quod amicum facinoris manifestum ipse clam condemnaverat, sed aliis judi-

judicibus, ut eum absolverent, persuaserat. Memorabile est quoque illud apud *Eundem* l. 11. c. 18. ubi refert, furem esse hominis judicatum, qui quum fugitivus forte præter oculos domini iret, obtentu togæ tanquam se amiciens obstitisset, ne iste à domino videretur: Huc, an ad priorem classem pertinent, qui exemplo suo alios accendunt ad peccatum, quod citra istud omiffuri erant. *Matth.* 18. vers. 6. *Juvenalis sat.* 2. *Grex totus in agris Vnius scabie cadit & porrigine porci, Vnaque conspecta livorem ducit ab uva.* Add. *Grotius* l. 2. c. 17. §. 6. seqq. & cap. 21. §. 1. seqq. *Anton. Matthæus de criminibus prolegom.* cap. 1. §. 6. seqq. Ex hæcenus dictis facile perspicitur ratio juxta aclimitatio vulgarium axiomatum: quod quis per alium facit, ejus autor ipse censetur; l. 1. §. 1. D. de eo per quem factum erit: nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur: quod jussu nostro circa res nos spectantes ab altero gestum est, nos ipsos obligat: nostra actio habetur, cujus executionem alteri injunximus; & similia. Porro de illa actionum communicatione, quæ ex coitione in unum corpus morale resultat, alibi erit dicendi locus. Quando denique ex permissione, seu ex eo, quod quis alienam actionem fieri non impedit, de actione alterius quis participare dicitur; requiritur, ut non solum per vires suas naturales eam impedire valuerit, sed ut obligatio quoque ipsi incubuerit eandem impediendi. Ubi alterutrum horum defecerit, nihil imputari poterit illi, qui alterum pro lubitu suo agere permisit. Unde Deo nihil potest imputari eo nomine, quod is peccata permittere dicitur. Non enim tenetur ad illa prohibenda eo modo, quo omnino fieri non possent; i. e. negando, aut subtrahendo vires naturales, aut libertatem voluntatis extinguendo. Hæc enim ni adessent, nulla actio moralis ab homine posset edi. Rotunde *Lucianus de mercede conductis*, in fine. *Σὺς ἀναστρεφόμενος, ἀστρία ἢ ἐλομένω.* *Deus in culpa non est, verum qui sua sponte delegerit.* Sic jocularis tantum locutio est, quando v. g. permittere dicimus, ut pluat. Sic effectum morali caret illa permissio actionis ab altero susceptæ, quam prohibere nobis non est injunctum, aut supra nostras vires, nisi impotentia illa per nostram culpam sit contracta; aut ubi quid nobis ignorantibus sit actum, nisi per supinam negligentiam ignorantia obrepserit, & intra gradum diligentiam;

quam

quam adhibere tenebamur. Denique imputari non potest permissio actionis bonæ, quam de facto quidem prohibere poteram, sed non debebam. Sic nihil ille mihi potest imputare, qui meo me jure uti permisit, seu non impedivit, i.e. qui nullam mihi injuriam intulit.

CAPUT VI.

DE NORMA ACTIONUM MORALIUM,
SEU DE LEGE IN GENERE.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Lex differt à consilio;</i> | 10. <i>Id non esse ex nudis viribus:</i> |
| 2. <i>A pacto;</i> | 11. <i>Neque ex sola natura præstantia.</i> |
| 3. <i>Et jure.</i> | 12. <i>Quid vis obligationibus addat?</i> |
| 4. <i>Quid sit lex?</i> | 13. <i>Legislator & lex debent esse cognita.</i> |
| 5. <i>Quid obligatio?</i> | 14. <i>Partes legis essentielles quæ?</i> |
| 6. <i>Vnde sit ut quis possit obligari?</i> | 15. <i>Permissio legis quid?</i> |
| 7. <i>Sibi ipsi nemo obligatur.</i> | 16. <i>Materia legum.</i> |
| 8. <i>Qui obligandus est, debet habere superiorem.</i> | 17. <i>Lege quis obligetur?</i> |
| 9. <i>Vnde sit, ut quis alteri possit obligationem injungere?</i> | 18. <i>Legis divisio.</i> |

Dispiciendum porro est de norma illa morali, seu de lege, ad quam actiones morales debent exigi, & ad quam ubi congruunt vel non congruunt, peculiæres qualitates sortiuntur. Ubi ante omnia accurate discernenda est lex ab illis rebus, quæ cum eadem cognationem aliquam habere videntur, & ideo à quibusdam cum ea confunduntur; uti est *consilium, pactum, & jus*. Et à consilio quidem lex differt, quod per illud rationibus ex ipsa re petitis ad suscipiendum quid, aut omittendum adducere quis conatur illum, in quem, saltem quoad præsens negotium, potestatem non habet, sic ut obligatio nulla eidem directè adferatur, sed in arbitrio ipsius relinquatur, sequi velit consilium, an minus. Et si consilium obligationi occasionem præbere possit, quatenus notitiam alicui imprimat, quæ obligationem parit aut auget. Sic Medicus pro imperio nequit ægroto præscribere, quid ipsi adhibendum, quibus abstinendum: sed dum ostendit, quic huic salutare sit, quid exitiabile, ægrotus illud amplecti, hoc fugere tenetur, non ex jure, quod in ipsum Medicus habet, sed

ex

ex lege naturæ, quæ unicuique curam vitæ & incolumitatis suæ imperat. Lex vero licet & ipsa suis non debeat carere rationibus, hæ tamen proprie causa non sunt, quare ipsi obsequium præstetur, sed potestas præcipientis, qui ubi voluntatis suæ decretum significavit, obligationem subdito adfert omnino juxta præscriptum suum faciendi; etsi fors ipsi rationes præcepti haut ita liquido adpareant. Huc ferere deunt, quæ traduntur *Hobbesio de Cive c. 14. §. 1. Consilium est præceptum, in quo ratio quare pareamus, sumitur ab ipsa re, quæ præcipitur. Lex autem seu mandatum est præceptum, in quo parendi ratio desumitur à voluntate præcipientis. Proprie enim non dicitur, sic volo, sic jubeo, nisi stet pro ratione voluntas. Adeoque legibus obeditur non principaliter propter rem ipsam, sed propter voluntatem præcipientis. Inde quoque lex est ejus, qui potestatem habet in eos, quibus præcipit; consilium ejus, qui potestatem non habet. Facere id quod lege præcipitur, officii, quod consilio, arbitrii est. Consilium dirigitur ad finem ejus, cui præcipitur, eumque finem hic ipse æstimare, & probare potest. Lex autem, ut ut sæpe quoque habeat finem ad eos tendentem, quibus præcipitur; horum tamen non est finem æstimare aut reprobare, sed eundem determinat, qui præcipit. Consilium nisi volentibus non datur; lex etiam nolentibus fertur. Denique jus consilii tollitur arbitrio ejus, cui consilium datur: jus legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur lex. Add. l. 2. §. 6. D. mandati.*

§. 2. Neque vero sat accurate illi antiquorum, qui leges κοινὰς Συνοδικὰς & ὁμοθυμαδὸν communes conventiones subinde vocant. Sicut apud *Isocratem adversus Callimachum* lex de amnestia τὸ πάλαι Συνοδικὸν vocatur: & *Aristotelem Rhetor. ad Alexandrum c. 1. 2. 3.* & passim apud Græcos. Apud *Dionysium Halicarn. l. X.* dicitur, Συνοδικὰς εἶναι κοινὰς πόλεων τὰς νόμους, leges esse commune civitatis conventum. Præterquam enim quod nec divinæ positivæ, nec naturales leges à conventionem hominum ortæ sint, adeoque ad civiles dumtaxat leges ea appellatio pertinere possit; ne hæ quidem proprie pacta aut conventiones sunt, licet in constituenda potestate civili legislatoria pacta intervenerint. Equidem satis adparet, Græcos, uti in aliis dogmatibus politicis, ita & heic democraticas suas civitates ob oculos habuisse: in quibus quia leges rogante magistratu, & sciscitante ac jubente populo, adeoque velut per modum stipulationis ferebantur, conventionis vocabulum illis fuit tributum. Quanquam ne hanc quidem

dem ob causam, quod major pars populi debeat consentire, leges democraticæ pacta proprie vocari possunt. Nam consensus iste dumtaxat est modus, quo vis summi imperii, quod penes cœtum universonum est, sese explicat; dum illud pro voluntate & decreto universonum habetur, in quod major pars consensit. Sic ut longe alia sit efficacia suffragii, quod circa decretum aliquod conficiendum singuli ex concilio ferunt; & consensus, quem quis circa pactum incundum declarat. Nam heic qui non consenserit, non tenetur, neque aliter pactum coire potest: illic autem etiam non consentiens per suffragia plurium obstringitur. De cætero, quæ inter pactum & legem differentia sit, in aprico est. *Pactum enim est promissum; lex mandatum. In pactis dicitur, faciam: in legibus, fac. In pactis, cum eadem in origine sua à nostro arbitrio dependeant, prius determinatur, quid faciendum sit, quam ad faciendum obligamur: in lege autem, quæ potestatem alterius in nos supponit, ante obligamur ad faciendum: quid vero faciendum sit, post determinatur.* Adeoque pacto non tenetur, nisi qui suo consensu sese obstrinxerit; lege autem obligamur, quia antea ejusdem auctori obsequium debebamus. Vid. *Hobbes*. d.l. §. 2. Add. quoque notata *Grotio ad Matth. in script. vocab. ἡ ναυὴ δὲ θύρα*.

§. 3. Denique juris vocabulum uti cum lege sene idem significat, ubi cum primis pro complexu legum ponitur in eorum, ne pro lege id accipiamus, quando potestatem aliquid agendi, legibus concessam aut relictam, notat. v.g. Ne quando hoc vel illud lege divina faciendi jus esse dicitur, putemus, idem lege divina præceptum; adeoque recte à nobis fieri posse, etiam si legibus humanis interdicitur. Cum enim homo illa omnia potestatem agendi habeat, quæ à viribus suis naturalibus proficisci possunt, nisi quæ per legem prohibetur; inde usus loquendi fert, ut quæ legis alicujus specie non interdicitur, ex illa lege eadem agendi jus esse dicatur. Igitur in hoc quidem significato jus ad libertatem pertinet: lex vero vinculum aliquod notat, quo libertas naturalis constringitur.

§. 4. In genere autem lex commodissime videtur definiri per decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat. *Decretum* dicimus, non quod intra mentem & voluntatem decernentis subsistit, sed quod subjecto est insinuatum tali modo, ut necessitatem ad idem se componendi intelligat: eoque id
iusto

iusto nobis heic æquipollet. Ubi etiam parum putamus interesse, legem
 quis decretum vocet, an orationem; modo non credatur, ad legem esse
 necessarium, ut viva voce, aut verbis in scriptum relatis promulgetur:
 cum sufficiat, si qualicunque modo voluntas legislatoris subjectis inno-
 tuerit, etiam per intrinsecam congeniti luminis suggestionem. Inde
 inutilem arbitramur subtilitatem *Hobbessii de ciue c. 3. §. ult.* dum leges na-
 turæ eatenus duntaxat legum vim obtinere tradit, *quatenus in scripturis sa-
 cri oratione Dei sunt promulgatae; non autem quatenus sunt conclusiones qua-
 dam ratione intellecta de agendis & omittendis.* Sane enim ex dictamine
 rationis non intelligitur solum, legum naturalium observantiam esse
 generi humano proficuum, sed & Deum velle ac jubere, ut mortales ad
 istarum normam actiones suas dirigant. Id quod ad essentiam legis suf-
 ficit. Quanquam & hoc reponi possit, leges naturales, etiam ut sunt
 dictamina rationis, non posse aliter quam per modum orationis concipi.
 Circa Grotianam definitionem l. i. c. i. §. 9. dum legem dicit obli-
 gare ad id, *quod rectum est*, notandum; ipsum supponere, dari aliquod
 iustum & rectum ante legem & normam; adcoque legem naturæ rectum
 non facere, sed jam antea existens duntaxat significare. De qua hypo-
 thesi quid sentiendum, supra à nobis fuit expositum. De cætero illud
 planum est, sub legibus comprehendi non solum, quæ ad iustitiam prop-
 prie dictam pertinent, quæ ex obligatione perfecta aliis exhibenda diri-
 git; sed & quæ ad alias virtutes spectant, & in ipso agente terminantur.
 Qua ratione leges contra ebrietatem, & alias intemperantiæ species,
 quæ ipsi patranti plurimum obsunt, ferri possunt & solent. Huc perti-
 net lex Zaleuci; *Si quis Locrensum agrotans vinum merum bibisset, nisi ju-
 bente Medico, etiamsi ad pristinam valitudinem redisset, mors ei supplicium e-
 rat constitutum, quoniam non iussus biberat.* Apud *Ælianum V. H. l. 2. cap. 37.*
 quæ pœna tamen sine dubio nimis est rigida. Huc spectant quoque le-
 ges sumptuariæ, quæ modum præscribunt expensis in victum, vestes, adi-
 ficia, aliumque adparatum. In quas si quis peccaverit, nemini facit in-
 juriam, cum eos sumtus de suo faciat. Neque tamen dubium, quin
 civis ad parsimoniam, quæ cuique maxime prodest, per leges ad-
 stringi queat.

§. 5. Cæterum cum in definitione legum dictum sit, illas à su-
 periore proficisci, & in se habere vim obligandi; necessarium videtur

hoc loco ostendere, quid obligatio sit, & unde oriatur, nec non quis obligationem recipere, & uti quis alterum obligare queat; seu quod eodem redit, unde sit, quod quis alteri pro imperio quid injungere possit. Obligationem igitur supra definivimus, per qualitatem moralem operativā, qua quis præstare aut pati quid tenetur (quando nempe obligationem consideramus, prout hæret in eo, qui obligatur. Secus atque *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 5. §. 27.* qui obligationem definit, prout est actus legislatoris, quo actiones legi suæ conformes eis, quibus lex fertur, necessarias esse indicat.) Jcti Romani vocarunt vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ. Injicitur enim per eandem velut frænum aliquod morale nostræ agendi libertati, ut in diversam, quam quo illa ducit, partem tendere recte non possimus. Etsi per eam voluntas haut quidquam ita stringi queat, ut saltem de facto & suo periculo in diversa abire non detur. Quo sensu verum est illud *Arriani in Epicteto l. IV. c. 12.* *ἄλλοτρίαν ἑσθὲς κῆρα. G. aliena voluntati nemo dominatur.* Porro licet multa alia voluntati, ut in alterutram partem vergat, momentum adferant; hoc tamen obligatio præ istis habet peculiare, quod ea velut naturali aliquo pondere voluntatem premant, quo remoto hæc ad indifferentiam suam ultro redeat: obligatio vero moraliter voluntatem afficiat, & peculiari quasi sensu eandem intrinsece imbuat, ut in suas actiones ipsa censuram exercere cogatur, ac malo se ipsam dignam judicare, ni præscriptæ sese normæ reddiderit conformem. Quo ipso etiam sufficiens momentum obligationi inesse intelligitur ad flectendam voluntatem; quippe cum nihil sit, quod necessitatem quippiam agendi aut omittendi menti humanæ de futuro deliberanti afferre queat, præter cogitationes boni & mali, aliis aut nobis ex iis quæ facimus proventuri; siquidem sua voluntati libertas constare debet, ac tales edendæ sunt actiones, quæ agenti recte imputari possunt. Et in hoc præcipue obligatio differt à coactione, quod licet utraque ultimo metum aliquem ostentet; hæc tamen extrinsecus tantum voluntatem concutiat, & in electionem rei ingratiæ per solum sensum imminentis mali impellat: obligatio autem insuper efficiat, ut quis ipse adigatur agnoscere, sibi non immerito accidere malum, quod à proposita regula devianti est propositum, cum ultro eandem sequenti istud declinare licuerit.

§. 6. Quod igitur homo aptus sit ad recipiendam obligationem, una quidem causa est, quia voluntatem habet, quæ in utramque partem sese flectere, adeoque ad normam aliquam moralem se componere potest; secus atque illa entia, quæ ad uniformem agendi modum intrinsece sunt determinata. Ex quo consequitur, ut quatenus nulla ab extrinseco principio necessitas accessit, homo intelligatur liber, & habere potestatem agendi omnia, quæ per vires naturales ab ipso possunt effici. Quin & ubi sese ad aliquid semel determinavit, seu ubi quid elegit, ac secum constituit; in eo tamen decreto, quatenus consideratur ut ab ipsius voluntate profectum, haut quidquam tanta vis est, quin idem recte, quando lubitum fuit, mutare, aut tollere ipse queat; nisi extrinsecus accedat aliquid, quod voluntatem semel determinatam ac declaratam mutari prohibeat. Nam tunc homo, significato voluntatis suæ decreto, occasionem præbere potest, ut ab illo deinceps discedere fas ipsi non sit. Intelligitur autem mutatio in voluntate facta, non solum quando quis expresse significat, sibi prius placita jam displicere; sed etiam cum quid fecit, quod cum priori voluntatis decreto stare non potest. Ex quo fundamento quoque deducenda sunt, quæ ab JCTis super *pœnitentia* traduntur. Si enim ultima & generalis causa quærat, quare in quibusdam actibus pœnitentia sit licita, in aliis minus, nulla reperitur alia, quam quia in quibusdam extrinsecus accessit vinculum, quod voluntatem semel declaratam prohibeat mutari; in reliquis autem voluntas intrinsece suæ libertati fuit relicta. Prius autem ut plurimum fieri suevit, quando alter ex ista voluntatis mutatione insigniter esset lædendus; adeoque inde occasio foret oritura socialitatem & amicitiam inter homines abrumpendi. Ex quali voluntatis significatione alteri jus quæsitum effeditur, per quod jam habeat facultatem aliquid ab altero exigendi, ut si id non præstetur, etiam vim adhibere possit, abs se aut superiore profectam, prout in naturali libertate; aut in civitate quis degit. Igitur quando ex declarata mea voluntate alteri jus non est quæsitum, ibi pœnitere mihi pro lubitu licet. Tunc autem jus nondum est quæsitum, quando à superiore, cui in nos imperium competit, alteri non est concessa facultas exigendi id, quod ab altero fuit significatum. Unde & hoc patet, quare leges positivæ ab illo, qui tulit, iterum abrogari possint: quia scilicet nemini ex illis tale est jus quæsitum, cujus vi exigere is

possit, ut illæ leges perpetuo maneant. Etsi non pauca civitates per jurandum in leges conceptum earundem mutabilitatem tollere instituerint. Imo si vel maxime talis clausula sit addita, posterius decretum isti repugnans irritum fore, mutari nihilominus poterit, modo per eam clausulam nemini sit jus quæsitum. Absurdum enim est, per statutum præcedens statutum futurum velle frustrari. Absoluta quippe potestas seipsam constringere nequit, neque quod natura est revocabile figi potest. Vid. *Cicer. ad Atticum* 3. ep. 23. Apud *Thucydidem* l. 2. Athenienses mille talenta in arce reponunt, capitis pœna indicta, si quis suaderet aut decerneret, ut in alios usus ea pecunia converteretur, nisi hostes classe urbem aggrederentur. Et tamen iidem ex defectione Chiorum metu perterriti eam legem deinceps antiquant, apud *Eundem* l. 8. Quando autem principes constitutionibus quibusdam expresse addunt; licet peculiari rescripto quid illis adversum jusserint, ei tamen à magistratibus aut iudicibus non esse parendum: id non eum habet effectum, quasi istas abrogare ipsi nequeant; sed potius significant, posteriora rescripta non esse seria, aut sibi per imprudentiam excidisse. Quandoque etiam subtili hac arte procacium petitorum importunitatem amoliuntur, quibus aperte negare non sustinebant. Add. l. 1. & 2. C. *si ex rescripto nuptiæ petantur*. Accurate tamen distinguendum inter ipsam legem positivam, & jus illud, quod occasione ejus legis est quæsitum. Illa abrogari à legislatore iterum potest, manente tamen jure, quod occasione legis, quamdiu illa duravit, fuit partum. Nam simul cum lege omnes ejus effectus antegressos tollere, iniquissimum foret. v.g. Si in civitate lex sit; *uti paterfamilias super re sua legasset, ita jus esto*; sane licebit legislatori eam testandi licentiam circumscribere, & constituere, ut deinceps omnes hereditates ex intestato deferantur. Iniquum tamen foret, bona per testamentum ad quæ illis adimere, qui hereditates creverant, priori lege adhuc subsistente. Huc pertinet etiam, quod Bonifacius VIII. Papa in odium Philippi Pulcri Regis Galliarum omnes indulgentias Gallis per suos antecessores concessas annullavit: quod factum merito irritet *Henr. Stephanus Apol. pro Herodoto* c. 40. Sed & separandi sunt à legibus alii actus, qui à summis imperantibus suscipiuntur, ne quis credat, omnes eorum legitimas donationes, alienationes, & conventiones posse ab ipsis, aut eorundem successoribus retractari. Nam per tales actus alii
jus

ius quæsitum est, quod invitis eripi non debet. Inde adparet, quando quis suo juri renunciat: non necessarium esse expresse addi; nihil ab ipso aut hæredibus contra illam cessionem tentatum iri, aut si quid tentatum fuerit, id pro irrito & nullo esse habendum. Nam cum ejusmodi cessione juri quis suo in rem aliquam sese penitus abdicet, idque in alium translatum profiteatur, etiam citra illam clausulam intelligebatur, illum nullo cum effectu deinceps circa illam rem disponere, in quam eidem nihil juris amplius competit. Ex eadem ratione, quia vivo testatore ex testamento nemini adhuc jus est quæsitum, testamentum licet mutare, etiam ubi talis clausula sit addita; ne posterius testamentum valeat. Nam hæc illud quidem efficit, ut posterius non seria voluntate profectum præsumatur: si tamen illa clausula posteriori testamento revocata sit, prius utique nullum erit. Sic & regulariter, si inter instrumenta dispositionum & conventionum super eadem re pugna deprehendatur, posteriori derogabit.

§. 7. Ex dictis quoque colligi potest, quare quis sibi ipsi nequeat obligari, seu quare quis secum conventionem inire, aut sibi quid promittere nequeat, quod non nisi seipsum spectat. Scilicet cui per obligationem jus quæritur, hoc ipsi remittere est integrum, ubi in fraudem tertii id non cedit. In hoc autem casu idem est obligans & obligatus, seu cui jus quæsitum est, & qui obligatur. Ergo si vel maxime quis se ipsum sibi obligare destinaret, frustra tamen id est, cum liberare se arbitrio suo citra præstationem alicujus rei possit. Id quod qui potest, jam actu ipso liber est. Adde, quod nulla ejusmodi obligationis est futura utilitas, cum nec præstando quid alicui accedat, nec intermittendo decedat, quando quis sibi ipsi dat aut denegat. Add. *Seneca de beneficiis* l.V. c. 7. seqq. Quando autem dicitur, v. g. quemlibet obligari ad se ipsum conservandum, sensus iste est; obligationis illius homini inhærentis exercitium in ipso homine terminari. Quæ tamen ad Deum legis naturalis autorem refertur, tanquam illum, cui ejus obligationis exercitium exigendi, ejusdemque neglectum vindicandi jus sit. Adeoque hætenus homo seipsum conservare tenetur, quatenus Dei servus, & societatis humanæ pars est, cui sese utilem jussu DEI præstare debet.

Sic-

Sicuti & dominus servum, & civitas civem recte plectere potest, si se ipsum ad labores & debita munia ineptum reddiderit. Atque hoc, quod nemo seipsum sibi possit obligare, procedit non solum in personis singularibus, sed & in integris cœtibus atque societatibus. Quod autem aliqui tradunt, interdum hominem sibi ipsi jurare, puta, quod hoc vel illud sit omissurus, in quod ipsum pravus appetitus rapit, id aliquatenus rationem voti habet, cujus exactio penes Deum est. *Conf. Felden. ad Grot. l. 2. c. 13. §. 1.*

§. 8. Altera autem causa, quare voluntati hominis, ad normam se se componere idoneæ, eadem præscribi possit cum hoc effectu, ut eam sequi utriusque teneatur, est, quod is à potestate superioris non sit immunis. Hæc duo faciunt, ut homo sit capax obligationis, ex principio extrinseco accedentis. Nam ubi alicujus agentis vires per naturam ad uniformem agendi modum sunt alligatæ, ita ut motu intrinseco in diversum nequeant discedere, actio physica, non moralis producitur, quæ ex necessitate potius, quam ex obligatione provenire dicitur. Ubi vero quis neminem agnoscit superiorem, nullum adest validius principium extrinsecum, quod interiori libertati frænum possit injicere. Et si maxime is in agendo certum modum observet, & à quibusdam actionibus constanter abstinat; id non ex obligatione aliqua, sed proprio ex beneplacito facere intelligitur. Sequitur ergo, ut ille obligationis sit capax, qui & normam præscriptam potest cognoscere, & voluntatem habet intrinsece liberam, & in diversa flexilem; quæ tamen, ubi norma per superiorem fuerit imposita, sentiat ab eadem sibi non esse discedendum. Quali natura hominem esse præditum patet.

§. 9. Introducitur autem obligatio in animum hominis proprie à superiore, i. e. tali, cui non solum sint vires malum aliquod repræsentandi contranitentibus; sed & cui justæ sint causæ, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostræ libertatem circumscribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint, postquam quid velit, simulque quid voluntati ipsius parentes boni, renitentes mali maneat, significavit, necessum est in facultate rationis compote oriri metum reverentia temperatum; illum quidem ex ipsius potentia, hanc autem ex consideratione causarum; quæ etiam remoto metu, & per modum consilii sufficere debebant ad ipsius voluntatem amplectendam. Unde arbitramur jus injun-

injungendi alteri obligationem, seu, quod eodem recidit, jus alteri imperandi, legesque præscribendi non oriri à solis viribus, neque etiam ab *inimicitia* aut præstantia naturæ. Equidem solæ vires contra inclinationem meam eo me possunt permovere, ut malim alterius voluntati tantisper parere, quam ejusdem vim experiri. Isthoc tamen metu remoto nihil obstat, quo minus meo potius, quam ipsius arbitrio agam. Et ubi quis nil nisi vim potest allegare, quare ego ad ipsius arbitrium me debeam componere; nihil prohibet, ubi rationibus id meis conducere judicavero, omnem viam tentare, excussa istius vi, libertatem meam vindicandi. *Terentium Adelph. Malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.*

§. 10. Quo loco expendi merentur, quæ tradit *Hobbes. de Civ. c. 15. §. 5. In regno Dei naturali jus regnandi, & puniendieos, qui leges suas violant, esse à sola potentia irresistibili.* Idque hoc modo probare satagit. *Ius omne in alios vel est à natura, vel à pacto. A natura id jus derivatur, eo ipso quod per naturam non est sublatum. Cum enim per naturam jus esset omnibus in omnia, unicuique jus erat in omnes regnandi ipsi natura coævum.* Id tamen inter homines abolitum ob mutuam metum ex æqualitate virium resultantem, quæ bellum erat paritura generi humano exitiosum. *Quod si quis ceteros potentia in tantum anteisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent, ratio quare de jure à natura sibi concessio decederet, nulla omnino fuisset. Mansisset igitur ipsi jus dominii in ceteros omnes propter potentia excessum, qua & se & illos conservare potuisset. Is igitur, quorum potentia resisti non potest, & per consequens Deo omnipotenti, jus dominandi ab ipsa potentia derivatur.* Enimvero in his non unum est, quod censuram mereatur. Nam primò nescio an satis cohæreant illæ locutiones; *jus imperandi ex solis viribus est à natura concessum; & idem jus à natura derivatur, eo ipso quod à natura non sit sublatum.* Alias enim non statim quod à me non est sublatum, illud à me est concessum. Et cum non sublatum & concessum esse unum & idem non sit, videri possit ab alio principio, quam à natura, jus illud esse concessum. Deinde id principium, *natura dedit jus omnibus in omnia*, dextre est explicandum. Jus ipsi est libertas, quam quisque habet facultatibus naturalibus utendi secundum rectam rationem. Sensus

N

igitur

igitur sanus dicti principii hic erit. Per naturam, i. e. remota omni lege, cuique licet viribus suis naturalibus uti, contra quemcunque sua cuique ratio easdem adhibendas dicitur, & quidem ad sui conservationem. Atqui ex hoc non consequitur; per solas vires naturales posse alteri obligationem proprie dictam injungi. Diversa quippe sunt cogere, & obligare. Illud solis viribus naturalibus potest effici; hoc vero nequaquam. Nam ex mente *Hobbesii* in statu naturali uti jus est alios cogendi; ita alii cogentibus jure resistunt. Atqui cum jure resistendi obligatio simul stare non potest. Obligatio enim præsupponit tales causas, quæ intrinsece hominis conscientiam ita afficiant, ut ex propriæ rationis dictamine judicet, non recte adeoque non jure sese resistere. Et quamquam contra rationem sit, incassum contra vires superioris tendere, & hoc modo sibi gravius malum arcescere; (*Pindarus Pythior. od. 2. ωρινύσσει δ' τοι λακτιζιμῶν τελεθαι ἐλαδης ἔτιμῶν*, contra stimulum calcitrare est lubrica via.) remanet tamen jus omnes vias tentandi, si qua etiam per vim alterius vis possit excuti, aut subterfugio eludi. Id quod itidem cum obligatione proprie dicta, & quæ à *Grotio* passim extrinsece opponitur, nequit consistere. Adeoque per nudam vim non ipsum jus resistendi, sed tantum ejusdem exercitium extinguitur. Declarari potest res exemplo brutorum, quibus cum homines in statu ex lege vivimus. Quæcunque eorum viribus superare possumus, subjugamus, & servitio nostro admoveamus. At si qua vim nostram effugere potuerint, nemo injuriam sibi ab ipsis factam queritur. Nec est, quod quis regerat, bruta obligationis non esse capacia, adeoque non nisi sola vi posse stringi. Nam & ipse *Hobbes. de Civ. c. 8. §. 2.* agnoscit, bello captum, obligationis utique capacem, quousque solis vinculis naturalibus coercetur, nulla obligatione contineri, priusquam pactum & fides intercesserit; adeoque talem sese captori per fugam subtrahere, aut etiam vi in eundem insurgere posse, quamprimum commodam occasionem nactus fuerit. *Seneca de Ira l. 2. c. 11. Ita natura constituit, ut quod alieno metu magnum est, suo non vacet.* Nunc dicam, quod illud axioma *Hobbesianum natura dedit jus in omnia*, absurde & nullo sensu ad Deum adplicetur. Quomodo enim Deo natura aliquid dedisse potuit, cum natura sit vel ipse Deus, vel opus Dei? Ex hisce igitur rationibus, & quia non satis dignum id bonitate divina videtur, haut quidquam jus dominandi, seu imperium Dei, quatenus notat vim

CAPUT VI.

vim imprimendi obligationem animis hominum, ex sola & nuda ipsius omnipotentia derivandum arbitramur. Quæ porro ab *Ipsò* ex Sacris Literis proferuntur, isthanc thesin non adstruunt. Quando Deus ad potentiam suam provocat, circa calamitates Jobo immissas, ex eo non consequitur, Deo nullum jus in creaturas competere, nisi ex nuda ipsius potentia. Quin ipse Jobus initio recte agnoscebat, quo jure Deus ipsum bonis, atque liberis spoliasset. *Dominus dedit, inquit, Dominus abstulit.* q. d. Quare suum pro arbitrio non repeteret, qui id precario duntaxat concessit? Add. *Seneca ad Polybium, c. 29.* Verum ubi superante ægritudine cum Deo expostulare institueret, recte Deus retundendæ contumaci querelæ potentiam suam allegat, postquam iste alias imperii divini rationes æstimare neglexerat. Quemadmodum cæteris contumacibus subditis facere solemus, ut quando rationes audire detrectant, vim ipsis ostentemus; ut videant, stultos se quoque, non malos duntaxat esse, qui nobis cornua obvertere audeant. Sic si quis queratur, quod bonis mala, malis bona eveniant; ubi genuinas ejus rei causas agnoscere detrectat, eidemum ultimo loco potentia divina occinitur; quasi diceremus, quia tibi utique credis injuriam fieri, abi, & pugna contra Deum. Ex iisdem quoque adparet, male *Hobbesum* inferre, obligationem ad præstandam Deo obedientiam incumbere hominibus propter imbecillitatem. Nam hæc sola facere potest, ut quis stultum judicet, obsequio gravius malum non redimere: non autem per eandem adimitur jus, quo minus quis & desiderare, & omnem movere lapidem possit, ut alterius vim liceat effugere. Quod jus tamen vera obligatio omnino excludit. Neque sequitur, duorum omnipotentium neuter potest alteri obligari, ergo ideo tantum mortales Deo obligantur, quia non sunt omnipotentes; si vel maxime antecedens extra dubitationem positum esset. Ne nunc dicam, duos omnipotentes citra contradictionem poni non posse. Neque hoc solo argumento, jus suum adversus Saulum assertum ibat Salvator noster, quod durum ipsi foret contra stimulum calcitrare, *Actor. IX. 5.* sed insana duntaxat ausa ipsius arguebat. Neque enim hac una ratione Ananias sub signa Christi vocabat Paulum, quod supra vires ipsius esset positum eam religionem subvertere. Eo diligentius autem illud dogma confutandum fuit, quo periculosius feroces homines eodem abuti possunt. Apud *Thucydidem* l. V. legatus Atheniensium: *ingenio uti-*

mur omnium hominum, ut quibus praevalent, eis imperent. Eam legem neque nos primi tulimus, neque lata primi usi sumus: sed jam ante solitam accepimus, utimurque ea in perpetuum permanensura. Dionysius Halicarn. l. 1. Φύσις γὰρ δὴ νόμος ἀπασιν κοινός, ὃν ἕδεις καταλύσει χρεῖον, ἀρχὴν αἰ τῶν ἡττιόνων τὰς κρείττονας. Sempiterna & communi omnibus lege receptum est, inferiores parere praestantioribus. Apud Plutarchum Camillo πρῆσβύτατος νόμος, ἀντικρίσσιμα lex Brenno vocatur, ὅς τῷ κρείττονι τὰ τῷ ἡττιόνων δίδωσι, ἀρχόμενος ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τελευτῶν εἰς τὰ θεῖα. καὶ γὰρ τύποις ἐκ φύσεως ἐπιτείνονται πλέον ἔχοντα κρείττονα τῶν ὑποδουλιχίων. qua fortibus res largitur ignavorum, ducta à Deo, & ad brutum usque terminans. Nam & his natura comparatum est, ut praeferrī imbecillioribus velint praestantiora. Apud Livium l. V. c. 36. brevius: Omnia fortium virorum esse. Gemina sunt, quae differit Calicles apud Platonem Gorgia. Ubi praesupponit, plerumque contraria inter se esse naturam atque legem. Nam v. g. natura turpius esse injuriam accipere, utpote πάθος ἐκ αἰσθῆς, ἀλλ' ἀνδραπόδου, passionem non viri, sed mancipii; & tamen lege turpius esse injuriam inferre. Idque leges, quippe multitudinem viribus inferiores, constituisse, & laudes, ac vituperationes ita disposuisse, ne potentiores qua in re excedere eos possint; ἢ δὲ γὰρ (δύμμη) φύσις αὐτὴ δόξαται εἶναι, ὅτι δίκαιον ἔστι τὸν ἀμείνω τῷ χειρόνῳ πλέον ἔχειν, καὶ τὸν δυνατώτερον τῷ ἀδυνατώτερον. Natura vero ipsa, veluti patet, demonstrat aequum esse, ut praestantiores potentioresque omnia ceteris habeant superiora. Inde quod Xerxes contra Graecos, Darius contra Scythas ex eo praetexto copias duxerint, hoc ipsos fecisse κατὰ νόμον τὸν τῆς φύσεως juxta legem naturae. Reprehendit quoque generosorum adolescentum spiritus ea doctrina (de justo) opprimi: contra si quis ista legem vincula abrumpat, in eo ἐκλάμπειν τὸ τῆς φύσεως δίκαιον, exsplendescere jus illud naturale. Sic Herculem neque emptos, neque donatos Geryonis boves abegisse, ὡς τέτυκται οἱ τῶν δικαίων φύσει, καὶ βῆ: καὶ τ' ἄλλα κτήματα εἶναι πάντα τῷ βελτιόνος τε καὶ κρείττονος τὰ τῶν χειρόνων τε καὶ ἡττιόνων. Utpote naturali ipso jure dictante, & boves, & cetera omnia, quae ab hominibus possidentur, illius, qui praestantior sit atque valentior, esse debere. Scilicet hoc Ithacus velit, & magno mercetur Atreidae. Facilliori cum temperamento admitti potest illud Plutarchi Pelopida. Οὐ πρῶτος καὶ κλειώτατος νόμος, τῷ σώσει δαίμονι, τὸν σώζειν δυνάμενον, ἀρχοντα κατὰ φύσιν δόξαι δίδωσι. Prima & antiquissima lex naturae ei, cui salute opus est, imperatore illum, qui valet conservare, praeficit.

§. II. Sunt

§. II. Sunt alii, qui originem imperii, seu potestatis obligationem alteri injungendi deducunt ex ἐπιτοχῆν seu eminentia naturæ, quam solam ad istam actu generandam sufficere tradunt. Argumentum petunt ex ipsa hominis natura, in qua penes mentem tanquam partem præstantissimam est πὸ ἡγεμονικόν, sive vis directrix. Quam in rem allegatur locus Cicer. Tuscul. l. 3. *Itaque nihil melius, quam quod est in consuetudine sermonis Latini, cum exisse de potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia.* Aristoteles quoque adducitur, qui judicat, si quis reperitur, omnibus virtutibus antecellens, eum regem esse constituendum. Dei autem naturam eminentissimam mereri venerationem, si vel maxime mundum ille non condidisset. Imo istam naturæ eminentiam insuper volunt tribuere ἀποπεθεύειαν; eamque ob causam, si homo brutis, quibus excellit, secus quam decet utatur, impune id ipsi esse, nec illa super dura tractatione posse queri. Qui enim jure cum altero contendit, illum sese eatenus cum eo comparare, & velle eadem lege censer. Id quod non licet naturis adeo dignitate differentibus, ut altera alterius causa facta fieri possit; Deumque ob illam naturæ præstantiam jus hominis in bruta declarasse. Unde si quis pecude sua abutens à magistratu coercetur, id non fieri in favorem bruti, sed ob alios cives, quorum sæpe interest, ne quis re sua male utatur. Sic corpus non posse queri, si mentis imperio laboribus atteratur; quippe cum mens præ corpore excellat. Enimvero ex sola naturæ ἐπιτοχῆν jus injungendi obligationem alteri, qui principium gubernandi seipsum in se habet, oriri, nobis nondum persuadetur. Nam neque semper naturæ præstantia involvit aptitudinem gubernandi alium inferiori natura præditum: neq; diversi gradus perfectionem in substantiis naturalibus statim subordinationem, & dependentiam unius ab altera habent conjunctam. Cum enim is, cui obligatio est imponenda, in seipso habeat principium regendi suas actiones, quod ipse sibi sufficere judicare potest; non adparet ratio, quare statim propriæ conscientiæ dictamine convictus debeat intelligi, si suo potius, quam alterius, cui natura præstantior, arbitrio agat. Inde etsi impia sit Epicureorum opinio, quod traderent, Deos felicitate sua summa cum pace frui, longe semotos ab omni cura rerum humanarum; quique nec bene promeritis hominum capiuntur, nec ob prava ab iisdem

acta ira tangantur: recte tamen istis positis inferebant, inanem fore omnem religionem ac metum deorum. Cur enim quis illum colat, qui ipsi nec prodesse potest & vult, nec obesse? Nam admirationem quidem tam nobilis essentiae contemplatio excitare potest, obligationem non potest. Christiani genios natura humana nobiliores dari credimus; quorum tamen imperium in homines nulli agnoscimus; *Apocalyps. XXII. 9. Marcus Antoninus l. VI. §. 44. Si Dii de nulla prorsus re consilia incunt, quod tamen impium est credere, quorsum tunc immolemus, supplicemus, jurcimus, alia faciamus singuli, tanquam si Deos praesentes & conversantes nobiscum habeamus. Cicero de Natura Deorum l. 1. Fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procuraciones Deos. Quorum si vera sententia est, qua potest esse pietas? qua sanctitas? qua religio? Hae enim omnia pure accasie tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictæ simulationis sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem & religionem tolli necesse est: quibus sublati, perturbatio vita sequitur & magna confusio. Item: Quæ pietas ei debetur, à qua nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum sit, ei deberi potest? Idem l. 2. de Nat. Deorum. Iupiter dicitur à majoribus nostris optimus maximus: & quidem ante optimus, i. e. beneficentissimus, quam maximus; quia majus est, certeque gratius prodesse, quam opes magnas habere. Ovidius de Ponto. l. 2. El. 9. Nam quid erit, quare solito dignemur honore Numina, si demas velle juvare Deos? Quod de brutis adfertur, ad rem nihil facit. Illa enim non obligatione tenentur, sed sola vi, aut pabuli illecebra. Neque vero aliquid naturæ contrarium essent factura, si quidem hominum jugum excussum irent. Animam corpori imperare non citra figuram dicitur. Nam imperium proprie in diversa supposita intelligitur; & propter physicam combinationem, non vinculo aliquo morali, corpus animæ est obnoxium. Denique si rex per liberam electionem sit constituendus, præstantissimo utique diademata fuerit imponendum. Quo sensu recte se habet illud Cyri apud Plutarchum in *Apothib.* Ἄρχην mundi περιεχόντων ὄντων ἡ κρείττων ἰσὶ τῶν ἀρχομένων. Imperare neminem decere, qui non præstantior*

tior sit *subjectis*. Et ita quoque capienda sunt, quæ Socrates disputat apud *Xenophontem memorab.* l. 3. p. m. 489. Verum imperium iste habebit non jure ex sola præstantia nato, sed quod consensu eligentium fuit collatum.

§. 12. Quæ cum ita sint, omnino agnoscendum est, non solas vires sufficere, ut mihi ex alterius voluntate obligatio nascatur; sed accedere insuper oportere, ut aut ab isto insignia quædam bona sint in me profecta, aut ut ipse ultro in ejusdem directionem consenserim. *Plinius Paneg.* *Novuti inter pecudes, sic lex nature potestatem & imperium valentioribus dedit.* Nam uti naturaliter non potest non illi quis conciliari, abs quo multa bona accepit; ita si constiterit eandem & bene mihi velle, & rectius, quam ipse valeam, mihi prospicere posse, simulq; idem actu mei directionem sibi vindicet, nil adparet rationis, quare imperium istius detrectare velim. Idque eo magis, si etiam id ipsum, quod esse potuerim, eidem in acceptis referam. *Actor. XVII. 24. seqq.* Et qui homini dedit, ut libere posset agere, quare non is jure suo aliquam ejus libertatis particulam circumscribere queat? Qui vero ultro in alterius imperium consensit, is proprio declarat facto placitum sibi suum esse sequendum. Etsi ut ex consensu nascatur imperium legitimum, necessum sit, ut ne per novam illam subjectionem præjudicetur juri tertii alicujus, rite fundato, & ut uni fas sit talem habere subjectum, & alteri talem habere imperantem. Ex hisce duobus fontibus manare arbitramur vim obligationum, quæ intrinsecum velut vinculum voluntatis nostræ libertati injicere intelliguntur. Enimvero quia naturalis humanæ voluntatis libertas nullo morali vinculo extinguitur, ea quoque in plurimismortalium est animi levitas aut malitia, ut istas imperii rationes insuper habeant: igitur aliud accedere oportet, quod validiore momento enormes libidines, quam pudoris & decori sensus, premat. Idque eo magis est necessarium, quod pleraque hominum malitia aliis damno vergit. Nam alias facilius sibi quisque poterat relinquere, si nemo peccando, nisi sibi noceret. Istum porro effectum nihil habere deprehendimus, præter metum mali alicujus, ob violatam obligationem infligendi ab aliquo valentiore, ejus intererat ab ista non fuisse discessum. Sic ut demum ultima velut firmitas obligationibus accedat à vi, utque qui eandem observationem procurare velit, tanta sit potentia instru-

instructus, domestica, aut ab aliis collata, ut grave aliquod malum detre-
ctantibus inferre possit. Inter pravos quippe precario imperat, qui im-
pune potest contemni. Illius contra hominis imperium firmo stat talo,
qui justum illius gerit titulum, & tantum semper virium adparatum ex
suo nutu pendentem habet, quo quosvis immorigeros coërcere possit.
Sophocles Ajace flagellifero. ἔ γδ πῶτ' ἔτ' ἂν ἐν πόλει νόμοι καλῶς φέροντ' ἂν, ἐνθα
μὴ καθεστῆκοι δέ σ' ἔτ' ἂν στρατός γε σωφρονέας ἀρχοί' ἔτι, μηδὲν φόβῳ ἐρόεσσιμα μετ'
αἰδῆς ἔχων. *Non enim unquam in civitate leges bene se habebunt, si absit metus;*
Neque exercitus moderato imperio regi poterit, si nullum metus aut pudoris mi-
nimentum habeat. *Arriani Epictetus l. 1. c. 29.* ἀνδρῶν σ' ἀνδράσι κεί σ' ἢ κ
ἔσι, ἀλλὰ θάνατ' σ' καὶ ζῶν, καὶ ἄδον, καὶ ὄνος. ἰπὲρ χυεὶς τῶτων, ἀγαθὲ μοι τὸν
καίσαρα, καὶ ἔπει πῶς εὖ σαθῶ. *Homo hominis dominus non est, sed mors & vita,*
voluptas & dolor. *Nam absq; his adduc mihi Cesarem, & videbis, quam sim con-*
stans. Ex dictis temperari debet, quod quidam nimis crude protulerunt,
jus esse id, quod validiori placuit. Scilicet finem suum externum vix as-
sequuntur leges, n̄ viribus sint succinctæ, quæ invitis quoque fibulam in-
jicere possint. Sicut Solon, uti ipse prædicabat, res confecit maximas,
ὁ μὲ βίην τε καὶ δίκην συναρμόσας, *simul vim, & jus copulans.* *Plutarchus Solone.*
Et nihil efficacius in rebus humanis, quam quod Scylla de Minoë dicebat
apud *Ovid. Metam. 8. causaque valet causamque juvantibus armis.* Nam
quod de lætitia conscientia ex impletione officii, & tormentis ac vellica-
tionibus internis, quæ scelera consequuntur, pii agnoscimus, id ipsum ex
viribus Dei omnipotentis provenit, cui facillimum per semetipfos ple-
ctere, qui aliorum hominum potentiam contemnunt. *Juvenalis sat. 13.*
Cur tamen hos tu Evasisse putēs, quos diri conscia facti Mens habet attonitos, &
cæco verbere cadit, Occultum quatiente animo tortore flagellum? Pœna autem
vehemens & multo sævior illis, Quas aut Caditius gravis invenit, aut Rhada-
mentus, Noctē dieque suum gestare in pectore testem. Et sane totius generis
humani quam maxime interest, abs nemine in dubium vocari; tribunal
divinum, corruptioni impenetrabile, subeundum esse etiam illis, qui fidu-
cia virium, astutiaq; , aut corruptelarum officii negligentes fuerunt. **QUO**
spectat illud apud *Plutarchum adversus Colotem.* *Facilius urbem condi sine*
solo posse puto, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare.
Hisce igitur fundamentis nititur potestas eorum, qui aliis efficaciter
leges sunt præscripturi.

§. 13. Cæterum ut lex vim suam directivam in animis hominum queat exserere, in eo, cui illa fertur, requiritur cognitio tum legislatoris, tum ipsius legis. Quomodo enim obedientiam præstare quis possit, si neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur, noverit. Ubi tamen sufficit semel id cognovisse. Nam si quis semel cognitum oblivioni tradat, ideo obligatione haut quidquam solvitur; cum bene posset meminisse, si, quod debebat, parendi studium habuisset. Et legislatoris quidem cognitio neminem facile fugere potest. Legum namque naturalium eundem esse autorem, qui totius universi, nemo ignorabit, qui ratione uti noverit. Multo minus legum civilium lator civi obscurus esse potest; quippe cum ille vel expresso civium consensu constituatur, vel tacito, dum eidem quoquo modo se subjiciunt. Porro lex naturalis quomodo ex contemplatione humanæ conditionis cognoscatur, alibi exponetur. Civiles autem leges per promulgationem, factam publice ac perspicue, subjectis innotescunt. In qua de duobus constare debet, tum quod leges procedant ab eo, qui summum in civitate habet imperium; tum quæ sit legis sententia. Prius cognoscitur, quando ipse, qui summo gaudet imperio, legem vel voce sua promulgat, vel per eos, qui sunt ab ipso delegati. Hi quin autoritate summi imperantis leges promulgent, dubitandi nulla est causa, si constat, eos communiter ab imperante ad declarandam ipsius voluntatem adhiberi; si in usum iudiciorum istæ leges deducantur; sique nihil contineant, quod summæ iustitiam pro decreto principis diu duraturo venditaturum, quod tale non est, aut ejusmodi munus ultro sibi arrogaturum; cum ejusmodi conanti nulla sit spes latendi, aut poenas tam protervi ausi effugiendi. Ut autem sententia legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri potest perspicuitate uti. Secus ac Caligula minutis literis ex edito loco leges conscriptas proponebat. *Dio Cassius* l. LIX. in *excerptis Peirescianis*. Si quid in legibus obscurum videatur, ejus declaratio petenda erit à legislatore, aut illis, qui ad jus secundum illas dicendum publice sunt constituti. Horum enim est, leges ad singulos casus, observata recta interpretatione, adplicare, seu factis singularibus propositis declarare, quidnam circa illas legislator disposuerit. *Conf. Hobbes. de Civ. c. 14. §. 11. 12. 13. & Leviat. c. 26.* Cæterum hoc loco & illud monendum, qui contendunt, ad

hoc ut leges subditos in conscientia obligent, requiri consensum populi, id neque de legibus naturalibus verum esse, neque de civilibus monarcharum aut optimatum, nisi ubi in pacto inter imperantes & cives ita conventum est; nec nisi de consensu implicito, quatenus qui in alicujus imperium consensit, eo ipso in omnes actus istius imperii consensisse intelligitur. Et si hoc sane utilissimum sit ad subditorum ultrotruncum obsequium eliciendum, si consentientibus & adprobantibus ipsis leges ferantur, ejusmodi cumprimis, quæ in mores eorundem abire debeant. Et huc pertinet illud Periclis apud *Xenophontem apomnem.* l. 1. πάντα μοι δοκέει, ὅσα τις μὴ πείσας ἀναγκάζει τινὰ ποιεῖν, εἴτε χροῶν, εἴτε μὴ, βία μᾶλλον ἢ νόμος εἶναι. omnia, quæ quispiam non per suum quempiam sive in scriptis, sive non scriptis impellat agere, potius vis mihi esse videtur, quam lex. Conf. *Sanderfonus de oblig. conscient. prælect.* 7. §. 22. seqq.

§. 14. Porro uti in eo, qui alterius actiones per leges est directurus, duo requiruntur; tum ut ipse intelligat, quid alteri præscribi conveniat; tum ut vires habeat malum aliquod representandi, si ad præscriptum is sese componere neglexerit; (ponimus in eo, cui lex fertur, esse facultatem & libidinem mandato contraveniendi;) ita quælibet lex ex duabus partibus constare intelligitur. Per unam definitur, quid faciendum, quidvè omittendum: per alteram significatur, quodnam malum præceptum intermittenti, & interdictum facienti sit propositum: eaque pars solet vocari *sanctio*. De qua ut paulo latius disquiramus, ansam præbet *Rich. Cumberland de legib. nat. prolegom.* §. 14. & c. 5. §. 40. dum præter communem Jctorum sententiam non pœnis solum, sed & præmiis leges, & quidem magis principaliter quam pœnis sanciri tradit. Imo de sanctione legis naturalis ait; impossibile esse, ullis signis naturalibus hominibus apertius & efficacius suadere, aut cum autoritate judicare hoc à rectore universi imperari, quam si perpetuis & naturalibus præmiis tales actus ab eodem decorentur. Licet enim in sanctione legum ab hominibus usurpentur conceptus negativi, ac verba eos referentia: tamen in natura rerum quod eos ad agendum impellit esse bonum illud positivum, cujus adquisitio aut retentio ex amolitione causarum illi contrariarum speratur. Privationes & negationes voluntatem humanam non movere; nec alia ratione fugam mali illius esse objectum, quam quatenus conservationem alicujus boni connotat. Quicquid virium tribui solet pœnis malis vè natu-

naturalibus ad excitandos homines in eorum fugam, id totum resolvendum esse in vim impulsivam aut attractivam illorum bonorum, quibus à pœnis aut malis privarentur. Ea omnia, quæ ob mortis aut egestatis fugam fieri dicuntur, magis proprie ex amore vitæ & opum fieri dicenda esse. Nullum esse morti locum, nisi vita præcessisset, nec posse illam metui, nisi hæc prius expeteretur. Naturam rerum magis movere affectus boni præsentis amore, aut futuri spe, quam mali odio, metuvè; ac bona adpeti non propter oppositam eis privationem, sed propter intrinsicam eorum convenientiam cum natura nostra. Leges civiles magis stabiliri à fine earum, qui est bonum publicum, cujus pars aliqua singulis bonis civibus communicatur; quam per pœnas, quas minantur, quarum metu tantum moventur pauci pessimique. Hactenus *Cumberland*. Circa quæ illud primo observandum est; si sub sanctionis vocabulo etiam bona & præmia legis observantiam sequentia comprehendere velimus, requiri ut ista bona ex observantia legis promanent, & hac velut redimantur. Jam autem adparet, non omnia quæ obtinemus bona per observantiam legum nobis conciliari, eoque isthæc in rationem præmiorum venire non posse. Sic vitam nostram & nosmetipsos una cum omnibus facultatibus naturalibus, quas possidemus, non obtinemus tanquam præmium servatæ legis; sed divina bonitas ista nobis velut gratis contulit, antequam de lege implenda cogitare possemus. Quarum duratio ex intrinsicis substantiæ viribus proveniens, itidem ex observantia legis non derivatur, sed beneficium creatoris est; *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluviam cadere patitur super justos & injustos*. Sic & quæ labore & industria propria quis acquirit, directe & principaliter non legis observantiæ, sed Creatori, qui vires largitus est, & sibimet ipsi in acceptis refert. Ast hic per leges effectus obtineri potest, ut & tuta nobis præstentur, quæ liberali velut donatione Creatoris habemus, aut propria industria acquisivimus, adversus incursum aliarum creaturarum, quæ illa lædere aut perdere possent; & ut bona nostra multis modis augeantur. Hæc ergo sola, in quantum penes legislatorem est ea præstare, rationem præmiorum possunt habere; quæ etiam ut efficaciam habeant animos ad obsequium legum disponendi, à legislatore significandum est, istum effectum ex ea causa secuturum. Deinde & hoc observandum, etsi voluntas ad agendum moveri possit, ostentato bono

ex actione proventuro; id tamen non statim necessitatem adfert faciendi, ni pœnæ comminatio adjecta sit, quæ non-agentem mansura sit. Adeoque quod bonus effectus ex actione aliqua naturali consecutione provenit, id quidem indicium effusissimæ in Creatore bonitatis est, lubenter istud boni in nos conferre volentis, & ad illud amplectendum blande invitantis, & velut suadentis. Non tamen statim hoc necessarium est argumentum, eundem imperare, ut omnino id bonum, præstita actione, nobis adquiramus; cum ipsi sufficere possit benignitatis suæ fruendæ occasionem obtulisse. Ast si ob omissionem quoque malum intentetur, tunc demum dubium non superest, quin ea actio utique impetretur. Accedit quoque, quod utique validius animi hominum per inflictionem mali, quam per possessionem boni moveantur. Equidem & efficaces stimulos habet adquisitio boni, in primis recentis, aut quod cum liberatione à præsentia aliquo malo sit conjunctum. Sensus tamen jucunditatis ipso tractu possessionis velut hebescit, ac absumto isto motu animi, quem absentia boni, aut recens ejusdem parta fruitio generabat, vix aliud quam tranquilla quædam adquiescentia superest. Unde & multi tunc demum bona sua æstimare incipiunt, quando illa amiserunt, aut quando amittendi periculum ingruit. Ast dolor, in quem demum omnia mala & bonorum privationes resolvuntur, non est nuda privatio, sed aliquid quam maxime positivum, ac tantas vires habens, ut sensum & æstimationem omnium bonorum extinguere possit, sic ut in ipsius remedium aliquando & mors optetur. Unde satis puto ratio constat legislatoribus civilibus, quod leges suas per pœnas potius, quam præmia sancire soleant; etsi & observantia humanarum legum sat fructuosa sit ob retentionem & fruitionem bonorum, quæ vitam civilem comitantur; & si ordinariorum virtutum exercitium singularibus semper præmiis sancendum foret, nulla materia in hæc suffectura erat. Nam ostentatione pœnarum excutiendus erat torpor iste, qui in plurimis deprehenditur; & quia plerunque violatio legum cum noxa aliorum conjuncta est, & cum aliquo imaginario bono peccantis; igitur illecebræ ad peccandum per contrarii doloris imaginem commodissimè videbantur reprimi posse. Atque inde est, quod civiles leges pœnam in violatores semper habent conjunctam, dum vel expresse designant genus multæ aut supplicii; vel eo non definito idem arbitrio judicis, legumque exsecutoris

reli-

relictum inuuant. Equidem Jcti Romani quasdam leges faciunt imperfectas, quibus nempe sanctio pœnalis deest. Qualis memoratur lex Cincia, cui nulla alia fertur adjecta clausula quam hæc: *qui secus fecerit, improbe fecisse videbitur.* Verum putaverim, in ista lege vel infamiam fuisse pœnæ loco, vel penes Censores fuisse, violationis manifestos aliqua nota inurere. Quamquam transgressores ejus legis non ab omni pœna immunes fuisse ex *Taciti Ann. XIII. 5. 42.* colligi videtur. *Cicero de LL. l. 2. Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus.* Extat tamen aliud exemplum legis imperfectæ apud *Livium l. X. c. 9. Valeria lex, quum eum, qui provocasset, virgibus cedi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum, adjecit.* Id (qui tunc pudor hominum erat,) visum, credo, vinculum satis validum legis, nunc vix serio ita minetur quisquam. Ad eandem classem possis referre legem Zaleuci: *ne quis civium implacabili inimicum odio persequatur; sed ita inimicitias cum illo suscipiat, tanquam brevi in gratiam cum eodem, & amicitiam rediturus.* Si quis autem fecus fecerit, ut pro immitis ferocisque ingenii homine censeatur. *Diodorus Siculus l. XII. c. 20.* Nisi infamiam in pœnæ locum subire dixeris. Sicuti in hisce ejusdem legibus apud *Eundem d. l. c. 21. Mulier ingenua, nisi forte ebria sit, non sit una ancilla comitator.* Extra urbem noctu pedem non efferto, nisi cum mæchum forte accedit. *Aureum ornatum, & intertextas auro vestes ne circumdato, nisi meretricem agere velit.* Vir anulum subaureum, aut vestem Milesiæ parem ne gestato, nisi qui scortatione vel adulterio se contaminat. Proinde sædis pœnarum exceptionibus, seu probrosis conditionibus pœna annexis, à noxiis civibus luxu & intemperantiæ studio facillime avertit. *Nemo enim tam turpis probri confessione se ludibrio civium exponi sustinebat.* *Add. l. 14. §. 14. D. de relig. l. 3. §. 4. D. de sepulcro violato.* Sic igitur legis duæ sunt partes, altera definitiva altera vindicativa, sive sanctio pœnalis; duæ partes, inquam, ejusdem legis, non duæ species legum. Nam uti supervacuum est dicere, *hoc fac*, si præterea nihil sequatur; ita absurdum est dicere, *pœnas dabis*, nisi causa, quæ pœnam mereatur, fuerit significata. Probe autem observandum, quod omnis vis legis proprie consistat in significando eo, quid superior à nobis fieri, vel non fieri velit, & quæ pœna violatores legis maneat. Ex quo etiam intelligitur, quo sensu legi vis obligandi tribuatur. Nam proprie vis obligandi, i. e. facultas necessitatem intrinsecam afferendi ad quid præstandum, est in eo, qui habet imperium. Lex autem

hujus duntaxat est instrumentum, per quod subiecto voluntas imperantis innotescit; qua cognita per vim imperii obligatio in isto producitur. Unde & hoc adparet, minus recte vulgo vim legis distingui in directivam, & coactivam, ni per vim coactivam intelligas clausulam pœnalem. Nam efficacia legis in dirigendo consistit, quatenus voluntatem imperantis, & minas subiectis repræsentat. Vis autem coactiva, i.e. potestas exigendi à subiectis conformationem actionum ad normam ab ipsis præscriptam, pœnasque intentandi, & actu easdem infligendi, proprie pœnes legum latorem aut exsecutorem est. — *Libanius Orat. V. Ipsis certe legibus opus est iudicibus, qui qua leges dicunt, exequantur. Non enim sane manus nec pedes legibus adsunt: neque si quis eas advocet, vocantem auscultabunt, neque ad succurrendum accedent: duntaxat per eos, qui judicant, adjuvant.* Et si frequens valde sit apud scriptores, ut per figuram effectus summi imperii proprius legibus attribuat. Quale est illud *Apuleji de Mundo: quod est lex in urbe, dux in exercitu, id est in mundo Deus.* Quod autem apud *Livium l. 2. c. 1. imperia legum potentiora, quam hominum dicuntur*, id hæcenus in democratiis duntaxat verum est, quod magistratu à legibus præscriptis discedere non liceat. Cæterum cogere dicuntur legislatores, ut tales, moraliter, non quod per violentiam aliquam naturalem ita constringant hominem, ut diversum nullo modo facere queat; sed quod intentata, & repræsentata pœnantibus pœna efficiant, ut nemo facile velle possit contra legem facere, eo quod propter imminentem pœnam legi parere, quam eandem violare præstabilius sit.

§. 15. Eo ipso autem dum legibus tribuitur vis obligandi, ex numero legum proprie dictarum permissiones exclusæ intelliguntur. Ut ut *Modestinus l. 7. D. de LL. tradat: legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.* Nam permissio proprie non est actio legis, sed actionis negatio. Quæ lex permittit, illa neque præcipit, neque vetat; adeoque circa eadem nihil agit. Quippe cum alias, quæ neque vetantur, neque præcipiuntur, in cuiusvis arbitrio posita intelligantur, & sic permissa ac licita sint, etsi lex nullam eorum mentionem fecisset. Aliqui tamen hæcenus in permissione obligationem statuunt, non quidem quæ ipsum, cui quid permissum dicitur, afficiat; sed quæ tertium quemvis stringat, ne impedimentum alteri ponat, si quod lege per-

permissum est, velit exercere. Etsi & hoc aliqui duntaxat ad illa pertinere volunt, quæ plene & perfecte permittuntur; non si quid imperfecte, & per modum conniventiae indulgeatur. Uti v. g. leges civiles marito permittunt eadem uxoris in adulterio deprehensæ; neque tamen vetant, quo minus alius eam eadem impediatur. Enimvero si accurate velimus loqui, neque iste effectus proprie ex permissione legis resultat, sed ex propria cujusque libertate. Circa quæ enim lex mihi impedimentum non ponit, circa eadem libertate gaudeo; cuius hic præcipue est effectus, ut ne quis mihi innoxium ejusdem exercitium turbet. Sic ut expressè in legibus aliqua permittunt, quorum licentia ex absentia interdicti fati colligitur, ac de qua non temere dubium oriri queat, supervacuum fere videatur. Sicuti & non semper necessarium est, ut quando lex aliqua vetans abrogatur, actus hætenus vetitus expressa lege permissus deinceps declaretur; cum remoto impedimento naturalis libertas ultro velut reviviscere censetur. In duobus tamen casibus potissimum expressa permissione solent uti legislatores civiles; vel quando actui alicui non nisi intra certam mensuram licentia aut impunitas indulgetur, vel quando illa onere aliquo est redimenda. Prioris exemplum aliqui afferunt, quod plurimorum populorum leges usuras intra certum duntaxat modum permittunt: posterioris, quod alicubi licentia corpore quantum faciendi tributo redimitur; quod tamen quam recte fiat, non disputo. Vid. *Evagrius hist. Eccles. l. 3. c. 39.* de chryfargyro tributo meretricio, per Imp. Anastasium sublato. De cætero distinguere solent permissionem, quæ lege fit, in plenam, quæ jus dat omnino licite agendi, & minus plenam, quæ impunitatem dat à pœna, aut libertatem ab impedimento, aut utrumque. Quod autem quædam inter homines impunitatem habeant, illud est, vel quia deficit forum humanum, ut in delictis regum, vel quod lex humana ea de re nihil plane constituit, vel quia ut hoc liceret definivit, vel denique quia leges civiles multa cujusque pudori & honestati voluerunt relinquere. Add. l. 144. *D. de reg. jur.* & ibi notata *Jacobo Godofredo.* Circa permissionem legis ac fori civilis aliqui accuratius observant, eam fieri vel actione legis, vel tacite. Ad illud etiam referunt præteritionem,

non:

non quidem simpliciter, sed ex formula & consilio legis v. g. ita conceptæ, ut legislator ostenderit, se voluisse plena enumeratione partium defungi. Tunc enim permisit censetur, quod inter vetita non recensuit, modo id naturali honestati non repugnet. Tacite permittitur intelliguntur, quæ tolerando, connivendo, dissimulandoque vel in præsens, vel in longum, ut in consuetudinem evaleant; potestas civilis transmittit. Non potest tamen permissio legis civilis efficere, ut actus aliquis non sit contra jus divinum, aut extra pœnæ divinitus imminentis metum. Sed & illud observandum, quando dicitur permissum, quod nulla lege civili volente aut jubente definitum est; non esse cavillanda verba legis civilis, sed mentem inspiciendam. Multa enim continentur in sensu legum, & ex necessaria consequentia, aut propter similitudinem ultro inesse intelliguntur. Quin & semper cogitandum de jure naturali aut honestate, quæ perpetuum legis civilis supplementum habetur. Nec quæ tolerantur temporis aut necessitatis causa, veri juris nomine æstimari queunt. Quæ omnia tamen de perfecta potissimum permissione intelligenda sunt. Vid. *Boecler. ad Grot. l. I. c. I. §. 9.*

§. 16. Materia legum in genere est, quicquid ab iis, quibus feruntur, fieri potest, saltem eo tempore, quo leges promulgantur. Nam si quis postea per suam culpam amittat facultatem implendi legem, haut quidquam istius vis ideo expirat; sed relinquitur legislatori potestas pœnam exigendi eo nomine, quod legibus suis jam satisfieri nequeat. De cætero legem ferre, quam subjectus implere nequeat, nec implendi vires sua culpa decoxerit, non modo frustra est, sed & cum summa iniquitate conjunctum. Sed circa quæ singularum legum species peculiariter versentur, suo loco commodius exponetur.

§. 17. Quis lege obligari possit, facile ex jure legislatoris intelligitur: nempe ille, qui legislatoris imperio est subjectus. Quem autem voluerit obligare legislator, ex ipsa lege satis perspicitur. Nam in omnibus legibus, qui iis sunt obligandi designantur vel per expressam determinationem, quæ fit aut signo universalis, aut restrictione ad certa individua, vel per conditionem aut rationem quampiam, quam dum subjectus in se deprehendit, simul intelligit, se illa lege obligari. Regulariter igitur lex obligat omnes legislatori subjectos, in quos ratio legis quadrat, & ad quos materia legis potest applicari. Alias enim turba & confusio inter
cives

cives orietur; cui evitandæ leges potissimum sunt inventæ. Adeoque nemo abs lege censetur exemptus; nisi peculiariter privilegium suum demonstraverit. Etsi & hoc fieri soleat, ut quis deinceps ab obligatione legis eximatur, quod *dispensare* vocant. Si enim legislatori legem licet penitus abrogare, poterit ejusdem effectum utique etiam in certa persona suspendere. Differt autem isthæc dispensatio ab æquitate, (quam cum illa quidam confundunt,) quod illam adhibere possit non nisi legislatoria potestate præditus; hanc aut etiam inferior judex adhibere non possit tantum, sed & debeat, adeo ut si nudam legis literam secutus fuerit in casu, ubi æquitati locus erat, contra mentem legislatoris fecisse sit censendus. Adeoque dispensatio ex mera legislatoris gratia, æquitas autem ex officio judicis dependet. Etsi circa dispensationem indulgendam prudentia opus sit, ne dum ea promiscue conceditur, vis & auctoritas legis enervetur: vel si citra gravissimas causas reliquis, qui sunt ejusdem conditionis, denegatur, invidiæ & indignationi causa præbeatur, quod æquales æquali gratia digni non sint habiti. Exemplum subtilis dispensationis extat apud *Plutarchum apophth. Lac.* & in *Agefilao*, ubi Agefilaus leges ad unam diem suspendit, hac formula *κοιμάσθων οἱ νόμοι ἡμῶν*, *dormiant leges hodie*, (uti est ap. *Appianum Alex. Lybico.*) ne infamiam subirent, qui ex acie profugerant. Sic apud *Eundem Demetrio*, cum Demetrius omnibus mysteriis simul initiari cuperet, & tamen antea fas fuisset, parva quidem mysteria mense Anthestereone, magna Boedromeone celebrari, Stratocles legem promulgavit, ut mensis Munichion, quo Demetrius Athenas adventabat, Anthestereon, mox Boedromion diceretur & haberetur. Add. *Idem Alexandro* p. m. 672. D. & p. 679. A. Plausibilis est, quod *Idem Demosthene* narrat: Quum Demosthenes ab exilio revocatus multa pecuniaria districtus maneret, quam gratis jus non erat remittere, hoc modo *ἰσχυρίζομαι τὸ νόμον*, *eludebant legem*. Morem habebant, ut Jovis servatoris sacrificio ei, qui aram instrueret, & adornaret, argentum penderent. Hoc munus, & illa præbenda Demostheni locaverunt L. talentis, quanti & lis ei fuerat æstimata. Compar exemplum est apud *Diadorum Siculum* l. 13. c. 100. & *Plutarch. Lysandro*. Cum Lacedæmoniorum lege unus eundem magistratum capeffere prohiberetur, Arato classis imperium fuit traditum, sed Lysander privatus illi adjunctus, cum mandatis; *ne dux à consiliis ejus unquam discedat*. Add. *Valer.*

Valer. Max. l. 6. c. 5. §. 3. ext. Nescio an etiam inter subtiles dispensationes numerandum sit, quod *Gabriel Naudæus comps d'Etat* cap. 3. p. m. 193. Hispanis in usu esse refert, ut occultos iudices dent in eum, quem læsi status rerum æstimant, ac processum secreto contra illum instituant, eumque damnent, ac postea omni ratione sententiam executioni dare laborent; ne aliquem causa non cognita occidisse videantur.

§. 18. Divisio legis commodissime fit respectu originis in *divinam*, & *humanam*, quarum illa Deum, hæc hominem habet autorem. Sed si lex consideretur, quam necessariam convenientiam illa cum subjectis habeat, alia ratione dividitur in *naturalem*, & *positivam*. Illa est, quæ cum rationali & sociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honesta & pacifica societas citra eandem constare nequeat; aut, si ita mavis, quæ bonitatem velut naturalem seu utilitatem ex nativa sua efficacia in ordine ad genus humanum in universum habet. Quamquam & alia ratio istius denominationis extet, quod illa ex viribus ingenii hominibus congeniti, & ex consideratione humanæ naturæ in universum investigari, & cognosci possit. Hæc est, quæ ex generali conditione naturæ humanæ haut quidquam fuit, sed quæ abs solo legislatoris arbitrio proficiscitur; etsi nec hæc sua ratione & usu, quem saltem certæ hominum societati præstat, carere debeat. Aliqui jus positivum adpellare solent *voluntarium*, non quod ipsa quoque lex naturalis non sit à voluntate Numinis profecta; sed quia istud non tantam convenientiam cum natura humana habeat, ut in universum illi servandæ foret necessarium, aut ut citra expressam & peculiarem promulgationem posset innotescere. Unde & ipsius rationes non ab universali humani generis conditione, sed ex peculiari, & quandoque temporaria utilitate certorum cœtuum petuntur. *Tacitus A. XII. morem accommodari prout conducat.* Adcoque posita jam hominum socialitate istæ per arbitrium superiorum definiuntur. Ad legis positivæ indolem intelligendam aliquo modo facit illud *Aristotelis Nicom.* l. V. c. 10. Τα καλά ἑσθῆκετο, καὶ τὸ κομφοῦρον ἢ διακων-
μοιαῖς ἔστι τῆς μέτρως· ἢ γὰρ πανταχῶ ἴσα τὰ οὐραὶ καὶ σιτυρὰ μέτρα, ἀλλ' ἢ μὲν ἀνῶν,
μείζω· ἢ ἢ πωλύων, ἰσότης. Iura ex institutione & utilitate similia mensuris sunt: non enim ubique sunt æquales vinaria & frumentaria mensuræ;
sed

sed majores sunt, ubi emunt, minores, ubi vendunt. Cæterum lex divina quidem alia naturalis, alia positiva est. Lex autem humana, preesse accepta, omnis positiva est. De singulis in specie plura suo loco exponentur.

CAPUT VII.

DE ACTIONUM MORALIUM
QUALITATIBUS.

- | | |
|--|---|
| 1. Qualitates actionum moralium quot? | 8. Iustitia universalis, particularis. |
| 2. Actio necessaria, licita. | 9. Iustitia distributiva. |
| 3. Actionum bonitas, & malitia in quo consistat? | 10. Commutativa. |
| 4. Actio bona est, qua omnia habet requisita, mala, in qua vel unum deficit. | 11. Grotii sententia de Iustitia. |
| 5. Malitia causa nequaquam in Deo querenda. | 12. Aristotelis de eadem sententia. |
| 6. Iustitia est vel personarum, vel actionum. | 13. Hobbesii sententia de Iustitia & injuria. |
| 7. Iustitia actionum quid? | 14. Injusta actio quid? |
| | 15. Quid injuria? |
| | 16. Injuria fit tantum ex proarresi, ubi de culpa quoque. |
| | 17. Volenti non fit injuria. |

Proximum jam est, ut de qualitatibus actionum moralium dispiciamus. Juxta illas ergo actiones dicuntur necessaræ vel non necessaræ, licitæ vel illicitæ, bonæ vel malæ, justæ vel injustæ. Adeoque qualitates morales actionum moralium erunt necessitas, licentia, & his oppositæ, quæ proprio vocabulo destituuntur, bonitas, & malitia, justitia & injustitia.

§. 2. Actio necessaria est, quam ex lege aut jussu superioris omnino facere tenetur is, cui ea lex aut jussum fuit datum. In hoc enim consistit hæc actionum moralium necessitas, quod illæ omitti, aut secus fieri non debeant; licet per vires naturales de facto omitti, aut secus fieri queant. Quanquam frequentissimum sit Jctis, ut illa, quæ ab ista necessitate discedunt, ne fieri quidem posse dicant. Vid. l. 15. D. de cond. instit. Opponitur autem necessaræ actioni, non solum actio vetita, quæ legibus aut interdicto superioris fieri prohibetur; sed etiam licita,

quam leges neque præcipiunt, neque vetant; sed quam suscipere aut omittere in cujusvis arbitrio est relictum. *Cicero pro Balbo: Est aliquid, quod non oporteat, etiam si licet; quicquid vero non licet, certe non oportet. Libanius declam. 16. ἂν ἢ καὶ λυσιτελεῖς ποιεῖν, ταῦτα ἔσθ' μὴ ποιεῖν κεκώλοθ'. Quæ non jussus est aliquis facere, hæc quo minus faciat non prohibitus est.* Ex usu autem communis sermonis non solum illa dicuntur licere, quæ neque divina neque humana lex vetat, quæque adeo sine omni peccato, & reprehensione suscipi possunt; sed etiam illa, quæ legibus naturalibus prohibita lex civilis hæcenus permittit, ut nullam illis in foro humano poenam imponat; sed suo cujusque pudori ista committat. *Cicero Tuscul. Quæst. 1. 5. Peccare nemini licet, & sermonis errore labimur: id enim licere dicimus, quod cuique conceditur.* Quo pertinet, quod de Alexandro Severo tradit *Lampridius: habuit in animo, ut exoletos vetaret; sed veritus est, ne prohibens publicum dedecus in privatas cupiditates converteret; eum homines illicita magis possant, prohibitaque furore persequantur.* Illa possumus dicere perfecte, hæc imperfecte licita. Quin aliquando illa licere dicuntur, quæ omnium confessione turpissima sunt, siquidem qui illa perpetraturus est, tantis viribus polleat, ut humanam coercitionem non metuat. *Seneca de clementia l. 1. c. 18. cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetet: quia ejusdem naturæ est, cujus tu.* Add. *Grut. l. 3. c. 4. §. 2. & c. 10. §. 2.*

§. 3. Actionem bonam moraliter, seu in genere morum, (nam de bonitate velut naturali & materiali, per quam res aut actio in commodum & perfectionem alicujus cedere intelligitur, alibi agitur, etsi hæc circa ea, quæ lege naturali, & ut plurimum etiam civili lege præcipiuntur, cum illa morali sit conjuncta, & inter animalia rationalia illi ansam velut dederit,) dicimus, quæ cum lege congruit: malam, quæ ab eadem discrepat. Scilicet formalis ratio bonitatis & malitiæ actionum consistit in habitudine, seu relatione determinativa ad normam directivam, quam dicimus legem; (eam semper hæc intelligimus necessitantem, non permittentem, & si humana sit, juri divino non repugnantem.) Quatenus enim ex præscripto normæ proficiscitur, & juxta eam instituitur actio proæretica, ita ut ad eandem exacte congruat, bona dicitur. Quatenus contra præscriptum normæ suscipitur, aut ab ipsa discrepat, mala, & uno vocabulo peccatum nuncupatur. Porro uti quævis norma directiva,

v.g. pyxis nautica; causa dicitur rectitudinis itinerariæ, & perventionis ad portum, non tam quatenus navis eum fecit cursum, qui cum directione ejus conincidit, quam prout ex præscripto ejusdem nauclerus cursum dirigit: ita lex dicitur causa rectitudinis in actione, non tam quia actio quacunquẽ intentione suscepta ad illam quadrat, sed potissimum, quia ex legis dictamine, & ex dependentiã à lege, i. e. cum intentione obedientiam eidem præstandi proficiscitur. Unde si quis casu, aut citra ullam cogitationem de obsequio legi præstando, id agit, quod in lege præcipitur, recte quidem (sensu magis negante, quam agente, i. e. non male) egisse dici potest, non tamen moraliter bene. Non secus ac is, qui fortuita sclopeti dispoitione avem dejecit, perite & artificiose jaculatus dici nequit.

§. 4. Porro cum lex determinet vel qualitatem seu dispositionem agentis, vel objectum, vel finem, vel certas denique circumstantias actionis; inde actio aliqua est moraliter bona aut mala, vel quia agens ita est dispositus, uti lex requirit, aut secus; vel quia actio dirigitur in objectum, eo fine, iisque circumstantiis, prout lege est dispositum, aut contra. Ubi tamen notandum, ut actio aliqua sit bona, necessum esse, tum ut secundum omnia requisita quasi materialia congruat ad legem, tum ut quantum ad formale non ex ignorantia, aut alia de causa, sed ad præstandam obedientiam legi debitam sit exercita. Unde actio, alias velut materialiter bona, ob intentionem malam agentis ipsi pro mala imputatur. Sic præmii nihil meretur, qui dum nocere intendit, prodest. Sicut ille, qui dum Jasonem trucidare intendit, vomicam secuit, apud *Valer. Max.* l. 1. c. 8. §. 6. ext. Sic qui potestate sua legitima malo fine utitur, v. g. iudex potestate sumendi poenas à noxiis ad faciendam privatam libidinem, peccat. Hinc apud Carthaginenses *in cruce[m] tollebantur Imperatores; si prospero eventu, pravo consilio rem gesserant.* *Livius* l. 38. c. 48. & *Valer. Max.* l. 2. c. 7. §. 1. ext. Et si contra actio, alias velut materialiter mala, ob bonam intentionem agentis haut quidquam fiat bona. Inde est, quod nemo peccatis propriis possit uti velut mediis ad finem bonum adsequendum; ac non sint facienda mala, ut eveniant bona. Ut enim actio reddatur mala, sufficit, si vel in unico requisito materiali aut formali ad legem non congruat. Adeoque statim actio fit mala, si vel agentis qualitas, vel objectum, vel finis, vel aliqua circumstantiarum, vel intentio à lege discrepet. Ac vanum est, quod aliqui dicunt, actionem quoad

substantiam operis bonam esse posse, etiamsi finis legitimus ab agente non intendatur. Nam ad essentiam actionis moralis cum primis etiam pertinet finis, quippe cohærens cum intentione, quæ est principium maxime efficiens qualitatem actionis. Inde non modo peccatum est, referre actionem ad malum finem: sed hoc quoque referre eandem ad diversum finem, quam qui legibus est præscriptus. *Matth. 6. vers. 5. Iuvenalis sat. 7. Causa facit rem dissimilem.* Imo non solum perfectum facinus, & quod finem suum obtinuit, sed etiam inchoatum duntaxat pro scelere reputatur; quod etiam interdum leges civiles eadem pœna, aut non multo levioere, quam consummatum plectunt, prout expedire judicant, intra primos conatus flagitium aliquod reprimi. *Seneca de constantia sapientis c. 7. Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpa satis est, perfecta sunt.*

§. 5. Isthæc actionis bonitas, & malitia uti formaliter in ea, quam diximus, convenientia & inconvenientia ad normam moralem consistit: ita efficienter unice ab illo dependet, abs quo ista actio lege præscripta, aut interdicta exercetur. Hujus quippe determinatio actionem ita constituit in genere entium moralium, ut ipsi soli, & non alii illa queat imputari. Inde inanis sane illos torisit metus, qui ne Deum omnium rerum creatorem peccati quoque autorem facere viderentur, malæ actionis formalem rationem in privatione congruentiæ cum lege collocarunt. Enimvero etsi positio cujuscunque formæ privationem; aut absentiam contrariæ formæ necessario inferat; tamen oppido quam falsus est opinionis, qui essentiam rei in ista privatione quæsierit. Nec multum profecit, qui norit, rectitudinem esse privationem curvitatæ, & curvitatem rectitudinis. Sed talia fingere, aut meture, inscitia rerum moralium subegit. Qui enim omnium physicorum entium creator est Deus, haut quidquam omnium moralium, aut notionalium, nec non artificialium autor & causa debet haberi. Illos vero profana admodum ingenii prurigo agitat, qui egregium subtilitatis specimen autumant, Deum quoquo modo inter causas peccandi immiscuisse. Nam cui aliquis rerum moralium intellectus, nihil absurdius judicabit, quam inquirere; an is sit causa actionis, qui eam lege prohibet, ac contra interdictum suum commissam punit. Quod vero Deus ad id concurrat, quod in ista actione

phy-

physicum est, non magis ideo peccati causa dici potest, quam v. g. deformitatis in opere ab artifice imperite confecto, qui materiam ad istud suppeditavit. Vocabulum autem causæ in improprium, & à communi sensu alienam heic trahere significationem, est id agere, ut irreverentiam erga divinum Numen non citra ambitionem ostentes. *Philo Ludius de profugis: quæ potest esse blasphemia gravior, quam contendere, non ex nobis mala provenire; sed ex Deo?* Maximus Tyrius dissert. 3. ἵστανται τῶν τῶν ἱερῶν (αἱ, μίτρα, ἱερινὸς,) ὅσαι μοχθηραὶ ἀδερμῶν ἐυφημοὶ ἀπεροφαί, ἀδύνην αὐτῆς πῶ ἀπὸ τῶν δαίμονων, & τῶν μοίρας, καὶ τῶν ἱερινῶν. ἢ ἡ ἱερινὸς ἢ αἱ, & οἱ δαίμονες, καὶ ὅσα ἄλλα ἑσθλοῦς εἰμαρμίνης ὀνόματα, ἐνδόν ἐν τῇ ψυχῇ καὶ δαιμόνια, &c. *Hæc nomina nihil aliud sunt, quam humana improbitatis speciosus pretextus, quæ culpam suam in Deos, in Parcas, in Erinnyas conferre solet. Nam & Erinnyas, & mala scæva, & vis Deorum, & si quæ alia vocabula, quæ fatalem exprimunt potentiam, in animo nostro circumgestamus, &c. Idem dissert. 25. αὐτῆς ἡ ἱστορία μοχθηρῶν αἰτία, διὸς ἀνάγκη. Maliniam qui assumit, culpam sibi adscribat, Deum extra noxiam relinquat.*

§. 6. Jam de justitia quoque dispiciamus: circa quam cumprimis observandum, ejus significationem, qua personis tribuitur, non parum differre ab ea, qua attributum actionum notat. Quando enim de personis usurpatur, justum esse significat idem, quod juste faciendo delectari, justitiæ studere, vel conari facere in omni re id, quod justum est. Et esse injustum, est negligere justitiam vel eam non debito suo, sed præfenti commodo mensurandam existimare. Sic ut justus hominis non paucæ possit actiones injustæ, & injusti justæ esse. Justus quippe homo dicendus est, qui justa facit propter præceptum legis, injusta non nisi per infirmitatem: injustus, qui justa facit propter poenam legi adjunctam; injusta per animi iniquitatem, aut ad captandam gloriam aliudvè emolumentum. *Hobbes. de civitate cap. 3. §. 5. Quibus fundamentis nititur illud Plinii panegyrici: Laudabilia multa etiam mali faciunt; ipse laudari nisi optimus non potest. Philon apud Stobæum serm. IX. Ἀπὸ δικαίου ἔστιν, ἢ ἡ μὴ ἀδικῶν, ἄλλ' ὅς τις ἀδικεῖν δυνάμεται μὴ βύλει, ὅσος ὅς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπίστως, ἄλλ' ὅς τὰ μεγάλα καρτερῶς μὴ λαμβάνων, ἔχειν δυνάμεται καὶ κρατεῖν ἀζημίως. ὅσος ὅς γε αὐτὰ πάντα ἑστάρει μόνον, ἄλλ' ὅς τις ἀδύχον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν εἶνα, δικαίως καὶ εἶνα βίβη. Non justus omnis abstinens injuriæ est, sed qui nocere eam potest, tunc abstinet: Nec qui recusat parva, sed qui maximis ten-*

Tentatus, animi robur invictum gerit: Nec quisquis ista quolibet præstat modo: Sed qui dolosi nescius fuci, integra Probitate, justus esse, non credi studet. Archytas de viro bono & beato: Quemadmodum qui aliquando vel immodeste, vel injuste, vel timide se gesserit, inter malos referendus non est ita nec, quicquid in his recte, inter bonos. Verum enim judicium non ex uno tempore, sed ex vita tota faciendum. Huc spectat & judicium Agathia l. 5. de illis, qui terrore atrocis terræmotus Byzantii certatim bona opera fecissent. Hæc omnia, inquit, ad certum aliquod tempus fiebant, recenti videlicet adhuc & vigente metu. Simulac vero malum remitti ac cessare cœpit, confestim plerique ad pristinos mores redierunt. Vocari autem possit talis animorum motus atque impetus non justitia revera, neque pietas solida pariter atque efficax, qualis ex recta opinione & constantissimo studio in animis efformari solet, sed μηχανή τις ἀτακτοῦ, καὶ οἷον ἐμποεῖα σοφιστικῶτάτη, machinatio quadam incomposita, & velut nundinatio fallacissima ad subterfugiendum ac propulsandum malum instituta. Bona itaque opera ita demum necessitate cogente degustamus, quamdiu metus premit. Ex quo patet, definitionem justitiæ, Jctis Romanis familiarem, qua eam dicunt constantem & perpetuam voluntatem suam cuique tribuendi; spectare ad justitiam personarum, non actionum. Id quod mihi satis inconveniens videtur, cum jurisprudentia maxime circa justitiam actionum sit occupata; justitiæ personarum non nisi obiter, & paucis in materiis rationem habeat.

§. 7. Differt autem justitia actionum à bonitate in hoc potissimum, quod bonitas simpliciter notet convenientiam cum lege, justitia autem præterea involvat respectum ad eos, in quos actio exercetur. Sic igitur actio justa nobis dicitur, quæ ex proæresi adplicatur ad personam, cui illa debetur. Adeoque justitia hoc modo erit recta adplicatio actionum ad personam. Divisionem ejusdem nobis desumere placet potissimum ab ipsa materia, quæ debetur, aut velut ex debito alteri adplicatur. Ubi in antecessum monemus, actionum alias posse vocari puras, alias velut mixtas. Illæ absolvuntur motu quodam alicujus potentia, certa ratione ad objectum adplicito; uti est, exhibitio honoris, obsequium, dilectio, averfatio, consolatio, laudatio, vituperatio, &c. quarum effectus consistit in eo, quod objectum ex actione certo modo afficiatur, aut affectum intelligatur ad

ad complacentiam aut displicentiam. Hæ autem sunt conjunctæ cum translatione alicujus commodi, vel incommodi in personam, adversus quam dicuntur exerceri: adeoque earum effectus potissimum consistit in aliquo opere, re ipsa alterius personam aut res juvante vel laedente. Deinde sunt & actiones, quæ in commercium hominum veniunt, ac certo pretio taxantur; quædam autem pretio inter homines æstimari non solent, de quo discrimine pluribus infra. Denique & hoc observandum, quædam deberi nobis ex jure perfecto, quædam ex imperfecto. Illo modo quæ nobis debentur, ubi ultro non tribuuntur, fas est in libertate naturali degentibus vi belloque ad ea præstanda alterum adigere; aut in eadem civitate si vivamus, contra eundem actio datur: hoc autem modo debita bello vindicari, aut actione intentata extorqueri non possunt. Perfectum jus autores frequenter solent exprimere, addito vocabulo *sui*; v. g. ille *suo jure* hoc postulat. Quod autem alia nobis perfecte, alia imperfecte debeantur, causa est, inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, diversitas præceptorum juris naturalis, quorum alia ad esse, alia duntaxat ad bene esse societatis faciunt. Unde cum minus necessarium sit, hæc quam illa alteri exhiberi; rationis quoque est, illa quam hæc rigidiore posse modo exigi: cum stolidum sit, medicinam morbo longe operosiorum & molestiorum adhibere. Accedit, quod circa illa fere patrum intercedat, circa hæc non item; adeoque cum hæc cujusque pudori ac conscientiæ relinquantur, incongruens erat, talia ab altero per vim extorqueri, nisi fors gravis necessitas subigat. Verum in civitatibus discrimen illud ex legibus civilibus, actionem dantibus aut negantibus, oritur; etsi civitates ut plurimum hæc juris naturalis vestigia sint securæ, nisi qua peculiare ipsarum rationes diversum suaderent.

§. 8. Quando igitur exhibentur alicui actiones aut res, quæ illi ex jure duntaxat imperfecto debentur, aut quando adversus alterum exercentur actiones in commercium non venientes, communiter dicitur observari justitia universalis. Ut quando quis consilio, re, aut opera egenti subvenit, & officia pietatis, reverentiæ, grati animi, humanitatis, beneficentiæ exhibet, adversus quos ista exhibere tenetur. Hæc justitia illud tantum spectat, ut præstetur, quod alteri debetur, non

atten-

attendendo, num id quod præstatur, sit æquale causæ illi, ob quam quid debetur, an minus. Sic grati animi officio satisfit, si quantum per facultates licet, reponatur, etiam si beneficium fors longe supra fuerit. Ast quando alicui exhibentur actiones, in commercium venientes, aut quibus res aliqua in alterum transfertur, ad quam ille jus perfectum habebat, justitia particularis dicitur.

§. 9. Jus porro isthoc oritur vel singulis ex pacto (tacito, aut expresso) cum societate aliqua inito hoc fine, ut ipsius membra fiant; vel societati ex pacto eodem cum singulis, ut eos sibi membra adjungat: vel oritur denique ex pactis quorumlibet cum quibuslibet circa res & actiones in commercium venientes. Ubi exercentur ea, quæ ex pacto societatis cum membro, aut membri cum societate ob finem jam dictum inito debentur, vocatur justitia distributiva. Quandoquunque enim aliquis in societatem recipitur, tale pactum expresse aut tacite initur inter societatem, & membrum recipiendum, quod societas quidem velit huic ratam partem tribuere de bonis, quæ societati, ut tali, competunt; membrum vero promittit, quod pro rata parte velit ferre onera, quæ ad societatem, qua talem, servandam faciunt. Determinatio autem ratæ partis de bonis socio adsignandis fit secundum æstimationem operæ, aut sumtum impensorum ad societatem qua talem servandam, spectatorum in proportione ad aliorum ejus societatis membrorum operam, aut sumtus impensos. Uti contra determinatio ratæ partis de oneribus membro imponendis fit secundum æstimationem commodorum, quæ illud ex societate percipit, spectatorum in proportione ad commodâ, ab aliis membris è societate percepta. Inde cum ut plurimum unum membrum plus conferat ad societatem conservandam, quam alterum, & unum quoque præ altero plus commodi ex eadem hauriat; facile patet ratio, cur positis pluribus personis, positaque inter easdem inæqualitate, in justitia distributiva sit observanda æqualitas comparata. Quæ in hoc consistit, ut quomodo se habet dignitas seu meritum unius ad dignitatem alterius; sic se quoque habeat præmium unius ad præmium alterius. Nam, uti loquitur *Philo Judæus de Monarchia*, *æqualia dignitate imparibus tribuere est inæqualitas*. *Arriani Epictetus* l. 3. c. 17. νόμος ἔστι φυσικός, ἢ κρείττονα ἢ χειρότερον πλεον ἔχειν, ἐν ᾧ κρείττων ἴσθι. *Ea natura lex est, meliorem, in eo quo sit melior, meliore conditione esse illo, qui sit deterior.* Sic

v. g. si distribuenda sint VI. inter Cajum, Sejum, & Titium, posito Titii merita superare merita Caji triplo, duplo Seji, Titio danda erunt III. Sejo II. Cajo I. Nec ad hanc æqualitatem requiritur, ut præmium simpliciter exæquet meritum personæ; sed sufficit, ut quam proportionem habet dignitas unius ad dignitatem alterius, eandem quoque habeat portio de re illa communi ad portionem alterius. Idem etiam ad onera imponenda debet adplicari. Ad vero quod *Hobb. de cive* c. 3. §. 6. æqualitati respectivæ, quæ in hac justitiæ specie observatur, evertendæ adfert: de meo me distribuere posse plus merenti minus, minusque merenti plus dare, modo id dederò, quod pactus sum, allato pronunciatò Salvatoris nostri *Matth. XX. 13.* id sane ad rem nihil facit. Nam in allegato dicto ostenditur, non peccare in justitiam commutativam, (quæ contractum locationis conductiois regit,) qui ex liberalitate quibusdam largiorem quam pro merito tribuit mercedem, aut mercedi, quæ ex justitia commutativa debetur, aliquid ex liberalitate, quam sub se comprehendit justitia universalis, adjicit; modo cæteris, quam pacti fuerunt mercedem, non deneget. Sed quid hoc ad nostram justitiam distributivam? secundum quam de re, ad quam plures perfectum jus, sed ratione quantitatis velut inæquale, habent, rata portio assignanda? Vocabulum autem *distribuendi*, in hoc exemplo occurrens, haut quidquam innuit, factum id ad justitiam distributivam pertinere; sed plures fuisse mercenarios, quibus sua cuique merces, ex justitia utique commutativa, fuerat danda. Circa difficultates autem, quas *Grotius* l. I. c. I. §. 8. movet, observandum, ipsius justitiam expletricem cum commutativa, & attributricem cum distributiva haut quidquam admissim coincidere; neque divisionem ipsius eodem cum nostra fundamento niti. Nam illa nobis desumitur ab ipsa potissimum materia, quæ debetur, & ex debendi origine; ipsi autem à modo, & velut intensioe, qua quid debetur. Unde ratio adparet, quare distributio lucri in contractu societatis illi ad justitiam expletricem, nobis ad distributivam pertineat. Etsi ut in contractu societatis proportio geometrica observetur, ex accidente est; cum non necessum sit, ut socii inæqualia contulerint, sed potuerint etiam æqualia contulisse. Quo factò simplex erit æqualitas in partibus lucri. Circa illud autem exemplum; *si unus tantum aptus inveniat ad munus publicum, non alia quam*

simplici commensatione attributio fiet: ulterius dispiciendum, ad iste ad illud munus habeat jus perfectum, an imperfectum. Si hoc, ad justitiam universalem id exemplum pertinebit: sin illud, agnoscimus quod circa proportionem monet, ut plurimum, non semper in justitia distributiva locum habere proportionem geometricam. Neque vero nos discrimen utriusque justitiæ ab usu diversæ proportionis desumimus. Sic & legata assignare non ad distributivam, sed ad universalem justitiam spectat. Et quando civitas de communi reddit, quod civium quidam in publicum impenderunt, commutativa, non distributiva exercetur justitia; quia causa debendi non oritur ex pacto, quo civitas civem recepit, sed ex peculiari, & diverso plane contractu.

§. 10. Ast si alicui exhibeantur, quæ debentur ex pacto reciproco, circa res & actiones in commercium venientes, vocatur justitia commutativa. Ea pacta cum hoc spectent, ut pro mea re, aut actione in commercium veniente ab altero accipiam rem aut actionem æquipollentem, saltem quæ mea æstimatione talis sit, facile adparet ratio, cur hæc justitiæ species requirat æqualitatem simplicem, quam vulgo arithmetica proportionem, nescio an ad mentem Mathematicorum vocant; etsi *Plutarchus de amore fraterno* vocabulum *ἀειματιῆς διαλογίας* in vulgari illo sensu usurpet. Adeoque heic res aut actio in commercium veniens alteri, quod pro ea datur, aut præstatur, exacte quantum moralis fert æstimatione, respondere debet. Nam quod *Hobbes de Cive* c. 3. §. 6. objicit: *sires nostras vendamus, quanti possumus, injuriam emtori non fieri, qui id voluit, & petiit*, infra pluribus excutietur. De justitia vindicativa, quæ ex mente nostra peculiarem speciem constituit; infra commodior erit agendi locus.

§. 11. Operæ pretium quoque fuerit *Grotii* sententiam super justitia expendisse, quam ille, neglecta differentia universalis, & particularis justitiæ, in *explettricem*, & *attributricem* dispescit; cujus discrimen fundatur in diversitate juris, quod quis ad aliquid ab altero accipiendum habet; quod est vel perfectum, vel imperfectum seu aptitudo. Adeoque ille actus ipsi pertinet ad justitiam explettricem, quando alicui tribuitur id, quod ex jure perfecto ei debebatur, quodque jure suo postulare poterat: ad justitiam autem attributricem, quando tribuitur, quod ex jure duntaxat imperfecto debebatur. Ratio autem istarum appellationum hæc

hæc videtur. Quod ex jure perfecto mihi debetur, id aliquo modo jam meum esse intelligitur, sit ut quamdiu idem non fuerit exhibitum, aliquid mei abesse iudicetur. Ideo & nomina in patrimonio nostro reputantur, & in solutum aliis cedi possunt. Unde si accipiam quod ex jure perfecto debetur, non aliquid novi mihi tribuitur, sed res duntaxat, quæ aberat, & cujus locum tantisper sustinebat actio, expletur. Sicut v.g. qui librum ex bibliotheca mea commodato sumpsit, eo restituito illam non auget, sed lacunam duntaxat explet. Verum ad quæ accipienda jus imperfectum tantum habeo, illa pro meis nondum reputare, aut in patrimonio meo numerare possum; cum ea ab alterius pudore dependeant, neque idem violento aliquo medio ad eadem præstanda possit adigi. Unde ridiculum foret, v.g. si mendicus stipem, quam ab opulento viro expectat, futuri loco pretii pro calceis velit delegare. Adeoque qui ex jure imperfecto quid alteri præstat, revera ipsi aliquid attribuit, quod pro suo antea habere non poterat. Atque hinc Grotius isthanc justitiam vocat comitem carum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem afferunt, puta liberalitatis, misericordiæ, humanitatis, & similibus. Nam ad talia habenda aliis jus duntaxat imperfectum competit. Quod autem Grotius huc quoque refert providentiam reatricem, id potissimum arbitror pertinere ad illa præmia distribuenda, ad quæ cives jus duntaxat imperfectum habent; ubi licet amplior distribuendi sit libertas, quam circa ea, quæ ex contractu debentur; tamen consultissimum fuerit, heic quoque meritorum cujusque rationem habere, præveniendis querelis, & æmulationi. Quo spectat illud *Isocratis Areopagitico*, ubi de antiquis reip. Atheniensis administratoribus agit: *μή τις αὐτοῖς συνέβαλετο πρὸς τὸ καλῶς εἰκῆν πλεῖστον, ὅτι δύο ἴσῳ ἰσότητον νομιζόμενα ἦναι, καὶ τὸ μὲν ταῦτον ἀσπίον δόσιμους, ἵνα ἡ πρὸς τὸ ἀποθήκων ἑκάστοις, καὶ ἄλλων ἰσότητων ἡ χρησιμότερα. ἀλλὰ πλεῖστον αὐτῶν ἀξίως ἵνα χρηστέα καὶ ποικίλα ἀποδοίμαζον, ὡς ἔδικαζον ἕλαν. τὸ ἡ κατ' ἀξίαν ἑκάστον ἰσώζον καὶ κολλᾶσθαι ἀπορήντο.* Plurimum autem illis profuit ad remp. bene gerendam, quod cum duo existimentur equalitatis genera, quorum alterum unum est idem singulis, alterum unicuique quod convenit tribuit, non ignorarunt, utra utri præferenda esset: sed illam quidem equalitatem, qua bonos malosque isdem rebus dignatur, ut iniquam rejecerunt; eam autem, qua unicuique pro merito honores præmiaque attribuit, sequendam sibi, præhabendamque duxerunt.

Q 3

Quare

Quare autem *Grotius* receptis Aristotelicorum terminis usus non fuerit, hanc ipse rationem affert. Vocabulum *Συναλλακτικῆς*, commutativæ justitiæ ideo explettrici examussum non quadrat, quod ut possessor rei meæ illam mihi reddat, non est ἐκ *Συναλλογμάτων*, & tamen ad justitiam explettricem pertinet. Scilicet ut jus mihi perfectum sit rem meam abs quovis possessore vindicandi: non tamen actio mea fundatur super synallagmate, aut super contractu aliquo expresso, quem cum ipso de restituenda re iniverim; sed nil aliud probandum mihi incumbit, quam dominium ad me spectare. Ergo datur actus justitiæ explettrici, circa quem non intervenit *Συναλλάγμα*. Vocabulum autem *Διανεμητικῆς* justitiæ ideo attributrici undiquaque non congruit, quia *διανέμειν* subinnuit plures, inter quos distributio debet fieri. Atqui justitia attributrix exercetur, etiam quando uni duntaxat quid præstatur, ad quod ipse solus erat aptus.

§. 12. Aristotelis genuina mens super speciebus justitiæ, quantum nobis licuit assequi, hæc videtur. Justitia universalis, quæ ipsi est, *ἡς ὅλης ἀρετῆς χεῖρις πρὸς ἄλλον* *universæ virtutis usus erga alium*, *Nicom.* V. c. 5. virtus est, quæ ad omnes homines pertinet. Particularis justitiæ tres facit species; unam *διανεμητικῶν*, distributivam, quæ cernitur ἐν *ταῖς διανομαῖς ἢ τιμῆς, ἢ χρημάτων, ἢ τῶν ἄλλων, ὅσα μίερα τῆς κοινωνίης ἡς πολιτοῖς*: *in distributionibus aut honorum, aut pecuniarum, aut ceterarum rerum, quæ dividi in eos possunt, qui ejusdem civitatis participes sunt.* Altera *διορθωτικὴ*, *correctiva*, quæ in corrigendis *Συναλλάγμασι* consistit; quorum alia ipsi sunt spontanea, alia invita. Illa *Συναλλάγματα* ultroneo consensu constant, ut sunt emtio venditio, locatio conductio, mutuum, depositum, usura, sponsio. Hæc in criminibus cernuntur; in quibus eo nomine *Συναλλάγμα* invitum statuitur, quod v. g. in furto res mea me invito ad furem transit; ex quo inæqualitas oritur, ut ille plus quam debebat, ego minus habeam. Quæ sic corrigenda est, ut quantum ille plus habet, ipsi dematur, mihiq; addatur. Sic v. g. aliquis rem, quæ VI. valet, dolo venditoris emit pro IX. Hæc emtor habet III. venditor novem, justum pretium est VI. Inter hosce numeros 3. 6. 9. est proportio arithmetica, quia excessus, quo posterior numerus priorem superat, sunt æquales. Inde puto ratio patet, quare ista correctio secundum proportionem arithmeticam proprie sic dictam insti-

institui tradatur. Vid. *Joh. à Felden ad Grotii l. l. c. r. §. 8.* Atque hæ duæ species justitiæ proprie, aut præcipue ad eos pertinent, qui in civitatibus cum imperio sunt. Horum enim est, non privatorum, de publicis bonis inter singulos distribuere, & inæqualitates in contractibus, aut ex delictis ortas corrigere, & ad æqualitatem reducere. *Aristot. Nic. V. c. 7.* το ἀδικοῦστων, ἀριστὸν οὖν, ἰσὸς εἶναι περὶ τὰς ὀδύνας. *Injustum hoc, cum sit inæquale, æquare conatur judex.* Tertia justitiæ species ipsi est το ἀντιμισθίωνος, *retaliatio*, qua permutaciones rerum, per homines invicem factæ, reguntur, dum res diversæ & inæquales comparatione inter ipsas facta, ad leges proportionis geometricæ demum exæquantur; v. g. si permutandus sit calceus & equus, prius inquirendum, quoties calcei pretium equus contineat, & posito duodecies id contineri, το ἀντιμισθίωνος fuerit, si quis pro uno equo duodecim calceos acceperit. Vid. *Aristot. Nic. V. c. 8.* & *Michaël Ephesius* ad d. l. Atque isthoc ἀντιμισθίωνος exercere tam in privatos, quam in imperantes cadit. Quod autem diximus, ex mente *Aristotelis* aliam justitiæ speciem omnibus hominibus esse communem, aliam ad magistratus & judices duntaxat aut præcipue pertinere; id facile agnoscent, qui penitus inspecto istius opere morali deprehenderint, eundem in designandis virtutibus semper ob oculos habuisse ideam aliquam civitatis Græcanicæ. In qua cum non eadem omnibus civibus munia incumberent, mirum non est, ipsum nonnullas tradidisse virtutes, quæ non nisi in certum genus civium caderent.

§. 13. *Hobbes. de Cive c. 3. §. 6. & Leviath. cap. 15.* justitiam videtur tantum uniformem facere, quæ nihil aliud sit, quam servatio fidei, & pactorum impletio. Quæ sententia mutuo sumta est ab Epicuro apud *Diogenem Laërt. l. X. circa finem.* Et commutativam quidem ait considerari in contractibus permutatoriis, ematione venditione, locatione conductione, mutui datione & redditione, & similibus. Justitiam autem distributivam, etsi improprie dictam, exerceri ab arbitro, quando cuique partium, quæ in ipsum compromiserunt, addicit, quod ipsi debetur. Neque aliam æqualitatem in justitia observari, quam isthanc, quod cum æquales natura omnes simus, alter non debeat sibi arrogare plus juris, quam alteri concedat, nisi id juris per pacta sibi fuerit adquisitionum. Potro cum injuria, sive actio aut ommissio injusta, ex ipsius mente,

mente, idem sit, quod pacti violatio, exinde concludit, injuriam non posse fieri, nisi ei, quicum quis pactus est. Cujus sententiae suae rationem petit ex illo suo dogmate de jure in omnia à natura concessio, latius quam par erat extenso; quasi cum citra pactum, quo quis jure suo decesserit, illudque in alterum transtulerit, cuius jus sit faciendi erga alterum quaecunque velit; is autem, qui jure suo utitur, injuriam non faciat. Conf. *Gassendus Syntagm. philos. Epicuri part. 3. c. 26. 27.* Enimvero infra pluribus ostendemus, jus illud in omnia non posse ulterius extendi, quam quod natura concedat homini uti omnibus mediis, quæ recta ratio judicat facere ad ipsius conservationem stabilem, atque diuturnam; sicut & *ipse c. 1. §. 7.* in definitione *juris usurpationis* posuit. Jam autem sana ratio nunquam dicabit, per meram libidinem alteri esse inferenda, ex quibus ille non possit non ad bellum, & reciprocam lædendi cupidinem incitari. Deinde contradictionem sane implicat, positus pluribus hominibus, jure æqualibus, dicere, omnibus in omnia & in omnes jus competere; cum utique unius jus ad omnia non possit non cæterorum jura absorbere, si effectum aliquem sit habiturum. Illud enim non minus absurdum est, jus fingere, quod nullum effectum in ordine adversus alios obtineat. Nam in moralibus non esse, & nullum habere effectum idem fere est. At quale jus est, cui alter pari jure possit resistere? Quis dixerit, me jus habere alteri quid imperandi, si ille pari jure imperata mea potest negligere? Aut me jus habere verberibus quempiam cædendi, si pari jure & cum scœnore illa mihi reponi queunt? Igitur certum est; talia alteri faciendi jus hautquaquam esse; & qui ista facit, cum *sine jure* faciat, *injuriam* inferre. Contra alteri jus est, ne sibi talia ab alio inferantur; quibus illatis, injuria utique eidem fit. Unde jus illud, quo violato injuria dicitur fieri, non ex solo pacto cum aliis quæsitum, sed quoddam etiam ab ipsa natura, sine interveniente facto humano, datum fuit; adeoque falsum est, injuriam fieri posse nemini, nisi quicum pactum initum, aut cui dono quid datum sit. Sed & quod justitia non minus, quam dominium rerum civitatibus demum suam debeat originem, quod *Idem Leviath. d. c.* asserit; id falsum esse alio loco ostendemus. Quin tantum abest, ut justitia omnis resolvi possit in fidem pactis præstandam, ut contra antea quam sciri possit, an pactum aliquod sit implendum, certum esse debeat, illud pactum legum naturalium jussu, aut saltem per-

permissu initum esse. Add. *Cumberland de leg. nat. cap. 8. §. 6.* Ex dictis etiam intelligitur, quanquam alias damnum, & injuria omnino differant, & fieri queat, ut sola injuria in unum, damnum in alterum redundet; tamen hautquaquam admittendum, quod *Hobbesius d. l.* videtur innuere, nudo damno affici, non injuria, cui quid subtrahitur, aut qui læditur ab eo, quicum nihil pactus est. Neque exempla, quibus suam sententiam stabilire vult, satis quadrant. Dicit, *si dominus servo, qui obedientiam sibi pactus est, impetret, ut pecuniam tertio numeret, vel beneficium conferat, is si non faciat, damnum quidem tertio, injuriam autem domino soli facit.* Verum si pecuniam debitam jussus solvere servus non solverit, damnum non patietur creditor, cui salva adversus dominum manet actio. Nec si beneficium jussus dare servus non dederit, alter damnum passus est. Quamquam iste furti, aut alterius criminis reus sit, si quæ aliis nomine sui domini debebat dare, ipse intercepit, & sibi retinuit. Præterquam enim quod beneficio, utpote indebito, non accepto damnum proprie dictum non accipiatur; (vid. *Grot. l. 2. c. 17. §. 2.*) etiam alteri licebit apud dominum conqueri de malitia servi, qui sine dubio istum hoc impune ferre non sinet. Et si vel maxime isti tertio injuriam servus non fecit, non tamen ideo fecit, quod jure poterat; cum alteri utique super servo justa conquerendi causa suppetat. Alterum exemplum in *Leviath.* ita proponitur: *privati, qua invicem debent, remittere possunt; sed furta, cades, aliasque violentias, quibus læsi fuerunt, non possunt: quia denegatione debiti ipsi tantum injuria afficiuntur; per crimina autem ista violatur quoque, qui civitatis personam representat, seu legislator.* Quæ concedimus, modo inde non inferatur; per crimina illi quoque, qui læsus est, injuriam non fuisse factam. Sed prout de *Cive d. l.* hoc proponitur, nullo modo ferri potest. Dicit; *in civitate, si quis alicui noceat, quicum nihil pactus est, damnum ei infert cui malum; injuriam soli illi, qui totius civitatis potestatem habet.* Quid? an qui me lædit civis non mihi, sed soli regi injuriam facit? Aut, si vel maxime daremus, inter eos, qui in libertate naturali vivunt, jus in omnia obtinere, id quoque inter cives ejusdem reip. locum habebit? Qui sane communem dominum agnoscunt. Nam quod subjungit; *si is qui damnum accipit, injuriam exposculet, is qui fecit, sic diceret, quid tu mihi? quare ego facerem tuopotius,*
R
quam

quam meo libitu, siquidem, quin tu tuo non meo arbitrato facias, non impedio? tantum abest, ut, licet nulla pacta peculiaria intercesserint, in hac oratione nihil reprehendendum sit, ut potius à sensu communi eum discessisse sint judicaturi homines, qui hac exceptione læsi querelas repulsurum se speraverit. Id tamen recte ab Eodem d.l. observatur; *injustitia vocabulum significare relative ad legem; injuria autem tum ad legem, tum ad personam certam.* Nam ubi quid injustum est factum, omnes id injustum vocare possunt, seu omnibus id injustum est. Sed injuria facta esse potuit, non tamen mihi, vel illi, sed alii; & quandoque nemini privato, sed civitati tantum; v. g. in cæde per duellum ex provocatione facta. Nam de injuria sibi facta ne ipse quidem, qui læsus est, queri potest, ideo quia consensit in aleam pugnae legibus vetita. Sed legislatori utique violatum suum interdictum exsequi fas erit.

§. 14. Cogito quid justitia sit, facile de injustitia, ejusque speciebus colligere licet; simulque quod actio injusta sit, quæ ex proæresi prave adplicatur ad personam, cui diversa debebatur, aut quando denegatur alicui, quod ipsi debebatur. Injustum quippe est, inferre alteri quid mali, quod nobis inferendi potestas non erat; aut denegare vel eripere quid boni, quod ipsi debebatur. Nam bona ejus sunt naturæ, ut cuivis citra causam tribui possint, siquidem id fiat citra fraudem tertii; & mala, quæ quis meritus est, citra injuriam ipsi non inferre possumus, si id aliis damno non sit. Adeoque injusta actio vel infert, quod inferre non debebat, vel aufert, quod auferre non debebat, vel denegat, quod tribuere debebat. Nam & actionis debitæ negatio sive intermissio moraliter pro actione censetur.

§. 15. Cæterum solet injusta actio ex proæresi suscepta, & quæ jus alterius perfectum lædit, uno vocabulo dici *injuria*. De qua ut accurate percipiatur, sciendum, aliquem lædi posse triplici modo; vel ut denegetur, quod ipse debebat habere; (*Marcus Antoninus l.IX. §. 5. ἀδικεῖ πολλάντις ὁ μὴ ποιεῖν τι, ἢ μόνον ὁ ποιεῖν τι. Sæpenumero contingit, ut injuste agat, tam qui non facit aliquid, quam & qui facit.*) vel ut ipsi suum, quod jam habet, auferatur; vel ut mali quid inferatur, cujus inferendi potestas alteri non erat. Circa priorem modum est observandum, deberi aliquid alicui vel ex mero jure naturæ, ita tamen, ut ad ea perfectum jus non

ha-

habeat, uti sunt officia humanitatis, beneficentiæ, grati animi; vel ex pacto, eoque vel peculiari, vel contento in obligatione nostra ad leges civiles, qua nos adstringimus ad præstanda ea, quæ leges istæ alteri jubent exhibere. Hæc si denegantur alicui, proprie injuria dicitur: non autem si ista, etiamsi in jus naturæ peccetur. Neque vero per ipsum jus naturæ vi ad ista præstanda alterum licet adigere, saltem ubi imperium in istum non competit, nisi fors necessitas urgeat; quippe cum istorum genius officiorum requirat, ut utro, & citra metum poenæ præstentur. Et hætenus duntaxat verum est illud Hobbesianum; *injuriam non fieri nisi ei, quicum pactum intercessit*. At vero, quando alicui invito, & non laceßenti, dedita opera malum infertur, sive crepto bono quopiam, quod jam possidebat, sive inflictu positive malo aliquo, semper injuria fit, sive pactum intercesserit, sive non. Id enim cuiuslibet homini natura juris tribuit, ne ab altero homine ipsi citra antegressum suum meritum mali quid inferatur: neque homini fas est, ut ipse alterum non laceßitus lædat, nisi quantum necessitas imperii exercendi postulaverit. Addimus, *non laceßitus*. Nam ad injuriam requiritur quoque ἡ ἀπειρία, prius. Ὁ γὰρ δίκαιος ἕπαθε, καὶ τὸ ἀπὸ ἀνθρώπων, ἔδωκεν αὐτῷ. Nam qui propterea, quod passus est, idem vicissim facit, injuriam facere minime videtur. Aristot. Nicom. l. V. c. 15.

§. 16. Porro ad injuriam proprie dictam requiritur, ut ex proreli, & destinato consilio alteri nocendi, aut ægre faciendi, processerit. Inde non solent injuriæ venire nomine ejusmodi læsiones, quæ casu fortuito fiunt ab ignaro, & invito; puta, si miles, dum jaculis se exercet in loco solito transeuntem trajecerit; aut si putator in medio fundo ramum in aliquem, cui nullum ibi versandi jus, improviso dejecerit. Apud Antiphontem orat. 7. qui puerum jaculo trajecerat, ita excusatur: *non vetitis operam dabat, sed justis: neque inter se exercentes, sed in ordine eorum, qui jaculabantur, jaculatus est: neque à scopo aberrans, in eos, qui à scopo discesserant, jaculatus puerum attigit, sed omnia recte, ut sibi proposuerat faciens, nihil quod nollet fecit, passus quidem scopum, quem petebat, attingere prohibitus*. Quo facit illud Aristot. Nicom. V. cap. 10. ἀδίκημα καὶ δίκαιο παράγμμα ὡς ἐστὶν τὸ ἐκαστῶν καὶ ἀδυσίῳ. Iuste, vel injuste factum spontaneo, & invito definitur. Item ἔταρ ἀδελόγως ἢ θλάσει γίνηται, ἀτύχημα. Quando
R 2 præ-

prater rationem evenerit lesio, infortunium est. ὅταν ἢ μὴ καλῶς, ἢ ἀνὸς ἢ κακῶς, ἀμαρτία. Quando vero non prater rationem, sed sine tamen vitio, peccatum. Ad quem locum Michaël Ephesius: Lesiones alia ex ignorantia fiunt, & invitis nobis, alia ex cognitione, & sponte. Earum autem, quæ ex ignorantia fiunt, alia prater rationem & inopinato efficiuntur, alia involuntaria quidem sunt, non inopinato tamen, & prater rationem inferuntur. Dum dixerit autem, lesiones quæ ex ignorantia inferuntur, communi nomine errores ac peccata appellari; subdivisionem quandam facit, inquitque eas quæ prater rationem fiunt, infortunia; quæ non prater rationem, eodem quo genus nomine vocari peccata. Sunt autem prater rationem, ea quæ prater expectationem & inopinato raro contingunt: ut si quis dum repente fores aperit, patrem suum illic assistentem percusserit: aut dum in loco jaculatur, quæ nullus transire consueverit, de improvviso forte quadam occurrentem emisso jam telo vulneravit. Hac enim atque hujusmodi cetera inexpectata, praterque opinionem evenerunt. Nunquam enim opinatus esset quispiam, illac transiturum esse aliquem, quæ nemo unquam transire visus fuerat. At quæ licet ab ignorante efficiuntur, non sunt tamen inexpectata, & prater rationem, dicuntur peccata, & errores. Nam qui in via illa aut loco, ubi multi versari consueverunt, vel esse possunt, sagittandi artem exercendo aliquem ferit, peccat: atque hujusmodi lesio peccatum nominatur. Peccat enim, inquit, cum in se quisque principium causa haberit: in ipso siquidem fuit principium, quatenus in locum eum ad jaculandum se contulit, quæ transituros esse aliquos verisimile erat. Atque ejusmodi ἀμαρτία Jctis proprie culpa dicitur, quam describunt committi per negligentiam & imperitiam, quando quis negligit, & ignorat ea, quæ scire & observare debuisset ac potuisset. Ejus tres gradus faciunt, prout tres concipi possunt gradus diligentia, cujus ommissio culpa est. Est quippe diligentia communis omnium hominum, non acri ingenio vel industria excitata, sed velut ex sensu communi descendens. Est dein diligentia hominis magis exculi, & ultra istam communem, cuilibet in rebus suis propria, & quam hominum natura juxta cujusque solertiam & capacitatem requirit. Est denique diligentia exactissima, quam non nisi accuratissimus paterfam. in suis rebus adhibet. Huic quæ opponitur culpa levissima, illi, levis, isti lata dici sivevit. Circa culpam latam observant, eam dolo æquiparari

in

in contractibus & similibus negotiis civilibus, & ubi de reparando damno agitur: non item in criminibus, etsi reatum non penitus tollat, sed duntaxat minuat. Sed quem effectum levis, & levissima culpa habeant, passim Jcti docent, ubi de præstationibus in contractibus agunt. Enimvero quando quis per affectus vehementes, adeoque cum intentione duntaxat semiplena, ad lædendum alterum impellitur, non id eo ista læsio ab injuriæ nota eximitur, utut propter eandem injusti appellacionem quis non statim fortiatur. Inde *Aristot. Nicom. d. l.* ὅταν ᾖ αἰσῶς μὴ, μὴ ἀποβυβύσας δὲ, ἀδικημαῖ δὲ οὐκ ἔστι θυμὸν, καὶ ἄλλα πάθη, ὅσα ἀνεγκαιὰ ἢ φυσικὰ, συμπεριέχουσιν ἀνθρώποις: τὰύτα γὰρ βλάπτουσι καὶ ἀμαρτάνοντες, ἀδικούσιν μὴ, καὶ ὀδικύματα ἔσονται ἢ μὴ ἔσονται πρὸς ἀδικοῦσιν ὅσα τὰύτα, ἐστὶ ποικίλοι. ἐστὶ γὰρ διὰ μοχθηρίαν ἢ βλάβης. ὅταν δὲ ἐκ προουρίσσεως, ἀδικῶ καὶ μοχθηρῶς. διὸ καλῶς τὰ ἐκ θυμοῦ καὶ ἐκ ἀνοουρίας κείνη: ἢ γὰρ ἀρχὴ ὁ θυμὸς ποιεῖν, ἀλλ' ὁ ὀργίζεσθαι. *At cum cognoscens quidem, sed sine tamen præconsultatione agit quispiam, injuste factus est; ut sunt quæ ex ira fiunt, aliisque affectibus, qui necessarij, naturalesque hominibus accidunt. Qui in his enim lædunt, & peccant, injuste quidem agunt, suntque hac injuste facta, nondum tamen injusti ob hæc, neque pravij ipsi homines habentur; quippe cum læsio ipsa ex pravitate minime evenerit. Nam cum ex electione læserit quispiam, tunc demum injustus ac pravus est. Quocirca recte ea, quæ ex ira fiunt, non esse ex providentia judicantur: non enim principium affert, qui iratus facit, sed qui ad iram provocavit.*

§. 17. Denique & invito debet fieri, quæ dicenda est injuria. Nam volenti non fieri injuriam, etiam communi sermone tritum est. *Aristot. Nicom. V. c. 11.* βλάβη μὴ ὅν τις ἐκὼν ἔσται ἀδικημαῖ πάσης ἀδικεῖν δὲ ἢ δὲ ἐκ ἐκὼν. *Læditur igitur aliquis sponte, & injuste patitur; nullus tamen est, qui injuria sponte afficiatur. Cujus ratio est, quia bonum, quod alteri volenti eripio, aut debitum, quod volenti non præsto, condonatum mihi ab eo censetur. At quis injuriam me fecisse dicet, si quod donatur acceperim? Nec pro malo reputari potest, quod quis sibi ipse inferri vult, quippe cum malum abhorrentiam voluntatis necessario involvat. Ubi tamen supponitur, ut homo pleno rationis usu gaudeat, nec violento aliquo affectu extra se raptus sit. Add. *Ant. Matthæus de crimin. proleg. c. 3. §. 2. 3. Hobbesii demonstratio de cive c. 3. §. 7.* in eo laborat, quod præsupponit, injuriam non nisi in pacti violatione consistere. Exinde etiam *Aristot. Nicom. V. c. 15.* colligit, illum, qui seipsum per iram jugulaverit,*

non sibi facere injuriam, sed civitati, quam vel duce, vel milite, vel artifice, vel aliquo hujusmodi ministro privat. Unde etiam civitas, utpote abstali homine offensa, cum multare consuevit, illata ipsius cadaveri, ac memoriae aliqua ignominia. Add. *Mich. Ephes. ad d. l.* Quamquam d. l. aperte falsa sit illa *Aristotelis sententia.* ἡ κελύξ ἑαυτὸν ἀποκτείνει ὁ νόμος. ἢ ὃ μὴ κελύξ, ἀπαγορεύει. *Lex non jubet, seipsum quempiam occidere: qua autem non jubet, vetat.* Nisi ὃ κελύξεν *Aristoteli* h. l. idem quod permittere significat.

CAPUT VIII.

DE ACTIONUM MORALIUM

QUANTITATE.

- | | | |
|--|--|---|
| 1. <i>Quantitas actionum moralium absoluta?</i> | | mano? |
| 2. <i>Qualis intentio requiratur in foro divino?</i> | | 4. <i>Quid sit actio perfecta seu completa?</i> |
| 3. <i>Qualis intentio sufficiat in foro hu-</i> | | 5. <i>Quantitas actionum relativa.</i> |

Consequens est, ut de actionum moralium quantitate paucis videamus, seu qua ratione eadem aestimentur, & velut quantæ concipiuntur. Deprehendimus quippe actiones hominum voluntarias aestimari vel *absolute* & in se, vel *relate* & ad se mutuo. Circa absolutam aestimationem insigne discrimen inter actionem bonam atque malam occurrit. In actione enim bona, si eam formaliter & præcisè consideremus, nihil animadvertimus, quod indolem quantitatis obtineat; cum ipsa bonitas in coincidentia seu congruentia cum lege consistat, cujus nulla esse mensura intelligitur. Unde etiam formaliter & præcisè spectata actio bona non est altera melior; etsi materialiter & ratione objecti, nec non quoad intensiorem obligationis, una sit præstantior & nobilior altera. Mala autem actio quoniam à norma legis declinat, distantiam utique majorem aut minorem à lege concipitur habere, eoque nomine unum peccatum etiam formaliter & in se spectatum, majus aut minus aestimari potest; sicuti una curvitas magis à rectitudine discedit, quam altera. Nam nihili est ratiocinium Zenonis apud *Diogenem Laërt.* l. 7. *Peccata omnia esse equalia. Ut enim nec vero verius, nec falso quidquam magis sal-*

falsum est: sic neque fraus fraude, neque peccatum peccato majus est. Nam & qui centum stadiis, & qui uno à Canopo abest, æque uterque Canopi non est: sic etiam qui magis minusvè peccat, æque uterque à recte factò abest. Quoniam autem isthæc distantia à lege, si quis eam curiosius cum aliis speciebus quantitatis comparare velit, aliquod instar anguli rectilinei habere videtur, cujus magnitudo arcu circuli ex puncto crurum communi tanquam centro descripti, cruribus dictis intercepto, mensuratur: inde olim, cum prima hujus disciplinæ *Elementa* juvenilibus annis meditaremur, placebat schemate aliquo spherico ista declarare. Quæ nunc platio lubet modo exponere, cum ejusmodi argutiæ istam magis, quam maturiorem ætatem decere judicentur.

§. 2. Porro cum ad actionis bonitatem requiratur non solum, ut fiat id quod lex jubet, sed etiam ut fiat ea intentione, quæ eidem legi est conformis: inde adparet, ad hoc, ut actio aliqua perfecte bona habeatur, requiri, tum ut quod lege præscribitur juxta omnes partes impleatur, tum ut agentis animum unice excitet studium legislatori promptum obsequium exhibendi. Inde cum lege divina jubeamur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, ac proximum nostrum, sicut nos ipsos; manifestum est, nullam actionem posse Deo adprobari tanquam perfecte bonam, nisi quæ cum plenissima intentione fuerit suscepta, & ubi agens nihil aliud propositum sibi habuit, quam ut Creatoris O.M. voluntati satisfaceret. Eoque magis, quod istum utpote *καρδιογεννη* re minutissima quidem aberratio aut vacillatio animi fugere possit. Isti hoc qui expenderit, non temere coram Deo probitatem suam jactare sustinebit.

§. 3. Ast in foro humano remissiore diligentia licet defungi. Cum enim legislatores humani latis suis legibus emolumentum civitatis procuratum eant, quod plerumque per exterius actionis exercitium provenit, quæ demum cunque sit agentis intentio: inde isti fere acquiescunt, si modo actus exterior lege præscriptus fiat. Eoque magis, quod in recessus animi humani ipsis penetrare sit negatum, nec intentionem agentis liceat intelligere, nisi per conjecturas, aut signa in sensus incurrentia, quæ inter mortales haut quidquam infallibilem generant cognitionem circa ea, quæ in animo fuere voluntata. Hinc isti actionum quantitatem æstimant duntaxat sensualiter, seu prout sagacitatis humanæ conditio, ac vitæ civilis usus admittit; ac parum fere sunt solliciti, quam

quam plena fuerit, & sincera agentis intentio, dummodo hic exterius opus adprobaverit. In actionibus tamen malis utrique etiam inter homines major habetur ratio intentionis. Et quidem ubi illa plane abfuerit, quod contingit circa ea, quæ ex ignorantia aut errore invincibili suscipiuntur, actio pro invita habebitur; quæ uti imputari non solet agenti, ita & quantitate morali carere intelligitur. De cætero quævis actionum malarum, quæ ex proæresi suscipitur, eo deterior habetur, quo firmior ac plenior eadem intentio fuerit. Quam itidem iudices humani, queis in adyta animi penetrare non datum, ex variis conjecturis atque indiciis æstimare siveverunt; prout alio loco pluribus exponitur.

§. 4. Quod autem actionum moralium velut materiale attinet, illa actio bona in suo genere perfecta habetur, quæ ultimum quasi complementum attingit, & cui nulla pars debita deest. Inter eas, quæ ab ista perfectione discedunt, eo inferior quælibet censetur, prout ab isthac abfuerit, sive pars aliqua pleno operi defuerit, sive intrinsecum opus substiterit. Vice versa autem actionum malarum in suo genere deterrima habetur, quæ propositum finem plene assecuta est. Eo minus autem malitiæ quæque obtinet, quo longius citra ultimum complementum substiterit. Ubi tamen circa objecta actionum, prout legibus designantur, observandum, eadem esse in duplici potissimum differentia. Quædam enim divisionem admittunt, quædam secus; seu quædam ita sunt comparata, ut necessum sit, ea aut tota exprimi per actionem, aut prorsus omitti, aut plane contrarium fieri: in quibusdam autem etiam aliqua duntaxat pars potest exprimi, reliqua omitti, aut aliquid duntaxat oppositi fieri. Et in his iterum aliquid discriminis animadvertitur. Quædam enim objecta actionum, per leges descripta, comprehendunt ea, in quæ dividi possunt, tanquam species. Sic affirmativa lex quinti præcepti in decalogo, per Moysen divinitus promulgato, est: succurre necessitatibus corporis, in quibus proximus tuus versatur. Hæc comprehendit sub se velut species conservationem vitæ, membrorum, sanitatis, aversionem doloris, suppeditationem alimentorum tempore famis, &c. Opposita vero lex, quæ prohibet lacerare corpus proximi, complectitur sub se eadem, mutilationem, vulnera, verbera, minas, (vid. l. 15. §. 1. D. de injuriis.) &c. Sic sexti præcepti lex affirmativa, quæ castimoniam injungit, sub se continet puritatem cogi-

cogitationum, verecundiam sermonis & gestuum, abstinentiam à vere illicita, &c. Lex opposita impudicitiam prohibens complectitur adulteria, scortationem, gestus, ac sermones obscœnos, cogitationes fœdas. Heic v. g. verba impudica proprie non habent ad adulterium instar gratus aut partis. Sed quia legislator divinus compendii gratia sub una lege generali multos actus speciales voluit comprehendere; inde solidum & integrum peccatum contra sextum præceptum patravit æque, qui simpliciter scortatus est, quam qui mœchatus est. Unde circa hæc objecta, ubi non fit, quod lege præcipitur, aut omitti illud necessum est, aut contrarium fieri. Ast vero quædam objecta actionum, per leges determinata, ira sunt divisibilia, ut ea, in quæ dividi possunt, contineant ad modum partium integralium. Ubi non statim totum est patrandum, totumve omittendum, aut etiam contrarium faciendum; sed potest ejus pars duntaxat fieri, reliquum omitti. Sic v. g. quando lex jubet operario mercedem integram exsolvi, ejus pars solvi, pars negari potest. Sed quando illi, cui quid dare debebam, non id solum denego, sed & insuper quid eidem subtrahō, aut malum infero, prorsus alterius speciei fit actio, quæ priorem haut contingit.

§. 5. Præterea cum aliqua actio circa nobilior, alia circa ignobilior objectum versetur; ex una etiam plus boni, malivè, quam ex altera proveniat: adparet hoc respectu actionum quidem bonarum unam longe esse nobiliorem altera; & vice versa actionum malarum unam altera longe deteriore haberi. Quo spectat proprie illud *Horatii serm. l. 1. sat. 3. Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque. Qui teneros caules alieni fregerit horti, Et qui nocturnus divum sacra legerit.* Add. *Cicero pro Murana.* ubi false Stoicorum illud dogma de æqualitate peccatorum exagitat. Et si non insuper sit habendum illud *Horatii l. ep. 15. De mille faba modis quum surripis unum: Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.* Quæ est actionum æstimatio relativa. De qua infra l. VIII. cap. 3. prolixius agitur.

CAPUT IX.

DE ACTIONUM MORALIUM IMPUTATIONE.

1. Imputatio actualis.

2. Imputatio ex gratia.

S

3. Impu-

3. *Imputatio ex debito.*4. *Quid alteri efficaciter possit imputari?*5. *Meritum quid?*6. *Quomodo effectus actionum moralium deleantur?*

Quid requiratur, ut actio alicui queat imputari, seu tanquam ad aliquem pertinens haberi, superius satis ostensum fuit. Superest ut videamus, qua ratione eadem actu imputetur, hæcenus ut illa effectum aliquem moralem producat vel in ipso agente, vel in alio. Ubi prius separandæ sunt actiones, de quibus lege disponitur, ab iis, quæ in cujusq; arbitrio relictae sunt. Prioris generis actiones imputari agenti dicuntur, quando ille potissimum, qui circa eas lege disposuit, agentem earundem autorem declarat; simulq; effectus ipsarum in istum actu redundare, aut in eodem hæere statuit. Posterioris autem generis actiones imputari dicuntur, quando, qui eas citra necessitatem in alterius usum & emolumentum exercuit, significat, sese in ipsius gratiam actionem suscepisse, eoque nomine eundem sibi voluisse obstringere. Etsi posterior hæcce vocabuli imputandi significatio frequentius apud Latinos autores occurrat; prior apud Theologos & Moralistas sit tritissima. Manifeste autem discrimen inter hanc & illam imputationem adparet, quod prior quidem ab latore aut custode legis tendat in agentem: posterior autem ab agente feratur in eum, in cujus gratiam, & usum actio fuit suscepta.

§. 2. Prioris imputationis vulgo circumfertur divisio, qua alia dicitur fieri *ex gratia*, alia *ex debito*. Illa est, quando quis in aliquem effectus actionis à tertio patratæ, quos iste sibi alias jure vindicare non poterat, ex benevolentia derivat: vel etiam ex alicujus actione plus effectus in agentem gratuito redundare facit, quam alias ex ipsa in se provenire aptum erat. Qualis imputatio duntaxat circa favorabilia locum habet, circa odiosa non item. Quemadmodum enim ea bonorum natura est, ut etiam gratis alicui, & citra prætextum exhiberi queant; ita si quis alteri bonum quodpiam sub nomine puri beneficii conferre nolit, licebit id facere sub titulo imputatæ actionis alicujus, quæ alias ad ipsum non pertinebat, aut cujus intuitu tale quid jure postulare non poterat. Ast illud ratio non permittit, ut ex ejusmodi prætextu in alterum velim derivare effectus actionis malæ, quæ cum ipso nullam habet connexionem, cum alias isti effectus naturalem ipsius conditionem non sequentur.

tur. Adeoque inconueniens est, ut ex obtentu delicti mere alieni eripiantur alicui, quæ natura cuius homini ut tali dedit, aut imponantur, à quibus gratis perpetiendis natura communi beneficio omnibus cavit. Sic v. g. princeps filio nullis propriis artibus insignia patris merita imputare potest, eorumque intuitu honores ipsi alias non debites conferre. At ob patris delictum innocentem filium pœna afficere, absurdum est. Quanquam id fieri possit, ut delictum paternum sit occasio, ne in filium conferantur bona, aut ut & illa eripiantur, quæ non nisi sub certa lege in eum transitura, aut ejusdem mansura erant. Quo ipso tamen haut quidem tali malo involvitur, quod alias naturæ ipsius conditio respuebat. Nam nullo privilegio natura liberis cavit, ut bona paterna ipsi omnino possideant, aut ut ad certos honores admittantur. Talia enim non nisi sub hac conditione eos manebant, siquidem à parentibus illæsa iisdem fuissent tradita, aut nisi parentes certo se delicti genere obstrinxissent. Neq; deteriori sorte, quam humana conditio admittit, est, qui, nullo à parentibus accepto patrimonio, suarum sibi fortunarum autor esse cogitur. Imo & ex atrocibus parentum delictis eo usque procedi potest contra liberos innoxios, ut illi extra civitatem faceffere adigantur. Nam à natura nemo jus habet, ut in hac vel illa civitate perpetuo degat, sed id juris facti suo aut alieno acquirit; cui retinendo hæc potest adjuncta esse conditio: ut amittatur, ubi certum delictum ab ipsius parentibus fuerit admissum. Possessionem quippe alicujus juris à conditione casuali suspendi, rationi non repugnat. Quanquam alicubi leges civiles heic justo duriores esse, nemo inficias iverit.

§. 3. Impuratio autem ex debito in hoc consistit, ut ii, quorum interest actionem factam vel non factam, declarent, eandem ad agentem pertinere, inque eundem redundaturos effectus, qui actioni illi sunt assignati. Unde si in lege aliqua actioni bonæ certum sit constitutum præmium, ubi custos legis ab aliquo istam actionem patrata agnoverit, manifestum est, hunc istud præmium suo jure posse petere. Ubi autem quis nude pro imperio, & citra promissum præmium facere quid iussus sit, sufficere ipsi debet nuda superioris adprobatio; & abundantis præmii loco erit habendum, istius offensam, quæ secus facientem mansura erat, declinasse. Vice versa, ubi actio verita fuit patrata, si quis pro istius autore fuerit agnitus, habet, quod malum lege definitum metuat.

S 2.

Quod

Quod si autem alii, ad quos legum custodia & executio non spectat, bene facta adprobaverint, male facta reprehenderint, nihil præter existimationē agentis aliquo modo inde afficitur. Et huc adplicari potest illud *Diodori Siculi in excerptis Peiresciani*: ἔστι ὁ μὲν ἕπαλον ἀρετῆς ἀδάπανον. ὁ δὲ φόρος τιμωρία φανότι ἀντι πληγῆς. *Laus est quasi quoddam virtutis præmium nullo constans sumtu: vituperium vero pœna est vitii absque vulnere.* Est tamen ulterius notandum, quando plurium interest, actionem aliquam fieri vel non fieri, si unus eorum istam non imputaverit agenti, cæterorum juri, quod ab illo non dependet, nihil decedere. Sic ei, qui contra leges injuriam mihi intulit, possum ego condonare, quantum eadem me tangit. Quo ipso tamen publicæ superiorum prætensionī, si qua est, nihil decedit. Sic quam Deus peccantibus indulget veniam, jus humani fori non tollit. Ast quod omnes quorum interest non imputant, quoad effectus morales pro non facto habetur. Interest autem actionem aliquam fieri vel non fieri eorum, qui sunt actionis objectum aut directores, i. e. adversus quos actio aliqua suscipitur, & quibus illa bono vel malo cedit; aut quibus eam dirigendi potestas competit. Unde si injuriam, & is cui facta est, & magistratus, & Deus remisit, ea moraliter pro non facta censebitur.

§. 4. Ab hac imputatione longe differt illa, qua agens suam actionem, quam omittere poterat, illi, in cujus usum suscepta fuit, imputare dicitur. Scilicet cum quis rite præstitit sibi pro imperio injuncta, adprobationem sui facti experitur cum à cæteris, tum imprimis ab eo, qui injunxit. Mercedis quid in super prætere haurit quidquam valet, nisi quantum expresse in lege fuerat promissum. Vid. *Luc.* XVII. 9. 10. Eandem ob rationem nemo postulare potest, ut sibi ad producendum ali-quod jus imputetur, quod actione mala, per leges & imperium superioris interdicta abstinerit; sed contentus erit, quod nuda istius adprobatio ipsius obsequium consequatur. Cum enim secus, quam lex jubebat, facientem grave malum jure maneret, istoc effugisse mercedis loco erit. Inde apud *Senecam* l. 4. *controv.* 7. contradicitur illi, qui in adulterio deprehensus à tyranno, cum gladio extorto occiderat, & præmium tyrannidij petebat, *imputat nobis, quod deprehensus in adulterio mori noluit.* Et recte *Cicero Philip.* 2. negat se ideo Antonio devinctum, quod ab ipso occisus non fuerit. *Qualis beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere?*

Alii

Alii rationem inde arcessunt, quod intermissiones actionum malarum sint pura non entia, quorum nullæ sint affectiones positivæ. Et si reponi forte possit, has quoque moraliter pro entibus haberi posse, quatenus tanquam restrictio & coercitio facultatis naturalis concipiuntur. At contra, quando in alterius gratiam quid facio, quod recte aut commode poteram omittere, & omitto, quod commode poteram agere; rationis utique est, ut id ipsi queam imputare, id est, meo jure postulare, ut ille isthoc factum velut à me profectum agnoscat, & pro istius conditione mihi sit obstrictus. Ut tamen isthæc imputatio recte fieri possit, in agente quidem adesse debet intentio alteri sua actione boni aliquid conciliandi; in recipiente voluntas expressa aut præsumta ab isto illud admittendi. Nam operæ, quæ invito obruditur, imputatio recte repellitur. Et impudenter mihi imputat, quod quis nullo mei respectu, aut etiam ut mihi noceret egit. Sic stulte petiturus est præmium, qui dum alterum occidere conatur, casu vomitum ipsius alias incurabilem diffecuit, eoque modo sanitati eum restituit. Quanquam apud *Tacitum* H. 1. *Marius Celsus* constanter servata erga *Galbam* fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit. Add. *Genes.* XLV. 5. L. 20. Sic *Eudoxia*, cum Imperatori *Theodosio* nupsisset, fratres à quibus domo paterna fuerat ejecta, arcessit, neque irata illis, sed gratias potius agens, ut dignitatis tantæ autoribus. *Nisi enim ab eis exacta fuisset, nunquam venturam fuisset Constantinopolin;* apud *Zonaram* tom. III. Quod si eorum, quorum interest, consensu definiatur, quanti quid imputandum sit, pactum intervenit, in quo terminum velut suum attingit imputatio, nec quo ulterius isthoc in negotio tendat, invenit. Conf. *Matth.* XX. 13. 14. Quo spectat illud *Hobb. Leviath.* c. X. *meritum præsupponit jus ex promisso.*

§. 5. Ex hisce facile colligitur, quæ sit indoles meriti, aut quænam sint actiones meritoria, quas alii etiam adversus Deum valituras crepant. Scilicet scaturigo meriti præcipue est præstatio operæ indebitæ, & quam à nobis exigendi alter jus non habebat. Qui enim præstitit, ad quod perfecte obligabatur, debitum duntaxat suum explevit, & nihil velut redundans habet, ex quo meritum possit enasci. *M. Seneca* l. 1. *controv.* 8. *Sine me aliquod meritum in patriam conferre: adhuc militia mea legis munus est.* *Julius Capitolinus* in *Antonino Pio*, cum rationem cognominis memorasset, quod focerum ætate fessâ manu, præsentem Senatu, levasset, addit: quod

Quidem non satis magna pietatis est argumentum; cum impius sit magis, qui ista non faciat, quam pius, qui debitum reddat. Nec indebita invito obtrusa imputare licet; multoque minus, si nulla in istum utilitas redundaverit. Unde manifestum est, mortali adversus Deum nullum comparari posse meritum, si vel maxime is legi divinæ examussim implendæ par foret. Adeoque Deum nullo modo hominum debitorem posse fieri, nisi ex vi gratuitæ promissionis, quam destituere bonitas ipsius non fert; non autem quod exinde jus proprie dictum mortali nasci queat. Sic & pro imperio injunctæ actiones immediate meritum non gignunt, valiturum adversus eum, qui injunxit. Etsi tam Deus, quam homines, imperandi facultate gaudentes, sæpe jussa sua obeuntibus certa soleant bona conferre excitandæ obsequii promptitudini: ad quæ tamen exhibenda non ex merito agentis, aut velut ex contractu, sed ex promisso suo liberali teneri volunt. Unde & ista non mercedis, sed præmii liberalis nomine solent venire. *Euripides Rheso: παντὶ προσκείμενον κέρδιον ἄνευ ἕργου, τὴν χάριν τιτθεὶς δὲ πάλιν.* *Omni rei adjunctum præmium duplicem voluptatem parit.* Quod si tamen legislatores actione aliqua præstita expresse abs sese aliquid tanquam jure postulari statuunt; quin id recte & suo jure petere agens queat dubium non est. Nullo autem modo ad producendum meritum, aut materiam laudis, & gloriationis apta est nuda intermissio actionum lege vetitarum. Quo pertinet illud apud *Philostratum de vita Apollonii Thyanaei. l. VI. c. II.* *Non est justitiæ opus ab injustis abstinere, neque prudentiæ opus est, stulte aliquid non cogitare: neque fortitudinis, aciem non relinquere, neque temperantiæ in Medorum turpitudines non incidere: nec omnino laude dignum est, quod non esse malus videaris: omne enim quod aique ab honore pænaque distat, virtus non est.* Add. *Luca XVIII. II.* *Ammianus Marcellinus l. XXX. c. II.* *Nec enim aliena non rapere laudis est.* Superfunt igitur ad acquirendum adversus homines meritum actiones, quæ ipsis, saltem perfecte, non debentur; sive nulla prorsus obligatio ad eas præstandas adstringat; sive naturalis quidem ratio eas jubeat, aut suadeat, adplicatione tamen ad certas personas in nostro relicta arbitrio; sive jure civili duntaxat illæ non præcipiantur. Nam quæ alteri perfecte debeo, ad ea ipse jam jus obtinet, adeo ut si illa præstentur, proprie loquendo nihil decedat de eo, ad quod retinendum, aut arbitrio meo adplicandum in præsens jus habebam: iis quippe negatis aut retentis injuria

injuria alteri, ac damnum inferitur. Adeoque cum talia certo modo jam ad alterum pertineant, nec mihi de iis pro lubitu disponendi sit facultas, ad meritum producendum non amplius erunt idonea. Ast quando extra obligationem perfectam alteri quid præsto, id utique cum mihi decedat istique adcreseat, relinquit apud me jus perfectum; aut imperfectum recipiendi ab isto quid æquipollens. Et hoc ipsum meritum est. Add. *Seneca de beneficiis* l. 3. cap. 21. 22. Hujus expletionem quando expressa conventionione determinamus, *merces* proprie dicitur. Sed quando expletio illius, quoad modum, tempus, & quantitatem in arbitrio, & æquitate alterius relinquitur, *præmium* vocatur. Quod est vel res corporalis, ut pecunia, prædium; vel incorporalis, ut concessio privilegii, immunitatum; vel moralis, ut honor, dignitas; vel notionalis, ut statua, inscriptiones, coronæ, & similia. Add. *Mich. Montaigne essais* l. 2. c. 7. Et sic quidem ex actionibus indebitis, potissimum quatenus aliis sunt utiles, meritum resultat. Sicut contra ex actionibus pravis, cum primis illis quibus alteri damnum injuria datur, enascitur demeritum, cujus vi quis ad illud damnum pensandum adstringitur. In universum autem malæ actiones produunt reatum, per quem quis obnoxius intelligitur subeundæ poenæ. De qua latius agendi infra locus erit.

§. 6. Cæterum quemadmodum actualis imputatio facit existere effectus actionum moralium; ita ejusdem cessatio ac velut revocatio eosdem abolet. Ist hæc pari fere modo circa actiones bonas, & malas sese videtur habere. Actiones bonas, & malas, quamdiu tales sunt, seu quamdiu legibus præcipiuntur, aut interdiciuntur, non potest non sequi imputatio simplex. Abolita autem lege, ist hæc quoque imputatio circa eandem actionem locum non amplius habet. Actionis indebitæ imputationem ille tantum remittere potest, cujus interest effectus actionis ipso actu existere. Unde si quis operam præstitit, imputationem remiserit, merces non amplius peti potest. Quam remissionem facere non est in arbitrio ejus, cui opera est exhibita. Creditoris quippe est debitum condonare, non debitoris. Sic etiam actionis malæ imputationem efficacem tollere penes eos est, quorum interest, eos effectus actu existere, i. e. ejus qui læsus fuit, & legum latoris, atque custodis; non autem ejus, qui malam actionem perpetravit. Qui jura civilia tractant, quinque

quinque potissimum modos faciunt, quibus crimen extinguitur in foro humano. Primo ubi pœna legibus definita fuerit exsoluta. Nam propter idem delictum bis, & quidem pœna adæquata nemo punitur. Et si multæ pœnæ velut lituram post se relinquunt. Vid. *Sueton. Claudio c. 16.* Sæpe etiam exhausta pœna corporali, moralis pœna sive infamia, ejusq; signa perdurant. Deinde quem iudices absoluerunt, in foro civili pro innocente habetur. Tertio, si reus moriatur. Et si ad terrorem cæterorum in atrocissimis delictis aliquando etiam in defunctorum cadavera, bona, ac memoriam sæviri soleat. Quarto, lapsu temporis quoq; crimina tolluntur hæctenus, ut postea propter ista in iudicium delinquens non vocetur. *Seneca Oedipo. Latere semper patere, quod latuit diu.* Et si diurnitate temporis crimen deleri neget *Lysias orat. XII.* Et deniq; si criminis venia ab eo, qui summum in civitate imperium habet, fuerit impetrata. De quibus vid. prolixè *Ant. Mattheus de criminibus ad l. 48. D. tit. 19.* Cæterum uti velut sopiti latent effectus actionis malæ, quamdiu illa ignoratur, aut penitus dissimulatur, aut velut in antecessum condonatur: ita ubi semel isti effectus velut in publicum eruperunt, deleri quidem potest, quod in illis est morale, non autem, si quid circa eosdem physici intercurrit. Quod enim semel factum, id physice infectum fieri nequit; ut tamen idem in vita communi nullos amplius habeat effectus morales, effici potest. Sic qui propter delictum fustigatus fuit, verbera quidem, quæ semel tergo excepit, retinet; infamia tamen decreto imperantium extingui potest. Sublata autem omni penitus imputatione moraliter actio pro non facta habetur. Ex hisce explicandum est illud *Ovidii de Pontol. 1. El. 1. Est q. pati pœnam, quam meruisse, minus. Pana potest demi, culpa perennis erit. Mors faciet certe, ne sim cum venerit exul: Ne non peccarim, mors quoque non faciet.* Id duntaxat adhuc monendum; graviter illos hallucinari, qui ut reatus actionis malæ tollatur, præter non imputationem, seu condonationem requirunt infusionem qualitatis alicujus contrariæ, seu habitus justitiæ. Quemadmodum maculas parietis delimus superinducto tectorio; aut foetorem accenso thure dissipamus. In quem errorem istos introduxit ignorantia rerum moralium, & quod crederent, qualitates morales eodem modo produci aut deleri, quo physici solent. Id quod quam absurdum sit, ex superioribus facile potuit colligi.



SAMUELIS PUFENDORFII DE JURE NATURÆ ET GEN- TIUM LIBER SECVNDVS.

CAPUT I.

HOMINIS NATURÆ NON CONGRUERE, UT VIVAT EXLEX.

- | | | |
|--|--|---|
| 1. An lex in hominem cadat dubita-
tur? | | 5. Hac ne homini indulgeretur, ob-
stabat ipsius dignitas. |
| 2. Libertas in genere quid? | | 6. Pravitas. |
| 3. Libertas in Deo qualis? | | 7. Varietas ingeniorum. |
| 4. Libertas brutorum qualis? | | 8. Et imbecillitas ac naturalis incultus. |

Postquam priori libro res morales in genere, ac frequentissimi usus vocabula sunt explicata, quæ sparsim inserta compagem hujus disciplinæ erant interruptura; jam ad destinata nostra propius est accedendum, ac ante omnia inquirendum; an conveniens fuerit, hominem sine omni lege vitam hancce transire. Ex quo ipso perspicuum evadet, quare Creator O.M. homini non indulserit ejusmodi libertatem, ut omnia pro nudo lubitu, aut ex vago quodam impetu ageret, nulli juri, regulæ, aut necessitati obnoxius. Sane enim cum Deus homini dederit voluntatem, i. e. facultatem ex intrinseco velut impulsu sese convertendi ad eas res, quæ ipsi congruæ videntur, & avertendi sese ab illis, quæ displicent, & quidem ut illa voluntas cogi sit nescia; dubitare quis possit, annon bonitatem ipsius decuerit, ut pateretur hominem illa voluntatis flexibilitate illibata, & citra impedimentum uti. Quid enim flexilem voluntatē Deus dederat, si illa deinceps ad certas sese regulas debebat applicare? Et sicuti mobilitatem artuum vincula & compedes reddunt in-

T
utilem

utilem; sic incassum recidere videtur voluntatis libertas, si multa possumus velle, quæ necessario intermittenda, multa nolle, quæ necessario suscipienda sunt.

§. 2. Ut igitur paulo altius rem reperamus, ante omnia ostendendum videtur, omnimodam libertatem humanæ naturæ esse inutilem; ac perniciosam; adeoque ad salutem ipsius conducere, ut legibus ista constringatur. Ex quo ipso simul patebit, quousque illi fræna recte poterint laxari. Hæc igitur sciendum est, libertatem in genere concipi per facultatem intrinsecam agendi aut omittendi, quod quis ipse judicaverit. Dum *facultatem* dicimus, eo ipso innuimus illi, cui libertas tribuitur, ineffe vires ad aliquid agendum, ac vim movendi non solum seipsum, sed & aliis motum imprimendi, aut eadem certo modo afficiendi. *Intrinsecam* dicimus, ut intelligatur, motum, & vim illam oriri ex principio intrinseco, non autem ex impulsione violenta & extrinseca; quomodo lignum quoque interdum alienis nervis mobile existit. Additur denique, *quod quis ipse judicaverit*, ut innuatur, non temere, & cæco quodam impetu motum excitari, sed præsupponi agentem rem objectam, saltem utcunque cognovisse, ac post qualemcunque deliberationem demum ad agendum sese determinasse, adeoque immediatam agendi rationem fuisse, quia ipsi sic visum fuerit. Sed & illud simul intelligitur, alia impedimenta, quæ motum inhibere, aut in diversum detorquere possint, hinc abesse debere, ubi illibata libertati locus statuitur.

§. 3. His positis adparet, si quis rerum universitatem perlustrat, multa occurrere, quibus nulla omnino competit libertas; uti sunt omnia inanimata, & quibus vita duntaxat citra sensum est. Alia libertate gaudent, sed secundum diversos gradus. Omnimoda libertas, & omnis impediementi, aut defectus nescia in solum DEUM O. M. cadit, quæ tanquam nobilissimum attributum perfectissimæ ipsius essentiæ conceipitur. Quæ & ipsa nullam circumscriptionem admittit, & cum omnipotentia est conjuncta. Unde quod Deus quædam non agit, aut non omnia semper agit, illud non est ex defectu libertatis, sed ex proprio beneplacito. *Psal. CXV. 3. Ephes. I. 11.* Quod autem idem quædam non posse agere dicitur, id non provenit ex aliquo impedimento extrinsecus accedente, naturali aut morali, sed ex proprio placito, quod mortales ad magnitudinem & præstantiam ipsius attemperatum concipimus.

pimus. In quem sensum interpretandum est illud tritum; Deus sibi ipse est lex. Hinc & quando Deo tribuitur, justitia, non illa est intelligenda respicere aliquam obligationem, aut jus in altero, sicut justitiæ humanæ natura id infert. Sed quia talem agendi modum perfecti simæ suæ naturæ congruere ipse operibus, & per revelationes ostendit; inde eidem mortales id vocabulum adplicamus, quo, quæ recte à nobis adversus alios aguntur, exprimimus. Sic quod Dei promissa non fallunt, id non inde est, quod ejus libertas fuerit circumscripta per obligationem ex promisso ortam; sed quia præstantiæ divinæ convenit efficere, ne frustra quis expectaverit, quod ab ipso expectare est jussus: aut quia promissa fallere imperfectionem aliquam involvit, quæ à DEO quam longissime abest. Quæ de causa etiam mortales promissa divina non velut jure nostro postulamus, sed tanquam ex liberrimo profecta arbitrio beneficia venerabundi acceptamus. Neque enim heic, quod in promissis humanis, obtinet; solve quod debes; promissum cadit in debitum; quod ab initio erat libertatis, id postea fit necessitatis. Sed non minus promissa Dei, quam quæ citra promissum ab ipso præstantur, illibatam beneficiorum naturam retinent. Ad hunc fere modum homines de libertate, quæ in Deum cadit, utcunque balbutire possumus. Etsi illud manifestum sit, libertatem isthanc divinam infinitis modis conditionem mortalium excedere. *Add. Rich. Cumberland de leg. nat. c. 7. §. 6.*

§. 4. Animantia bruta, quæ infra nostram conditionem posita sunt, libertate quoque intra certum gradum videmus gaudere. Quæ eatenus quidem valde est ignobilis, quod exiguis limitibus ipsorum vires sint circumscriptæ, & heberudo sensuum, ac abjectio adpetitus neque circa multa objecta, idque sat superfunctorie versetur, & non nisi ab iis, quæ ventri inserviunt, crassis fere, & ubique obviis excitetur. De cætero nullus illis mos, nulla lex, nullum jus, quo aut inter se, aut adversus homines debeant uti. Apud pauca aliqua matrimonii rudimenta, sed quod nuda corporum conjunctione, & nonnulla benevolentia specie, non fidei religione contineatur. Plerisq; ubi Venerem explevere, nullum amoris vestigium superest, nec ulla pudoris aut sanguinis cura. Multis ardentissimus quidem sobolis amor; sed qui eousque durat, quoad

alere seipsam illa queat. Ulterius neque genitoribus geniti cura, & amor oblivione penitus deletur. Neque istis gratiæ reponendæ, velut ex debito, aut ullius officii sollicitudo. Sic quæ carnibus aluntur bruta, citra religionem lacerant ac devorant, quæcunque palato arriserint; nec pauca ex ira in mutuam perniciem efferantur. Jam cum illa leges domini ignorent, ubi fames subegerit, sæpe acriter super illis, quæ in medio exposita sunt, certatur; & quæ jam ab aliis congesta in suos usus sunt, rapere nullus pudor. Quin & nulla inter ipsa existimatio, nullus honos, nullum imperium, nulla prærogativa, nisi quam sola virium eminentia tribuit. Equidem apud quædam bruta instar aliquod amicitia & societatis paritas generis conciliare solet. Inde non pauca gregatim vivere amant, & quæ præ cæteris feritate sunt prædita, in diversa potius genera, quam in proprium sæviunt. Quo spectat illud *Jurvenalis sat. 15. Parcit cognatis maculis fera, quando leoni Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam Expiravit aper majoris dentibus apri? Indica tigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam; sævis inter se convenit ursis.* Verum præterquam quod non citra figuram poëticam isthæc dicuntur, illa quasi cognatio male firmum vinculum est diurnæ pacis; quippe quæ statim, ubi ventris respectus intervenerit, abrumpitur. Blande inter sese lusitant catelli; sed offam in medium projice, & mox iras inter ipsos surgere videbis. Quod autem nonnulla adversus homines obsequii, amoris, fidei, gratitudinis simulacra exercent, id ex mera adsuetudine, aut illecebra pabuli est. Quibus remotis, ubi vires tulerint, aut in homine sit, quod ipsorum adpetitum irritare possit, ne huic quidem parcitur. Ergo brutorum libertatem intrinsicum & morale vinculum haut quidquam imminuit. Sed exterior motus per hominum violentiam sapissime coercetur. Quod si quis quærat, quare isthæc exlex libertas brutis competat, simplicissima est responsio, quia Deus illis non dedit animum juris intelligentem. Inde non videbatur tanta sollicitudine fovenda & circumscribenda securitas animantium, in quæ maximo numero producenda non solum fœcundissima, & parum laboriosa est natura; sed & quæ anima immortalī destituuntur, & quorum vita ex subtili particularum dispositione, & motu unice provenit. Quibus producendis ac destituendis Creator potentiam suam ostendere gaudet. Sed nec ideo bruta magnopere legum coercitione opus habebant, quod adpetitus eorum non nisi fame, siti, & Venere

nerestimuletur, cui secundæ istis paratam fere, & copiosam materiam natura procuravit. Nam ne hominibus istorum velut licentia nimis nocere possit, abunde ipsis virium ac solertiæ competit. Add. *Charron de la sagesse. l. 1. c. 34. n. 11.*

§. 5. Enimvero quare Creator ejusmodi exlegem licentiam hominibus noluerit concedere, & quare eadem istis nullo modo conveniat, plures rationes adparent, ex conditione naturæ humanæ, primigenia aut post superveniente, resultantes. Requirebat humanæ naturæ dignitas, & præstantia, qua cæteras animantes eminet, ut certam ad normam ipsius actiones exigenterentur; quippe citra quam ordo, decore, aut pulcritudo intelligi nequit. Maxima inde homini dignatio, quod animam obtinet immortalem, lumine intellectus, facultate res dijudicandi & eligendi prædiram, & in plurimas artes solertissimam. Ob quam ille audit *sanctius reliquis animal, mentis que capacius alta, & quod dominari in cætera possit. Solinus c. 3. hominem vocat animal, quod rerum natura sensus judicio, & rationis capacitate præposuit omnibus.* Animam porro ad longe nobiliorum finem destinatam esse à Creatore, quam ut corpusculo huic pro sale sit, vel inde colligitur, quod ejusmodi præcipue facultatibus exsplendescat, quæ ad conservationem corporis parum aut nihil videntur conferre, sic ut isthoc longe minore velut adparatu incolume esse potuerit. Sane enim animæ humanæ vis circa illa sese quam maximè exserit, quæ ad cultum Numinis, vitamque socialem ac civilem spectant. Quo cum primis facit, quod ex notioribus ignotiora queat colligere, & quid sibi congruat, vel non congruat judicare; notiones universales à singularibus abstractas formare; signa, per quæ notiones in animo hærentes aliis communicari queant, comminisci, numerum, pōdera, ac mensuram intelligere, atque ista inter se comparare; ordinem ejusque vim intelligere, & observare; affectus ultro excitare, sistere, ac moderari; plurimas res memoria comprehendere, & pro re nata sub præsentem velut obtutum revocare; in seipsam aciem suam reflectere, ac sua dictamina recolligere, & cum actionibus componere, ex quo conscientia vis promanat. Quorum omnium exiguus usus, aut nullus in vita exlege, brutali, ac insociabili intelligitur. Add. *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 4. Qui & ex structura corporis humani præclara adfert, d. l. §. 33. seqq.* Jam quo splendidioribus

ribus donis Creator hominem instruxerat, quo plura ipsius ingenium capiebat; eo foedius erat illa incultu obsolescere, aut sine ordine, sine decore temere velut effundi, & consumi. Neque vero frustra Deus homini dederat mentem decori ordinis intelligentem, utque eidem sese posset attemperare; sed par omnino erat concessis ipsum facultatibus ita uti, ut exinde Creatoris gloria exsplendesceret, ipsique homini amplior felicitas proveniret. Possis quoque huc adplicare illud *Manilii Astron. l. 2. Quis dubitet hominem conjungere cælo? Eximiam natura dedit linguamque capaxque Ingenium, volucremque animum, Quem denique in unum descendit Deus, atq; habitat, seque ipse requirit.*

§. 6. Sed & quare consultum non esset, eandem homini cum brutis concedere licentiam, efficiebat ipsius præ hisce pravitas. Quam homini attribui nemo mirabitur, qui mortalium ingenia atque studia penitius fuerit rimatus. Quod bruta sollicitat, venter est, & Venus; & hæc quidem non nisi certis temporibus stimulat, & non ob superfluam titillationem, sed excitandæ soboli exercetur. Quo sine obtento, ultro velut sopita quiescit. *Oppianus Cyneq. l. 3. ἡ γὰρ τοι θήρῃσι νόμος, γαστήρ ὅτε πλήθει, Εἰς λίχον ἰερχομένοις τελίην φιλοπόσειν ἔργον.* Non enim feris est consuetudo, venter cum plenus est, Cubile ineuntibus perficere venereum opus. Ast hominis libido haut quidquam certis temporum articulis duntaxat exardescit, & longe frequentius vellicat, quam quantum conservandæ speciei necessarium videbatur. Sic brutorum venter facillime placatur per cibum à natura passim expositum, & qui nullo præterea adparatu nullisve condimentis indigeat. Hic si quiescat, nihil insuper curarum negotium facessit. Nec in iras, & ad lædendum alium temere exardescunt bruta, fame ac Venere vacua, nisi lacestantur. Ast hominis venter non satiari duntaxat, sed & titillari vult. Vestibus ne indigerent bruta, natura dedit. Ast homo nuditatis suæ teneritatem in occasionem ostentandæ vanitatis & superbiam arripit. Magna porro affectuum & cupidinum, brutis ignotorum, colluvie turget homo. Superflua habendi libido, ambitio, gloriæque & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumque contentio, superstitio, cura rerum futurarum, curiositas, mortales subinde agit: quorum omnium sensu bruta haut quidquam tanguntur. *Manilius Astron. l. 4. Nullo votorum sine beati Vi-cturos agimus semper, nec vivimus unquam, Pauperiorque bonis quisque est,*
quo

quod plurā requirit: Nec quod habet, numerat, tantum quod non habet optat. Quumque sui paruos usus natura reposcat, Materiam struimus magna per votuina, Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas, Et summam census pretium est effunderē censum. Libanius declam. IX. Nonne mite quidem animal verborum tenus homo est: Sed rebus ipsis agreste & effrene? Nam quam leonum adversus leones expeditio? quod bellum inter ejusdem generis beluas? quod apud illas est perjurium? qua pactorum violatio? qua perfidia tanta & avaritia, quod apud illos aurum & pecuniarum amor? quas commestiones aut crapulas; qua norunt adulteria? Hinc si quis consideret, quicquid contentionum, & bellorum quotidie inter homines agitatur, deprehendet pleraque ob desideria brutis ignorata suscipi. Add. Charron de la sagesse l. 1. c. 34. n. 12. & c. 39. n. 11. In isthac ergo humanorum affectuum ferocia, & varietate, qualis futura erat hominum vita, si nullum jus eosdem componeret? Luporum, leonum, canum inter se decertantium turbam videres. Imo quilibet alteri leo, lupus, canis futurus erat, & his omnibus infestius quid; quippe cum nullum sit animans, quod homini plus, quam homo, nocere possit & velit. Et cum tot mala homines nunc invicem inferant, quando lex & poena imminet; quid futurum foret, si omnia impune fierent, si hominis desideria nullum intus frænum compeceret? Add. Aristot. problem. sect. 29. quest. 7. Plinius H. N. l. 18. proæmio. Iamblichus protrept. c. 20. Ut homines inter se vivant familiariter, simulque contra legum præscriptum, id fieri nullo modo potest. Eo enim pacto majus ipsis damnum inferretur, quam si quisque sigillatim vitam institueret. Itaque propter hasce necessitates tam lex, quam justitia regis loco inter homines sunt, neque ullo modo illa abesse ab eis, vel removeri possunt. Manilius Astron. l. 2. p. 47. edit. Bæcleri v. 13. seqq.

§. 7. Accedit, quod in homine longe major sit ingenii diversitas, & varietas, quam in ullo genere brutorum. Singula brutorum genera consimiles fere inclinationes habent, parique adfectu & adpetitu ducuntur. Unum si quis norit, omnia norit. Ast inter homines quot capita, tot sensus; & suum cuique pulcrum. Horat. II. sat. 1. Quot capitum vivunt, totidem studiorum millia. Philemon apud Stobæum serm. 2. Εἰς ἅνθρωπον ἡ φύσις ἁπλοῦς, ὡς καὶ τῶν ζῴων, ὅτι καὶ τὸ σῶμα καὶ τὸ πνεῦμα ἓν ἐστίν. Ἡ μὲν δὲ ὅσα καὶ τὰ σώματα τῶν ἀριθμῶν καθ' ἑαυτὸν, τοσούτους ἔστι καὶ τρόπους ἰδίων. Si triginta millia Vulpium quis congreget, unam naturam Omnibus cernet

cernet inesse, modumq; vita & tenorem parem. Nostrum autem quot corpora numero, totidem est & vitæ rationes cernere. Plin. paneg. Nulla magis omnibus displicent, quam quæ sic fiunt, tanquam omnibus placeant. Nec simplici aut uniformi omnes cupidine agitantur, sed multiplici, & varie mixto. Imo idem homo sæpe sibi dissimilis, & quod hoc tempore concupivit, ab eodem alio tempore summopere abhorret. Magno curarum fluctuat aestu, Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias, perque omnia versat. Add. Charron de la sagesse. l. I. c. 38. Nec minor in studiis, institutis, & ad exserendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere vitæ generibus cernitur. Quintus Calaber l. I. πᾶσι δ' ἀπ' ἀνθρώποισι ὁμὸν γένος, ἀλλ' ἐν ἕκαστῳ ἕρως ἄλλο ἐν ἄλλο. Eadem quidem generis origo est universis hominibus, sed circa munia alius alia versatur. Quemadmodum autem quo plures sunt voces, eo fœdior, & inamœnior aures ferit sonus, nisi in harmoniam rite conspirent: ita summa confusio inter homines futura erat, ni varietas ista per leges in decorum ordinem componeretur. Quanquam ista ingeniorum & inclinationum varietas alia ratione in insigne decus & emolumentum generi humano cedit, dum ex ea ipsa rite temperata mirabilis ordo atq; pulcritudo resultare apta est, qui omnimoda similitudo haut quidquam productura erat. Simulque minus collisionum in tanta hominum multitudine futurum erat, ingeniis in diversa studia tendentibus. Sicuti & mirandam illam in faciebus hominum varietatem natura sapientissimo consilio commenta videtur. Cum enim diversa officia diversis sint exhibenda, ac diverso nos modo erga diversos gerere debeamus, summa oritura foret confusio, si omnes homines ita sibi examussim essent similes, nec unus ab altero discerni posset, nisi notis quibusdam adscititiis, quæ infinitis fraudibus, cum ex arbitrio hominum dependeant, materiam præbere possent. Add. Rich. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 28. Sed & aliud velut arcanum sub ista diversitate latet, dum ex eadem uni hæc, alteri alia magis species arridet; ex quo fit, ut cuilibet formam, quæ sibi pulcherrima videatur, & qua maxime adquiescere possit, invenire liceat.

§. 8. Denique ut citra legem non viveret homo, requirebat quoq; ipsius imbecillitas. Bruto non ita multi dies sufficiunt, ut eoque adolescat, quo sibi ipsi de victu prospicere queat. Nec ad eundem quærendum aliorum societate fere indiget. Ast hominem à prima ætate diuturna im-

na imbecillitas comitatur. *Quintilian. declam. 306. Caducum circa initia animal homines sumus. Nam ferarum pecudumque sætibus est statim ingressus, & ad ubera impetus: nobis tollendus infans, & adversus frigora nutriendus. Sic quoque inter parentum manus gremiumque nutricis sæpe labitur. Theocritus Idyll. 26. ἄλλο δ' ἄλλον ἴθυσθε θεός γ' ἠνδρῶτα φασίν. Nam Deus alium alio indigere statuit viro. Add. Plinius N.H. l. 7. præfat. Quot anni requiruntur, quam sollicita informatio, ut quis idoneus fiat, ad victum & amicum proprio Marte parandum? Finge mihi hominem ab aliquo, nulla interveniente fermocinatione, nutritum, ut quo velit ambulare queat, de cætero ab omni informatione & disciplina destitutum, cuique adeo nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio velut ingenio pullulavit. Finge eundem ab omnium aliorum hominum ope ac societate in solitudine relictum. Quam miserandum videbis animal? Mutum ac turpe pecus, cui nihil aliud relictum, quam herbas, radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere, sitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare, repellendis aëris injuriis antra subire, aut musco graminevè corpus tegere, tempus rædiosissimum per otium exigere, ad quemvis strepitum, aut animantis alterius occursum exhorrescere, denique fame, frigore, aut lacerante fera bestia perire. Igitur quod homo non miserrimam vitam inter omnia animantia degit, à conjunctione, & societate sui similitudinem habet. Non est bonum hominem esse solum, non ad matrimonium duntaxat, sed & societatem cum aliis hominibus in universum pertinet. Societas autem inter homines sine lege neque iniri, neque tranquilla, & firma servari potest. Igitur ne foedissimus omnium animantium, & miserrimus esset homo, ex legem eundem vivere haut quidquam conveniebat. Cæterum omnimodam libertatem non congruere homini, docet quoque *Plutarch. de audit.**

τῷ λόγῳ τὸς ἰσομένους ἀξίον ἔστι μένους ἐλευθέρους νομίζειν. μένοι γὰρ εἰ δὲ βέλτερον μαθόντες, ὡς βέλτερον ζῶσι. τοῖς δ' ἀπαιδεύτοις καὶ παραλόγοις ὁρμαῖς καὶ πράξεσιν ἐπιτεταμένοι καὶ μικρὸν ἐν πολλῷ τῷ μετανοῦντι ἐκύριοι. *Rationi qui parent, soli digni sunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi vivunt ut volunt, qui quid velle debeant didicerunt. Ineruditi autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones, exilem quandam ignobilemque voluntatis libertatem multa cum pœnitentia conjunctam habent.* Ex quibus omnibus adparet, libertatem hominis naturalem, quæ quidem revera ipsi competit, & non per abstractionem concipitur, semper cum vinculo aliquo, sanæ rationis nimirum, & legis naturalis, esse intelligendam.

DE STATU HOMINUM NATURALI.

- | | |
|---|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. <i>Status naturalis diversa consideratio.</i> 2. <i>Ejus miseria.</i> 3. <i>Et jura.</i> 4. <i>Status naturalis temperatus.</i> 5. <i>An ille habeat idolem belli?</i> 6. <i>Affirmantis Hobbesii rationes adducuntur.</i> 7. <i>Negativam suadet cognatio inter</i> | <p style="text-align: center;"><i>homines.</i></p> <ol style="list-style-type: none"> 8. <i>Hobbesii rationibus occurritur.</i> 9. <i>A statu naturali non debet exulare ratio.</i> 10. <i>Barbari mores statum naturalem non constituunt.</i> 11. <i>Pax naturalis pacis opus non habet.</i> 12. <i>Pax naturalis est parum fida.</i> |
|---|---|

PER statum hominis naturalem non intelligimus heic illam conditionem, quam velut perfectissimam, & homini quam maxime congruentem natura ultimo intendit; sed in qua homo per ipsam nativitatem constitutus concipitur, prout abstracta intelliguntur inventa, atque instituta humana, aut homini divinitus suggesta, quibus aliam velut faciem vita mortalium induit. Sub quibus comprehendimus non solum varias artes, & universum vitæ humanæ cultum, sed etiam potissimum societates civiles, quarum exortu genus humanum in concinnum ordinem fuit digestum. De isthoc igitur statu ut distinctius cognoscatur, considerabimus eum vel *in se*, & quidem potissimum, quæ ipsum incommoda, quæ itidem jura eundem comitentur; i. e. quæ conditio erat futura singulorum hominum, citra artes, cultumque ab hominibus inventum, & citra introductas civitates: vel *in ordine ad alios homines*; pacis an belli faciem ille habeat, i. e. an homines, qui invicem in naturali libertate vivunt, ut neuter alteri sit subjectus, neque iidem communem habeant dominum, pro hostibus, an pro amicis sint habendi. Qui iterum est vel *merus* aut absolutus, qui adversus omnes omnino homines æqualiter se habet, vel *limitatus* & restrictus, prout certam duntaxat hominum partem respicit. Duplici quippe modo genus humanum considerari potest, vel ut concipiantur omnes & singuli homines in naturali libertate vivere; vel ut intelligantur cum aliquibus in societatem civilem coaluisse,

luisse, cum cæteris autem nullo nisi communi humanitatis vinculo connecti.

§. 2. Ut igitur status naturalis faciem animo concipere queamus, qualis is citra ulla subsidia & inventa humana, aut divinitus homini suggesta futurus fuerat, fingendus nobis est homo undecunq̄ue in huncce mundum projectus, ac sibi soli plane relictus citra omne subsidium humanum post nativitatem ipsi accidens, & quidem ut non amplioribus animi corpõrisque dotibus sit instructus, quam nunc nulla prævia cultura deprehenduntur, neque eundem peculiari Numinis cura foværi. Hujus cõditio non potest non miserrima concipi, si ve ponas illum infantem fuisse, cum ita undecunq̄ue exoriretur, si ve justa jam præditum staturã ac robore. Sane infanti miserrimè fuisset pereundum, nisi velut per miraculum brutum aliquod animal ubera misero præbuisset: quod ipsum tamen cum brutis contubernium bestiarum alumno non parum feritatis daturum erat. Iste tamen justa jam statura, utique nudus erit concipiendus, non nisi inarticulatum sonum emittere valens, omni disciplina ac cultura vacuus, attonitus, & qui *stupefactus novo penderet lumine mundi*, uti *Manilius* l. 1. loquitur: cui fame vellicante obvium quidvis arriperetur, gustuque prætentaretur, sitim obvius liquor levaret, contra injurias aëris antra aut densæ arbores quaecunq̄ue suffugium darent. Talium si etiam plures in terra adhuc plane inculta sibi solis relictos concipiamus, quamdiu miserrimam ac fere belluinam vitam acturos fuisse arbitramur, donec propria experientia ac ingenio, aut occasione, ex solertia quorundam animalium petita, paulatim ad aliquem vitæ cultum proficerent, & *varias usus meditando extunderet artes?* Id quod facile agnosceret, si quis omnia illa velit circumspicere, quibus jam in vita nostra utimur, & quam difficile cuivis futurum fuerit omnia ista proprio Marte invenire, nã aliorum hominum manu ductio & opera præiret; imo quam de plerisque nunquam in mentem plurimis fuerit venturum. Inde mirum non est, paganos scriptores, qui veras origines generis humani ex divinis literis ignorabant, tam foeda de primævo hominum statũ prode. *Horat. sermon. l. 1. satyr. 3. Quum prorepissent primis animalia terris, Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter In quibus & pugnis, dein fustibus atque ita porro Pugnabant armis, quæ post fabri-*

caverat usus : Donec verba, quibus voces, sensusque notarent, Nominaque invenire, dehinc abstinere bello, Oppida ceperunt munire, & condecere leges, Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter. Sic Lucretius l.V. Et genus humanum multo fuit illud in arvis Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset. Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat Sponte sua, satis id placabat peccata donum. Glandiferas inter curabant corpora quercus Plerumque. At sedare sitim fluvii fontesque vocabant. Nec dum res igni scibant tractare, neque uti Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum. Sed nemora, atque carnos mentes, sylvasque colebant, Verbera ventorum vitare, imbresque coacti. Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis Moribus inter se scibant, nec legibus uti. Quod cuique obtulerat prada fortuna, ferebat Sponte sua sibi quisque valere, & vivere doctus. Et Venus in sylvis iniebat corpora amantum: Conciliabat enim vel mutua quamque cupido, Vel violenta viri vis, atque impensa libido. Illuderat cura, quod secula ferarum Insestam miseris faciebant saepe quietem. Inde casas postquam, ac pelles, ignemque pararunt; Et mulier conjuncta viro concessit in unum; Castaque privata Veneris connubia leta Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam: Tum genus humanum primum mollescere cepit. Ignis enim curavit, ut alia corpora frigus Non ita jam possent caeli sub tegmine ferre: Et Venus imminuit vires, puerique parentum Blanditiis facile ingenium fregere superbum. Tunc & amicitiam ceperunt jungere habentes Finitima inter se, nec ledere, nec violare: Et pueros commendarunt, muliebrique seclum; Vocibus & gestu cum balbe significarent, Imbecillorum esse aequum misererier omnium. Non tamen omnimodis poterat concordia gigni, Nec potuisset adhuc perducere secula propago. At varios linguae sonitus natura subegit Mittere, & utilitas expressit nominaverum, &c. Gemina hisce habet Diodorus Sicul. l. 1. c. 8. Homines primitus natos vitam inconditam, & belluinam egisse, memorant: ut qui sparsim ad pascua exierint, & sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comederint. Cumque a feris insestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem adacti, paulatim cognatas inter se formas agnoverunt. Mox; Primi homines, cum nihil dum ad vitam utile inventum esset, laboriose vitam sustentarunt, utpote vestibibus nondum amicti, domiciliisque, & igni non adsueti, & mansuetioris victus omnino rudes. Nam cum alimenta rure domum comportare nondum scirent, terra satius ad necessarios usus non reponebant. Ideoque multi frigoris inclementia, & penuria victus, per hiemem interibant. Verum inde sensim

vagipastores, nec ullus ulla in re alteri paret. Ejusmodi status incommoda nervose representavit *Hobbes. de Cive* cap. X. §. 1. *Extra civitatem, propriis tantum viribus protegimur; in civitate, omnium. Extra civitatem fructus ab industria nemini certus; in civitate omnibus. Denique extra civitatem, imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, solitudo, barbaries, ignorantia, scritas; in civitate imperium rationis, pax, securitas, divitiæ, ornatus, societas, elegantia, scientia, benevolentia.* Conf. *Polybius* l. 4. cap. 45. ubi de miseria Byzantinorum tradit propter inexplicabile cum vicinis Thracibus bellum. Sicuti & judicaverim, nulla ratione efficacius extingui posse querelas vulgi, quas circa onera & incommoda civitatum jactat, quam si ipsi ob oculos represententur naturalis status incommoda. Quæ recte æstimant, apud quos in proverbii vicem receptum est: *nisi judicium forent, unus alterum devoraret.*

§. 3. Quæ jura porro statum hominis naturalem comitentur, facile colligi potest tum ex inclinatione illa, omnibus animantibus communi, qua non possunt non ad conservationem sui corporis, vitæque; nec non ad dispellenda ea, quæ eandem destruere videntur, omnibus modis incumbere: tum quod in eo qui tegunt statu nullius hominis imperio sunt subjecti. Ex priori enim consequitur, quod in naturali statu constituti possint omnibus in medio positis uti, frui, omniaque adhibere, & agere, quæ ad conservatiōem sui faciunt, in quantum aliorum jus inde non læditur. Ex posteriori autem, quod iidem sicuti propriis viribus, ita & proprio judicio atque arbitrio ad legem tamen naturalem formato, utantur ad procurandam sui defensionem, atque conservationem. Atque hoc quoque respectu ille status nomine naturalis libertatis venit, dum quilibet citra antegressum humanum factum sui juris potestatisque, ac nullius alterius hominis potestati subjectus esse intelligitur. Quo ipso etiam quisvis cuivis alteri, cui neque ipse subjectus est, neque eundem sibi subjectum habet, æqualis habetur. Atque in hunc sensum corrigenda & interpretanda sunt tradita ab *Hobbeso de cive* c. 1. §. 7. seqq. *Juris naturalis fundamentum primum esse, ut quisque vitam & membra sua quantum potest tueatur, omnemque operam det, ut à morte & doloribus proprium corpus & membra defendat, conservetque.* Cui consequens sit, ut, quoniam frustra jus habet ad finem, cui jus ad media denegatur, unusquisque jus habeat utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, sine qua conservare se non

se non potest. Cum autem in naturali statu nemo alium hominem habeat superiorem, cujus arbitrio suam voluntatem, suumque iudicium submitteret; inde *quilibet naturali jure iudex est*, i. e. quilibet ex proprio iudicio definit, *utrum media quibus usus est, & actio quam acturus est, ad conservationem vita vel membrorum suorum necessaria sint, nec ne.* Nam si vel maxime quis alteri hec consilium suppeditare instituat, tamen cum alter isti voluntatem suam atque iudicium non subjecerit, licebit huic de ejusdem consilio iudicare, an sibi congruens sit, vel minus. Adeoque iste faciet quod alter suaserit, non quatenus id consilium ab altero fuit dictatum, sed quatenus id ipsi arridet, & consequenter ex proprii iudicii determinatione faciet. Ex quibus omnibus demum concludit; *naturam dedisse unicuique jus in omnia, hoc est, in statu mere naturali, & antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuique licuisse facere, quaecunque & in quoscunque libebat, & possidere, uti frui omnibus, quae volebat & poterat.* Ex quo etiam intelligi, *in statu natura mensuram juris esse utilitatem.* Quae utur prima fronte paradoxa videantur, tamen haut quidquam aliquam licentiam quidvis in quosvis patrandi inde deduci debere agnoscat, qui cogitaverit, *Hobbesium* in isthoc statu hominem utique legum naturalium, & sanæ rationis regimini subicere. Quae licentia cum nequaquam sit, neque abs sano homine haberi possit idoneum medium ad conservationem hominis diuturnam, natura quoque nullo modo eam indulgisse censenda est. Ac si vel maxime quis eam exercere præsumat, magno suo malo eandem sibi noxiam est deprehensurus. Sic ut demum effecti istius sensus huc redeat: natura res ad hominis conservationem facientes in medio posuit, antequam per pacta homines istas inter se dividerent: & quineminem habet superiorem, ex propria, ejusque sanæ rationis dictamine quævis agere potest, quæ ad diuturnam sui conservationem faciunt. Quod si tamen ita crassa fuit *Hobbesii* sententia, qualem prima fronte verba ejus præ se ferunt, ac benignam hancce interpretationem plane respuit, ipse viderit, quomodo meritam castigationem declinaverit. Id sane manifestum est, *Autorem Tractatus Theologico-Politici*, quem *Spinosam Exjudæum* vocat *Sam. Marefius*, jus illud in omnia naturalem statum comitans sat horride descripsisse, quod discussisse non abs re fuerit. Is igitur *per jus & institutum natura nihil aliud intelligit, quam regulas nature uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque natura*

liter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. v. g. pisces à natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum; adcoq, pisces summo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Ubi notandum, hoc loco per vocabulum juris non notari legem, juxta quam agendum sit, sed facultatem agendi, & quid citra injuriam agere quis possit: eoque non recte inferri, omnia ad quæ agenda jus aliquis habet, necessario quoque eundem agere debere. Deinde uti impropria est acceptio vocabuli, legis naturalis, quando notat id, secundum quod unaquæque res certa ac determinata ratione agit: Sic & improprie potentia & modus agendi, qui in creaturis ratione non præditi conspiciuntur, juris nomine vocatur. Nam proprie illum duntaxat jus ad agendum habere dicimus, qui prævia ratione agit. Pergit Ille: naturam absolute consideratam jus summum habere ad omnia quæ potest, hoc est, jus naturæ se eousque extendere, quousque ejus potentia se extendit; naturæ enim potentia ipsa Dei potentia est, qui jus summum ad omnia habet. Heic si per naturam absolute consideratam intelligitur Deus junctim cum rebus creatis, concedimus istam assertionem, Deoque jus summum ad omnia lubentes tribuimus, quod tamen ad perfectionem essentiæ ipsius sit temperatum. Sed si per naturam intelligatur universitas rerum creatarum, Deo contradistincta, tunc negamus, potentiam naturæ esse ipsius Dei potentiam, & illam cum hac æque late patere. Nam est quidem potentia naturæ à Deo producta, ut tamen totam potentiam Dei non exhauriat, sed limitibus ab ipso assignatis circumscribatur. Exinde Iste sic infert: quia universalis potentia totius naturæ nihil est præter potentiam omnium individuum simul, hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum habere ad omnia quæ potest, sive jus uniuscujusque eousque se extendere, quousque ejus determinata potentia se extendit. Ast ego non puto hæc consequi: potentia totius naturæ est potentia omnium individuum simul: ergo quodlibet individuum habet summum jus ad omnia. Quin potius quodlibet individuum certam & definitam juris particulam obtinet, eoque haut quidquam singula individua sibi illud jus arrogare poterunt, quod cuiusvis ex universitate naturæ competit. Addit: Et quia summa lex naturæ est, ut unaquæque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idq, nulla alterius, sed tantum sui habita ratione, hinc sequitur, unumquodque individuum jus summum ad hoc habere, i. e. ad existendum & operandum,

randum, prout naturaliter determinatum est. Ubi præterquam quod vocabulum *legis naturæ* improprie sumitur, saltem de hominibus falsum est, ipsorum naturam ita esse determinatam, ut conetur perseverare *nulla aliterius*, sed sui tantum habita ratione. Sed & proprie *naturaliter* determinatæ illæ res dicuntur, quæ ad uniformem agendi modum alligata sunt, agentibus liberis *contradistinctæ*: eoque homines circa actiones, quarum directio penes ipsos est, non à natura, sed à lege ad certi quid determinati sunt; & inde non statim illis jus ad agendum competit, quod intra vires naturæ ipsorum est. Clarius patebit vanitas horum ratiociniorum, si resectis ambagibus ita proponantur: Deus habet jus summum ad omnia; naturæ potentia est Dei potentia: ergo & natura jus habet ad omnia; potentia autem naturæ est potentia omnium individuorum simul: ergo singula individua jus ad omnia habent. Judicet qui potest, num in hoc ratiocinio justa sit connexio. Falso autem *Spinosa* pronunciat, *nullam heic agnoscendam differentiam inter homines & reliqua naturæ individua*; (cum non nisi de hominum jure quæstio institui queat;) *neque inter homines ratione præditos, & inter alios, qui rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes & sanos*. Quanquam enim aliis promptior, aliis tardior usus rationis sit; cui tamen ullus rationis usus est, saltem id intelligere potest, ad sui conservationem jure illimitato in omnia sibi opus non esse, idque adeo sibi non posse competere. Quibus autem nullus rationis usus est, de eorum jure frustra quæritur; neque ex morbidis hominibus de nativa conditione humani generis pronunciare licet. Quin nullus horum alia ratione, quam per jus in omnia, servari nequit. Frustra est ratio ab Illo subjuncta: *quicquid enim unaquæque res ex legibus naturæ suæ agit, id summo jure agit, nimirum quia agit, prout ex naturâ determinata est, nec aliud potest*. Atqui negamus hominem, quando ex legibus naturæ suæ agit, jus in omnia affectare, aut ad idem exercendum à natura determinatum esse. Fallit igitur conclusio *Spinosæ*: *Inter homines, quamdiu sub imperio solius rationis vivere considerantur, tam illi, qui rationem nondum novit, seu qui virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus adpetitus summo jure vivit, quam ille, qui ex legibus rationis suæ vitam suam dirigit. Hoc est, sicuti sapiens jus summum habet ad omnia, quæ ratio dicit, sive ex legibus rationis vivendi: sic etiam imignarus & animi impotens summum jus habet ad omnia, quæ appetitus suadet,*

det, sive ex legibus appetitus vivendi. Atqui status naturalis & imperium naturæ in homine rationem utique includit; nec aliis legibus sapiens, aliis hebetior vivere tenetur. Qui porro solo appetitu reguntur, in eos jus & lex non cadit. Sed in homine, qua appetitus à ratione abit, non ex jure aut legibus vivitur, sed aberrationes legum committuntur. Non minore falsitate laborant consecraria, quæ ex præmissis deducuntur: *Ius naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur. Non enim omnes naturaliter determinati sunt ad operandum secundum regulas & leges rationis; sed contra omnes ignari omnium rerum nascuntur, & antequam veram vivendi rationem noscere possunt, & virtutis habitum acquirere, magna ætatis pars, etsi bene educati fuerint, transit, & nihilominus interim vivere tenentur, seque quantum in se est conservare, nempe ex solo appetitus impulsu, quandoquidem natura iis nihil aliud dedit, & actualem potentiam ex sana ratione vivendi denegavit; & propterea non magis ex legibus sana mentis vivere tenetur, quam felis ex legibus natura leonina.* Enimvero, ut quis juxta rationem vivere teneatur, non necessum est, ut naturaliter determinatus sit ad operandum juxta leges rationis, id est, ut aliter agere non possit; sed sufficit tantum habere naturalis potentia, ex qua possit ab injuriis & molestiis inferendis abstinere, quo nihil est facilius. Sicuti & modus seipsum conservandi non adeo est operosus, ut jure in omnia opus sit. Ab eo autem, qui per ætatem omnium rerum est ignarus, non sane exigi potest accuratior actionum directio, quam pro captu rationis parce adhuc sese exercentis. Quo minus tamen, quæ ab eodem aguntur, nimis molesta aliis esse queant, natura providit, dum & exiguas ipsis vires attribuit, & aliis istorum directionem commendavit. Falsa denique est & isthæc illatio: *Quicquid itaque unusquisque, qui sub solo natura imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum imperio judicat, id summo natura jure adpetere, & quacunque ratione sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocunque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet, & consequenter pro hoste habere eum, qui impedire vult, quo minus animum expleat suum.* Item: *Ex quibus sequitur, jus & institutum natura, sub quo omnes nascuntur, & maxima ex parte vivunt, nihil nisi quod nemo cupit, & nemo potest prohibere, non contentiones, non odia, non iram,*

ram, non dolos, nec absolute aliquid, quod appetitus suadet, averfari. Hæc assertio de hominibus falsissima est. Sed si ea ad omne genus animantium extendatur, hoc sensu: nullum esse agendi modum aut viam se conservandi, quæ non alicui animanti ex instinctu suæ naturæ usurpetur; tunc ea ad rem nihil facit, cum id duntaxat quærat, num in homines jus in omnia adversus homines exercendum cadat. Et sane posteriorem sensum *Spinoza* ob oculos fuisse sequentia verba arguunt: *Nec mirum; nam natura non legibus humana rationis, qua non nisi hominum verum utile & conservationem intendunt, includitur, sed infinitis aliis, qua totius natura, cujus homo particula est, æternum ordinem respiciunt.* Et tamen mox fatetur, hominibus esse utilius secundum leges & certa nostræ rationis dictamina vivere, quæ verum hominis utile intendunt, Ast quid opus erat jus fingere, cujus usus homini, si salvus esse vellet, necessario deferendus erat; cum cæteris animalibus, qui aliquod instar juris in omnia exercent, hautquidquam necessum sit ad sui salutem eo se abdicare; quoditidem homini necessum non foret, si tale jus eidem naturaliter competeret.

§. 4. Fatemur tamen, universum genus humanum nunquam simul & semel in mero statu naturali extitisse; neque etiam existere potuisse, ideo quod divinarum autoritate literarum persuasi, ex uno pari conjugum quicquid est mortalium originem ducere credamus. Nam Adamo utique Eva sua maritali imperio fuit subjecta. *Genes. III. 16.* Et qui inde nascebantur, sub potestate patria, & imperio familiari statim constituebantur. Tunc autem in ejusmodi statu universum genus mortalium esse potuisset, si, quod paganis quibusdam credebatur, ab initio ranarum instar è terra provenissent; aut, sicuti *Cadmæi* fratres, semine sparso germinassent. Quæ fabula fallor an repræsentari possit naturalis status, & bellum omnium in omnes, prout *Hobbese* illud deformatur, ubi *furit omnis turba; suoque Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.* *Ovid. Metam. 3.* Igitur naturalis status actu ipso nunquam extitit, nisi temperatus, & velut partialis, dum nempe cum quibusdam hominibus singuli in

statum civilem, aut illi analogum coaluerunt; adversus reliquos naturalem adhuc libertatem retinuerunt. Etsi quo plures, quoque minores in cœtus genus humanum fuit divisum, eo propius ad istum statum mere naturalem accessit. Sic & olim cum genus humanum in familias segreges, & nunc postquam idem in civitates concessit, illi mutuo in naturali statu vivunt, quorum neuter alteri paret, quique communem dominunt inter homines non habent. Sic priscis temporibus, qui familia paterna excedebant fratres, ac singuli peculiarem sibi familiam, & ab alia non pendentem constituiebant, in libertate & statu naturali mutuo vivere incipiebant. Adeoque non quidem primi mortalium, sed horum posterii in naturali statu existere actu cœperunt. Atque isthoc modo temperatus hicce status, inter eos maxime, qui in civitates coiverunt, illis quidem incommodis caret, quæ mero statui naturali adhærent; & insuper amplissimi inter mortales fastigii instar habetur, totius civitatis viribus subnixum, in hisce terris neminem superiorem agnoscere. Sic ut civitates earumque rectores statum suum eximie libertatis naturalis nomine insignire queant, quippe qui istis viribus sunt succincti, ut eam secure exerceant. Cum illis, qui in statu mere naturali singuli degunt, parum lætabile aut utile sit, neminem habere superiorem; quippe queis per propriarum virium tenuitatem salus sua perpetuo in ancipiti hæret. Frustra autem sunt, qui istam libertatem naturalem aut non existere, aut naturalem non recte dici contendunt, eo argumento; quod cum natura adpetat societatem ordinatam, ordo autem sine imperio non intelligatur, cum nulla societas sine imperio sit, imperium potius res vere naturalis sit dicenda. Cui probando adducitur locus Ciceronis l. 3 de L. L. *Nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terræq., & hominum vita jussis supremæ legis obtemperat.* Inde *Habebis* accusatur; quod statum mere naturalem nominaverit, & sinxerit, qualis non esset homine dignus, aut naturalis humanus; sed belluis aptior, quarum natura rationem & orationem ignorat. Nam ut omnibus omnia liceat agere, appetere, possidere, nulla est ratio, nulla natura recte atque integre judicans, quæ dicat. Depravatæ naturæ impetus ejusmodi esse posse, non dictata rectæ rationis, quæ eo ipso quod societatem appetit, ordinem societa-

societatis adpetit : qui licentiam ejuscemodi motibus incompositis omnem præcludit. Ordo enim esse qui potest , nisi ad primum aliquod tendat? Id primum est & summum, & omnia moderari aptum, id est, imperium, sive summa in societate potestas: sine cujus respectu societas nulla adpetitur ab eo animante, quod rationis & orationis instrumento utitur. Huc usque progredi naturam, ut imperium in omni societate naturale esse, libertatem autem, quæ imperium omne adspernaretur, cum natura pugnare demonstrat. Vid. *Bæcler. ad Grotii prolegom.* Enimvero quid de his sit sentiendum, ex superioribus facile constare potuit. Mere naturalis status dicitur conditio hominis, prout abstrahit ab illis, quæ instituto humano ipsi super venerunt; non quod natura hominem, ut in isto statu degeret, destinaverit. Sic omnium rerum ignorantia homini naturalis, seu congenita dici potest; non quod naturæ repugnet, hominem multarum rerum cognitionem acquirere. Deinde nulla libertas naturalis homini à nobis attribuitur, quæ sit exempta ab obligatione legis naturalis, imperiique divini. Libertas autem, quæ omne imperium humanum adspernatur, non magis cum natura pugnat, quam eadem progressum in infinitum admittit. Naturale est equidem imperium, i.e. naturæ intentio fuit, ut homines imperia inter se constituerent. Sed non minus naturale est, ut qui id summum in alios homines gerit ipse ab imperio humano sit immunis, ad eoque hoc intuitu libertate naturali gaudeat. Ni summo superius in eodem ordine admittere velimus. Sicuti & in universum naturale est, ut qui non habet dominum, ex dictamine propriæ rationis se ac suas actiones gubernet.

§. 5. Majoris momenti disquisitio est, an status naturalis, in ordine ad alios homines, habeat indolem belli, an pacis; seu quod eodem redit, an qui in statu naturali vivunt, i. e. qui neque communem habent dominum, neque unus alteri paret, aut imperat, invicem pro hostibus, an vero pro pacatis & amicis sint habendi? Quo loco potissimum meretur expendi sententia *Hobbesii*, qui uti statum mere naturalem vocat bellum non simplex, sed omnium in omnes; ita qui in eandem civitatem coivere hostilem statum invicem exuere tradit, reliquos hostium loco manere. Sic de *Cive* c. 9. §. 3. *Hostis est quisque cuiq; , cui neq; paret, neq; imperat.* Addi debuerat, & quicum communem dominum non habet. Item c. 13. §. 7. *Status civitatum inter se naturalis, id est, hostilis est. Neque si pugnare cessent,*

idcirco Pax dicenda est, sed respiratio; in qua hostis alter alterius motum vultumque observans, securitatem suam non expectis, sed ex viribus & consiliis adversarii, (addendum, & ex propriis viribus,) aestimat. Plane uti piscium statum describit Oppianus halieut. l. 2. πάντες γδ ἀνάγκησιν ἀλλήλοισι δυσμένει πλώουσιν· ὁ γδ κρατερώτερος αἰεὶ δαίνυτ' ἀφαιροτέρους· ἀλλ' ὁ ἰσχυρότερος ἀλλ' ὁ πότμον ἄγων· ἴτερος δ' ἴτερον πόρσυν ἰδωδάν. Omnes enim infesti invicem & infensi natant. Validior quippe semper devorat imbecilliolem; alter alterum persequitur exitium intentans; & unus alteri in cibum cedit. Idem ibid. οἱ δ' ἄλλοι μάλα πάντες ὀλίθιοι ἀλλήλοισιν ἔρχονται. τὸ καὶ ὑποὶ ἰσχυρίᾳ ὑπεύοντας ἔλλοπος· ἀλλ' ἄρα τοῖσι καὶ ὄμματα καὶ νεῖ· αἰεὶ ἔρχεσθαι παύσασθαι ἰκεῖ τρομέουσι καὶ αἰεὶ φέριον ἀντίσταντα, χειροτέρους δ' ἐλώσῃ. Hi autem omnes exitiosi invicem existunt. Inde nunquam videas dormientes pisces: sed ipsis semper & oculi & mens vigilant infomes, quia metuunt quidem semper validiorem obviam venientem, imbecilliores vero persequuntur. Add. Polybius l. XV. c. 20. Hobbes. in Leviathan. c. 13. adjungit: bellum non est illud duntaxat tempus, quo pugnis & praeliis confligitur, sed quo voluntas pugnandi satis declaratur. Nam sicut pravam tempestatem vocamus non solum, quando procellæ ruunt, sed & quando aër ad istas producendas est dispositus; ita bellum quoque non tantum praeliis, sed & aperta hominum ad pugnandum proclivitate aestimamus. Neque vero primus ista Hobbesius tradidit; verum eadem jam dudum habentur apud Platon. libr. 1. de LL. ubi dum Clinias Cretensis rationem reddit, quare Cretensium legislator multa instituta rem militarem spectantia introduxerit, ita subjungit: Ἀνοίαν δὴ μοὶ δοκεῖ καταγνῶναι τῶν πολλῶν, ὡς ἔμεν· θανόντων, ὅτι πόλιμ' αἰεὶ πᾶσι διὰ βίην ξυνηχῆσθαι πρὸς ἀπάσας τὰς πόλεις. ἢν γδ καλύσιν οἱ πλείους τῶν ἀνθρώπων εἰρήνην, τῆτ' εἶναι μόνον ὄνομα τῆ δ' ἔργῳ πᾶσαις πρὸς πᾶσας τὰς πόλεις αἰεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον κατὰ φύσιν εἶναι. In quo sane arbitror eum stultitia crimine permultos condemnasse, quod minime intelligant, bellum civitatibus omnibus cum omnibus jure ac perpetuum esse. Quam enim plerique pacem nominant, id esse nomen solummodo existimandam: re vero ipsa omnibus civitatibus adversus omnes non-indictum bellum natura esse. Ubi & hoc obiter observandum, minus accurate à non nemine quæstionem hanc ita explicari, quod per statum naturalem intelligatur illa conditio, qua concipimur seorsum victuri, aut extra societatem constituti esse, cumque esse statum belli, i. e. propositi, illud quod alter habet occupandi, illumque inde arcendi. Ita ut sensus sit; si homines viverent extra societatem, versarentur in perpetua discordia;

CAPUT II.

dia; vel si homines vitam sociale non viverent, in statu perpetuæ discordiæ victuri essent. Nam status naturalis & vita socialis sibi proprie non opponuntur; cum etiam illi, qui in statu naturali vivunt, sociale invicem vitam agere possint, debeantque, & sæpenumero soleant. Enimvero cum super hac quæstione fundentur omnes fere considerationes, quas civitatum rectores circa vicinas civitates agitare debent ac solent, operæ pretium puto fuerit, quæ in utramque partem adferri possunt argumenta pressius expendere.

§. 6. Quod igitur status naturalis sit status belli *Hobbes. de Civ. c. 1. & Leviath. c. 13.* ita demonstrare conatur. Nimirum ut homo naturaliter hominē metuat, & adeo cum ipso in statu belli versetur, causam esse, quod hominibus & facultas & voluntas sit invicem nocendi. Facultatē nocendi inde ostendit, quod homines adultæ ætatis sint viribus invicē æquales. Nam licet sæpissime unus alterum robore corporis antecedit, tamen fieri posse, ut etiam imbecillior ex insidiis, aut conspiratione cum aliis inita, vel robustissimum opprimat; cujus vitalia æque ad mortem recipiendam idonea quam debilissimi cujusq;. *Seneca de Ira. l. 1. c. 3. Nemo tam humilis est, qui pœnam vel summi hominis sperare non possit, ad nocendum potentes sumus.* Neq; vero naturalem solertiam, qua unus alterum solet excedere, id præstare posse, ut abs tali periculo tutus sit, cui nullum nisi in se solo præfidiū. Cum porro maximum malorum, quod homines invicē inferre possunt, sit mors; eam autem tam robustus debiliori, quam hic illi queat inferre; consequens esse, ut qui maximum inferre invicem possunt, sint viribus (in effectu) æquales. Voluntatem autem nocendi nonnullis inesse ex necessitate, aliis per libidinem. Dum enim aliqui sibi omnia volunt licere, & præ cæteris honorem arrogat, aliosque petulanter laceffunt; non posse non reliquis, modesto licet sint ingenio, ac libenter eadem aliis, quæ sibi, velint permittere, necessitatem nasci sese contra istorum ferociam defendendi. Datur quippe non unus, qui *jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis*, aut uti *Manilius Astron. l. 5.* loquitur, *nec pacem à bello, civem discernit ab hoste. Ipse sibi lex est, & qua fert cunq; voluntas, Præcipitat vires: laus est contendere cuncta.* Et cui nulla quies placet; in nullo sunt otia fructu; Sed populum turbamque petit, rerumque tumultus, Seditio, clamorque juvat. Frequentissime quoque voluntatem nocendi oriri ex contentione ingeniorum, dum nemo non altero perspi-

perspicaciorē sese credit; & contra alterius arrogantiam molestissime fert. Unde fieri, ut non modo contra contendere, sed & simpliciter non consentire sit odiosum. Nam cum duo contradictoria simul vera esse non possint, qui non consentit alteri tacite ipsum erroris arguit; qui in valde multis dissentit, pro stupido ipsum habet, quippe qui tam manifestam veritatem, uti quilibet de sua sententia credit, perspicere nequeat. *Cicero Off. 1. falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare, & mente captum esse.* Huc pertinet illud *Horatii Ep. 1. Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt; Vel quia turpe putant parere minoribus, & qua imberbes didicere, senes perdenda fateri.* Et *Iuvenalis Sat. 15. Numina vicinorum Odit uterque locus, quum solos credat habendos Esse deos, quos ipse colit.* Inde cum omnis animi voluptas in hoc sita sit, ut quis aliis sese præferre queat, non posse non quandoq; signa contemptus adversus alios erumpere: quo nihil animos mortalium magis irritare solet. *Cicero Off. 1. Quicquid ejusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, ut difficillimum sit sanctam servare societatem.* Neque solum in *Græcorum levitate ista perversitas, ut maledictis insectentur eos, à quibus de veritate dissentiunt.* Idem *de Fin. l. 2. Add. Charron de la Sageſſe l. 1. c. 40. n. 6. 7. 8.* Denique & inde creberrimam provenire causam, quare nocere invicem velint homines, dum plures ad unam & eandem rem animum simul adjiciunt, qua neque frui communiter, neque eandem dividere possint aut velint. Quæ sane fortiori cedere debet; quis autem fortior, pugna dijudicandum est. *Socrates apud Xenophontem memor. ab. l. 2. Homines partim quidem ad amicitiam naturaliter propensi sunt; etenim alter altero eget, ac invicem misereantur, & utilitatibus invicem affecti gratias mutuo agunt. Partim verò ad inimicitiam: cum enim eadem bona atque jucunda putant, de his contendunt, & dissentientes contrariantur. Hostile namque contentio & ira est. Inimicitia, atque cupiditas plus habendi atque invidia odium parit. Seneca de Ira l. 3. c. 34. Quod vinculum amoris esse debebat, seditionis atque odii causa est, idem velle. Ista quæ adpetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta transferri; eadem affectantibus pugnam & jurgia excitant.* Add. *Charron de la Sageſſe l. 1. c. 39. n. 8.* Ob has igitur causas non posse non homines mutuo metu ac suspitione perpetuo agitari. Ac cum non affectus solum naturalis, sed & ratio cuiq; salutem suam quam maxime commendet, omniaque adhibere media isti fini indulgeat; quorum aptitudinem, cum superior ibi non sit, quilibet ex suo judicio æstimat; non posse non

oriri cupidinem præveniendi potius alios, quam ipsorum sese invasio-
nibus præbendi. Ex quo ipso demum resultare statum infiniti cujusdam
belli omnium in omnes. Cujus consecrarium sit, ut quilibet cuilibet
possit clam aut aperte inferre, quæcunque sibi expedire judicaverit. In
quo etsi ratio ipsum quandoque fugiat, alteri tamen non fieri injuriam;
quippe cum justitia & injustitia tantum locum habeat inter eos, qui in
civitates coaluerunt. Etsi inepta sui conservandi media usurpando con-
tra rationem peccare quis queat.

§. 7. Isthæc quidem utcunque tolerabilia videri possent, si duntaxat
per modum hypotheseos assumerentur. In quo sensu eadem ab ipso
Hobbeso accipi, ex c. 8. §. 1. *de Civæ* videtur colligi, ubi ita dicit: *Vt redea-*
mus iterum in statum naturalem, consideremusque homines, tanquam si essent
jamjam subito à terra fungorum more exorti & adulti, sine omni unius ad alte-
rum obligatione, &c. Alio tamen loco, *de Civæ* c. 13. §. 7. & passim non
per modum hypotheseos, sed serio statum civitatum vocat *naturalem*,
i. e. *hostilem*. Quæ ita concilianda videntur, ut illud quidem hypothesis
sit; omnes homines simul & semel in statu naturali invicem extitisse; sic-
uti futurum erat, si magna hominum multitudo subito à terra fuisset pro-
gnata; revera tamen status ille naturalis existat inter quosdam homines,
qui nempe invicem subjecti non sunt, nec communem habent domi-
num, ut jam omnes sunt civitates. Sicuti etiam Ipse expresse in *Leviath.*
c. 13. dicit: *quanquam tempus nunquam fuerit, in quo unusquisque uniuscu-*
juque hostis erat: Reges tamen & persona summam habentes potestatem o-
mnitempore hostes inter se sunt, &c. Enimvero pro contraria sententia in-
primis faciunt origines generis humani, prout illas fallere nescia sacra-
rum literarum autoritas nos edocet; quæ sane naturalem hominum sta-
tum pacificum potius, quam bellicum, hominesque invicem potius a-
micos quam hostes arguunt. Scilicet primo homini ex terra divinitus
producto adjungitur socia, cujus materia ex illo ipso desumpta, ut eandem
tenero statim amore complecteretur, tanquam ex carne & ossibus suis
desumptam; quam insuper sanctissimo ipsi foedere adjunxit Deus. Ex his
duobus quidquid est mortalium cum descenderit, non vulgari duntaxat
amicitia, quæ ex similitudine naturæ resultare potest; & de qua loquitur
l. 3. *D. de just. & jure*. Genus humanum sociatum intelligitur, sed & tali,
quam communis stirps, & sanguis, cum blando fere affectu inter propio-
res

res junctam, conciliat; etsi ejus sensus inter remotiores à communi stirpe fere exoleverit. Quam si quis exuerit, ac hostilem in alios animum sumserit, à primævo & naturali statu descivisse est censendus. Adversus quæ frustra excipitur, ex hoc ipso sequi, statum hominum naturalem esse statum belli. Nam si societates ideo fuerunt coævæ generi humano, ut homines pacate viverent, è contrario sequi, citra societatem homines pacate non victuros fuisse, & societates hominibus connasci oportuisse, ne illi pacatè viverent. Ad quæ reponimus, inquiri heic à nobis de statu naturali, non qualis abstrahendo concipi possit, sed qualis revera existat. Jam autem cum primi homines in tali statu extiterint, qui nil plane hostile, sed meram amicitiam spirabat, ex quali statu cæteri quoq; homines provenerunt; manifestum est, homines, si primæ suæ originis meminisse velint, amicos potius, quam hostes invicem censendos. Neq; vero ab initio ideo societates in genus humanum introductæ, ne status naturalis existeret; sed quia genus humanum aliter propagari & servari nequibat. Status autem uaturalis inde emerfit, quod multiplicati homines una societate non amplius continerentur. Inde etiam nullo sensu dicitur, homines sine sociali statu in primis rerum initiis inimice cum aliis victuros fuisse, nisi præsupponere velis, ab initio multitudinem hominum abs se invicem non procreatorum simul extitisse. Facit huc illud *Aristotelis Rhetor. l. i. c. ii.* ἐπει τὸ κατὰ φύσιν ἄδύ, τὰ συγγενῆ ἢ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἐστίν, ἀπειτὰ τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια ἴδια, ὡς ἐπιπολύ διον ἀνθρώπων ἀνθρώπων. *Quoniam quod est secundum naturam, jucundum est, & quæ cognata sunt, secundum naturam invicem sunt, omnia cognata & similia jucunda sunt plerumque, ut homo homini.* *Cicero de Fin. l. 3. Communis hominum inter homines naturalis est commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri.* *Nec insuper habendum illud Ejusdem de Nat. Deorum l. 1. Non vides, quam blanda conciliatrix, & quasi sui sit lena natura? An putas ullam esse terram marique belluam, quæ non sui generis bellua maxime delectetur? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura præscripsit, ut nihil pulcrius quam hominem putaret? Quintil. declam. V. Publica omnium mortalium, quippe sub uno parente natura, cognatio est.* *Add. Marcus Antoninus l. 9. §. 9. ubi argumentum de similitudine naturæ ad conciliationem mutuam faciente prolixius deducit.* *Et Rich. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 18. Nam illud de peculiari amore aut odio accipiendum, quod ait Belisarius apud Procopium hist. Vandal. l. 2. Natura homines hominibus neq;*

addi-

addicti neq; infesti sunt. Facta cujusque aut connexu societatem, aut diversitate inimicitiam provocantia, alios nobis caros, alios exosos faciunt.

§. 8. Sed nec deest, quod *Hobbesii* rationibus reponatur. Non possunt sibi invicem immediate nocere, quos locorum intercapedo disjungit. Nam qui absens mihi nocet, id facit per aliquem præsentem. Neq; res meæ nisi per præsentē perdi queunt. Ergo cum longe inter se distiti, quamdiu non propius inter se junguntur, nocere invicem nequeant, non adparet, quare non inter amicos potius quam hostes tales sint censendi. Nam si quis tales malit neutros dicere, scire debet, amicitiam etiam voluntate & facultate non nocendi posse censerī. Deinde illa ipsa virium æqualitas, quam *Hobbesius* adstruit, voluntatem nocendi potius refranare, quam incitare est idonea. Quin nemo sanus cum æquali in pugnam descendere amat, nisi necessitate urgente, aut ubi occasio rei bene gerendæ fiduciam subministrat. Alias enim pugna citra necessitatem inire, in qua illatæ plagæ non minore impetu sint refundendæ, & ubi per purgantium vires exitus non nisi ab incerta pendet alea, stultorum & temere ferocium est. Sane enim ubi cum pari in pugnam descenditur, ubi utriusq; vita periculo exponitur, neutri tantum est victoria accrescit, quantum ille amittit, qui in pugna occiditur; nec tanti est alium occidisse, quam vitam suam alex exposuisse. Periculum enim vitæ meæ plus mihi detrahit boni, quam mihi accedere ex eo potest, quod in pari periculo sit hostis mei vita; nec illius ideo augetur securitas, quoniam inde incerta est mea, sed utrique hinc aliquid decedit, quod neutri cedit in emolumentum.

Rich. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 29. Inde Scythæ apud Curtium l. 7. c. 8. Firmissima est inter pares amicitia; & videntur pares esse, qui non fecerunt inter se periculum virium. Sic Cæsar de B. C. l. 3. Pompejum monet; hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterque confideret, & pares ambo videntur. Et Florus l. 4. c. 10. Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque Pacorus utrinque virium mutuarum documenta fecissent, pari rursus reverentia integrata amicitia. Apud Thucydidem l. 3. mutuis metus tutissimos reddere dicitur societates; quippe qui eas violare cupit, dum ambit, an superior esse possit, absterretur. Sed & causæ, quæ ab Hobbesio adducuntur, quare homines sese mutuo velint lædere, particulares duntaxat sunt, adeoque haut quidquam sufficientes ad excitandam in genere humano necessitatem belli omnium in omnes, sed duntaxat quorundum

in quosdam. Neque enim semper contingit, ut modestis intermixti habitent feroces ac pravi, aut hos libido subeat illos laceffendi. Et contentio ingeniorum vix apud alios deprehenditur, quam qui supra vulgus eminent. Magnam mortalium partem iste morbus non adit, aut non nisi leviter tentat. Denique non ita maligne necessitatibus mortalium Creator prospexit, ut circa eandem rem asserendam plures semper concurrere debeant. Et potest quidem communis hominum malitia causam præbere, ut ne quis temere cuivis fidat, & velut nudum latum præbeat: præsertim si cum non penitus noverit; uti est ap. *Plant. Asinar. Lupus est homo homini, non homo, quem qualis sit non novit.* Sed ut ista suspicio, ac diffidentia, ni peculiariter nocendi voluntas declaretur, ad occupandum, atque opprimendum alterum valeat, nemo sanus admisit. Recte *Cicero Off. 1. injurias vocat, quæ à metu proficiuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, nisi id alteri fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.* Eo minus autem tolerabilis est *Hobbesii* opinio, quod naturalem suum statum duntaxat per subitionem imperii alterius, & coitionem in eandem civitatem tolli vult. Nam illas saltem civitates in statu belli invicem versari, quæ foederibus & amicitia junguntur, à sensu omnium populorum abhorret. Nec statim nulla pax est, quæ non satis fida est. Sicuti non statim nemo alterius hominis gratia floret, quia affectus & voluntates humanæ mutabiles sunt.

§. 9. Est porro & hoc probe observandum, heic agi non de statu naturali animantis, quod solo impetu & inclinationibus animæ sensitivæ regatur; sed cujus pars præcipua, & cui in cæteras facultates regimen, sit ratio; quæ etiam in naturali statu communem, eamque firmam & uniformem habet mensuram, rerum nempe naturam, quæ sese saltem circa generalia vivendi præcepta, legemque naturalem suggerendam facile admodum præbet atq; expositam. Et istius rationis usum legitimum haut quidquam excludere, sed potius cum aliarum facultatum operatione conjungere debet, qui statum naturalem hominis est rite designaturus. Cum igitur non solam affectuum libidinem, sed & rationem, non sane unice suis se commodis dimittentem, audire possit homo; à bello, in quod per pravos affectus impellitur, quale est etiam illud quod fingitur omnium in omnes, per rationem duplici potissimum argumento revocatur; nimirum quod deprehendit, bellum altero non laceffente susceptum esse & indecorum, & inutile. Sane enim facile licet homini colligere, se non
exti-

extitisse à seipso, sed ab aliquo superiore productum, quiq; adeo in ipsum potestatem habeat. Cum autem duplici sese velut principio impelli sentiat, quorum unum presentibus tantum imminet, alterum etiam futura & absentia cogitatione complectatur, & illius quidem instinctu in periculosa, ancipitia, ac deformia se videat impelli, per hoc autem in tuta ac decora duci: liquido potest inde judicare, Creatorem non velle ut prioris, sed ut posterioris ductui obtemperet. Quo cum manifesta accedat utilitas pacis, ad quam ratio revocat, non potest non naturaliter homo ad pacem inclinare. Præsertim cum postea, si quando neglecta ratione affectibus obtemperarit, ex eventu deprehendat, se deteriora secutum; ac fere optet, in facta posse fieri, quæ contra rationem facta sunt. Ex quibus omnibus concludimus, naturalem hominum statum, etiam extra civitates consideratorum, non esse bellum, sed pacem; quæ hisce fere legibus constat, ut quis alterum non laceissentem non lædat, suisq; quemvis bonis frui patiatur, ac si qua convenerunt, fideliter præstet, ac libenter aliorum commoda promoveat, quantum per arctiores obligationes licet. Cum enim status naturalis hominis usum rationis includat, non potest quoque aut debet ab eo separari obligatio, quam ratio subinde ostendat. Et quia quilibet homo in seipso deprehendere potest, bonum sibi esse, si ita se gerat, ut aliis hominibus benevolis potius, quam infensis utatur: propter naturæ similitudinem facile præsumere potest, alios quoque paria sentire. Ac ideo male circa designandum eundem statum præsupponitur, homines saltem plerosq; ductum rationis, quam natura supremam actionum humanarum directricem constituit, negligere: adeoq; male status naturalis vocatur, quem neglectus aut abusus principii maxime naturalis producit. Atq; isthæc omnia prolixissime demonstrat *Rich. Cumberl. de leg. nat.* qui adeundus, si cui nostra nondum sufficiant.

§. 10. Neq; est, quod aliquis nobis occinat barbariem apud plerosque priscorum populorum, quos juvit semper recentes convectare prædas, & vivere rapto; quibusq; adeo inter modos rem quærendi, vitæq; genera fuit *λησεία*, seu prædatoria. Sicuti & *Aristoteli Polit. l. 1. c. 5.* inter vitas pecuvariorum, agricularum, piscatorum, venatorum ponitur *βίη λησεία*, *vita latronum*. Et mox d. l. *ἡ πολεμικὴ φύσει κτηνικὴ πῶς ἔσται, ἢ γὰρ θηρευτικὴ μὲν αὐτῆς. ἢ δὲ χρεῖσται πρὸς τε τὰ θηρία, καὶ τῶν ἀνθρώπων, ὅσοι πεφυκότες ἀρχαῖται, μὴ θύλασθαι ὡς φύσει δίκαιοι τῶν ὄντων τὸν πόλεμον.* *Ar's bellica quomodammodo ratio*

ratio natura erit rei quaerenda. Nam venandi ars pars ejus est. Qua uti oportet & ad belluas, & in homines, qui ad parendum nati, nolunt: tanquam natura justum sit hoc bellum. In eam rem passim apud antiquos testimonia extant. Vid. Homer. Odyss. γ. v. 73. & Odyss. ι. v. 252. ad quæ verba Didymus: ἕκαστος ἄδοξον ἢ καὶ τοῖς παλαίοις ληστύειν, ἀλλ' ἐνδοξον. Non infame erat apud antiquos latrocinari, sed gloriosum. Diodorus Siculus l. 3. c. 49. Libyes nullum omnino jus, nullam quocunque pacto fidem erga peregrinos servant. De Germanis Cæsar de B. G. l. 6. Latrocinia nullam habent infamiam, qua extra fines cujusque civitatis fiunt: atque ea juventutis exercenda, ac desidia minuenda causa fieri prædicant. Ibidem dicit, maximam civitatibus laudem apud eosdem fuisse, quam latissimas circa se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quempiam prope se audere consistere. Paria habet Mela l. 3. c. 3. de Germanis: Iis in viribus habent, adeo ut ne latrocinii quidem pudeat; tantum hospitibus boni. Et si Tacit. German. de Venedis duntaxat memoret, eos, quicquid sylvarum ac montium erigitur intra Pencilos ac Fennos, latrocinii pererrare. De Hispanis Plutarchus in Mario, ad id usque tempus latrocinari inter pulcerrima ipsis fuisse habitum. De antiquis Græcis eadem Thucydides l. 1. Quo referunt aliqui l. ult. D. de collegiis, ubi rata habentur pacta τῶν ἐν λείαν ἰγχομένων, vel ἰγχομένων, eorum, qui prædæ causa coeunt. Et si Salmasius de usuris lib. 1. cap. 12. ibi legendum putet ἢ εἰς κτηλείαν, aut in cauponationem. Sic & apud Polybium lib. 3. cap. 24. in foedere Romanorum cum Carthaginensibus cautum, ne Romani ultra promontorium pulcrum, Mastiam, & Tarseium prædæ agerent, neve mercaturam exercerent, quasi utrunque pari jure tunc æstimatum fuerit. De Phocensibus Justinus l. 43. c. 5. eos etiam latrocinio maris vitam tolerasse, quod illis temporibus gloria habebatur. Sextus Empiricus Pyrrhon. hypot. l. 3. c. 24. Prædari apud multos barbaros infame non existimatur: imo vero etiam hoc fertur apud Cilices gloriosum fuisse, adeo ut eos, qui inter prædandum obissent, dignos esse, quos honore prosequerentur, judicarent. Et Nestor quidem apud Pœtam, postquam Telemachum, & qui cum eo erant comiter accepit, illis dicit: Estisne incerta vagantes Prædones quo more solent? Atqui si prædari fuisset absurdum, nequaquam eos tanta comitate, & benevolentia prosecutus fuisset; quia tales esse suspicari potuisset. Huc aliquo modo pertinet etiam l. 2. D. de captiv. & postlim. Sic cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitia causa factum habemus, hi hostes quidem non sunt. (conf. l. 118. D. de verb. signif.)

signis.) Quod autē ex nostro ad eos pervenit, illorum sit, & liber homo noster ab
 is captus, & eorum sit. Dio Cassius l. LIV. de Rhætis: Hi vicinam Galliam fre-
 quenter populati, ex Italia finibus pradæ egerant, Romanosq; & eorum socios
 iter per ipsorum terras facientes, infestaverant: id quidem consuetudine jam re-
 ceptum erat, ut in eos, qui nullo essent fœdere juncti, ita statuerent. Isocrates
 Panathenæico, de Triballis dicit, eos concordiores inter se esse, quam ullos ali-
 os homines: sed non finitimos tantum, & in vicinia sua habitantes perdere, sed
 eos omnes, ad quos penetrare possunt. Add. Grævius l. 2. c. 15. §. 5. Ubi & hoc
 addendum, ad veterem illam gentium inter se hostilitatem non parum
 contulisse videri persusionem antiquissimis seculis receptissimam, quasi
 cuius populo peculiares essent Dii. Add. Juvenal. sat. XV. Enimvero
 ad ista recte regeritur, dictatum sanæ rationis apud multas quondam gen-
 tes per prava mores fuisse oblitteratum. Ex quo tamen non consequi-
 tur: nemini inter easdem gentes paulo humaniori fuisse perspectum, per
 ista latrocinia violari jura naturæ; aut pro statu naturali habendum, in
 quem homines feroces, neglecta nobilissima sui parte, sese conjecerunt.
 Nam utique ut quis promiscue rapiat & latrocinetur, ex statu naturali
 non fluit, sicuti ex statu civitatum inter se, naturali utique, adparet.
 Neque amittendum, quod idem Hobbes. de Civ. c. V. §. 2. adferit; re-
 bus sic stantibus *λογιστικῶς* non fuisse contra legem naturæ. Nam illos quidem,
 qui ex pravo isto more, non lacessiti, nostra nobis eripiebant, nos iterum
 belli jure poteramus deprædari: nequaquam autem tertium aliquem, qui
 nulla nos injuria præverterat. Neque enim si alii impudenter legem na-
 turæ violant, nobis statim eorum improbitatem imitari licet. Sed & illud
 ferri non potest, quod subjungit, *id vitæ genus non fuisse sine gloria illis, qui id
 fortiter nec crudeliter exercebant.* Uti quibusdam moris fuit, cetera rapien-
 tibus & vitæ parcere, & à bubus aratoribus, omnique instrumento agricultura
 abstinere. Ad quod ipsum tamen non lege naturæ fuerint obstricti; sed
 eosdem hoc modo gloriæ suæ consuluisse, & ne nimia crudelitate meti-
 culosi arguerentur. Quasi vero id gloriæ quid habeat, parte duntaxat sce-
 leris defungi, postquam integrum patrare minus proficuum erat futurum.

§. II. Cæterum eo ipso quod asserimus, pacem adversus omnes ho-
 mines, ut tales, exercendam, esse statum hominis naturalem; innuimus il-
 lam ab ipsa natura institutam & sancitam, citra aliquod factum humanum;
 adeoque eandem nisi sola illa legis naturalis obligatione, qua omnes
 homi-

homines, ut sunt ratione ~~parati~~ ^{parati}, stringuntur, neque ut illa ab initio introducat, abs conventionem hominum oriri. Unde etiam pactis aut foederibus solam isthanc pacem universalem muniri inutile videtur. Nam per tale foedus nihil superadditur obligationi legis naturae, seu non convenitur de praestando, quopiam, ad quod non jam antea homines ipsa lege naturali tenebantur: neque per id obligatio redditur arctior. Supponimus enim utrunque in naturali aequalitate permanere, sic ut nullo amplius vinculo teneatur ad servandum pactum, quam reverentia adversus Deum, & metu mali, quod ex pacto violato in ipsum possit redundare. Nisi quod majori cum malitia & foeditate videatur conjunctum, id non servare, de quo quis expresse est testatus. Sic & idem licentiae in juris naturae violatorem laeso datur, sive pactum aliquod antegressum fuerit, sive non. Unde & abhorret a consuetudine hominum cultiorum tale pactum inire, cujus capita & conditiones nihil aliud contineant, quam quod quis immediate non sit violaturus id, quod jam a natura expresse fuerat praecipitum. Et parum id videtur reverens erga divinum Numen, quasi ipsius jussu non satis jam necessitatis nobis attulisset, nisi & ipsi in idem ultro consentiremus; aut quasi ex nostro arbitrio ea obligatio penderet. Unde in quolibet pacto ponendum est aliquid, quod alias alter ipso jure naturae a me exigere non poterat, quodve antea eidem ex eodem jure perfecte non debebam, sed quod demum post declaratum, & acceptatum ab altero meum consensum plene debiturus ero. Sic quemadmodum qui alteri sua ministeria addicit, haut quidquam pro capitibus pacti expresse, & immediate constituit, quod perfide adversus ipsum non sit acturus, quod furtis ipsum non sit expilaturus; ita erubescenda est conventio, in qua quis ad nihil aliud alteri sese obstringit, quam quod non sit adversus ipsum violaturus pacem universalem, i. e. quod non sit usus in illum jure in bestias adhiberi solito. Quod si tamen inter quasdam gentes barbarae istae depraedationes in usu fuerunt, reducendae paci universali pacto opus est, in quo ad exercendam invicem legem naturalem conspiratur. Id quod etiam fit, quando duo populi, bello hactenus collisi, arma ponunt; ubi si de peculiaribus quibusdam praestationibus non convenitur, non nisi communis illa pax reducitur. Dantur tamen exempla non pauca civitatum, eo necessitatis redactarum, ut pacem istam universalem, & injuriarum abstinentiam non pactis solum, sed & tribu-

tis

dere, ut tamen iidem mox hostes fieri queant; ita pacem istam cum omnibus habere, quasi quæ mox in bellum erumpere possit. Conf. *Sophocl. Ajace flagell.* v. 688. seqq. Et subinde meditandum illud *Dionysii Halicarn. l. VI.* Εως, αν παρη το δυναεις πονηρα δεην, να ιλλαίσει τοις πονηροίς το βυλιδζ. *Quamdiu malis sit potestas malefaciendi, nec voluntas defutura est.* Quam ob causam quoque σύμφορον & άπιστίας να έστιν υδέν χεισιμώτιζον βροτοίς. *Prudenti diffidentia nihil est hominibus utilis.* *Euripides Helena.* Et cordatum hominem agere decet μη δε πρόβατον, ει ηζά ίπιστικη, η βλαπτικόν, ως θηζιον, nec ut ovem, licet mansuetum pecus sit, nec ut feram, nocendi studio. Add. *Hobbes. de Cive c. 13. §. 7. 8.* Apud *Tacitum de mor. German.* invidenda laus Chaucorum: *Populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrocinis populantur. Idque precipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant, non per injurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat exercitus; plurimum virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama.* Contra idem de *Cheruscis: Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacesiti nutrierunt; idque jucundius quam tutius fuit: quia inter impotentes & validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia & probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. Scilicet, uti est apud *Dionem Chrysostomum orat. 1. de regno: τοίς καλύτερα πολεμείν παρισκυσμίνοις, τήτοις καλύτερα έξίςιν ειζήνων άζον. iis, qui ad bellum gerendum optime sunt instructi, maxime licet in pace vivere.**

CAPUT III.

DE LEGE NATURALI IN GENERE.

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Transitus.</i> | <i>su gentium.</i> |
| 2. 3. <i>Homini cum brutis jus natura non est commune.</i> | 10. 11. <i>An utilitas fundamentum Iuris?</i> |
| 4. <i>Objectum juris naturalis non est necessarium ante legem.</i> | 12. <i>An ex fine conditi mundi jus naturale elucescat?</i> |
| 5. 6. <i>An jus naturale Deo cum hominibus commune?</i> | 13. <i>De dictamine rectæ rationis.</i> |
| 7. 8. 9. <i>Jus naturale non nititur consen-</i> | 14. <i>Genuinum fundamentum I. N. petitur ex conditione hominis.</i> |

15. *Lex*

15. *Lex natura fundamentalis.*
 16. 17. 18. *In Hobbesii sententiam inquiritur.*
 19. *Fundamentum dictum I. N. est sufficiens.*
 20. *Obligatio legis naturalis est à Deo.*
21. *De sanctione legis naturalis.*
 22. *Quadam dicuntur juris naturalis reductive, & abusive.*
 23. *An detur jus gentium, naturali contradistinctum.*
 24. *Juris naturalis partitio.*

Postquam igitur conditio hominis non ferebat, ut ille viveret exlex, actionesque suas vago velut impetu, & citra respectum ad aliquam normam ederet; consequens est, ut dispiciamus de communissima actionum humanarum regula, ad quam quilibet homo, ut est animal rationale, sese componere tenetur. Eam regulam juris seu legis naturæ vocabulo insignire usu invaluit; quam & legem universalem vocare possis, quod ad eandem universum genus mortalium sit obstrictum; & perpetuam, quod mutationi, sicut positivæ leges, non sit obnoxia. Illa lex quid sit, unde innotescat, quo indicio constet, quid ad eandem, aut quid ad positivum jus sit referendum, eo curatius est disquirendum, quod isthoc fundamento non recte posito, quæ superstruuntur, ultro ruere sit necessum. Bene Plato in *Cratilo*: Δεί δὴ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματι πᾶσι ἀσχετὸν τὸν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴτε ἐρεθῶς, εἴτε μὴ ὑπόκειται. Ἐκείναις ἡ ἕξις ἀδείας ἰκανῶς, τὰ λοιπὰ παιδιὰς ἐκείνη ἰσχυρῶς. *Debet quisque circa rei cuiusque principium statuendum differere multa, diligentissimeque considerare, utrum recte decernat, nec ne, quo quidem sufficienter examinato, cetera jam principium sequi debent.* Quod in primis circa hanc disciplinam accurate observandum, quo verius est illud *Laëtantii* l. 3. c. 7. *Quoniam in dissonando vita statu, formandisque moribus periculo majori peccatur: majorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus, quomodo nos oporteat vivere. Hic nullus dissidio, nullus errori est locus; unum omnes sentire oportet, ipsamque philosophiam uno quasi ore precipere: quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.* Nec minus bene *Diogenes Apolloniata*: λόγῳ παντὸς ἀρχόμενον, δοκοῦ μοι χρεῖος εἶναι τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχειν τῆς δὲ ἱερμνείαν ἀπλὴν καὶ σεμνὴν. *Omnis mihi videtur sermonis principium à perspicuo quodam principio proficisci oportere, elocutionemque simplicem & gravem esse adhibendam.* *Diogenes Laërt.* l. 9.

§. 2. *Jcti Romani jus naturæ definiebant, quod natura omnia animalia docuit; quodque adeo homini peculiare non sit, sed cuius peritia cetera*

quodq; animantia censeantur. Sic ut ex hac hypothesi juris naturalis illa sint, in quæ bruta æque ac homines communiter ferri, & à quibus abhorre-
 rere deprehenduntur. Ex quo necessario fluit, jus dari, quod hominibus
 ac brutis sit commune. Quæ sententia fortasse profluxit ex dogmate
 illo, nonnullis antiquorum celebrato, de anima universi, cujus reliquæ
 animæ sint quædam *ἁποσπασμάτια* seu particulæ; quæ in se ejusdem natu-
 ræ, diversas edant operationes, prout in diversum corpus inciderint, or-
 ganaque vires suas exserendi sortitæ fuerint. Cui cognatum fuit dog-
 ma de *μιτιμυχώσεις*, quod homines & bruta figura duntaxat corporea dif-
 ferre ponebat, sed animas habere similes, atque invicem communicare.
 Vid. *Virgil. Æneid. VI. v. 724. seqq. Ovid. Metam. l. XV. v. 75. seqq.* Enim-
 vero tale jus homini cum brutis commune eruditi passim rejiciunt; quip-
 pe cum jus in eum cadere, abs quo ratio exulat, intelligi nequeat. *Hesiodus*
*Op. & Dier. l. I. Τὸν δὲ γὰρ ἀνθρώποισι νόμον δίδταξεν Κρονίων. Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρίοις ἔ-
 σινοῖς πετιενοῖς ἔδεν ἄλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐν αὐτοῖς. Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην.*
Hanc enim hominibus legem constituit Jupiter piscibus quidem, & bestiis & a-
vibus, ut se invicem comedant, quoniam justitia non inest illis. Sed hominibus
dedit justitiam. Et quanquam complures dentur actus hominum atque
 brutorum inter sese similes, quibus exercitis homolegi satisfecisse dici-
 tur; revera tamen magnum inter eos est discrimen, quod ex simplici na-
 turæ inclinatione apud bruta iidem proveniant, quos homo velut ex obli-
 gatione exercet, cujus sensum ista non habent. Unde non sine figura in-
 telligendi sunt, qui brutis quibusdam animantibus justitiam, fortitudi-
 nem, misericordiam, gratitudinem, castitatem tribuunt, ideo quod ista-
 rum virtutum simulacra quandoque in quibusdam brutorum actionibus
 cernantur. Vid. *Selden. de Jur. nat. & gent. l. I. c. 5.* Quæ enim extrinseca
 facie similia videntur, haut quidquam eadem sunt, si ex diverso intrinse-
 cus principio profluxerint. Caterum quod *Grotius in Prolegom. de I. B.*
& P. & l. I. de Verit. Rel. Christ. à ratione aliqua, aut principio intelligen-
 te intrinseco esse putat actus nonnullos brutorum insigniter ordinatos,
 uti formicarum & apum, & quod in quibusdam utilitatis propriæ studi-
 um suorum foetuum aut congenerum respectu temperatur; id hoc tan-
 tum sensu admitti potest, quod à DEO Creatore natura ipsorum ad tales
 actus edendos sit attemperata, non autem quod principium aliquod ex-
 ternum ista dirigat, sicut gubernator navem. Neque arduum est intel-
 ligere

ligere, quare par solertia in aliis non difficilioribus haut quidquam deprehendatur, si quis recentiorum Philosophorum sententiam assumat, quicquid formæ est in brutis; id ex figura & dispositione particularum, motuque resultare. Præsertim cum & inter homines invenias; qui cum circa certos actus ingenio sint promptissimo, circa alios nequidquam abstrusiores aut difficiliore mire habeant, quod non aliunde, quam ex certa dispositione partium, & imprimis cerebri & spirituum provenire potest. Conf. *Plutarch. convivio VII. sapientum* p. 163. E. edit. *Wechel.* Istanc autem indolem brutorum; ex qua certos actus edunt, qui *jus natura in brutis* adpellare gaudent, vocabulo juris præter necessitatem abutuntur. Sed & nullum invenitur brutum animal, quod omnia hominis officia exprimat; & nullum hominis officium datur, cujus contrarium non plurima bruta faciant. Quanquam apud populum ad exaggerationem alicujus sceleris plurimum judicetur facere, si ostendatur, ab istiusmodi facto ipsa quoque bruta abhorrere. Sic *Plato l. 8. de Legibus* in prohibenda mascula Venere ad bestiarum naturam recte provocari posse ait, inter quas ejusmodi foeditas haut quidquam deprehenditur. Theseus apud *Senecam Hippolyto. v. 913.* *Fera quoque ipsa Veneris evitant nefas, Generisq; leges infici us servas pudor.* Add. *Oppianus Cyneg. l. 1. v. 239. seqq.* Sic contra parentes ἀσβήτους adferri possunt, quæ *Idem Halieut. l. 1. v. 702. seqq.* habet.

§. 3. Conati sunt equidem aliqui, credo ingenii magis ostentandi causa, quam serio, communionem juris inter homines & bruta conquiritis undique rationibus adstruere; sed quibus viri eruditi dudum satisfecerunt. Quæ ex sacris literis adferuntur, paucis tetigisse suffecerit. Illud *Genes. IX. 5. sanguinem vestrum à manu cuncti animalis requiram*; aliqui interpretantur, quod Deus velit ulcisci necem homini illatam non manu aut telo solum, sed & instigata in ipsum feroci bestia. Ante diluvium quippe impios homines feroces aluisse bestias, quarum ope alios sibi non obtemperantes lacerarint. Aliqui ita; DEUM homicidii poenam etiam per feras bestias exacturum. Aliqui illud *omne vivens*, capiunt de homine tantum, q. d. nullus homo cædem humanam impune feret. *Levit. XVIII. 23. & XX. 15. 16.* jubentur equidem bestia, quibus vir aut mulier ad libidinem abusi fuerunt, interfici per lapidationem, sine ullo ætatis discrimine, vetula vacca, an juvencula fuerit. Quod discrimen tamen Ebræi in hominibus utriusque sexus observandum vole-

bant, adeo ut si puer novennium non excederet, nec puella triennium, neque ipsis, neque bestię qualiscunque ætatis ex hac lege mortem infligendam afferent; quod ante istam ætatem coitum in lege interdictum fieri non admittant. Enimvero id factum non quod brutum deliquerit, sed partim, ne illud alium forte suo adspectu ad similem libidinem irritaret; partim ne bestia superstes hominis supplicio affecti memoriam cum ignominia semper refricaret. *Gratianus caus. 15. quæst. 1. c. 4. Pecora credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.* Addit *Philo Iudæus de specialibus legibus: ne pariat abominandum aliquid, qualia nasci solent ex hujusmodi piaculis detestabilibus, quæ nemo honestus ferat in suis possessionibus.* Sic Deus *Deuteron. XIII. 15. 16.* Bruta, idololatriæ sane non capacia, interfici jubet, ad repræsentandam delicti atrocitatem. Id præterea observant, quando gentilis apud Ebræos degens cum bruto rem habuisset; hominem quidem supplicium luisse, bruto autem nihil mali illatum. Add. *Seldenus de l. N. & G. l. 1. c. 4. & Mornacius ad l. ult. D. de his qui effud. vel dejec. Exod. XXI. 28.* lapidandus erat bos cornupeta, non quod peccasset, sed partim ne in posterum aliis similem noxam inferret, partim ut puniretur dominus in re sua, quia eam negligenter custodiisset. Quæ etiam causa erat, quod ejusmodi bovis carnes non deberent comedi. Et hoc modo plectebatur dominus amissione sui pecoris, quando levis tantum culpa ipsius intervenerat, seu quando ignorabat ferociam bovis. Ast si dominus vitium noverat, ipse quoque pœnas capite dabat. Ubi itidem observant Ebræi, bovem fuisse occisum duntaxat, quando Judæum interfecerat, non quando gentilem. Enimvero instrumenta alicujus maleficii aut infortunii aboleri apud alias quoque gentes non inusitatum fuit. Sic ex *Demosthenis oratione contra Aristocratem, & Æschinis contra Ctesiphontem* adparet, ex Atheniensium legibus lapidem, lignum, securim, & id genus alia, quotiens homicidii instrumenta fuerant, in prytaneo in judicium deducta, velut in pœnam. Sic statuam Theagenis, quæ casu suo aliquem oppresserat, Thasii in mare protrahendam decreverunt. Vid. *Dio Chrysostomus in Rhodiaca* p. 340. edit. *Morelli.* *Ambrosius Hexaëmeri* l. V. c. 3. a inorum & equarum coitus, ex quibus muli generantur, vetitos vocat, non quod bruta isto suscepto peccent, sed quia hominibus talem commixtionem procurare interdicebatur *Levit. XIX. 19.* Videantur *Seldenus d. l. Ant. Matthæus de cri-*

de crimin. proleg. c. 2. §. 1. & alii. Quæ de processu adversus mures apud Burgundos instituto referuntur apud Thuanum l. VI. jocularia sunt. Quid si tamen pro excusandis Jctis Romanis dicamus, ipsos l. 1. §. 3. D. de lust. & Iure. vocabulo juris naturalis minus proprie uti, pro ordine à Creatore constituto circa illa potissimum, quæ ad conservandam ipsam naturam, i. e. speciem & individua animalium faciunt. Cujus rei argumentum videtur, quod duntaxat maris & foeminæ conjunctio, sobolis procreatio, & educatio, nec non defensio sui tanquam istius juris præcipua capita exprimuntur. Sicuti & præter multos alios isto vocabulo ad similem fere modum abusus est Ivo Parisinus in tractatu de jure naturali à Deo rebus creatis constituto. Nec non Cartesius in principiis philosophia. Apposite tamen Plutarhus de amore prolis: *Natura sicut in plantis sylvestribus, ut labruscis, caprificis, oleastris principia fructuum mitium cruda & imperfecta gignit: ita brutis quoque amorem fetus inseruit imperfectum, & non pertinentem ad justitiam, neque ultra utilitatem sese proferentem. Homini vero, quem protulit, ut animal esset ratione præditum ac civile, justitiamque, leges, & Deum coleret, urbeque conderet, & amice cum aliis viveret; semina quoque harum rerum præclara, pulchra, & sæcunda inseruit, amorem scilicet prolis, scilicet in hoc prima principia, quæ in ipsa corporis insunt constructione.*

§. 4. Aliqui objectum juris naturalis constituunt actus illos, quibus per se inest moralis necessitas aut turpitudine, quique adeo in sua natura sunt debiti aut illiciti, eoque à Deo necessario præcepti aut vetiti intelliguntur. Quæ nota distare tradunt jus naturale non ab humano tantum jure, sed & à divino voluntario seu positivo, quod non ea præcipit aut vetat, quæ per se ac suapte natura debita sunt aut illicita, sed vetando illicita, præcipiendo debita facit. Lege enim naturali quæ vetantur, non ideo turpia esse, quia Deus vetuit, sed ideo Deum ista vetuisse, quia in se erant turpia. Sic & quæ eadem lege præcipiuntur, non ideo honesta aut necessaria fieri, quia à Deo præcipiuntur, sed ideo præcipi, quia in se sint honesta. Vid. Grotius l. 1. c. 1. §. 10. Enimvero præterquam quod in obscuro maneat, hac sententiâ admittitur, quinam demum sint illi actus in se illiciti, & quo indicio ab aliis actibus liquido internoscantur; quæ item ratio sit proxima, quare iidem tales sint; etiam supra ostensum l. 1. c. 2. §. 6. nullos actus in se esse debitos aut illicitos, antequam per legem tales fiant. Nec est, quod aliquem moveat illa dubitatio: si omnis actuum huma-

humanorum moralitas à lege dependet, annon Deus potuerit legem naturæ ita formare, ut contraria forent præcepta illis, quæ jam sunt, v. gr. ut inter officia hominis mutua esse occidere, furari, mœchari, calumniari; inter vetita autem, gratum animum exhibere, pacta servare, mutuum reddere, & similia. Heic etsi supervacuum ac petulans videatur, quære quid Deus facere potuerit, cum constet quid fecerit: tamen, si cui etiam vana convellere cordi sit, facile reponere potest, illam dubitationem non obscure contradictionem involvere. Nam etsi nulla necessitas Deum adegerit, ut omnino hominem crearet; (valde enim jejune de potentia Dei sentiunt, qui putant, ipsius gloriam in obscuro fuisse hæsuram si terricolæ nunquam condidisset. Vid. *Jobi XXXVIII. 7.*) tamen postquã ipsum destinasset creare animal rationale ac sociale, non poterat non lex naturalis ipsi congruere, non ex necessitate absoluta; sed hypothetica. Si enim is ad contraria officia fuisset adstrictus, non sociale animal, sed alia feri & horridi species animantis fuisset producta. Quo tamen non obstante firmum manet, ante omnem legem quosvis actus esse indifferentes. Nam eo ipso, dum Deus decrevit creare hominem, i. e. tale animal, cui non omnes actus deberent esse indifferentes, legem quoque simul eidem constituit. Sed neque exinde, quod omnes actus in se ante legem indifferentes asserimus, consequitur; Deum, si voluisset, potuisse constituere, ut blasphemias aut contemptu coleretur. Quod facit *Vasquius controuv. illustr. l. 1. c. 27. n. 9. seqq.* Nam sacra Herculis Lindii, de quibus inter alios est apud *Lactantium l. 1. c. 21.* infanorum hominum commentum sunt.) Nam creatura rationalis, i. e. cui Deus indidit facultatem res uti sunt adprehendendi, non potest Deum aliter concipere, quam non solum infinita quadam eminentia, sed & summo in ipsam imperio præditum. Secus enim inane idolum, & quidvis potius, quam Deum conciperet. Jam autem aperte implicat; idem concipere tanquam eminentissimum simul, & abjectum; quod mihi imperat, tanquam cui possim recte insultare; exercere aliquid tanquam signum æstimandi eminentiam divinæ naturæ, & divini imperii, quod directe, & per se contrarium hujus notat. Quando igitur DEUM talia lege sancire non posse dicitur, id non plus ipsius omnipotentia detrahit, quam quod mori, mentiri, efficere, ut quæ facta sunt fiant infecta, nequit. Est præterea & hoc monendû, si definitio juris naturalis isti
 funda-

fundamento de necessaria honestate, & turpitudine quorundam actuum superstruatur, eam non posse non fieri obscuram, & velut in circulum revolvi. Id quod *Grotianam* definitionem perpendenti sat manifestum est. Errecte *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 5. §. 9.* monet, in definitione legis naturalis bonum sumendum esse pro bono naturali, non morali; quippe cum definitio absurde fiat per ea, quæ definitum jam ante notum supponunt.

§. 5. Qui juris naturalis prototypum in ipso Deo investigant, in duas partes discedunt. Alii enim primum velut fontem ipsius in voluntate divina collocant; quæ cum sit summe libera, exinde concludunt, abs Deo legem naturæ posse mutari, imo contrarium ejus præcipi, quemadmodum in legibus positivis fieri solet. Alii vero in sanctitate & justitia Dei essentiali illud fundari adserunt, sic ut jus naturæ istam velut *ἐπιπέτυμα* ali-quod exprimat. Atque hinc quoque immutabilitatem juris naturalis provenire, quod justitia ac sanctitas Dei utique omnem alterationem atque mutationem respuat. Nobis circa priorem sententiam monendum videtur, in voluntate divina quidem positum fuisse, tale animal, cui lex naturæ congrueret, producere, vel non. Sed jam postquam à Deo creatus est homo, animal quod citra observationem legis naturalis salvum esse nequit; inde haut quidquam fas est credere, eundem velle legem naturæ tollere aut immutare, quamdiu naturæ humanæ nullam mutationem infert; & quamdiu actiones naturali lege præceptæ naturali consequentia ad socialitatem, qua temporaria felicitas humani generis continetur, faciunt, eidemque contrariæ pari necessitate hanc destruunt, i. e. quamdiu beneficentia, humanitas, fides, gratitudo, & similia vim habebunt animos hominum conciliandi; perfidia, injuria, ingratitude eosdem irritandi. A deoque posita rerum, & humanæ naturæ constantia, etsi ex beneplacito diu illa ab initio sic formata fuerit, lex naturæ firma, & immota persistat: secus atque illæ leges, quæ ita abs divina voluntate dependent, ut abs hominum conditione in universum ita necessario desiderari non videantur. Præterea per hanc sententiam Deus quidem autor legis naturalis constituitur, de quo nemini sano dubitare licet: verum illud adhuc in obscuro manet, unde demum voluntas ista divina sit cognoscenda, & quo indicio constare possit, hoc vel illud sub lege naturali Deum voluisse comprehendere. Atque idem incommodum etiam posteriorem sententiam comitatur. Nam etsi nemo tam impius sit futurus, qui adserere audeat, le-

μηντας τὰ φοβερὰ ἔκαστω ἰδόντας, ὅτι καλόν. ἢ τὰς ἐλευθερίας; ἢ τὴν δίκην; ἢ τὴν
 αὐτοῖς νόμισμα, ἢ τὴν εὐνοίαν. εἴ ἢ ἑσθέρων; ἢ ἂν οἶον; ἢ φορτικὸς ὁ
 ἴσως, ὅτι καὶ ἔχουσι φάλαξ ἐπιθυμίας; διέξωσι ἢ πάντα φαίνοιτ' ἂν τὰ θεῶν τὰς
 ἀνάξια θεῶν. *Quales actiones diis attribuere debemus? ju-*

stas ne? Sed ridiculi sane viderentur, si commercia facerent, & deposita redde-
rent, atque alia huiusmodi inter se contraberent. Nunquid fortes, ut formi-
dolosa sustineant, periclitenturque, quia honestum sit? An liberales? Sed cui
dabunt? absurdum quippe, si etiam ipsis numum, aut tale quidpiam adesse dica-
mus. Nam si temperantes eos esse asseruerimus, quidnam ejusmodi essent? quod
enim pravos cupiditates non habeant, molesta atque invidiosa laus est. Si de-
diis videbuntur. Catullus: Atqui nec divis homines componier æquum est.

Cæterum exinde quod commune Deo cum hominibus jus non videatur
 admittendum, facile responsio patet ad illa exempla, ex quibus ali-
 qui colligere volunt, quasi Deus de lege naturæ dispensaverit, dum Abra-
 hamum jussit mactare filium, Israelitas subducere Ægyptiis vasa aurea &
 argentea. Deo quippe tanquam supremo omnium domino longe emi-
 nentius est jus in suas creaturas, quam homini in hominem natura sibi æ-
 qualem. Igitur proprie non est dispensatio de lege naturæ, quando ho-
 mo per expressum Dei mandatum exsequitur jus Dei in homines, tan-
 quam nudum ipsius instrumentum. Conf. Grotius l. I. c. 1. §. 10. Ubi ar-
 bitror, neminem fore tam simplicem, qui crediderit, quando objectum
 fuerit mutatum aut circumstantiis variatum, in lege accidisse aliquam
 mutationem. Nam quod creditum creditor debitori acceptum retulit,
 non amplius comprehenditur sub illa lege: creditum est restituendum;
 quia creditum esse desit. In illo autem exemplo, quando deponentis
 bona fisco addicuntur, neque lex, neque objectum legis mutatur. Lex
 enim ita proprie se habet: depositarius rem acceptam debet restituere
 ei, qui rem suam deposuit, aut qui in ejus jus successit. Sic igitur hæc
 lex non pertinet ad furem, quia res deposita non est ipsius: neque ad de-
 portatum, quia in dominium ejus fiscus successit.

§: 6. Sed neq; argumenta *Autoris de principijs justis & decori* p. 254. id
 videntur efficere, ut *jus naturale* duplex statuamus, *divinum & humanum,*
quod stante hoc mundi ordine coincidat. Cnm enim omni juri sive legi in-
 sit obligatio, quæ extrinsecum aliquod & superius principium præsup-
 ponit;

ponit; non adparet, quomodo citra absurditatem ista Deo possit attribui. Sicuti & valde *ἀνύπαρκτος* dicitur; *Deum à se ipso, aut à sua essentia obligari.* Neque vero ex *Roman. I. 32.* exculpsis, tale jus in Deo dari. Nam cum gentes intelligere ex rationis dictamine legem naturæ potuerint, proximum erat eos intellexisse, Deum legislatorem non passurum eam impune violari. Igitur ex violata lege naturæ Deo quidem jus nascitur, (si ita loqui fas) ad exigendam pœnam; seu Deus posito peccato recte comminationem suam in effectum deducit. At quis exinde juri, i.e. legi Deum obnoxium concluderet? Sed & ambigue dicitur, *supremum jus Dei in creaturas ratione naturali innotescere iis principiis, quæ inter homines juris & æquitatis naturalis fundamenta faciunt.* Si enim hic sensus est; Deum multis in rebus eo cum hominibus modo procedere, quo ipsos mortales inter sese vult agere, nemo contradixerit. Vid. *Luca VI. 35.* Sic Deus per legem naturalem hominibus promissa servare injunxit, idem promissa ipsis facta firmiter servaturus. *Rom. III. 4. Ebr. VI. 17. 18.* Ab humanis iudicibus innocentem damnari vetat, ipse similiter facturus. *2. Paralip. XIX. 7. Rom. II. 2.* Ast si hoc asseritur, Deo non plus juris esse in creaturas, quam hominibus inter se adhibere concessum; clarioribus argumentis opus est, ut credamus, domino eminentissimo non plus esse juris in servum, quam servo in conservum natura æqualem: seu, ut *Grotii* terminis utar, *jus rectorium & aquatorium* examussim coincidere. Sed nec citra animadversionem præteriri debet, quod *idem Autor* p. m. 52. asserit, *Deum debere necessario leges naturales tanquam justas æstimare, posito & constituto ordine in hoc universo, qualem jam esse quorumvis oculis ingeritur: & non posse non quicquid ab iis deflectit, tanquam iniquum aut indecorum agnoscere.* Nam sine dubio imperiosa ista vocabula, *Deus debet necessariò,* majestati omnipotentis legislatoris sunt incongrua. Ac nulla heic deprehenditur necessitas, nisi quæ ex divino beneplacito originem duxit. Neque ratio ab ipso subjuncta illam thesin satis adstruit, *quod omnes res, quas cogitatione nobis imaginari possumus, semper quandam $\chi\tau\omicron\nu$ seu relationem habeant, natam ex intrinseca rei natura, quæ à re, salvaratione, separari non potest.* Illam quippe naturam, una cum adhærente relatione, res non ex se, verum ex Creatoris arbitrio habent; cui suæ voluntatis placitum lex proprie dicta esse nequit. Sic quod inter homines beneficium ad referendam gratiam obstringat; quod pactorum violatio, inhumanitas, superbia,

bia, contumelia licita nunquam esse possint; exinde est, quod Deus homini sociabilem naturam assignaverit; qua salva, quæ ad eandem quadrant honesta, quæ discrepant, illicita & turpia erunt. Id quod neque commune Deo cum hominibus jus, neque habitudinem aliquam seu *ἄριστον* rerum, quæ abs divina dispositione non dependeat, infert.

§. 7. Qui jus naturale omnium hominum, aut gentium, aut saltem plerarumque, & cultiorum consensui superstruunt, secuti videntur autorem *Aristotelem Nicom.* V. c. 10. ubi *δικαίον φυσικόν*, *justum naturale* vocat, *ὅ παταχὸν ἔσται ἀπὸ τοῦ ἔχον δύναμιν, ἢ τὸ δοκεῖν ἢ μὴ, quod ubique eandem vim habet, & non quia ita videtur, vel minime.* Qui etiam *Rhetor.* I. I. c. 13. dicit: *ἴσως, ὃ μαρτυροῦνται τὶ πάντες, φύσιν κοινὸν δίκαιον καὶ ἀδίκον, καὶ μὴ δὲ μὴ κοινωμία πρὸς ἀλλήλους ἢ, μὴ δὲ συνθήκη.* Est enim quoddam, quod augurantur aut profiterentur omnes, *natura commune justum & injustum, etiam si nulla societas invicem sit, nullaque pactio.* *Cicero Tuscul. quest.* I. I. *Omni in re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est. Et omnium consensus naturæ vox est.* Enimvero præterquam quod modus hic jus naturæ probandi sit à posteriori, & ex quo nondum constet, quare jure naturæ ita sit dispositum; idem etiam revera est lubricus, & infinitis ambagibus implicitus. Ad consensum universi generis humani provocare; ideo *Hobbeso de Cive* c. 2. §. 1. incongruum videtur, quia alias homini ratione actu utenti impossibile foret contra legem naturæ peccare; quippe cum ipso, qui utique generis humani pars est, in diversum abeunte, consensus humani generis jam sit mancus. Dein quia iniquum sit, naturæ leges ab eorum consensu recipere, qui eas violant sapius, quam observant. Nam uti *Isocrates orat. ad Philippum* loquitur: *πάντες πλείω πικρῶ καρδῶ ἔξαμαρτάνειν, ἢ κατορθύνειν, ita natura comparata est, ut omnes sapius peccemus, quam officio fungamur.* Nec felicius ad omnium gentium consensum provocatur. Cui enim omnium populorum tam antiquorum quam recentium vocabula, nedum mores & instituta sunt cognita? Quin nec res succedet, si dicamus, moratorum populorum consensum sufficere; barbarorum nullam habendam rationem. Nam quæ gens; cui aliqua seipsam conservandi ratio constat, ultro sese barbaram agnoscet? aut quæ tantum sibi tribuet, ut ad suos mores reliquas omnes exigi postulet; quæ ab istis discrepaverit, eam barbaram declaret? Quondam Græculorum arrogantia reliquos omnes

tanquam barbaros despiciat. In eum factum dein Romani succedebant. Hodie pauci quidam populi Europæ id nobis sumimus, ut cultura morum reliquis superiores nos feramus. Ast dantur ex adverso populi, qui sese nobis longe præferunt. Jamdudum à Chinesibus Europæis unus duntaxat oculus relictus, cæteri cœcitatibus damnati. Add. *Charron de la sagesse* l. 2. c. 8. & l. 1. c. 39. ubi inter stolidas opiniones refertur, aliquid damnare, & rejicere tanquam barbarum & malum, ideo tantum, quod illud à moribus & opinionibus nostris vulgaribus abhorret. *Idem* l. 2. c. 2. n. 7. Nec desunt, qui literas, quibus nos excolenda tantam operam impendimus, cavillantur, velut subsidium nostræ habitudinis; cum quorundam aliorum ingenia, citra cultum literarum, naturali bonitate enitescant; & ad bonam mentem paucis opus sit literis. Neq; semper literæ bonos mores sortiuntur comites. *Plato epist. X.* τὸ βέλαιον, & πιστὸν ἐν ὑγιῆς, τὸτο ἐγὼ φημι εἶναι πῶ ἀλλοθινῶ φιλοσοφίαν. *Firmitatem, fidem, sinceritatem veram esse philosophiam existimo.* Sed & quædam nationes operoso adparatu inanium aut superfluarum rerum vehementer sibi placeant, despectis iis, quibus simplicior vita degitur. Atqui sæpe apud hos, quam illos, major morum innocentia. Adposite *Justinus* l. 2. c. 2. de Scythis: *admirabile videtur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientium doctrina, præceptisque philosophorum consequi nequeunt; cultosque mores inculta barbarie collatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignorantia, quam in his cognitio virtutis.* *Valer. Max.* l. 1. c. 1. §. 2. *inter externa.* Non pauca quoque occurrunt apud *Sextum Empiricum Pyrrhon. hypotyp.* l. 2. c. 5. quæ huc adplicari possint. Præterea in isto consensu per se parum momenti esse, argumento est & hoc, quod & plures sint stulti, quam sapientes, & pauci investigatis ipsarum rerum fundamentis opiniones suas conceperint: plerique cæco assensu citra proprium judicium atque scrutinium alios præeuntes securi sint. Accedit denique, quod licet de consensu plerorumque populorum saltem circa generalia præcepta legis naturalis sat liquido constare videatur, ac de eorum quoque consensu, quos ignoramus, præsumere possimus ex placitis eorum, qui nobis cogniti sunt, propter naturæ similitudinem: tamen ex hoc ipso tutius colligitur, quid isti erga cives suos observari æquum duxerint, quam quid erga extraneos, in quos mul-

multis promiscue hostile odium, & quos hostili modo tractare nefas non fuit iudicatum. Add. *Mich. Montaigne essai* l. 1. c. 30.

§. 8. Quanquam autem usus multorum populorum efficacius paulo videatur allegari ad ostendendum, aliquid esse licitum, quam jure naturæ præceptum: tamen ut ne illud quidem semper tuto liceat concludere, faciunt instituta discrepantia aut contraria celebrium populorum. Sic ut non male adplicari heic possit illud Socratis apud Platonem *Alcibiade* I. ἐν οἷς ἀποδίδουσι καὶ διδασκαλίας κατὰ φύσιν, οἷς ἴσως πολλὰς διδασκαλίας. Non ad probatos confugis præceptores, cum ad vulgus te referas. Scilicet uti est apud *Plutarchum Themistocle*: νόμοι διαφέρουσιν ἀνθρώπων, ἀλλὰ οἱ ἄλλοις καλὰ. *Leges mortalibus discrepantes sunt, aliis alia honesta.* Et apud *Tacitum Hist.* 3. *Utque exercitu vario linguis, moribus, cui civis, socii, externi interessent, diversa cupidines, & aliud cuique sis, nec quidquam illicitum.* Speciminis loco isthæe sunt. *Aristot. Nicom.* 7. cap. 6. tradit, *quasdam efferatas circa Pontum nationes sibi invicem infantes ad epulandum mature.* Quas ipse paulo post vocat ἀλογίς, καὶ μένον τῆ ἀσθησῆς ζῶντες, irrationabiles, ferinos, & solo sensu viventes. *Eusebius de præparat. Evangel.* l. 1. cap. 3. dum fædos mores per doctrinam Evangelii correctos recenset, inter alia enumerat Persarum concubitus cum matribus & filiabus, (de quibus etiam ex *Sonone* refert *Diogenes Laërtius proæmio*.) esum carnis humanæ, & jugulationem liberorum ex prætextu religionis apud Scythas; & quod Massagetæ, ac Derbices propinquos senio confectos jugulaverint, & epulati sint; Tibareni seniores præcipitarint; Hyrcani alitibus, Caspii canibus mortuos projecerint devorandos. Quo referuntur pervigilia, scæda, adulterii stuprisque mixta, in honorem deorum, vitæque humanæ. *Idem* l. 6. c. 8. ex *Bardesane Syro*: *Apud Getulos lex est, ut femina quibuscunque velint misceantur, ac præcipue advenis, nec ideo à maritis accusentur, aut adulteræ vocentur.* *Idem* in *Bactris* obtinebat, *Contra apud Arabes adulteræ omnes interimuntur, & suspectæ solummodo puniuntur.* In *Partia* & *Armenia*, qui uxorem, aut filium, aut filiam, aut catibem fratrem, aut innuptam sororem interfecerit, nec accusatur quidem; lege namque ita sancitum est. In *Atris* qui aliquid vel minimum furatus est, lapidibus obruitur. In *Bactris* qui paucis furatur, sputis dedecoratur. *Græcorum* sapientes speciosos pueros sequi non verentur. *Multi apud Britannos uxorem uxorem habent, apud Parthos contra multa femina unum maritum.*

Sextus

Sextus Empiricus Pyrrh. Hypotyp. l. 3. c. 24. ut ostenderet circa turpia & honesta nihil certi esse, magnam ejusmodi repugnantium institutorum cumulat farraginem. Ubi tamen in ipso limine graviter impingit, dum ait: *παρ' ἡμῶν μὲν ἀσχηρὸν, μᾶλλον δὲ παράνομον νομοῖσιν τοῖς ἀρρενομίξιας. ὡς Ἰερμανοῖς δὲ, ὡς Φασιν, ἐστὶ ἀσχηρὸν, ἀλλ' ὡς ἐν τι ᾧ Ἰουδαῖον.* *Apud nos quidem turpe, imo vero etiam nefarium habetur mascula Venere uti: apud Germanos autem, ut fertur, turpe non est, sed unum ex iis, quæ usurecepta sunt.* Nam co-usque quidem ei vitio dediti erant Græci, ut *Plato de LL. l. 8.* aliquot rationibus opus judicet ad ostendendum, fieri posse, ut per leges id coërceatur. Neque solos Bœotios ab ea labe immunes fuisse, arguere videtur *Cornel. Nepos Epaminonda c. 4.* ni forte posterioribus seculis apud Thebanos id exolevit, quod innuere videntur sequentia verba; *Quin etiam apud Thebanos olim hoc turpe habitum non fuisse dicitur.* Sed quod de Germanis subjungit, id adeo inficetum est mendacium, ut mirum sit, quomodo illud in mentem venire potuerit ulli, qui vel minimam notitiam istius nationis habuerit. Addit; Cynicos philosophos, & Zenonem Cittieum, & Cleanthem, & Chrysippum ἀρρενομίξιαν indifferentem habuisse. Quosdam Indorum publice cum uxoribus congregi turpe non judicare. Mulieres corpus prostituere apud multos ex Ægyptiis etiam honoratum; & quasdam apud illos puellas ante nuptias dotem ex arte meretricia quærere, deinde nubere. Quin Stoicos dicere, à ratione non abhorreere cum meretrice congregi, aut quæstu à meretrice factò aliquem sustentare vitam. Persas cum matribus, Ægyptios cum sororibus matrimonia contrahere. Quorum prius Cittieus Zenon à ratione non alienum dixerat. (Add. *Idem d. l. c. 25.* ubi quidem dicto Zenonis ad impudentiam nihil addi potest.) Chrysippum permittere patrem ex filia, matrem ex filio, & fratrem ex sorore liberos procreare. Platonem uxoribus communio-nem admittere. Multis barbaris receptum carnibus humanis vesci; quod ipsi quoque Stoici adprobaverint. Apud multos adulteria pro re indifferente haberi. Scythas Diana hospites immolare. Eosdem parentes sexaginta annos prætergressos jugulare. Solonis lege permissum uni-cuique apud Athenienses filium necare. Apud Romanos gladiatorum perpetrato homicidio etiam honore affici. Apud Lacedæmonios pu-nitos fures, non quod furati, sed quod deprehensi sint. Amazonas, si quæ parentem mares, claudos reddidisse, ut nullum forti viro dignum facinor-ede

edere possent. Multa deinde subnectit de diversis opinionibus circa Deos, de diversitate rituum sacrorum, de sepeliendi more, de morte. Add. *Diogenes Laërtius in Pyrrhone* l. 9. *Cicero Tusc. Quæst.* l. V. *Egyptiorum imbuta mentes pravitate erroribus quamvis carnificinam prius subierint, quam ibi, aut aspidem, aut selem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etsi imprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent.* Sic Colchis in honore esse furtum facere, testatur *Busbequius epist.* 3. Et Abyssinis in more esse positum, ut fures partem rei furtivæ regi offerant, reliquum vero sine infamia retineant, memorat *Franc. Alvarez.* Pertinet quoque huc luculentus locus *Philonis Iudæi de temulentia: Illa quoque deterrent, ne temere credamus incertis, qua pene per totum orbem diffusa sunt, communem tum Gracis, tum barbaris in judicando lapsum inducentia. Quanam? institutiones ab ætate tenera, consuetudines patria, leges antiqua, ex quibus universis in nullo consentiunt omnes, sed per singulas regiones, gentes, civitates, vicos demique ac domos, saltem viri discrepant à mulierculis, & pueri à cæteris. Nam qua nobis turpia videntur, illis honesta: qua decentia, illis indecora. Equidem non miror, si miscellanea confusaque turba, morum legumque utcunque indutarum serva, ab incunabulis obedire his haut secus ac dominis atque tyrannis affueta, & animam contusa colaphis, nihil magnum ac virile valens sapere, credit acceptis semel majorum traditionibus, & mentem sinens inexercitatam, sine scrutatione ac examine vel affirmat vel negat. Philosophos miror, quorum plerique simulantes se venari manifestam in rebus certitudinem, catervatim divisi decernunt dissona, interdum etiam contraria propemodum de omnibus magnis parvisque.* Add. *Mich. Montaigne essais* l. 1. c. 22. & *Charron de la sagesse* l. 2. c. 8.

§. 4. 7.

§. 9. Sed & aliud incommodum comitatur sententiam illam de eruendo jure naturali ex moribus gentium; quod nulla videatur inveniri natio, quæ nudo jure naturæ regatur; sed quælibet leges scriptas aut non scriptas eidem habeat superadditas, quibus utitur, quando ipsi cives inter se negotii quid habent. Quin & sæpe ipsa gentium inter se negotia ex jure civili, utriusque communi, aut jure naturali, sed multis positivis additamentis velut vitio, definiuntur. Unde non ita facile est perspicere, quid illæ nationes pro naturali, quid pro positivo & civili jure habuerint. Quid quod sæpe in olita diu consuetudo naturalis rationis faciem mentitur? *Agathias* l. 2. *Manifestum est, singulas hominum nationes si cui legi, quæ à*

Bb

multo

multo tempore obtinuerit, affueverint, optimam eam, æquissimamque iudicare; & sicubi quid præter eam fiat, rejectaneum id ipsis ac ridiculum videri, dignumque cui fides abrogetur. Quam in rem facit illud ap. Herodot. Thalia. Darius accitos Græcos, qui in sua ditione erant, percontatur, quanta pecunia vellent defunctis parentibus, juxta Indorum aliquot morem, vesci; hi negabant se ulla pecunia ad hoc posse induci: rogavit dein pariter Indos, quantum acciperent, ut patres defunctos ipsi juxta Græcorem morem comburerent, nec postea comederent: qui vehementer reclamantes, meliora ipsum ominari iubebant. Quin & tantam vim habet ab infanzia alicui opinioni esse innutritum, ut licet illa falsa sit, vix unquam tamen de eadem dubitare irruentem veniat iis saltem, queis intra vulgarem sortem est ingenii perspicacia. Aristoteles problemat. sect. 18. quæst. 6. ὅ, τίς ἂν ἴσως ἐξ ἀρχῆς ἔλασθαι, καὶ οἷς ἂν συνδιδάσκων, ἴδι κείνῃ δύνανται τὰ βελτίω. διότι τὰς ἡ δίανοια δὲ φάλας παραπίπτει. Quæ principio aliqui sibi delegerint, quibusque insueverint, in iis ne iudicare quidem possunt, quidnam melius sit: animus enim eorum jam corruptus est propter pravæ presumptiones. Cicero Academ. Quæst. 1. 4. Quidam primum ante tenentur adstricti, quam quid esset optimum iudicare potuerunt; deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico citidam, aut una alienius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhaerescunt. Et paulo post: Nescio quo modo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamarunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacis quid constantissime dicatur, exquirere. Add. Mich. Montaigne ess. 1. 1. c. 22. Philo Iudæus de Abrahamo: Inveterata consuetudo plerumque tantum potest, quantum natura. Et ad maximam partem mortalium applicari potest illud Sexti Empirici Pyrrhon. hypotyp. 1. 3. c. 24. ἴσθι ὅτι ἀδόξαίως τῆ βιωτικῆ ἰσθίς. Sequitur citra ullam opinionem vitæ communis observationem. Et illud Euripidis Baccis. Πατὴρ ἐξ ἀδοξίας, ἀεὶ θ' ὀμάλιας χάρις κερτάμιθ', ἡ δὲ εἰς ἀπὸ καταβάλλει λόγῳ, ἡ δὲ εἰς ἀπὸ τῶν ἐν ἐν φρονῶν. Patris traditiones, quas coætaneas nobis diu servamus, eas nulla labefaciet ratio, neque si maximis sapientia sit exquisita ingenii. Quo referre possis illud Apostoli 1. Corinth. XI. 14. Et aliquo modo illud Platonis de LL. 1. 7. ex assuetudine esse, quod sinistra manu minus habili quam dextra utamur, cum natura fere ad utramque partem æque se habeat. Sic apud multos populos non exigua est barbæ dignitas. Vid. Arriani Epictetus 1. 1. c. 16. Cum contra plerisque;

Anc-

Americanis illam alere belluinum quid habere videatur. Vid. *Roche-
fort descript. Antill. parte 2. cap. 8. §. 6. & c. 9.* Etsi hautquidquam adve-
tudini eas vires tribuamus, ut rationis iudicium eousque detorquere ac
depravare queat, quo ipsi impossibile sit veritatem circa leges naturales
perspicere. Add. *Seldenus de J. N. & G. l. 1. c. 6.*

§. 10. Cæterum ista legum atque morum apud diversas gentes
discrepantia sine dubio etiam aliquibus ansam dedit asserendi; nullum
jus naturale dari; atque omne jus ex utilitate singularum civitatum pro-
manasse, eaque unice metiendum esse. Sic enim *Horatius serm. 1. 1. sat. 3.*
Vilitas iusti prope mater & equi. Iura inventa metu iusti fateare necesse
est, Tempora si fastosque velis evolvere mundi. Nec natura potest iusto secer-
nere iniquum, Dividit ut bona diversis, fugienda petendis. Ovidius Heroid. 1.
Ep. 4. Ista vetus pietas, ævo moritura futuro, Rustica, Saturno regna tenente,
fuit. Iupiter esse pius statuit quodcumque iuraret. Lucanus 1. 8. Sidera terra
ut distant, & flamma mari, sicut ille recto. Sceptrorum vis tota perit, si pendere
iusta incipit; evertitque arces respectus honesti. Libertas scelerum est, qua
regna irvisa tuetur. Crasse quoque valde super origine iusti & iniusti lo-
quitur Aristippus ap. Diog. Laërtium 1. 2. & Pyrrho ap. Eundem 1. 9. Late
quondam super hac re disputaverat Carneades, cujus argumenta contra-
xit Laëtantius div. instit. 1. 5. c. 16. Iura sibi homines pro utilitate sanxisse, sci-
licet varia pro moribus; & apud eosdem pro temporibus sepe mutata; jus au-
tem naturale esse nullum. Omnes & homines, & alias animantes ad utilita-
tes suas natura ducente ferri; proinde aut nullam esse justitiam; aut si sit
aliqua, summam esse stultitiam; quoniam sibi noceret, alienis commodis consu-
lens. Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipsis, qui to-
tius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casus esse
re deundum. Add. Grotii prolegomena ad libr. de J. B. & P. Ad isthæc dissol-
venda conveniens erit præmittere illud Ciceronis Offic. 2. In hoc verbo, (uti-
lis,) lapsa consuetudo flexit de via, sensimque eo deducta est, ut ab honesto utile
secerneret, & constitueret honestum aliquid, quod utile non esset, & utile, quod
non honestum. Qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Et
quod Idem Off. 1. 3. tradit. Socratem solitum exsecrari eos, qui primum hæc na-
tura cobarentia opinione distraxissent. Scilicet imposuerunt isti imperitio-
ribus ambiguo utilitatis vocabulo, quæ duplex est, prout ex diverso prin-
cipio

cipio æstimatur. Aliud enim utile videtur affectuum male composito-
 rum pravo iudicio, qui præsentibus fere, ac cito transituris commodis im-
 minent, de futuro parum solliciti. Aliud sana ratio utile iudicat, quæ non
 tantum ante pedes posita considerat, sed & quid in futurum sit inde e-
 merfurum perpendit. Cui adeo id demum vere est utile, quod in univer-
 sum tale est, & ad diuturnitatem facit: (*Marcus Antoninus l. 7. §. 74. ὁφίλητα
 κερὰς κατὰ φύσιν. emolumentum est actio omnis natura consentanea.*) nequa-
 quam autem ad petendum iudicatur, momentaneo commodo frui, quod
 magnum malorum agmen post se est tracturum. Quemadmodum
 maligna valde est voluptas, inter febriles ardōres gelida se se ingurgitare,
 mox acerbissimis ideo doloribus excrucitari. Habent quippe hoc actio-
 nes legi naturali congruentes, ut non solum honestæ sint, i. e. quæ ad ho-
 norem, existimationem & dignitatem hominis conservandam & augen-
 dam faciant, sed & utiles, eadem existant, seu quæ commodum aliquod
 & emolumentum homini concilient, & ad felicitatem ipsius conferant.
 Quod attributum usque adeo dignationem virtutis non dedecet, ut in
 divinis quoque literis *pietas ad omnia utilis* dicatur, tanquam quæ promif-
 sionem habeat huius & illius vitæ. Sed quæ actiones legi naturali repu-
 gnant, semper quidem turpes sunt, aliquando tamen utilitatis quid &
 sæpius jucunditatis producere videntur, sed quæ neque ad diuturnitatem
 valet, & quam longe majorum moles malorum à tergo sequitur. Vid.
Proverb. XX. 17. V. 3. 4. IX. 17. 18. XXI. 6. Facit quoque huc illud *Ciceronis
 Off. 1. Inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quan-
 tum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommo-
 dat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum: homo autem, qui
 rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum
 videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines
 comparat, rebusque præsentibus adjungit, atque annectit futuras, facile totius
 vitæ cursum videt, ad eamque degendam præparat res necessarias.* Ergo tan-
 tum abest, ut etiam civilia jura intuitu spuria istius & momentaneæ utili-
 tatis sint constituta, ut vel præcipuus harum finis sit, ne cives ista utilitate
 suas actiones metiantur. Si quis enim omnia ad proprium duntaxat
 commodum referre, citra respectum ad alios homines, velit, cum cæteris
 quoque eandem detur viam insistere, non poterit non inde emergere
 summa rerum confusio, & quoddam velut bellum omnium in omnes;
 quo statu nihil homini inutilius, nihil inconvenientius. **Cum contra**

manifestum sit, longe certiore spem utilitatis ab aliis sibi accessuræ concipere posse, qui legem naturalem observando alios sibi demereri studet, quam qui potentia suæ confusus qualibet quibuslibet pro lubitu inferre instituit. Add. *Rich. Cumberland de leg. Nat. c. 2. §. 29. n. 2.* Neque vero mortalibus licet aliquam utilitatem fingere, quæ non in universum valere queat; cum nemini per naturam hoc privilegii concessum sit, ut, quo is jure in alios utitur, idem alii adversus ipsum non vicissim exercent. Inde frustra credis, utile tibi esse, aliorum labore parta clam aut per vim eripere; cum alii & resistere, & pari adversus te licentia uti possint. Aut expedire tibi datam fidem fallere, cum tua in teipsum exempla redire queant. *Prov. I. 13. 14. seqq. Isocrates Areopagitico: Qui fidem contractuum violarent, eos pauperibus censebant plus nocere, quam opulentis. Hos enim, si desinerent clientelas sibi adsciscere, parvis redivitibus spoliati miri: illos, si deessent, qui opem ferrent, extrema inopia laboraturos. Idem orat. de pace, fundamentum consiliorum suorum in eo collocat, ut civibus suis persuasum sit, πῶ μὲν ἰσχυρίαν ἀφελιμωτέραν & κερδαλιωτέραν εἶναι τὸ πολυπραγμοσύνης, πῶ δὲ διαφροσύνην τῆς ἀδικίας, & ὅτι τῶ ἰδίῳ ἐπιμέλειαν τῆς τῶ ἀλλοτρίων ἐπιθυμίας. Plus utilitatis & lucri esse in tranquillitate quam in conatu supervacaneo multarum rerum. & justitiam præstare injuria, suarumque rerum curam appetitioni alienarum.* Id quod in sequentibus luculenter deducit. Neque etiam est, quod quis suæ potentia tantum tribuat, ut sibi ab aliis paria reponi non posse credat. Omnis quippe potentia ex conjunctione cum aliis hominibus resultat, quos sola vi nequidquam continueris. Igitur si omnia licet utilitate illa spuria metiri, etiam potentissimi cujusque salus toties in lubrico versatur, quoties ulli utile videtur ipsum perire: & eam qui viam sequitur, suo exemplo docet alio tantūdem cōtra ipsum audere. Adeoq; non justitia, sed injustitia revera est summa stultitia, quæ neq; in universū, neq; ad diurnitatem prodest, etiā si cui malitia sua aliquātiſper succedere videatur; & ipsā salutem hominis, quæ societate cōtinetur, iteversum. Idq; nō in singulos dūtaxat homines, sed & in integras civitates congruit, quarum nulla hæctenus tam copiosa aut firma extitit, ut aliarum amicitia non indiguerit, nec saltem à pluribus conjunctis laedi potuerit. *Quintilianus declam. 255. Nunquam prodest malum exemplum: etiam si in presenti occasione quadam delectat, in futurum tamen altius nocet. Demosthenes Olynth. 2. τὰ εἰς τὴν ἀδικίαν, καὶ ἐπιπορευόντα, καὶ ψευδοῦσιν δόξαν βέλαιαν κτήσαντα. Non fieri potest, ut per injurias, & perjurias, & mendacia stabilis potentia comparetur.*

Conspirant cum hisce, quæ quondam circa justitiam Epicurus tradebat, teste Gassendophilos. Epicuri syntag. part. 3. cap. 24. & 25. *Justitia non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra semper alit aliquid tum vi sua, atque natura, quod tranquillet animos; tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. Cujus in mente injustitia consedit, hoc ipso quod adest, non potest non turbulenta fieri: et si vero molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet id fore semper occultum. Cumque justitia ad commune bonum sit excogitata, necesse est, jus seu justum, quod spectat, tale quidpiam sit, quod sit omnibus & singulis, qui participes sunt societatis, bonum. Et quia unusquisque id, quod sibi est bonum, natura duce expetit, necesse est id, quod est jus seu justum quidpiam, secundum naturam sit, ac naturale ideo dicatur. Quod nihil aliud est, quam tessera utilitatis, seu ea, conspirantibus votis proposita utilitas, ut homines ad invicem neque ledant, neque ledantur, atque adeo secure degant: quod ut bonum & utile est, ita quisque natura duce expetit. Et si quæ post de utilitate apud diversos diversa, & inde justo variabili subnectuntur, non de jure naturali, sed civili duntaxat possint admitti. Breviter Diodorus Siculus l. xxv. eclog. 1. Epicurus in libro, quem ratas doctrinas inscripsit, vitam cum justitia conjunctam perturbatione vacare pronunciat: injustam vero perturbatione quam plurima refertam esse. Lucretius l. V. Circumretit enim vis atque injuria quemque, atque unde exorta est, ad cum plerumque revertit. Nec facile est placidam ac placatam ducere vitam, Qui violat factis communiæ fœderis pacis. Porro quantum opere à communi velut sensu abhorreat, omnes actiones ex utilitate, justitiæ contradistincta, metiri, nemini non conitat. Adposite nihil aliàs Sophista Protagoras apud Platonem Protagora: In cæteris facultatibus, si quis se jactet, puta quod tibicem optimus sit, cum tamen in eo ipse sit rudis, audientes hunc aut rident, aut ei indignantur. Propinqui vero ut insanum admonent, & increpant. Contra vero injustitia accidit. Nam licet sciant aliqui quempiam injustum esse, tamen si ille hoc coram nescientibus fateatur, insanire eum existimant, neque patefaciendam censent iniquitatem, imo semper si ve ea præditus sit, si ve non, justitiam ostentandam: cum vero qui non simulat justitiam delirare, tanquam oporteat unumquemque aut istius participem esse, aut ex hominum cætu exterminari. Quintilianus Instit. Orat. l. 3. c. 8. Nec enim quisquam tam malus est, ut malus videri velit. Quin & nemo est, quin honestius loquatur, quam aut sentiat, aut faciat. Sed & divina providentia tam pestilentis dogmatis assertores ipso eventu satis arguit. Ut ex infinitis*

exemplis unum duntaxat aut alterum attingamus; Lyfander ille *homo* *versutus, & pleraque fraudibus miscens, jusque in sola ponens utilitate; qui* *veritatem mendacio nihilo meliorem aiebat, sed utriusque premium & dignitatem usu definebat; qui pueros talis, viros sacramentis decipi debere jaetavit; uti* *est apud Plutarchum Lacon. apophth. & Polyenum Strateg. l. i. an firmiori* *fundamento fortunas suas superstruxit, quam si omnia ad veritatem &* *honestatem retulisset? Vid. Cornel. Nepos Lyfandro. Sic Agelilaus, qui a-* *lias in omni sermone justitiam decernebat omnium principem virtutum,* *quippe cum fortitudinis, si adsit justitia, nullus sit usus; factum Phœbidæ,* *Cadméam occupantis defendit hoc colore: ὅτι δὲ ἰσχυρὰ αὐτῶν, εἰσι γρη-* *γοροὶ ἐκείνων. Ἐὰν γὰρ Συμφέροντα τῆς Λακεδαιμονίης καλῶς ἔχειν αὐτοματιζοῦσθαι, καὶ* *παρθεὶς καλεῖσθαι. Ipsum factum, quatenus ex usu foret, spectandum. Nam quæ ef-* *sent è republica Lacedæmoniorum, ea, ut nemo mandet, debere ultro fieri. Ve-* *rum annon id ipsum factum occasionem præbuit, ut Spartani imperio* *Græciæ exciderent?*

§. II. His positis facilem habent, quæ objiciuntur, argumenta solutionem. Incepta est conclusio; *civitates sibi diversa jura statuerunt pro* *ratione ailitatis, ergo non datur jus naturale & perpetuum. Omnia quip-* *pe jura civilia saltem præcipua legis naturalis capita, quibus falus generis* *humani continetur, præsupponunt, aut includunt; quæ hautquid-* *quam destruuntur per illa, quæ istis superaddi peculiaris singularum* *civitatum utilitas requisivit. Jura pœnalia, seu sanctiones pœnales, me-* *tu injusti inventa, admittimus, scilicet postquam nuda legis naturalis dicta-* *mina non sufficiebant reprimendæ hominum malitiæ. Quod vero Ho-* *ratius negabat naturam posse justo fecernere iniquum; id concedimus de* *illa natura, quam homo cum brutis habet communem; per quam bruta* *utique sensu percipiunt, quæ corpori conveniant, quæ noceant, citra ta-* *men honesti aut turpis intellectum. De natura rationali illud negamus.* *Quod Carneades argumentatur, Romanis, si justis esse velint, id est, si aliena* *restituunt ad casus fore redeundum, igitur justitiam esse stultitiam; id spe-* *ciem aliquam ad vulgus habet, penitus insipientibus nihil solidi con-* *tinet. Nam cum aliis liceat id juris in nos statuere, quo ipsi adversus* *alios utimur, sane hautquidquam utile est aliena per injuriam rapiendo,* *alios ad nostra rapienda invitare. Ac in definiendo utili non respicien-* *dum est, quid huic vel illi ad tempus cum aliorum detrimento videatur*

conducere, sed quid in universum & ad perpetuitatem expediat. Sic ponamus aliquem ex peculatu magnas opes cumulasse. Huic stultum videtur injuste rapta restituendo ad pristinas fortunæ angustias ultro sese revolvere. At ubi postea princeps deprehensus furtis eas opes fisco applicuerit, prave solertem collectorem patibulo aut carceri mancipaverit; credimus hunc sapientius fortunam suam fundasse, quam qui modice, innocenter parva, contentus esse maluit. Sic nescio an satius fuerat urbi Romanæ intra modicas & juste quæsititas opes subsistere, quam postquam orbem diripuisset, in sua viscera sævire, & enervem truncum Gothis, Vandalisque lacerandum prostituere. Sed nec ad reliqua Carneadis argumenta, quæ *Lactantius* l. d. adfert, operosa responsione opus est. Si quis enim sapientis putat, venditorem pestilentiam ædium dissimulare, ut eo plures illas vendat; etiam sapiens erit emtor, qui numos adulterinos pro bonis dederit, aut venditorem, comperta fraude, magno malo mactaverit. Denique an in naufragio robustior imbecilliori tabulam eripere, in fuga faucium integer equo deturbare possit, ut ipse potius quam alter servetur; alio loco erit discutiendum. Id duntaxat heic monuisse suffecerit, quod per necessitatem, animique ex imminente periculo consternationem magis excusatur, quam adprobatur, haut quidquam in communem agendi regulam esse trahendum. Add. *Autor de princip. justit. & decori* p. 114. seqq.

§. 12. Idem *Autor de princip. justit. & decori* isthac via jus naturale investigare instituit. Principio præsupponit, *Deum esse, & mundum condidisse in sapientia*; de quo nemo sanus litem movebit. Addit, *Eundem virtutes justitiae & veritatis exercere velle in mundi regimine*. Ps. 96. v. ult. Enimvero præterquam quod vix videatur veritas & justitia divina ad modum *virtutis* recte concipi, etiam illud satis manifestum est, justitiæ, quæ Deo tribuitur, esse longe aliam indolem, quam ejus, quæ mortalibus est invicem exercenda; cum illa denotet modum, quo eminentissimus juxta ac optimus Creator creaturas imperii intelligentes moderatur; hæc vero inter pares natura, eidemque summo domino subjectos locum habeat. Justitiam porro tam divinam, quam humanam eodem modo metiendam esse, haut quidquam inde statim evincitur, quod in sacris literis sæpe ad exemplum Dei revocamur. *Luc. VI. 36. Matth. V. 44. 45. XVIII. 33.* quippe cum in istis locis argumentum à minori ad majus du-

ctui

etiam videatur. Ex hisce positis concludit: *Deum in creando mundo sibi finem proposuisse: ac media in se habere aptitudinem ad finis consecutionem: denique hominem non impune laturum, si deviat ab illo ordine, quem ab homine observari vult Deus in consecutione finis, quem sibi, & homini proposuit, & premio afficiendum, qui vitam & mores instituit juxta ordinem à Deo præscriptum; justitiam quippe Dei nihil aliud innuere, quam pœnarum & præmiorum legitimam distributionem.* Ubi nescio an ullo commodo sensu dici queat, *Deum sibi & homini finem aliquem communem constituisse, aut ordinem illum homini constitutum, id est, observationem legis naturalis producere finem mundi à Deo conditi.* Sicuti nec illa, quæ sequuntur, facile quis digesserit; *naturalem in Deo necessitatem hominibus imponere necessitatem studii virtutum, & fuga vitiorum.* Verum si vel maxime isthæc omnia daremus, ac eruendo dein juri naturali talia substerneremus effata: *quacunque natura sua ita sunt comparata, ut finem in creatione mundi à Deo intentum impediant, illa omnia jure naturali prohibita sunt: quacunque autem istius sunt natura, ut sine iis idem finis obtineri non possit, illa omnia jure naturali sunt imperata: nondum tamen liquido & distincte intelligere datur, quam necessariam relationem singula juris naturalis præcepta ad eum finem habeant; cum ille ipse finis nondum sat dilucide sit designatus.* Sic v.g. operosa admodum deductione opus fuerit, ut intelligam, sine honore parentum non posse obtineri finem mundi conditi; aut furtum eidem fini repugnare. Quin nihil agit, qui intra generalia ejusmodi vocabula hæret, nisi propiora, & magis distincta principia adsumserit. Igitur intra tenebras adhuc relinquit fundamentum juris naturalis, qui nihil aliud quam hoc ingeminare novit: *cum mundus in sapientia sit ordinatus, & homini partes agendi in hoc universo assignatae sint: ordo ille necessario homini indicare debet, quodnam cujusque in agendo sit officium.*

§. 13. In eo plerique conveniunt, jus naturale ex ipsa hominis ratione eruendum, idemque adeo ex istius recte se habentis dictamine profluere. *Dio Chrysostomus Orat. X. quæ inscribitur de servis. ναυ ἔχων γνώσῃ δὸν ἑαυτοῦ, ὅτι εἰς ἀγαθὸν ἔστι, ἔ, ὁμοῦς.* *Mentem habens scies ex temetipso, quid tibi sit faciendum, & quomodo.* Quo nomine etiam sacræ literæ eandem cordibus hominum inscriptam pronunciant. Ubi illud manifestum judicamus, etsi divinæ literæ liquidius cognoscendo juri naturali plurimam lucem adferant; illud tamen etiam citra istud adminiculum

per vires rationis, homini abs Creatore concessæ, & adhuc superstitis, posse investigari, & solide demonstrari. Quam ad rem tamen vix necessarium arbitramur præfractæ contendere, animis hominum ab ipsa natiuitate congenita, & velut impressa esse juris naturalis saltem generalia præcepta, ad modum distinctarum, & actualium propositionum, quæ statim atque usus sermonis accesserit, citra ulteriorem informationem aut meditationem abs homine possint exprimi. Hæc enim gratis fieri facile deprehendet, qui curiosius puerorum ex infantili inscitia paulatim emergentium profectus accuratius observare instituerit. Nec in super habendum, quod Sacræ Literæ infantilem ætatem describere soleant ignorantia recti & turpis; adultiorem istius notitia. Vid. *Iona* IV. 11. *Deuter.* I. 39. *Esaï.* VII. 14. 15. 16. Add. *Rich. Cumberland de Legibus Natura, prolegom.* §. 5. qui & ipse d. l. §. 7. 8. clare demonstrat, etsi congenitæ illæ propositiones abnuantur, revera tamen notitiam legis naturalis ab ipso Deo tanquam primo motore animis hominum imprimi; ex quo cuius patere quoque potest, ipsum velle & jubere, ut juxta eam legem homines faciant. Quæ à plerisque nimis presse urgetur phrasis *Roman.* II. 15. figurata est; ac nihil aliud notat, quam liquidam, atque mente repostam cognitionem, & de qua quis in conscientia sua convictus sit, undecunque demum eadem animo impressa sit. Sicut quæ *Ierem.* XVII. 1. *tabulis cordium insculpta* dicuntur peccata, actualia utique, haut quidquam ab ipsa statim natiuitate erant cognita. Add. *Luc.* II. 51. *Proverb.* VII. 3. Sic quod etiam in pueris, & rudi vulgo magna deprehenditur facilitas æquum ab iniquo discernendi, id ex adfuetudine provenit: dum à teneris annis, & statim atque usum aliquem rationis exserunt, vident bona probari, mala improbari, & illa laudem, hæc pœnam sequi. Quorum quotidianum exercitium, & totius vitæ communis compages ad istum modum digesta, ira animos disponit, ut paucis dubitare succurrat, an aliter ista fieri possint. Verum si quis accuratius ista cœperit expendere, deprehendet, multarum rerum rationes reddere oppido quam difficile esse, quæ à vulgo tamen expedite, & citra hæsitacionem obeuntur. Exempli loco *Author de princip. justit. & decori* affert: *si quispiam in furto deprehensus sit, omnis multitudo animo & viribus annititur furem comprehendere: si autem quispiam ira percitius homicidium perpetraverit, omnes ejus libertatem optant, nullus saltem operam suam libenter ad illum capiendum commodat.* Rationem vulgus ignorat;

rat; quæ hæc est, quia plus periculi cuius ex fure, qui cuiusvis fortunas rapere intendit, quam à tali homicida, qui in illum tantum excanduit, à quo laceffitus fuerat. Igitur hoc sensu lex naturalis nobis dictamen rectæ rationis affertur, quod intellectui humano ea sit facultas, ut ex contemplatione conditionis humanæ liquido perspicere possit, ad normam ejus legis sibi necessario vivendum: simulque investigare principium, ex quo ejusdem præcepta solide & plane demonstrari queant. Add. *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 4. §. 3.* Neque obstat, quod quæ ratione præcepta legis naturalis artificiose demonstrantur, à plurimis ignoretur, aut non capiatur; ac plerique ex adfuetudine, aut vitæ communis tenore legem naturæ addiscere & observare soleant. Nam & ab artificibus quotidie multa exerceri videmus ex imitatione, aut per instrumentorum compendia, quorum demonstrationem ipsi quidem ignorant, neque minus tamen ista mathematica inventa vocari queunt, solidissima ratione subnixa. Ex hisce etiam liquet, unde rectitudo rationis circa eruendum jus naturæ sit metienda; seu unde constet, an dictamen aliquod rectæ, an vero pravæ rationis sit. Nimirum rectæ rationis dictamina sunt vera principia, quæ cum rerum natura probe observata & examinata conveniunt, & quæ ex primis & veris principiis per bonam consequentiam deducuntur. Contra pravæ rationis dictamen est, ubi quis vel falsa principia ponit, vel per *æu Moysiæ* falsas conclusiones format. Eo ipso enim quo lex naturalis à rerum natura imprimi dicitur, veram eandem esse insinuat; quia illa non indicat, nisi quod existit, ejusque causa est, in quo nihil unquam est falsi; quippe cum falsum oriatur ex errore hominum, notiones naturæ coherentes disjunctium, aut natura disjunctas conjungentium. Add. *Rich. Cumberland cap. 5. §. 1.* Quo observato non est amplius metus, ne quis cerebri sui male purgati deliria, aut incompositam animi cupidinem pro lege naturali venditare possit. Nam nequidquam ad rationem provocat, qui asserta sua ex legitimis principis naturæque rerum congruentibus demonstrare nequit: quippe cum utique veritas & rectitudo in convenientia conceptuum & propositionum cum rebus ipsis, quæ per istas exprimendæ sunt, consistat. Qui autem per ingenii heberudinem demonstrationes necere ignorat, valde impudens est, si sui cerebri dictatis,

quatenus à receptis sententiis abeunt, aliquid tribuendum postulaverit. Sed & indolem demonstrationum intelligentibus facile patet, principia non solum necessario vera, & prima esse debere, sed etiam propria, & velut domestica huic disciplinæ, de qua anquiritur, & ita perspicua, ut animus, percepta ex illis assertionis causa, placide adquiescat, nec ulterioribus probationibus immincat. Contra quam legem genuina rectæ rationis dictamina eliciendi impegerunt non solum illi, quorum fundamenta juris naturalis hætenus discussimus; sed & qui credunt, sufficiens se legis naturalis fundamentum constituisse, si dicant: *honestatem naturalem consistere in concordia rationis, & adpetitus, cujus honestatis norma sit excellentia & dignitas humana natura, & finis ille nobilissimus, propter quem videmur à natura in universi hujus possessionem immissi.* Nam si vel maxime sic argumenter: hæc actio congruit cum excellentia & dignitate hominis, ergo est honesta, & ideo facienda; nondum adeptus sum liquidam & distinctam scientiam, cui mens mea firmiter queat adquiescere; sed in obscuro adhuc est, in quonam illa excellentia consistat, & quæ causa sit, cur ea homini competat. Sicuti si quis sacerdoti dicat: non decet te in ganeis & popinis volutari, quia hoc repugnat dignitati sacerdotis; verum quidem dicit, sed non ideo ultimam rationem, & postquam dubio non amplius locus sit, expressit. *Conf. Rachelius prolegom. ad Offic. Cicer. §. 38. seqq.* Cæterum quanquam non cujusvis sit, legem naturalem artificiosa deductione ex principio suo erucere; ut tamen omnibus hominibus, usu rationis gaudentibus, illa cognita dici possit, sufficit, quod saltem mediocria ingenia eam demonstrationem sibi ab aliis propositam capere, & ejusdem veritatem, collata naturæ suæ conditione, liquido perspicere queant. Vulgo autem, quod legem naturæ ex populari informatione, usuque publico haurire solet, ad ejusdem certitudinem satis esse debet autoritas superiorum, qui illud in civitatibus exerceri curant; & quod ipsi rationes probabiles desint, quibus ejusdem veritas labefactari, aut convelli possit; & quod præsentem ipsius utilitatem quotidie deprehendit. Quo ipso etiam lex naturalis sufficienter promulgata intelligitur, ita ut nemo adultus & mentis compos invincibilem ejus ignorantiam obtendere possit. Pro facili quoque cognitione ejus, quod jus naturale dicitur, *Hobbes. de Civ. c. 3. §. 26. & Leviath. c. 15.* hanc regulam commendat, *ut cum quis dubitet, id quod facturus in alterum sit, jure naturali facturus*

Erus sit, nec ne, putet se esse in illius alterius loco. Hoc modo enim ubi amor proprius, & perturbationes, quæ unam lancis partem vehementer premebant, vel in alteram lancem translata fuerint, quo ratio vergat facile adpariturum. Quæ regula ab ipso Salvatore nostro confirmatur *Matth. VII. 12. Moschus Idyll. V. φίλωντας, ἢ ἢν φίλοντι, φίλῳδι.* Diligite amantes, ut si amctis, redamemini. Add. *Selden. de I.N. & G. l. 7. c. 12. Aristoteles apud Diogenem Laërtium, rogatus erga amicos quales esse debeamus, dixit: ὡς ἂν ἐξ αἰμῶνα αὐτῶν ἡμῶν πορροφίῳδι. quales eos erga nos esse optamus. l. 1. & l. ult. D. quod quis juris in alterum. Seneca de Ira 1. 3. Eo loco nos constituamus, quo ille est, cui irascimur: nunc facit iracundos iniqua nostri astimatio, & quæ facere vellemus, pati nolumus.* Confutii dictum est apud *Martiniuſt. Sin. l. 4. c. 25. Ne facias ulli, quod pati nolis.* Idem inculcabatur civibus, quos ad cultiorem vitam adducere instituebat, ab Ynca Manco Capac, imperii Peruani fundatore, apud *Garcilasum Comment. Reg. l. 1. c. 21.* Eam tamen regulam *Sharrok de Officiis sec. Ius Naturæ c. 2. n. 11.* eo nomine universalem non censet, quod alias iudici de latronibus calculum laturo, illi sint absolvendi, quod sine dubio iste horum loco positus vitam sibi donari sit optaturus; aut quod cuius indigenti, quantum petierit, dandum sit, quia ipse indigens hoc velim; aut quod servo meo calceos purgare debeam, quia hoc, ut mihi faciat, ab ipso postulare soleo. Enimvero facile sibi constabit isthæc regula, si observetur; non unam duntaxat, sed utramque simul lancem esse considerandam; seu non id solum expendendum, quid mihi placeat, sed etiam quæ alteri obligatio aut necessitas incumbat, & quid ego; salvo utrinque officio, ab altero postulare queam. Fatemur tamen id præceptum pro fundamentali axiomate legis naturalis haberi non posse; cum sit consecrarium illius legis de æqualiter habendis nobiscum aliis hominibus, adeoque à priori demonstrari queat.

§. 14. Nobis nulla via propior videtur, & magis adposita, ad investigandum jus naturale, quam ipsam hominis naturam, conditionemque, & inclinationes accuratius contemplari: etsi in ea consideratione necessario etiam ad alia, quæ extra hominem sunt, reflexio sit faciendâ, ac imprimis ad ea, quæ ad commodum aut incommodum aliquod eidem conciliandum apta sunt. Sive enim ad promovendam ipsius felicitatem, sive ad coercendam ejusdem malitiam, in proprium exitium erupturam,

pturam, lex illa homini est imposita; non felicius eadem addiscetur, quam perspecto, quâ ipse subsidio, quâ freno opus habeat. Idigitur primo homo habet commune cum omnibus animantibus, quæ sensus sui inest, ut seipsum quam maxime amet, seipsum studeat omnibus modis conservare, quæ bona sibi videntur nitatur acquirere, mala repellere. Cicero de Fin. 1.3. *Simul atque natum est animal, ipsum sibi conciliatur & commendatur ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre.* Valerius Flaccus l.V. *Est amor, & rerum cuncti tutela suarum.* Add. Diogenes Laërt. 1.7. in Zenone. Marcus Antoninus l.XI. §.8. *Epieteti Enchir. c. 38. n. 2.* Et iste quidem cujuslibet erga seipsum amor regulariter tam validus est, ut quævis inclinatio erga quemvis alium hominem ipsi cedat. Equidem videntur quandoque aliqui teneriore adfectu alios amplecti, quam seipfos: ac magis istorum bonis, quam propriis gaudere, magisque eorundem malis, quam suis indolescere. Sicuti Cartesius de passionibus c.82. ait: *amor, quo fertur bonus parens in suos liberos, adeo purus est, ut nihil ab ipsis consequi cupiat, nec eos aliter possidere velit, quam jam habet; vel illis jungi arctius, quam jam est; sed eos considerans tanquam alios seipfos, quarit eorum bonum ut suum proprium; quin etiam majori cum cura, utpote cum concipiat se & illos unum totum constituere, cujus melior pars ipse non sit, sæpe eorum utilitatem suæ præfert, nec metuit se perdere, ut eos servet.* Vid. 2. Samuel. XVIII. v. 33. Euripides Alcestide v.653. seqq. ad v.705. Enimvero præterquam quod hoc non sit perpetuum, etiam ideo sæpe mala liberorum in se translata vellent parentes, quod credunt, sese melius ea sustinere, quam istos posse; aut quod illorum ætas vita sit dignior. Sic & bonis liberorum tantopere afficiuntur parentes, quod gloriæ sibi esse judicent, tales genuisse. Vid. Luc. XI. 27. *Qui tanti talem genuere parentes.* Virgil. Æn. 1. Sicut vice versa Epaminondas eorum, quæ ipsi evenissent bona atque commoda, omnium hoc sibi ajebat accidisse jucundissimum, quod utroque parente vivente, Lacedæmonios ad Leuctra vicisset. Plutarch. Apophth. Sed & multos pro aliis fat æquo animo mortem oppetiisse constat, quos peculiari affectu prosequuti sunt, aut quibus sese penitus devoverunt. Quibuscum ita sese junctos atque unitos intelligunt, tanquam minorem partem totius, eoque se malunt perdere, ut alterum tanquam majorem partem conservent. Vid.

Add. *Cumberland de leg. Nat. c. 1. §. 14-18.* Quo loco tamen & illud monendum, nos in eruenda hominis conditione amori proprio priorem locum assignasse, non quod quilibet seipsum solum reliquis omnibus ubique præferre debeat, aut omnia propria utilitate metiri, eamque, quatenus ab aliorum commodo separata est, summum sibi scopum proponere. Sed quia amorem proprium naturaliter homo prius sentit, quam aliorum curam, eo ipso, quod naturaliter prius est sentire sui, quam aliorum existentiam. Deinde quia ut ego mei ipsius curam habeam, ad neminem propius, quam ad meipsum spectat. Licet enim scopum nobis præfigamus bonum commune, tamen cum ego quoque generis humani pars sim, cujus saluti aliqua etiam cura debetur, nemo sane est, cui distincta magis & specialis mei cura incumbere possit, quam mihi ipsi.

§. 15. Ex hisce positis facile est fundamentum legis naturalis invenire. Scilicet manifesto adparet, hominem esse animal sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sine sui similium auxilio servari ineptum, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen sæpe malitiosum, petulans, & facile irritabile, ac ad noxam inferendam promptum, ac validum. Ejusmodi animali, ut salvum sit, bonisque fruatur, quæ in ipsius conditionem heic cadunt, necessarium est, ut sit sociabile, id est, ut conjungi cum sui similibus velit, & adversus illos ita se gerat, ut ne isti ansam accipiant eum lædendi, sed potius rationem habeant ejusdem commoda servandi, aut promovendi. Cicero de LL. 1. 1. *Non opinione, sed natura constitutum esse jus, patebit, si hominum inter ipsos societatem conjunctionemque perspexeris.* Iamblichus protrept. c. 20. *Ὅν ἄλλοις ἐνεῖν καὶ ἀπομῖα δεῖται, ἢ ἄλλοις τὸ μίσην γὰρ αὐτοῖς ζῆλον ἢ τὸ γινώσκον ἐκείνους ἢ κατὰ ἴνα δεῖται.* *Vi homines simul, & tamen sine lege vivant, fieri non potest. Eo enim pacto majus ipsis damnum inferetur, quam si quisque sigillatim vitam institueret.* Inde fundamentalis lex naturæ isthæc erit: cui libet homini, quantum in se, colendam & conservandam esse pacificam adversus alios socialitatem, indoli & scopo generis humani in universum congruentem. Neq; enim per socialitatem heic intelligimus præcise proclivitatem ad jungendas societates particulares, quæ etiam malo fine & modo iniri possunt, uti est conjunctio latronum; quasi sufficere qualicunque intentione sese cum altero conjunxisse. Sed per socialitatem innuimus ejusmodi dispositionem hominis erga quemvis hominem, per quam ipsi be-

REVO-

nevolentia, pace & caritate, mutuaque adeo obligatione conjunctus intelligitur. Ut adeo falsissimum sit, eam, quam nos insinuamus socialitatem indifferenter se ad bonam & malam societatem habere. Diximus autem, cuilibet homini socialitatem colendam, & actu exercendam quantum in se. Quia cum penes nos non sit præstare, ut alii omnes sese erga nos, prout par erat, gerant: igitur officio nostro satisfacimus, si nihil eorum, quæ in nostra erant facultate omisimus, quod istos, ut vicissim erga nos sociabiles essent, permovere posset. Ex quo consequitur, quia qui obligat ad finem, simul obligare intelligitur ad media, sine quibus finis non potest obtineri; *omnia, quæ ad istam socialitatem necessario faciunt, jure naturali præcepta, quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi.* Istam viam eruendo juri naturali non planissimam solum esse patet; sed & eandem maxime genuinam, & propriam plerique sapientum magno consensu agnoscunt. Multa testimonia accumulare opus non est. Instar omnium potest esse illud *Seneca de benefic. l. IV. c. 18. Quo alio tui sumus, quam quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? prada animalium & victima, ac imbecillissimus & facilissima sanguis. Hominem imbellia cingit: nudum & infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium validissimum facerent, rationem & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hanc tolle; & unitatem generis humani, quæ vita sustinetur, scindes.* Ἄνθρωπος ἄνθρωπον, & πόλις πόλιν. χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλος τε δάκτυλον. *Vir virum, & urbs servat urbem. Manus manum lavat, & digitus digitum. Salus omnis in sociis.* Plinius N. H. l. 9. c. 46. Add. *Marcus Antoninus l. IV. §. 4. qui & l. V. §. 16. τὸ ἀγαθὸν ἔστι λογικὴ ζωὴ κοινωνία, bonum animalis rationalis societatem vocat; & l. V. §. 29. ac passim hominem κατὰ φύσιν ζωὴν κοινωνικὴν animal ad societatem natum pronunciat. Add. Idem l. 7. §. 55. Libanius declam. 19. φύσις ἀνθρώπου ἀνθρώπου συνεργάτις ἐστίν, & βίη κοινωνοῦ ἀποδείξει natura hominum homini adjutorem & socium vita effecit.* Quanquam & aliæ accedant causæ, licet minus principales, aut argumenta socialis in homine naturæ; puta, quod nihil perpetua solitudine homini si tristius; (*Cicero de Fin. l. 3. Nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia.* Unde facile

cile intelligitur, nos ad conjunctionem congregationemque hominum, & ad naturalem communitatem esse natos.) quod inutilis alias foret lingua, nobilissimum instrumentum, per quam solus homo præ cæteris animantibus animi sensa articulado sono potest exprimere; (vid. *Quintilianus Instit. Orat.* l. 2. c. 16.) quod optimus quisque præclare agendo inter alios sese ostentare quam maxime gaudeat. Sicuti & inter secundarias duntaxat rationes socialitatis habendum est, quod tradit *Cicero Offic.* l. 1. *Quod si omnia nobis, qua ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret. Non est ita. Nam & solitudinem fugeret, & socium studii quæreret, tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere.* Eodem pertinet quod *Idem Offic.* l. 3. dicit: *Magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio cælestium collocavit, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine & viribus.* Quocirca optimo quisque & splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Illud autem *Ejusdem in Lælio* ad peculiarem amicitiam magis, quam communem illam socialitatem spectat: *A natura potius, quam ab imbecillitate orta amicitia est, & societas, adplicatione magis animi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esse habitura.* Cæterum à nostra lege fundamentali non abit illa *Richardi Cumberland de leg. nat.* cap. 1. §. 4. de studio communis boni, & exhibenda erga omnes benevolentia quantum fieri potest maxima. Nam & nos dum sociabilem esse debere hominem tradimus, ei non suum bonum, ab aliis distinctum, pro seopo habendum, sed & cæterorum innuimus, nec ulli commodum suum cum oppressione aut neglectu reliquorum quærendum, nec cuiquam suam felicitatem sperandam, si alios negligat, aut injuriis laceßat. Ex socialitate porro hominis, & quod quisque non sibi soli, sed generi humano natus sit, egregia quædam consuetudina deducit *Baco de Verulamio de Augment. scient.* l. 7. c. 1. puta, quod vita activa sit præferenda contemplativæ; quod felicitas hominis in virtute, non in voluptate quærenda sit; quod propter casus improvisos rebus gerendis subtrahere nos non debeamus, aut à consortio aliorum nos remove; denique quod propter tenerita-

tem

tem quandam animi, & ineptitudinem ad morigerandum à rebus civilibus subducere nos non debeamus. Quo loco & illud monet; nullam omnibus seculis repertam philosophiam, religionem, legem, disciplinam, quæ tantum bonum communionis exaltavit, bonum vero individuale depressit, quantum fides Christiana.

§. 16. Consideremus jam, an cum hisce pugnent, quæ traduntur ab *Hobbeso de Cive* c. 1. §. 2. Cujus quidem mens à quibusdam eruditis nimis quam sinistre fuit accepta, quasi is doceret; *natura inter homines non societatem, sed discordiam institutam esse: ex quo consequi credunt, ut omnis societas humana contra naturam fuerit institutum.* Conf. *Conring. de civili prudentia* c. 14. in fine. Quod perinde est, ac si dicerem: nulli homini per naturam actu loquela conñascitur, ergo omnis loquela, quæ addiscitur, est contra naturam institutum. Aut, omnes homines per naturam parvuli in lucem producuntur, ergo ut illi adolescant contra naturam est. Aut, homines natura sunt obnoxii morbis, ergo contra naturam est, diætæ & medicamenti morbos antevertere aut depellere. Equidem prima fronte *Hobbesii* doctrina satis paradoxa videtur, præsertim ubi quis ambiguitatem vocabuli *natura* non accurate attenderit. Ne quis tamen per eandem in errorem ducatur, primo observandum fuerit: amorem proprium, & socialitatem haut quidquam sibi invicem opponi debere; sed potius ita temperandas eas inclinationes, ut ne per illum hæc perturbetur aut evertatur. (*Arriani Epictetus* l. 1. c. 19. *ὡς τὴν ἀκωνόωντος ζῆν*). *τὸ πάντα αὐτὸς ἰσχυρὰ ποιεῖν.* *Privata utilitatis studium à communitate non excluditur.*) Istud temperamentum ubi per enormem libidinem fuerit abruptum, & quisque suum commodum quærere instituat cum læsione aliorum, enascitur quicquid est turbarum, quo genus mortaliūm invicem colliditur. Quæ ut declinentur, ipsa salutis propriæ cura jubet socialitatis leges observari, quippe cum illa citra hanc firma subsistere nequeat. Quod autem ex sola propriæ salutis cura *Hobbesius* leges naturales sat argute deduxit; circum eam demonstrationem initio est notandum; id quidem liquido ex illa constare, salutis hominum expedire, ut ab hominibus juxta ista rationis dictamina vita agatur. Non tamen statim ita concludi posse; jus est homini ista media ad sui conservationem adhibere; ergo & ad eadem observanda velut ex lege aliqua tenentur.

Inde ut illa rationis dictamina vim legum accipiant, omnino ex alio principio est deducendum. Deinde id quoque cavendum vehementer est, ne quis inde concludat; ubi quis salutem suam in tuto collocasse sibi visus fuerit, non esse quod aliorum rationem habeat; aut illi pro lubitu posse insultari, qui ad salutem meam nihil confert, vel eidem laedenda non satis habet visum. Nam etiam ideo animal sociabile hominem diximus, quod homines mutua commoda, magis quam ullum aliorum animalium, promovere idonei sint; sicuti & contra nullum animal plus commodi ab homine experiri potest, quam ipse homo. Imo eo magis cujusvis hominis praestantia & perfectio exsplendescit, quo plura ab eodem in caeterorum commodum proficiuntur, eaque ipsa opera nobilissima habentur, summamque sapientiam postulanti: cum contra aliis negotium facessere & nocere etiam nauci & stolidus homo possit. Accedit, quod si propria cuique utilitas unicus scopus recte haberetur, ubi plures eadem in re summam suam utilitatem versari judicent, necessum erit, ut aut plurium scopi contradictionem involventes simul cum recta ratione congruere dicantur, quod est absurdum; aut cum nullus praetendere possit, suum scopum alterius scopo praefendum, necessario fuerit admittendum, non debere hominem ita suam sibi utilitatem pro scopo proponere, quin aliorum quoque rationem habeat. Quin omnia ad suam tantum utilitatem neglectis caeteris trahere aggrediens, & incassum laborabit, cum impossibile sit res omnes & personas secundum voluntates singulorum hominum contraria volentium disponi; & alios in sui perniciem attrahet. Praeterea si illud tantum cuique bonum est, quod ipsius solius utilitati inservit, sequitur caeteris idem malum esse, quia ipso- rum utilitati inservire nequit. Atqui sic idem ab uno adpetetur, abs reliquis oppugnabitur; id quod non potest non collisionibus inter homines ansam praebere. Vid. late *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 5.* Arguit quoque *Baco sermon. fidel. c. 23.* *Centrum plane ignobile est actionum hominis cuiuspiam, Commodum proprium.* Denique si vel maxime ab aliquo neque boni quid, neque mali in me proficisci possit, nihilque in se is habeat quod vel metuam, vel desiderem; tamen & hunc tanquam cognatum aequalem haberi natura vult. Quae etiam sola ratio, si caetera deficere ad amicam societatem colendam humano generi sufficit. Unde si fo-

populus aliquis, internam inter se pacem & justitiam colens, tantisq

P

pollens viribus, ut reliquis omnibus queat esse formidabilis; adeoque ab aliis lædendis haut quidquam isto metu reprimatur, ne fors sua in ipsum exempla recidant: & is tamen populus in alios imbecilliores pro lubitu grassaretur, ageret, raperet, occideret, in servitutem abstraheret alios, prout sibi expedire judicaret, utique ab hoc directe jus naturæ violari dicemus. Et poterat tamen iste, (quod supponimus,) se conservare, etiam si nullum fors jus adversus alios adhiberet. *Cicero de Fin. l. 3. Non magis vituperandus est proditor patriæ, quam communis utilitatis aut salutis defensor propter suam utilitatem aut salutem.* Sicuti nemo latronum vitam ideo probaverit, quod particulam aliquam justitiæ inter se exerceant, & quasdam leges observent: quodque ipsorum princeps æqualiter prædam distribuat, & qui eorum cuiquam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, sibi ne in latrocinio quidem relinquat locum. Vid. *Cicero Off. II.* Atque hoc eo diligentius observandum est, quo liquidius adparet, ad violandum jus naturæ potentissimum quemque induci illa persuasione; ipsum sibi sufficere, salutis suæ jam abunde prospectum; non esse quod adversus reliquos pacificum & amicum sese exhibeat. De cætero uti cura propriæ salutis curam socialitatis non excludit, ita illam cum hac optime stare posse vel ex Salvatoris nostri dicto adparet, ubi jubet nos *proximum diligere, sicut nos ipsos.* *Chrysippus apud Ciceronem Off. 3. Qui stadium currit, eniti & contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertinet ad usum, non iniquum est: alteri surripere jus non est.* Quin & hoc ratio satis dicitur, quod cui salus & conservatio sua cordi est, aliorum curam abdicare non possit. Cum enim nostra incolumitas & felicitas magnam partem à benevolentia & auxilio aliorum dependeat, & vero ea sit hominum natura, ut pro benefactis paria sibi reponi velint, ubi id non fit, animum benefaciendi exuant: utiq; nemo sanus sui conservationem ita sibi pro scopo proponere potest, ut aliorum omnium respectum exuat. Sed potius quo magis se cum ratione amat, eo magis officiis suis ut alii ipsum ament, curabit. Postquam nemo cum ratione sperare potest, homines iis beandis libenter operam impendere velle, quos norunt in se esse malevolos, perfidos, ingratos, inhumanos: sed credendum potius sit, alios homines ad istos coercendos & extirpandos esse incubituros.

§. 17. Deinde non sequitur; singuli homines, quando certis cum hominibus in particularem societatem aut cœtum cœunt, peculiare aliquod commodum spectant, quod exinde sit in ipsos redundaturum; igitur natura humana in universum non est destinata ad socialitatem; aut adversus illum socialis esse non teneor, ex quo singulare aliquod emolumentum mihi non prospicio. Nam hoc sane in aperto est, quod certi homines in certam societatis speciem coalescant, id provenire vel ex peculiari ingeniorum, aut aliarum qualitatuum congruentia, vel quod finem aliquem singularem magis apud hos, quam illos obtinere se posse putent. Præterquam tamen quod regulariter nulli homini conveniat, ut in nulla particulari societate vivat, inter eos quoque, qui non alio quam humanitatis vinculo connectuntur, communis illa socialitas, & pax commiter colenda; quæ in eo fere consistit, ut læsionibus injustis abstineatur, & quantum per arctiores licet obligationes, commoda & bona invicem promoveantur, & communicentur.

§. 18. Unde facile adparet, quid respondendum sit ad istam objectionem: *si homo amaret hominem naturaliter, i. e. ut hominem, nulla ratio reddi posset, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate sibi præceteris honor defertur, aut utilis.* Scilicet confunditur heic communis illa socialitas cum peculiaribus & arctioribus societatibus; communis amor cum illo, qui ex peculiaribus causis provenit. Nam revera ad communem istum amorem nulla alia requiritur ratio, quam quod quis homo sit. Natura quippe ob causas supra dictas revera generalem aliquam amicitiam inter omnes homines constituit, abs qua nemo est excludendus, nisi per immania scelera sese eadem indignum reddiderit. Quamquam autem per Creatoris sapientiam lex naturalis ita humanæ naturæ sit adaptata, ut ejus observatio semper cum utilitate & commodo hominum sit conjuncta, eoque & communis ille amor hominibus maximo bono cedat; tamen in assignanda hujus ratione non ad commodum inde proveniens, sed ad communem naturam solet provocari, v. g. si ratio reddenda sit, quare homo homini nocere non debeat, non solet dici, quia id utile est, etsi revera id sit quam utilissimum; sed quia & alter homo, i. e. à natura cognatum animal est, cui nocere nefas. *Lucianus in Amoris: ἢ κατὰ ταῦτα τῆς φύσεως ζωὸς τὰς μονήρας διατριβὰς ἀσμενίζομεθ*

ἰσχυρῶς, ἀλλὰ πως φιλεταίρῳ κοινωνία συζυγίτες, ἡδὺν ἴα τε ἀγαθὰ σὺν ἀλλήλοις ἡ-
 γνίμιθα, καὶ τὰ θυχερῆ κερφότερα μετ' ἀλλήλων, ἔλας ἡδονὰς κοινωνησάμενοι, μάλ-
 λον ἰσχυρόμιθα. *Non ut bruta animantia solitarias conversationes ama-*
mus, sed amica quodammodo societate conjuncti, & suaviora mutua bona, ad-
versa leviora ducimus: ac voluptates inter nos communicantes majori lati-
tia afficimur. Sic Dio Chrysostomus orat. XII. dicit, Jovem φίλιον ἔταρ-
 τῶν cognominatum, quod omnes homines congreget, velitque inter se esse
 amicos, nullum autem ullius hostem aut inimicum; ἔτιον autem, quod ne ho-
 spites quidem oporteat negligere, μὴ ὃ ἀλλότριον ἡγάδῃ ἀνθρώπων μνήνα. neque
 exterum existimare ullum hominem. Enimvero ad communem illam
 amicitiam complura accedunt, ob quæ majori quis amoris gradu hunc,
 quam illum prosequitur; puta, quod major sit ingeniorum inter ipsos
 circa peculiâres inclinationes congruentia; quod hic magis idoneus sit,
 quam alter, aut proclivis ad commoda ejus promovenda; aut quod pro-
 pius ipsorum origines distent. Cæterum ideo libentius eos frequen-
 tat homo, in quorum societate ipsi potius, quam alteri defertur ho-
 nor & utilitas; quod quisque commoda sua naturaliter non possit non
 amare, siquidem ea recte æstimare norit. Id quod hautquaquam na-
 turæ hominum sociabili repugnat, modo harmonia societatis per i-
 stum amorem non turbetur. Neque enim ideo sociabiles nos esse na-
 tura jussit, ut nostri curam negligeremus. Quin ideo sociabilitas homi-
 nibus colitur, ut per mutuam auxilii atque bonorum inter plures com-
 municationem nostris bonis eo commodius possimus prospicere. Ac
 licet quis, dum societati alicui peculiari sese adjungit, primario suum,
 secundario sociorum commodum, quatenus illud citra hos obtineri
 nequit, ob oculos habeat: id tamen non obstat, quo minus teneatur
 ita studere proprio commodo, ne commodum societatis lædatur, sin-
 gulisve membris injuria inferatur; aut interdum, posthabito proprio
 commodo, bonum societatis curare. Et nihil ad rem facit, quod ad-
 fertur, originem magnarum & durarum societatum; id est, civi-
 tatum non à mutua hominum benevolentia, sed à mutuo metu exti-
 tisse; vocabulo hoc pro quolibet prospectu ac præcautione futuri mali
 sumto. Nam præterquam quod non de origine civilis societatis, sed
 de communi socialitate agatur, etiam illud vel maxime naturæ huma-
 næ conditioni congruit, ut cum singuli aut pauci injuriis futuri essent
 ob-

obnoxii eorum, qui citra alium quemcunque respectum commodis suis imminent, plures inter se uniti adversus ista mala se munirent. Nec id requiritur ad hoc, ut societas aliqua naturæ congrua dicatur, ex sola benevolentia mutua coaluisse. Quæ tamen neque in civitatibus constituendis penitus abest; quippe cum illi saltem, qui prima velut fundamenta illarum ponunt, plerique mutua benevolentia invicem jungantur, etsi fors alii deinceps ex metu his sese associare compellantur. Verum de metu, civitatum velut coagulo, nec non de ista disceptatione, an homo natura sit ζῷον πολιτικόν, infra fusius agetur, quando de origine civitatum erit inquirendum.

§. 19. Cæterum isthoc principium deducendi juris naturalis non genuinum solum & manifestum, sed & sufficiens atque adæquatum esse arbitramur hæcenus, ut non sit ullum præceptum juris naturalis, alios homines spectans, cujus ratio non ultimo exinde petatur. Etsi, quod mox ostendemus, ut ista rationis dictamina obtineant vim legum, necessum sit præsupponere, Deum esse, & per ipsius providentiam tum omnia, tum in primis genus humanum gubernari. Neque enim ad stipulari possumus *Grotio*, qui in *prolegomenis* autumat, jura naturalia locum aliquem habitura, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana. Nam si vel maxime quis impiam istam, & absurdam hypothesin fingeret, ac genus humanum ex se scilicet ortum conciperet; ista tamen rationis dictata tunc nullo modo possent habere vim legis, quippe quæ necessario superiorem ponit. Recte *Cicero* de *natura deor.* l. i. *Atque hæc scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima justitia tollatur.* *Libanius* declam. 3. *ἢ εἰς θεὸς ἀλιγωεῖα πῆσι ἔχεται.* *Numinis despectionem nulla fides sequitur.* Etsi fortasse possent observari intuitu utilitatis, sicuti quæ à Medicis regendæ valetudini præscribuntur. Videtur autem *Grotii* sententia expressa ex illo *M. Antonini* l. VI. §. 44. *Si de nulla re nostra consilia Dii ineunt, quod tamen impium est credere; quidni ego met mihi consulam? Mihi autem deliberatio competit de eo, quod conducatur mihi. Conducit vero unicuique, quod est constitutioni & naturæ ipsius consentaneum. Porro natura mea rationalis & civilis est, civitas & patria, qua Antoninus, Roma; qua homo, mundus; hisce civitatibus quæ utilia, & mihi sunt bona.* Quod autem quidam cruditus vir credidit, ex nostro principio non posse demonstrari saltem

tem virtutem *fortitudinis*, nisi fundamenti loco substernatur simul immortalitas animæ; cum aliàs præmium non possit cadere in eum, qui pro bona causa vitam profundit; id parum habet difficultatis. Quamquam enim aliàs istam negare, aut in dubium revocare impium sit; tamen etiam citra eandem demonstrare licet, militi posse injungi, ut pro patria ad necem usque pugnet. Præterquam enim quod nondum liquido sit probatum, quodlibet recte factum necessario aliquo præmio velut extrinsecum esse mandandum; id sane in confesso est, penes summum imperium esse, cives armare, & in hostem educere pro securitate civitatis, ac, ubi ratio belli postulaverit, sub pœna capitis edicere, ne quis assignatam stationem per fugam deserat. Jam vero ex duobus malis non potest non minus eligere homo. Est vero minus malum, pugnare cum periculo, & ad extremum usque spiritum, quam certam subire mortem. Igitur stultissimus, juxta & ignavissimus foret miles, qui non mallet hostis dextra cadere, anticipata sui ultione, quam carnifici cum ignominia jugulum præbere. Quo adplicari potest illud *Iamblichi in protreptico*: *ὅτι οὐ μείζονον ἰσχυροῦν αὐτῶν ἐστὶν ἀνδραγαθίᾳ ἢ θάνατον, ὅταν ἰσχυροῦνται.* *Metu plurimum matorum sustinent, qui ex illis fortes sunt, mortem, quandoque sustinent.* Sufficere autem videtur, ut quocumque intuitu aliquis acriter & connixus omnibus viribus pugnet; neque ad conservationem civitatum, aut societatis inter hominem in universum requiritur, ut omnibus insit firmitas animi, terrore mortis concuti nescia; quæ sane non in quasvis animas cadit. Quid quod fortitudinis usus non in eo solum conspicitur, ut mors ubi opus sit, intrepide subeat, sed vel præcipue ut mortis periculum acriter propulsetur. Nam & sæpe non aliud remedium periculorum, quam pericula sunt; & mors etiam fugacem persequitur virum, nec parcat imbellis juvenæ a poplitibus timidoque terga. Neque vero sequitur, nisi immortalitas animæ supponatur, collocandum hominis summum bonum in voluptate. Nam præterquam quod in disciplina juris naturalis, hoc modo adornata, immortalitas animæ non negatur, sed duntaxat ab eadem abstrahitur, voluptas illa corporis, quæ vulgo Epicuri summum bonum dicitur, ad conservationem, socialitatem, pacem, & tranquillitatem generis humani non facit, sed potius eidem adversatur. Alia autem est indoles, alius scopus religionis Christianæ ab hac disciplina juris naturalis; eoque recte Apostolus miserrimos dicit fore Christianos omnium mortalium, si in hac tantum vita in Christum sperarent.

§. 20. Enimvero ut isthæc rationis dictamina vim legis obtineant, sublimiori principio opus est. Quanquam enim eorum utilitas sit longe manifestissima; illa tamen sola tam firmum animis hominum inducere vinculum non valebat, quin ab istis discendi posset, si cui utilitatem eam negligere allubesceret, aut alia se via utilitati suæ magis consulere posse arbitraretur. Neque vero nudis suis destinatis ita obstringi potest voluntas hominis, ut in diversum, quandoque libitum fuerit, discedere nequeat. Sed & licet plures homines, in naturali libertate constituti, ad ista dictata servanda conspiraverint; diutius tamen eadem haut quidquam subsistent, quam ipsorum consensus duraverit. Neque solum si omnibus, qui conspiraverunt, simul discedere placuerit, obligatio expirabit; (sicuti jam, quando à pactis mutuo dissensu resilitur, fieri solet;) sed etiam durante eo consensu vis obligandi deerit; quippe cum illud dictatum rationis de servandis pactis nondum vim legis induerit, id quod supponitur; adeoque etiam singulis pro libitu, cæteris licet dissentientibus, ab ejusmodi placito licebit abire. Denique ne solum quidem imperium humanum iisdem vim obligandi tribuere posse videtur. Nam cum illud exurgere nequeat, nisi mediantibus pactis, hæc vero ex lege vim suam mutuentur; non adparet, quomodo enasci possit imperium humanum, vim obligandi afferre valens, nisi dictamina rationis prius in legem evaluerint. Aut si maxime fingere velis, imperiū humanū solo hominū consensu stare, ac per illud dictamina rationis pro legib⁹ observanda injungi: tamen non ampliorem, quam leges positivæ, vim eadem obtinerent, quæ à voluntate legislatoris in origine & duratione dependent. *Conf. Seldenus de J.N. & G.l.l.c.7.* Igitur omnino statuendum est, obligationem legis naturalis esse ab ipso Deo Creatore, ac summo generis humani moderatore, qui homines creaturas suas ad istam observandam pro imperio adstrinxit. Atque hoc ipsum ex lumine rationis demonstrari potest. Deum universi hujus conditorem ac rectorem esse, cum à sapientibus dudum sit manifeste ostensum, & nemo pius id in controversiam vocet, jam supponimus. Hic cum naturam rerum & hominis ita formarit, ut hic citra sociabilem vitam servari nequeat, eaque de causa eidem indiderit animum, notionum huc inservientium capacem; easque notiones per motum rerum naturalium, ab ipso tanquam primo moto-

re pro-

re profectum, animis insinuet, earumque necessariam connexionem ac veritatem perspicue representet: intelligitur sane Eundem quoque voluisse, ut homo actiones suas attemperet illi velut indoli, quam vitæ hominum præ brutis peculiariter ipse assignasse cernitur. Cum autem non aliter, quam observata lege naturali, id obtineatur; intelligitur quoque à Creatore obligatum hominem ad isthanc servandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, sed expresse ab ipso Creatore huic fini procurando constitutum. Qui enim alicui pro imperio injungit finem, censetur quoque eundem obligasse ad usurpanda illa media, sine quibus finis non potest obtineri. Vid. *M. Antoninus* l. IX. §. 1. *Socialem autem vitam pro imperio mortalibus à Numiæ injunctam esse, non inde solum patet, quod ea sit conditione jam præditum genus humanum, ut, ni hæc persuasio firma subsistat, salvum illud existere nequeat; quodque adeo voluntate primæ causæ factum sit, ut exactibus lege naturali præceptis humani generis felicitas, & ex vetitis ejusdem infelicitas naturali consecutione proveniret: sed & quod in nullo animantium præter ipsum ullus religionis sensus, aut metus Numinis deprehendatur. Quo accedit tener admodum conscientiæ sensus in animis hominum non corruptorum, quo convincuntur in legem naturæ peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium est, & qui metuendus sit, etiam ubi ab hominibus metus non impendat. Huc spectat illud Taciti A. 6. de Tiberio: adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus, & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Cicero de Finibus l. 1. Si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi esse & muniti videntur, deorum tamen numen horrent; easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exceduntur, à diis immortalibus supplicii causa importari putant. Seneca apud Lactantium l. 6. c. 24. Demens, quid tibi prodest non habere conscium, habenti conscientiam? Albricus de Deorum imaginibus: Nunquam malitia libera frontis est. Add. Juvenalis sat. 13. Contra de bona conscientia Martialis l. X. Ep. 23. Ampliat atatis spatium sibi vir bonus: hoc est Vivere bis,*

vita posse priore frui. Add. *Philostratus de vita Apollonii Thyaneii*. VII. c. 17. Habuissent porro leges naturæ perfectam vim obligandi hominem, licet Deus eas nunquam in verbo quoque revelato proposuisset. Tenebatur enim homo Creatori suo obtemperare, quocumque demum modo voluntatem ipsi suam ostendisset. Nec ut rationalis creatura summi rerum arbitri imperio se subiectam sentiret, peculiaris revelatio absolute necessaria erat. Quin nemo negaverit, eos quoque, quæ Scripturæ sacræ non innotuerunt, in legem naturæ peccasse: quod dici non posset, si quidem ea vim legis ex promulgatione per Scripturas facta demum mutaretur. Unde non possumus probare illud *Hobbesii* c. 3. §. ult. *Cum natura, quæ vocantur, leges nihil sint aliud, quam conclusiones quadam ratione intellectæ, de agendis & omittendis: lex autem proprie loquendo sit oratio ejus, qui aliquid fieri vel non fieri alius jure imperat: igitur non esse illas proprie loquendo leges, quatenus à natura procedunt; sed duntaxat quatenus à Deo in Scripturis latae sunt.* Enim vero nos de essentia legis non arbitramur, ut sit oratio, seu ut per vocabula in orationem formata subjectis innotescat; sed sufficit, si quocumque modo, etiam interiori mentis dictamine, aut ex conditione naturæ aut negotii, quod gerendum, superioris voluntas colligatur atque cognoscatur. Sicuti *Ipsè* d. l. c. XV. §. 3. agnoscit, *Dei leges triplici modo declarari; primo per tacita recta rationis dictamina.* &c. Sed & leges naturæ ratiocinando eruatæ non nisi per modum propositionum possunt concipi; eoque respectu recte propositiones vocantur. Quemadmodum autem nihil interest in legibus civilibus, scripto, an viva voce promulgentur: ita lex divina æque obligabit, sive per ipsum Deum visibili specie, & humanæ vocis sonitu assimilato, sive per sanctissimos viros, peculiari divinitus instinctu animatos, mortalibus innotuerit; sive denique per naturalem rationem ex contemplatione humanæ conditionis eruatur. Neque enim ratio proprie loquendo est ipsa lex naturæ, sed medium, quo rite usurpato illa cognoscatur. Modus autem legem promulgandi ad ipsius substantiam intrinsecam nihil pertinet. Licet porro planior & velut compendiosior modus sit alteri voluntatem suam revelandi, si quis eam propositionibus per vocabula expressis alterius sensibus ingerat: tamen & hoc sufficienter revelatum censetur, cujus colligendi & per congenitam ratiocinandi facultatem eruendi occasio quasi inevitabilis fuit præbita. Sicut utique homo, cui beneficio Creatoris

datum.

datum est actiones tam proprias quam alienas comprehendere, ac de eadem congruentia ad naturam humanam judicare, non potest non, politis aliis hominibus, de ista actionum congruentia cogitandi ansam accipere. Add. *Rich. Cumberland de Leg. Nat. c. 1. §. 11. & c. 5. §. 1.* Quamquam autem ut lex obliget, necessum sit, eam subiectis innotescere, legem autem naturalem ex dictamine rationis deducere, ejusque fundamentum & necessariam cum humana conditione connexionem intelligere non sit cujusvis: non tamen ideo aut lex naturalis omnes homines obligare definit, aut eadem ex lumine rationis nota dici nequit. Nam ut lex obliget, popularis dumtaxat & simplex notitia sufficit, neque artificiosa ejusdem demonstratio ac deductio ad hunc finem requiritur. Ac licet probabile sit, primis mortalium præcipua juris naturalis capita à Numine fuisse tradita, quæ deinde disciplina & assuetudine fuere in alios propagata: naturalis tamen nihilominus ejus juris poterit dici notitia, quatenus ejusdem necessaria veritas ex ratiocinatione seu usu naturalis rationis colligi potest. Eo ipso autem, quod propositiones legem naturalem representantes, ex contemplatione naturæ rerum animis hominum insinuantur, eo ipso ad autorem naturæ Deum referuntur. Add. *Rich. Cumberland de Leg. Nat. c. 1. §. 10.* Cæterum originem naturalis juris ad Deum refert præstantissimus quisque sapientum. *Plutarch. de auditione: Τὸν θεὸν ἴσως οὐδ' ἐστὶ πείθειν λόγῳ.* Idem est Deum sequi, & parere rationi. Pulcre cum primis Cicero l. 3. de republ. apud *Lactantium l. 6. c. 8.* Est quidem vera lex, recta ratio, natura congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet ad officium jubendo; vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huc legi nec obrogari fas est; neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpret ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes, & omni tempore una lex & sempiterna, & immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur; hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. *Sophocles Oedipo tyranno: νόμοι ὑψιποδίστη ἕγαυραν δὲ ἀϊθέρα θεοῦ δέντις ὡς ἄλυμα πατὴρ μὲν, ἕδ' ἐστὶν θεὰτὰ φύσις ἀνίγει ἔτιπτιν.* Leges ex-

celsa, quæ cœlitus data sunt, quarum solus Deus pater est, neque eas mortalis hominum natura peperit. Add. *Seldenus de J.N. & G. l. i. c. 3.* Ubi ostendit, etsi gentiles per depravatos hominum mores ipsa juris naturalis capita à gentibus interdum violari, & iniquis constitutionibus velut obrui agnoverint: tamen ἢ αὐτοδίκαιον, sive quod revera est justum ex deorum præscripto, perpetuo sibi simile manere, parilem semper obligationis vim habere, ipsos fuisse persuasos. Ex quo fonte promanavit communis illa opinio gentilium de suppliciis impiorum apud inferos, quæ illos manerent, qui immania scelera contra jus naturæ commisissent. Nam cum pœnas violati juris naturalis à diis exigi crederent, sane & eosdem illius juris autores credidisse certum est. Sicuti etiam vice versa optimo cuique gentilium persuasum fuit, bonis viris virtutem non citra favorem Numinis exerceri. *Jamblichus protrept. c. 13.* Ἐν τῷ ἐν ἑσπερο διαγεῖσθαι δὲ ἀληθῆς, ὅτι ἐὰν ἴσῃ ἀνδρὶ ἀγαθῷ καὶ ἐὶν ἕτερον ζῆντι, ἕτερον ἡλιούσσαντι. ἕτερον ἀμειβῆναι ἐπὶ θείων ἰσῶν πρᾶγματα. Hoc unum igitur verum cogitandum est, non eventurum viro bono ullum malum tam viventi, quam mortuo: neque negliguntur hujus viri res ab diis immortalibus. *Euripides Ione:* Εἰς ἡλιούσσαν πᾶσι θεοὶ συγγράμουν ἀξίω, οἱ κακοὶ δὲ, ὡσπερ πικύκασ', ἕσποτ' ἐυπράξῃαν ἄν. Tandem quæ merentur boni consequuntur: mali autem, ut digni sunt, nunquam felices erunt. Deinde docet, apud veteres Christianos constantem opinionem viguisse, etiam in intervallo, creationem inter, & decalogi promulgationem, jura naturalia & universalia à Deo humano generi lata fuisse, quæ postea corpori legum Mosaicarum sint inserta. Inde elegans annotatio *Chrysostomi orat. 12. ad pop. Antioch.* Deum ideo legibus de honore parentum, de homicidio, adulterio, furto nullam addidisse rationem, quod illa jam antea tanquam juris naturalis capita fuerint quam notissima. Ast præcepto de sabbatho, quia positivum, sollicitè rationem ad junctam. Addatur quoque *Ibid. c. 9. & l. 7. c. 9. 10.* Denique quasvis leges à religione maximam firmitatem sumere sapientissimi quique leges intellexerunt, quibus à cultu Numinis leges suas auspiciari solenne est. Vid. exordium legum Zaleuci apud *Diodorum Siculum l. 12. c. 21.*

§. 21. Operæ pretium quoque est, super sanctione legis naturalis paulo curatius dispicere. Ubi præter ea, quæ supra de sanctione legum in genere tradita sunt, præmittimus, bona juxta atque mala, quæ hominibus obveniunt, in tres posse classes dividi. Ac bonorum quidem alia ex libe

Contra ex violatione ejusdem legis per naturalem connexionem oritur inquietudo conscientiae, perturbatio, & corruptio animi, destructio corporis, ac infinita mala, quae ab irritata violentia aliorum hominum, & à subtractione auxilii eorundem provenire possunt. *Marcus Antoninus* l. 9. §. 4. ὁ ἀδικῶν ἑαυτὸν κακοῖ, καὶ ὁ ἑαυτὸν ποιοῦν. *qui injuste agit, sibi nocet, dum malum se facit.* *Cicero* de homine perduto : *ulciscuntur illum mores sui.* *Proverb.* V. 9. 10. 11. VI. 33. 34. 35. XII. 13. XIV. 14. 22. 32. 34. XVII. 13. XIX. 29. XX. 1. XXII. 5. XXIII. 20. 28. seqq. *Sirac.* XIX. 3. XXXI. 22. seqq. 39. 40.

Quaquam autem hæc præmia, & mala, quibusdam ideo parum certo ex actionibus bonis atque malis provenire dicantur, quod & multis pro benefactis odium, invidia, & alia mala reponantur, alii contra scelerum suorum fructu, impune gaudeant; adeoque infallibiliter non præsciatur pro meritis nostris pauca nobis ab aliis hominibus expositum iri, (nam qui in nobismetipsis producit fructus, nunquam intercipitur:) id tamen certum est, ex bonis & justis actionibus commoda tanta cum certitudine sequi, quanta ex oppositis vitiis cum ratione sperare non possumus. *Proverb.* XI. 31. Ac licet non semper omnia illa bona consequantur, quae aliàs per rerum naturam consequi idonea erant; evidens tamen probabilitas est, illorum non pauca secutura, aut saltem plura, quam ex malis actionibus sperari possunt. Et sic hoc modo salutis nostrae longe melius consulimus, & longe probabiliorem spem concipere possumus, fore ut ab aliis vicissim quid ad emolumentum nostrum conferatur, quam si nullo ad ceteros homines habito respectu ad solam nostram utilitatem omnia referremus; multoque magis, si vi doloque adversus alios adhibita ex ipsorum damno lucrum nostrum quaerere institueremus. Hoc modo igitur valor præmii ex bona actione oriundi omnibus recte perpen-
 sis excedit lucrum ex actu legi contrario oriturum. Bene tamen observandum, heic ubi de naturali effectu actionum bonarum ac malarum agitur, non attendi illa bona & mala, quae supra ad primam classem referebamus, & quae consilio & industria nostra vel non possunt acquiri, vel non possunt evitari. Hæc enim bonis æque ac malis accidere possunt & solent. Sic malus corpus vegetum ac firmum, bonus debile ac morbis obnoxium à natura sortiri potest. Sic mors nunc bonos æque ac malos rapit. Verum illa tantum heic æstimantur, quae à ratione humana provideri possunt, velut aliquatenus dependentia ab actibus nostris.

stris. Cæterum quanquam pars bonorum, quæ per observationem legis naturalis ab aliis hominibus obrinere intendimus, à benevolentia & probitate aliorum dependeat, adeque non plane fiat in nostra potestate: tamen cum & ipsos probabile sit eundem nobiscum finem habere, saltem ut plurimum isti effectus ab aliis dependentes erunt sperandi, etsi in antecessum non ita accurate possint determinari. Ex vix ullus tam infensos sibi homines expertus est, ut non plurima aliorum benevolentia se agnoscat debere. Sane mala, quæ ab hominibus provenerunt, nunquam evalescere potuerunt ad totius generis humani destructionem: quod indicio est, actiones bonas sæpius effectu suo fuisse potitos, quam eodem excidisse. Sic & licet quandoque eum, qui leges naturales negligit, per improvisum concursum causarum externarum multa bona ab aliis hominibus velut ultro inudent: tamen quia illi effectus hoc casu respectu illius sunt mere contingentes, & quidem raro, patet, rationem actus eductentes non præscribere, nedum ut lex tale quid præcipiat. Quin ratio satis evidenter docet, ad felicitatem longe probabilius conducere, ut è proviso fine, mediisque quæ possumus optimis adhibitis agamus, quam ut seposito consilio nos totos incertæ rerum alex committamus. Verum isthæc planissima sunt, & in primis à *Rich. Cumberland de legibus naturæ* diligenter admodum demonstrantur. Igitur illa quæstio restat, num præter illos effectus naturales actionum malarum, & qui ex sanctione legum civilium oriuntur, sint alii adhuc arbitrio Numinis constituti, manu velut regia exercendi; seu num etiam poena arbitraria leges naturales à Numine sint sancitæ; præsertim postquam animadvertitur, effectus malarum actionum naturales quandoque intercipi, & quibusdam scelera sua ex parte lucro cedere? Ubi quid Sacræ Literæ heic definiant, in aprico est. Sed & in affirmationem hujus quæstionis inclinat antiquissima, & latissime diffusa plerasque apud gentes traditio de Nemese divina, deque poenis inferorum. Quo facit *Jona I. 7. Actor. XXVIII. v. 4.* ubi nulla sane naturalis erat consecutio inter delictum à Jona patratum, & procellam in mari exortam, & inter homicidium & morsum aspidis; igitur nautæ Palæstini, & Melitenses utique præsupponebant, manu velut regia scelera divinitus vindicari. Add. *Grotius de veritate Relig. Christi. l. I. §. 19. 20. 21. 22. & l. II. §. 9.* Et sane cum constet, Deum velle, ut istæ leges ab hominibus observentur, & vero adpareat, à quibusdam effectus earum natu-

rales, saltem ex parte eludi: valde probabile est, Deum alia via malitiam istorum multaturum; præsertim cum morsus conscientiæ & defectus securitatis, in quo facinorosi versantur, magnitudinem scelerum aliquando exæquare non videantur. Add. *Cumberland de leg. nat.* cap. V. §. 25. Verum quia ratio à priori non plane videtur apodictica, sed tantum valde probabilis, ac quia arbitraria ista pœna præsupponit positivam voluntatis divinæ determinationem, quam citra peculiarem Dei revelationem assequi vix datur; & inductio aut experientia adhuc imperfecta est: effugere non possumus, quin fateamur, solum rationis lumen sequentibus hanc quæstionem obscuri adhuc quid habere.

§. 22. Circa materiam legis naturalis *Grotius l. i. c. i. §. 10.* observat, multa vulgo juris naturalis dici non proprie, sed *reductive*, quibus jus illud non repugnat; sicut iusta adpellantur non solum, quæ ex iustitia debentur, sed etiam quæ cum iustitia non pugnant; quamquam ista melius vocares permixta. Commodius tamen fortasse istam distinctionem applicaveris ad illa instituta, quæ pro certo statu generis humani ratio pacis & tranquillitatis introduci svasit, & ad actus, qui ex institutis istis suscipiuntur atque exercentur. Nam & ejusmodi quæstiones inter Juratos agitari audias, v.g. an dominia rerum, an usucapio, testamenti factio, emptio venditio, sint juris naturalis? Ad quas adposite responderi non potest, nisi separaveris ea, circa quæ jus naturæ disponit præcipiendo aut vetando, ab illis, quæ ratio socialitatis ab hominibus institui svasit, aut quorum suscipiendorum licentia ex istis institutis immediate profluit; ut hæc reductive ad jus naturæ dicantur spectare. Sic dominium rerum à natura quidem immediate non est, neque expressum aliquod ac determinatum præceptum illi introducendo fingi potest; juris tamen naturalis dicitur, quatenus conditio & pax multiplicati generis humani primævam communionem non amplius tulit. Sic ut usucapio sit, disertum legis naturalis præceptum non extat: positus tamen distinctis rerum dominiis, tranquillitas generis humani eidem favebat, ne dominia semper forent in ancipiti. Sic ultimas voluntates edere, emere aut vendere, naturam nemini præcipit; sed exposito dominio naturaliter consequitur, ut moriturus de bonis suis disponere, aut ut quisvis suas res alienare, aut alienas per contractum acquirere possit. *Idem* de in
d. l.

d.1. monet, interdum abusive dici juris naturalis, quæ ratio quidem dicitur esse honesta, & meliora suis oppositis, etsi proprie non sint debita. Cujus generis sunt multi actus generosioris & communem modum supergressæ liberalitatis, misericordiæ & mansuetudinis, & quando quis præter necessitatem de jure suo remittit. Quæ illustrantur per illud Apostoli *1. Corinth. X. 23. VI. 12. VII. 38.* Sic & *Vlpianus l. 4. §. 1. D. de alien. jud. mut. caus. Non tamen ejus factum improbat prætor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sapius litigaret: hac enim cogitatio ejus, qui lites execratur, non est vituperanda.* Sic Socrates nebulonem, à quo injuria fuerat affectus, in jus noluit vocare, æstimans eam, velut asinus ipsum calce ferisset. Sic Cato, cum illi os percussus esset, non excanduit, non vindicavit injuriam; ne remisit quidem, sed factum negavit. *Melius putavit non agnoscere, quam vindicare. Seneca de Ira l. 2. c. 32. & de Constantia sapientis. c. 14.*

§. 23. Est denique & illud heic expendendum, an detur peculiare jus gentium, positivum, & juri naturali contradistinctum? Super hac re enim inter eruditos non satis convenit. Multis jus naturæ & jus gentium in se unum & idem habetur, quod extrinseca duntaxat denominatione differat. Inde & *Hobbes. de Cive cap. XIV. 4. 5.* naturalem legem dividit in naturalem hominum, & naturalem civitatum, quæ vulgo jus gentium adpellatur. Præcepta utriusque, addit, eadem sunt: sed quia civitates semel instituta induunt proprietates hominum personales, lex, quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus sive gentibus, vocatur jus Gentium. Cui sententiæ & nos plane subscribimus. Nec præterea aliud jus gentium voluntarium seu positivum dari arbitramur, quod quidem legis propriæ dictæ vim habeat, quæ gentes tanquam à superiore profecta stringat. Add. *Bæcler. ad Grat. l. 1. c. 1. §. 14. & ad l. 2. c. 4. §. 9.* Inde nobis revera non contradicunt, quibus jus naturæ id vocare placet, quod in conformitate cum natura rationali consistit; jus gentium autem, quod ex rationis indigentia nostræ, cui quam maxime per socialitatem succurritur, fluit. Nam nos positivum aliquod jus gentium, à superiore profectum, negamus. Quæ autem ex indigentia humanæ naturæ colliguntur, ad jus naturale referimus, quod ideo ex conformitate cum natura rationali deducere nolimus, quia hoc modo ratio constituitur norma sui ipsius, & quæ isthac viâ suscipitur demonstratio legum naturalium,

in circulum revolvitur. Pleraque autem, quæ apud Jctos Romanos, aliosque ad jus gentium referuntur, puta circa modos acquirendi, contractus, & alia, vel ad jus naturæ pertinent, vel ad jus civile singularum gentium, quod istis in rebus, quæ alias universali & ad totum genus humanum pertinente ratione non nituntur; apud complures conspirat. Ex quibus tamen peculiaris species juris non recte constituitur; quippe cum ista jura gentibus inter se sint communia non ex aliqua conventionem aut obligationem mutua; sed ex placito peculiari legislatorum in singulis civitatibus per accidens conspirant. Unde & eadem ab uno populo inconsultis aliis mutari possunt, ac sæpenumero mutata deprehenduntur. Quanquam neque plane rejicienda videatur sententia *Feldeni ad Grot.* l. 2. c. 2. §. 20. & c. 8. §. 1. ubi tradit, quod Jctis Romanis jus gentium sit facultas ad actus & negotia peregrinis in civitate Romana competens; jus civile autem proprium sit civium, peregrinos excludens. Unde testamenta & matrimonia dici juris civilis, contractus autem juris gentium; quod illorum soli cives, horum autem etiam peregrini Romæ participes essent. Apud multos quoque sub vocabulo juris gentium venire solent quædam consuetudines, inter plerasque gentes, saltem quæ cultiorum & humaniorum sibi famam vindicant, potissimum circa bellum tacito quodam consensu usurpari solitæ. Postquam enim etiam cultiores inter gentes maximum fuit decus habitum, bello gloriam querere, i. e. in eo præstantiam suam præ cæteris hominibus ostendere, quod quis multos homines auderet, & dextre calleret perdere, adeoque in bella non necessaria, aut injusta vulgo est procursum: ne ambitionem suam invidiæ nimis exponerent magni bellatores, usurpata omni licentiâ justî belli, humanitatis, & magnanimitatis quadam specie bellorum atrocitatem temperare multis populis est visum. Unde ortæ consuetudines circa exemptiones certarum rerum & personarum à vi bellica, modum nocendi hostibus, modum tractandi captivos, & similia. Nescio tamen, an viros militares satis deceat mos, ab Alberico Comensi è Flaminia introductus, & in Italia superioribus seculis usitatus, inter equestrem militiam mercenariam. *Quo in id maxime omni industria incumbendum contenderrant, ut à se atque à militibus omnem laborem & metum adimerent, ne ulla cades fierent, capi tantummodo utrinque liceret, & sine ullo pretio dimitti. In objecta sibi oppida noctu tormenta bellica non emitterentur; nec item qui in oppidis essent,*

CAPUT III.

essent, intencoria jacerent. *Castra præterea nullo vallo, nullavè fossa cingebantur; nec illa hibernis temporibus habebantur. Hac omnia in eorum militaribus, atque ab ipsis inventis institutis permissa erant. Machiavellus Principe c. XII.* Cui non dispar conventio inter Eretrienfes, & Chalcidenses, ne missilibus telis invicem uterentur, legitur apud *Strabonem* l. X. Quo referre quoque possis Indorum morem, quo per intestina bella agricolæ ab omni noxa liberi præstabantur. *Arrianus in Indicis.* Cæterum consuetudines illæ licet videantur continere obligationem ex pacto saltem tacito ortam; tamen si legitimum bellum gerens eas neglexerit, iisdemque se nolle teneri professus fuerit, modo contrarium earundem per jus naturæ recte fieri possit, nullius alterius peccati arguetur, quam cujusdam ruditatis; quod quis sese ad numeros velut eorum non composuerit, queis bellum inter artes liberales habetur. Non secus atque imperitæ inter gladiatores accusatur, qui alterum non juxta regulas artis vulneraverit. Igitur si quis iusta gerit bella, solo naturæ jure, neglectis illis consuetudinibus, ea potest regere; nî forte ob commodum aliquod suum easdem malit observare, ut & ipse hostem in se suosvè minus scquitur, ut saltem cum aliquo temperamento scelestus sit. Quæ tamen rationes cum generales non sint, jus aliquod universale, & quod omnes stringit, constituere nequeunt. Præsertim cum quilibet iis, quæ non nisi tacto consensu nituntur, exsolvere se posse videatur, si expresse profiteatur, se illis nolle teneri, seque non recusare, quo minus & cæteri istas consuetudines successu temporis exoluisse, aut adversum istis morem invuluisse. Nec est quod non nemo quireretur, quasi hac doctrina securitatis, utilitatis, aut salutis gentium præsidia destruantur; quæ sane non in illis consuetudinibus, sed in observantia juris naturalis, longe utique sanctioris, posita sunt. Quo incolumi istas non magno pere desiderat genus humanum. Quod si autem aliquis mos ad jus naturale referatur, e jus dignationi sane longe magis consulitur, quam si ejus origo ad simplicem gentium conventionem referatur. Inter præcipua capita juris gentium voluntarii *Grotius* numerat jus legationum. Ubi arbitramur, ipso jure naturæ legatos esse inviolabiles, etiam apud hostem, siquidem speciem legatorum, non speculatorum præ se ferant; quamdiu in eum, ad quem

quem missi sunt, hostilia non moliuntur; etsi fors ordinario modo per tractatus domini sui commodum præ alterius commodo quærant. Cum enim ejusmodi personæ sint necessariæ ad pacem conciliandam, servandam, aut arctius per foedera & pacta adstringendam, quam ipsum jus naturæ omnibus modis honestis amplecti jubet; utique & cavisse censetur idem jus securitati personarum, sine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit. Add. *Marselaer Legato*. l. 2. c. 13. Cui conjunctum est, ut legati saltem circa ea, quæ officium ipsorum spectant, sint exempti à jurisdictione & coactione ejus, ad quem mittuntur: cum alias nulla relinqueretur facultas legatis eo, quo decet, studio pro emolumētis domini sui nitendi, si alteri, præterquam huic eo nomine rationem tenerentur reddere. At vero quæ alia vulgo legatis tribuuntur privilegia, iis præsertim, qui magis ad expiscanda alterius reip. secreta, quam pacis gratia, in aliquo loco hærent; illa ex mera ejus, ad quem mittuntur, indulgentia dependent, adeoque si commodum videatur, citra violationem ullius juris denegari ipsis possunt; si modo is pati velit, ut sui quoque pari modo tractentur. Jus quoque sepulturæ, quod itidem peculiare caput juris gentium apud *Grotium* videtur facere, ad officia humanitatis referri potest. Add. *Ant. Matth. de crimin. proleg.* c. 3. §. 5. Neque cætera tanti sunt, ut peculiarem juris speciem constituere debeant, cum sat commode in systemate juris naturalis locum sortiri queant. Sed quod non nemo ad jus gentium quoque referre instituit peculiariter conventa duorum pluriumve populorum, foederibus & pacificationibus definiti solita, id nobis plane incongruum videtur. Etsi enim illis stare lex naturalis de servanda fide jubet, legum tamen & juris vocabulo valde improprie veniunt. Et præterea infinita, ac magnam partem temperaria sunt. Quin nec magis partem juris constituunt, quam quam pacta singulorum civium inter se ad corpus juris civilis spectant; cum potius historia sibi eadem vindicet. Add. quoque *Seldenus de mari clauso* l. 1. c. 2. De jure non scripto, seu consuetudine præter alios vid. *Bacler. ad Grot.* l. 2. c. 4. §. 5.

§. 24. Distributio juris naturalis isthæc nobis videtur expeditissima, ut primo loco consideretur, quomodo istius jussu quis sese debeat gerere adversus *seipsum*; deinde, quomodo adversus *alios homines*. Præcepta juris naturalis, quæ alios homines spectant, iterum possunt dividi in *absoluta* & *hypothetica*. Illa sunt, quæ omnes homines in quovis statu obligant

gant, ac citra positionem alicujus instituti, per homines introducti aut formati. Hæc autem certum statum aut institutum, per homines formatum aut receptum, præsupponunt. Quod Grotius d. l. sic expressit: *ius naturale non de iis tantum agit, quæ citra voluntatem humanam existunt, sed & de multis, quæ voluntatis humana actum consequuntur.* Unde licet dominia rerum, qualia nunc sunt, voluntas humana constituerit; iis tamen positum ipsum ius naturale dicitur, nefas esse alienam rem invito domino subtrahere. Vid. l. 1. §. 3. D. de furtis l. 42. D. de verb. sign. Scilicet multa dantur, quæ quoad exercitium actus arbitraria sunt, seu tibi in arbitrio hominum positum est, actum aliquem suscipere velint, vel non; verum quando actus ille fuit susceptus, ex aliquo præcepto juris naturalis necessitas moralis seu obligatio ipsum consequitur, aut ex eodem modo & circumstantiæ determinantur. Sic v. g. etsi ius naturæ non præcipiat, ut ab altero emam;posito tamen, me libere emere, idem jubet, ne alterius clamno lucrum meum quæram, neque in contractu eundem defraudem. Sic plurima sunt juris naturalis præcepta, quæ nisi posito dominio rerum distincto, atque imperio civili non intelliguntur, neque locum habent. Ex quo tamen non conficitur, omnes quoque leges positivas esse juris naturalis; eo quod per consensum nostrum alterius mos summo imperio subdamus, cujus iussis ut pareamus, ipsa lex naturæ præcipit. Equidem id certum est, violatores legum civilium propter intercedens istud pactum mediate in ipsam quoque naturæ legem peccare. Est tamen ingens adhuc discrimen inter leges naturales hypotheticas, & civiles positivas; quod illarum ratio petitur ex conditione humani generis in universum considerati; harum autem ratio desumpta est ex peculiari certæ alicujus civitatis utilitate, aut ex nudo legislatoris arbitrio. Adeoque leges civiles positivæ præcepta juris naturalis hypothetica non sunt, sed ex præcepto hypothetico vim obligandi in foro humano mutantur. Eorum autem institutorum, quibus præcepta hypothetica nituntur, tria potissimum deprehendimus, *sermonem, dominium rerum, easundemque pretium, & imperium humanum.* Et secundum hanc partitionem nobis deinceps hæc disciplina tractabitur.

DE PRÆSTATIONIBUS HOMINIS ADVER-
SUS SEIPSUM TAM CIRCA CULTURAM ANIMI,
QUAM CURAM CORPORIS ET
VITÆ.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Homini cultura sui est necessaria.</i> | 10. <i>Quantum circa opes;</i> |
| 2. <i>Circa qua ista versetur.</i> | 11. <i>Et circa delectationes.</i> |
| 3. <i>Animus primo religione imbuendus.</i> | 12. <i>Affectus ratione regendi.</i> |
| 4. <i>Ei adversantes opiniones extirpan-
da.</i> | 13. <i>De studiis literarum.</i> |
| 5. <i>Notitia sui est necessaria.</i> | 14. <i>De cura corporis.</i> |
| 6. <i>Noscendus homini suus animus, su-
umque officium;</i> | 15. <i>De usu vitæ.</i> |
| 7. <i>Et quousque vires ipsius se exten-
dant.</i> | 16. <i>An sit aliqua obligatio ad servan-
dam vitam.</i> |
| 8. <i>Supra vires non nitendum.</i> | 17. <i>Vita quatenus in aliorum usus im-
pendenda:</i> |
| 9. <i>Quantum circa existimationem
laborandum:</i> | 18. <i>Aut pro altero periculo exponen-
da.</i> |
| | 19. <i>An propria cades sit licita.</i> |

ET si homo cum cæteris animantibus hoc commune habeat, quod sua conservatio curæ ipsi sit, ac ut quam optime sese habeat, ultro gaudeat: tamen quod ea cura longe exquisitior & sublimioris indolis esse debeat, quam qua bruta defunguntur, causa est non solum, quod ille præ his longe plura accepit, eximiam & fructuosam culturam admittentia; sed etiam quia præstationes, queis obstrictus est, decenter obire nequit, nisi cultura insitam facultatem promoverit, ac egregiis actionibus habilem reddiderit. Inde quod operæ circa seipsum excolendum sumit homo, non in ipso solo terminatur, sed fructum suum quam maxime in genus humanum diffundit; & quo præstantior quis sibi ipsi fuerit, eo nobilior hujus universi civis, & munificentior habetur. Eoque homo leges socialitatis, cui à Creatore destinatus est, implere studens, merito primam circa seipsum operam collocare debet, eo felicius officii adversus alios satisfactorius, quo curatius circa sui perfectionem laboraverit. Et qui sibi est ipse inutilis ignavusque, ab eo cæterum quidquam

CMO-

emolumentum quid expectaverint. Habet autem ista cura non minus necessitatis, quam sollicitudinis, quod non solum in summa omnium rerum ignorantia nascantur homines, quorum teneri adhuc animi facile pravarum opinionum sordibus imbuti possunt, quas ægre deinceps iterum elueris; sed & per congenitas jam libidines in devia à recta ratione, validius, languidius, abripiantur, quæ nisi coercantur, per totam vitam pravarum colluviem actionum progenerant. Præsertim cum vana sit querela illa apud *Euripidem Supplicibus*: Οἱ μοι. τί δὲ βροτοῖσιν ἐὰ ἔστιν ἴσθι, Νέως διε-εἶναι, καὶ γέροντας αὖ πάλιν; Ἀλλ' ἐν δόμοισι μὲν ἢν τι μὴ καλῶς ἔχη, Γνώμασιν ὑστέρῳσιν ἐξορθόμεθα. Αἰῶνα δ' ἐκ ἔστιν. εἰ δ' ἄμφορ νόοι δις καὶ γέροντες, εἰ τις ἐξαμάρτανεν, διπλῆ βίη λαχόντες ἐξορθόμεθ' ἄν. *Hei mihi, quare non licet hoc hominibus, Bis fieri juvenes, & rursus senes. Nam in adibus quidem si quid non recte se habeat, id Posterioribus sententiis emendamus: Vitam vero non licet: si autem essemus juvenes Bis, & senes, si quis peccavisset, id nos Duplicis vitæ facti compotes facti corrigeremus.* Cum autem ex duabus partibus homo constet, anima & corpore, quarum illa actionum homini propriarum origo & principium est, hoc instrumenti vicem obit, illius cura & cultura merito primas sibi partes vindicat.

§. 2. Cultura animi, ad quam capeffendam omnes homines obstringuntur, & quæ ad rite obeundum hominis officium est necessaria, huc potissimum redit, ut recte sese habeant sententiæ de rebus, quæ ad officium ipsius respiciunt, ac ut rite formetur iudicium & æstimatio circa res, quæ adpetitum stimulare solent, utque motus animi ad normam sanæ rationis revocentur, & temperentur.

§. 3. Inter sententias igitur, quas penitus imbibisse omnes homines oportet, princeps est ea, quæ circa Deum tanquam Creatorem & Rectorem hujus universi versatur; quod scilicet revera existat summum aliquod ens, abs quo cæteræ res originem, & motus sui principium habeant, non quidem tanquam abs potentia aliqua bruta, sicut v. g. pondus horologio appensum id impellit; sed quod intelligens sit, & liberum: quod idem tum in universum mundum, tum in genus humanum, quin & singulos homines regimen exercent; cujus notitiam nihil fugiat; abs quo per legem naturalem certa officia hominibus pro imperio injuncta, quorum observatio ipsi probetur,

betur, violatio & neglectus displiceat, eoque nomine ab omnibus incorrupte & citra respectum personarum rationem sit exacturum. In hac autem persuasione non solum præcipuum hominis officium vertitur, de quo alibi plenius egimus, quod huc transcribendum non duximus; sed etiam ea fundamentum est illius adquietentiæ, qua hominum animi intrinsece perfunduntur; quin & illa ipsa velut firmamentum est omnis probitatis, adversus alios homines exercendæ, & citra quam nemini recte fecisse serio cordi est, nec aliis de cujusdam probitate fatis cautum creditur. *Boëtius de consolat. Philos.* Magna vobis necessitas incumbit probitatis, cum degatis sub oculis judicis omnia cernentis. *Grotius ad libr. Sapient. cap. XII. i.* Quanquam magnifico dicunt quidam, honestum per se expetendum; tanta tamen in animo est vis eorum, qua conspiciamus, ut nisi adsit de divina providentia, & quidem facta hominum repensante persuasio, simulque leges quadam, qua in rectam viam homines dirigant, fieri non possit; quin extra orbitam evagentur, & quidem sæpe graviter. Nam ut vaga est hominum ratio, ubi affectus, & blandientes affectibus mores accessere, facile reperit rebus pravæ velamenta, obstatque sibi, donec plane obsurdescat. *Vanos ergo dicit eos, qui Dei & providentia ipsius cognitionem non solícite custodiunt, sed de ea re sententias cujusque permittunt arbitrari; quo nihil potest reperiri, non jam dico bonis moribus, sed & reip. exitiosius.* Quanquam autem ex decretis religionis Christianæ conitet, Deam non quovis genere cultus hominibus propitiari hætenus; ut peculiari ipsos gratia complecti, & æternæ felicitatis compotes reddere velit; qui effectus eum duntaxat comitatur, quem ipse singulari modo generi humano promulgavit: habet tamen quævis seria persuasio de Numine, ejusque providentia sub quocunque conceptu particulari, aut modo cultus hanc efficaciam, ut homines reddat officii observantiores. *Lucianus de Imaginibus: θεοὶ τὸ θεῖον μὴ ἐν παρρησίᾳ σέβουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰ πρὸς ἀνθρώπους ἀείροι ἀνείροι.* quicunque Numen non superfuntorie colunt, illi circa humana officia optimi extiterint. Argumento est, quod & olim & nunc dentur, religioni pro salute animarum pestiferæ addicti; puta Muhammedanæ, aut Ethnicæ, quos propter suam de providentia Numinis persuasionem non sper-

spemenda honesti & officii cura agitat, ut saltem quoad exteriores actus plurimis Christianorum non videantur concedere. Imo sunt, qui ex longinquis peregrinationibus observasse se ferant, Christianam religionem peculiare populorum versus certa vitia inclinationes non mutasse, nec veritatem religionis moribus & actionibus externis discerni. Cujus rei tamen causam ego putaverim, quod religio Christiana, quam plerique non tam proprio judicio, quam adſuetudine, & ex usu civitatis, in qua nati sunt, amplectuntur, plurimis magis in primoribus labiis, quam in animo hæreat, quodque adeo tam paucis cordi est juxta scita ejusdem animum suum emendare. Quia enim saltem externos actus etiam vitiorum velut nationalium inhibere possint, siquidem professione sua dignos se se gerere serio laborarent, mihi dubium non est.

§. 4. Uti ergo isthæc persuasio, & quæ præterea super cultu Numinis recta ratio, aut singularis revelatio tradit, animo rite excolendo ante omnia est implantanda: ita quæ huic repugnant opiniones solite excludendæ. Nec solum heic intelligimus Atheismum, & Epicureismum; sed alias quoque opiniones non paucas, veræ religioni, bonis moribus & societati humanæ exitiosas; quas penitus eradicari generis humani quam maxime interest. Quas inter est illa de fato Stoico, seu de immutabili consecutione omnium rerum & actionum, etiam humanarum, per quam homines non nisi instrumenta redduntur suarum actionum, quas libere moderari penes ipsos non sit, quantumcunque conatum velint adhibere. Stante enim hac opinione non adparet, quomodo homini magis suæ actiones queant imputari, quam motus rotis in horologio; aut quem usum religio, quamque æquitatem leges ac poenæ habeant. *Seneca Oedipo: Fati ista culpa est; nemo fit fato nocens. Add. Idem ibid. v. 980. seqq. Homerus Iliad. τ. ἐγὼ δὲ ἢ ἀίτιός εἰμι, ἀλλὰ ζῆός τε καὶ μοῖρα, καὶ ἠεροπαΐτις Ἐρινός. ego non in culpa sum, sed Jupiter, & fatum, & ærivaga Erinnys.* Quem obtentum tamen lepide elusit magis, quam sustulit Zeno apud Diogenem

Laërt. l. 7. Servum in furto deprehensum aliquando verberabat. Eo vero dicente: Mibi ut furarer, fatum erat: & ut vapulares, inquit. Melius Marcus Antoninus l. 2. c. II. Διοὶ τῶν κατ' ἀλλήλους κακοῖς, ἵνα μὴ πειρασθῆ ὁ ἀνθρώπος, ἐν αὐτῶν τῶν κατ' ἄλλους. Dii, ne in ea, qua voce mala sunt, incidat quispiam, in ipsius arbitrio prorsus posuere. Cognatum huic dogma est, quod consecutiones causarum & effectuum, seu illa velut catena rerum à Creatore constituta tam immobilem habeat legem, ut Deus circa eandem ne in particularibus quidem casibus libertatis sibi quid reservarit. Per hoc enim miracula, & extraordinarium Dei auxilium, effectusque precum, poenitentiae, & emendationis perimi videntur. Quo pertinet & illa persuasio antiquissima juxta ac diffusissima, quasi positus siderum actionibus & eventibus humanis indispensabilem quandam necessitatem adferat; aut quod prima nascendi hora universum vitae curriculum temperet. Cujus inter alios sese adfertorem fert *Manilius*; qui l. 4. ita pronunciat: *Furit alter amore, Et pontum tranare potest, & vertere Trojam, Alterius fors est scribendis legibus apta: Ecce patrem nati perimunt, natosque parentes, Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres: Non nostrum hoc bellum est, coguntur tanta movere, Inque suas ferri pœnas lacerandaque membra. Hoc quoque fatale est sic ipsum expendere fatum.* Et hæc superstitiō magnam adhuc partem Orientis occupat, ubi nihil alicujus momenti suscipitur, nisi consultis astrologis, quæ ipsorum phrasis, ut legant quod in cælo scriptum est. Quam in rem facetam historiam narrat *Bernier de rebus gestis in regno Mogolis*, de horulano Regis Persarum Abas, qui arbores, ex consilio astrologi auspiciatissima hora à Rege positas, iterum eruit; cum ab hoc increparetur, ad astrologum conversus; miseram ipsum horam elegisse, inquit, quod arbores meridie positæ, vespera sint erutæ. Item, de servo aliquo Goâ profugo, qui in urbe Delhi populo fidenter multa prædicebat, inspecta subinde pyxide nautica, & libro *Horarum*, quem vocant, velut nobilissimis instrumentis; & cum, quia antea eum norant, novam ejus professionem & adparatum mirarentur, reposuit: *A tal bestias tal astrologo.* Enimvero ista astrologia revera nihil est aliud, quam speciosum commentum quorundam deceptorum, ad credulos pecunia emungendos. Qui audacter de futuris loquuntur aliena magis credulitate, quam suapte arte freti; & si res, uti dixerint, cadat, inge nti sunt in gloria; si quid aliter

ter

ter eveniat, in oblivionem eorum dicta abeunt. *Tacitus Hist. I.* istos pseudomathematicos vocat *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax.* Add. *Hobbes de Homine c. 14. §. 12.* *Agathias l. 1.* *Malorum causam nos arbitror esse in siderum cursu, constitutusque fatalibus, & incredibili necessitate.* Quippe si vincit ubique fati vis, perit ab omnibus libera voluntatis electio, tum vero monita omnia, artes, disciplina in irritum cadunt: evanescent spes eorum, qui vitam honestissimam egerunt. Sed nec fas reor cades mutuas & vulnera Deo adscribere. Vid. quoque *Grotius de verit. rel. Christ. l. 4. §. 11.* Ac præter alia mala, quæ hanc opinionem sequuntur, etiam hoc inde oritur, quod qui sideribus tantum inhiant, parum solliciti sunt circa actiones suas ad normam sanæ rationis dirigendas. Cordate *Euripides Helena: γνῶμην δὲ ἀείρον μάτις, ἢ τ' ἰουβελία.* optimus vates prudentia & bona consultatio. *Statius Thebaid. 2.* *Quid crastina volveret atas Scire nefas homini.* Nos pravum ac debile vulgus *Scrutamur penitus superos.* Hinc pallor & ira, Hinc scelus, insidiaque & nulla modestia voti. Perniciosa quoque est persuasio, quod Numen peccata hominum velut nundinetur, & ea redimi patiatur pecunia, aliisque muneribus, nec non inanibus quibusdam ritibus, aut conceptis verborum formulis, citra emendationem vitæ. Item, quod Numen capiatur ejusmodi inventis hominum, adsumtisque vitæ institutis, quæ ad societatem humanam & civilem, ad sanæ rationis & legis naturalis dictamen attemperatam, non quadrant. Quo pertinent pleraque instituta Monachorum, quorum magna seges non solum inter quasdam Christianorum sectas, sed & inter Muhammedanos, & Ethnicos datur. Item quævis superstitio; quæ abjecte valde de Deo, ejusque cultu sentit. Cum contra quisvis cordatus debeat esse *θεοσεβῆς χωρὶς δεσποδαιμονίας,* pius sine superstitione. *Marcus Anton. l. 6. §. 30.* Add. *Baco sermon. fidel. c. 17.* Mala quoque est illa persuasio, quasi homini solum pietatis exercitium erga Deum sufficeret citra respectum ad probitatem & officia erga homines exercenda; aut quasi imitamenta pietatis & exteriora cultus divini accurate obita pensare queant injustitiam erga homines exercitam; ac per totam vitam malis bonisque artibus pecunias corradere fas esse, dummodo moribundus aliquid ad pias causas, uti vocant, relinquat. Add. *Charron de la sagesse l. 2. cap. 5. §. 25. seqq.* Prava quoque est opinio,

simplicem hominem posse non solum pro se officio suo adversus Deum satisfacere, sed & ipsi superesse posse, quod in alios transfundat, sic ut alieno merito humano defectus neglecti officii velut suppleri queat. Nec melior est illa opinio, quasi propter satisfactionem & meritum Christi homines minus teneantur probitati, morumque sanctimoniam studere; aut quod ejusdem fiducia securitatem peccandi præstet. Cui enim persuasum est, sibi propter alienum mendum peccata remitti; n̄ eidem quoque persuasum sit ipsi propriam incumbere obligationem summo studio in sanctimoniam vitæ incumbendi, vix poterit in dissolutam licentiam non prolabi. Illa non minus pestilens quam bruta est opinio, Numen dexteritati & nequitiae scelerum indulgere, & quædam peccata habere velut jocularia. Sicuti veteres Poëtæ nugantur, Deos perjuriam amantum negligere, & furtis illis ignoscere. *Tibullus* l. 3. *Perjuriam ridet amantum Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.* Quorum vesania eo proventa est, ut scelera ab ipsis Numinibus patrari fingere non horrent, & certis sceleribus certos Deos velut præsidēs præficerent. Recte *Fulgentius mythol.* l. 1. *Si furtis præsuere dii (Mercurius & Laverna) non erat opus criminibus iudice, ex quo culpa habuere cælestem autorem.* *Seneca Hippolyto: DEVM esse Amorem, turpis & vitio favens Finxit libido: quoque liberior foret, Titulum furori Numinis falso addidit.* *Euripides Ione: ἐκείν' ἀνθρώπους κακῶς λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ θεῶν κατὰ μίμῃμιθ', ἀλλὰ τὰς διδασκόντας ἴδου. non amplius homines accusari justum est, si deorum vitia imitemur; sed Deos qui docent hæc.* Nec male ratiocinabatur ille Indus, qui Hispano, Christianum se jactanti, & filium Dei creatoris cœli & terræ, & venire, ut ejus legem annunciet, reponcbat: *Si DEVS tuus te jubet ita vadere per alienas regiones, rapientem, urentem, occidentem, & facientem omnia mala, quæ animo concipere potes: scias, nos nequaquam in eum Deum credituros, aut ejus legem suscepturos.* *Hieron. Benzoni's hist. novi orb.* l. 2. cap. 13. Malum quoque est credere, Deo placere preces, quas quis fundit, ut alii homines immerito malo macentur, quo ipsis lucri aperiatur occasio. Puta, si accolæ litoris orient, ut multa circa id fiant naufragia. Nec sanctio-

sanctiores judicaverim supplicationes, quæ instituuntur, quando quis injustum alteri bellum infert, aut ubi successus in tali bello arriserit. Prava quoque opinio est, partem esse religionis & cultus divini, ullum præceptum legis naturalis adversus alterum violare. Quo pertinet, quod quibusdam persuasum est; hostili odio prosequendos, qui à nostra religione sunt alieni: religionem gladio esse propogandam; diversis à religione nostra fidem non esse servandam, nec politicam, quam vocant, amicitiam & officia humanitatis cum iisdem exercenda; aut eosdem in externa conversatione velut immundos averfandos; quævis scelera, prodicionem, perfidiam, seditionem, rebellionem, esse licita, imo laudabilia, si ad religionem promovendam suscipiantur. Perniciosa quoque opinio est, ad solidam felicitatem nihil interesse, virtuti quis studeat, an vitiis sese dedat, nec meliorem conditionem manere probos, quam improbos. Cicero de nat. deorum l. 3. *Divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum & malorum.* Item, nil sublimius esse homini expectandum, quam ut præsentis sensuum titillatione fruatur; & cum corporibus animas quoque interire. Item, omne jus, etiam quod naturale vocatur, esse commentum humanum, nec ad autorem Deum referri, ab eoque vim & sanctimoniam obtinere. Hæ igitur & similes opiniones plane sunt eradicandæ, quippe quæ officium hominis erga Deum destruant, ac firmum studium mores ad sanam rationem componendi intercipiunt.

§. 5. Post hæc cuique cultura sui circa hoc potissimum occupatur, ut seipsum, suamque naturam probe exploret, & nosse discat. Quam inquisitionem, tanquam iter veræ sapientiæ præcuntem, tanti fecit vetustas, ut aureis literis in templo Delphico dedicatum quondam sit: *γινῶθι σεαυτόν, nosce teipsum.* De quo Cicero Tuscul. l. 1. *Præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat, non, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramvè noscamus: neque nos corpora sumus. Cum igitur Nosce te dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum; nam corpus quasi vas est, aut aliquod animæ receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te.* Add. quæ
Casau-

Casaubonus ad Persii sat. 3. v. 67. commentatur. Ex hac autem cognitione sui ipsius rite suscepta homo deducitur ad cognitionem suæ conditionis ac muneris, quod sibi in hoc orbe gerendum impositum est, dum animadvertit, se non à seipso extitisse, sed sublimiori principio origines suas debere; se nobilioribus facultatibus dotatum, quam quæ circa se conspicit bruta; se denique non solum, nec sibi soli natum, sed partem esse generis humani, adversus quod sociabilem se teneatur gerere. Ex hisce autem velut fontibus facile notitia humani officii deducitur. Vid. *Marcus Antoninus l. X. §. 6. Persius sat. 3. Quem te Deus esse iussit, & humana qua parte locatus es in re, Disce.* Sed & ad cognitionem sui pertinet, ut quis norit, quæ sua sit potentia, & quousque illa se extendat, tum circa eliciendas actiones proprias, tum circa moliendas res alias. Quo cum primis respicit in explicatione ejus dicti aurei Socrates apud *Xenophontem apomnem. l. 4.* Add. *Baco sermon. fidel. cap. 36.* Cui conjunctum est, ut norit, quis cujusque actionis humanæ sit effectus; tum quem respectum & usum res extra hominem positæ ad ipsum hominem habeant.

§. 6. Ex hac igitur notitia sequitur, ut homo intelligat, se esse imperio Dei subjectum, ac pro captu donorum sibi concessorum obligatum, tum ad celebrandam majestatem Dei, tum etiam ad exhibendum sese adversus alios homines sociabilem. Et quia lumine intellectus à Deo donatus est; certo colligere debet, sibi non cæco impetu omnia agenda, aut citra certum finem, sed quæ agenda sibi sunt, prius recte expendenda & disponenda. Cui consequens est, ut & finem sibi proponat, naturæ suæ convenientem, & tum actiones suas, tum alia media ad eum finem recte attemperet. Et ita quidem, ut neque ad mediorem adplicationem prius progrediat, quam de fine constiterit; nec finem statuat, cui adsequendo media deficiant. Cui conjunctum est, ut quia verum & rectum semper uniforme est, ita iudicium suum formare debeat, quo semper de similibus similiter iudicet, sibi que postquam recte iudicaverit, semper constet. Tum ut voluntas & adpetitus rectum iudicium non præcurrat, sed subsequatur, nec ejusdem decretis oblectetur. Hanc enim viam qui insinit, & prudenter agat, & constanter, & moderate.

rate. Qualem Catonem suum describit *Lucanus* l. 2. *Servare modum, finemque tenere, Naturamque sequi, patriaque impendere vitam, Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.* Secus qui agit, per hunc mundum volvitur potius, quam procedit; & toto disconvenit ordine vitæ; nec ad felicitatem unquam adspirabit. Nam, uti *Sophocles Antigone* ait: *πᾶσι τὸ φρονεῖν ὑδαμμονίας πρῶτον ὑπάρχει.* *Sapere ad beatitudinem præcipuum est.*

§. 7. Suas autem vires, suamque potentiam si rite cognoverit homo, deprehendet eam finitam esse, certosque habere limites, ultra quos sese non extendat; eoque plurima esse in hoc universo, quæ dirigere, aut quibus obsistere nulla ratione queat. Aliqua non quidem absolute supra hominis potentiam sunt, sed quæ tamen inter cursu & oppositione aliarum potentiarum intercipi possunt. Quædam denique nostræ potentiæ non aliter cedunt, quam si eadem dexteritate fulciatur. Cum quibus conspirat notissima distinctio philosophiæ Stoicæ, qua aliqua *ἐφ' ἡμῶν*, seu in nostra potestate constituta, cætera *ἐκ ἐφ' ἡμῶν* esse dicuntur. Quod maxime intra potentiam nostram positum videtur, est liberum nostrum arbitrium, ejusque potentia quatenus circa proprias hominis actiones eliciendas diffunditur. Quanquam enim & idem nonnulla circumstant, contumaciæ quid habentia, & quæ ab æquilibrio suo id vergere faciant: tamen neque propius quid isto est homini, neque magis conjunctum, & quod minus à potentiis externis intercipi queat; cujusque adeo motus magis ad hominem pertineant, eidemque imputari queant. Unde in id præcipue cuiusvis incumbendum est, ut suis facultatibus & viribus bene, & ad præscriptum sanæ rationis utatur, saltem ut constans & perpetuum habeat propositum, quantum in se est, faciendi, quæ suo fini officioque congruunt. Hoc quippe illud est, ex quo quilibet homo est æstimandus, & quo cujusque intrinseca præstantia & probitas est metienda. *Arrianus Epicteto* l. I. c. I. *τί ἐν δὲ; πᾶ ἐφ' ἡμῶν βέλτερον κατασκευάζειν τοῖς ἑτέροις ἢ ἄλλοις χεῖρα, ὡς πρῶτον.* *Quid ergo est opus? ut ea quæ in nostra potestate sunt quam optima faciamus: cæteris autem pro ipsorum natura utamur.*

§. 8. Circa cætera autem, quæ extra nos posita sunt, ita laborabit

Hh

rabit

rabit homo , si & vires nostras non excedant , & ad finem ejus legitimum faciant , & dignæ sunt , propter quas labor sumatur. Quæ supra nos sunt , improba spe & vano conatu non affectabit , & stultum ducet magno conatu finem persequi , quem novit vires suas una cum auxiliis merito expectatis assequi non posse , aut ni saltem certo constet , spem probabilem finem suum obtinendi pluris valere , quam effectum ullum , quem eodem tempore conatu suo certo possit producere. Cætera providentiæ divinæ committet , & ad ea placide excipienda quantum potest animum obfirmabit : nec sese inquietabit ob mala , quæ sine sua culpa obvenerunt , aut posthac obvenire poterunt ; adeoque molestiarum magnam partem sibi præscindet , quas vel vana spes , in improbos conatus sollicitans , vel dolor , ira , metusvè progignere solet. *Arrianus Epicteto* l. 2. c. 7. *ἄλλο τι ἀμεινον , ἢ τὸ πρὸ θεῶν δοῦναι ; Quid conducit magis , quam quod Deo visum est ? Libanius declam.* 21. ὁ χρησὸς καὶ σπουδαῖος ἀνὴρ ἢ γνώμη καὶ οἱ προεὶλησσο , κείνται· καὶ μὴ τὸ πέραν ἀπολυθῆσθαι τῶν βιβλιουμένων ἀξίον , ἰδὲν ἤτιόν ἐστι σπουδαῖος. *Probus vir ac virtute præditus proposito ex iis quæ animo præcepit prædicatur ; & quamvis eventus consultis rebus dignus non sequantur , nihilominus frugi est.* Ex quibus etiam hoc consequitur , non debere sibi hominem , in quantum solo rationis lumine regitur , in his terris aliam fingere felicitatem , & ad eam aspirare , quam quæ nascitur ex prudenti facultatum suarum regimine , & ex subsidiis illis , quas novimus providentiæ divinam in universi hujus administratione nobis esse oblaturam. Sed & illud ex superioribus fluit , sicuti cæcæ velut alicæ res non est committenda , ubi providentiæ humanæ locus est : ita si quantum penes nos est , factum sit , de cætero improvisum , & à nostra directione non pendentem eventum à nobis non posse præstari. Nam uti ἴσπερ τὸν μὲν τὸ ἐπισημαίνον τὸ ἐπισημαίνον , non est imperatorium dicere , non putaram , quod est dictum Iphicratis apud *Polyanum strateg.* l. 3. etiam quibusvis cordatis applicandum : ita recte Poëta : *Careat successibus opto , Quisquis ab eventu facta probanda putat.* Quæ tamen opinio apud Muhammedanos communis esse fertur , ut successum infallibile argumentum

pu-

putent justæ causæ , & velut suffragium cœli , quo illa comprobetur. Sed quæ ab aliis rectius inter stultas vulgi opiniones referuntur. Multi quippe *committunt eadem diverso crimine fato. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. Juven. sat. 13.* Sed & illud inde consequitur , sicut sapientis est non quod ante pedes modo est videre , sed etiam illa quæ futura sunt prospicere , propositum autem recte formatum pro viribus urgere , nec ab eo vel metu , vel præsentis voluptatis illecebris in transversum abripi : ita stolidi esse adversus torrentem niti , & non potius se rebus accommodare , quatenus illæ se nobis accommodare nolunt. *Martialis : Cedere majori virtutis fama secunda est.* Denique quia circa futuros eventus providentia humana vehementer cæcutit , eosque adeo penes hominem non est dirigere , qui tamen sæpe præter nostram spem cadunt ; (*Thyrsiodoro vocatur ἰμπεραν ἀνοσιεῖς ἐσομένων, caligo obscura futurorum :*) inde nec præsentibus nimis secure confidendum , nec futura supervacua anxietate & cura præcipienda. Sed & ob eandem causam secundis rebus insolentia , adversis desperatio procul habenda. Quæ omnia infinitis sapientum dictis illustrare in proclivi foret. Pauca tantum florum instar spargere suffecerit. *Arrianus Epicteto l. 2. c. l. ἀπὸς τὰ ἀπορροῦσα θάρσει, ἐν ᾧ τῶν ἀπορροῦστικῶν ἐυλαβείσθαι. Fidentes in rebus non voluntarius, cauti in rebus, quæ nostri sunt arbitrii. Plutarchus de superstitione : ἀρετῆς ἰλασὶς ὁ θεὸς ἐστίν, ἡ δὲ δουλίας ἀπίσταν. virtutis spes, non timiditatis pretextus est Deus. Juvenalis sat. X. Nullum Numen abest, si sit Prudentia. Horatius Carm. III. 4. Vis consilii expertus mole ruit sua, Vim temperatam Dii quoque promovent in majus. Lucretius l. 3. Petere quod inane est, nec datur unquam, Atque in eo semper durum perferre laborem, Hoc est, adverso nixantem trudere monte Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursus Volvitur, & plani raptim petit aquora campi. Horatius II. Od. 3. Equam memento rebus in arduis servare mentem : non secus in bonis. Ab insolenti temperatam latitia. Ibidem Od. 10. Rebus angustiis animosus atque Fortis adpare : sapienter idem*

Contrahes vento nimium secundo Turgida vela. Ibid. III. 29. Ille potens sui, Latusque deget, cui licet in dies Dixisse, vixi: cras vel atra Nube polum pater occupato, vel sole puro. Idem II. sat. 7. Quisnam igitur liber? sapiens, sibi que imperiosus: Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula tenent: Responfare cupidinibus, contemnere honores Fortis, & in seipso totus teres atque rotundus; Externi ne quid valeat per leve morari. Juvenalis sat. 13. Dicimus autem Hos quoque felices, qui ferre incommoda vita, Nec jactare jugum vita didicere didicere magistra. Idem sat. 10. Permittes ipsis expendere Numinibus, quid Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris. Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt Dii. Charior est illis homo, quam sibi.

§. 9. Est quoque illa culturæ pars maxime necessaria, ut quis justum pretium rebus, quæ adpetitum humanum præcipue stimulant, ponere norit. Ex hoc quippe dependet, quantum circa quamque earum conniti deceat. Inter eas igitur judicatur vel splendidissima, & quæ erectioris homines indolis præcipue sollicitare idonea sit, opinio præstantiæ & excellentiæ, unde honor & gloria progignitur. Circa hanc animus ita est formandus, ut omni quidem studio existimationem simplicem, seu opinionem boni viri conservare laboret; quippe quæ regulariter ex legis naturalis & officii observantia promanat, & cujus defectus ad multa incommoda adversus nos occasionem pandere potest. Et si ea per calumnias & mendacia improborum impetatur, ut eadem nitore suo restituatur, opera danda est. Quando tamen pence nos non est calumnias, & falso de nobis conceptas opiniones discutere, conscientiam nos rexitudo solabitur, & quod Deo de innocentia nostra constet. Add. *Anton. le Grand Instit. Philos. Cartes. parte 8. art. 10. p. 420.* Intensiva autem existimatio, honor & gloria, eatenus adpetenda, quatenus ex præclaris factis, rationi congruentibus, & ad bonum societatis humanæ spectantibus redundat, aut ad talia patranda latiore campum aperit. Quantacunque tamen etiam solidis ex causis obtigit, cavendum, ne animus arrogantia & insolentia infletur. *Plinius Panegy. Cui nihil ad tangendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si seipse submittat, securus magnitudinis suæ.* Inter stultissima autem ha-

habeatur eo velle gloriari, quod inane est, nec præstantiæ nostræ solidum continet argumentum. Sicut v. g. apud *Lucianum* *Demonastres* cum conspexisset quempiam propter purpuræ, quâ vestiebatur, latitudinem superbire, admoto ad illius aurem capite, adprehensa-que ipsius veste; *Heus tu*, inquit, *hoc ante te ovis ferre solebat*, & *ovis fuit*. Sed ubi occasio, qua præstantiam nostram exseramus, deficit, nec eam procurare penes nos sit, id æquo animo ferendum; cum hoc casu nihil sit, quod nobis exprobrari queat. *Horatius* III. od. 2. *Virtus repulsa nescia sordida, Intaminatis fulget honoribus: Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis aura.* *Claudianus* de cons. *Mallii*: *Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late Fortuna securo nitet, nec fascibus ullis Erigitur, plausu vè petit clarescere vulgi; Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis, Divitiis animosa suis, immotaque cunctis Castibus ex alta mortalia despicit arce.* Ex adverso patet, stolidum esse, & improbum, insignia honoris affectare, ubi intrinseca ejusdem fundamenta deficiunt; insanum & detestabile, per malas artes & rationi adversantia facinora ad famam & honores grassari; aut ideo alios eminere velle, ut eos insultare & libidini tuæ obnoxios habere queas. Cumque penes nos non semper sit fortunam nobis pro lubitu fabricari, quantum illa à causis extrinsecis dependet; disponendus est animus, ut postquam quæ in se erant, fecerit, illi forti, quæ obtigit, adquiescat, & ea, queis potiri non datum, velut ad se nihil pertinentia citra ægritudinem adspiciat. *Valer. Maximus*. I. 7. c. 2. §. 1. *inter externa.* *Seneca* *Agamem.* *Modicis rebus longius ævum est.* *Felix media quisquis turba sorte quietus aura stringit littora tuta; timidusque mari credere cymbam, remo terras propiore legit.* *Idem* *Hercule Oetao*: *Male pensantur magna ruinis.* *Felix alius, magnusque sonet.* *Me nulla vocet turba potentem.* *Stringat tenuis littora puppis.* *Nec magna meos aura phaselos jubeat medium scindere pontum.* *Transit tutos fortuna sinus medioque rates querit in alto, quarum feriunt suppara nubes.* *Add.* *Idem* *Oedipo* v. 882. *seqq.*

§. 10. Rebus extrinsecis ad sui conservationem homo utique indiget, de quibus etiam aliis prospicere sæpe inter officia est. Inde rationis quidem est, ut circa istas parandas studium adhi-

beatur, quantum vires, occasio, & honestas admittit. *Quæ Virgilio Georg. I. inopi metuens formica senecta* dicitur, etiam in divinis literis inter exempla innocentis industriæ commendatur. *Proverb. cap. VI. vers. 6. Euripides Electra*: ἀργὸς ἰδέει θεὸς ἔχον ἀνά στήμα βίον δὲ νῆσθ' ἀν' ἐυμάθων ἀνυ πόνυ. *Nemo ignavus Deos in ore habens, facultates acquirit sine laboribus.* Verum quia indigentia nostra non est infinita, sed valde modica; igitur ad naturæ modulum, & sobrietatem istarum rerum desiderium est attemperandum. *Proverb. cap. XIII. vers. 7. Socrates apud Diogenem Laërtium l. 2.* memoratur sæpe rerum venalium multitudinem conspicatus sibi ipse dixisse: πῶσων ἰσὼς χεῖρα ἔχω; *quam multis ego opus non habeo?* *Juvenalis sat. V. Ventre nihil frugalius.* Idem *sat. 14. Mensura tamen, quæ sufficiat census, si quis me consulat, edam: In quantum sitis atque fames, & frigora poscunt.* *Apulejus Apologia.* Fortunam velut tunicam magis concinnam, quam longam probo. Et enim in omnibus ad vitæ munia utendis, quicquid aptam moderationem supergreditur, oneri potius, quam usui exuberat. Igitur & immodica divitiæ velut ingentia & enormia gubernacula, facilius mergunt, quam regunt: quod habent irritam copiam, anxiam nimietatem. *Lucanus l. 4. Discite, quam parvo liceat producere vitam. Et quantum natura petat. Satis est populis fluviusque Ceresque.* *Lucretius l. V. Quod si quis vera vitam ratione gubernet; Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce Aequo animo.* *Claudianus in Rufinum.* I. Vivitur exiguo melius, natura beatis Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti. *Horatius III. Od. 16. Contracto melius parca cupidine Vectigalia porrigam, quam si Mygdoniis regnum Halyattici Campis continuem. Multa petentibus desunt multa, bene est, cui DEVS obtulit Parca quod satis est manu.* Idem *I. Epist. 10. Licet sub paupere tecto Reges, & Regum vita præcurrere amicos.* Ibidem *Epist. 12. Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.* *Quintilianus declam. 13. Satis divitiarum est, nihil amplius velle.* *Turpilius apud Priscianum: Profecto ut quisque minimo contentus fuit;*

ita

¶ fortunatam vitam duxit maxime. Inde nec quærendi cupidini
 frænum nimis laxandum; multoque minus per pravas artes & in-
 jurias aliorum ad opes grassandum. *Horatius l. sat. 1. Denique sit
 finis quærendi; cumque habeas plus Pauperiem metuas minus, & fi-
 nire laborem Incipias, parto quod avebas. Eumenius panegy. Nul-
 lis muneribus fortuna expletur, quorum cupiditates ratio non termi-
 nat, atque ita eos felicitas ingrata subterfluit, ut semper pleni spe-
 rum, vacui commodorum, presentibus careant, dum futura prospe-
 ctant.* Addat. *Charron de la Sageſſe l. 1. c. 21. Tum quæ parta sunt,
 non alio loco habenda, qua subsidia nostræ necessitatis, & mate-
 ria de aliis bene merendi. Nequaquam autem ut in sola eorum
 possessione & custodia, ac in infinito eadem accumulandi studio
 animus unice velut occupetur aut adquiescat. Iuvenalis sat. 14. Ma-
 nifesta phrenesis, Ut locuples moriaris egenti vivere fato.* Egregia est
 illa commendatio viri sapientis apud *Statium Sylvæ l. 2. Non tibi se-
 positas infelix strangulat arca Divitias, avidique animum dispendia
 torquent Fænoris: expositi census, & docta fruendi Temperies. Hip-
 podamus de felicitate: ἢ μόνον τὰς εὐαῖαν ἔχειν δεῖ καλῶν, ἀλλὰ καὶ ὀνα-
 σθαι. non solum possidere oportet bona, sed & iisdem uti.* Add. *Theocritus
 Idyll. 16. Horatius Epod. 2. Haist paravero, Quod aut avarus, ut Chre-
 mes, terra premans: Discinctus aut perdam ut nepos. Idem IV. Od. 9.
 Non possidentem multa vocaveris recte beatum, rectius occupat nomen
 beati, qui Deorum muneribus sapienter uti callet. Idem I. Epist. 2.
 Semper avarus eget; certum voto pete finem. Quod satis est cui contin-
 git, nihil amplius optet. Idem II. Epist. 2. Viar, & ex modico,
 quantum res poscet accervo Tollam; nec metuam, quid de me judicet
 hares; Quod non plura datis invenerit.* Addat. *Gellius l. X. c. 17.
 Cogitandum quoque, quod natura non desinat fœcunda ef-
 se in producendis iis, quæ indigentia humanæ subserviunt.*
*Arrianus Epicteto l. 3. c. 24. ἡδὴς ἐστὶ ἀθρῶν ὀρφανὸς, ἀλλὰ
 πάντων αἰεὶ καὶ διανεῶς ὁ πατήρ ἐστι ὁ ἀνδρῶν. mortalium ne-
 mo pupillus est, sed est pater, qui continenter omnes curat.*
 Item,

Item, quod quæ in futuros usus disponuntur opes tam variis casibus obnoxia sint; & custodia sæpe non minus sollicitudinis, quam adquisitio laboris requirat. *Horat. III. od. 16. Crescentem sequitur cura pecuniam.* Quod denique à morientibus omnia, quæ nobis superfuere, hæredi sæpe indigno aut ridenti relinquenda sint. *Bion, idyl. v. Ἐς πόθῳ ἂν δειλοὶ καμάτως κ' εἰς ἔργα ποιῶμεν; ψυχὰν δ' ἄχει ἴσῳ ποτὶ κίρδια, καὶ ποτὶ λίχνας βάλλομεν, ἰμείροντες αἰεὶ πολὺ πλοῖσιν ἔλθω; λαθόμεθ' ἢ ἄρα πάντες ὅτι θνατοὶ γινόμεθα.* *Quamdiu vobis miseris in labore & opera nos fatigamus? Et quousque animum ad lucra & artes adplicamus, semper desiderando multo majores opes? Omnes sane oblitus sumus, mortales nos esse natos.* Igitur uti non negligenda, si qua se offerat, occasio fuerit honeste opes acquirendi: ita animus assuefaciendus est, ut si fors ferat, ius amissis non velit concidere. *Horat. III. od. 29. Laudo manentem fortunam; si celeres quatit pennas resigno qua dedit, & mea virtute me involvo, probamque pauperiem sine dote quero.* *Add. Charvon de la sagesse l. I. c. 39. n. II. §. 9.* Vice versa circa erogationem istarum ita temperandus est animus, ut & quæ expendere officium jubet, libenter croget, & easdem præter necessitatem & rationem ne dissipet. *Horatius II. ep. 2. Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum In vitis facias, neque plura parare labores.* *Juvenal. sat. XI. Nec multum cupias, cum sit tibi gobio tantum In oculis. Quis enim te deficiente crumena, & crescente gula manet exitus? Aequè enim stultum est, non velle istas ei fini, cui destinatae sunt, adhibere; & temere profundere, quæ melioribus usibus debebantur. Præsertim cum illud multiplicem officii violationem habeat conjunctam; & hoc ad multa vitia ac molestias, puta, æs alienum, foedam paupertatem, rapinas, fraudes, furta viam sternat.* *Catullus: Villa nostra non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Favoni, Nec savi Boreæ, aut Apeliote: Verum ad millia quindecim & ducentos. O ventum horribilem atque pestilentem.* *Lucanus l. I. Hinc usura vorax, avidumque in tempore sænus, Et concussa fides, & multis utile bellum.* *Ovidius Heroid. I. epist. 15. Quasque male emisit, nunc male querit opes.* *Add. Baco sermon. fidel. c. 28. & 34.*

§. II. Id præterea rationi non repugnat, dolorem non necessa-

cessarium averfari, & quantum licet fugere; quippe qui ad destructionem corporis tendit; nec solum ut quis doloris sit expers, sed ut objecta quoque adsint sensibus accommodata & grata. Vid. *Charron de la Sageffe* l. 2. c. 6. n. 1. 2. Sed ut singularem & exquisitam sensuum titillationem cupide affectet animus, assuefaciendus non est; cum illa aut enervet hominem, & corporis juxta ac animi vigorem opprimat, atque gravibus negotiis inutilem reddat; aut tempus melioribus & necessariis operis suffuretur; aut necessarium homini adparatum, opesque melius erogandas absumat ac dissipet; aut sæpe cum delicto conjuncta, periculum, damnum, dedecus, aut dolorem post se trahat. Ergo uti dolores non necessarios, nullique usui sibi arcessere vesaniæ proximum; ita rationis est, licitas etiam & innoxias voluptates modice potius degustare, quam penitus iisdem immergi. Nullo modo autem ob voluptatem officium negligendum aut violandum.

§. 12. Denique & circa id sollicite animo cura est adhibenda, ut motus suos & affectus in potestate habeat; quippe quorum plerique non solum valetudinem corporis, & vigorem animi vehementer profligant, sed & judicium intellectus velut obnubilant ac distorquent, & in devia ab officio & ratione non leviter inclinant, sic ut frigus affectuum sit velut naturale principium prudentiæ & probitatis inter homines. *Quintilian. declam. 296. Magni affectus jura non spectant.* Circa singulos pauca notare tædio non erit. *Lætitia* in se naturæ cumprimis congruit. Id tamen cavendum, ne in tempestive, aut ex causis non idoneis sese exferat, puta ob aliena mala; & ne ad ineptias, vanitatem, & quæ turpia aut indecora sunt propellat. *Tristitia* animum corpusque velut carie quadam exedit. Igitur ea quantum potest exterminanda, nisi quatenus inter officia humanitatis haberur, calamitatem aut mortem aliorum miseratione & luctu prosequi, aut quatenus pœnitentiæ ob prava facinora exprimendæ requiritur. *Amor* naturæ humanæ amicus affectus, sed qui ratione hætenus est temperandus, ut in objectum dignum feratur; ut ad turpia patranda se non vertat, aut ex turpibus velut pabulum sibi quærat; ut aliis officiis remoram ne injiciat; ne in morbum de-

generet ; ne si versetur circa rem corruptioni aut amissioni obnoxiam , adeo arte eandem complectatur , ut ea amissa , animus se colligere nequeat. *Sophocles Antigone* : μή ποτε γὰς φρένας ὑπ' ἰδούης γυναικὸς ἔνεκ' ἐκβάλης. *ne mentem per amorem mulicris causa abjicias.* *Euripides Hippol. coron.* ἄλλήως φιλίας θνητῶν ἀναίρισταται , καὶ μὴ πρὸς ἀγρόν μιλῶν ψυχῆς , Εὐλύτα δ' εἶται σέρρηθρα φρενῶν , ἀπὸτ' ὠσαδαὶ καὶ ξυτῆωαι. *Oportebat mediocres inter se mutuo mortales miscere amicitias , & non usque ad extremam medallam anime , Et amores animorum facile solvi posse , & expelli , & intendi , seu minui & augeri.* Addatur *Baco sermōn. fidel. c. 10.* *Odiūm infectus affectus tam habenti , quam illis , in quos fertur.* Ergo id quantum potest restringendum , ac obnitendum , ne illo impulsu aliis inferamus , quod officio repugnat. Et si quis omnino dignus sit quem aversemur , ne tamen ideo nobis ipsis ægritudinem conciliemus. *Invidia* deformis plane affectus , & qui sæpe in aliis , semper autem in ipso invidio pravos effectus producit ; dum invidus propriis moribus , sicut rubigine ferrum , conficitur. *Videt ingratos , intabescitque videndo successus hominum , carpitque & carpitur una , suppliciumque suum est.* *Ovid. Metam. 2.* *Invidia Siculi non invenere tyranni tormentum majus.* *Horat. l. Epist. 2.* *Spes , lenior quamtumvis affectus , ita temperanda , ne animus per eam ægrefcat , ac ne dum vana , incerta , aut supra vires posita completitur , gratis sese fatiget , & sit ἐρηγορέτ' ἐνύπνιον , vigilantis somnium , uti Aristoteli dicitur apud Diogenem Laërt. l. 5.* Neve in nos cadat , quod est apud *Lucretium l. 3.* *Dum abest , quod avemus , id exsuperare videtur Cætera ; post aliud , cum contigit illad , avemus : Et sitis aqua tenet vitari semper hiantis.* *Metus* humanæ menti inimicus , planeque inutilis. Nam cautelam , quæ ex illo provenire putatur , etiam citra eum prudentia & circumspexio nequidquam trepidâ , aut anxia producere potest. *Ira* violentissimus juxta ac perniciosissimus affectus , cui omni studio reluctandum , quæ & ipsam fortitudinem ac in periculis constantiam , cui vulgo subservire putatur , velut occæcat & præcipitat. *Xenophon de re e-*
questri,

questri, ἀπορόντων ἢ ὄργῃ, ὡς πολλὰς ἐξεργάσει, ὡς μεταμελεῖν ἀνάγκη. *Improvvisa est ira, ut sepe efficiat, quæ penitenda sunt. Statius Theb. l. 10. Ne frana animo permitte calenti: Da spatium tenuemque moram: male cuncta ministrat Impetus. Horatius l. Epist. 2. Qui non moderabitur ira, Infectum volet esse, dolor quod suaserit, & mens, Dum pœnas odio per vim festinat inulto. Ira furor brevis est. Add. Libanius progym. vituper. ira. Iræ cognata est libido vindictæ, quæ quatenus excedit legitimam & moderatam sui & suorum defensionem, & suorum jurium assertionem adversus violatores, plane in vitio est. Addat. Anton. le Grand. Instit. Philos. Cartes. part. 3. c. 12. seqq.*

§. 13. Atque in his fere consistit illa cultura animi, ad quam capeffendam omnes tenentur, & circa-quam ingenerandam potissimum solliciti esse debent, quibus aliorum informatio incumbit. Hujus quippe privatio, aut contraria eidem dispositio officio hominis adversatur, aut ad idem rite obeundum non parum remoræ injicit. Eoque qui ejusmodi cultu destituitur, in reprehensione est. Datur præterea peculiaris animi cultura, in variarum rerum, artium & disciplinarum notitia consistens, quæ non quibusvis adeo necessaria est ad officium hominis rite obeundum; eoque illam quisque capeffet, prout ipsius capacitas, & occasio, & causæ impellentes, & fructus, cui producendo idonea est, svadebit. Cæterum quis artes illæ, quæ necessitatibus, & commoditatibus vitæ humanæ subserviunt, utiles sint, nemò in dubium vocat. Sed circa studia literarum non pauci scrupulum injiciunt, quasi illa non inutilia solum, sed & perniciofa forent; eoque in multis rebus publicis illa plane proscripita, quatenus supra peritiam legendi, scribendique, & numeros tractandi procedunt. Quin per illa homines ineptos ad negotia gerenda reddi multis persuadetur. *Erasmus l. 17. Epist. 12. in elogio viri cujusdam eruditi hoc quoque ponit: rerum communiùm prudentia valens, quæ fere solet in studiorum cultoribus desiderari.*

Ac nemini ignotum est, quæ vocabula in homines literatos jaçtentur. Sic celebris est locus apud *Procopium hist. Goth. l. 1. Multum abesse à virtute literas, & senili institutione dejici plerunque & ad metum incurvari indolem. Theudericum solitum dicere: Fieri non posse, ut qui didicissent flagra extimescere, ad contemptum ensiam hastarumque exsurgerent.* Non multum abit illud *Platonis de rep. l. 7. εἶδεν μάθημα μὲν δουλίας ἢ ἐλευθερίαν ἢ μανθάνειν. nullam disciplinam serviliter ingenium oportet discere.* Et *Seneca Hippolyto: Ingenia melius recta se in laudem ferunt, si nobilem animum vegeta libertas alit.* *Plato Gorgia de philosophis: εἰπεὶ δὲν ἔλθουσιν εἰς ἴνα ἰδίαν ἢ πολιτικῶν πράξιν, καταγέλαστοι γίνονται. quoties ad aliquam rem gerendam vel publicam vel privatam se conferunt, habentur ridiculi.* *Arrianus Epicteto l. 1. c. 11. scholasticum vocat ζῶον, ἃ πάντες καταγελοῦντο, animal, quod deridetur ab omnibus.* Add. *Michael Montaigne l. 1. c. 24. Charron de la Sagesse l. 1. c. 39. in fine & l. 3. c. 14. n. 19. seqq.* Eam ad rem liquido definiendam, utque adeo & literis justum pretium ponere sciamus, multum facit, si id primo tanquam indubitatum ponamus, ad prudentiam & sapientiam non sufficere solas literas, sed omnino requiri nativam animi bonitatem; quæ si abfuerit, non magis per solas literas sapientiam producere poteris, quam opimam segetem, si steriles arenas vomere proscideris. Aliud quippe est, multa legisse, aliud sapere & prudentem esse. *Vetus Poëta: ὡς εἶδεν ἢ μάθησις, ἢν μὴ γὰρ παρῆν. Ut nihil est doctrina, si mens abfuerit.* Et recte *Quintilianus Institut. 32. l. 6. c. 6. Plus sine doctrina prudentiam, quam sine prudentia facere doctrinam certum est.* Inde quod per naturam stupidus & stultus ope literarum prudens & sapiens non evadit, id non magis quid præstantiæ solidarum literarum detrahit, quam efficaciam medicamentorum quid decedit, quod ea mortuis vitam restituere nequeunt. *Habenti dabitur.* Et cultura vim promovet insitam; eoque illa frustra adhibetur, ubi nihil est insitum. *Quin & hoc observatum est, non minus nativam stoliditatem, quam malitiam & impietatem, ubi accesserint literæ, fieri incurabilem, & intractabilem magis; quia per has illi velut arma accedunt, quibus utramque defendat, & in apricum producat.* Et *Hobbes Leviath. c. 4. pronunciat: neque sine literis homines fieri solent insigniter sapientes, neque (nisi cui forte mor-*

morbo vel prava constitutione organorum animus laesus sit,) insigniter stulti. Add. *Baco sermonum fidelium c. 48.* Deinde non omnia, quæ literarum vocabulo continentur, sunt ejusdem indolis, nec pari dignatione habenda. Alias enim literas possumus vocare *utiles*, alias *elegantes & curiosas*, alias denique *inanes*. Utiles literas ad tres licet revocare classes; ad doctrinam moralem, medicinam, & mathesin. Nam Theologia illa vera & solida proprio stat pretio; nisi quis eam ad priorem classem revocare velit. Prima circa culturam animi, ac socialis vitæ promotionem, altera circa sanitatem corporis, tertia circa varias artes vitæ humanæ maximam commoditatem adferentes, manifestum habet usum. Per elegantes & curiosas literas intelligimus, quarum utilitas non quidem tanta est, ut citra eas vita humana minus sociabilis aut comoda sit futura, quarum tamen notitia ingenuo homine digna, quod vel penitus in rimanda opera naturæ nos deducat, vel præstantiam humani ingenii, & dexteritatem arguat, vel humani generis, operumque & actionum humanarum memoriam conservet. Et huc possumus referre cognitionem variarum linguarum, subtilem naturalium rerum inquisitionem, subtiliores partes matheseos, historiam omnigenam, criticam, quatenus per eam monumenta ingeniorum integra præstantur, poëticam, oratoriam, & similes. Quæ sane in se egregiæ & laude dignæ sunt, & condimenti atque ornamenti vicem in cultura hominis habent; & ad hunc modulum sunt tractandæ atque æstimandæ. Inanes autem literas vocamus, non illas solum, quæ circa falsa & erronea sunt occupatæ, sed etiam quæ fatagunt circa commenta astutorum aut otiosorum hominum, distingendis ingeniis, ne ad solidam rerum cognitionem aspirarent. Quæ classe censei debent non solum multa veterum philosophorum dogmata, oppidò quam à rerum natura abeuntia; sed & pleraque, quibus per superiora secula barbara scholæ personabant, quæ adhuc à multis mordicus retinentur, incitiam meliorum, aut quia dediscere pudet, quæ tam operosè didicerunt, aut quia monarchiæ Papalis interest vegeta ingenia nugis detineri. Vid. *Hobbes Leviathan c. 46. 47.* *Plutarchus Alexandro de metaphysicis Aristotelis: ἀληθῶς ἢ μὴ τὰ φύσιν*

σὺν πραγματείᾳ, πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν ἔστιν ἔχθρ' ἤξιμος. *Revera commentarius ille metaphysicus ad docendum vel discendum nihil habet compendii. Martialis I. Epist. 86. Turpe est difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum.* Has inanes literas maxime despicit, prout quisque solidis literis fuerit instructor. Denique quod vitium est ineptæ disciplinæ & malefanorum Orbiliorum, id hautquaquam ipsis literis est adscribendum. Vid. *Charron de la Sageffe* l. 3. c. 14. n. 21. *seqq.* Sic quis ad sapientiam & prudentiam aliquid proficiat in tali schola, qualem Uranii philosophastri describit *Agathias* l. 2. *Cum sua habent conciliabula, prout cuique libitum fuerit, irreverenter de sublimibus hisce rebus, divinisque questionibus sermones miscent; & semper de iisdem argutantes, nec ipsi aliis quidquam persuadent, neque de concepta semel opinione, qualiscunque ea tandem sit, discedunt, sed eadem semper mordicus retinent & tuentur, finitæque alteratione insensis inter se animis decedunt, & apertis convicijs sese mutuo lacesunt, turpes voces emittentes, instar aleatorum rixantium.* Atque ita solvitur ipsis certamen, nullo cum fructu dato vel accepto, acerrimi verò hostes ex amicis facti. Ad directorem autem diatribes hoc pertinet: *μὴν δὲ τῶν θρασῶν εἶναι καὶ συμυλάταις ἐν εἰδῶς ἐν εἰδόσιν ἐνικα. Sola præfidentia & inani lingua volubilitate nihil sciens inter nihil scientes vincebat.* Similem disputandi processum describit *Lucianus in bis accusato.* Addatur *Idem* in dialogo, qui inscribitur *Chiron.* De cætero quis dubitet bona indole præditum, ubi solidis literis imbutus fuerit, in rebus gerendis expeditius progressorum, quam folis naturalibus viribus succinctum? *Plutarchus de educ. lib. ὁ θεωρητικὸς ἢ πρακτικὸν διαμαρτάνων, ἀνοφελὲς ὁ ἢ πρακτικὸς, ἀμοιρῆσας φιλοσοφίας, ἀμυστὸν καὶ πλημμελὲς. Contemplator si actionibus abstineat, inutilis: rebus gerendis deditus, philosophiæ ignarus, rudis est & facile errat.* *Vetus Poëta: γράμματα μαθεῖν δεῖ, καὶ μαθόντα τὴν ἔχεν. Oportet literas discere, & discitem sapere.* *Salustius Jugurth. Quo magis pravitatis eorum admiranda est, qui ingenium, quo neque melius neque*

amplius

*amplius in natura mortalium est, incultu atque fœcordia torpescere
 sœnunt. Ælian. V. H. l. 7. c. 15. Cum Mitylenenses imperium maris te-
 nerent, sociis, qui desciscabant, hanc pœnam imposuerunt, ut libe-
 ros suos non docerent literas, neque Musicam: omnium suppliciorum
 hoc gravissimum judicantes, in inscitia & ignorantia artium libera-
 lium vitam transigere. Addantur quæ Cicero Off. I. tradit de studio
 veritatis investigandæ. Est tamen illis, qui circa studia literarum
 versantur, in primis observandum, ut illa ad usum aliquem vitæ
 humanæ referant, & ad culturam ac perfectionem animi, nec pro-
 sterili occupatione fallendo tempori habeant. Aristippus apud Dio-
 genem Laërt. l. 2. interrogatus, quænam sint ea, quæ pueros hon-
 nestos addiscere oporteat? Ea, inquit, quibus, cum viri fuerint,
 utantur. Ac improbum est, qui tam egregias animo teneat
 sententias, idiotis nihilo meliorem esse. Pacuvius apud Gellium
 l. 53. c. 3. Ego odi homines ignava opera, & philosopha sententia. I-
 socrates encom. Helena: Sophistas decebat suos auditores in iis re-
 bus, quæ in vita communi usum habent, erudire; atque in actioni-
 bus civilibus, earumque peritiâ exercere; illud cogitantes, longe præ-
 stabilius esse, de rebus utilibus mediocres opiniones habere, quam super-
 vacuarum exquisitam notitiâ: & aliis paulo superiorem esse in ma-
 gnis, quam in parvis, præsertim iis, quæ vitam nihil adjuvant,
 multum excellere. Lucianus Convivio: εἰδὲν ὀφείλει τοῖς ἀδελφοῖς τὰ μέ-
 γιστα, ἢ μή τις ἀρα καὶ τοῦ βίου συθμιζέει πρὸς τὸ βέλτιον. Nil prodest
 nosse literas, nisi quis & vitam melius disponat. Apud Ægyptios bi-
 bliotheca inscribebatur medicatorium animæ. Diodor. Sicul. l. 1. c. 49.
 Prave eruditi sunt, in quos cadit illud Arriani Epiicteto; l. 4. c. 5.
 ἐν σχολῇ λέοντες, ἔξω δὲ δαίμονες, in schola leones, foris vulpecula.
 Tum ne omnis licentia in nudam autoritatem, & audiendi con-
 sœtudinem, ac verborum non intellectorem imitationem re-
 solvatur; sed ut in solida rerum fundamenta inquiratur. Circa
 ea, quæ nondum ad liquidam demonstrationem deducta
 sunt, pertinacia absit, ac lubenter prior opinio mutetur, u-
 bi meliora & certiora fuerint ostensa; quod facile sit, ut a-
 lii perspicacia ingenii nos superent, & sequens dies priorem do-
 ceat*

ceat. Id enim certissimum generosi animi indicium. *Sophocles Antigone.* ἀλλ' ἀνδρᾶ κέρτις ἢ θοός, τὸ μὴ θάνατον πολλὰ ἀγχαρὸν εἶδέν καὶ τὸ μὴ λείπειν ἀγαν. Sed & sapientem virum discere multa non est turpe, & non nimium repugnare. *Plinius N.H. l. 3. proæm.* Minime mirum est, hominem genitum non omnia humana novisse. Idem l. XI. c. 3. *Mihi contuenti se persuasit rerum natura, nihil incredibile existimare de ea.* Inde est apud *D. g. Laërt. l. X.* ἢ κατὰ νομοθεσίας φυσιολογητικόν, ἀλλ' ὡς τὰ φανέρωτα ἐκείνων. non juxta legis sanctionem de natura differendum, sed sicut ea, quæ videatur, hortantur. *Cicero de Nat. Deor. l. 1.* Obest plerunque ius, qui discere volunt, autoritas eorum, qui se docere profitentur. Desiunt enim suum iudicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. *Quintilian. Instit. Orat. l. 3. c. 1.* Illi probant quaecumque ingressi sunt iter: nec facile inculcatas pueris persuasiones mutaveris, quia nemo non didicisse mavult, quam discere. Idem l. 7. c. ult. *Nemo minui velit id, in quo maximus fuit.* *Horat. II. ep. 1.* Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt: Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ Imberbes didicere, senes perdenda fateri. Enimvero πρὸ ἀληθείας χαλιπαίρειν ἢ θέρμειν, veritati indignari nefas. *Plato de rep. l. 5.* Et supervacuum foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis. Denique ne quis ita se penitus immergat libris, ut alia officia negligat, & ad vitæ civilis genium inhabilis reddatur. *Lucianus Convivio.* τὸ περὶ ἀειδέσθαι ἀπάγῃ τῶν ὀρθῶν λογισμῶν ἵως εἰς μὴνα τὰ βιβλία, καὶ τὰ ἐν ἐκείνοις φροντισίας συνεχῆ ἀφορῶντας. *Literarum studia à recta ratiocinatione abducunt eos, qui in solos libros, & eorum curam cogitationes continuo defixerunt.* Alias enim pedantismus mentis, non literarum aut scæ alicujus initium est, sed omnis generis, conditionis & ordinis homines perambulat.

§. 14. Quanquam autem præcipua & maxime operosa circa animum cultura versetur, non tamen ideo corporis cura est negligenda, quippe cujus fulturis animus sustinetur, & quo male se habente animus quoque parum præclari effecerit. Est igitur quantum in nobis, opera danda, ut mens sana in sano corpore habitet, & ut illud ad laborum potius patientiam induretur, quam deliciis, & molli otio frangatur. Vid. *Diodorus Siculus l. 1. c. 45.* Apud *Lucianum de La-*

Psa

psu inter salutandum. Pyrrhus memoratur quotidianis sacrificiis Deos nihil aliud orasse, quam *ὕγιαίην, valere*, quod hoc omnia bona contineat. Tum cavendum, ne intemperantia cibi, potusque, intemptivo & non necessario labore, aliavè ratione ejus vigor viresque affligantur. Quo nomine vitanda est ingluvies, ebrietas, immodica Venus, & similia. *Juvenal. sat. XI. Bucca noscenda est mensura tua.* Add. quæ contra incontinentiam disputat *Socrates* apud *Xenophontem apomnem. l. 1.* Argutum est dictum *Democriti* apud *Plutarchum de sanitate tuenda: ei τὸ σῶμα διῶσατο τῆ ψυχῆ, κακῶςως, ἐν ἀνάντιῳ ὑποφυεῖν.* Si damni dati accusaret animam corpus, illam quin condemnatur effugere non posse. Et si reponi queat, errores animi circa victum ac voluptatem, cæteraque quæ corporis tutelam spectant, inde provenire, quod animus præter rationis monita cedat appetitui & affectibus corporeis, sic ut conditio corporis per mentem nunquam reddatur deterior. Nec minus celebre *Theophrasti* dictum: *πολὸν τῆς ζωῆς τιμὴν ἐπιφέρει ἢ ψυχῆ.* magnam mercedem pro inhabitatione anima persolvit corpori. Add. *Baco sermon. fidel. c. 30.*

§. 15. Vita nostra nobis à Creatore concessa est, velut stadium aliquod, exserendis ex dictamine rationis nostris viribus: eoque illa non reciprocatione spiritus, sed bonis actionibus metienda est. Unde cavendum cuilibet, ne sit *ἑτάσιον ἀχρῆτον ἀργῆς, inutile terra pondus*, sibi inutilis, aliis gravis; numerus tantum, & fruges consumere natus; aut cui in solo vivendi causa palato est. *Cicero de Nat. Deor. l. 2. Mihi, qui nihil agit, esse omnino non videtur. Ovidius de Ponto l. 1. El. 6. Mors nobis tempus habetur iners. Silius Italicus l. 3. Quantum etenim distant à morte silentia vitæ? Theocritus idyll. 14. ποιεῖν τῆ θεῶν ὅτι γίνῃ χλωρῆν.* Oportet quid agere, quibus genu est viride. Add. *Gellius l. 19. c. 10.* Cum porro industria hominum sese soleat exserere vel circa quærendas res vitæ servandæ necessarias, vel circa obeunda munia vitæ socialis & civilis, quæ magnam fere habeat varietatem, & quibus non quivis æque idoneus est; inde cuilibet mature capessendum & eligendum genus vitæ, honestum, proficuum & suæ capacitati conveniens. Ad quod plerumque viam velut designat impulsus genii, corporis & ingenii peculiaris habilitas, natalium

lium conditio , fortunæ bona , parentum autoritas , quandoque imperium civile , invitans occasio , aut necessitas. *Isocrates Areopagitico* de veteribus Atheniensibus : *Univerſis eadem exercitationes præſcribere in tanta rei familiaris inæqualitate non potuerunt : ſed ut ſingulorum facultates ferebant , ita ſingulis præcipiebant.* Nam tenuiores ad agriculturam & negotiationes deducebant : non ignari , & inopia cauſam eſſe pigritiam , & ad facinus inopia plerique impelli. *Quare fonte malorum ſublato , etiam cætera delicta , quæ inde velut ebullirent , cenſebant poſſe præcaveri.* *Locupletes autem animum ad rem equeſtrem , ad gymnafia , ad venationes , & philoſophiam adjungere cogebant.* Hoc enim eam vim habere perſpiciebant , ut alii virtutibus excellere , alii flagitiis plurimis abſtinerent. Apud *Ægyptios & Indos* quilibet paternam artem excolere jubebatur. *Diodorus Sicul.* l. 1. c. 74. & l. 12. c. 41. cujus inſtituti rationem reddit *Isocrates laud. Buſir.* Idem receptum erat ſub imperio *Yncarum* apud *Peruvianos* ; ſolis autem nobilibus licebat capeſſere cultum ſcientiarum , non item plebejis. *Garcilaſſus de la Vega Comment. Reg.* l. 4. c. 19. Huc quoque facit illud *Xenophontis Cyrop.* l. 2. ἄτοι κατὰς τοὺς ἑκάςτα γίγνονται , οἱ ἂν ἀφίρμυοι ἢ πολλοὶς ἀποστέχον ἢ οὐκ , ἢ μὴ ἐν ἑγγυον πράττων. *Singulis in rebus ii præſtantiffimi efficiuntur , qui miſſis multarum rerum occupationibus , uni ſe operi alicui dederint.* Et l. 8. ἀδύνατον πολλὰ τεχνόματα ἀνθρώπων πάντα καλῶς ποιεῖν. *Fieri non poteſt , ut qui multas artes exercet , multa præclare faciat.* Unde in ſtatu ſanæ rationi adverſo vivunt , non ſolum qui ex facinoribus victitant ; ſed & qui à muneribus vitæ communibus ſe præter neceſſitatem ſubtrahunt ; uti inter alios ſunt multi ex eremitis , & monachis , & ex veteribus philoſophis nonnulli. Item valida mendicabula abuſum divini Nominis in quaſtum vertentia , Deumque ſibi velut tributarium reddentia ; quorum nequitia eo major eſt , ſi ultro ſibi membra diſtorqueant , aut mutilent , ut ne ſi velint quidem , frugi deinceps eſſe poſſint. Memorabile eſt , quod apud *Chinenses* nemini ſano , quantumvis oculis orbatō , mendicare permittitur , ſed hi molas truſatiles verſando victum ſibi

ſibi

fibi parant. *Martinus Hist. Sin.* l. c. c. 34. Quia autem celeri lapsu ruit tempus, & inopinantes sæpe mors opprimit, ac nemini jam eam defugere licet; ideo & mature vita utendum, nec prolixa nimis tela actionum ordiendâ. *Martialis* I. *Epist.* 16. *Non est crede mihi sapientis dicere, Vivam. Sera nimis vita est crastina; Vive hodie.* *Silius Italicus* l. 3. *Brevitas vetat mutabilis hora prolatare diem.* *Horat.* I. *Epist.* 4. *Inter spem, curamque timores inter & iras, Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Grata superveniet, qua non sperabitur, hora.* Idem. *Vita summa brevis spem nos vetat inchoare longam.* Denique & semper velut subductas vitæ rationes habere debemus, & mature adversus terrores mortis animum obfirmare, quo citra indignationem & trepidationem Creatori, quod precario dedit utendum, reposcenti resignare queamus. *Silius Italicus* l. 9. *Virtus futile nomen, Ni decus adfuerit patiendo, ubi tempora lethi Proxima sint.* *Plinius* N. H. l. 7. c. 40. *Alius de alio judicat dies, & tamen supremus de omnibus.* *Arrianus Epicteto* l. I. c. I. τῆς ὥρας ἐλθούσης εἴτα ἴσθι τιθνήσκουαι. πῶς; ὡς προσήκοντα τὰ ἀλλότρια ἀποδίδουαι. *Cum hora aderit, tunc statim moriar, quomodo? ut eum decet, qui restituit aliena.* Addatur *Marcus Antoninus* l. 12. §. ult. & *Baco Sermôn.* fidel. c. 2.

§. 16. Porro quantopere homo vitam suam amet, & quam ejus conservatio ipsi cordi sit, manifestum est. Verum an solus ille naturalis instinctus, quem cum brutis habet communem, cum ad id propellat; an vero insuper accedat aliquod jussum legis naturalis, dubio non caret. Cum enim sibi ipsi nemo possit obligari, non adparet, quæ efficacia sit illius legis, quæ in seipso terminatur, cujusque servandæ necessitatem mihi, quodcumque velim, remittere queam, & quæ violata, nemini injuria fiat. Sed & supervacuum videri potest, super isthac re legem ferre, cum jam antea per anxiam tencritatem

amoris proprii homo ita feratur ad se ipsum curandum & conservandum, ut ne si velit quidem, facile in diversum abire queat. *Seneca de benefic. l. IV. c. 17. Supervacuum est, in quod imus impelli. Nemo in amore sui cohortandus est, quem adeo dum nascitur, trahit. E-* nimvero si soli duntaxat sibi homo esset natus, fatemur conveniens fore, ut in absoluto ipsius arbitrio relinqueretur, quid de se ipse stateret. Sed cum ex omnium sapientum consensu Creator Opt. Max. hominem condiderit, ut ipsi inserviat, excultisque bonis, ab ipso sibi concessis, ejusdem gloriam redderet illustriorem; cumque socialitas, ad quam homo conditus est, exerceri commode & servari nequeat; nō quilibet se ipsum, quantum in se, excolat, & servet; cum totius societatis humanæ salus intelligi nequeat, si singuli salvi sint, nec ne, nihil intersit: adparet abjecta plane sui cura hominem non sibi quidem, sed Deo creatori, sed generi humano facere injuriam. Conf. tamen *Anton. Matthæus de crimin. proleg. c. 3. §. 4.* Deinde usque adeo non sequitur, jus naturæ istud non præcipere, quia instinctus jam ante in id satis acriter ferebatur; ut potius iste dictamini rationis velut succenturiari videatur, quasi hoc solum non sufficiat fundamento generis humani continendo. Sane enim si considerentur molestiæ, quæ vitam humanam comitantur, longe superantes exiguum illud & vile voluptatum, eodem tenore, sed languidius fere & non citra fastidium recursans: ac quam multis vita producat, ut plura excipere mala possint; quotusquisque non primo quoque tempore vitam abrumperet, nō instinctus tantopere eandem commendaret; aut in morte tanta opinio acerbitalis esset conjuncta: aut quotusquisque instinctum istum non vinceret, nō omnipotentis Creatoris jussa obstarent? Nec plane de nihilo sunt illa apud *Quintilianum declam. 4. Quid jurat, ô misera mortalitas, animam per tot annos, etiam si natura patiatur, per infinita temporum spatia tristissimo corporis retinere complexu? Si cuncta gaudia nostra, si voluptates, & quacunque ex hac universitate mundi vel sollicitant adpectu, vel blandiuntur usu, diligenter excutias, tota vita hominis unus est dies. Humiles prorsus abjectaque mentes, quas non implent hæc eadem semperque redeuntia: ut qui honestis operatus artibus sciat, quis finis bonorum, qua*
vera

vera felicitas, nunquam sibi videbitur prematura morte periturus: & lucis causas ad animum mentemque referentium neminem quotidie vita non satiat. Relaturum me nunc putatis, quanto plura sint in hac aevi brevitate fugienda: comparaturum gaudis, prosperis, metus, calamitates? Illa aestimemus, propter quae fatigamus votis deos, propter quae brevem querimus aetatem. Nempe sunt Vanitas, cupidus, luxuria, libido. Non pudet propter haec ferre debilitates, luctus, spatia morborum? & cum liceat evadere, malle pati? Et paulo ante: Hoc maximum, quod pro incolumitate hominis natura commenta est, ut periremus inviti: & contra tot adversos casus, patientiae nobis equanimitate succurreret. Apud Xenophontem apomnem. l. i. Socrates $\Gamma\omicron\upsilon\delta\mu\iota\sigma\tau\epsilon\rho\upsilon\ \lambda\epsilon\chi\tau\eta\mu\alpha$, sapientis conditoris artificium iudicat, quod cupiditatem procreanda sobolis nobis immisit, matribus vero cupiditatem nutriendi, procreatis autem atque nutritis magnum vivendi desiderium, maximumque moriendi timorem. Quorum ultimus etiam suam cuique vitam ab aliis hominibus tutam praestat. Quam facile enim esset occidere, nisi mori acerbum foret? Unde dominus est alienae vitae, qui suam contempsit; & aliena capita necum custodiunt. Add. Charron. de la Sageſſe l. 2. c. 11. n. 8.

§ 17. Illud altioris est indaginis, an & quousque homini aliqua potestas in propriam vitam competat, ad eam vel periculo accipiti ultro exponendam, vel lentis viis atterendam, vel denique violento modo abrumpendam. Sane multi antiquorum absolutum haec fati homini jus concedebant, sic ut crederent, posse aliquem nostro vitam pro altero pignori opponere, eam etiam citra conservationem alterius pro ipso devovere, & ubi ejus pertasum foret, ante naturalem seu fatalem terminum ipsam abrumpere. Plinio Nat. Hist. l. 2. b. 7. mortem sibi consciscere posse vocatur optimum in tantis vitae penis. Qui quidem nullo modo ab impietatis crimine absolvi potest, dum ita abjecte de maximo Dei beneficio sentire non veretur. Nobis quid principis juris naturalis maxime videatur congruum, inquisivisse curae erit. Illud igitur primo dubium non habet, cum homo possit, & debeat sua opera aliis inservire & vero certum genus laborum, aut eorum intensio vires hominis ita afficiat, ut finium, vitaeque terminus maturius ingruat, quam si quis molliter

ætatem exegisset ; recte posse aliquem paulo brevius ævi spatium eligere , ut facultatum suarum usum aliis hominibus largius dispenderit. Cum enim non nobis solis vivamus , sed Deo & societati humanæ ; inde si vel gloria Creatoris , vel salus societatis humanæ vitam nostram velut deponat , eam sane ad istos usus libenter consumere debemus. *Statius Thebaid.* l. X. *Felix qui tanta lucem mercede relinquit.* Horat. Carm. III. 2. *Dulce & decorum est pro patria mori. Mors & fugacem persequitur virum , Nec parcat imbellis juventa Poplitibus , timidoque tergo.* Huc facit Pompeji Magni dictum , qui cum Romam fames premeret , annonæ importandæ præfectus , & amici vehementer dissuaderent , ne mari tempestuoso se crederet , respondit : *necessè est ut eam , non ut vivam.* Achilles apud *Homerum* Iliad. 1. elegit vita potius brevi , sed gloriosa defungi , quam ingloriam , domi desidem ad extremas ætatis metas pervenire.

§. 18. Deinde cum certum sit , sæpenumero multorum vitam servari non posse , nisi pro iis alii probabili sese vitæ periculo exponant ; id quoque constat , ex jussu imperantis legitimi posse alicui injungi obligationem , ut ejusmodi periculum declinare ipsi non liceat , nisi gravissimas subire pœnas velit. Quo fundamento obligatio militum nititur , de qua suo loco pluribus. Egregie Socrates apud *Platonem* in *apologia* : *ἔάν τις ἑαυτὸν τάξῃ ἡγεμόνῳ βέλτιστον εἶναι, ἢ δὲ ἀρχόντων ἄρχῃ, ὅσαυτα δὲ μόνοντα κινδυνεύον, μὴδὲν ἰσολογιζέμενον, μήτε θάνατον, μήτε ἄλλο τι μὴδὲ ποτὶ ἀχαρῶν.* Quo quisque in loco vel seipsum constituit , arbitratus id optimum esse , vel à superiore jubetur consistere , in eo permanere oportet , periculumque subire , neque mortem , neque aliud quidquam magis , quam turpitudinem formidantem. Sed neque in ipsa ratione naturali , neque in divinis literis ; quæ vitam pro fratribus profundere jubent , quidquam repugnare videtur , quo minus etiam citra tam rigidum imperium ultro quis probabili sese vitæ periculo pro aliis exponere queat ; modo spes aliqua sit istud in aliorum salutem cessurum , & hi digni sint , qui tam care redimantur. Nam id stolidum fuerit , alteri perituro sese frustra comitem addere , aut egregium virum pro homi-

homine nauci jugulari. *Grotius ad Ionæ c.l. 12. Si homo unus, ut multos servet, recte morti se offert, quod Demostheni dicebat Phocion: multo id faciet justius, qui se aliis periculi scit esse causam.* Unde etiam nos licitum putamus, ut quis pro altero, præsertim innocente ac præstanti viro, vadem sese constituat, aut ad securitatem salutis multorum obsidem se dedat, sub periculo mortis subeundæ, si reus se non stiterit, aut pactum non fuerit servatum. Quanquam ab altero hujusmodi vades ac obsides recte morre plecti nequeant: uti alibi ostendemus. Ejusmodi tamen devotiones, quæ non nisi vanam fidei, & fortitudinis ostentationem citra ullum usum habent, quales apud Japonenses adhuc frequentari supra diximus, quin juri naturali repugnent, nulli dubitamus. Frustra enim pro virtute venditur, quod ratione caret. Enim vero hoc per legem naturæ præcipi, ut quivis cujusvis alterius vitam, cæteris præsertim paribus, suæ præferat, haut quidquam arbitramur; & contrarium non obscure suadent hominum communis illa inclinatio, & omni exceptione majores testes, qui proximum sibi quemque esse admittunt. Vid. 2. *Corinth. VIII. 13. 14. l. 14. princ. D. præscript. verb. l. 6. C. de servitut. l. 2. §. 9. D. de aqua plu. arc. Non obstat l. 5. §. 4. D. commodati. l. 1. §. 28. D. de Scto Silan. Add: Auctor de princip. justit. & decori p. m. 122. seqq.*

§. 19. Illud denique discutiendum restat, an homo proprio ex arbitrio, ubi jucunditatem vitalis auræ adspersus fuerit, aut declinandis ingentibus miseriis, & antevertendæ ignominiosæ morti jamjam impendenti, sibi ipse fata properare queat? Hanc in rem notissima est sententia *Platonis in Phadone*, Christianis etiam scriptoribus laudata: *ὡς ἐν τινι φρουρᾷ ἰσχυρῶν οἱ ἄνθρωποι, ἐν δὲ δὴ ἐαυτὸν ἐκλαύτης λύειν ἐδ' ἀποδιδράσκουσιν. in custodia quadam nos homines sumus, neque decet quemquam ex hac seipsum solvere, neque aufugere.* Id quod copiosius expressit *Lactantius div. instit. l. 3. c. 18. Sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tam diu habitaturos, donec jubeat emitti.* Etsi bene observandum, qualem sui interfectorem *Plato de LL. l. 9. ignominiosa sepultura afficiendum pronunciet.*

ὅς ἂν ἐαυτὸν κλείνῃ, τὸν τῆς εἰμαρμένης βίᾳ ἀποστερῶν μοῖραν, μήτε πόλιος ταξάσης δίκην, μήτε περιούσιον ἀφύκτω προσπικύσῃ τύχῃ ἀναγκασθεῖς, μηδὲ ἀσχύνεις τινὸς ἀπὸρῆς καὶ ἀβίᾳ μεταλαχῶν, ἀργίᾳ δὲ καὶ ἀνανδρείᾳ δεηθῆς ἐαυτῷ δίκην ἀδικοῦ ἔπιθεῖν.

Qui

Qui seipsum vita & sorte fatorum vi privaverit ; non iudicio civitatis, nec tristi & inevitabili fortuna casu coactus , neque pudore aliquo extremo compulsus ; sed ignavia, & formidolosi animi imbecillitate de seipso injuste statuerit. Aristoteles quoque Nicom. III. c. II. τὸ δὲ ἀπειθήσειν, φεύγοντα πνίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, ἐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλῆ μαλακία, ὅδ τὸ φεύγειν τὰ ἐπιπράτα. Mori autem vel ut paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi: quippe cum laboriosa fugere mollities sit. Seneca Pharisais. Non est virtus Timere vitam, sed malis ingentibus Obstare nec se vertere ac retro dare. Martialis l. XI. epist. 57. Rebus in angustiis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit, qui miser esse potest. Virgilius Aeneid. VI. in tartaro locum assignat iis, Qui sibi letum Infontes peperere manu, lucemque perosi Projecere animas. Procopius Hist. Goth. l. IV. Vitam abrumpere nullo mortis usu, praeceptus amentia est, caeca adversus mortem ferocia inanem quandam habet fortis animi speciem, à sapientibus insipientia ducitur. Amm. Marcellinus l. XXV. c. 4. Aequo iudicio juxta timidus est, & ignavus, qui quum non oportet, mori desiderat; & qui refugiat, cum sit opportunum. Add. Abr. Rogerius de Braminibus part. 2. c. 18. Nicolaus Trigautius de regno China l. 1. c. 9. Charron de la Sageffe l. 2. c. 11. n. 18. Grotius l. 2. c. 19. §. 5. Ubi memorat, tam apud gentiles, quam Ebraeos abs sepulturae honore fuisse exclusos, qui mortem sibi ipsi consciverant. Add. Josephus de bello Judaico l. 3. c. 25. Quamquam nonnulli Ebraeorum de lege se non interficiendi unam causam exceperunt, tanquam εὐλογον ἐξαρῶν ἦν, si quis videat, se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Nam quia non nobis, sed Deo in vitam nostram jus esse statuebant, existimabant solam Dei praesumptam voluntatem esse, quae mortis anticipandae consilium absolvat. Atque huc referunt Samsonis exemplum, qui in suo corpore vtram religionem videbat esse derisui: & Saulis, qui gladio incubuit, ne à Dei suisque hostibus illuderetur, & sua captivitate fortasse servitium populo conciliaret. Nam hunc respuisse isti volunt, postquam Samuelis umbra mortem ipsi praedixerat; quam gnarus sibi imminere si pugnaret, pugnam pro patria & Dei lege non detrectavit, aeternam inde laudem meritis Davidis etiam praerogatio, à quo & illi,

qui

qui Saulum cum honore sepelierant, recte facti testimonium retulerunt. Atque hoc aliqui ad similes quoque casus producunt, eo nixi fundamento: quemadmodum sibi nemo potest obligari, ita injuriam sibi non facere, qui vim vitæ suæ intulerit. Quod autem quis seipsum ex lege naturæ teneatur conservare, id inde esse, quia à Deo ad colendam societatem humanam est destinatus, quam ad desertoris instar aut infrequentis militis destituere hautquidquam possit: adeoque quod ego me teneat conservare, id me non debere mihi, sed Deo, & societati humanæ. (*Aristoteli Nicom.V. 15. ἀντιχρηστικὸν* non in seipsum, sed in civitatem injurii dicuntur, eoque nomine etiam ignominia affici.) Inde si respectus ille erga Deum, & genus hominum sit remotus, hominem sibi commendari per solum illum instinctum sensitivum videri, qui cum vim legis non habeat, eidem repugnasse quoque pro peccato non sit putandum. Inde illorum causam favorabilem judicant, certe miseratione quam aspera sententia digniorem, qui manus sibi inferunt, quod certitudine moraliter infallibili prævident, mortem sibi paulo post ab hoste cum cruciatu & ignominia adferendam; nec boni publici interesse, cur ad arbitrium alterius moriantur: aut quod ab aliis sibi vident intentari, quo admissio ipsi cæteris mortalibus deinceps sint fastidiendi. Quales sunt, qui cum mortem sibi ab hoste truculento, aut sævo principe instare cernerent, festinata fata maluerunt, quo tormenta, & ludibria, aut ignominiam carnificis effugerent; aut ut suis aliquod inde commodum procurarent. Sicuti apud *Tacitum Ann.VI.* est: *promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat; & quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum qui de se statuebant, humanabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Ex quo obiter patet, non usquequaque probari posse illud *Martialis l. 2. Ep. 80.* *Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit. Hic rogo non furor est, ne moriari, mori?* Nam uti *Æschines orat. de falsa legatione* loquitur: *οὐδὲ δούρατος δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐπιτρεχέμενον ἔχει φοβερὰ.* Neque enim terribilis est interitus: sed contumelia in morte est metuenda. Huc referri quoque solent fœminæ, aut formosi pueri, qui pudicitie suæ violationem hoc modo declinarunt. Vid. *Paulus Diaconus l. 15. de Dugna fœmina Aquilejensi.* *Eusebius hist. Eccles. l. 8. c. 24. 27.* Hos plausibiliter in

excusationem sui proferre posse arbitrantur : ex admota tantâ necessitate, & quam nisi velut per miraculum effugere non datur, se collegisse, missionem jam sibi à summo imperatore dari ; veniam quoque generis humani facile præsumi, cui jam perierint ; nec ullius interesse ; tantillo tempore mortem abs se anticipari, ut tormenta & ludibria non sentiant, quæ ad grave fortasse peccatum stimulare ipsos queant : nec videri generosos animos ad id necessitatis damnatos, ut omnino ad libidinem alterius, contumeliis prius vexati, vitam ponant. *Cicero Tusculan. quest. l. 1. Cato sic abiit è vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare. Cum vero causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis ; na ille mediusfidius vir sapiens, latus ex his tenebris in lucem illam excefferit : nec tamen illa vincula carceris ruperit : leges enim vetant : sed tanquam à magistratu aut aliqua potestate legitima, sic à Deo evocatus atque emissus exierit. Conf. l. 3. §. 6. D. de bonis eorum, qui ante sententiam. l. 45. §. 2. D. de jure fisci. Addatur Quintilianus declam. IV. Ant. Mattheus de crimin. ad l. 48. D. tit. V. c. 1. §. 9. Grotius ad Judic. c. XVI. 30. Verum isthæc nos quidem in medio relinquimus. Liud manifestum est, eos, qui vel solo remedio molestiarum vitæ humanæ communium, vel indignatione malorum, quæ humana ipsos societati non erubescendos erant redditura, vel metu dolorum, quæ fortiter toleratis exemplo suo prodesse aliis poterant, vitam ultro abrumpunt, nullam adferre posse sat validam defensionem, quo minus in legem naturæ peccasse sint censendi. Aliter sentire videtur Th. Morus Utopia l. 2. quod ego non probaverim. Illi vero contra merito à crimine *duroxeias* sunt eximendi, qui ex morbo, rationis usum adimente, manus sibi inferunt. Multos quoque, qui in voluntarium exitium ruunt, magnitudo consternationis apud æquos vitos excusat. Curtius l. IV. c. 16. *Vbi intrauit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare ceperunt. Lucanus l. 3. Mille modos inter leti mors una timori est, Qua cæpere mori. Mors timore appetita dicitur apud Svetonium Nerone c. 4. Addatur Mich. Montaigne ess. l. I. c. 17. Add. l. 14. §. 3. D. quod metus causa.* Id quoque heic observandum, ad rem nihil facere, propria quis manu cadat, an alios quovis modo adigat ad mortem sibi inferendam.*

Sic-

Sicut Dejanira apud *Senecam Hercule Octavo* loquitur: *Dextera sternar tua, sed mente nostra.* Nam qui mori heic & nunc non debuit, non excusatur, si alterius manibus in arcessenda morte usus fuerit; quippe cum ipse fecisse censeatur, quod quis per alium facit. Et si qui manus suas huic ministerio commodavit, crimine se quoque adstringere possit. Inde nobis non probantur illa *Flori* l. 4. c. 7. *Quis sapientissimos viros, (Brutum, & Cassium) non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi si hoc quoque ex persuasionem defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum, pientissimarumque animarum, iudicio suo, scelere alieno, uterentur.* Nam si istis nefas fuit vitam tunc abrumperere, nihil interfuit, sua an aliena manu perirent. Sin illud licitum fuit, non recte ministris scelus tribuitur. Et si ad locum *Flori* illustrandum possit facere illud *Æschini orat. contra Ctesiphontem: εἰς τὴν αἰὼν ἀσχετόν, ἢ χαῖρα τῷ ἴτῳ ἀπάσαν χρεῖς ἢ λῆματ' ἀνάλοπον.* Si quis seipsum occiderit, manum, qua id fecit, à reliquo corpore sepelimus. Cæterum cum nos absolutam homini in vitam propriam detrahamus potestatem; adparet quoque, non posse probari leges illas, quæ vel jubent, vel permittunt civibus ultro vitam projicere. Qualis lex apud *Taprobanenses* memoratur *Diodoro Siculo* l. 2. c. 57. quæ statutum erat, ut ad certum annorum numerum viverent; quo expleto, insolenti mortis genere decedebant, herba indormientes, qua citra sensum doloris necat. Add. *Idem* l. 3. c. 33. de *Megabareis*, gente *Troglodytica*. Sic apud *Ceos* edicebat lex, majores sexaginta annis aconito vitam finire, ut reliquis cibaria sufficerent. *Strabo* l. X. *Heraclides de Politis*. Et si *Ælianus* V. H. l. 3. c. 37. hanc causam alleget, quod sibi ipsis conscii sint, se ad promovenda commoda patriæ inutiles amplius esse, animo jam ob ætatem delirare incipiente. Add. *Valerius Maximus* l. 2. c. 6. §. 7. 8. De morte *Herulorum*, apud quos senio aut valetudine debiles mortem ultro sibi arcessabant, uxoribus quoque ad mariti sic defuncti monumentum laqueo sese necantibus, vid. *Procopius hist. Goth.* l. 2. De *Sardis*, & *Berbicis* vid. *Ælianus* l. 4. c. 1. De *Massagetis* *Strabo* l. II. & *Herodotus Clis* in fine.

CAPUT V.

DE DEFENSIONE SUI.

1. *Defensio sui violentia est licita.* | 2. *An etiam naturalijure præcepta?*
Ll 2 | 3. De-

- | | |
|--|---|
| 3. <i>Defensio qualis in libertate naturali?</i> | 12. <i>nec non alapa.</i> |
| 4. <i>Qualis eadem in civitatibus?</i> | 13. <i>An fugere quis teneatur?</i> |
| 5. <i>An & contra invasorem errantem:</i> | 14. <i>An religio Christiana diversum heic disponat?</i> |
| 6. <i>Tempus defensionis in libertate naturali;</i> | 15. <i>Cedes in defensione patrata est innoxia.</i> |
| 7. 8. 9. <i>& in statu civili quomodo se habeat?</i> | 16. <i>De defensione rerum.</i> |
| 10. <i>De mutilatione membri:</i> | 17. 18. <i>De fure nocturno.</i> |
| 11. <i>& pudicitia:</i> | 19. <i>De defensione ejus, qui injuria initium fecit.</i> |

AD conservationem sui, quam cuique & amor longe tenerrimus, & ipsa ratio commendat, pertinet quoque sui defensio, seu propulsatio malorum in læsionem hominis tendentium, quæ ab altero homine intentantur. Isthæc defensio duplici modo instituitur; vel sine læsione ejus, qui malum nobis machinatur, vel cum ejusdem læsione ac pernicie. Prior quin sit licita, omnique peccato vacet, nemo sanus unquam in dubium revocavit. Circa posteriorem autem nonnullis ideo scrupulus fuit obortus, quod per ipsam utique lædatur, aut perdatur nostri similis homo, quicum ad colendam vitam sociale adstringimur, & quo extincto parem jacturam videtur facere genus humanum, quam si ipsi pereamus. Et quod majores turbæ societatem humanam videantur invadere, si vim intentantem vi repellamus, quam si vel per fugam malum declinemus, aut ubi id non datur, corpus nostrum patienter invadenti præbeamus. Enimvero quod defensio nostri non priori duntaxat modo possit institui, sed &, ubi iste locum non habuerit, cum læsione ejus, qui nos oppugnatum it; & ratio evincit, & sapientum juxta atque vulgi consensus adprobat. Equidem ad pacem cum sui similibus agendam homo conditus est, omnesque naturæ leges, quæ alios homines spectant, primario ad pacem constituendam, & servandam tendunt. Nec minus tamen natura ad vim confugere quandoque indulget, ubi aliter per alterius injuriam salvi esse non possumus. Scilicet obligatio ad exercendas invicem leges naturæ, & officia pacis est mutua, & omnes homines æqualiter stringit; neque ulli præ altero privi-

privilegium per naturam competit, ut ipse in altero violare eas leges queat, alter autem adversus hunc pacem continuare teneatur. Sed utrinque stringens obligatio facit, ut munia pacis mutuo debeant exerceri. Adeoque ubi alter contra leges pacis talia adversus me suscipere aggreditur, quæ ad meam perniciem spectant, impudentissime à me postulaverit, ut ego ipsum deinceps sacrosanctum habeam; id est; ut meam salutem prodam, quo ipsius malitia impune grassari queat.

Ευλογον και αναγκαιον τ' ἄλλοις πείσεσθαι δεινόν, ἀμύνασθαι, ἢ ὑπομείναι. Ἡ μὲν γὰρ Συμπορεῖ τ' πείσιν, και ἀνανδρείας λόγος ὡφθαλμοσθεῖ. *Rectum & necessarium vindicare magis quam accipere injuriam; quippe ad occisi calamitatem etiam infamia timiditatis accedit. Herodianus l. 4. c. 5.* Sed cum is infociabilem sese adversus me exhibeat, & ineptum ad recipienda à me officia pacis reddat; omnis mea cura ad expediendam propriam salutem revocatur; quæ ubi citra istius læsionem servari nequit, habet quod sibi imputet, qui ad isthanc necessitatem me adegit. *Horat. II. sat. 1. Nec quisquam noceat cupido mihi pacis. At ille, Qui me commovit (melius non tangere clamo,) Flebit.* Alias quippe omnia bona; quæ natura aut industria nobis dedit, frustra forent concessa, si alteri injuste illa invadenti vim non liceret opponere; & parata præda improbis expositi forent prohi, siquidem illi hisce vim nunquam deberent opponere. Sic ut violentam sui defensionem plane proscribere, hautquidquam paci, sed exitio generis humani conducatur. Neque vero lex naturæ, in salutem utique hominis instituta, tali quoque paci favere est censenda, quæ præsentem ipsius perniciem, & nihil minus, quam sociabilem vitam erat productura. *Add. Grotius l. 1. c. 2. & cap. 3. §. 3.*

§. 2. Illud non adeo liquidum est, an defensio violenta, & quæ cum læsione aut cæde invaloris conjuncta est, etiam sit in obligatione. Neque loquimur de militibus, aut viatorum præsidiis, qui dum se cum cæde hostium aut latronum defendunt, patriam simul, aut fidei suæ commissos protectum eunt; in quos quadrare potest illud *Seneca Phœnissis: Vitam tibi ipsi si negas, multis negas*: sed de iis, quos proprium duntaxat periculum in defensionem sui excitat. Quo facit illud *Plutarchi Phocione, quum Phocion culparetur, quod dimisisset Nicanorem, nec retinisset, negavit diffidere se Nicanori, vel quidquam ab eo expectare mali.*

*Sin secus foret, malle se omnibus innotescere injuriam accipere, quam facere. Hoc ab eo de seipso videatur estimanti probe & fortiter dictum. At qui salutem patriæ in præcipitem casum adducit, atque is dux & magistratus, haut scio, anne majus violet, & antiquius erga cives jus. Equidem sunt, qui eousque illam præceptam volunt, ut ne lege quidem civili eadem possit tolli; & qui se, cum defendere possent, occidi permittit, illum damnari posse, non aliter ac si seipsum occidisset. Vid. Ziegler. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 3. Et huc aliquo modo pertinet, quod Ephori Sciraphidam quendam multarunt, quod multi ipsum injuria afficerent. Plutarch. Instit. Lacon. Autor quodq; de princip. justis & decori. p. m. 33. In hanc sententiam inclinatur; argumento usus, quod præter alia, ad conservationem hominis spectantia, nobis sit insitus acutus sensus doloris, ardor vindictæ, manusque lædendis aliis, & propugnandis nobis habiles; quæ cum frustra non sint datæ, inde colligi, Deum velle, ut istas conservando mihi ipsi adhibeam. Ac perinde fore, si manibus meis non ad internecionem usq; in vasoris pugnem, quam si easdem ultro mihi abscindam. Eth. infr. p. 118. fateatur, legem illam de conservatione sui ipsius non esse ejusmodi necessitatis, quin eveniant nonnunquam casus, qui hominem in præstanda obedientia aut dispensent, aut sui juris faciant. Nobis id cum primis videtur considerandum, an aliorum multum intersit, ut qui invaditur sit superstes, an vero iste sibi duntaxat videatur vivere; ut priori quidem casu ad defensionem sui quocumque modo expediendam teneri aliquem dicamus, posteriori autem inter licita duntaxat habeamus, se cum eadem in vasoris defendere; præsertim ubi in vasoris vita multis est utilis, & probabiliter prævidetur, eundem, dum in ejusmodi facinore cæditur, damnationis insuper æternæ periculum incurrere. Nam et si magnitudo imminentis terroris merita personarum ita otiose trutinari non permittat; & ejus periculi, in quod quis seipsum conjecit, & ex quo sese eripere iterum pro lubitu potest, nulla habenda sit ratio, præsertim ab eo, cujus damno alter furit; (*Isocrates adversus Callimachum: Nonne absurdum est, istum in eo periculo à vobis petere misericordiam, quod penes ipsum est, & in quod se ipse conjecit, & quo etiam nunc liberari potest?*) Libanius declam. 23. ἀ ἐν ἰσθαδίῳ, ἐν ἀδελφῶν, ταῦτα αὐτῷ ἐδρασεῖν ἠδυνώσῃ. *Quæ passus non esset, nisi injuriis provocasset, hæc sibi ipse fecit injuria illata.* Tamen ut ejusmodi factum, ex quo tanta alteri mala proveniunt, inter debita numeretur,*

tur,

fur, & quo intermisso peccatum contrahatur, vero simile non videtur. Præsertim cum huc quoque applicari queat illud tritum: privilegio suo quemlibet posse renunciare, ubi citra præjudicium tertii id queat fieri. Id quod ita expressit *Quintilianus declam. 7. Omnium beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas. Quicquid in honorem alicujus inventum est, desinit privilegium vocari posse, si cogas. Cuncta, si videtur, jura percurrite; nusquam ades pro nobis sollicita lex est, ut quod præstat, extorqueat.*

§. 3. Sed ut super defensione sui accuratius cognoscatur, qua ratione illa temperanda, & quousque recte possit progredi, ante omnia distinguendum est, utrum, qui se defendit, in statu naturali: an vero in civili degat: quippe cum heic longe arctioribus, quam illic, limitibus ista sit circumscripta. Quod cum à multis non satis fuerit observatum, inde de inculcata sui tutela in universum tradidere, quæ de alterutro duntaxat statu vera sunt. Ast ubi distincte fuerit expositum, quidnam juris sit in statu naturali, facile dein patebit, quousque & quibus rationibus istud in civitatibus sit restrictum. Ac illud quidem prudentiæ est præceptum: *omnia prius, quam armis, experiri sapientem decere.* Cum enim omnis pugna habeat aliquid alex ancipitis; inde ubi ab altero injuria intentatur, consultius fuerit tutiora prius remedia tentare, quam in pugnam descendere. *Libanius declam. 1. ὁπῶντων μὴ τὰ δίκαια τῶν λόγων περιεῖλαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιτιθεῖσθαι ἀνδρωπιώτατον.* *Primum non statim ad arma ruere, magis autem verbis experiri, possisne quod jus est obtinere, id est homine dignius.* Sic si invasuram possim intercludere, ne ad me accedere queat, stulte cum eo manus citra necessitatem confero. Sic quem parietes ac janua possunt defendere, imprudenter pectus suum hosti objicit. *Terent. Eunuch. Tu quod cavere possis, stultum admittere est.* Deinde & hoc prudentis est, levis injuriæ patientia defungi, si commode fieri queat, adeoque de jure suo aliquid remittere potius, quam intempestiva defensione majori sese periculo exponere; præsertim ubi impetatur id, quod facile reparari aut pensari queat. *Plautus Amphitr. act. 2. sc. 2. Baccha bacchanti si velis adversarier, Ex insana insanio rem facies: feriet sepius. Si obsequare, una res solvas plaga. Idem Trucul. Si stimulos pugnis cadis, manibus plus dolet.*
Mar-

Martialis VI. epigr. 64. Sed miserere tui, rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivit averis urfi. Sicut sapientius meo iudicio facit, qui cum altero super decem aureis, quos ipsi debebat, utcunque transigit, quam qui molesta illos actione extorquere contendit, siquidem rabulis in mercedem linguæ quindecim fuerint dandi. *Martialis l. 7. Ep. 64. Ab miser & demens viginti litigat annis Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet!* *Theocritus Idyll. 23.* Ὀλίγω ἔτι ἔοικε κακῶ μέγα νεῖν ὀνειδίειν. *Par est exiguo malo magnam litem tollere. Præsertim cum νεῖν ὀνειδίειν κριστόνων ἀποθέσει ἀσπορον, contentionem adversus potentiores susceptam deponere difficile sit. Pindarus Olymp. Od. X. & ἔστιν ἀφάνεια ἰύχας ἐξ μαρναμένων ὀρίν ἰίλ ὀνειδίειν. Idem Isthm. Od. 4.* Sic summopere laudandum, quod de seipso prædicat *Isocrates de Permut. Ha artes mea fuerunt, ut ne quid ipse erga quemquam delinquerem: mihi vero si qua facta esset injuria, ut non iudicio me de inimicis vindicarem, sed controversias eorum amicis dirimendas permitterem.* *Lucianus Eunuchus:* τῆτο μὲν ὡς ἀληθῶς γελοῖον, ἰὸ φιλοσοφῶντας δικάζειν ἰὰ τοῦ ἀλλήλους. δῖον, εἰ ἔτι μέγα εἶν, καὶ εἰρήνην ἐν κρίσει διαλύειν ἰὰ ἐγκλήματα. *Hoc autem revera ridiculum, philosophiam professos inter se litigare, cum oporteret, licet magni momenti esset, controversiis amice inter se componere.* *Add. l. 4. §. 1. D. de alienat. jud. mut.* Sicuti & sæpe locum invenit illud *Polybii in excerptis Peirescianis*, quod tunc accommodabatur ad Achæos brevi clade perfunctos: εἰμὴ ταχέως ἀπολώμεθα, ἐν ἂν ἐσώθημεν, nisi celeriter periissemus, nunquam salvi fuissemus. *Seneca de Ira l. 2. c. 14.* Sæpe ratio patientiam svaedet, ira vindictam; & qui primis defungi malis potuimus, in majora devolvimur. *Quosdam unius verbi contumelia, non æquo animo lata, in exilium projecit: & qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex plenissima libertate deminui, servile in se attraxerunt jugum.* *Add. quoque Stobæus sermon. XIX.* Quo pertinet interpretatio dicti apud *Matth. V. 17.* quam adfert *Grotius l. 1. c. 2. §. 8.* Quanquam alii hoc dictum pertinere velint ad homines oppressos, & ubi justitiæ copia non est. *Conf. Thren. c. III. 28. 29. 30.* cum contra in bona republica quilibet teneatur injurias coram iudice exigere, (*Levit. V. 1.*) non propter vindictam (*Levit. XIX. 17. 18.*) sed animo justitiam legesque patriæ defendendi, & ne malis sua scelera lucro aut gaudio sint. *Lysias orat. contra Theomnestum:* ἀνελεύθερον καὶ λίαν φιλόδοκον εἶναι νομίζω κακηγορίας διδάξειν. *Illiberale nimium existimo & litigiosum maledicentia aliquem accusare.* *Apud Cyrenenses, teste Heraclide de politis,*

litiis, lex erat, ut πολυδίους, litigiosos cives ad tribunal Ephori traberent, & multam atque infamiam ipsis imponerent. Arriani Epictetus l. i. c. 25. ἀντιφῶν ὡς λίθου ἀκίνητος, ἢ ὄφρα τῶν λοιδορούντων; Si quis ut lapis audierit, quam è suis maledictis capiet utilitatem convitiator? Seneca de Ira l. 2. c. 32. Magni animi est injurias despicere. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. Ille magnus & nobilis est, qui more magna fera latratus minorum canum securus exaudit. Et si læsus istam hanc moderationem debet non tam lædenti, quippe qui quantum in se omnia humanitatis commercia cum ipso abruptit; quam propriæ securitati & tranquillitati. Unde quando quis ira aut dolore concitatus hos limites transilierit, laceffenti injuriam non facit, sed immoderate & imprudentius duntaxat egisse dicitur. Enimvero ubi hac ratione salus mea expediri, aut in tuto locari nequeat, res utique ad manus fuerit deducenda. Ubi si alter injuriam malitiose inferre perpendat, nec pœnitentia pravi conatus ductus ad pacem mecum denuo colendam redire velit, etiam cum cæde istum repellere licebit. Et si vel maxime vitam meam directe non impetat, puta si me plagis duntaxat velit onerare, aut membro aliquo non vitali mutilare, aut rebus me salvo corpore spoliare; tamen postquam semel pacem mecum abruptit, neque cautio mihi existit, quod ab istis initiis ad majores injurias non sit erupturus, etiam huic injuriæ repellendæ licebit extrema adhibere. Eo ipso enim, dum quis sese hostem mihi profiteretur, (id quod fit, quando injuriis me laceffit, nec pœnitentiæ signa ostendit,) dat mihi, quantum in se, adversus se licentiam in infinitum. ἢ ὡς ἰαυτα, ἀλλὰ μείζονα καὶ πλείονα οἱ ἀρχάντες δικαιοῦ ἀντιπάρσχειν εἰσι. Non enim eadem, sed plura & majora qui incipiunt, digni sunt, ut contra patiantur. Antiphon orat. XI. Equidem sunt, quibus hæc libertas resistendi in infinitum eo nomine displicet, quod jus defensionis, & resistendi injuria nunquam naturale fuerit, nisi cum respectu ordinis, sive salvo ordine, quem natura socialis suo fini consequendo, supremo loco destinavit. Cum in jure resistendi naturaliter insit hæc exceptio, nisi resistendo violetur ordo socialis, cujus primam & summam rationem ipsa natura habet. Nisi enim hæc cautio accederet, societas, ordinis necessarij & naturalis ratione non custodita, insociabilis fieret. Vid. Bæcler. ad Grot. l. i. c. 4. §. 2. Enimvero hautquidquam hoc asseritur, ejusmodi licentiam

resistendi in infinitum in omnibus casibus utique adhibendam; cum multæ possint intervenire considerationes, quæ la sum ad extremum procedere videntur; sed quod iste, abs quo injuria incipit, queri non possit, si extrema in ipsum statuatur. Ac tunc demum revera vita redderetur infociabilis, si licentiæ resistendi aliquis terminus statueretur inter eos, qui in naturali libertate vivunt. Qualis enim vita esset, si alter me semper modicis infestare verberibus pergeret, cujus malitiam alia ratione sistere, aut reprimere non daretur, nisi morte ipsi intentata? Aut si vicinus rapinis duntaxat, & vastationibus agrorum nos vellicare continuaret, neque nobis fas esset, istum cædibus repellere? Cum enim socialitas ad salutem universorum spectet, non sunt ejusmodi leges istius fingendæ, per quas modestissimo cuique semper misero esse necessarium foret, quotiescunq; pravo cuipiam jus naturæ violare placeret. Ac absurde societas inter homines injurias perferendi necessitate sancita statuitur. Unde stultus est, propriæque salutis ignavus proditor, qui hosti, quamdiu talis persistit, & hostilia exerceat, parcat, & frustra perire quam perdere inavult. Nam hætenus duntaxat lenitate, & humanitate adversus hostem jus naturæ uti me voluit, ut si ostendat, sese poenitentia ductum ab injuriis adversus me ferio velle desistere, ac damno pensato cautionem de non offendendo in posterum præstet, parcere, & ignoscere ipsi debeam, paceque instaurata eidem deinceps circa exercenda pacis officia vicissim respondere. *Hesiodus Op. & dier. l. 2. Εἰς ἃ ἄλλοις ἠγῶν τ' εἰς φιλότιμα, δίκην δ' ἐθέλει καὶ ἄλλοις εἶναι δέξασθαι.* Meram quippe vindictam, quæ nihil aliud præter lædentis dolorem & perniciem habet propositum, sub crudelitatis vitio natura inter homines proferipit. Cui consequens est, memoriam inimicitiarum, quantum fieri potest, deleri debere. Quo spectat illud apud *Ciceronem de inventione l. 2. Quod Thebani apud Amphictyonas accusati sint ob æneum tropæum positum victis Lacedæmoniiis: ideo quod aeternum inimicitiarum monumentum Grajos de Grajis statuere non oporteat.* Nam alias tropæa de ligno duntaxat excitari mos erat, ne nimis forent diuturna. Add. *Florus l. 3. c. 2. in fin. Seneca Herc. furente. Si aeterna semper odia mortales agant, Nec captus unquam cedat ex animo furor, sed arma felix teneat, infelix paret; Nihil relinquent bella.* Caterum in statu naturali degentes non solum in præsens intentatum periculum repellere, sed etiam eo depulso contra lædentem eousq; progredi possunt, quoad ab illo in futurum fati sibi cau-

tum

tum videatur. De qua cautione ita habendum: Si quis injuria facta, statim poenitentia ductus veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum ipso redire debeat, nec ampliorem cautionem ab eo recte videor exigere posse, præter fidem denuo dandam. Sufficienti enim est argumento, firmum ipsi esse propositum in posterum me non amplius lædendi, quem sponte facti poenituit, & qui ad petendam veniam ultro descendit. Ast cui per vim poenitentia est extorquenda, & qui tunc demum veniam petere instituit, quando resistendi vires deficiunt, ejus sola fides parum sufficiens cautio videtur. Igitur tali vel vires nocendi subtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, ut ne deinceps nobis existat formidabilis, postquam expromta semel malitia, nec rite emendata perpetuo ipsum suspectum reddidit.

§. 4. Ast vero quod licet in naturali libertate viventibus, qui suam salutem propriis viribus, proprioque ex judicio expediunt; id hautquam indulgetur illis, qui in civitatibus degunt, & quidem in primis adversus suos cives. Hi enim violentam sui defensionem adversus cives perpetuos aut temporarios ita moderari tenentur, ut eam tunc demum adhibeant, quando tempus ac locus non ferunt auxilium magistratus ad repellendam eam injuriam implorari, qua vita, viræque æquipollens, aut irreparabile damnum, in præsentaneum periculum conjicitur. Et quidem, ut periculum tantummodo depellatur; vindicta autem, & cautio de non offendendo in posterum magistratus arbitrio relinquatur. Nam cum alias in civitatibus leges dominantur, & *nihil tam contrarium sit juri & legibus, quam composita & constituta rep. quidquam agi per vim, Cicero de LL. l. 3. in ejusmodi duntaxat casu, & inter arma ab alio intentata istæ silent, nec se expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda. Add. Gellius l. 4. c. 14. Quintilianus declam. 13. Nos ideo magistratus legesque à majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assidua scelerum causa se refellant, si ultio crimen imitabitur.* Et ex hisce fundamentis liquido possunt decidi, quæ passim ab auctoribus super moderamine inculpatæ tutelæ disputantur.

§. 5. Et quidem dubitatum fuit à quibusdam, an cum cæde repelli possit ejusmodi invasor, qui non me, sed alium, destinato consilio invadere parabat, & abs quo dolus malus aberat? Ubi fundamenti loco *Grotius l. 2. c. 1. §. 3.* supponit, jus defensionis primario, & per se nasci ex eo, quod natura quemque sibi commendat, quodque adeo non

possit non quisque omni conatu ad propriam salutem expediendam incumberet; non autem ex iniustitia aut peccato ejus, abs quo periculum intentatur. Scilicet ad innocentiam defensionis sufficit, quod alteri non sit jus ad me invadendum, & occidendum, neque in me sit obligatio mortem citra reluctantiam subeundi. De cætero cum proprius amor omnes alias considerationes hoc in casu longe superet, non potest non naturaliter homo in pari cum altero periculo constitutus, non sibi potius, quam alteri consulere; & cum periculum illud ab altero mihi immerenti creetur, eo minus invidiosum est malum in autorem suum recidere. Quibus positus facile est peculiare casus, qui heic dari possunt, definire. Si enim quis insania agitur, aut diris insomniis excitus, aut lunaticus, (quales interdum noctu cum telis per ædes ambulare tradunt,) mihi necem intenderit; cum nullum ipsi jus sit me invadendi, & ego mihi ipsi non immerito sim maximi, non adparet, quare ego meam salutem post ipsius habere debeam. Heic autem omnino præsupponitur, me nulla alia via potuisse periculum intentatum declinare. Id quod non ita scrupulose observatur in iis, qui dolo malo nos invadunt. Idem dici potest de illo, qui bona fide militat, si pro hoste me per errorem aggrediatur. Nam cum hostis quoque potuerit illi resistere, quare ego, in statu hostili cum ipso non constitutus, jugulum eidem præbere teneor? Et imprudentiæ suæ imputet, quod amicum hostilia inducere coegerit: cum nosse deberet, contra quos sibi militandum foret. Id quod etiam adplicari potest ad eum, qui inimico suo insidiaturus, me per errorem invadit. Cur enim ego ob errorem aggressoris deteriore sim conditione, quam alter, cui hic fortasse non sine causa irascebatur; Quin & iste aggressor legis Corneliæ de sicariis reus est. Nam ut error fuerit in persona, non tamen fuit error in proposito, & isti voluntas aderat & conatus eadem patrandi. Add. l. 18. §. 3. D. de injuriis. Et Grotius in *sparsiflorum* ad l. 14. D. ad L. Cornel. de sicariis.

§. 6. Ad moderamen inculpatae tutelæ vulgo requirunt periculum præsens, & velut in puncto; neque quamvis suspicionem aut formidinem adhuc incertam sufficere asserunt, ut quis alterum occupet. Verum circa hanc quoque assertionem non satis accurate distinguitur inter libertatem naturalem, & statum civilem. Nam etsi & heic punctum illud, quod vocant, sine aliqua latitudine non possit intelligi; certum tamen est, in naturali libertate constitutis laxius longe spatium indulgeri expediendæ de-
fen-

fensioni violentæ, quam iis, quorum salus patrocínio civitatum ambitur. Scilicet cum ad colendam cum aliis pacem per naturam obligemur, præsumitur quilibet isti obligationi satisfactorius, nisi claris indiciis de diversa ipsius voluntate constiterit; adeoque nisi pateat, eum sanæ rationi, quæ idem svadet, non obtemperare. Sed quia magna pars mortalium ad eam obligationem violandam est proclivis; igitur cui salus sua cordi est, mature sibi innoxia munimenta circumponet; puta, ut aditum præstruat hostilia molientibus, arma, & cætera ad vim repellendam aut faciendam compareret, socios sibi adjungat, aliorum conatus vigilanter observet, & quæ sunt similia. Ac merito sapiens prædicatur resp., quæ etiam pacis tempore debello cogitat. Et quanquam innocentibus in providentia divina magnum sit positum præsidium; nequidquam tamen sibi miracula cœlitus pollicetur, qui in torporem resolutus suarum rerum ipse non satagit. Quin & qui in civitatibus degimus, ubi bona nostra contra fures & grassatores acri pœnarum sanctione munita sunt, malum patrem familias arbitramur, qui sub noctem januas claudere, cistasque & conclavia obserare negligit. Sicut Romani etiam vilissima utensilium annulo signabant, contra furacitatem servorum, in quos tamen potestatem vitæ, ac necis obtinebant. Vid. *Tacit. A. II. 1.* Cæterum uti talibus remediis nemini profusus nocetur; ita ut obtentu defensionis mex alterum possim occupare, signa requiruntur, moralem certitudinem facientia, de infesto ipsius in me animo, ac lædendi destinatione, ut nî prævenire malim, primus mihi sit infestus expectandus. Quæ inter signa, ob quæ jus nanciscar ultro vim inferendi, haut quidquam numerari debet sola potentia, nimium gliscens, nostrisque viribus præponderans; præsertim ubi quis eandem innoxia industria, aut per benignitatem fati citra aliorum oppressionem adauxerit. Taliter partas quippe opes alteri velle invidere, aut destructum ire inhumana foret malitia. Et crasse nimis philosophantur, qui crepant: qui tibi nocere potest, idem & vult; ergo citra ullam aliam causam ipsum opprimere, si salutem tuam amas. Enimvero isthæc doctrina omnem inter homines socialitatem destruit; & qui pro illa citantur autores vel audiendi non sunt, vel de præcautione innoxia loquuntur, vel de talibus, qui voluntatem nocendi per signa satis declararunt. Et illi dicterio ap. *Ciceron. Ep. fam. XI. 28. etiam servis semper liberum fuit, timerent suo potius, quam alterius arbitrio: opponitur illud non minus argutum Vibii Crispi ap. Quintilianum*

L. 8. c. 5. *quis tibi ita timere permisit?* Et ipse Cicero orat. pro Tullio apud Quintil. l. 5. c. 13. *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur.* Neque vero quod ab uno aut altero peccatum est, id in normam agendi est allegandum. Add. Alberic. Gentil. de jure belli l. 1. c. 14. Quia tamen viribus quis suis abuti potest, ideo mature innoxia, uti dictum, munimenta sunt circumspicienda. Sed & si quis præter vires nocendi voluntatem quoque inesse sibi ostenderit, ne sic quidem directe mihi statim causa nascitur, ultro ipsum invadendi, siquidem nondum adversus me eam voluntatem exseruit. Neque enim sufficienti est argumento, aliquem mihi quoque nociturum, quia aliis nocuit; quippe cum causæ peculiare adversum alios ipsum potuerint incitare, quæ in me nonprehenduntur. Ac injuria alteri facta nondum mihi factæ causæ præbet lædentem invadendi, quamdiu tam læsus quam lædens solo humanitatis vinculo mihi jungitur. Et si facile sit, ut læso peculiariter obliger; puta, si ab ipso imploratus auxilium meum pacto promiserim. Id quippe maxime cum natura sociali congruit, ut quis, nulla licet injuria lacessitus, ad depellendam ab altero vim injustam, ex pacto vires cum ipso conjungere queat, licet iste, abs quo injuria incipit, communis vinculo humanitatis eidem quoque sit junctus. Semper enim injuria accepta ad favorem, illata ad odium valere debet etiam inter eos, quorum alias nihil interest. Nam illud Exodi II. 14. tantum in statu civili obtinet. Quod si autem probabilis accedat suspicio, istum altero oppresso in me quoque transiturum, & priore victoria pro instrumento sequentis usurum; eo promptius alteri petenti erit succurrendum, quod ipsius conservatio meam salutem in tuto ponat. Et sapienter facit, qui intra vicini ædes incendium sistere nititur, ne ubi istæ conflagrarunt, ad ipsum incendium trajiciat. Enimvero ubi ex liquidis constat indicis, alterum in inferenda nobis injuria jam occupari, licet conatus suos nondum plene expromserit; in libertate naturali viventibus statim licebit violentiam sui defensionem auspicari, & noxam adparantem occupare; siquidem nulla sit spes fore, ut amice admonitus hostilem animum exuat; aut ejusmodi admonitio rebus nostris noxia sit futura. Neque enim tenetur quis expectare aut excipere alterius assaultum, ut violentiæ suæ ex necessitate defensionis justitiam adstruat. Unde heic pro aggressore est habendus,

bendus, qui prior se movet ad vim alteri inferendam, seu qui voluntatem nocendi alteri prior concepit, & ad eandem exsequendam se comparavit, licet alter, animadversis illius cœptis, celeritate usus tardius molientem oppresserit. Neque enim ad defensionem requiritur primum ictum excipere, aut ictus qui intentantur, eludere duntaxat, & repellere; sed ille quoque defensionis gaudet favore, qui injurias adhuc adparantem prævenit. *Demosthenes Philippica 3.* Οἱ γὰρ, οἷς ἀν' ἐγὼ ληφθεῖλω, ταῦτα πράττων & κατασκευάζομαι, ἔτ' ἐμοὶ πολιορκεῖ, καὶ μὴ ποῦ βάλλῃ, μὴ ἢ ἔξω. *Qui enim, quibus ego capiar, ea agit & instruit; is bellum mecum gerit, et si me nondum vel jaculis, vel sagittis petat.* *Thucydides l. 6.* Inimici non facta solum, sed consilia etiam & cogitata pœna prævertere oportet. Nam & illi, qui se non præmuniit, damno prævenitur. *Procopius de bello Persico l. 2. c. 3.* λέγουσι πῶς εἰρήνην ἔχ' οἱ ἀν' ἐν ὄπλοις γίνονται πρῶτοι, ἀλλ' οἱ ἀν' ὀπισθελεύοντες ἐν τῶνδε τῆς πέρας ἀλοῖεν. Ἰὸ γὰρ ἔγκλημα τῷ ἐγκυχερηκότι, καὶ ἀπὸ τοῦ κατ' ἐρθεῖν, πέπρακται. *Pacem rescindunt non qui arma capiunt primi, sed qui pacis tempore in aliqua adversus vicinos machinatione deprehenduntur. Nam quisquis aggressus est scelus, optato licet successu careat, jam id patravit. Philo Judæus de specialibus legibus: Hostes habentur non solum, qui nos jam impugnant classibus aut exercitibus, verum etiam qui utrosque adparatus faciunt. Add. Alberic. Gentilis advoc. Hispan. l. 1. c. 9. Lex VVifigoth. l. 6. tit. 4. c. 6.*

§. 7. Ast vero nequidquam par licentia est illis, qui in civitatibus degunt. Hi enim, ubi negotium sit adversus extraneum, ultro quidem invadentem semper repellere possunt; injussu autem imperantis eundem in adparatu opprimere, aut post illatam noxam vindictam petere nequeunt, ne forte civitas intempestivo bello implicetur. Idque multo accuratius observandum est adversus concivem. Hunc enim, licet comparare se intellexero ad injuriam mihi inferendam, aut atroces minas spargere percepero, haut quidquam occupare conceditur; sed ad communem imperantem erit deferendus, & ab isto cautio exigenda. Quam ubi ipse abnegaverit, tunc demum eo modo salutem meam mihi licebit expedire, ac si in libertate naturali forem constitutus. Unde absurdi valde sunt illi Moralistarum, quos citat *Grotius l. 2. c. 1. §. 5.* qui tradunt, *jure posse interfici eum, qui non quidem vim præsentem jam intentet, sed conjurasse, aut insidiari compertus sit, si venenum struere, si falsam accusationem, falsam*

falsum testimonium, iniquum iudicium moliri. Neque tollitur absurditas per additam restrictionem, *si aut aliter periculum evadi non potest, aut non satis certum est, evadi non posse;* quippe cum plerunque interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos quoque casus pateat, ac multa inter calicem supremaque labra cadere queant. Enimvero isti sine dubio supponunt statum civilem; cum iniqua iudicia, accusationes, testimonia, non nisi in civitate locum habeant. Ad quæ retundenda si civibus jus damus eadem exercendi, quid magistratu opus erit? Neque vero damnationis periculum alicui imminet, si calumniam in se confictam probare possit. Si autem liquido isthoc demonstrare nequeat, & nihilominus ad eadem provolare velit, pœnam legis Corneliæ haut quidquam deprecabitur. Ast ubi quis ipso actu per vim invadatur, & in eas redigatur angustias, ut magistratus, aut aliorum civium implorandi subsidium facultas non sit, tunc demum, ut vim in vasoris abs se arceat, vel extrema ipsi poterit intentare; non quidem hac intentione, ut per eadem vindicta ob injuriam exigatur, sed quatenus citra ejusmodi eadem vita è presenti periculo nequit eripi. Hinc periculo depulso haut quidquam eundem insequi, & fugientem percutere licebit. Vid. l. 3. §. 9. *D. de vi & vi armata.*

§. 8. Ex quibus adparet, in civitatibus tempus defensionis inculpatæ expediendæ angustis admodum finibus esse circumscriptum, & fere ad punctum aliquod, etsi non citra latitudinem, redactum; ubi modicus excessus vix à pratore curetur. Unde licet cordato iudici ex singulorum factorum circumstantiis commodissime de innocentia defensionis constare queat; in universum tamen id statuendum videtur, initium temporis illius, quo quis in sui defensionem alterum impune potest occidere, inde sumi, quando aggressor, voluntatem vitam meam impetendi præ se ferens, & à viribus instrumentisque nocendi instructus, jam intra illum extiterit locum, ex quo reipsa nocere possit, computato quoque illo spacio, quo opus est, s' ego ipsum occupare, quam ab eodem occupari malim; v. g. Si quis stricto gladio ad me viam affectet, cum sufficiente significatione, quod me velit confodere, neque mihi tutum pateat suffugium; ego autem sclopeto sim armatus; tunc recte id in ipsum displodere possum, quando longiuscule adhuc abest, ac nondum me gladio contingere valet, ne si nimis ad-

pro-

propinquaverit, telo meo uti nequeam. Idque magis adhuc valet in arcibus & similibus telis, quæ intra breve nimis spacium usum sui amittunt. Sic si quis cum proposito me occidendi advolet sclopetis brevioribus armatus, mihi autem sit sclopetum longius, non teneor expectare, donec ille intra id spacium accedat, ex quo suis me telis contingere queat, sed antequam eo perveniat, meo ipsum telo excipere poterò. Hoc ipsum enim est, *in tempore occurrere, quod melius habetur, quam post exitum vindicare.* l. 1. C. *quando liceat unicuique.* Perdurat autem illud spacium inculpatæ defensionis, quoad aggressor fuerit depulsus, aut ultro recesserit, vel pœnitentia in ipso facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus destituerit; pura si gladius fractus sit, aut sclopetum ignem non conceperit, vel aberraverit; ita ut in præsens nocere amplius nequeat, nobisque sit facultas in tuta loca nos recipiendi. Nam ultio injuriæ, & cautio in futurum magistratui curæ erit. Vid. l. 45. §. 4. D. L. *Aquiliam.* In hoc spatium qui in cæde intra civitates egrediuntur, ob omni vitio suam defensionem liberare nequeunt. Unde adparet, quam ab omni ratione abhorreat illud Baldi, quod refert Sichardus ad d. l. C. *si quis ita forte mihi dicat, ubicunque te posthac reperero, conficiam te, quod possim illum in ipso minarum articulo interficere, aut cum est mihi commodissimum, sine pœna.* Nam licet non teneat expectare, donec ille minas suas exsequatur; alia tamen via in civitate, quam per cædem cavere mihi possum & debeo; etiam tunc quando constat ex antea cta vita, istum ad ejusmodi minas exsequendas non esse meticulosum; quod nonnulli mitigandæ Baldi sententiæ adjiciunt.

§. 9. Quod autem heic addunt; *ita demum ejusmodi cædem excusari, si alia ratione periculum evadi non potuerit;* id haut nimis stricte est interpretandum, sed cum aliqua latitudine, quam perturbatio animi, ex præsentia tanti perreuli enasci solita, indulget. Quæ non fert, ut quis ita accurate omnes evadendi vias possit circumspicere, sicut ille qui tranquillo animo extra periculum constituitur. Inde uti ad minantē, aut provocantem ultro ex loco tuto descendere temerarium est: ita si in aperto me loco constiturum alter invadat, non præcise ad fugam obligor, nisi forte in proximo sit tale suffugium, ad quod me citra periculum possim recipere; neque semper cessim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum ostendendum, & utrinque periculum lapsus imminet, ac ubi semel gradu

lis depulſus, eundem iterum componere haut ita in proclivi eſt. Sed nec inde deſenſio mea vitioſa fit, quod non intermiſerim actum aliquem, mihi ex officio injunctum, aut quem ſuſcipere ſaltem libertas erat. Sic v. g. ſi, dum ad negotia mea obeunda in publicum prodeō, in vaſorem cum cæde repulero, haut quidquam inde culpabilis reddor, quod, ſi domi manſiſſem, in periculum non incidiſſem. Ad quid enim nobis ſecuritatis publicæ ſanct monia, & noſtra libertas prodeſſet, ſi illa uti non liceret, ob improviſa pericula, quæ alter non niſi per ſcelus intentare nobis poteſt? Sine dubio autem ineptum eſt, quod tradit *Theod. Baſamon ad epiſt. 1. Baſilii, qua eſt ad Amphilocho. can. 43. Qui ad tutelam corporis ſui occidit, nulla homicidii pœna teneatur, ſi aggreſſorem interfecerit, quod vulnus ei letale infligerat, aut vim ſimilem: teneri tamen de occiſo, ſi levi tantum, ac medicabili plaga vulneratus aggreſſorem interemerit.* Sei & inepta fuit illorum ſollicitudo, qui anxie diſputarunt; *an ad incuſatam deſenſionem quoque requiratur paritas armorum.* Quasi vero aggreſſores ſemper prius in vaſionem denuncient, & quibus armis ſint uſuri, ut otium ſit alteri congrua arma parandi; aut quaſi deſenſio iſtiusmodi foret exigenda ad leges ludi gladiatorii, ubi qui ſpectaculi cauſa compoſiti depugnant, paribus aut æquivalentibus armis inſtruuntur. Illud quoque heic monendum, non poſſe innoxiam tutelam prætere, qui ab altero in duellum provocatus, ubi comparuerit, ita premitur, ut ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam id periculum ne ſubiret, leges vetabant. Unde circa æſtimandum illud factum ejus periculi nulla habetur ratio; & iſte tam homicidii pœna, quam illa, quæ in duellatores forte peculiariter eſt conſtituta, merito poteſt affici.

§. 10. Quari jam ulterius ſolet, an licitum ſit alterum interficere, qui non vitam eripere, ſed membro duntaxat aliquo mutilare intendit, quando vis ejus aliter repelli nequit? id quod de ſtatu naturali tuto affirmari poteſt. Nam & membrorum noſtrorum integritatem ita tenero nobis ſenſu natura commendavit, ut non poſſimus non omnibus modis ipſam protegere; & mutilatio alicujus membri, præcipue nobilioris, quandoque non multo minoris, quam ipſa vita æſtimatur. Quin ex iſta mutilatione ſæpe ipſa vita periclitatur; nec ita liquido conſtare poteſt, an ulterius quoque iſte ſit in me graſſaturus. Accedit, quod qui tale quid mihi intentat, hoſtis ſit, qui quantum in ſe licentiam dedit mihi adverſus ipſum

ipsum in infinitum. Sed & in statu civili vix videntur leges ad eam patientiam cives adstrinxisse, ut mutilari se potius ferant, quam ultimum conatum repellendæ alterius violentiæ adhibeant: quippe cum hæc patientia fere superior humana constantia videatur. Saltem eam in gratiam malitiosi in vasoris exigere durum nimis erat. Injuriam autem talem jam acceptam per magistratum exequi oportet.

§. 11. Defensioni vitæ apud omnes fere populos æquiparatur pudicitia, quæ etiam cum cæde violatoris recte defendi asseritur. Cujus favor ideo tantus est, quod ejusdem integritate decus sexus foemini maxime æstimatur, accedente insuper ejusdem imbellia, quæ omnibus modis contra impurorum hominum malitiam munienda erat. *Quintilianus declamat. 349. Puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent.* In civitatibus autem cum legislatores recte potuerint capitalia supplicia in violentos stupratores constituere, singulis quoque honestis foeminis potuerunt permittere, vel cum cæde tueri id; quod semel ereptum restitui nequit. Apud Ebræos, ut tradit *Seldenus l. 4. c. 3.* tantus commitabatur favor defensionem corporis & pudoris, ut non solum is, qui invadebatur, per se in vasorem cum cæde repellere, sed & alter innocenter oppressum cum cæde in vasoris defendere posset: idque non tantum si vitam alterius aggredere, sed & si cum masculo vellem concumbere, aut alterius sponsam comprimere. Vid. *Lex Wisigothorum l. 3. tit. 3. c. 6. Constitut. Sicularum l. 1. tit. 22.* Sic & magnis laudibus celebratum fuit iudicium C. Marii, quod absolvisset, simulque, corona donasset militem, qui sororis suæ filium tribunum militum, de stupro se sollicitantem, interfecerat. *Plutarch. Mario. Plato de LL. l. 9.* Εὐὰν ἰλευθέρων γυναῖκα βιάζονται τις ἢ αἰδῶν, ἢ τὰ ἀφροδίσια, ἢ ποιοῖσι τι θανάτω ὑπὸ τῷ ὕβρει δύναντο βία, καὶ ὑπὸ πατρὸς, ἢ ἀδελφοῦν, ἢ υἱῶν. *Qui mulierem liberam aut puerum ad rem venerem amari subegit, impune non ab eo solum, cui vis est illata, verum etiam à patrè, fratribus, filisque vita privetur.* Neque ex eo, quod *Augustinus de Civit. Dei. l. 1. c. 18.* dicit, non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam oppresso corpore: (add. *Gratianus caus. 32. quest. 5. c. 1. 2. 3. 4.* *Plautus Amphitr. Haut promeruit, quam obrem vitio verteres. Mea vi subacta est facere. Seneca Hippolyto: Meas impudicam facere, non casus, solet.*) consequitur, violentos stupratores non posse quocunque modo repelli. Sicuti non sequitur, vitæ plus per temporariam mortem ad beatiorè vitam transfertur; ergo

latroni non potest extremam vim opponere. Quo loco tamen observandum, quod *Lysias orat.* 1. tradit, lege Attica gravius punitum, qui persuasione, quam qui per vim foeminam stupraverit. Rationem subjungit: eos enim, qui vim faciunt, odio haberi censuit ab illis, quibus vis illata est. Qui vero se insinuando persuadent, adeo ipsorum animos pervertere, ut aliorum uxores reddant sibi benevolentiores, quam maritis, & universam domum sua faciant potestatis; liberos quoque reddant incertos, maritorumne sint, an adulterorum. *Libanius declam.* 2. πολύγυ δεινότερον τὸ πείσαι γυναικὰ φάουλαν τῷ πρὸς ἀνάγκην καταχρῆσθαι. Multo gravius est, quod persuasit, ut flagitiosa esset, quam quod necessitate illata dedecoravit.

§. 12. Est quoque celebris illa quæstio, an periculum accipiendæ alapæ, aut similis mali jus faciat illud cum cæde intentantis arcendi? *Grotius* l. 2. c. 1. §. 10. equidem censet, id non repugnare justitiæ expletrici. Cujus sensus hic est; cum justitia expletrix violetur, quando alicui non tribuitur, ad quod jus perfectum habebat, aut inferitur, quod ne acciperet itidem perfectum jus habebat; eum, qui ob intentatam alteri alapam cæditur, queri non posse, justitiam expletricem in se fuisse violatam. Qui enim injuria alterum lacescit, nullum amplius in se habet jus, quo minus extrema quæque ab altero ipsi vicissim inferantur; seu quod eodem redit, dat læso adversus se jus in infinitum: et si sæpe ne isto jure quis integro utatur, aliæ considerationes prohibeant. Neque est, quod aliqui obijciant æqualitatem illam, quæ in justitia alias observari debet. Nam æqualitas præcipue locum habet in permutationibus rerum, & distributionibus bonorum communium. Mala autem, quæ per modum belli hinc inde inferuntur, ad æqualitatem accurate reduci non solent; neque id necessarium est. Et quod *Grotius* monet, modum nocendi in bello ad morem & rationem reparandi & restituendi civilem exigendum esse; id hanc habet limitationem, quantum ejus fieri potest; & deinde ista moderatio non oritur ex jure aliquo, quod in hoste hæret, sed ex generositate, & virtute alterius. Addit quoque *Grotius*, caritatem per se non obstringere nos ad ejusmodi contumeliam devorandam in gratiam nocentis. Verum doctrinam Evangelii non admittere, ut ejusmodi injuriatam violenter repellatur. Nobis jam supra monitum fuit, in statu naturali non posse ab aliquo exigi patientiam etiam modicæ injuriæ, præfertim continuatæ, quo minus per extrema quæque repellatur. Et sanctissimus quoque rex contumeliam legatis

gatis suis illatam internecivo bello persecutus legitur. 2. *Samuel. X. 4. seqq.* Enimvero an in civitatibus cædes repellendæ alapæ permitti recte possit, valde dubium est. Equidem gravissima habetur contumelia alapis cædi; cujus causa apud multos Europæ populos hæc videtur esse, quod servorum, aut vili adhuc disciplinæ subjectorum ista sint bellaria. Inde alicubi in usu est, illos, quibus arma gestandi jus conceditur, aut qui ex statu tirocinii promoventur, alapa cædi, ut præteritæ conditionis recorderentur, ac deinceps talem sibi tractationem non amplius competere intelligant. Unde in alapa maximus inest contemptus, velut quis indignus sit, qui arma gerat, aut inter viros censeatur. Est tamen heic observandum; alapam ejusmodi ignominiosam non videri, nisi infligatur, antequam ad resistendum sese quis composuerit. Servorum enim, & armis indignorū est, os contumeliis præbere. Ergo alapa proprie non erit, si qui ex rixa mutuo sibi in faciem involent, aut quando, dum manus conferuntur, os verberatur. Adeoque vix adparet, quomodo alapam contumeliosam accipere possit, qui arma habet, eaque jam ad defensionem sui expedit. Deinde falsum est, alicujus honorem, illata ejusmodi contumelia, per se tolli; qui sane valde in lubrico positus esset, si abs cujuslibet petulantis libidine dependeret. Et qui in ista inest contemptus, facile à magistratu aboleri, aut pensari potest, gravi multa lædenti imposita, eodemque adactō, ut læso publice honoris signa exhibeat. Sed nec opinio fortitudinis, quæ vulgi judicio inter viros præsertim militares tali contumelia læsa putatur, non aliter quam privatim stricto ferro, aut pugna singulari conferta asseritur. Cum ille sat fortis sit, qui stationem sibi à civitate assignatā strenue obit; & longe splendiores sint occasiones exerendæ fortitudinis, quam si quis contra rationem, ac leges civitatis iræ fræna laxet, aut inutilium aleam pugnarum subeat. Quod si tamen, uti fieri suevit, ab alapa confestim ferrum stringatur, & in ea pugna is, abs quo injuria coepit, graviter vulneretur, aut occidatur, non sine ratione mitiorem alteri poenam imponi convenit. Ast illud nullo modo ferendum, quod nonnulli asserunt, non solum recte cædem admitti posse ad vitandam alapam; sed etiam accepta alapa, si qui eam impegit fugiat, cum posse occidi ad recuperandum honorem. Vid. *Bæclerus ad d. loc. Gratii.* Addendum tamen & hoc est, etsi res ex judicio sapientum, non vulgi, sint æstimandæ; tamen si in aliqua civitate genus quoddam injuriæ

inignis ignominia comitetur, asperissima pœna esse plectendos, qui aliis istud inferunt; cum neque omnibus iste sit animi rigor, neque multorum persona, quam in civitate gerunt, ferat, ut maximæ civium parti sint contemptui, & ludibrio. Unde non video, quomodo magistratus jure irasci possit illis, qui ex mora, & opinione vulgi existimationem suam asserunt, ubi iste tales injurias, honori ex vulgi mente tantopere detrahentes, insuper habuerit. Adeoque qui duella pugnasque privatorum vult interdiceret magistratus, asperissimas debet pœnas statuere in eos, qui alteri alampam inflixerint, aut convicio eum adaspererint, cui in ista civitate insignis ignominia adhaeret. Nam illam *Grotii* philosophiam vitæ civilis nos non fert, quod cum *honor sit opinio de excellentia, qui autem talem ferat injuriam, is patientem se excellenter ostendat, ideo honorem magis augeat, quam minuat.* Vid. *Actor.* XVI. 37.

§. 13. Ex dictis etiam intelligi potest, an qui ab altero invaditur, utiq; teneatur fugere, si commode possit; si ut cædes in vasoris non prius fiat licita, quam fugæ viâ sit interclusa? Ubi patet, in naturali quidem statu in vasori nullum competere jus, ex quo alter teneatur ipsius vim per fugam declinare. Et si quando fuga potius, quam pugna eligitur, id non fit in gratiam in vasoris, sed quia hoc ei, qui invaditur, magis expedire videtur; *πίδες ὄπλα λεπορῶν, pedes arma leporum,* inquit *Oppianus Cyneget.* l. 4. Inde cum civitates invicem in statu naturali vivant, nemo asseruerit, quando v. g. rex alterum regem per injuriam invadit, teneri hunc, quantum potest, fugæ se mandare, ne dum resistit, aliquos ex in vasoris copiis occidat. Verum in civitatibus omnino fugiendum potius, si commode fieri possit, quam in vasor occidendus. Neque vero in ejusmodi fuga turpe quid, & militari etiam viro indignum est; quippe quæ non suscipitur ex ignavia, aut neglectu officii, sed quia ratio nullam heic fortitudinis exserendæ materiam invenit, si citra necessitatem civis sit occidendus, abs quo metutum magistratus præstare commode potest. Addidimus tamen, fugam arripiendam, *si commode fieri possit.* Non enim credendum est, tergum semper in vasori obvertendum, aut cessim eundem; cum illud vulneribus pateat, & heic à lapsu periculum immineat; & quia periculis magis patemus averti: & qui semel in fugam se conjecit, ubi forte eidem spacium non amplius supersit, aut velocitate pedum in vasor præcellat, non ita facile gradum componere iterum potest ad excipiendum adversarii impe-

impetum. Ergo ubi in proximo non patet suffugium, quo quis tuto se possit recipere, moderamen inculpatæ tutelæ non transgreditur, qui peccatus potius in vasori opponit, quam per fugam opportunum se ictibus præbet. Denique & illi recte à Grotio d. l. notantur, qui admiserunt, *recte occidit eum, qui si aliquid de nobis dixerit, id creditum nostram apud bonos existimationem possit ledere.* Quasi vero, si falsa ille sit dicturus, non commodior sit via maculam ex calumnia imminentem antevertendi; aut si vera sit prolaturus, scelera sceleribus sint obtegenda. Quanto melius Plato de L.L. l. 9. *Εάν τις δούλον κλείνη μισθὸν ἀδικούντων, φόβος δὲ, μὴ μνηστῆρας ἀσχετῶν ἔργων, κακῶν αὐτῷ γίνονται, ἢ τῶν ἄλλων τοιούτων, καθάπερ αἱ ἐπιπολίτων κλείνας ὑπεῖχει φόβος δίκης.* *Si quis servum nihil injuriantem, timens ne turpe quid à se factum indicet, vel alia hujuscemodi causa inductus, morti tradiderit; quasi civem necaverit, sic puniatur.*

§. 14. Atque ista quidem ex ratione sat plane deducuntur. Cæterum sunt, qui ex scitis religionis Christianæ heic aliquem scrupulum movent, afferentes; etiamsi licitum sit in vasorem vitæ injustum occidere, laudabilius tamen facturum, qui occidi, quam occidere mavult. Idq; quod alter, dum in peccato mortali extinguitur, periculum damnationis incurrat. Non autem videri justitiæ conveniens, ut minus nostrum malum alterius malo majori depellatur. Eam difficultatem solvere licet aliorum sit; id tamen considerandum fuerit illis, qui istud asserere velint; in ejusmodi consternatione, aut decretoriæ pugnæ fervore non esse otium, ut quis ejusmodi rationum momenta curatius examinet, cum eo omnes intentæ sint cogitationes, quomodo præfens mors declinari queat. Dein eum qui invaditur non ita semper esse paratum, ut non spacio aliquo opus sibi putet componendæ animæ, & subducendis vitæ rationibus; seu ut *sarcinas colligat ante, quam proficiscatur è vita;* uti loquitur Varro de rerust. l. i. c. i. Præterea vix videri probabile, me magis sollicitum esse debere de anima alterius, quam alter iste de sua est. Si ergo iste neglecta animæ suæ curâ vitam meam impetat; cur ego pretiosissimæ rei mee, ejusque irreparabilis dispendio istius animam redimam? *Plinius l. 2. epist. 10. Parum est providum, sperare ex alio, quod tibi ipse non præstes.* Præsertim cum non constet; an ille damnationem utique sit evasurus, si vel maxime jam occisus non fuerit. Et tralatitium est, ejus periculi non haberi rationem, in quod quis sua se culpa conjecit, & ex quo se libera-

liberare potest, quando vult. Heic autem nullum amplius, saltem in præsens, animæ ipsius periculum imminet, modo me petulanter oppugnare omittat. Quid quod isthæc sententia majorem tribuit favorem improbitati, quam pietati, dum per illam quis velut inviolabilis redditur. Sic enim semper pii homines nefariis latronibus cogentur jugulum præbere, ne dum resistunt, isti damnationem æternam incurrant. Conf. *Grotius* l. 1. c. 2. §. 8. & c. 3. §. 3. Dictum Salvatoris, quo jubemur *proximum nostrum diligere, sicut nos ipsos*, explicandum videtur non tam de gradu dilectionis, quam de ejusdem sinceritate; quod nemo seipsum ficto aut fucato amore prosequatur. Et videtur illud *sicut teipsum* habere instar proverbialis locutionis, de amore sincero & intenso. Vid. 1. *Samuel*. XVIII. 1. 3. Ex quo tamen hautquidquam sequitur; si dilectioni propriæ, & dilectioni proximi simul non possit satisfieri, illam huic cedere debere. Vid. 2. *Corinth.* VIII. 13. *Cicero Tuscul. Quest.* l. 3. *Praclarum illud est, & rectum, & verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, aque ac nosmetipsos amemus: ut vero plus fieri nullo pacto potest. Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus, quam se amet, ego illum plus quam me; perturbatio vita, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.* Neque ex dictis *Exod.* 23. v. 4. 5. *Deuteron.* 22. v. 4. sequitur, caritatem proximi præire nostra commoda. Nam inde hautquidquam deduxeris; si noster quoque asinus sit prolapsus, alterius asinum prius, quam nostrum esse levandum; aut etiam tunc nos teneri, quando pluris est opus, quod in ista sublevatione nobis est negligendum, quam iste asinus. Ne dicam, quod valde adhuc dubium sit, an ejusmodi in vasor sub proximi nomine venire possit. Vid. *Luc.* X. 29. *seqq.* (Ubi per proximum intelligitur omnis homo, qui est nostræ opis indigus, & cui occasionem beneficiendi nos habemus.) *Lactantius divin. instit.* l. VI. c. 18. *Ciceronem* carpit, quod l. 3. *Off.* dixerat: *eum esse virum bonum, qui pro sit quibus possit, noceat nemini nisi laceffitus.* O quam simplicem, dicit, veramque sententiam duorum verborum adjunctione corruptit. *Quidem opus fuerat, adjungere, nisi laceffitus injuria? Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit laceffitus; jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, si nocebit. Non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugna, contentionesque nascuntur; nisi quod improbitati opposita impatientia, magnas saepe concitat tempestates? Quod si patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homi-*

homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris, extinguetur protinus, tanquam si igni aquam superfuderis. Enimvero uti quandoque per impatientiam læsi pugnae non necessariae surgunt, quæ commode declinari poterant; ita non semper improbitas, ubi in patientiam inciderit, extinguitur. Neque vero virtus patientiæ, Christianis tantopere commendata, ad omnes promiscue injurias devorandas obligat. Et qui rite se defendit, non hoc directe agit, ut alteri noceat, sed ut se conservet. Nec qui propulsat malum injuriam facit, sed qui infert. Aliud autem est inculpatam defensionem exercere, aliud inhumanam vindictam moliri. Hoc æque noxium haberi potest, atque injuriam incipere: illud non item. Porro qui asserunt, laudabilius esse occidi, quam occidere, hanc exceptionem addunt; nisi qui invaditur, sit persona utilior, quam invasor. At nimirum inter tantum periculum constituto scrupulose semper expendere vacat, uter pluribus sit hominibus utilior; & utrum mei magis mea, quam sui alterius ope indigeant. Equidem id certum est, eum abs quo multorum salus dependet, & cujus officium est ab aliis vim arcere, non debere vitam suam injusto invasori parcendo prodere; licet forte is ea sit æquanimitate, ut aque miserum esse putet occidere, quam perire, sicut Piso apud Tacit. Hist. l. 29. Quippe cum ipsius exitium plurium salutem revertat. Tales sunt, qui alios iter facientes præsidii causa comitantur; item principes, duces bellici, aliique, quorum mors multorum post se perniciem trahit. Et in quos quadrat illud Lucani l. 5. Cum tot in hac anima populorum vita salusq; Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis, Scivitia est voluisse mori. Item illud amicorum Alexandri apud Curtium l. 9. c. 6. Quis deorum hoc Macedonia columen ac sidus diuturnum fore pallicere potest, quam tam arvide manifestis periculis offeras caput, oblitus tot civium animas trahere te in casum? Exinde tamen haut quidquam consequitur; si ab aliquo nullius aut pauciorum salus pendeat, eum non recte posse invasorem occidere, quem vivere fortasse plurium interest. Hoc modo cælebs aut orbis nunquam posset occidere invasorem proletarium, ne hujus liberi & uxor in solitudine, & egestate destituantur. Atqui si ipsum respectus uxoris, & liberorum retrahere non potuit, ne scelus faceret; quare alter horum luctui vitam suam condonare debeat? Notatu tamen dignum est illud Platonis de LL. l. 9. Filio ne pro defensione quidem sua, si à parentibus videt se interfectum iri, lege ulla conceditur, ut parentes, à quibus in lucem

editus est, interimat, sed omnia potius sustinere precipitur, quam quidquam ejusmodi facere. Mox tamen subditur: ἀδελφὸς αἰ ἀδελφῶν κτείνῃ, ἐν ζῴῳ μάχῃς γινομένης, ἢ τινι τρόπῳ τοιάτῃ ἀμυνόμενος ἀρχοῦτε χειρῶν πρότερον, καθάπερ πολέμιον ἀποκτείναι, ἔσω καθαρῶς. *Si orta seditione, vel quovis modo frater fratrem in se impetum facientem pro defensione sua interimat, quasi hoste peremptio, purus sit.* Illud tamen labi seculi adscribendum, quod addit: *Si servus liberum se defendens interimat, iisdem legibus, quibus & parricida sit subjectus.*

§. 15. Ex hæcenus dictis etiam hoc adparet, quod cædes intra moderamen inculpatæ tutelæ patrata nulla labe patrantem aspergat, adeoq; extra pœnam sit posita. Non vero ex genere sit, quibus in se vitiosis lex humana affectuum humanorum, & iræ violentiæ velificata, impunitatem indulget; qualis est cædes adulteri marito permisâ. De qua vid. l. 20. l. 22. l. 24. l. 32. D. *ad L. Iuliam de adult. & Lysia orat. 1. pro cade Erastobenis*, ubi ostendit, lege Attica permillum occidere, non solum qui apud uxorem, sed & qui apud concubinam deprehendebatur; imo qui apud matrem, sororem, aut filiam deprehensus erat; uti est apud *Demosthenem adversus Aristocratem*. Rationem subjungit: *quia, pro quibus cum hostibus dimicamus ad eos ab omni contumelia & injuria vindicandos; pro iisdem etiam amicos, si quam contra leges injuriam, aut contumeliam eis fecerint, occidere lex concessit.* Cumenim non genus aliquod sit amicorum & hostium, sed è factis horum utrumq; censeatur; eos qui hostilia faciunt, pro hoste ulcisci lex liberum fecit. Apud Persas qui uxorem una cum adultero occidit, novam insuper vestem præmii loco accipit. *Ad Olear. itin. Pers. l. 5. c. 22. Add. Valerius Maximus l. 9. c. 1. §. 13. Ant. Matthæus de crimin. ad l. 48. D. tit. 3. c. 3. §. 13. seqq.* Quod si igitur alicubi pœna aliqua aut expiatio iis, qui cædem justam patraverant, fuit injuncta, ea vel ad cædem ex inculcata tutela commissam non pertinet; vel sine ratione fuit introducta; vel eo fine adhibita, ut intelligeretur, quantum scelus esset injusta cæde humanû sanguinẽ effundere, cum etiã justa cædes aliqua lustratione videatur indigere. Apud *Philonem Iudæum de vita Moysi l. 1.* hic dicitur pontifici mandasse, ut lustraret reversos à recenti cade hostium quamvis enim per leges liceat hostem occidere, tamen qui necavit hominem, etiam si coactus & propulsans injuriam, obnoxius videtur, propter antiquam generis cognationem oriundi ab uno capite. Hæc tum fuit lustrandi causa, ut ne species quidem sceleris in eos competeret. Beneficio tamen asyli, quod pœnam exilii temporarii continebat, non videtur

detur opus habuisse, qui vitam suam cæde in vaforis servatum ivit; se tantum, qui cædem involuntariam quidem patrauerat, sed quam exacta diligentia adhibita evitare poterat. *Numer. 35. Dent. 19. Locus 1. Paralip. 29. v. 3.* ad defensionem non pertinet; & Davidi extructio templi videtur interdici, non tam quod ipse ex cædibus bellicis aliquid labis contraxisset, quam quod filio materiam ex operibus pacis inclarescendi subtrahere non deberet, qui bello tantum gloriæ sibi paravisset. *Scholias. Euripidus in Oreste ad vers. 820.* tradit, morem veterem apud Græcos fuisse, ut post justam cædem interfectores gladium soli ostenderent, in argumentum innocentiae, quasi qui ex ipsorum mente *πᾶσι εἶσοῦν, καὶ πᾶσι ἰκάνον*, omnia videt, & omnia audit, super eare testis imploraretur. Et tamen iidem expiatione aliqua opus habebant, & annali exilio defungi cogebantur. De quo exilio etiam est apud *Platonem de LL. l. 9. vid. l. 16. §. 8. D. de pænis, & Grotius in flor. spars. ad d. l. Athenis* quoq; de cædibus, quas quis jure factas contendebat, cognoscebatur in peculiari judicio, quod dicebatur Delphinium, à templo Apollinis Delphini, uti est apud *Demosthenem adversus Aristocratem, & Scholias. Aristophanis in Equitibus*. Sic apud Æthiopes, qui involuntariam cædē patrauerat, exulabat, donec à gymnosophistis fuisset expiatus. Vid. *Philostratus de vita Apollonii l. VI.* Apud *Virgilium Æneid. II.* ita Æneas: *Me bello è tanto digressum, & cade recenti, Atrectare nefas, (sacra) donec me flumine vivo Abluero.* In Canone 18. Concilii Nannetensis sub Formoso habiti ita disponitur: *Si quis casu non volens homicidium perpetravit, 40. diebus in pane & aqua pæniteat, quibus peractis biennio ob oratione fidelium segregetur, non communicet, nec offerat: post biennium in communionem orationis offerat, non tamen communicet; post quinquennium ad plenam communionem recipiatur, abstinentia ciborum in arbitrio Sacerdotis permaneat.* Sed neq; hic canon ad defensionem spectet, & fortasse plus justo est rigidus. Sic & quæ habentur in *legibus Longobardicis l. 1. tit. 9. l. 19. & in Capitul. Caroli l. 4. tit. 27. & lib. 7. tit. 295.* non necessario videntur ad cædem, quæ intra moderamen inculpatæ tutelæ subsistit, extendenda: aut ubi istud factum fuerit, merito nimiae severitatis notantur. *Mornacius quoque ad l. 3. D. de iust. & iure* tradit, iudices in Gallia ad hunc diem religiosissime servare, ut nunquam fere in ejusmodi judiciis rei absolvantur, quin simul damnentur peculiaribus in pauperes erogationibus, aut aliquando etiam Christianis pro occisi anima

sacrificiis. Quod non nihil superstitionis olere videtur. Et si bonis non sine causa ejusmodi cædis necessitas tristis accidat.

§. 16. Caterum defensio quidem vitæ, membrorumque ac pudicitia, tanquam rerum irreparabilium, magnum habet favorem, sic ut illa quoque legem divinam positivam de Sabbatho solvat: (Vid. 1. *Macchab.* 1. v. 32. *seqq.* *Ioseph. antiq. Jud.* 1. 12. c. 8.) Nam qui diversum senserunt, non sine ratione irridentur à *Plutarcho de superstitione, & Agatharchide*, citante *Iosepho ant. Jud.* 1. 12. c. 1. Add. *Grotius ad 1. Macchab.* 2. 37. Ut mirer, quomodo *Eidem l. 1. contra Apionem* isthoc factum laude dignissimum videatur, quod observationi illius legis vita & patriæ libertas fuerit postposita; nisi de intentione hoc potissimum accipias. Enimvero circa defensionem rerum, quæ utique restitui possunt, neq; omnes ita absolute homini videntur necessariæ, dubitari potest; an illæ quoque per extrema sint asserendæ. Præsertim cum multis valde arrideat illud *Taxilis apud Plutarchum Alexandro*: *Quid bellis inter nos, & pralio opus est, Alexander, quum neque aquam nobis ademptum, neque victum necessarium veneris, pro quibus solis necesse habent homines sani decertare. Euripides Supplicibus.* τῦτο γδ μόνον βροτεῖς ἐκ ἔστι τ' ἀνάλωμα ἀναλωθὲν λαβεῖν. χρημάτων δ' εἰσὶν πῆροι. *Sola enim vitæ humanae jactura mortalibus reparari nequit. Opes autem sarciri possunt.* Equidem quid iudicium & mos omnium gentium ferat, in aprico est; qui ad necem usque in vaforum pro rebus pugnari concedit. Imo pleraque bella geri constat, non ut aliis vita, sed res eripiantur. Ac ridiculus haberetur hostis, qui, ne telis peteretur, protestari vellet, quod ad res duntaxat rapiendas veniat. Igitur illud certum est, non fieri injuriam ei, qui dum alterius res raptum aut perditum it, occiditur, etsi alias istæ res vitæ hominis æquiparari nequeant. Nam in statu quidem naturali, qui injuriam qualemcunque dolo malo intentat, hostis evadit; qui quo minus extrema quæque patiat, nullo jure, quod in ipso hæreat, munitur. Et eum alter non plus juris ad res meas, quam vitam eripiendam habeat, non minus potestatis mihi ad illas, quam hanc defendendam competet. Quin eum citra res vita nostram non possit servari, hanc quoque consequenter impugnat, qui illis me spoliare nititur. Ac apertum est, securitatem ac tranquillitatem societatis civilis, ac generis humani subsistere nullo modo posse, ni potestas sit raptores rerum, quas utique magno amore prosequuntur mortales, per extrema coërcendi. Porro illi, qui non

non citra anxietatem sese heictorserunt, duabus hypothesibus nisi fuerunt: primò, pœnam justam semper delicto æqualem esse debere hactenus, ut reo non majus bonum debeat adimi, quam ipse in altero læsit aut perdidit. Quod falsum esse, alibi ostendetur. Deinde noxas, quæ pro defensione sui ac rerum suarum injusto invasori inferuntur, esse pœnas proprie dictas, adeoque per regulas justitiæ vindicativæ dirigi. Quod itidem falsum est. Nam pœna proficiscitur à superiore in subiectum ex vi imperii, ejusque magnitudinem respectus boni publici temperat. Sed defensio antiquior est imperio civili, ac quam maxime locum habet inter eos, quorum neutri in alterum est imperium; eamque intuitus propriæ salutis, & necessitas sua conservandi moderatur. Ast inter illos, qui eadem in civitate degunt, licentia naturalis defensionis est vehementer restricta: cum intrinseca civitatis tranquillitas subsistere non possit, si ob quamvis injuriam hostilia reponere civi liceat. Igitur id demum violentæ defensionis civibus adhibere fas est, quod ex naturali libertate per indolem societatis civilis, ut leges civiles non est ademptum. Quæ licet concedere potuerint, ut civis majori illato malo civem invasorem posset repellere, quam hic isti intentabat, (qualis erat lex Attica, quæ *ἡ δὲ φιλία ἢ ἀγορὰ βία ἀδικίας, ἐνδὺς ἀπορεύεται ἡ δίκη, νυκτοῖα τὴν δίκην κελύθει, si quem, auferentem aut abducentem per vim & injuriam, statim causa defensionis quis occiderit, impune occisum esse jubet; apud Demosthenem adversus Aristocratem:)* regulariter tamen injurias, quæ ad res reparabiles tendunt, à privatis per extremam vim repelli nolunt. Cum per vires publicas facili negotio, & citra turbam reparatio procurari possit, quæ extra civitates ab invitis non nisi per bellum obtinetur. Inde non opus est, ut cum Grotio l. 2. c. 1. §. 11. adeo simus solliciti de exæquatione rei raptæ, & vitæ raptoris per favorem defensoris, & odium raptoris. Nisi cum Bœclero add. l. dicere velimus, cum plerunque sit difficillimæ dijudicationis, quid in tali actione citra ultravè limites steterit, naturæ non repugnare, favorem in spoliati vel spoliandi partem trahere, & raptorem furemve odio prosequi, id est, in dubio veniam dare cædi hujus generis, & ignoscere. In civitatibus igitur sufficit, si quis limites defensionis per leges civiles designatos non exceßerit. Si tamen hoc factum fuerit, invasori non fit injuria, sed simpliciter in leges civiles peccatur. Sed annon saltem contra legem caritatis peccabitur, si raptor rei reparabilis cæ-

datur? Ubi arbitramur, caritati adversus hostilia professum hæctenus duntaxat locum esse, quatenus probabilis spes allucet, eo modo istum ad poenitentiam injuriarum, & componendam pacem moveri posse. Quæ spes ubi decollavit, proditor sui est, qui hosti parcit. Quod si autem ratio mihi suadet, rem, quæ minimum valeat, eaque propter contemni mereatur, non ita acriter esse defendendam; id non fit in gratiam furis aut raptoris, sed ne ipse propter exiguam rem multum molestiæ suscipiam, aut humili nimis animo, avarusq; videar.

§. 17. Hoc loco etiam dispiciendum super nobilissima illa lege de fure nocturno impune occidendo, diurno non item; quæ extat *Exod. XXII. 2.* Cui convenit lex Solonis, quam ita refert *Demosthenes orat. contra Timocratem*: Si quis de die supra quinquaginta drachmas furatus fuerit, ad undecim viros abduci eum licere. Si vero noctu quodcumque furatus fuerit, hunc licere occidere, & inter persequendum vulnerare, & ad undecim viros abducere, si quis velit. Rationem addit *Vlpianus rhetor*: ἐν ᾧ ἡμῖν δύνάται τις καὶ βονθῆς καλίσαι ἑαυτῶν, ἐν δὲ νυκτὶ οὐκίτι. Interdium enim licet vocare, qui auxilium ferant, noctu non item. Sic *Plato de LL. l. 9.* νύκτωρ φῶρα εἰς δίκην εἰσὶν ἰόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων, ἐὰν ἔλων κ' αἰνή τις, καθαρὸς ἴσῃ. Qui noctu furem domum suam ingressum interemerit, mundus esto. Eadem lex in XII. tabulas translata: Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, jure casus esto. Quam ita refert *Cajus l. 4 §. 1. D. ad L. Aquil. Lex XII. tabb. furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur.* Ubi *Iac. Godofredus ad LL. XII. tabb.* notat, posteriora verba de clamore esse emblema Triboniani. Ea quippe in LL. XII. tabb. non extitisse, arguit locus *Ciceronis in orat. pro Milone*: XII. tabula nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. *M. Seneca l. X. controuv. ult. Lex, quæ nocturnum furem occidi quoquomodo jubet, non de damnato tantum, sed de fure loquitur.* *Gellius l. XI. c. ult.* quando refert, *Dracōnem in fures capitæ poenam statuisse, Solonem autem dupli duntaxat, addit: Decem viros Romanos inter istius severitatem & hujus lenitatem media incessisse via. Nam furem, qui in manifesto furto deprehensus esset, tunc demum occidi permiserunt, si aut cum faceret furtum, nox esset, aut interdium telo se, cum prebenderetur, defenderet.* Clamorē autem lex XII. tabb. requirebat duntaxat in fure diurno, quando telo se defenseret. Si luci furtum faxint, si se telo defensint, quiritato, endog, plorato. Post deinde si casti essent, se fraude esto.

Conf.

Conf. l. 4. §. 1. D. ad L. Aquil. ubi itidem vocabulum *aque* à Triboniano infarctum. Etsi non improbabile sit; successu temporis, & per auctoritatem prudentum istam legem ex parte mitigatam fuisse; agnoscente quoque Cujacio l. 14. Obs. 15. Id quòd adparet ex *Ulpiano l. V. ad edictum*, cujus verba integra extant in *collatione legum Mosaicarum & Romanarum* à Petro Pitheo primum edita. Quæ truncata referuntur l. 5. D. ad L. Aquil. Add. l. 9. D. ad L. Cornel. de sicar. Cujus mutationis fortasse hæc ratio fuit, quod nonnulli ex ædibus suis in prætereuntes impetum facerent, eosque occisos in furto post deprehensos fingerent. An quod confertas & munitas inter ædes furandi non tam facilis occasio, sic ut furtum vix posset contingere sine domini negligentia. Conf. *Iustin. l. 2. c. 2. §. 6.* Unde putat Cujacius l. d. legem illam XII. tabb. non in urbibus amplius, & oppidis valuisse, sed tantum in agris adhuc obtinuisse, per l. 1. C. quando lic. uniuersis. Quanquam hæc lex non de furibus, qui clanculum res subducere conantur, sed grassatoribus & prædatoribus violentis agat; prout ostendit subjuncta ratio; *ut isti mortem, quam minabantur, excipiant, & id, quod intendebant, incurrant.* Sed & sæpius dictam legem Sext. Cæcilius ap. Gellium l. 20. cap. 1. *faso de nocturnorum grassatorum insidiosa violentia* explicat. Cæterum ratio discriminis inter diurnum & nocturnum furem ea nobis præcipua videtur, quod abs fure interdiu deprehenso res possit recuperari, à fure nocturno non item, ubi is sese ædibus proripuerit; qui neque per tenebras cognoscitur, aut ab uno licet forte agnitus convinci nequit, dum è lectis non facile testes excitantur. In qua sententia hæc plerisque maxima difficultas videtur, quod cum istæ leges in fures poenam capitale non decernant, absurdum sit, privatis in eosdem plus licentiæ indulgere, quam summa potestas civilis sibi voluit sumere. Ad quam reponi potest, omnes eas leges circa supplicia furum præsupponere; res furto ablatas; fure deprehenso, restitui aut pensari. Quo facto, pro conditione suarum rerump. poenam dupli aut quadrupli sufficere judicabant. Exinde tamen non sequitur; ergo leges in eo casu, quo reparatio damni erat cessatura, non potuerunt civibus ex eo, quod in naturali libertate licebat, amplius quid indulgere. Neque enim quod in statu naturali jus belli indulget, id legislatores circa definiendas in civitatibus poenas sequi necessum habuerunt. Sic dantur civitates, ubi adulterium non est capitale; & tamen maritis impune licet occidere adulteros in ipso actu deprehensos. Sane quin injuria violati thori illata aut

aut intentata in libertate naturali constitutis sufficiens bello causa sit, nemini credo dubium esse; quæ autem sit licentia belli, nemo ignorat. Et tamen adulterio perpetrato nolebant leges pœnam adulterii intendere ad id, quod ex ea causa moti belli licentia indulget. Possis huc adplicare illud, quod *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 5. §. 26.* tradit. Quia sæpe magistratus civilis de hujusmodi flagitiis non potest cognoscere, sæpe evadunt impunita; ideoque quodcumque sumi potest pœna, sumitur gravissima, ut quanto magis audacia ex ope frequentis impunitatis creverit, tanto magis eadem summi supplicii metu retundatur. Sed & quod lex Romana tradit de fure diurno, eum occidi posse, si se telo defenderit; liquido est indicio, eadem furis permitti ad conservationem rerum, & non tunc demum, quando is ultro me telo impetit, sed & quando me, res ablatas ipsi eripere aggredientem, telo repellere instituit.

§. 18. Quæ cum ita sint, adparet, frustra à nonnullis dictæ legis de fure nocturno hanc adferri rationem; quod alias delicta sint mansura impunita, si noctu fur aufugisset. Sed & apud *Grotium l. 2. c. 1. §. 12.* non occurrit nihil, quod probari nequeat. Dicit, *legislatores hoc voluisse, directe rerum causa neminem interfici debere.* Id quod nos ex istis legibus perspicere non possumus, quæ de furibus loquuntur, qui, ut res clanculum subducant, in ædes irrepunt. Etsi quandoque in furto nocturno accidere possit, ut dum res meas servatum eo, vita quoque mea periclitetur. Quo casu ex duplici capite cædes furis sit licita. Ubi innocentia meæ non obstat, quod ipse me in hoc periculum deduxisse videar, dum rem meam cupio retinere, aut recuperare. Nam verfor in actu licito ac prope necessario, ex quo si quid præter meam culpam proveniat, nihil mihi poterit imputari. Quod si propter res omnino non liceret alterum interficere, non video, quomodo culpa vacet, qui pro servandis rebus in tale se periculum non imprudens coniecit, ubi occidere aut occidi necessum foret. Sicut frustra defensionis favorem implorat, qui in duellum provocatus ultro descendit. Sed & ratio legis ab ipso prolata non satis videtur solida: *quod noctu vix sit copia adhibendorum testium, atque ideo, si occisus fur reperiatur, facilius credatur ei, qui à se vitæ tuendæ causa dicat furem interemptum, repertum scilicet cum aliquo instrumento, quo nocere possit.* Etsi enim densus, vocabulum Ebraicum pollicè capi pro *instrumento per fossorio*; tamen, si ea ratio legis fuerat, planius erat dixisse: si

muc

cum telo fuerit inventus. Quanquam neque hoc sequatur; fur inventus est cum telo; igitur illius, à quo occisus fuit, vitæ vim intentavit. Sed & ex lege XII. *Tabb.* non sequitur; diurnus fur non poterat occidi, nisi telo se defendisset; ergo contra nocturnum furem est præsumtio, quod telo se defenderit. Imo illa nocturnum furem *quoquo modo* occidi permiserat. In l. 9. D. ad L. *Cornel. de sicar.* verba illa, *si parcere ei sine periculo suo non potuit, dum rem servare conatur*, posterioribus seculis LL. XII. *Tabb.* sunt addita. Ante istam additionem probari non potest, homicidii fuisse reum, qui furem nocturnum occiderit, si forte testes adfuissent, ex quibus constaret, non fuisse eum, qui furem occidit, ab ipso in periculum vitæ adductum. Exemplum de puella in agro stuprata ad rem nihil facit. Nam ibi expresse lex pro vi eidem illata præsumere jubet; heic de præsumto vitæ periculo nihil invenitur. Quin potius ex re furum est, nullam conferere pugnam, & in pedes se dare. Fatentur tamen longe generosius facere, qui furem nocturnum, si commode possit, capit, rebusque suis servatis magistratui defert, quam qui citra necessitatem eum occidit. Add. quoque *Grænevegen de legibus abrogatis* ad l. 4. D. ad L. *Aquil.* ubi testatur, legibus Batavorum non requiri, ut quis de fure nocturno cum clamore testificetur. *Conf. Lex Visigothorum l. 7. tit. 2. cap. 16. Lex Burgundionum addit. 1. tit. 16. c. 1. 2. Lex Frisiorum. tit. 5. Constitut. Sicul. tit. 13. Capit. Caroli & Ludovici. l. 6. c. 19.*

§. 19. Quæritur denique, an qui injuriam prior intulit, recte possit resistere injuriam vindicatum eunti? Quod aliqui affirmarunt, ideo quod pauci, proprio ex arbitrio injurias suas exsequentes, tantum reponant vindictæ, quantum acceperunt injuriæ. Verum nobis heic paulo distinctius videtur pronuncianum. Scilicet ex lege naturæ, qui injuriam alteri intulit, satisfactionem debet offerre. Tenetur etiam quilibet offensæ veniam concedere alteri petenti, & pœnitenti, oblata reparatione damni dati, & cautione de non offendendo in posterum præstita. *Quintilianus declam. 5. Semper odiorum honestus occasus est; & dum simultantes nihil aliud habent, quam nocendi cupiditatem, speciosa in melius animi mutatio est.* Sic *Marcus Antoninus l. 1. §. 7.* in suis moribus commendat, *ὅπως τὴν χαλεπήν πρὸς τὴν πλημμελήσαντας ἰστανκλήτως καὶ ἰσδιאלλάκτως, ἐπειδὴν τὰ χίιστα αὐτοὶ ἐπαλάθειν ἰσθλήσωσι, διακείθαι. quod placabilis & reconciliatu facilis esset adversus eos, qui offensionis causam dederint, aut deliquerint aliquid, simul atque illi*

in gratiam redire vellent. Addatur *Idem* l. XI. §. 8. & *Seneca de Ira* l. 2. c. 34. l. 3. c. 26. 27. 42. Sic & apud Chineses, qui philosophiam moralem omnibus disciplinis solent præferre, nemo est tam crudelis, ut injuriam sibi illatam morte ulcisci studeat; & qui alteri cedit & lædere ipsum non cupit; cordatus & egregius vir habetur. *Neubof. ingen. descript. China. c. 1.* Igitur qui satisfacere renuit, & refusionem postulanti resistit, injuriam injuria cumulat. Sed qui æquam satisfactionem oblatam respuit, & omnino armis vindictam persequi contendit, injustam vim molitur, eique jure resisti poterit. Conf. *Livius* l. 9. c. 1. & *Grot.* l. 2. cap. 1. §. 18. & *Bœclerus* ad h. l. Potest huc facere exemplum privatæ pugnæ apud *Davilam de bello civili Francia* l. 15. p. m. 1027.

CAPUT VI.

DE JURE ET FAVORE NECESSITATIS.

- | | | |
|---|---|---|
| 1. <i>Necessitas quotuplex?</i> | } | 4. <i>Quid indirecte eadem indulgeat?</i> |
| 2. <i>Vbi jus aut favor necessitatis fundetur?</i> | | 5. 6. 7. <i>Quid juris eadem indulgeat in res aliorum?</i> |
| 3. <i>Quid illa cuiq; det juris in seipsum, aut directe in alios?</i> | | 8. <i>Quid pro rebus nostris servandis liceat in res aliorum?</i> |

IN ore omnium versatur vis necessitatis, quod illa lege careat, ac in omnibus humanis institutis semper excepta intelligatur, atque ad multa agenda jus det, quæ citra eam inter verita habebantur. *M. Seneca* l. 4. *controvers.* 27. *Necessitas magnum humana infelicitatis patrociniū est.* *Callimachus hymno in Delum*: ἀνάγκη μεγάλη θεός. *Necessitas ingens est Dea.* Add. oratio *Lentuli* apud *Livium* l. IX. c. 4. Ea vis unde sit, & quousque extendat, curatius jam est dispiciendum; eoque magis, quod quidam parum aut nihil efficaciam circa moralitatem actionum eidem tribuere videntur. Ante omnia autem observandum, quod *Cicero* l. 2. *de inventione* duplicem faciat necessitatem; *simplicem & absolutam*, cui nulla vi resisti potest; quæ neque mutari neque leniri potest: & *necessitudinem cum adjunctione*. Quæ iterum triplex est, *ad honestatem*, (quo referre possis illud *Plinii* l. 1. *epist.* 12. *summa ratio sapientibus pro necessitate est*;) *ad incolunitatem*, *ad commoditatem*. Quarum illa *summa* sit, altera *huic proxima*; *tertia ac levissima commoditatis*, quæ cum priori nunquam possit contendere.

Quan-

Quamquam autem honestas præstet incolumitati, hanc tamen interdum illi posse præferri, si, ubi incolumitati consuluerimus, quod sit in præsentia de honestate delibatum, virtute aliquando & justitia recuperari queat. Ubi id non possit, honestatem præferendam. Et si alii moneant, quotiens necessitudini ad honestatem præfertur necessitudo incolumitatis, factum defendi non tam præscriptione juris & directâ via, quam excusatione humanæ infirmitatis, per vocabula veniæ & miserationis; & clementiæ: necessitudini autem commoditatis multo minorem vim sive ad defendendum sive ad excusandum inesse, nisi res sit cum iudice, qui studii, & propensionis suæ majorem, quam juris & sapientiæ rationem habet. Enimvero nobis heic potissimum inquiritur de necessitudine incolumitatis, quamnam illa vim habeat ad eximendum aliquem actum ab obligatione legum communium. An scilicet aliquando legibus vetita agere, aut præcepta omittere possimus, quando citra nostram culpam in ejusmodi angustiis hæremus, ut aliter salutem nostram expedire nequeamus. Ubi adparet, quicquid est illud sive juris, sive favoris, aut veniæ, quod necessitati tribuitur, unice inde promanare, quod non possit non homo omni studio ad se conservandum conniti; eoque non facile præsumatur, talem ipsi obligationem impositam, quæ ardori propriæ salutis conservandæ præponderare debeat.

§. 2. Equidem de hoc nemo pius dubitaverit, quin Deus, qui absolutus est dominus nostræ vitæ, & quam nobis precario heic agendam indulget, tam rigidam nobis legem dicere queat, ut moriendum nobis sit potius, quam vel latum unguem ab illa discedamus. Ex quo genere legem de non edenda suilla credebant Judæi 2. *Macchab.* VII. Et recte quidem, quod suillam edisse in ejusmodi casu habebatur pro abnegatione veræ religionis. Cum extra talem casum utique nefas non fuerit, in defectu aliorum ciborum, suilla vesci, ne quis fame periret. Sed & sæpe per imperium civile tam severa alicui mandata injunguntur, ut mors potius sit excipienda, quam ab illis discedendum. Enimvero tam rigida non semper præsumitur legum positivarum obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui instituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique salutem aut commoditatem hominum per ea promotum iverint, regulariter quoque ob oculos habuisse præsumuntur teneritatē humanæ naturæ, & quā non possit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad ipsius destru-

tionem tendunt. Quam ob causam pleræque leges, saltem positivæ, intelliguntur excipere casum necessitatis, seu non obligare, quando ipsorum obligationem comitaturum esset malum, humanam naturam destruens, aut communi animi humani constantia superius; nisi expresse, aut per negotii naturam iste quoque casus sit comprehensus. Unde necessitas non id quidem efficit, ut directe lex heic & nunc possit violari, seu peccatum admitti; sed ex benevola legislatorum mente, simulq; naturæ humanæ consideratione præsumitur, casum necessitatis sub lege generaliter concepta non contineri. Quo facit locus *Matth. XII. 2. 4.* Add. *Casaubonus exercit. I. ad Baronium. n. 9.* Scilicet quod materia & ratio istius legis tantum rigorem non jubeat præsumere, ut fame potius pereundum sit, quam panibus propositionis vescendum. *Palladius de re rustica l. I. c. 6. Necessitas ferius caret.* Verum uti hæc circa leges positivas facile admittuntur, ita altioris est indaginis, an eadem ad leges quoque naturales sint extendenda; nimirum an in casu necessitatis intermitteri possit, quod lex naturalis jubet, aut fieri, quod eadem vetat? Circa prius ex natura præceptorum affirmativorum constat, illa, ut heic & nunc ad exercitium actus quis obligetur, præsupponere occasionem, materiam & facultatem agendi; quæ regulariter deesse intelligitur, ubi quid fieri non potest, nisi ipse peream: cum amorem & curam sui abjicere fere inter impossibilia, & quæ communem hominum constantiam superant, habeatur. Igitur nisi vel expresse in lege contineatur, vel ex qualitate negotiï colligatur, vitam meam potius amittendam, quam actio omittatur, regulariter leges affirmativæ exceptionem summæ necessitatis habere intelliguntur; præsertim ubi quis in culpa non fuit, quare in talem necessitatem incideret. Hinc non teneor panem dare famelico, si ego ipse eodem indigeam. Vid. *2. Corinth. VIII. 13.* Nec si alter in aquis periclitetur, ipsum extrahere, si mihi pro eo sit pereundum. *Seneca de benefic. l. 2. cap. 15. Dabo egenti, sed ut ipse non egeam; succurram perituro, sed ut ipse non peream.* Sed quod præcepta negativa attinet, id primo certum est, non posse per necessitatem recte suscipi actus, qui directe tendunt ad violationem Numinis divini; puta ut aliquis evitandæ mortis causa Deum blasphemet, aut ipsum abneget, cultuique ejus, & obsequio renunciât. Cum enim certum sit, DEUM homini longe gravius posse malum infligere, quam mors est naturalis,

turalis, ex ipsa quoque ratione sat probabile sit, eundem longe nobiliori bono velle pensare jacturam vitæ hujus, quam quis in honorem ipsius facit; (*Carpyllides in Antholog. l. 1. ἡ ῥα δίκαιος ἄνδρασιν ἰουσιβίος ἢ ἀπόλων χέει. Deperit justis gratia nulla viris:*) nefas utique fuerit, evitando minori malo in honorem divinum delinquere. Et si qui tormentorum atrocitati succumbunt, miseratione non plane sint indigni. Circa illas autem leges, quæ hominum invicem officia continent, observandum, esse quædam præcepta juris naturalis, quæ factum aliquod humanum, aut institutum præsupponunt; cujus finem si quis consideret, facile agnoscit, illud ad casum extremæ necessitatis non extendendum: adeoque eandem exceptionem legi quoque inesse. Deinde & hoc notandum, non posse dici, aliquem actu suo legem immediate violasse, nisi ille ipsi recte possit imputari. Constat autem duplici modo actum aliquem ab homine proficisci, vel tanquam à causa principali, vel tanquam à causa instrumentali. Hæc iterum dupliciter sese habet, vel ut nullum motum, nisi à causa principali impressum exserat, & quidem contra naturalem suam inclinationem, si quam habet; vel etiam ut ex proprio & intrinseco impulsu ad actum exercendum se convertat, licet prioris quoque causæ impulsio, aut directio adsit. Hæc si quis homo posteriori modo ad actum concurrat, tanquam causâ instrumentalis, actus iste non principali duntaxat causæ, sed & huic tanquam suus, & ab ipso profectus imputari poterit. Sin priori quis modo concurrerit, principali duntaxat agenti, non instrumentali actus imputabitur. Ad quod tamen quæ requirantur, infra latius exponetur.

§. 3. His præmissis ad speciales quæstiones, quæ hæc agitari solent, accedamus. Et illud quidem dubium non habet; quanquam alias homo non obtineat jus in sua membra, ut illa pro lubitu perdat, luxet aut mutilet; licebit tamen abscindere membrum insanabili morbo correptum, aut per vulnus inutile plane redditum, ne totum corpus pereat, aut sana adhuc membra corripiantur, aut inutili appendice nequidquam aliorum usus membrorum impediatur. An autem summa necessitas etiam aliquod jus largiatur in vitam, id est, an ad effugiendam mortem ignominiosam, aut asperis tormentis comitatam liceat occupare lenem exitum, superius disquisitum fuit. Porro quid in alios necessitas juris indulgear, jam videamus. Carnibus hominum à nobis non carorum vesci in sum-

ma fame, & deficientibus aliis nutrimentis, miserandus quidem cibus, sed tamen nefarius non est. Verum quid de istis exemplis sit pronuncian- dum, ubi in summa cibi penuria alii sunt jugulati inviti, aut sorte du- cti, vix liquet: cum ex una parte lex homicidii, ex altera famis atrocitas pugnet, venterque auribus carens, & quod citra tristissimum hocce me- dium omnibus foret pereundum. *Homerus Odyss.* ἢ ἔ γάρ τις συγείη ἐπὶ γαστέ- ρε κύνερον ἄλλο ἔπλετο, ἢ τ' ἐκίλευσεν ἢ οὐ μή σαρξ αἰατὰ γαγ. *Nihil enim odioso ventre impudentius, & qui sui necessario meminisse jubeat.* Vid. 2. *Reg.* VI. 28. 29. *Deuter.* XXVIII. 53. *Threnor.* IV. 10. *Ioseph. antiq. Judaic.* IX. 2. & *de bello Judaico* I. VI. c. 21. *Diodorus Siculus* I. 3. c. 40. Add. historia de septem Britan- nis, qui vastum in mare projecti, deficiente cibo potuque, fortiti unum non sane reluctantem jugularunt, cujus sanguine intolerabilem sitim, ac famem carnibus utcunque sedaverunt; quos ad terram delatos post ju- dex homicidii absolvit. Prout ex *Nicol. Tulpio in observat. medicin.* refert *Ziegler. ad Grot.* I. 2. c. 1. §. 3. *Qui censet à navigantibus hoc maxime pecca- tum, quod in mortem unius, & quisque in se, si ita contingeret, conspiraverint, atque periculum corporis periculo animæ anteposuerint. Nec debuisse quenquam vitam suam tam vili pendere, ut ejus jactura alterius famem expleret. Nec re- liquos ideo in socium suum se vivere debuisse, ut stomacho suo consulere.* Et si huic reponi possit; aspere nimis dici, in mortem alterius conspirasse, qui sorte ducendum censent unum, ut reliqui serventur, qui alias omnes si- mul misere erant perituri. Vid. *Iona* I. 7. *seqq.* Unde nec animæ pericu- lum heic fuisse metuendum. Illum animam suam vili æstimare, qui citra necessitatem eandem projicit. Nec se vitiam dici posse, ubi in salutem om- nium qui moritur, minori cum dolore ferrum jugulo excipit, quam alter infigit. Velim quoque ejusmodi casum expendi. Si in naufragio plures in scapham insiluerint, quàm illa ferre possit, neque ad unum pe- culiari jure scapha pertineat; an non sorte sint ducendi, qui projiciantur; & si quis sortiri detrectaverit, tanquam qui omnium interitum querat, absque ulteriori deliberatione præcipitari queat? Verum circa ejusmodi casus rariores judicium nostrum nunc suspendimus.

§. 4. Isthoc frequentius contingit, ut duo in præsens vitæ pericu- lum incidant, in quo utrique sit pereundum, nî unus quid faciat, ex quo paulo citius alteri, aliàs perituro, fata admoveantur. Vel etiam ut ex ne- cessitate periculum mortis, aut magnæ læsionis intentemus alteri indi- recte,

recte, ita ut nobis non sit propositum ipsi nocere, sed duntaxat talem actum suscipere, ex quo probabiliter noxa eidem possit inferri; ut tamen mallems quavis potius alia ratione necessitudine nostra defungi, & ipsam læsionem quantum in nobis est temperemus. Ejusmodi alterius læsionem uti nostro cum peccato non conjunctam arbitramur: ita eandem qui patitur, velut fatale malum excipere atque æstimare debet, & ob quod ei, qui intulit, recte non possit indignari. Exempla talia sint: Si ego natandi peritus cum altero natandi imperito in profundas aquas incidissem, & (uti fieri solet) ille me circumplexus teneret, neq; mihi tantæ sint vires, ut ipsum mecum efferre possim; quis vitio mihi verterit, si omnibus viribus talem abs me amoliar, ne cum eodem suffocer, et si is per aliquot minutas horæ partes à me utcunque extra aquas potuisset sustineri? Sic in naufragio, ubi tabulam ego occupavi, duorum non capacem, si quis adnatans eidem se quoque velit injicere, me simul secum perditurus, nihil videtur obstare, quo minus quavis violentia eundem à tabula repellam. Sic quando duobus fugientibus hostis necem intentans instat, unus vel ponte post se dejecto, vel porta clausa, alterum in præsentis vitæ periculo destituere potest, si uterque simul servari nequit. Qualis necessitas in bello frequentissime obtingit, ut pauci sint destituendi, quo summa rerum servetur. *Arrianus de expedit. Alex. l. VI.* Εἰ τῷ ὑπὲρ τῆς πατρὸς ἐποδύμῳ τὸ κατ' ἐνάς τις εἶν ἀνάγκη ἠμυλεῖτο. *pro communis salutis studio, singulorum cura necessario negligebatur.* Apud *Virgilium Æneid. IX.* Pandarus ut cernit, quo sit fortuna loco, qui casus agat res, Portam vi multa conversus cardine torquet, Obnixus latis humeris, multosque suorum Mœnibus exclusos duro incertamine linquit. Apud *Eundem l. XI.* pulso Latinorum equitatu pars claudere portas, Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent Accipere orantes. *Conf. Livius l. 26. c. 15.* ubi Thurini hoc prætextu scelerate sunt usi. Apud *Florum l. 2. c. 18.* de Numantinis dicitur: *novissime consilium fuga sedit; sed hoc quoque ruptis equorum cingulis uxores ademere, summo scelere, per amorem.* Sic apud *Tacitum Annal. 14.* tanquam erratum bellicum annotatur, quod in templo coloniarum Camaloduni non motis senibus & fœminis juventus sola resistit. (add. *Livius l. V. c. 40.*) Contra ibidem *Suetonius unius oppidi damno servare universa statuit, neque fletu & lacrymis auxilium ejus orantiū flexus est, quin daret profectionis signum, & comitantes in partem agminis acciperet. Si quos imbellis sexus, aut fessa atas attinuerat, ab hoste oppressi sunt.*

Cum

Cum tamen tanta necessitas nondum premeret, humaniter Darius apud *Curtium* l. IV. c. 16. pontem Lyci fluminis noluit rescindere, addens; *se malle insequentibus iter dare, quam auferre fugientibus.* Altero casu, si robustior quis mortem intentans me persequatur, ac in angusta via, qua fugiendum, forte quis occurrat; ubi admonitus non cesserit, aut id temporis locivè angustia non admiserit, licebit sane illum impellere, & per ejusdem stragem fugam capeffere, etsi probabiliter ex isto impulsu vehementer videatur affligendus. Nisi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultro pro eodem periculum subire debeam. Quod si fugæ interpositus, admonitus licet, decedere via nequeat; puta si infans sit, aut claudus, saltem excusationem merebitur, qui pedibus, aut equo per eundem saltum potius molitur, quam moras nectendo corpus hosti præbet. Id autem exemplum, quod aliqui afferunt, quare culpa non vacet, manifestum est. *Præfectus quidam militaris è prælio fugiens, hoste instante, de suis militibus unum in conferta turba antepositum transfodit, ne fuga mora crearetur.* Huic enim utique tantum erat virium, ut solo impulsu viam sibi facere posset. Excusabitur tamen, si præter intentionem armis suis forte noxam intulerit. At vero si quis petulanter, aut inhumane mihi obstiterit, & viam fugiendi concedere abnuerit, cum directe quoque tanquam hoste prosternere possum, quantumcumq; demum is inde lædatur. Conf. *Lactantius div. instit. l. V. c. 17.* qui nostris assertis nequidquam opponitur. Cæterum uti vitæ periculum quocumque modo declinasse magnum habet favorem; ita pari fere modo defenditur aut excusatur fuga, cum læsione obstantium suscepta, si cui mutilatio membri, aut aliud grave vulnus intentetur. Nam & talia intentanti ad extremum usque testis potest, & ubi fuga periculum declinatur, etiam improvidum & importunum impetum confternatio excusat.

§. 5. Videamus jam, an necessitas nostram vitam servandi jus aliquod indulgeat in res alienas, ut invitis dominis, vel clam vel aperta vi istis raptis, subvenire nobis queamus? Nobis ad solidam ejus quæstionis decisionem necessarium videtur paucis libare causas introductorum dominiorum, de quibus infra prolixius agitur. Quæ istæ potissimum sunt, ut discordiæ ex communione primæva ortæ tollerentur, atque industria hominum aleretur, dum proprio quisque Marte res suas quærere necessum habet. Nequaquam autem ideo res sunt distinctæ, ut ne quis

per

per eas aliis inferviret, & ut divitiis repertis solus incubaret; sed ut circa usum illarum pro arbitrio quisque possit disponere, & ubi easdem aliis communicare placeret, saltem occasionem obligationis ab altero adquirendæ haberet. Inde post proprietatem rerum introductam data est facultas hominibus non tantum commercia insigni cum utilitate generis humani exercendi, sed & materia parta humanitatem & beneficentiam adversus alios uberius expromendi, cum antea opera tantum ac labore aliis liceret infervire. Vid. *Ephes. IV. 28.* Est porro ea dominii vis, ut dominus res suas ipse possit dispensare, etiam ad quas alteri tradendas obligatur. Ex quo consequitur, quod res ab altero sibi debitas non statim ipse quis involare queat, sed dominum, ut ultro sibi eas tradat, postulare debeat. Quod si tamen iste ultro obligationi suæ satisfacere tergiversetur, haut quidquam ideo tanta vis dominii ipsius erit, ut res alteri debita invito domino non possit eripi per auctoritatem judicis in civitatibus, aut per vim bellicam in libertate naturali. Ac licet, si merum jus naturale respiciamus, ex imperfecta duntaxat obligatione, utpote ex virtute humanitatis orta, quis teneatur, ut alteri in extrema necessitate constituto rebus suis, quibus ipse pari modo non indiget, subveniat; nihil tamen obstat, quo minus per legem civilem in perfectam ista obligationem evalescat. Uti apud Ebræos factum fuisse memorat *Seldenus l. VI. cap. 6. de J. N. & G.* ubi per forenses sententiam ad dandam eleemosynam cogi poterat, qui quod sibi erat præstandum denegaret. Unde mirum non est, ipsos noluisse pauperes suos quidquam ex alieno sibi sumere, sed rogando tantum accipere à privatis, aut à publicis eleemosynæ exactoribus. Adeoque subreptionem alieni per extremam necessitatem apud ipsos pro furto aut rapina habitam. Quod si tamen in aliquacivitate pauperibus taliter cautum non sit, neque duritia domini precibus expugnari queat, nec facultas suppetat, ut pretio aut opera egestati præsentis quis subvenire possit, num ideo fame fuerit moriendum? Num ulli instituto humano tanta esse vis poterit, ut si alter officium facere negligat, mihi percundum sit potius, quam ab usitato & regulari agendi modo discedendum? Igitur non judicaverim furti crimine se illum adstringere, si quis præter propriam culpam in extrema inopia rerum ad victum necessariorum, aut quibus corpus contra sævitiam frigoris munitur versans, postquam ab aliis locupletibus atque abundantibus neque precibus, neque pretio, neque oblata sua opera, illas ut ultro sibi concederent, impetrare potuit, vi, aut clam

culum eas subducatur; præsertim ubi intentionem habeat earum æstimationem præstandi, quando copiosior fortuna arriserit. Cæterum quod ejusmodi necessitas possit contingere frustra negatur. Quid enim, si quis in aliena regione inops, ignotus, amicisque carens destituatur, naufragio ejectus, aut subducto per fures viatico, vel quod interea domi patrimonium casu perierit? Si nemo inveniatur, qui egenti subvenire, ejusve operam conducere velit; aut, uti fieri suevit, ipsius mendicantis liberali ac integro habitu moti, citra necessitatem hunc stipem petere crediderint; an ideo misero fame fuerit pereundum? Equidem *Proverb. VI. 30. 31.* fur vocatur, furti poenæ obnoxius, qui res alienas surripit ad explendam famem suam. Sed accuratius inspicienti patet, istum furem haut quidquam extrema necessitate, qualem nos supponimus, urgeri, aut iniquo fato citra suam culpam & delidiam in famem incidisse. Nam utiq; innuitur, domum ipsum habere, & suppellectilem, quæ sufficiat ad restituendum septuplum; quam poterat vendere, aut oppignerare, inventurus utiq; emtorem aut creditorem temporibus copiosis & tranquillis. Neq; enim adparet, ibi præsupponi, tempore belli, aut per annonæ caritatem id furti fuisse patratum. Et qui non amplius habebat, unde sese aleret, debebat se in servitutem vendere. Vid *Levit. XXV. 39. Selden. I. VI. c. 7.* Non obstat *Proverb. XXX. 9.* Ab aliis quoque hoc exemplum ejusmodi necessitatis adfertur. Versatur quis in regione ignota & aliena, ab injusto invasore impetitur, salutis via nulla est, nisi ut fuga arripiatur. Adest ad manum alienus equus, sed cujus restituendi nullum medium adparet, cum nec dominus noscatur & equus longius sit abducendus.

§. 6. *Grotius l. 2. c. 2. §. 6.* eam difficultatem isthac modo expedire instituit. Eos, qui ab initio distincta rerum singularium dominia introduxerunt, hanc velut limitationem istis addidisse intelligi, quod domini vis tunc debeat expirare ad excludendos alios abs rerum cuiq; propriarum usu, quando alter citra earundem usum servari nequit; adeoque in ejusmodi casu necessitatis rem propriam, citra quam alter homo periturus est, in communionem primævam redisse censeri. Vel quod eodem recidit, quando primum homines dominia distincta instituerunt, singulos cum singulis pactum inivisse, ut abs aliorum rebus, nisi quantum domini concedunt, manus abstinerentur; ut tamen, ubi extrema urgeret necessitas, cujuslibet re, citra quam servari quis nequit, tanquam in medio po-

sita

sita, uti sit concessum. Cum enim in legibus scriptis ea sit sumenda interpretatio, quæ quam minimum ab æquitate naturali recedat; multo id magis faciendum in moribus, per tacitas duntaxat conventiones introductis. Id autem esse æquissimum, ut cuique se conservare indulgeatur ea re, quæ ipsi unica tunc occurrit. Enimvero heic non deest, quod in dubium revocari possit. Nam si in necessitate quis accipit jus asserendi sibi res alienas, velut in medio istæ forent positæ; non adparet, quare quis easdem ipsi domino, qui pari necessitate premitur, ubi viribus prævaluerit, non possit eripere. Id quod tamen *Grotius* non concedit. Deinde ejusmodi rerum, quas velut in medio positas meo jure arripio, restitutio haut quidquam est facienda; quam tamen heic *Grotius* requirit. Et fuerat quoque distinguendum, utrum quis in eam necessitatem citra suam culpam, an vero per ignaviam aut negligentiam inciderit. Qua distinctione non posita, jus videtur dari ignavis nebulonibus, qui per socordiam in egestatem inciderunt, ut alieno labore parta per vim sibi queant usurpare; adeoque per pigritiam continuata egestate, industriis necessitatem imponere, ejusmodi inutilia pecora ingratis alendi. Atqui omnes cordati admittunt, uti citra suam culpam calamitosis merito subvenitur; ita pigris ventribus merito occini, quod in fabulis reponebat famelicæ per hie mem cicadæ formica. Quo facit illud *Plutarchi apophthegm. Lacon. Cum maritimus prado incursionem in agrum Laconicum fecisset, essetque deprehensus, ac diceret: se non habuisse, unde stipendia suis militibus persolveret; neque se ab habentibus potuisse impetrare, ultro ut darent; itaque venisse, ut vi auferret; Cleomenes dixit; σύννομος ἡ πονηρία. compendiosa est hæc malitia.* Add. *Pandulfus Collenutius rer. Neapolit. l. V. p. m. 373.* Cum ergo liceat domino discrimen facere inter eos, qui fato, aut qui suo merito sunt miseri; patet sane, jus esse domino in rem suam, etiam adversus eum, qui in extrema necessitate constituitur, valiturum, hætenus saltem, ut possit dijudicare, dignusne sit ille misericordia, an minus; utque adeo materiam habeat oportuno beneficio egentem sibi devinciendi. Apud omnes quippe maximum beneficio pondus accedere judicatur, si per id extrema fuerint dispulsa. Atqui nullus est gratiæ locus, si quis alteri tribuat, quæ per vim jure suo & tanquam sibi competentia hic eripere poterat. Igitur melius puto res isthæc expeditur ex nostra sententia, si dicamus, eum, qui est locuples, teneri succurrere innocenter egeno ex obligatione

imperfecta, ad quam explendam quidem regulariter nemo per vim adigi debet: sed tamen si summa urgeat necessitas, id eam efficere, ut istud tantisper eo modo vindicari queat, quo ea, quæ jure perfecto debentur, id est, ut extra ordinem ad eatur magistratus, aut ubi tempus id non fert, vi aut clanculum erepta reurgens necessitas dispellatur. Nam ideo præcipue ad illa, quæ ex virtute humanitatis debentur, jus duntaxat imperfectum conceditur, ut alteri sit occasio ostentandi animum officio explendo ultro pronum, simulque alios beneficio devinciendi sit materia. Istud ubi quis insuper habuerit, an ideo egeno fame pereundum, quia locupletis inhumanitas precibus expugnari nequit? Quin potius & rem simul, & meritum perdat, qui ultro humanus esse noluit. Ex dictis quoque clare patet ratio exceptionum illarum, quas *Grotius* assertioni suæ subjungit. Nam cum inevitabilis tantum necessitas indulgeat per vim vindicare, quod ex obligatione imperfecta debetur; manifestum est, prius omnimodo tentandum, an alia ratione, quam per vim, aut clanculum necessitas possit evadi; puta ad eundo magistratus, preces adhibendo, promissa restitutione, ubi fata mollius fluere cœperint, operam offerendo. Deinde huc, descendi non potest, ubi dominus pari necessitate tenetur. Nam hunc in abundantia agere præsupponimus. Id quod ulterius extendendum judicaverim, ne sic quidem invito rem suam eripi debere, si manifestum sit, cum mox in eandem necessitatem deventurum, si res ista alteri cesserit. Heic enim sibi quisque proximus est. Facit quoque huc illud apud *Herodotum Vrania*: cum Themistocles Andrios pecuniam posceret, duobus magnis numinibus fretus, *Suadela & Necessitate*: illi duo numina non minus valida opponebant, *Inopiam & Impossibilitatem*. Jctorum regula, quam *Grotius* heic adducit, *in pari causa possidentis conditionem esse meliorem*, huc non videtur quadrare. Nam tunc tantisper pro possessore pronunciatur, quando petitoris jus nondum liquidum est. Verum de domini jure heic nullum est dubium: cum hoc duntaxat quærat; an per solam legem humanitatis ego teneam perire, ut alter servetur. Quod nemo adseveraverit. Caterum adposite ad casum propositum apud *Curtium l. 7. c. 1.* dicitur: *melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum*. Denique & nos asserimus, restitutionem, ubi commode fieri possit, esse faciendam, in primis ubi res fuerit magni pretii, aut quam gratis condonare alterius fortunæ non ferant. Quod si autem res sit mo-

dica

dica, quæque alterius facultates gravare nequeat, sufficet, si velut ex debito gratitudinis, ubi occasio tulerit, ostendamus, nos libenter ipsi beneficium fuisse debituros, si per ejusdem tenacitatem licuisset. Sed quod *Grotius* quoque restitutionem fieri debere adserit, id ipsius hypothese parum congruit. Nam si in casu necessitatis primæ communionis jus redibat, sic ut quis suo jure rem alienam acceperit, nulla erit facienda restitutio. Sed quia hæc fieri debet, adparet sane, domini jus in rem suam non expirasse per alterius necessitatem, sed ipsum sponte eam alteri debuisse concedere, gratis, aut accepto pretio, aliavè pensatione. Quod quia iste negligebat, necessitas jus quidem dedit eam rem arripiendi, sub isto tamen onere, quod dominus illi poterat imponere; nimirum ut vel ad gratitudinem ipsum, vel ad æstimationem refundendam obligaret.

§. 7. Super eadem questione ac aliis non minus in diversas partes disceditur. *Cap. si quis X. de furtis*, glossa intelligit duntaxat de modica, non autem de summa necessitate. *Didac. Covarruv. de cap. peccatum. p. 2. §. 1. n. 3.* eandem fere cum *Grotio* fovet sententiam. *Quod ob necessitatem extremam*, inquit, *liceat absque furti vel rapina vitio res alienas accipere ad sublevandam eam necessitatem, rationem esse, quia per hanc omnia sunt communia. Siquidem natura ipsa institutum est, ut res inferiores sint ordinata, & destinata ad hominum necessitatem. Quamobrem divisio rerum, qua post institutionem juris naturalis facta est, non derogat rationi naturali, que dicitur ex rebus temporalibus subveniendum esse hominum necessitati extrema.* Adducitur locus *Ambrosii* ex *Gratiani* decreto c. sicut hi. dist. 47. *Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis. Ant. Perezii* ad tit. *Cod. de furtis* §. 3. pro eadem sententia has affert rationes; quod vi majore quis id compellatur facere, nec præsumatur dominus invitus, quia consentire, & ultro indigenti subvenire ex humanitatis ratione tenetur; & quod in extrema necessitate non tam rem alienam, quam communem videatur accipere. Inedia tamen necessitate liberatum restituere debere, quæ accepit. *Anton. Matthæus* ad l. 47. *D. tit. 1. §. 7.* inter crimen & pœnam distinguendum arbitratur; ut crimen committi, etiam pœnuria urgente, fateatur, pœnam tamen propter necessitatis vim delinquenti aut remittendam, aut certe mitigandam censeat. Quod autem omnino heic furtum committatur, hisce rationibus probare instituit;

quod utique lucrificandi animum habeat, qui deficiente annona cibum alteri subtrahit. Ad quod reponi potest, vix videri lucrificandi causa rem alienam eripere, qui per eam extremæ suæ necessitati consultum sit, eo animo ac voto, ut eandem quam ocylime possit refundere. Deinde *fraudulenta contractatio rei aliena* vocari nequit, quando alteri eam dandi obligatio imperfecta erat, ac in altero tale jus, ut in præsentem casu, quo commodissime fieri poterat modo, arripere posset. Præterea *Idem* jactat, *viro sapienti atque bono nullam tantam vim inferri posse, ut sciens aliqua se turpitudine contamineat: atque in ejusmodi casibus, ut Cicero scribit de Offic. l. 3. suum cuique incommodum ferendum esse potius, quam de alterius commodis quidquam subtrahendum.* Enimvero speciose philosophari extra necessitatem constituto in proclivi est. Vid. *Oppianus halievt. l. 3. v. 197. seqq.* Neq; major in ejusmodi facto, prout id à nobis fuit determinatum, turpitudinis est, quam quod in fame ad sordidos, & bestiales cibos etiam splendidi homines interdum descendere adiguntur. Neque de commodis augendis & detrahendis agitur, quando locupletis viro, aut cui ejus rei jactura gravis non sit, minuti quid subtrahitur, ne quis fame, aut per injurias aëris pereat. Circa l. 2. §. 2. ad L. *Rhodium de jactu*, monet, *publica utilitate urgente, quod quisque frugum domi flagellat, id eum ad annonæ subsidium proferre debere; non tamen singulis indulgendum, ut suo arbitrato auferant, quod sibi deficit, aliis superat. Idenim publica autoritate magistratuum esse faciendum.* Sed an ideo fame moriendum, ubi à magistratu nullum est subsidium sperandum? Denique quod aliqui addunt, *nullam hac in parte legis inveniri dispensationem;* id vanum est. Nam in superioribus satis rationum est allatum, quare non sit præsumendum, legem de furtis ad præsentem casum extendi debere.

§. 8. Denique videtur & necessitas circa res nostras versans, veniam indulgere res alienas perdendi, aut invadendi; cum hac tamen restrictione, ut citra nostram culpam illud periculum rei nostræ extiterit, ut idem commodiore via dispelli nequeat, ut ne pro viliori nostra re alterius pretiosorem perdamus, ut æstimationem ejusdem præstemus, si quidem ista alias peritura non fuerat, & denique in partem damni veniamus, si alterius res una cum nostra alias peritura erat, quæ nunc sua jactura nostram servat. Quo fundamento nititur æquitas legis *Rhodiæ de jactu*, qua cavebatur, *ut si levanda navis gratia jactus mercium factus est, omni-*

um contributione farciatur, quod pro omnibus datum est. Vid. tot. titul. & qui ad eundem, ac in leges nauticas commentati sunt. Sic funes & retia, in quæ navis mea impulsa est, discindere licebit, si aliter illa explicari nequit. Vid. l. 29. §. 3. D. ad L. Aquiliam. Ita tamen, ut si citra culpam meam factum id fuerit, damnum utrinque commune sit. Sic orto incendio, eoq; meis ædibus imminente, licebit vicini ædes dissipare, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo servatæ sunt, id damnum farciant. Quanquam enim l. 7. §. 4. D. quod vi aut clam. statuat, ubi incendium pervenisset ad ædes, quæ dejectæ sunt, eum qui deiecit esse absolvendum: communis tamen sententia æquitati magis accedit; (add. l. 49. §. 1. D. ad L. Aquil.) si urgente incendio, domus aliqua diruta sit cæterarum conservandarum causa, id damnum esse farciendum à vicinis, ad quos verisimiliter ignis potuit pervenire, etiam si ad domum, quæ diruta est, nondum pervenisset. Id enim sane durum nimis foret; cum per alterius rei destructionem rem meam servaverim, in illum solum devolvere damnum, me immuni. Ex iisdem etiam fundamentis pleraque deducuntur, quæ à JCtis Romanis traduntur, de damno infecto, ubi possessor rei ruinosa, ex qua rebus meis periculum imminet, cavere adigitur de damno, si quod vitio operis contigerit, præstando: ac si illud renuerit, per edictum prætoris ego immisionem in ruinosa istas ædes obtineo. Uti & illud, quod interpretes juris Romani tradunt; si quis fundum, confinibus undique prædiis non servientibus circumdatum, habeat, cumq; adire nequeat, compelli debere à iudice confinem, ut aditum concedat, saltem pro aliqua recognitione. Cæterum exinde quoque Grotius l. 2. c. 2. §. 10. colligit, licere ei, qui pium bellum gerit, occupare locum in pacato solo situm; si non imaginarium, sed certum sit periculum, ne hostis eum locum invadat & irreparabilia inde damna det; si nihil sumatur, quod non ad cautionem sit necessarium, puta, nuda loci custodia, relicta domino jurisdictione, & fructibus; deniq; si id fiat animo reddendæ custodiæ, simul atque necessitas illa cessaverit. Quibus addendum fuerat, domino prius denunciandum, ut ipse etiam atque etiam locum custodiat, oblatis quoque ad eam rem sumtibus; aut si malit, inutilem eundem ad præsidia recipienda faciat. Item, ubi sumtus in ejusmodi loci munitionem facti fuerint, non teneri dominum ad eos refundendos, nisi ipse utiq; eosdem facturum erat; nec obtentu factorum sumtuum ultra necessitatem isti loco incumbendum; cum alter

per

per eos sumtus non istius loci meliorationem, sed propriæ regionis defensionem spectaverit. Recte tamen *Bæclerus* ad d. l. *Grotii* monet, ex usu omnium sæculorum & populorum constare, neminem putare, se tene-ri ad permittendum alteri, periculum ab hoste timenti, occupationem loci, aut arcis suæ, si impedire possit. Adeoque si alter occupaverit, hoc ex iis esse, quibus facilior venia tribui potest, non ex iis, quæ juris natura- lis titulo citra figuram, & oratorium colorem defendi queunt. Quibus accedit, quod facile apud hostem suspicio possit oriri, dominum loci cum altero clam in ipsum conspirare; sic ut hoc modo alieni belli moles faci- le in ipsum devolvi queat. Imo si vel maxime hostis intelligat, domino invito locum occupatum; tamen si is alterum inde exturbare instituat, belli calamitatibus iste subjicitur; quas quovis modo declinare nemini vitio poterit verti. Sed & nescio quam parum consultum est, plures in domum suam hospites recipere, quam quos commode iterum pos- sis expellere, & quibus nolens volens amicus esse cogaris, quiq; tibi, si libido subegerit, ultro migrationem injun- gere queant.



SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ ET GEN-
TIUM
LIBER TERTIVS.

CAPUT I.
UT NEMO LÆDATUR; ET SI QUOD DA-
MNUM FUIT DATUM REPARATUR.

- | | | |
|---|--|--|
| <p>1. Homo hominem, ejusq; res ledere non debet.</p> <p>2. Damnum, si quod datum, reparan- dum.</p> | | <p>3. Quid sit damnum?</p> <p>4. Quinam damnum dent?</p> <p>5. Quo ordine ledentes tencantur?</p> <p>6. Quot modis læsio fiat?</p> |
|---|--|--|

7. De

- | | |
|---|--------------------|
| 7. De reparatione exemplum in homicida. | 9. In adultero: |
| 8. In eo qui mutilavit: | 10. In stupratore: |
| | 11. In fure. |

Quid homini adversus seipsum exercendum injungat lex naturalis, quantumque ei licentiæ, aut favoris circa conservationem sui, rerumque suarum eadem indulgeat, hactenus exposuimus. Jam transcendendum est ad illa præcepta, quibus officia adversus alios homines obeunda continentur. Ea supra dividimus in *absoluta & hypothetica*. In classe *absolutorum*, quæ citra omne antegressum humanum institutum omnes homines obligant, merito principem locum huic deferimus: *Ut ne quis alterum lædat, utque, si quod damnum alteri dederit, id reparet*. Est quippe hoc omnium latissimum, omnes homines ut tales complexum; idemque facillimum, utpote nuda actionis intermissione constans; nisi qua oblectantes rationi libidines, quas inter non postremas tenet enormis propriæ utilitatis amor, quandoque compescendæ sunt. Quin & maxime necessarium idem est, quod citra illud socialis hominum vita nullo modo consistere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miscet, cum eo tamen tranquille vivere possum, modò nulla ratione me lædat. Imo à maxima mortalium parte nihil amplius quam isthoc desideramus: bona fere inter paucos invicem communicantur. Ast cum eo, qui mihi nocet, quomodo pacifice possum vivere? cum natura cuique tam tenerum amorem sui rerumque suarum inferat, ut non possit non omnibus modis repellere eum, qui istis noxam inferre aggreditur. *Seneca de Ira l. 2. c. 31. Nefas est nocere patriæ: ergo civi quoque; nam hic pars patriæ est. Sancta partes sunt, si universum venerabile est. Ergo & homini; nam hic in majore tibi urbe civis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Ut omnia inter se membra consentiant, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cætum geniti sumus. Salva autem esse societas nisi amore & concordia partium non potest.* Muniuntur autem hocce præcepto, & velut sacrosancta esse jubentur non illa tantum, quæ immediate nobis ipsa natura concessit, uti est vita, corpus, membra, pudicitia, existimatio simplex, libertas: sed etiam ejusdem præcepti vis sese per omnia instituta ac conventiones, quibus aliquid homini acquiritur, diffundere intelligitur, tanquam

quam sine quo illa plane inutilia forent. Sic ut quocunque titulo aliquid nostrum sit, hoc præcepto idem auferri, corrumpi, lædi, usibus nostris ex toto, aut ex parte subtrahi vetetur. Quamquam etiam idem multis præceptis affirmativis virtualiter insit, dum illa unum ponendo ipsius contraria remouent. Quam manifeste autem hujus legis necessitas quorumvis sese animis ingerat, adparet ex *Seneca de benefic. l. IV. c. 17. Dic cui libet ex istis, qui raptò vivunt, an ad illa, quæ latrociniiis & furtis consequuntur, malin ratione bona pervenire? Optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstusest, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitia præmiis sine nequitia frui malit. Cicero Offic. III. Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor.*

§. 2. Ex hocce porro præcepto consequitur, *si cui abs aliquo læsus sit illata, damnumque datum ullo modo, qui ipsi recte potest imputari; id, quantum ejus fieri potest, ab eodem esse sarcendum.* Cum alias vanum sit præcepisse, ne alter lædatur, si ubi de facto is læsus fuerit, damnum ipsi gratis sit devorandum; & qui læsus, fructu suæ injuriæ secure, & citra refusionem gaudere queat. Neque enim citra necessitatem restitutionis abs se invicem lædendis pravitas mortalium unquam abstinebit; nec qui damnum passus est, ei facile fuerit animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu istius reparationem non obtinuerit.

§. 3. Damnum etsi proprie ad res pertinere videatur; à nobis tamen ita laxè accipietur, ut omnem læsionem complectatur, quæ etiam ad corpus, famam, pudicitiamque hominis spectat. Adeoque nobis id norat omnem læsionem, corruptionem, diminutionem, aut sublationem ejus, quod nostrum jam est, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debebamus habere; sive id datum sit à natura, sive accedente facto humano aut lege attributum; sive denique omissionem aut denegationem alicujus præstationis, quam nobis alter ex obligatione perfecta exhibere tenebatur. Huc quoque facit *Quintiliani declamatio 13.* ubi late ostenditur, damnum dedisse, qui flores in horto suo veneno infecerat, ex quo vicini apes perierunt. Palmarium tamen argumentum in eo consistit; cum omnibus constet, apes esse genus animantis vagum, & quod nulla ratione adfue fieri possit, ut ex certo loco pabulum petat: igitur ubicunq; illas habendi jus est, ibi quoque omnibus vicinis quamdam velut servitutem

tem in junctam intelligi, ut a pibus passim citra ullius prohibitionem vagari liceat. Add. l. 27. §. 12. l. 49. D. ad L. Aquil. Hic tamen observandum, cum duplici modo nobis aliquid debeatur, vel ex obligatione perfecta vel ex imperfecta, quorum illi in nobis perfectum, huic imperfectum jus respondet; circa prioris generis debita duntaxat damnum nobis inferri, ex quo alter ad restituendum teneatur, non autem circa illa, quæ posteriori modo debentur. Nam cum isthæc ab altero ex ultroneo velut impulsu virtutis cujusdam debeant præstari, mihi que non competat facultas ipsum ad eadem exhibenda per vim adigendi; inconueniens fuerit damni loco ducere, talia non accepisse, aut pensationem eorum postulare, quæ ab altero non nisi per modum beneficii ultronei poteram expectare. Ac uti illa, ad quæ habenda idoneus tantum sum, inter mea numerare nequeo; sic & illis interuersis super damno accepto queri non licet. Eleganter in eam rem *Aristoteles Nicom. V. cap. 4.* *πλουτεῖ ἂν δὲν ὁ ἰσονδύνας χεῖμασι διὰ δυνάμειαν.* Non est locupletior, qui alteri pecuniis suis non succurrit per tenacitatem. Ergo alter, cui propter hoc vitium non succurritur, non habet ἕλαττον seu minus. Quo etiam pertinet illud *Ciceronis pro Cn. Plancio*, ubi contendit, quæquam fortasse Lateranensis Plancium dignitate superaverit, penes populum tamen fuisse, isto præterito huic honores mandare, cū ad istos habendos neutri jus perfectum fuerit quaesitum. *Est conditio, inquit, liberorum populorum, posse suffragiis vel dare, vel detrabere, quod velint, cuiq.* Et tamen *ibidem* id, quod debuit populus facere, opponitur ei, quod *potuit*: vocabulo debendi sumto pro obligatione illa minus perfecta, qua ad cujusvis virtutis exercitium tenemur. Quæquam circa istud dictum *Grotius l. 2. c. 17. §. 3.* monet, cavendum esse, ne confundantur, quæ ad diversum genus pertinent. Si enim populus, qui ad honores dignissimis conferendos ex sola prudentia regnatrice tenetur, alicui commiserit facultatem suo nomine munia assignandi; ubi hic indignos dignis prætulerit, qui prætereuntur de injuria, aut damno illato queri quidem non possunt. Populo tamen jus est, electorem istum rationem gestororum damniq; ex electione indigni in remp. redundantis pensationem postcendi. Sic & civis, artibus ad munus aliquod gerendum instructus, etsi ad illud obtinendum haut quidquam jus habeat ad versus civitatem valiturum; jus tamen habet juxta alios pensandi: in quo si per vim aut fraudem ab aliquo fuerit impeditus, postulare poterit non quidem totius

rei expetitæ, sed ambigux istius spei æstimationem. Est & hoc circa æstimationem damni observandum, quod sub illam veniat non modo ipsa res nostra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur; sed etiam fructus, qui ex ipsa re proveniunt, sive jam sint percepti (quantum hi jam per se æstimari possint tanquam peculiæ res,) sive adhuc sperentur, si modo dominus eos percepturus fuerat; (vid. l. 62. §. 1. D. de rei vindic.) deductis tamen impensis, quæ ad fructus percipiendos fuerunt necessarii; ne cum aliena jactura locupletiores siamus. Æstimatio autem fructuum speratorum intenditur vel remittitur, prout hi longius aut propius à fine incerti proventus remoti fuerint. Sic minoris erit æstimanda messis in herba perditæ, quam quæ jam maturis flavescit aristis. Quin & civilium, quos vocant, fructuum habenda erit ratio. v. g. Qui alterius ædes incenderit, non solum eas instaurare tenetur, sed & reparare pensiones, quæ ex illis interea poterant percipi. Vid. l. 5. C. de rei vindic. Add. quoque l. 22. §. 1. l. 23. princ. D. ad L. Aquiliam. Ex Philone *Jud. de victimis* constat, si quis ob damnum alteri datum pœnitentiam egerit, damnum id debuisse restituere, superaddita quinta parte pretii, in solatium ejus, qui injuriam acceperat. Sed & illud manifestum, pro uno velut damno haberi, quicquid ex aliquo damno, velut naturali necessitate, deinceps mali profluxit. Vid. *Exod. XXII. 6. l. 27. §. 8. l. 30. §. 3. D. ad L. Aquil. M. Seneca l. V. except. controvers. 5. Strabon. 12. de Ariarathæ rege*, refert quod angustius quibusdam obstructis, ad quas Melas exitum in Euphratem habet, proximam planitiem totam lacu dilucrit, atque in insulas quasdam, tanquam Cyclades, comprehendens pueriliter ibi sit moratus. Clausura vero ad unum, rupta aqua, soluta est, intumefactusque Euphrates magnam Cappadocia partem traxit, & multas habitationes, & constit. delevit. Agrum Galatarum non parvo affecit detrimento. Quæ ex re XXX. talentorum damno multatus, ejus rei judicio Romanis commissio. Libanius *progymn. τὸ παρὰ τὸν ὄραμα, καὶ τῶν ἀπολυθῆτων κριμίζεται τὸν λόγον*. Id quod occasionem præbuit, consequentium omnium causam habet. Add. l. 7. §. 7. D. ad L. Aquil. Lex *Wifigothorum l. 8. tit. 2. c. 1. 2. 3. & tit. 3. c. 3.*

§. 4. Circa illos, qui damnum dant, repetendum est ex l. 1. c. 5. §. 14. quibus modis alicui alterius factum imputetur. Potest quippe alteri quis damnum dare non modo immediate, & per se; verum etiam per alios. Potest & damnum ab aliquo immediate datum alteri imputari, adeoque ejus

ejus reparatio ab isto postulari, quia ad istius factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod debebat facere. Et quidem ut vel ipse principalis causa habeatur, vel uterque pari passu ambulet, vel idem accessorii, & causæ minus principalis loco sit. De his igitur omnibus sciendum, illos ita teneri ad reparationem damni, si revera causa damni fuerint, seu momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejusdem partem. Sæpe enim accidit in illis, qui minus principaliter ad alterius factum committendo aut negligendo concurrerunt, ut sine eorum actu aut neglectu is, qui damnum dedit, certus fuerit omnino id dare, istique adeo velut superflui accesserint. Ubi quanquam eorum voluntas & conatus crimen habeat; quia tamen præsentis damni nulla pars ab ipsis profluxit, restitutio ab iisdem postulari nequit. Haut quidquam tamen audiuntur, qui obtinent, si vel maxime ipsi operam aut consilium non accommodassent, alios tamen non fuisse defuturos, qui operam facinori locarent; adeoque citra ipsos damnum utique fuisse dandum. Sufficit enim ipsorum operam revera aliquid efficaciam habuisse circa producendum damnum. Neque vero isti alii immunes erant futuri, si & ipsi hæc manus admovissent. Et videmur in universum hanc regulam dare posse circa illos, qui ad reparationem damni tenentur, vel non; nempe ubi quis ad ipsum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque ut ille susciperetur, antecederet effecit; neque in partem aliquam emolumenti venit, is licet occasione istius actus aliquo peccato obstringatur, ad restitutionem tamen damni non tenebitur. Unde qui teneantur, facile colligere licebit. Sic quis negaverit, peccare, qui alienis calamitatibus per injurias aliorum hominum conciliatis lætantur, atque insultant? Vid. *Psalm 137. v. 7.* Quis tamen hos ad damni reparationem teneri dixerit? Idem dicendum de his, qui pravum aliquod factum, ubi jam patratum fuerit, laudant, excusant, verbis defendunt, dummodo reparationem damni hac ratione non impediant; aut qui antequam id fiat, ut fieret optant, aut dum fit, tacite lætantur, ac favent. Nam quod affertur ex *Ciceronis Philippica 2. Quid interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum?* Non est seria aliqua sententia, sed refutandæ duntaxat alterius ineptæ objectioni reponitur. Nec si maxime seria esset, ad reparationis obligationem posset extendi. Unde & idem dictum *Ciceronis* minus ad-

posite videtur adplicari ab *Ammiano Marcellino* l. 27. quando de Probo prætorii præfecto dicit: *nunquam clienti vel servo agere quidquam jussisse illicitum; sed si eorum quenquam crimen ullum compererat admisisse, vel ipsa repugnante justitia, non explorato negotio sine respectu boni honestiq; defendebat.* Nam & istis audaciam addebat peccandi tanti patroni fiducia, & hic defensione sua impediēbat, ne damni à suis dati reparatio fieret. Quod autem attinet eos, qui consilium dant, id quidem certum est, si quis modum damni inferendi suggerat, eum ad reparationem teneri. Sed si quis tantum in genere suadeat alicui; ut v. g. ad latrocinia, ad furta se adplicet, aut si quis destinationis jam certo assentiatur, uti timidi principum consiliarii, aut adulatores solent, is ad reparationem haut quidquam teneri videtur. *Conf. Ant. Matthæus de crimin. proleg. c. 1. §. 7. 8. 9.* Circa illos denique, qui omittendo id, quod debebant, ad facinus alienum concurrunt, observandum; tunc demum ex sua omissione ad reparandum damnum ipsos teneri, si omiserunt, quod ex obligatione perfecta facere debebant, non si quod lex caritatis aut humanitatis duntaxat dictabat. Tali enim modo quæ mihi debentur, cum pro meis nondum habere queam, neque si intercipientur ad reparationem agere potero. Quicquid contradicat *Zieglerus* ad *Grotii* l. 2. c. 17. §. 9.

§. 5. Quod si igitur plures ad unum actum, ex quo damnum profluxit, concurrerint, in præstanda reparatione hic ordo servabitur, ut primo loco teneantur, qui imperio, aut alio modo, ad necessitatem accedente, ad factum impulerunt. Vid. l. 37. *princ. ad L. Aquil.* l. 2. l. 3. l. 4. *princ. D. de noxial. action. Lex Wisigothorum* l. 7. tit. 3. c. 5. & l. 8. tit. 1. c. 1. In ejusmodi enim casibus patrator facinoris, seu qui manus admovit, instrumentalis erit causa. Ubi citra necessitatem quis ad facinus accessit, ipse primū tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut si à prioribus reparatio fuerit facta, posteriores ab eadem sint immunes; (et si non à pœna.) Sed quid si à pluribus, in eadem causarum classe constitutis, idem actus profectus fuerit, an singuli tenebuntur in solidum, an vero pro rata duntaxat parte? *Grotius* d. l. §. 11. heic pronunciat, *in solidum teneri singulos, qui ad actum causam dederunt, si totus actus ab ipsis, et si non solis processit.* Quæ satis obscura sunt, nisi exemplo illustrentur; cui fini hoc quadrare arbitramur. Tres sunt, qui faces simul alicui domui injeecerunt. Heic actus incensæ domus totus videtur à singulis proces-

siste.

sisse, etsi non à solis; cum æque domus fuerit conflagrata, licet unus tantum facem iniecisset. At si plures aliquem fustibus invaserint, quorum unus capiti vulnus inflixerit, alter brachium fregerit, tertius oculum excusserit, singuli non de tota læsione tenebuntur, sed quisque pro eo, quod ipse fecit. Etsi sæpe, quando unus elabatur, qui deprehenduntur, in solidum damnentur; præsertim ubi conspiratum inter ipsos ad facinus patrandum fuerit. Clarius res fiet, si distinguamus inter actus dividos, & individuos. Hi sunt, ad quos multi concurrunt, sed ita, ut etiam ex unius opera integer actus fuerit secuturus, neque singulis certa velut pars istius queat assignari: uti est incendium, perfossio aggeris, & similes. Nam damnum inde datum idem fuisset secuturum, si vel maxime unus tantum ei facinori manus admovisset; sic ut definiri nequeat, quota pars incendii, vel inundationis à singulis provenerit. Ad talem actum si plures concurrerint, singuli tenebuntur in solidum hæctenus, ut si quidem omnes simul comprehendantur, æquales damni partes singuli sarcire debeant; aut ubi reliquis elapsis unus duntaxat sit comprehensus, ab ipso solidum possit exigi. Nec minus, si ex deprehensis aliqui non sint solvendo, locupletes in solidum tenebuntur. Et in hoc differt quoque reparatio damni ab exactione pœnæ, quod ibi uno solvente reliqui liberentur; cum idem damnum bis reparari æquum non sit, (etsi per modum pœnæ id non raro fiat:) sed ut solida pœna pluribus, qui ad idem facinus concurrerunt, infligatur, frequens est. Quo spectat casus ille apud *Quintilianum Instit.* Orat. l. 7. c. 6. *Fur quadruplum solvat, duo surripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroque quadragesima, illi postulant, ut vicena conferant.* Ubi contra fures videtur pronunciandum. Nam ex legibus Romanis actio furti five dupli five quadrupli tantum ad pœnæ persecutionem pertinebat. *§. ult. Instit. de oblig. que ex del. nasc.* l. 7. *§. 5. l. 8. D. de jurisdictione.* l. 6. *princ. D. arborum furtim cæsarum.* l. 34. *D. de injuriis.* Add. l. 11. *§. 2. 4. D. ad L. Aquil.* l. 51. *§. 2. ibid.* l. 15. *§. 2. D. quod vi aut clam.* l. 21. *§. 9. D. de furtis.* *Hotoman. illustr. quest.* 33.

§. 6. Cæterum ut aliquis à nobis lædatur, aut damno afficiatur, fieri potest vel dolo malo destinatoque consilio, vel per solam culpam citra propositum quidem, non tamen absq; negligentia, eaque vel levioere, vel magis supina; vel denique per casum fortuitum, sicut ista læsio recte nobis imputari nequeat. *Lysias Orat.* XXX. *ὄδεν ὄδεν ἐκείσιν δὲ ὄχημα γίγνεται.*
nemini

nemini sponte infortunium accidit. Sed & apud nonnullos populos imputari solent non illa tantum damna, quæ cooperantibus nobis per alios data sunt; sed & quæ citra positivum nostrum influxum à servis aut pecoribus, bestiisque nostris profecta sunt. Vid. *Exod. XXI. 28. seqq. 33. seqq. & Grotius ad d. l.* Quin ad restitutionem teneatur, qui dolo malo damnum dedit, dubium esse non potest, & quidem ut exactissime omnia damnum id consecuta computentur. Sed & ad reparationem tenentur, qui citra propositum per negligentiam, quam facile erat evitare, damnum intulerunt; cum hæc quoque non minima socialitatis pars sit, ita circumspicte agere, ut nostra conversatio aliis non fiat formidolosa, aut intolerabilis; & sæpe peculiari ex obligatione quis ad accuratam diligentiam adhibendam adstringatur. Vid. l. 6. §. 7. l. 14. D. *de offic. præsidis.* l. 27. §. 9. *in fin.* §. 29. 34. 35. l. 27. 29. §. 2. 3. 4. *ad L. Aquiliam.* *Deut. XXII. 8.* ex qua à paritate rationis veteri tradunt Judæi habere scalas fractas, & canes mordaces. Imo & levissima culpa ad reparationis necessitatem sufficere potest, si modo negotii indoles exactissimam diligentiam non ultro velut adspernetur; aut si non ejus magis, qui damnum accipit, quam qui dat, culpa versetur; aut nisi magna perturbatio, vel negotii circumstantia accuratam circumspiccionem non admittat; puta, si quis in fervore pugnae, dum arma quatit, proxime sibi adstantem lædat. Sic apud *Ælianum V. H. l. 3. c. 44.* adolescenti, qui in socium enses impulit, dum latronem ferire conatur, ita Pythia respondit: *Ἐκτεινας τὸν ἐταῖρον, ἀμύνων, ὃ σ' ἐμίανεν Αἶμα, πῖλαις ἢ χεῖρας καθάρωτερον, ἢ πὰρ ἑῷδα.* *Defendens socium ver sum mucrone necasti: purior es manibus nunc, quam prius esse solebas.* Add. *Epicetus enchir. c. 39. & Simplicius ad d. l. circa finem.* nec non l. 44. l. 52. §. 4. D. *ad L. Aquil.* & *interpretes ibi.* Ex casu tamen fortuito ad reparationem neminem teneri manifestum est, ubi scilicet nulla alicujus culpa admixta est. Nam ubi à me nihil admissum est, quod imputari mihi queat, nulla ratio est, quare ego magis, qui invitus damnum feci, fatale malum luere debeam, quam alter, qui accepit. Add. l. 5. §. 2. l. 7. §. 3. *ad L. Aquil.* Quod si tamen pauper à locuplete per casum fortuitum sit læsus, liberalitati ipsius congruens erit, miserum aliquo beneficio solari. Super actionibus autem noxalibus, & de pauperie *Grotius* quidem d. l. §. 21. censet, eas ex jure civili positivoque esse; cum dominus, qui in culpa non est, natura ad nihil teneatur. Alii tamen istas actiones naturali aequitati maxime

reparationibus damni in universum observandum est, si per maleficium datum sit damnum, ejus reparationem pœnam non tollere. Vid. l. 48. *D. de furtis*. Et si ultro eandem obtulisse reatum non parum minuat, tanquam certum pœnitentiæ signum. *Luca XIX. 8.* Notatu quoque dignus est locus apud *Michaëlem Glycam Annal. tom. IV. de Michaële Paphlagone. Caterum Michaël Imperator delictum in Romanum per omnem vitam deplorare non desinebat, ac Deum bonis operibus, monasteriis condendis, benignitate in egentes placabat. Ea vero profuissent illi, si quidem a jecisset imperium, cujus gratiam molitus ea facinora fuerat: & adultera repudiata, privatus peccatum suum deplorasset. Nunc ille nihil horum agens, sed Zoæ consuetudine utens, imperium mordicus retinens, de publicis bonis in speciem beneficia quedam præstans, eoque pacto veniam se consecuturum sperans; numen divinum & mentis expertus & injustum esse putabat, quod alienis opibus redimi pœnitentiam pateretur. Valer. Max. l. 2. c. 8. §. 4. Tantum interest adjicias aliquid, an detrahitum restituas; quantum distat beneficii initium ab injuriæ fine. Verum istis illustrandis exempla, quæ à Grotio l. d. afferuntur, subjiciemus.*

§. 7. Homicida injustus tenetur solvere impensas, si quæ facta sunt in medicos; & iis, quos occisus alere ex officio, obligationis perfecta vim habente, solebat, puta parentibus, uxori, liberis, (non si quos ex misericordia alere, egenis,) tantum dare, quantum valebat illa spes alimentorum, habita ratione non tantum facultatum occisi, sed & ætatis tam hujus, quam alumnorum. Modum computandi alimenta docet l. 68. *D. ad L. Falcidiam*. Sed quod *Zieglerus ad Grotii d. l.* arbitratur, etiam lucrum aliquam habendam rationem, quod occisus facere poterat, si diutius vixisset; quod utique istorum hereditatem fecisset opinioem: id vix admittendum videtur. Cum tale lucrum, adhuc incertum, nondum inter bona nostra censeri queat, ac futurum tempus æque ad damna quam ad lucra pateat, nec quantum de isto lucro fuerat consumpturus occisus, liquido constare queat. Est autem homicida injustus, qui occidit eum, cui ne ab isto occideretur jus erat; cuique adeo dum occiditur, injuria fiebat. Quod jus eo ipso, dum sociale animal hominem natura esse, aq; mutua læsione jubet abstinere, cuique homini competere intelligitur. Cui tamen juri, quantum in se, homo renunciare potest, saltem ne à certis ipsum personis lædi nefas sit; idque tacite, aut expresse. Tacite quidem remittit jus illud, qui alterum sine justa causa per vim invadit. Hanc enim

enim cum quovis modo abs se repellendi alter jus habeat, neminem præter seipsum potest accusare, qui dum sua vis injusta repellitur, noxam accepit. Expresse autem eidem juri renunciat, qui cum altero in bellum ex condicito descendit. Belli enim lex est, ut cuique liceat, quantum potest, ad hostem opprimendum conniti. Quo spectat illud *Plutarchi in apophth. Lacon. Duopueri pugnabant. Horum alter alteri falce vulnus letale intulit. Cum autem pueri familiares, qui pacis componendæ gratia interveniant, promitterent, se ultores fore, & percussorem interfecturos; μὴ δαμῶς (ἐπι)σπῆς θεῶν. ἔγδ δίκαιον. καὶ γδ ἀνὴρ ἰποῖσα τῦτο, εἰ ἔθασα ἔγδ ἄδελφόν μου. Nolite, obsecro, inquit. fieret enim hoc injuste. Idem enim ipse facturus eram, si strenuus fuisset, & antevertisset.* Add. l. 4. l. 5. l. 7. §. 4. l. 52. §. 1. D. ad L. Aquil. Et quanquam in isto bello fortasse contra caritatem sit peccatum; illius tamen solius violatio ad obligationem pensationis non sufficit. Cæterum liberi hominis vita æstimationem non habet; & si haberet; non est, cui illa exsolvi possit. Nam ad propinquos ejus vita non pertinet, sed interest tantum ipsorum, ut iste vivat; adeoque eo quod interest præstito, æstimationem vitæ postulare hi nequeunt. Secus se res habet in servo; qui cum totus sit domini, ac ad modum aliarum rerum in commercium veniat, pretium utique habet, ipsoque occiso est, qui suo jure id poscere queat. Quod si durum nimis videatur, & ab humanitate alienum, servum ad pecoris modum æstimari; dicere licebit, non ipsius personæ, sed quæ ab ipso proficisci possunt, operarum pretium poni. Cæterum pari modo ad reparationem damni tenentur, qui per lasciviam, quæ dolo malo æqualis est, alterum occidunt. Vid. l. 4. §. 1. D. ad L. Cornel. de sicar. & ibi *Godofredus. l. 10. D. ad L. Aquil.* Item qui per culpam, & incircumspecte cædem patrant; cujus exempla ponuntur in *Institut. de L. Aquil. §. 5. seqq.* si miles in alio loco, quam qui ad exercendum destinatus est, dum sese exercet, aliquem trajecerit; aut si id paganus fecerit in loco, ubi exerceri milites moris est. Nam si à milite ibi quis nõ destinato consilio trajectus fuerit, miles immunis erit, quia istius culpa est, qui eo se contulit; & hic in officio suo versatus est. Add. l. 9. §. 4. D. ad L. Aquil. & *Antiphon. Orat. VII.* Item si putator ex arbore dejecto ramo servum transeuntem ecciderit, prope viam publicam aut vicinalem, neq; proclamavit. Si proclamavit, nec ille curavit præcavere, extra culpam est putator. Uti & si idem seorsim à via forte, vel in medio fundo cædebat, licet non

proclamavit; quia in eo loco nulli extraneo jus fuerat versandi. l. 31. D. ad L. Aquil. Add. Lex Burgundinū tit. 46. Itē si medicus ægrum destituerit, aut per imperitiam noxia medicamenta adhibuerit. Vid. Plinius l. 29. cap. 1. Lex Wisigothorum l. XI. tit. 1. cap. 6. Item si mulio per imperitiam aut imbecillitatem retinere non potuerit mulos, (scil. si ultro ad ejusmodi munus sese adplicuerit, non si coactus fuerit, & de imperitia aut imbecillitate protestatus fuerit,) quo minus alterum opprimerent. Add. l. 5. §. 3. l. 7. §. 2. §. 6. 8. l. 8. l. 9. princ. §. 3. l. 11. princ. l. 31. l. 52. §. 2. D. ad L. Aquil. conf. c. 8. 9. seqq. X. de homicid. In Alcorano cap. de uxoribus illi, qui per ignorantiam Musulmanum occiderit, injungitur, ut propinquis præstet damnum & id quod interest, & unum Musulmanum ex captivitate redimat, Sic & istos, quibus lex divina Numer. 35. & Deuteron. 19. asylo indulgebat, ad ejusmodi reparationem obligatos probabile est; cum is, cujus manubrio ferrum elapsum est, à culpa non penitus sit immunis, cum illud melius munire debuisset. Quomodo tamen cum regulari statu civili congruat, ut ejusmodi homicidam involuntarium vindex sanguinis, extra asyli terminos deprehensum, impune occidere potuerit, nondum satis dispicimus, n̄ implacabili ejus populi genio aliquid indultum fuisse dicamus. Conf. Tacit. Germ. c. 21. Homer. Odyss. o. v. 272.

§. 8. Qui mutilavit, similiter tenebitur ad impensas in vulnus curandum factas, & ad æstimationem ejus, quod jam, qui mutilatus est, minus lucrari potest. Conf. l. 13. princ. D. ad L. Aquil. l. 7. D. de his qui dejec. velessud. Notatu dignæ sunt heic Ebraeorum leges, quæ referuntur à Constantino L'Empereur in Babakama c. 8. §. 1. Qui proximum lædit, in eo quinque nominibus tenetur; nomine damni, doloris, curationis, cessationis, & ignominia. Damnum hoc modo æstimant. Si v. g. illius oculum excœcavit, manum amputavit, pedem fregit, eum considerant, ac si servus esset in foro vendendus, atque æstimant, quanti antea valebat, & quanti jam valet. Nam si heic diversitas conditionis & status personarum attenderetur, nullam fore putabant certam æstimandi rationem; cum in singulis vitæ generibus, & personarum statu diversissimo semper quidpiam proferre posset læsus, cujus nomine damnum vel vitium corporis admodum extenderet, ejusque compensationem augeri postularet. Itaque omnes læsos pro servis hac in parte censerī volebant, quorum pretium ignorari non poterat. Adcoque si antea v. g. 50. siclis æstimatus, postea

postea 30. tantum vendi posset, lædens 20. siclos, quanti læsus depretia-
tus fuerat, rependebat. Circa *dolorem* ita tradebant, v.g. si quis hominem
adufferit veru, aut clavo, etiam in ungue, ubi non fit vibex; tum expen-
debant, quantum homo istius conditionis reportare veller, ut tanto do-
lore afficeretur. Nam sane hominem divitem & delicatulum invenias,
qui grandi pecunia, ut vel modicum dolorem sustineat, adduci non pos-
sit: vicissim robustum quendam pauperem, laboribusque ad suetum de-
prehendas, vel pro denario magnum dolorem non detrectare. Eo in
dolore æstimando ita procedebant. Ponebant v.g. regem constituisse,
ut istius conditionis homini manus amputaretur, expendebantq; quan-
tum iste daturus esset, ut manus sibi potius leni aliquo medicamento tol-
leretur, quam violento ictu gladii. Et tantum lædens læso doloris no-
mine debebat solvere. Conf. l. 5. *princ.* & §. 1. D. *de injuriis*, ubi cum in-
ter *verberationem* & *pulsationem*, hoc discriminis statuatur, ut *verberare sit*
cum dolore cadere, pulsare sine dolore; etiam dolorem æstimari posse con-
sequi videtur. Circa *curationem* hoc observabant; si curatione semel
facta pustulæ succrescerent, siquidem ex inflictâ plaga id fieret, percuti-
ens tenebatur etiam harum curandarum mercedem exsolvere; si non ex
inflictâ plaga, liber erat. Si subinde plaga sanaretur, & recrudesceret, i-
ste ad curationem ejus tenebatur; si in solidum semel sanatus foret, non
amplius ad curationem tenebatur. Dicitur quoque posset, lædentem tene-
ri, si per se vulnus recruduerit; non autem si culpa læsi, aut per imperiti-
am medentis. In statuenda æstimatione *cessationis* ab opere, quam occa-
sione vulneris alter habuit, considerabant læsum tanquam si cucumeres
custodiret. Id quod doctores Ebræorum ita latius deducunt; scilicet
ipsum pro vitio corporis, nec non pro exantlato dolore æstimationem à
lædente accepisse. Itaque quid vers. g. pede vel manu mutilatus, si
manum vel pedem retinisset, lucraretur, spectandum non esse contem-
dunt; sed quia jam pro manu & pede satisfactum est, quid damni duran-
te morbo patiat, operis respectu, quod licet mutilatus, tamen sanus. fa-
ceret, expendi volunt. Idcirco mutilatum illud pretium singulis morbi
diebus expetere posse censent, quod è servato cucumerario quotidie re-
portaret. Sed quia perinde non est, manu an pede quis sit privatus;
vulneratus ad tempus decumbat, & post sanitatem sine vitio recuperet,
an membrum aliquod amittat; inde subtilius à *Maimonide* modus æsti-
mandi

mandi cessationem per certos casus proponitur. Si membrum ejus mutilatum non sit, sed ægrotet, & in lecto decumbat, aut ita tumeat manus, ut tandem convalescat, alter ipsi cessationem uniuscujusque diei reddet pro ratione opificis, qui ab eo opere cessat, à quo illo abstinet. Sin lædens eum membro mutilaverit, aut manum amputaverit, reddito manus valore, seu damno præstito, quoad cessationem eum ut cucumerum custodem considerant; atque expendunt, quanta sit hujusmodi custodis merces quotidiana, quorūque dies ægrotaverit, supputant, tantumque ipsi rependitur. Similiter si pedem ipsi abscidit, eum, ac si ad portas civitatis custodem ageret, considerant. Si excœcaverit oculum ipsius, ac si in mola moleret, similiterque similes æstimant. In ignominia denique luenda, omnia pro conditione ejus, qui eam infert, & qui patitur, æstimanda. Cum longe gravius sit ignominiam pati abs vili aliquo homine, quam ab illustri; & quæ contumelia fordido homini levis est, honoratum acerrime afficiat. Ubi obiter addendum, quod de loco subjungitur: si quis de recto decidens lædat prætereuntem, & simul ignominia afficiat, puta in lutum isto impetu eum prætrudendo, illum damni nomine teneri, ignominia non item. Hæc ex legibus Ebraicis. Spectat quoque huc *l. ult. D. de his qui effuderint vel dejec.* & *l. 3. D. si quadrupes.* Ubi observandum, quod cicatricum & deformitatis nulla æstimatio esse traditur, id ad liberos duntaxat homines restringi debere. Nam cum luxuriosis Romanorum moribus formosa mancipia magni æstimarentur, pensatio utique locum habere poterat, si quis alicujus faciem per vulnera deformasset. Imo & recte æstimatur deformitas illata per vulnus faciei virginis, innuptæque foeminae, cui sæpe dotis instar est oris gratia. Ac in universum molesta sane est insignis deformitas, nosque aliis reddit ingratos, jocosque ac contentui petulantium exponit. Nisi quod in bello acceptorum vulnerum cicatrices opinio virtutis tegit. Vid. exemplum M. Servilii apud *Livium* *l. 45. c. 39. sub finem.* Add. *Seneca de benefic. l. V. c. 24. l. 13. princ. D. ad L. Aquil.* Bene tamen circa pensationem mutilationis observandum; ibi non tam taxari & æstimari ipsum membrum, quod est res inæstimabilis pretio numario; sed damna, ex usu membri impedito aut sublato emergentia, emendari pro conditione temporum, hominum, facultatum. In qua correctione dum versatur iudex, membra membris comparari tum ratione usus, tum ratione dolorum, necesse est. *Bæclerus ad Grot., l. 2. c. 1. §. 6.*

§. 9. Exemplum de adultero, & adultera, qui tenentur non tantum indemnem præstare maritum ab alenda prole adulterina; sed & legitimis liberis rependere, si quod damnum patiuntur ex concursu ita susceptæ sobolis ad hæreditatem: ad eos pertinet, qui indirecte, & per consequentiam actu suo aliis damnum dant. Nam alias directe adulterium haut quidquam ad damnum pecuniarium spectat. Circa isthanc rem *Zieglerus ad Grotii* d. l. §. 15. monet, recte quidem maritum ab onere alendi prolem adulterinam immunem debere præstari. Sed an legitimis liberis sit restituendum damnum, quod ex concursu ejusdem prolis in hæreditate sentiunt, dubio non carere. Quæstionem enim tantum esse de hæreditate materna; ad quam liberi adulterini venire non possint, nisi jubente lege. Igitur sicubi lex civilis adulterinos simul cum legitimis ad maternam hæreditatem vocat, damnum hic à lege dari, non ab adultero. Quibus & hoc addi fortasse posset, ideo adulteros istis liberis ad reparationem non teneri, quia liberis ad bona parentum vivorum jus perfectum non competit, ex cujus duntaxat læsione necessitas reparationis oritur. Sicuti injuriam non facit parens liberis, ad secunda vota transiens, etsi istis exinde spes hæreditatis insigniter minuatur. Enimvero in isthoc exemplo adparet abstrahi, tum à dispositione legum civilium circa successionem liberorum adulterinorum in bona parentum, tum à legibus pœnalibus in adulteros convictos statutis; atque ejusmodi reparationem ab adulteris etiam non deprehensis tum marito tum liberis genuinis deberi recte asseritur. Nam liberi saltem tale jus habebant, ne alius præter legitimum matris suæ maritum ipsis cohæredes conciliaret; (quod jus ex sine pacti matrimonialis ipsis quæsitum est.) Ex eodem quoque pacto marito jus erat, ne ab alio suppositos pullos pro suis, etiam ex bonis dotibus, aleret.

§. 10. Qui virginem imminuit vi aut fraude, tenetur ei rependere, quanti minoris jam ipsi defloratæ valet spes nuptiarum. Est quippe non mediocris instar dotis flos virginitatis. De quo elegans est locus apud *Apulejum in apologia*: *Virgo formosa, etsi sit oppido pauper, tamen abunde dotata est. Adfert quippe ad maritum novum animi indolem, pulcritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipsa virginitatis commendatio jure meritoq, omnibus maritis accepissimâ est.* Igitur æquum est, ut, qui istum florem invitæ abstulit, saltem id ipsi refundat, ut amplitudine dotis maritum invenire queat.

Quan-

Quaquam commodissimum sit, ut nisi conditionis disparitas, aut aliud quid obstet, iste stuprator defloratam ducat. Vid. *Exodi XXII.* 16. 17. *Deuteron. XXII.* 28. 29. Sed quæ uitro in meram libidinem consensit, habet quod sibi imputet. Etsi regulariter major heic culpa maris, quam puellæ præsumatur. Quod si quis virginem pactione matrimonii ad concubitum pellexerit, ducere eam utique tenebitur. Neque est, quod quis obijciat, pacta circa rem turpem invalida esse. Cum enim lege naturali inter pactum matrimonii, ejusque executionem nullum requiratur intervallum; (vid. *Tobia VII.* 10. 18.) sed tantum moribus ac legis civilibus; vid. *Gratianus caus.* 27. *quæst.* 2. *cap.* 39. Igitur isto quidem jure turpis conditio non videtur; eris mihi uxor si statim tanquam uxor corpus tuum mihi præbueris. Sed & si quid turpitudinis in ejusmodi properatis nuptiis insit, ob favorem matrimonii ad invaliditatem pacti non valere judicatur.

§. II. Fur & raptor tenentur rem subtractam redere cum suo incremento naturali, & cum sequente damno, & cessante lucro; etiamsi poenam insuper furti aut rapinæ nomine cogantur sustinere. Nam læsus reparationem damni quærit; poena autem ad usum reip. exigitur; quam sane judex haut quidquam læso imputare potest, ut ideo ipse re sua carere cogatur. Unde in quibusdam locis absurde judices rem furtivam sibi retinent; læsum, ut fese furis supplicio soletur; jubent. Vid. *Caroli V. Ord. crim. art.* 218. *Add. l.* 3. §. 12. *D. de peculio. l.* 56. *D. §. 1. de furtis. l.* 7. *princ. D. de incendio, ruina.* Sicuti & illud juri naturali non congruit, ut sumtus in supplicium furis faciendos læsus toleret; cum ad publicum magistratus officium spectet, scelera poenis reprimere. Ad quod si requirantur sumtus, qui ex facultatibus rei repeti nequeunt, à publico debent expendi, non à læso; cum præsertim ex aliis mulctis emolumentum in fiscum redundet. Sicut v. g. si bellum suscipiatur à rep. quod cives quidam ab aliquo injuria sint affecti, non illi soli, ad quos vindicandos bellum geritur, belli sumtus tenentur conferre. Aliud autem est, si læso à judice optio fuerit data, num malit res suas recipere, an furem suspendi. Si enim posterius elegit, nihil amplius quod petat, habet. Etsi talem optionem judex non recte læso permittat; cum supplicia noxiorum non libidini privatorum, sed bono publico debeantur. Quod si autem res
furtiva

furtiva perierit, *Grotius* d. l. putat æstimationem non summam, nec infimam, sed mediam præstandam. Quod non sine causa displicet *Zieglero* ad h. l. Cur enim ullo favore heic furem prosequamur? Et cum recte summum pretium exigere queam, quando in gratiam alterius rem vendo, alias mihi non venalem; quare furi, qui invito rem abstulit, aliquid remittere debeam? Add. l. 9. *D. de in litem jurando* l. 2. princ. *D. ad L. Aquil.* verb. *quanti id in eo anno plurimi fuit.* l. 8. §. 1. l. ult. *D. de condic. furtiva.* Atque hoc casu etiam restitutio debetur à fure, aut ejus hæredibus, (non tamen ultra vires hæreditatis,) etiamsi fur corpore pœnas lucri. Hautquaquam enim iniquum, aut crudelitati proximum est, ut reus ultra pœnam mortis, aut corporis afflictivam, damnum quoque & id quod interest resarcire teneatur. Et imperite huc allegatur illud tritum: *mors omnia solvit*; ex *Novella* 22. c. 20. Præstationes personales solvit mors, non debita, quæ bonis velut inhærent, eaq; ad quosvis possessores comitantur. Quale est hoc debitum damni reparandi. De reliquis læsionibus facilis est subsumtio; & de nonnullis infra peculiariter suo loco agetur. Ac de damno per animalia illato, seu pauperie late *Jcti Romani* ad *tit. D. si quadrupes*.

CAPUT II.

UT OMNES HOMINES PRO ÆQUALIBUS
NATURALITER HABEANTUR.

- | | |
|--|--|
| 1. Homo ut naturaliter equalis ab homine habendus. | dividenda? |
| 2. Quæ sit naturalis equalitas? | 6. In eadem peccatur per superbiam: |
| 3. Rationes pro eadem populares. | 7. Et contumeliam aliis illatam. |
| 4. Consideratio equalitatis reddit homines commodos. | 8. An servi natura dentur? |
| 5. Quomodo per eam res inter plures | 9. Unde inæqualitas inter homines proveniat? |

PRæter illum amorem, quo homo suam vitam, corpusq; ac res prosequitur, & per quem non potest non omnia, ad eorundem destructionem tendentia, repellere aut refugere; deprehenditur quoque ipsius animo insita tenerrima quædam sui æstimatio: cui si quis aliquid detra-

Etum eat, non minus fere, imo sæpe magis solet is commoveri, quam si corpori ac rebus noxa inferatur. Quæ æstimatio licet ex variis causis intendatur; primum tamen ejus fundamentum videtur ipsa humana natura. In ipso quippe hominis vocabulo judicatur inesse aliqua dignatio; & ultimum simul atque efficacissimum argumentum, quo aliorum insolens insultatio retunditur, isthoc habetur; utique non canis aut bestia, sed æque homo sum atque tu. *Statius Thebaid. 12. Hominum in clype Theſeu sanguis erant, omnes eademque in sidera, eosdem sortitus animarum alimentaq; vestra creati.* Humana porro natura, cum omnib⁹ hominibus æque competat, neq; socialem cum isto homine vitam degere quis possit, abs quo non saltem ut homo æstimatur; inde consequitur, jure naturali præceptum esse, *Ut quisque alterum hominem æstimet atque tractet, tanquam naturaliter sibi æqualem, seu ut æque hominem.*

§. 2. Illhæc æqualitas inter homines ut melius intelligatur, observandum est, quod *Hobbes. de cive c. 1. §. 3.* eandem restringat ad paritatem virium, cæterarum facultatum humanarum, quibus homines in ætate adulta sint instructi; & exinde ostendere velit, causam habere homines, quare naturaliter se invicem metuant. Ille enim nullum mihi metum incurrere valet, cujus vires ad me lædendum non pertingunt. Atqui inter homines etiam qui viribus paululum est inferior altero, dolo tamen saltem, aut adjuvante dexteritate ac teli habilitate, etiam robustissimum neci dare potest. *Seneca de Ira l. 1. c. 4. Nemo tam humilis est, qui pauperem vel summi hominis sperare non possit: ad nocendum potentes sumus.* Cum autem maximum malorum naturalium, quæ ab homine proficisci possunt, sit mors, quam quilibet adultus alteri inferre potest; & vero qui æqualia sibi invicem inferre possunt, sint æquales, qui autem maxima possunt, nempe occidere, æqualia possint; inde consequitur, homines natura invicem æquales esse. *Virgilius Æn. X. Totidem nobis animæq; manusq;.* Verum in eo quod iste subjungit; *inæqualitatem, quæ nunc est, à lege civili esse introductam,* dormitasse mihi videtur. Nam antea locutus fuerat de naturali æqualitate virium humanarum; cui male opponitur illa inæqualitas, quæ per legem civilem est introducta, quippe quæ non vires hominum, sed statum eorundem atque conditionem afficit. Lex quippe civilis non facit, ut unus altero sit robustior, sed ut unus alterum dignatione anteedat. Cæterum quod *Hobbes Leviath. c. 13.* in aliis animi facultatibus.

tatibus æqualitatem adhuc majorem, quam in viribus invenire se dicit, id non ita liquidum videtur. Ait equidem, *prudentiam omnē ab experientia esse, & omnibus æquali tempore in iis reb^{us}, quibus animum æqualiter adplicant, æqualiter tribui à natura.* Atqui cernimus, unū altero consequentias rerū accuratius prospicere, & dexterius prius observata adplicare, casuumque similitudinem & dissimilitudinem perspicere. Unde sæpe ex illis, qui iisdem in negotiis æquali tempore occupati fuerunt, alius dexteritate eminet, alterius stuporem usus rerum parum emendat. Neque vero quod homines dispares prudentia videntur, solum est *ex opinione eorum, qui plus justo se æstimant; & quod unusquisque sapientiozem se credat multo, quam quilibet è vulgo, præter paucos, quos propter famam, vel propter consensum cum ipsis solet admirari.* Nam ea disparitas non solum adparet, quando quis seipsum cum aliis comparat, sed & quando alios inter se componit, quorum uter alterum emineat ipsius nihil interest. Neque semper illi favetur, qui nobiscum conspirat, sed quem opus & eventus commendaverit. Quanquam autem propter ingenium humanum decori avidum quilibet indignetur stoliditatem & impudentiam sibi exprobrari, ac maxime infensus sit illis; qui prudentiam suam præ cæteris ipsi jaçant: non tamen exinde sequitur; neminem concedere, alium se prudentiozem esse. Quid enim si ex eodem periculo unus per dexteritatem sese eripuerit, alter male multatus discesserit; hic non agnoscet, istum se fuisse prudentiozem? Propter æqualem tamen libertatem est, ut prudentior non possit suo jure imprudentioris regimē, nisi hic consenserit, sibi vindicare; præsertim si hic sua qualicunque dexteritate contentum sese profiteatur esse. Enimvero quanquam virium æqualitas huc quoque possit facere, ut ne homo homini temere insultet; quippe cum anceps sit cum pari collidi, ac stultum æquali sua clade alteri malum velle conciliare: tamen alia est species æqualitatis, de qua hoc loco agitur, quam sartam tectam servari generis humani quam maxime interest. Equidem uti in aliis, ita heic quoque velut solertiam suam ostentavit natura, dum mortalibus non eadem mensura bona sua, corpus aut animum spectantia fuit admetita. Sed ut inter istam varietatem justa sibi harmonia constet, isthæc, de qua agimus, æqualitas efficit. Scilicet quemadmodum in rebus bene constitutis alius civis alium dignitate, aut opibus excedit, libertas autem omnibus in æquo posita est: ita quantiscunque qui-

animi corporisve dotibus alios excellat, non minus tamen juris naturalis officia adversus alios ei sunt exercenda, ac ipse ab aliis eadem expectat; nec ideo plus licentiæ eidem conceditur alios injuriis afficiendi. Sicuti & neminem parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris sit, quam alii. Sed quæ unus ab altero postulare aut expectare potest, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem possunt; & quod juris quis in alium statuit, eo ipsum uti maxime convenit. Seu uti *Phædrus* l. 1. fab. 27. loquitur: *Sua quisque exempla debet æquo animo pati. Diodorus Siculus* l. 13. c. 30. *Æquum est, ut quamquis in alios legem statuit, eandem non gravatim & ipse subeat. Quo* referri potest & illud *Quintiliani declam.* 3. *Cogitare certum est, id quemque, cum judicat, probare, quod in re simili ipse fecisset. Seneca de Ira* l. 1. c. 14. *Neque æquus judex aliam de sua, aliam de aliena causa sententiam fert. Add. Cumberland de leg. nat. c. 2. §. 7. Seneca epist.* 30. *prima pars aequitatis est æqualitas. Euripides Phœnissis* v. 538. κείνο καλλίον, τίτιον. Ἰσότῃτα τιμᾶν, ἢ φίλος αἰὲν φίλοις, Πόλις δὲ πόλισι, ξυμμάχος τε ξυμμάχοις συσδέει.

• *Illud multo melius est, ô fili, Æqualitatem colere, quæ semper amicos amicis, Urbes urbibus, & socios sociis colligat. Inde* probari sane nequit illud *Cicero- nis offic.* 3. *Lex ipsa natura, quæ utilitatem hominis conservat & continet, discernit profectò, ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessaria: qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit. Multo minus autem probari potest effatum illius Americani ex nova Francia temporibus Caroli IX. qui interrogatus, quid sibi singulare imprimis in Gallia videretur, inter alia & hoc dixit: quod, cum alii in omnium rerum abundantia sint constituti, alii contra cum summa inopia conflictati ostiatim stipem quarant, hi non istos invaderent, & bona iisdem eriperent. ap. Mich. Montaigne* l. 1. cap. 30. Nam uti qui bonis animi, corporis aut fortunæ præpollent tenuioribus insultare non debent; ita nec hi illis invidere, aut bona ipsorum subversum ire. Atque isthanc possumus vocare *æqualitatem juris*; quæ exinde oritur, quod obligatio ad colendam vitam sociale[m] omnes homines æqualiter stringat, quippe cum eadem humanam naturam, ut talem, commitetur. Quo loco & hoc observandum, aliàs quidem inter obligationes à superiore injunctas, & eas, quæ ex mutua convention[e] oriuntur, id videri discriminis, quod hæc quidem statim aliquem non amplius stringant,

gant, quando alter prius ab iisdem discessit; illæ autem adhuc tenere possint ad quid præstandum, licet alter in officio mutuo respondere desierit; idque quia per autorem obligationis pensari potest, quod iste minus iusto habet. Hactenus tamen obligatio ad exercenda adversus alterum officia juris naturalis, utur à supremo Numine injuncta, convenit cum obligatione ex quavis conventionione orta, quod ubi unus ab ea discedat, idem ab altero illa officia postulare amplius nequeat, & præterea hic jus accipiat istum, per vim ad satisfactionem adigendi. Etsi isthanc licentiam, statui naturali adhærentem, in civitatibus temperari, istius societatis indoles exegerit.

§. 3. Sunt & aliæ rationes, ad populum valde plausibiles, quæ ad æqualitatem istam meditandam, atque illustrandam non parum faciunt. Quas inter non postrema est, quod ad eandem stirpem quidquid est mortalium originem suam referat. Unde *Boëtius de consolat. philos.* l. 3. inolentiam nobilium castigat: *Quid genus & proavos strepit is? Si primordia vestra, Autoremque Deum spectas Nullus degener extat, Ni vitiiis pejora fovens Proprium deserat ortum.* Item, quod ex eadem materia corpuscula nostra consistit, fragilia & per infinitos casus destrui apta. Sic & eodem modo omnes propagamur, eodem modo intra materni latebras uteri coalescimus; nec alia porta nobilis in dias luminis auras prodit, quam plebejus aliquis. Vid. *Sapient.* VII. 5. Eodem modo adolescimus, nutrimurque, in eandem fœditatem apud omnes ciborum retrimenta convertuntur. Denique ad eandem metam omnes tendimus. *Mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumque turres.* (*Θανάτω πάντες ὀφθαλόμεθα.* morti omnes debita turba sumus; inquit incertus Poëta in *Antholog.*) ac in eandem tabem aut pulverem omnium corpora resolvantur. *Claudianus* l. 2. in *Ruffinum.* *Huc post emeritam mortalia secula vitam Deveniunt, ubi nulla manent discrimina fati, Nullus honor, vanoque exutum nomine regem Proturbat plebejus egens.* *Phocylides:* πάντες ἴσοι ταυτε. *Omnes vita functi aequales.* *Lucianus dial. Nerei & Therpsita:* ἰσοτιμία γδ ἐν ᾧδῳ, καὶ ὁμοιοι ἀπαυτε. *Apud inferos aequalitas est, parsque sunt omnes.* *Cicero de LL.* l. 2. *Maxime è natura est, tolli fortuna discrimen in morte.* Et *Statio Theb. X. tituli in morte latentes* dicuntur. Add. *Sirat.* X. 9. *seqq.* Identidem quoque à sapientibus inculcatur, quod variis casibus, fortunæque ludibrio omnes simus obnoxii; vel potius, quod nemini Deus de stabili & inconcussa felicitate,

& conservacione præsentis status caverit, sed pro occulto consilio providentiæ suæ diversos per diversa casuum genera raptet. *Valet, imo & solet ima summis mutare, & insignem attenuat Deus, obscura promens. Horat. Od. l. 34. Quid quisque vitet nunquam homini sat cautum est in horas. Id. II. 13. Fortuna lato sæva negotio, & ludum insolentem ludere pertinax Transmutat incertos honores, Nunc mihi, nunc alius benigna. Id. III. 29. Manilius Astron. l. 3. Tanta est rerum discordia in ævo, Et subtexta malis bona sunt, lacrymaq; sequuntur Vota, nec in cunctis servat fortuna tenorem. Usque adeo permixta fluit, nec permanet usquam, Amisitque fidem variando cuncta per omnes.* Add. *Seneca consol. ad Marciam c. XI. Huc quoque facit illustris locus apud Senecam Thyeste: Ille qui donat diadema fronti, Quem genu nixa tremere gentes, Anxius sceptrum tenet, & moventes Cuncta divinatur, metuitque casus Mobilis rerum, dubiumque tempus. Vos, quibus rector maris atque terra, Ius dedit magnum necis atque vitæ, Ponite inflatos tumidosque vultus: quicquid à vobis minor extimescit, Major hoc vobis dominus minatur. Omne sub regno graviore regnum est. Quem dies vidit veniens superbum, Hunc dies vidit fugiens jacentem. Nemo confidat nimium secundis: Nemo desperet meliora lapsis. Miscet hæc illis, prohibetque Clotko Stare fortunam: rotat omnefatum. Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri. Res Deus nostras celeri citatas Turbine versat. Huc quoque potest facere illud apud Arrianum Epicteto l. 1. c. 19. Sutores quendam habuit Epaphroditus, quem quod ad nihil utilis esset, vendidit. Post ille casu quodam à Casariano emptus. Casaris factus est sutor. Vidisses ut eum coluerit Epaphroditus.* Ex religione quoque Christiana plurima, qua huc faciunt, afferri possunt; velut, quod amici Dei non nobilitate, potentia aut opibus, sed pietatis sinceritate æstimentur, ac in extremo iudicio, præmiisque ac pœnis postumis nulla sit ratio habenda eorum, quibus in vita humana mortales præ aliis sese offerunt.

§. 4. Exposita isthac æqualitate aliqua profluunt præcepta, quorum observatio maximam vim obtinet ad pacem atque amicitiam inter mortales conservandam. Ac illud initio manifestum est, cum, qui aliorum opera ad suum commodum uti vult, vicissim quoque in eorundem sese usus dispensare debere. *Manus manum lavat*, est in proverbio. Nam is utique, alios sibi inæquales æstimat, qui illos quidem, ut ipsi inserviant, postulat, ipse contra immunis semper esse cupit. Et qui ejusmodi animum præ

præ se fert, non potest non alios vehementer offendere, & ad abrumpendam pacem occasionem præbere. Mascule Caractacus apud *Tacitum Ann. XII. Non, si vos omnibus imperare vultis, sequitur, ut omnes servitutem accipiant. Lactantius div. instit. l. 3. c. 22. Nihil sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est, ac malum.* Et sane uti contraria judicare de rebus, quæ inter se conveniunt, contradictionem implicat; ita etiam in casu prorsus simili, meo & alieno, dissimilia statuere. Quin quia cuique sua natura est notissima, & exinde aliorum hominum natura, saltem quoad generales inclinationes non minus nota, sequitur illum, qui in simili alterius hominis jure statuit aliter, quam in suo, sibi in materia notissima contradicere, argumento animi non mediocriter ægrotantis. Nulla quipperatio idonea proferri potest, quare quod mihi ipse fas duco, cæteris paribus nefas ducam alteri. Sic etiam uti illi ad societatem quam maxime sunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt, quæ sibi (*Horat. l. sat. 3. Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum Postulat; ignoscat verrucis illius, æquum est Peccatis veniam poscentem reddere rursus.*) ita plane infociabiles sunt, qui dum aliis sese superiores existimant, omnia licere sibi solis volunt, omnia sibi ignoscunt, nihil aliis remittunt; & ante cæteros honorem sibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio positis, ubi nullo præ reliquis jure eximio pollent. Quemadmodum enim in extruendo ædificio lapis, qui propter figuram angulosam & asperam plus loci cæteris aufert, quam ipse implet, neq; ob materiæ duritiem comprimi vel secari facile potest, nec ædificium compaginari sinit, tanquam incommodus abjicitur: ita homines *πλοῦσται*, qui per ingenii asperitatem, retentis sibi superfluis, necessaria aliis adimunt, neque præ affectuum contumacia corrigi possunt, molesti & intolerabiles cæteris existunt. Hinc jure naturali præceptum intelligitur; *ut ne quis, cui peculiare jus non est quaesitum, plus sibi quam reliquis arroget, sed alios æquo secū jure frui permittat.* Apud *Dionysium Halic. l. VII. ita tribunus plebis: ἀγράφῃ καὶ ἀνομοδίητῃ φύσεως δεκαίῃ τῶδε ἀξιοῦμαι, μὴ πλείους ἔχειν ὑμῶν τὸν δῆμον, μήτε μείον. Quod ad naturam non scriptas nec promulgatas leges attinet, postulamus P. C. ut plebi non plus nec minus juris sit quam vobis. Magistratus sane, principatus, honoresq; virtute ac fortuna inter vos potioribus deberi fatemur: cæterum ab injuriis esse liberum, & si quis intulerit, in eum jure vindicari, omnibus in eadē rep. versantibus ex æquo commune ducimus.* *Lactantius div. instit. l. 3. c. 21. Qui vult homines adæquare,*

arrogantiam, superbiam, tumorem subtrahere debet: ut illi potentes & elati pares esse se etiam mendicissimis sciant. Add. *Seneca de Ira l. 2. c. 28.* Unde insolentiam vehementer redolet illud *Livii l. 3. c. 53.* *Satis superq; humilis est, qui a quo jure in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo.* Quasi vero indignum sit, privilegia nobilitatis non valere ad dispensationem æquissimæ istius legis; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Huc pertinet satisfactio illa, quam dux Joinvilli Marefcoto dat, apud *Gramondum hist. Gall. l. 8. in fine*, sane arrogantissima. Quo fundamento nititur illa laus, quam *Plinius in Panegy.* Trajano tribuit: *Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat: nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit.* Scilicet ille, cum imperium suscipere, promiserat; talem se fore imperatorem erga privatos, quales sibi imperatores privatus optarit. In quem sensum *Galba ad Pisonem apud Tacitum H. l. 16.* *Vtilissimus idem, inquit, ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare, quid aut volueris sub alio principe, aut nolueris.* Et *Seneca epist. 47.* *Hæc præcepti mei summa est: sic cum inferiore vivas, quem admodum tecum superiorem velles vivere.* Sed & ex dictis adparet intolerabilis insolentia effati illius apud *Lucanum l. 5.* *Nunquam sic cura deorum se premit, ut vestra morti, vestraque saluti Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur. Humanum paucis vivit genus. Qualem animi conditionem Giganteam vocat Baco de Verulamio l. 7. c. 2. de Augment. Scient. qua abripiuntur magni isti terrarum perturbatores, qui videntur ad hoc anhelare, ut omnes felices & arumnosi sint, prout sibi fuerint amici vel inimici, atque ut mundus ipsorum velut imaginem præferat; quæ vera est Theomachia.*

§. 5. Eadem quoque æqualitas ostendit, quomodo quis sese debeat gerere, si quidem jus inter plures ipsi sit distribuendum; *ut nempe tanquam æquales eos tractet, & neutri quid præ altero indulgeat, nisi quantum peculiare jus illi quæsitum attribuerit.* Qui enim uni præ altero indulgendo naturalem æqualitatem non observat, eum, qui posthabitus est, contumelia simul, & injuria afficit; dum neque ei, quod debetur, tribuit, & dignationem à natura datam detrahit. *Livius l. 34. c. 4.* *Quod aliilicet, tibi non licere, aliquid naturalis aut pudoris aut indignationis habet.* Huic consequens est, ut si res inter plures distribuenda divisionem non admittat, eadem, si fieri possit, communiter uti debeant, qui æquale jus habent; idque si quantitas rei permittat, quantum quisque velit. Sin res istud

non

non ferat', ut tunc utantur ea re præfinito modo, & proportionate ad numerum utentium. Alius enim modus excogitari non potest æqualitatem observandi. Quod si autem neque dividi res, neque communiter haberi possit, usus ejus sit vel alternus; (*Curtius* l. VII. c. 6. *Rex in tanto utriusque partis certamine, & sibi difficilem, & præteritis gravem electionem futuram ratus, invicem subire eos jussit;*) vel si ne hoc quidem succedat, & reliquis æquipollens aliquid præstari nequeat, per sortem uni erit illa adjudicanda. Nam in ejusmodi casibus commodius, quam fors, remedium inveniri nequit; quippe quæ opinionem contemptus removel, & cui non favet, de dignatione nihil detrahit. *Proverb.* XVIII. 18. *Conf. Hobbes de civē c. 3. §. 15. 16. 17. 18.* Ubi sortem duplicem facit, *arbitrariam & naturalem.* Quarum illa fit consensu contententium, qui in eventum aut casum alicujus rei compromittunt, quem per artem regere, aut prævidere nequeunt; sic ut ista fors respectu hominum à mero casu, & forte fortuna dependeat. Ad naturalem autem sortem ipse refert *primam occupationem*, qua res, quæ neque dividi, neque communiter haberi potest, cedit illi, qui primus manū eidem animo sibi habendi injecerit: & *primogeniturā*, cujus jure ex bonis paternis, quæ neque dividi, neque communiter haberi à pluribus liberis possunt, primogenito cedunt. Quanquam, si accurate velimus rem considerare, proprie nulla sit fors, nisi arbitraria. Nam nulla adparet ratio, quare ejusmodi eventus, quem propriam per industriam nemo procurare potest alicui jus tribuat adversus æquales valiturum, nisi hoc jus eidem eventui ex arbitrio, & conventionione hominum foret assignatum. Unde occupanti cedit res, quæ nullius est; quia cum distincta rerum dominia per homines introducerentur, tacita conventio intervenisse intelligitur; ut quæ res nemini peculiariter forent assignatæ, neque eas in medio semper relinqui generis humani interesset, cederent illi, qui primº easdē occupasset. Sicuti & jus primogenituræ conventioni, aut constitutioni humanæ natales debet. Cur enim alias fratres reliqui iisdem parentibus orti, deteriore esse conditione deberent ob id, quod præstare penes ipsos non fuit? Inde *Aristoteles Nic.* VIII. c. 12. *Ἀδελφοὶ ἴσοις πλὴν ἐφ' ὅσον ταῖς ἡλικίας διαλλάττει.* *Fratres æquales sunt, nisi quod ætate differant.* Ideo autem ista quandoque fortis vocabulo veniunt, quia per humanam industriam dirigi, aut prævideri nequeunt; & quia ob ista posthaberi contumeliā vacat. Verum de hisce alibi latius.

§. 6. Contra isthanc æqualitatem peccatur quoque per superbiam, qua quis nulla de causa, aut non sufficiente aliis sese præfert, & velut inæquales eosdem præ se despicit. Quæ quantopere abeat à vera generositate seu magnitudine animi, eleganter tradidit *Cartesius de passionibus art. 152. seqq.* Ubi cum posuisset, præcipuam partem sapientiæ esse, nosse, quomodo, & qua de causa quisque se æstimare aut despiciere debeat, dehinc ostendit: justam causam nos æstimandi unicam promanare ex legitimo usu liberi arbitrii nostri, & ex imperio, quod in nostram voluntatem exercemus: quippe cum præter solas actiones ex isto arbitrio pendentes nihil sit, unde possimus cum ratione laudari vel vituperari. Inde veram generositatem, quæ efficit, ut homo se æstimet quantum potest legitime, in eo consistere, quod norit, nihil revera suum esse, præter hanc liberam dispositionem suæ voluntatis, & quod ex solo istius recto aut pravo usu laudari debeat, aut vituperari; quodque sentiat in se constans propositum eadem bene utendi. Eos autem, qui hoc de se norunt & sentiunt, facile sibi persuadere, singulos alios homines idem de seipsis sentire; quoniam in eo nihil est, quod ab alio pendeat. Et idcirco eosdem neminem unquam contemnere, ac ad excusanda aliorum peccata esse pronos, quasi magis ex errore, quam malitia sint profecta. Ac uti non multo se inferiores illis ducunt, qui opibus, honoribus, forma, ingenio, eruditione antecellunt, quod hæc tanti non esse judicent; sic ubi eadem in se invenerint, haut ideo multo superiores aliis, quos excellunt, se judicare. Inde in generosis quoque deprehendi honestam humilitatem, quæ consistit in reflexione, quam facimus super infirmitate nostrâ naturâ, & erroribus, quos olim potuimus commisisse, aut deinceps possumus committere, qui non minores sunt iis, qui ab aliis committi possunt: per quam efficitur, ut nos nemini præferamus: reputantes pariliter ceteros a que bene suo libero arbitrio, ac nos, uti posse, quo a que pollent. Ast qui bonam opinionem de seipsis concipiunt quacunque alia de causa, non pollere vera generositate, sed tantum turgido fastu; qui semper quidem vitiosus, verum eo magis, quo causa propriæ existimationis fuerit iniquior. Omnium vero injustissimam superbiam causam esse superbire absque causa, id est, cum quis etiam nihil cogitat sibi inesse meriti propter quod æstimari debeat, ac gloriam in usurpatione putans consistere, credit eos, qui illius sibi plus arrogant, ejusdem quoque plus habere. Quod vitium tam

tam absurdum esse, ut vix credibile sit dari, qui ita se prostituerent, n̄ multi essent assentatores, qui vana sua laude hebetiores in isthanc superbiam propellunt. *Pindarus Olymp. od. 9.* τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίᾳσιν ὑποκρίκει. *gloriarī intempestive furioribus consonat.* Imo ne si quis ad honores & potentiam proventus sit, causam habet, quare superbiat. Quam ad rem insigniter faciunt, quæ cum Agamemnone exoptulat Menelaus apud *Euripidem Iphigen. in Aulide.* Scis, cum studebas fieri dux Græcorum ad Ilium, Quam submissus eras, omnem prehensando dexteram? Et fores habens patentes cuilibet popularium, Ac salutans omnes ordine, etiam si quis nolisset. His nimirum moribus quaritans honorem mercari è medio? (*Tacitus concise dixit, omnia serviliter pro imperio.*) Vbi vero imperio potitus es, statim commutatis moribus Amicis prioribus non, ut antea solebas te amicum exhibes. ἀνδρα δ' ἰχθῆν τὸν ἀγαθόν, πρᾶσσοντα μεγάλα τὰς τρόπους μεδίσαντα. *Sed non decet probum virum, cum ad honores proventus est, mores commutare. Sed tum maxime amicis esse firmum convenit, Quando juvare potest jam rebus latis auctior.* Sed & præ oculis habendum illud *Luciani de imaginibus:* ἴδεῖς ἂν φθονήσῃ τὸ ὑπερήχον, ἢ μετειδίζοντα ἐπὶ τοῖς ἰτυχήμασιν αὐτῷ ἰσθῆ. *nemo invidet eminenti, si moderato animo ferre fortunam ipsum viderit.*

§. 7. Gravius adhuc contra isthanc æqualitatem delinquitur, si quis contentum adversus alios ostendat signis exterioribus, puta, factis, verbis, vultu, risu, ac quacunq̄ contumelia, quæ sæpe quoque dono alicui incongruo aut villi inest. *Add. l. 5. §. 1. D. qui satisfacere cogantur. Matth. V. 22.* Quod peccatum eo deterius est censendum, quo asperius per id aliorum animi in iras, ac ulciscendi libidinem concitantur. Adco ut multi deprehendantur, qui vitam malint periculo præsentī exponere, multo magis pacem adversus alium abrumpere, quam contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur illud bonum, quo maxime humanus sese animus effert, cujusque adeo tenerum valde sensum habet; gloria nempe & existimatio, cujus integritate ac vigore omnis animi voluptas constat.

§. 8. Ex dictis etiam colligitur, merito explodendam illam sententiam ex Græcis antiquis haustam, qua quidam homines natura servi statuuntur. Id quod, si ita crude accipiantur, adversa fronte cum æqualitate hominum naturali pugnat.

Sicuti & cordate *Strabo* l. 1. de illis judicat, qui Alexandro suaserant, ut Græcis sicut amicis, barbaris sicut hostibus uteretur; *satinus*, inquit, *hæc virtute atque malitia dividi. Complures enim Græcos malos esse, & barbaros urbanos.* Equidem id manifestum est, quosdam homines ea ingenii felicitate pollere, ut non solum sibi metipsis possint prospicere, verum etiam regendis aliis sufficiant: quosdam autem per ingenii hebetudinem ad se ipsos regendos esse ineptos, quin prave, aut nihil agere, nisi ab aliis dirigantur atque impellantur: eosque cum sæpe natura robusto corpore dotaverit, hujus ministerio abs talibus multa commoda in reliquos posse redundare. Hi ubi prudentioris alicujus imperio subjecti vivunt, sine dubio statum nacti sunt, indoli suæ convenientem. Unde si inter illos imperium sponte sit constituendum, naturæ est utique congruum, ut in istos conferatur potestas jubendi; his autem necessitas obsequii injungatur; qua ratione utrisque consultum erit. Atque in hunc sensum admitti potest illud *Aristotelis polit.* l. 1. τὸ μὲν δυνάμειον τῆ δεινείᾳ προεραῖν, ἀρχονοφύσι, καὶ διαπόρον φύσι. τὸ δὲ δυνάμειον τῶ σώματι ταῦτα πείν, ἀρχόμενον, καὶ φύσι δέλον. διὸ δεωίτη καὶ δέλω ταῦτὸ συμφέρει. Quod ita *Ἐραρυζὶ Dan. Heinsius.* Nihil magis congruit naturæ, quam ut quæ naturæ sic sunt comparata, ut prudentia ac mente excellent, atque in longum omnia prospiciant, reliquis, quæ minus his excellent, imperent, ac dominantur. Contra vero, quæ sic nata sunt, ut corporis vigore ac robore ea que ant exsequi, quæ à prudentioribus mandantur, ad parendum atque obsequium civile comparata à natura sunt. Ideoque id quod domino conducit, etiam conducit servo, eademque utilitas est utriusque atque commoditas. Conspirat *Apulejus de Philosophia*: Melius est talem, cui nec ex natura, nec ex industria recte vivendi studium conciliari potest regi, nec ipsum alios regendi habere potestatem: nec dominari, sed subire servitium, impotem ipsum aliorum addici potestati, parendi potius quam jubendi officii sortitum. Enimvero longe absurdissimum foret credere, ab ipsa natura statim actu prudentioribus in hebetiores esse imperium datum, aut saltem tale jus, ut illi hosce etiam invitos ad serviendum adigere queant. Nam ut actu constituatur imperium, factum aliquod humanum antecedere oportet. Et nequaquam aptitudo naturalis ad imperandum statim alicui dat imperium in eum, cui à natura ingenium est servitio aptum. Neque statim quod alteri est utile, id licet mihi per vim ipsi imponere. Nam homines naturali li-

berta-

bertate ex æquo gaudent ; cuius diminutionem ut patiantur, necessum est, ipsorum consensus expressus, vel tacitus aut interpretativus accedat, aut aliquod ipsorum factum, quo aliis jus fuit quæsitum eandem vel invitis cripiendi. Inderecte *Quintilian. declam. 13. Quid non liberum naturagenuit? Taceo de servis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem necessitate natos. Ex eodem cælo spiritum trahunt ; nec natura ullis, sed fortuna dominum dedit. Ulpianus l. 4. D. de iustit. & Iure tradit, jure naturali omnes homines liberos nasci.* Id quod *Grotius l. 2. c. 22. §. 11.* dicit intelligendum de libertate κατὰ φύσιν non de ea, quæ est κατὰ ἐναρτιότητα, hoc est, ut natura quis servus non sit, non ut jus habeat, ne unquam serviat ; nam hoc sensu nemo liber est, ut servus fieri nequeat. Id quod etiam sic poterat exprimi. Cum natura omnes homines æquales produxerit ; servitus autem citra inæqualitatem intelligi nequeat ; (nam servi utique est agnoscere superiorem, ad libertatem autem non requiritur habere inferiorem, sed sufficit superiori non esse subiectum :) ideo omnes homines naturaliter, citra antegressum factum humanum, liberi intelliguntur. Habilitas autem naturalis, seu præsentia earum qualitaturn, quæ ad statum aliquem requiruntur, non confestim aliquem in isto statu collocat. Non statim rex est, aut dux, qui imperio est dignus, aut exercitui regendo aptus. Neque statim suo sibi jure fasces vindicare potest *Lollius* aliquis, quem describit *Horatius IV. carm. 9. cui animus rerumque prudens, & secundis temporibus dubiisque rectus, vindex avara fraudis, & abstinens ducentis ad secunda pecunia, consulque non unius anni.* Nam quod est apud *Plutarchum in Pelopida*, quod iste imperium diutius, quam per leges licebat, retinuerit, ne successorum socordia rem pessundaret, extraordinarium exemplum est. Add. *Cornel. Nepos in Epaminonda c. 7. 8. & Livius l. 26. c. 2.* Hoc loco etiam interpretandum est illud *Albutii* apud *Senecam 3. controv. 21. neminem natum liberum esse, neminem servum: hæc postea nomina singulis imposuisse fortunam.* Scilicet quamdiu adhuc omnes erant æquales, non poterant homines concipi velut distincti per talem statum, qui naturali illi statui æqualitatis opponitur. Verum cum postea, qui eo statu exciderant, peculiari nomine servi vocarentur, qui naturalem statum retinebant, liberi dicebantur. Exemplo res potest declarari. *Quamdiu* in civitate aliqua nullus existit miles, omnes cives æqualiter sentur ordine: ubi autem pars civium militiæ autoratur, jam opposita vo-

cabula militum ac paganorum emergunt; cum, antequam ullus esset miles, nemo paganus posset dici. In quem sensum etiam capi potest illud, quod adducit, & rejicit *Aristoteles polit. l. 1. c. 3.* νόμος τὸν μὴν δούλον εἶναι, τὸν ἢ ἐλεύθερον, ἐξ ἑστέ, ὡς ἄλλος ἴσθι, ὡς ἄλλος. *ut alius sit servus, alius liber.* Nisi enim servitus instituta hominum esset introducta, uniformis erat futurus hominum status, servusque à libero nullo poterat discrimine internosci, cum ille omnino non extaret. Prorsus uti est *Inst. de libertin. Cum uno communi nomine omnes homines adpellarentur, iure gentium tria hominum genera esse ceperunt; liberi, servi & libertini.* Quanquam & illud dictum ita possit explicari: jura libertatis ac servitutis, prout jam inter homines in civitatibus viventes considerantur, per leges civiles esse definita. Sed & alia sunt, quæ sententiam de servis natura, ita crude acceptam evertunt. Nam vix quisquam est ingenio ita stupido, quin arbitretur; rectius aut commodius suo se ingenio vivere, quam si ad alterius arbitrium sese componat. Id quod multo magis in integris nationibus obtinet, quarum nulla ita abjecto est animo, ut non domestico regi imperio, quam aliis subjecta esse malit. Denique cum actu imperium à natura non sit constitutum, servi vero natura, quos Aristoteles vocat; plerunque sint robusto corpore; anceps sane inter prudentes, & hosce certamen erit, in quo isti certam adeo victoriam sibi polliceri non possunt. Unde & explodendum est illud, quod refertur ab *Aristotele 1. polit. c. 1.* διό φασιν οἱ ποιηταί, βαρβάρων δ' Ἑλλήνας ἀρχειν εἰκότως. ὡς τὸ αὐτὸ φησὶ βάρβαρον καὶ δούλον. *Ideo dicunt Poëta, par esse, ut Græci barbaris imperent, quasi natura idem sit, barbarum & servum esse.* Euripides *Iphig. in Aulide*: βαρβάρων δ' Ἑλλήνας εἰκότως ἀρχειν, ἀλλ' ἢ βαρβάρους Ἑλλήνων. τὸ μὴν γὰρ δούλον, οἱ ἡμέτεροι. *Convenit Græcos barbaris imperare, non autem barbaros Græcis. Barbari enim sunt natura servi, Græci vero liberi.* Hoc modo in proclivi esset, omnes populos à moribus nostris dissidentes barbarorum convitio notare, & ex solo isthoc prætexto eisdem invadere. Manifestum autem est, istas Græcorum sententias provenisse partim inde, quod Græci tantopere libertate democratica gauderent, Persæ autem addicti summe uni parerent; partim ex odio; quo illi in hos flagrabant plane immoderato & inhumano. Unde *Isocrates Paneg. & Panathen.* Persas Græcorum φύσιν πολεμίας, *natura hostes* vocat, & in conciliis, antequam publice quid aliud decernatur, devotionibus obstrictos ait, si quis civium Persarum pacem aut amicitiam expetat: Eumolpidas quoque & præcones

nes in festo Initiorum cæteris etiam barbaris, horum odio, tanquam homicidis, sacra interdixisse. Cæterum ista sic fortasse commodius proponi possunt, si dicamus, hanc mentem Aristotelis fuisse, dum servitutem quandam facit naturalem, aliam legalem; quod ista sit, quando homo hebes, sed robustus servit alteri, qui ingenio ad imperandum apto est præditus; qua ratione uterque in statu sibi commo-
 vit: legalis autem servitus sit, quando per iniquitatem fortunæ, aut propter conditionem matris homo ingenio præditus erecto, metu, aut per leges adactus domino deteriori servire cogitur. Quod ubi sit, non potest non talis servus adversus dominum odium fovere. Contra ubi invicem comparantur ingenia, quæ ipsa natura ad utrumque statum idonea finxit, amicitia quædam inter servum & dominum existit. Id tamen fixum est semper habendum, propter me-
 ram illam aptitudinem naturalem neque illi jus perfectum ad imponendam alteri servitutem, neque huic obligationem ad eandem recipiendam dari.

§. 9. Addendum quoque heic paucis est de illa æqualitate, quæ con-
 sectarium est status naturalis, quam possumus vocare *æqualitatem potestatis*
seu libertatis. Per quam hætenus omnes homines naturaliter æquales
 intelliguntur, quod citra antegressum factum aut pactum humanum ne-
 mo potestatis quid in alterum habeat, sed quilibet suarum actionum aut
 virium sit moderator. Quæ æqualitas deinde per statum civilem fuit sub-
 lata, in quo, dum unus aut plures potestatem jubendi in alios acceperunt,
 reliquis necessitas obsequii fuit injuncta, maxima sane inæqualitas inter
 imperantes & subjectos resultavit. Sed cum in statu civili inter ipsos
 quoque concives inæqualitas deprehendatur non solum circa existima-
 tionem & dignitatem (de qua infra l. 8. c. 4.) sed etiam circa potestatem,
 quam quis in alterum obtinet: sciendum est, partem istius inæqualitatis
 provenire à statu patrum familias, civitatem antegresso, in quo isti pote-
 statem, in uxores, liberos, ac servos quæsitam, simul in civitates intule-
 runt, sic ut isthæc inæqualitas haut quidquam à civitatibus originem
 duxerit, sed istis sit antiquior, adeoque illa patribus familias non data sit à
 civitatibus, sed relicta, etsi alicubi non citra insignem limitationem &
 diminutionem. Enimvero si quid præterea inæqualitatis circa pote-
 statem inter cives invicem deprehenditur, id ab summo imperio
 civili

civili provenire in aprico est. Quippe cum, qui civitatem subierunt, omnem potestatem in se, quantum quidem ad naturam civitatis necessarium erat, in summos imperantes transtulerint. Ac proinde si quis ante civitatem constitutam quid potestatis in se jam in alium transtulerat, id transiitione in civitatem vel extinguitur, vel istius supremæ dispositioni subjicitur. Postquam autem quis summum imperium civile jam subiit, nullo modo potest alteri potestatis quid in se concedere, quod adversus jus summo imperio quæsitum valeat; cum hac ratione duos dominos non subordinatos acciperet, quibus simul quis servire nequit. Quicquid igitur inæqualitatis inter cives post constitutas civitates existere cœpit, illud oritur vel ex ministerio publico, quo particulam aliquam imperii certis civibus in reliquos summus imperans exercendam delegat: vel ex certo privilegio per summum imperantem indulto. Ex opum autem disparitate inter cives per se nulla inæqualitas oritur, nisi quatenus insignes opes materiam præbent de facto aliis nocendi, aut commodum afferendi; atque inde tenuiores opulentiorum gratiæ adrepere, iidemque se submittere siverunt, vel ne noceant, vel ut commodo aliquo ab iis mañentur. Conf. *Lucius Antistius Constans de jure Ecclesiasticorum tit. 3.* Verum ista inæqualitas civilis nihil obstat illis præceptis, quæ ex æqualitate naturali jam deduximus.

CAPUT III.

DE PROMISCUIS OFFICIIS HUMANITA-

T I S.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Homo hominis commoda promovere debet;</i> | 8. <i>De accessu ad littus alienum.</i> |
| 2. <i>Idque vel indefinite:</i> | 9. <i>De admittendis hospitibus.</i> |
| 3. <i>Vel definite per vulgarem humanitatem.</i> | 10. <i>De sede exteris concedenda.</i> |
| 4. <i>Ejus exempla minutiora.</i> | 11. <i>De foro præbendo.</i> |
| 5. <i>De transitu per terras alienas concedendo personis,</i> | 12. <i>An aliena quis emere teneatur?</i> |
| 6. <i>Et mercibus.</i> | 13. <i>De concedendis matrimoniis.</i> |
| 7. <i>An pro transitu exigat vectigalque-</i> | 14. <i>An uni possit negari, quod promissive omnibus conceditur?</i> |
| <i>at?</i> | 15. <i>De beneficentia.</i> |
| | 16. <i>De grato,</i> |
| | 17. <i>& ingrato animo.</i> |

Enim-

CAPUT III.

355

ENimvero parum est, alterum non læsisse, aut æstimationem debitam
 ei non detraxisse; per quæ iusta duntaxat odii causa removetur. Boni
 quoque aliquid in alterum est conferendum, siquidem arctiore adhuc vin-
 culo animi hominum sunt conjungendi. Nec socialitatis debitum exhaustit,
 qui infesto aliquo, aut ingrato facto me abs se non protelavit; sed a-
 quid proficui præstari debet, ut alios quoque naturæ meæ participes in-
 hisce terris degere gaudeam. Simulque necessitudo & cognatio, à natura in-
 ter homines constituta, mutuis officiis exercenda. *Seneca epist. XCV.*
Quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse? Egregie Plato epist. 9. quæ
*est ad Archytam Tarentinum: εὐας ἡμῶν ἐκ αὐτῶ μόνον γίγονεν, ἀλλὰ τῆς γί-
 νεως ἡμῶν τὸ μὲν τι ἢ πατρὸς μείζονται, τὸ δὲ τι οἱ γινήσασται, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.*
Quod ita expressit Cicero *Offic. 1. Non nobis solum nati sumus, ortusque no-*
stri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici. Atque (ut placet
Stoicis) qua in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari; homines au-
tem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alius alii prodesse possint. In
hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium asferre,
mutuatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facul-
tatibus devincire hominum inter se societatem. Idem Offic. 3. Magis est secun-
dum naturam omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maxi-
mos labores, molestiasque suscipere; quam vivere in solitudine non modo sine
ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus. Add. quoque Lactantius
divin. instit. l. VI. c. 10. 11. Philo Iudæus, quod Deus sit immutabilis: Abo-
minandi sunt omnes, qui propriam tantum utilitatem captant, contemtiis ca-
teris, tanquam sibi soli nati, non item innumeris aliis, patri, matri, uxori, li-
*beris, humano generi. Ex placitis Gymnosophistarum erat: ἐν κινδόνῳ ἴ-
 χην ἀπαρῆ ἰνα θανάσιον μὴ παρῆσθαι. in periculo versantem animam semel in-*
gressam humanum corpus nefas negligere; ap. Heliodorū Æthiop. l. 2. Libanius de-
clam. 19. ἵτα ἀνθρώποι εἶπω, ἔλιον λίγω, φιλεῖν θανάσιον λίγω. hominem cum dico,
miseri cordiā dico, benignitatem humanitatemque, dico. Add. Philostrat. de vita
Apollon. Thyat. l. V. c. 1. Marcus Antoninus l. 3. §. 4. συγγινὸς πᾶν τὸ λογικόν. καὶ
κῆρ ὅσα μὴ πάντων ἀνθρώπων, κατὰ τὴν τῷ ἀνθρώπῳ φύσιν ἴσιν. cognatum est ra-
tionale omne; & natura ipsius humana ratio ab unoquoque hoc exigit, ut ho-
*minum quorumvis curam habeat. Idem l. 4. §. 3. τὰ λογικὰ ζῷα ἀλλήλων ἕνεκα γί-
 γονεν. homines alter alterius causa nati sunt. Add. Idem l. 4. §. 4. Seneca*
epist. 95.

epist. 95. Membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem, & in eadem gigneret. Hac rebus amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa aequum justumq; composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam ladi: & illius imperio parata sunt ad iuvandum manus. Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, qua casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. Add. Baco sermon. fidel. c. 13. Quanto foedius autem peccabit, qui ex malis alienis, innocentium inprimis, voluptatem capit, aut qui ex bonis alienis dolorem capit?

§. 2. Promoventur autem per nos aliorum hominum commoda vel indefinite, vel definite; & quidem, ut vel nihil nobis, vel aliquid inde decedat. Prius fit, si quis animum aut corpus suum probe excolat, ut ad producenda aliorum commoda reddatur idoneus; aut si ingenii per solertiam talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior. Quod illi demum rectissime præstabunt, quibus cordi est illud Columella de re rustica l. XI. c. 1. In universa vita pretiosissimum est intelligere, quemq; nescire se, quod nesciat, semperque cupere quod ignoret addiscere. Unde adparet, in legem naturæ peccare illos, qui nulla honesta arte sese excolunt, sibi que ignavi, aliis graves animam pro sale habent, ne putiscant, numerus tantum & fruges consumere nati. Quibus è rep. extirpandis apud Ægyptios quondam receptum, ut universi nomina sua apud magistratum profiterentur, indicantes simul, quo proventu & vitæ genere victum sibi quisquam compararet. Mentitus, aut injustum agitans quæstum, mortis poenam incurrebat. Diodor. Sicul. l. 1. c. 77. Similem legem apud Sardonos recitat Ælianus V. H. l. 4. c. 1. In qua classe censentur & illi, qui opibus per majores relictis contenti, ideo impune abs se ignavia litari credunt, quod aliorum industria jam sit partum, unde victitent. Sicuti & Virgilius Æn. VI. non immerito hospitium in tartaro assignat iis, qui divitiis soli incubuere repertis, Nec partem posuere suis. Ad quem locum illustrandum facit lex apud Milesios, qua cautum erat, ut qui patrimonium consumserat, sepulcro patris non dignus foret. Diogenes Laërtius in Democrito. Quales etiam describit Manilius Astron. l. 4. Ille patri natisq; reus, quas ceperit ipse Non legabit opes, censumque immerget in ipso. Tanta fames animumq;

animumq; cibi tam dira cupido Corripit, ut capiat semet, nec compleat unquam
 Inque epulas fanius revocet, pretiumq; sepulcri. Inde Apostolus inter cau-
 sas, quare cui vis laborandum sit, hanc quoque refert; *ἵνα ἔχη μεταδιδόναι*
τὸ πλεονεξίαν αἰχνοῦσα. ut possit impertiri, cui opus fuerit. *Ephes. IV. 28.* Et *Horatius:*
Cureget indignus (paupertate) *quisquam te divite?* Huc pertinent & illi,
 qui ad porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. In quos lusit
 anonymus Poëta in *Anthologia*: *Πλατεῖν φασὶ σε πάντες, ἐγὼ δὲ σε Φημι πένεξ.*
Χρῆσις γὰρ πλείτε μάρτυς. *Ἄν μετρίως αὐτῶν σὺ σὰ γίνεταί. ἂν δὲ Φυλάτῃς κληρονό-*
μοις, δὲπ' ἴν' γίνεταί ἀλλίτετα. *Dives habere aliis, cum sis, me iudice pauper;*
Ufus, Apollophanes, est quia testis opum. Nam si ut are tuis, tua sunt: heredi-
 bus illa si serves, jam nunc sunt aliena bona. Nec mea sententia ab hac clas-
 se eximenda sunt illa inutilia terræ pondera, quæ obtentu religionis non
 nisi multo distendere pingui abdomen laborant, aliorumque labore par-
 tas opes per ignaviam deglutiunt. De quibus recte *Zosimus l. V.* (etsi ho-
 mo alias profanus.) *Monachi legitimis nuptiis abstinent, & tam in urbibus,*
quam vicis, populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum:
nec alium reip. necessarium usum idoneis, nisi quod via quadam progressi ab eo
tempore in hunc usq; diem magnam agrorum partem ad se transtulerunt; & sub
prætextu quasi cum pauperibus omnia communicent, omnes prope dixerim ad
inopiam redegerunt. Quibus annumerare possis id genus mendicorum a-
 pud Chineses, qui tamdiu capitibus in se mutuo arietant, quod ipsis ali-
 quid detur; aut qui minantur, manus se violentas sibi illaturos, nisi sibi de-
 tur. De quibus vid. *Neuhof. in Legation. p. 267. 268.* Nec male commen-
 dat institutum veterum Massiliensium *Valerius Max. l. 2. c. 6. §. 7.* *Massilia*
omnibus, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertia querunt,
clausas portas habet, & mendacem & fucosam superstitionem submovendam
esse existimans. Add. *Epistola Erasmi ad Servatium*, quæ reperitur in vita
 istius, præfixa editioni epistolarum Londinensi An. 1642. Contra ma-
 ximis laudibus semper celebrati sunt, qui utilia vitæ humanæ per in-
 genii solertiam excogitarunt, eaque non sibi soli retinere, sed aliis
 quoque libenter communicarunt. Quippe cum *parum sepulta distet*
inertia celata virtus. *Horat. IV. carm. 9.* Sic *Virgil.* l. c. in campis
 Elysiis locat, *inventas qui vitam excoluere per artes, Quisque sui memo-*
res alios fecere merendo. Ad quæ verba *Servius:* *qui erudierunt, & orna-*
verunt vitam per inventa artificia; significat autem philosophos, qui aliquid

excogitaverunt, unde vita coleretur. Add. *Lucretius* l. V. *ab init.* Hinc apud antiquos multi homines deorum concilio adscripti, quia utilibus inventis, aut salutaribus institutis vitam humanam reddiderunt instructiorem. De causis, quare Isis & Osiris apud Ægyptios divinos honores fuisse sortiti, vid. *Diodor. Sicul.* l. I. c. 13. 14. 15. Add. *Idem* l. I. c. 43. *Cicero de finibus* l. 3. *Impellimur natura, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo, rationibusque prudentia tradendis.* Add. *Plinius* N. H. l. 25. c. 1. *Seneca epist.* VI. *In hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam.* *Sophocles Oedipo Tyranno:* ἀνδρα δ' ὠφέλιον ἀφ' ἀνέχοντο καὶ δύναιτο, καὶ λίσσονται πότερον. *Homines juvare prout possis, praeclarissimus labor est.* Inde per omnia probandum non est epitaphium Similis, qui sub Adriano praefectura praetorii abdicata, septem ultimos annos ruri exegit: *Similis hic situs est, qui in vita fuit tot annis, vixit annos septem.* Hisce igitur & similibus modis in univrsum, & indefinite aliorum commoda promoventur; seu ut nobis propositum sit non huic aut illi prodesse, sed ut velut in medium per nos producta bona quibusvis exponamus. Quo loco tamen quaeri posset: an si quis v. g. investigasset modum citra magnum laborem, & ex vulgari atque ubivis obvia materia aurum conficiendi, argentumvè, eam artem teneatur propalare? Id quod negandum videtur, cum tali arcano, evulgato commercia, patrimonialia, opesque & omnis fere civilis vitae ordo sit perturbandus.

§. 3. Magis definite quis aliis inservit, si certis hominibus aliquid indulgeat, quod ipsis utilitatem quampiam possit afferre. Id quod saepe citra nostrum detrimentum, aut molestiam, laboremque fieri potest. Quale quid alteri denegasse aut invidisse, detestanda malignitas, & inhumanitas habetur. Ejusmodi enim facultas, qua aliis emolumentum praestare possumus, ut nobis nihil decedat, nã cam data occasione exerceamus, frustranea est, ac in opprobrium domini sui cedit. Et merito canibus ejusmodi homines comparantur, qui foeno incubantes, quo vesci nequeunt, boves eodem accessuros morsu abigunt. Unde & in ejusmodi rebus dandis nil nisi hominem, seu communem naturam allegare solemus. Quo pertinet illud *Aristotelis* apud *Diogenem Laërtium* l. V. cum quidam reprehendissent, quod improbo stipem dedisset.

ὁ τὸν

ἢ τὴν ἡλιότητα, ἀλλὰ τὸν ἀνθρώπου ἡλίτητα, *Non mores, sed hominem miseratus sum*:
 seu, ut alii efferunt, *ἐὰν ἀνθρώπου, ἀλλὰ τῷ ἀνθρώπινῳ. Non homini, sed humani-*
tati. Sic quæ inhumanitas foret, si ego rem aliquam possidere non am-
 plius velim, propter nimiam copiam, aut quia aservatio ejus mihi mole-
 sta est; eam non potius integram relinquere, ut aliis usum præbere possit,
 quam eandem corrumpere? Etsi sæpe in bello res, quæ servari neque-
 unt, perdantur, ne hostem contra nos ipsos instruant. Sic & lubenter
 aliis indulgentæ sunt res, quæ vocantur, innoxia utilitatis. De quibus
 Cicero *Offic. 1. Omnia communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejus-*
dem, quod ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest. Ut homo
 qui erranti comiter monstrat viam. Quasi lumen de suo lumine accen-
 dit, facit: Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit. *Vna enim ex*
re satis percipitur, ut quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur
cuique vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: Non prohibere aquam profluen-
tem; pati ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti da-
re: (Platoni Theage συμβουλὴ ἠερὸν χρῆμα, consilium sancta res dicitur:) quæ
 sunt illis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. *Quare & his utendum est,*
& semper aliquid ad communem utilitatem adferendum, Sed quoniam copia
parva singulorum sunt, eorum autem, qui his egeant, infinita multitudo: vul-
garis liberalitas referenda est ad illum Ennii finem, nihilominus illi luceat;
ut facultas sit, qua in nostros simus liberales. Idem Off. 3. erranti viam non
monstrare Athenis execrationibus publicis sancitum est. Ejusmodi rebus
 nemo est arcendus, nisi forte per immania scelera effecerit, ut merito pro
 instabili sit habendus. Hinc *Plutarchus* libro de invidia & odio tradit:
eos, quorum calumnia oppressus fuit Socrates, ut extreme malos ita oderunt, ita
aver sati sunt cives, ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus re-
sponderent, neque in balneo aqua uterentur eadem, sed qua illi lavissent, eam
tanquam pollutam à ministro juberent effundi: donec illi impatientia odij sese
suspenderunt. Idem de Callicrate & Andronida tradit *Polybius* in ex-
cerpt. Peirescianis p. 142. Ita Athenis certorum criminum damnatis
 neque ignis accendebatur, neque cum illis convivium inibatur, aut com-
 munita sacra celebrabantur; uti ex orat. *Dinarchi contra Aristogitonem*
 constat. Add. *Sophocles Oedipo tyranno v. 244. seqq. Euripides Oreste v. 46.*
 & 513. Quando autem *Seneca de benefic. l. 4. c. 29.* ait: *quis beneficium di-*
xit, quadrantem panis, aut stipem aris abjecti, aut ignis accendendi facultatem?

non negat talia debere aliis libenter exhiberi; sed impudens & sordidum fore judicat, tam leve quid alteri velle imputare. Quamquam enim ista quandoque plurimum profunt; vilitas tamen sua, etiam ubi à tempore commendantur, quo minus in calendario scribantur, prohibet. Sicut apud *Terentium Andr.* dicitur: *Neutiquam officium liberi esse hominis puto, cum is nihil promereat, postulare id gratia adponi sibi.* Sed nec gratiam quis inierit ejusmodi donis, in quæ ludit *Horatius I. epist. 7.* *Quo more pyræ vesci Calaber jubet hospes; Vescere sodes. Iam satis est, at tu quantum vis tolle. Benigne. Non invisa feres pueris munuscula parvis. Iam teneor dono, quam si dimittar onustus. Ut libet: hac porcis hodie comedenda relinques. Prodigus & stultus donat, quæ spernit & odit.*

§. 4. Cæterum & illustranda isthæc munia humanitatis vulgaris facit illud *Plutarchi quest. sympos. l. VII. quest. 4.* ubi disputatur, quare antiqui Romani semper in mensa aliquid reliquerint, neque lampades extinxerint. Ejus moris inter alias hæc ratio adfertur: *hunc morem condofactioni ad humanitatem inservivisse. Nam neq; fas nobis est nutrimentum perdere, ubi affatim nos saturati sumus, neque fontem obturare, aut occultare, quando aque satis bibimus, neque signa navigationis itinervisve abolere, postquam usi sumus iis. Sed relinquenda ista sunt, ut aliis etiam post nos usui esse possint. Proinde indecorum etiam est, ob avaritiam, ὡς μικρολογίας, lumen lucerne, quando ejus usum porro nos non desideramus, extinguere; sed conservandum relinquendumvè est, si quis forte veniat, cui eo etiamnum ardente, & splendente sit opus. Quippe si fieri quiret, etiam visum atque auditum, imo prudentiam quoque & fortitudinem aliis utendam dare debebamus ipsi dormituri aut quieturi. Idem *Quest. Roman. de eadem consuetudine: An hic mos docet, neque ignem, neque aquam, neque ullam rem necessariam, cujus copia nobis suppeditet, perdere nos debere, sed aliis relinquenda esse, quibus usus est iis, ubi nos non amplius indigemus? Theocritus Idyll. 26. Ἐρμῖν φασὶ μάγιστον ἐπερῶτων κεχολῶσθαι εἶκιν ὀδῶν ζαχρεῖον ἀνάνηται, τις ὀδίτην.* Mercuriū cælicolarum maxime ajunt irasci, si quis via indigentem aversetur viatorem. Sic apud *Lucianum in Prometheo*, hic deos invidiæ arguit, quod sibi ob ignem cum hominibus communicatum irati fuerint; cum tamen ille *nihil fiat minor, si quis etiam cum alio communicet; neque extinguatur, quia alius inde flammam transtulerit.* Quo spectat etiam scitum Pythagoræ apud *Dioge-**

Diogenem Laërtium : Φυτὸν ἡμεῶν μὴ τε φθαίεσθαι, μὴ τε σίνεσθαι. *mitem arborem neque corrumpendam, neque violandam.* Ad hoc genus pertinet usus aquæ profluentis ad aquandum, aut lavandum. Et si enim flumina possint esse publica, aut privata; tamen ut aqua profluens ad bibendum hauriendumque cuilibet non hosti indulgeatur, ipsa humanitas præcipit. Ita enim sentire malimus, quam cum *Grotio* l. 2. c. 2. §. 12. dicere, *flumen quæ flumen esse populi, quæ aqua profluens dicitur, commune mansisse.* Minus quippe congrue videtur dici, eandem rem diverso respectu propriam & communem esse; quam, rei alicujus propriæ usum ex humanitatis lege omnibus patere debere. Illud autem velle imputare, quod & alias frustra perit, & continuo fontium affluxu alitur, oppido quam sordidum est. *Plautus Trucul. De fluvio qui aquam derivat sibi, nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.* *Ovidius* : *Quis vetet adposito lumen de lumine sumi, Atque cavum vastas in mare servet aquas?* Sic etiam interpretandum illud *Latonæ* ad rusticos *Lycios* apud eundem *Metamorph.* VI. *Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est. Nec solem proprium natura, nec æra fecit; Nec tennes undas; ad publica munera veni.* Namquam fontesque in proprietatem posse venire, dubium non est. Inde aquam pro se & jumentis suis ab *Idumæis* pretio sese emtueros *Israëlitæ* promittunt. *Numer.* XX. 19. conf. 2. *Paralip.* XXXII. 3. Quanquam ubi aquarum ubertas est, profluentem aliàs undam cui vis, quod citra molestiam nostram fiat, concedere debeamus, *Add. Genes.* XXVI. 20. 21. 22. Expendi quoque debet lex *Solonis* de aquis apud *Plutarch.* *Solone.* *Quia nec amnes perennes, neque lacus, neque fontes abunde suppeditant regioni, verum puteis manufactis utuntur fere, legem scripsit, ubi puteus publicus intra hippicum esset, eo uti ut esset jus: (hippicum spatium quatuor stadiorum erat:)* ut privatam aquam pervestigarent, ubi majus interveniret intervallum. Quod si fossa decem passus in altum depressa, aquam in suo non invenissent, tunc ut sumerent à vicino, & sex congiorum hydriam bis die implerent. Inopia enim subveniendum, non alendam existimabat ignaviam. Idem libro de vitando ære alieno, in princ. *Plato* in legibus vicinos alienæ aquæ participes fieri non sinit, nisi ubi domi solo usque ad terram ceramititem seu argillam exhausto, aquæ id sterileprehenderint. Eos enim vult aliorum in partem venire, qui propria parare nequeunt. Sed & alia hujus generis officia legibus civilibus sanciri non inusitatum est. Vid. *Levit.* XIX. 9. 10. XXIII. 22.

Deuteron. XXIV. 19. 20. 21. XXIII. 24. 25. Iosephus archaeol. IV. 8. Conf. Matth. XII. 1. Plato de LL. 1. 8. Peregrinus in ipso itinere si transeat solus, aut cum uno tantummodo, fructus non reponendos, si velit, hospitali cum gratia gustet. Ex legibus Lycurgi Sparta indigens poterat uti servo, jumento, ciboque alieno; Xenophon de republ. Lacedamon. Add. Lex Burgundionum tit. 28. §. 1. It. Selden. 1. VI. c. 6. Huc quoque pertinet illud Phocylidis: Ἀστὶρον εἰς ὄκρον δέξα, καὶ τυφλὸν ὁδηγεῖ, Ναυτῆς οἰκτεροί, ἐπεὶ πλότῃ ἐστὶν ἀδύνατος. Χεῖρα πεινῶντι δίδου, σῶσον δ' ἀπειρίστατον ἄνδρα. κλῆρον δ' ἂ ἐχθροῖο πίση καὶ ὄδον, συντηρεῖν. Πλαζόμενοι τι βροτὸν καὶ ἀλίτροπον ἢ ὑπαλύξῃς. Exulem in domum recipe, & cæcum duc. Naufragorum miserere, quoniam navigatio incerta est, Manum lapsò porrige, virumque derelictum serva. Quod si inimici jumentum in via ceciderit, colleva. Errantemque hominem, marivè volutatum ne devites. Diphilus: ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς; Ὅτι ἐστὶν, ἃ τις μὴ φράσαι ἐξήν ὁδὸν; An nescis, quod in exsecrationibus quoque sit, si quis rectam viam non ostenderit. Add. 1. 10. D. de incendio, ruina. Quintilian. declam. V. Voluit nos Deus in commune succurrere, & per mutuas auxiliorum vices in altero quemque, quod pro se timeret, asserere. Nondum hac caritas est, nec personis impensa reverentia, sed similibus accidentium providi metus, & communium fortuitorum religiosus horror. In aliena fame sui quisque miseretur. Sic cibos obsidio partitur; sic inopiam pariter navigantium frequenter unius alimenta paverunt. Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantum locumque veneretur aggestu.

§. 5. Huc quoque à Grotio l. 2. c. 2. §. 13. refertur concessio innoxii transitus per nostras terras, fluminaque, & partes maris, quæ in proprietatem venire, si qui ob justas causas eo uti velint; puta, si qui finibus suis expulsi alias sedes quærant, aut commercia expetant cum gente seposita, aut quod sibi debetur, justo bello petant; vel etiam, si alio in loco versantes patriæ suæ periclitanti ad ferenda auxilia adcurrant. Hæc res tamen accuratiore indiget discussione. Sane ubi pauci aliqui & inermes transire, suoque sumtu victitare cupiant, quin transitus illis concedi debeat, dubitare non licet, ubi honestam aut necessariam ob causam eo velint uti. Quid autem de magnis exercitibus dicendum, non ita liquidum est; cum ex transitu isto justus nobis oriri metus possit, tum ab ipsis transeuntibus, tum ab iis, in quorum terras transitur. Equidem

Grotius

Gratius d. l. metu isto non obstante, transitum concedendum asserit, ob
 eam rationem; quod in divisione rerum, qua communio primæva aboli-
 ta, & dominia rerum distincta fuerunt introducta, universi intelligantur
 sibi velut recepisse talem usum rei alienæ, qui indigentibus prodest, domi-
 nis non nocet: adeoque talem usum, qui eo indigent, suo jure posse po-
 stulare. Quod si alicui isthæc ratio dispiceat, simplicius dici posset: ex
 lege humanitatis debere quemlibet alteri exhibere usum suæ rei innoxii-
 um; qui, ubi necessitas adegerit, etiam vi possit vindicari, siquidem ex in-
 nani diffidentia, aut animi malignitate denegetur. Quanquam prius ea
 venia sit placide petenda, neque vi perurpendum, antequam adpareat,
 ex sola inhumanitate, citra justam causam dominum soli eam denega-
 tum ire. *Plutarch. Cimone*, cum Cimon exercitum per Corinthiorum
 fines duxisset, priusquam cives adpellasset, Lachartus eum inculsavit;
 οὐ γὰρ εὐθὺς κί-
 λαντ & ἀποτείαν, ἢ εἰσίναι, πρότερον, ἢ τὸν κύριον κελύσαι. etiam
 qui januam alienam pulset, non prius intrare, quam dominus jusserit. Sic &
 apud *Diclyn Cretensem* l. 2. recte Telephus inculsat Græcos, quod cum a-
 micosse venire ferrent, nuncium adventus sui non præmiserint. Apud *Li-
 vium* l. 34. c. 62. Masanißia, quum *Aphirem* profugum ex regno suo cum par-
 te *Numidarum* vagantem circa *Cyrenas* persequeretur; precario à *Carthagi-
 nensibus* iter per ipsorum agrum petiit. Additur, quod non solus metus ex
 multitudine transeuntium ortus ad negandum transitum sufficere videat-
 ur: cum plures æque ac pauci juris naturalis possint esse observantes.
 Et si jus eadem nobis præbeat, ut à transituris cautionem exigamus super
 damno non dando, aut eodem pensando. Nam quod occasio furem fa-
 ciat, in proverbii vicem jactatur, & imprudens est, qui tot hospites in su-
 as ædes admittit, ut ab iisdem ipse queat ejici. Nec desunt exempla ur-
 bium, quæ jugum subierunt; dum incaute multos armatos recepere. Præ-
 fertim cum pauci sint duces, quibus id laudis possit tribui, quo *Cn. Pom-
 pejo* assignat *Cicero pro lege Manilia*: ejus legiones sic in *Asiam* pervenisse, ut
 non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem pacato cuiquam no-
 cuerit. Unde *Cæsar* *Helvetiis* per provinciam Romanam transitum de-
 negat, quod *memoria tenebat*, *L. Cassium* consulem occisum, exercitumq;
 ejus ab *Helvetiis* pulsum, & sub jugum missum: neque homines inimico animo,
 data facultate per provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuria &
 maleficio existimabat. *Cæsar* de B. G. l. 1. Cautiones autem variæ propo-
 nuntur;

nuntur; puta, ut possitis armis transire jubeantur. Id quod tamen à viris militaribus vix impetraveris; à quibus postulare, ut arma deponant, ita fere accipitur, *quasi manus abscinderentur*; quod de Numantinis *Florus* dicit l. 3. c. 18. Commodius fuerit, si diviso agmine, ac per modicas catervas transmittantur copiarum; aut obsides accipiantur. Nam illa sumtuosa nimis cautio videtur, quæque multum requirit temporis, ut impensa transeuntis is, qui transitum concedit, sibi idonea præsidia conducatur. Addunt denique, non ideo negandum transitum, quod is alio in loco remotiore, & per ambages pateat. Nam hoc prætexto si ceteri quoque uterentur, jus transitus plane interimeretur: sed sufficere, si absque dolo malo transitus postuletur, qua proximum & commodissimum est. Non nemo pro adstruendo liberitranitus jure comminiscitur, vias regias esse generi humano communes, nec esse illorum proprias, quorum territoria percurrunt; perinde quasi istæ viæ partes essent globi terreni, ab ipso Deo in rerum initiis creatæ. Quod commentum inficetius est, quam ut refutari mereatur. Ex adverso tamen non defunt argumenta, quæ transitum mero jure naturali citra pactum aliquod aut concessionem non debere evincant, eo præsertim casu, quo quis vicino nostro bellum illaturus per nostras terras transire instituit. Sane enim vicinus vicino cum primis amico aut bene de se merito, id quoque debere videtur, ut ne alteri, qui ad ipsum oppugnandum venit, iter per suos fines concedat; siquidem id citra magnum suum incommodum possit prohibere. Inde stolidam impudensque Gallis Romanorum postulatio videbatur, *consere, ne in Italiam transmittant Galli bellum, ipsos id avertere in se, agrosque suos pro alienis populandos objicere. Cum neque Romanorum in se meritum sit, neque Carthaginiensium injuria, ob quæ aut pro Romanis, aut adversus Pænos sumant arma.* *Livius* l. 21. c. 20. Sicuti & hoc in fœderibus expressè solet conveniri, ne hostibus nostris transitus concedatur. Vid. fœdus Romanorum cum Antiocho apud *Livium* l. 38. c. 38. *ab initio*. Et eorundem cum Ætolis apud *Polybium excerpt. Legat.* 28. Neque tollitur difficultas, si quis dicat: transitum esse dandum, ubi justo bello alter petatur; negandum, si injustum ei fiat bellum. Nam neque ista dijudicatio semper est satis expedita; & temerarium habetur, ultro se duobus armatis velut arbitrum interponere, & tantam litem suam facere. Accedit, quod concessio transitu in nostris terris belli sedes possit constitui. **Quid enim**

enim, si alter hosti suo, dum adhuc in nostra est ditione, occurrat, eumque sistat? Quod quomodo vitio illi sit vertendum, non video; cum nequaquam teneatur eundem intra suos fines recipere, ut nos istius exercitu levemur. Tutissimum igitur fuerit, ubi citra magnum nostrum incommodum fieri possit, transitum denegare, & prohibere. Sin vires prohibendi defuerint, aut forte ipsi eam per causam gravi bello sumus implicandi, patientiam nostram alteri obtentu necessitudinis facile excusabimus. Notatu quoque dignum est, quod refert *Plutarchus* *Lysandro*; Thebani eo tempore, quo Athenæ à XXX. tyrannis tenebantur, legem sciverunt: Ἄν τις ἀθῆνας διὰ τῆς βοιωτίας ἐπὶ τῶν τυράννων ὄπλα κομίζῃ, μήτε ὀρθῶς ἢ ἐκ τῆς βοιωτίας, μήτε ἀκέρως. si quis Athenas ferret per Bœotiam in tyrannos arma, neminem id neque videre, neque audire Thebanorum. *Zieglerus* ad *Grot.* d. l. itidem negat, naturaliter jus alicui competere eundi per terras alterius, nisi pacto id sibi quæsserit; uti nemini est iter per fundum privati, nisi ea servitus ipsi sit constituta. Multoque magis, si sit causa probabilis metus. Sic inter privatos jus tibi esse poterit ambulandi per prædium urbanum Titij; sed si tu frequenter iveris cum flammis, & faculis, ut periculum sit, ne damnum inferatur prædio Titij, jus quidem tuum metu Titij non tollitur, sed poterit tamen prohibere Titius, ne ita eas cum flammis & faculis, & tunc tollitur jus taliter eundi. Ubi tamen notandum, in nostra quæstione iter aut transitum non accipi pro perpetua aliqua servitute, sed pro momentaneo duntaxat rei alienæ usu, at quem arripendum ingens nos utilitas, aut necessitas adigit, cui non ultro velificari alterum, inhumanum erat. Exempla parum ad isthanc quæstionem definiendam facere possunt. Nam fere prout cujusque vires fuerunt, ita modeste aut fidenter transitum postulavit, aut eundem postulanti annuit vel abnuit. Apud *Plutarchum* *Agessilao*, cum ab eo *Tralles* (in *apophth.* *Lac. ap. eund.* legitur *Troades*) transitus mercedem poscerent C. talenta, & totidem mulieres, eos ludens ait: *Quin ergo statim adsuerunt accepturi ea? Ita processit, illosque signis collatis fudit, & multos occidit. Iisdem cum mandatis misit ad regem Macedonum legatos, qui cum responderet, deliberare se velle; Deliberet ergo, inquit, nos interim transgrediemur. Hujus admiratus, & pavens rex audaciam, pacate petivit, ut transiret.* Præcipue heic allegari solet exemplum Israëlitarum, transitum per Idumæam petentium hisce legibus: ut via regia ambulent, in

prata cultosque agros non evagentur, utque præsentem pecuniam offerant, si quare opus habuerint. Heic cum Idumæi armis transitum arce-re instituerent, vi sibi haut quidquam perrumpendum iudicare, sed longo flexu istorum fines circumiverunt. Et cum tandem exigua particula fines eorundem perfringerent, non minus innoxium fecere transitum, ut ut idem antea fuisset satis inhumaniter denegatus. Vid. *Deuter.* II. 1. 2. 3-4. *Numer.* XX. 14. Idem cum à rege Amorrhæorum Sihone innoxium peterent transitum, isque non solum hunc abnuisset, sed & armatus illis occurreret, extra fines suæ ditionis, ut videtur, adeoque ultro eosdem læcesseret, victus non tam obnegatum iter, quam illatum temere bellum pœnas dedit. Nam alias nimis durum videbatur, non exhibitum humanitatis officium excidio gentis ulcisci; cum Amorrhæi isti utique extra terram promissionis fuerint, cujus incolas Deus peculiari ex iudicio inter necioni destinaverat. - Neque sufficit, quod aliqui dicunt: *justas conditiones offerentem non repellere, sed de illis in effectum deducendistractare debuisse, qui metum suum justum haberi vellent. Nunc abrupta pacis commercia a-nimum à jure & æquitate alienum satis monstrasse.* Communi quippe mortalium jure læsa solius humanitatis lex ultima exempla non meretur.

§. 6. Ad res innoxie utilitatis, quæ cuivis libenter indulgeri debent, à *Grotio* d. I. quoque refertur, mercibus per terras nostras transitum concedere. Ubi hunc *Zieglerus* contradictionis arguit, dum §. 13. dixit, quo minus gens quæque cum quavis gente seposita commercium colat, impediendi nemini jus esse: & tamen d. *cap. §. ult.* concedit, pactum iniri posse cum gente seposita, ut sibi soli certi generis merces, alibi non nascentes, vendat. Ubi sane vi hujus pacti impediuntur alii, quo minus cum ista gente commercia exerceant. Quanquam *Grotius* excusari possit, si priori ipsius loco intelligamus impedimentum, quod cum violentia conjunctum est. De cætero tamen ista res non ita ad liquidum deducta est. Sane enim non videtur lex humanitatis nos obligare ad concedendum transitum aliis mercibus, quam quæ ad vitam aliorum sunt necessaria. Sed qui ejusmodi adportant merces, quæ ad luxum instruendum faciunt, aut ex quarum tractatione non tam vitæ subsidia, quam lucrum exuberans, & alimenta avaritiæ quaruntur, non video, quo jure velut debitum sibi per nostras terras transitum prætendant. Equidem fateor, vix probabilem inveniri posse prætextum, ut quis negare ve-

lit

lit iter navibus inermibus per apertum mare, ditioni nostræ subiectum, ad tertium pacatum tendentibus. Quo etiam potissimum spectant testimonia autorum, quæ magno numero heic adduci solent. Sed ut merces sistantur in terra nostra, in freto, aut flumine, non citra rationem fieri potest. Nam præterquam quod frequens commectio peregrinorum nostræ civitati quandoq; noxia, aut suspecta esse queat; quid impedit, quo minus nostri cives id lucrum vindicent, quod peregrini transeuntes capiunt? Quippe cum illis utique magis favere possimus, quam hisce. Et quanquam damno proprie dicto non afficiamur, si istis mercibus etiam gratis transitum concedamus; neque injuria nobis fiat, dum intercipitur lucrum, quod itidem nobis patebat: tamen cum ne tertius quidem ille jus habeat nos ab isto lucro excludendi, quare non proximi nobismet ipsi simus, & lucrum illud in nos avertamus? Id quod fieri potest, si merces istæ non nisi interventu nostrorum civium inter duos populos, quibus nos interjecti sumus, commectent. Ac sane nisi hæc ratio admittatur, non video, quomodo excusari possint stipulæ, quam vocant, & alia jura, quibus merces sistuntur, & ad certum forum trahuntur, atq; exteris non immediate inter se, sed interventu civium commercia exercere conceditur.

§. 7. Ex dictis quoque dependere videtur quæstio; an lex humanitatis concedat exigere vectigalia ex transeuntibus mercibus terra, amnibus, aut fretis, nostræ ditioni subiectis? Nam non nisi pretio vendere licentiam, quam ista lex quibusvis indulgeri jubeat, oppido quam inhumanum videtur. Equidem cur ex mercibus, quæ terrestri itinere transvehuntur, aliquid vectigalis possit exigi, ratio in aprico est. Nam & agris per oneraria plausstra quandoque detrimentum infertur, & sumtu opus est ad vias muniendas, ac dominus territorii securitatem transeuntibus præstat. Ubi autem pontes sunt struendi, manifesta est vectigalis pro recuperandis impensis æquitas. Sicut & contra qui ejusmodi vectigal exigunt, utique ad conservandos ac reparandos pontes tenentur. Sic *Grotius ad 1. Regum X. 29.* notat, equos, qui ex Ægypto venientes transibant per Judæam in Syriam aut ad Hethæos, vectigal pro transitu magnum pependisse Salomoni, sicut & pro thuris transitu vectigal dabatur. Favorabilia quoque sunt vectigalia, ubi per industriam difficultas terrestrium itinerum velut in compendium fuit missa. Sicut hodie multis in locis fossæ

sunt depressæ ad commoditatem tam viatorum quam mercium. Sic si quis quondam per fossam Isthmo Jonium, & Ægæum mare conjunxisset, à lubentibus sane vectigal modicum potuisset exigere, dum brevi, & securâ via liceret defungi. Quanquam & citra ejusmodi fossam pronunciet *Strabol. VIII. Asiaticis, Italicisque mercatoribus gratissimum fuisse, omissis ad Maleam cursu, Corinthum divertere, ad vectis eo mercibus: ubi & importatarum, & exportatarum à Peloponnesorum vectigalia pendere continebat.* Alii adjungunt, multitudine transeuntium annonam reddi cariorem. His rationibus circa æquitatem vectigalis terrestris accedit & hæc, quod civitas modicam saltem recognitionem possit exigere à mercibus peregrinorum eo nomine, quia patitur eos per suam ditionem immediate à tertio populo merces istas petere, ex quibus, erecta stapula, cives sui poterant lucrum capere. Circa vectigalia in fluminibus exigi solita id quoque addi potest, cum illa arrosionibus & inundationibus vicinos agros sæpe non mediocriter infestent, sæpe quoque aggeribus sint coercenda; non inique velut in solatium istorum damnorum modici quid solvi ab iis, qui ex fluminibus citra detrimentum lucrum capiunt. Equidem in *Capitul. Caroli l. 3. c. 12.* telonium in fluminibus vetatur exigi, *in quibus nullum adjutorium præstatur itinerantibus;* (add. *Lex Longobardorum l. 3. tit. 1. leg. 21.*) Sed id constitutum videtur in favorem civium ejusdem reip. Quod ad externos quoque extendi non est necessarium. Circa æquitatem vectigalium, quæ in fretis exiguntur, difficilior est inspectio. Equidem id dubium non habet, quin eo nomine exigi queat, quod sumptibus à domino factis respondeat, ubi signa sunt constituenda, notandis brevibus, aut scopulis, aut ubi ignes alendi, dirigendo navium nocturno cursui, aut ubi mare à piratis purgandum. Sed eorum, quæ præter hæc causas capiuntur, ritulum tueri non ita in proclivi est; cum utique transitus navium inermium plane sit res innoxie utilitatis. Nisi quod heic non adeo absurde dici videtur; nemini vitio vertendum, si commoditate suæ ditionis rite utatur, & uti alii ex terris, ita ipse ex aquis suis proventum quærat. Et cum, qui alienum territorium intrat, temporarius fiat subditus, posse naves exterorum, per nostrum fretum transcutes, adigi, ut nostris civibus primum emendi copiam faciant. Id si ipsis remittatur, eo nomine modici aliquid posse exigi. Et quanquam stapula in fretis istis institui non possit, quod illi, ad quos profectio instituitur, navigandi usum non habent,

ant,

ant, neque nostris civibus facultas sit suis navibus istorum merces in fretum adportandi; non invideri tamen nobis debere, si in portiunculam aliquam lucri admittamur, quod compendiosam aliorum per nostras aquas navigationem non impediamus. Fatendum tamen est, cum ejusmodi vectigal maritimum nescio qua ratione longe odiosius sit, quam quod pro terrestri transitu exigitur, id moderate, & citra avaritiam tractandum; & facile unum vel alterum tales afferre rationes posse, unde se ab isto vectigali exemptum prætendat. Puta, si istius terræ supra & infra fretum attingant; aut si ab ejusdem usu omnia ipsius cum exteris commercia, & ex hisce salus prope reip. suæ dependeat. Ubi sane iniquum fuerit, istum propter innoxium usum itineris maritimi ad conditionem fere tributariam redigi: nec facile quis eundem reprehenderit, si sub odioso ejusmodi prætextu alterum duriter sibi incumbentem, quovis modo amoliri conetur. Neque eidem præjudicium adferre potest, quod in illud vectigal aliæ quoque nationes consenserint, quarum salus usui istius freti, non ita est implicita; quibusque adeo facile est, domino freti particulam aliquam exundantis lucri non invidere. Sicuti dispar longe conditio est ejus, qui per fundum meum iter petit, quod citra istud ab aliorum hominum consortiis velut in solitudine separatus degat, sui que agri fructus exportare nequeat, & qui compendii duntaxat sui causa alieno prædio servitutem imponere vult. Potest ad hæc illustranda aliquo modo facere, quod quidam referunt de rege Abyssinorum, quod quondam tributum aliquod ab Ægypto prætenderit obtentu Nili, qui in ipsius regione ortus terram Ægyptiam fœcundam reddit. Et cum postea Mahummedani eam regionem occupassent, & Christianos duriter habuissent, eundem tentasse alveum Nili in mare rubrum derivare, sed frustra. Quam prætensionem nos itidem iniquam arbitramur. Neque sat accurate illi, qui omnem hanc rem ex pactis conventis dijudicandam censent. Nam nihilominus inquiri adhuc potest, quæ ratio fuerit istorum pactorum initorum; & an dominus freti tamdiu aliis transitum negare potuerit, quousque isti in talia cum ipso pacta descenderent. Et si ubi pactum vitio naturaliter firmitatem ipsi detrahente carens, sit initum, utriusque ipso standum fuerit; sic ut neque transeuntes vectigal, in quod consenserunt, denegare, neque dominus freti illud intendere pro lubitu queat. Add. *Bæclerus* ad *Grotii* l. 2. c. 2. §. 14. Apud *Nicephor. Gregoram* l. IV. memoratur, Sultanum Ægypti ab Imp. Constantinopolitano stipulatum, ut Ægy-

ut Ægyptiis mercatoribus fretum Thracicum liceret trajicere. Quæ res, cum initio parvi momenti videretur, concessa fuit. Sed cum progressu temporis constitisset, qualis & quanta esset; jam prohiberi non potuit, consuetudine confirmata atque inveterata. Quod si autem quis populus ad alteram freti ripam terras possideat, ita ut vel fretum utriq; sit commune, vel utriusque ditiosis confinia in eodem medio sint, etiam si forte alter ex pacto, aut concessione solus à reliquis transeuntibus vectigal exigat, iste tamen nullo modo vectigali erit obnoxius; quippe cum in suo pelago naviget.

§. 8. Ad res innoxie utilitatis, quæque adeo cuivis sint præstandæ, refertur quoque à Grotio l. 2. cap. 2. §. 15. ut liceat prætervehentibus ad littus paulisper accedere, ibique morari, valetudinis, aquandi, aut alia iusta de causa. Hinc apud Maronem l. Æneid. *Quod genus hoc hominum? quæ vè hæc tam barbaramorem Permittit patria? hospitio prohibemur arena. Bella cient, primaq; vetant consistere terra. Si genus humanum, & mortalia temnitis arma; At sperate Deos memores sandi, atq; nefandi.* Ubi tamen observandum, quod præmiserat; *Non nos aut ferro Lybicos populare penates Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas.* Quo ipso ostenditur, ejus qui admitti petit, iter debere innoxium esse, & ex quo accolis litoris nullum periculum, aus ejusdem probabilis metus creetur. Hinc cordate Dido: *Res dura, & regni novitas me talia cogunt Moliri, & late fines custode tueri.* Scilicet constare prius oportet, hostis an amicus quis adveniat; simulq; quam faciem ipsa classis, aut quæ in terram exscendere vult manus præferat. Nec minus, an à contagiosis morbis immunes sint advenæ. Add. *Plinius N. H. l. 26. c. 1.* Horum postquam nihil obstiterit, uti innoxium accessum denegare summa inhumanitas foret; ita isthoc concessio consequens fuerit id quoq; indulgere, ut liceat tugurium momentaneum in litore ponere; quippe quo litus non redditur deterius, neq; nostro ad idem juri quidquam decedit. Nam id rationis est, ne quis permanens ædificium in litore extruat citra concessionem summi imperantis, præsertim ubi id cum aliorum incommodo fiat. Vid. l. 50. D. *de adq. rer. dom.* Neq; sequitur; quia circa accessionem ad litora & portus inter aliquas gentes existunt pacta, ideo isthoc officium jure naturali non deberi. Cum multa, quæ ex virtute quapiam, imperfectam duntaxat obligationem parient, debentur, legibus civilibus, & pactis sanciri frequentissimum sit. Præterquam,

grinum hospitio removisse deprehensus fuerit, hujus domum vel facultates incendio consumere licitum est, atque in id omnium vota pariter conspirant. Philo Iudæus de vita Moysi, hospitibus eadem, qua supplicibus jura deberi tradit. Ut tamen isthoc officij jure naturali debeatur, requiritur, ut alteri honesta sit, aut necessaria causa, quare à domo sua absit. Tum ut ipse probus sit, & unde domui nostræ nullum periculum, aut dedecus imminet. Præterea ut pretio hospitium conducere nequeat. Inde major quondam istius humanitatis necessitas, ubi publica diversoria nondum in usu erant, aut vilia viroque honesto indecora habebantur; quam hodie in plerisque Europæ partibus, ubi & ad usum, & splendorem ista passim instructa reperiuntur. Enimvero etsi passim inhospitalitatem, tanquam certum specimen barbaræ inhumanitatis, traduci videas; dubium tamen moveri potest circa illos potissimum, qui curiositatis duntaxat causa alienas regiones adeunt, an istis ipso naturali jure admissio debeatur. Sane Spartanis, ut peregrinos sua civitate arcerent, hæc sufficere ratio judicabatur; ne patrii mores illorum conversatione corrumpere-
rentur, aut evilescerent. Paria fere instituta circa peregrinos apud Chinen-
ses. vid. *Neuhof. gener. descript. China. c. I.* Cui tamen aliqui reponunt; non omnia meliora, quæ apud nos, aut deteriora, quæ apud externos usu recepta sunt. Si quid melius apud hos inveniatur, absurdum fore, ideo id adspernari, quod peregrinum sit. Canum esse, etiam vilissimos vernarum adulari, alienos, utut præstantissimos viros, allatrare. Nescio quid horridi, & inculti istis adhærere, qui nunquam patriis sedibus pedem extulerunt. Sic & apud *Livium* l. 41. c. 24. decretum Achæorum, quo finibus suis interdixerant Macedonibus, *exsecrabilis velut desertio jurâ humani* vocatur. Apud *Plutarchum* in *Convivio* Periander ait: *ἰγὰ τοὶ ἰμαγ-
νοὶ καὶ πόλεις καὶ ἀρχοντας, ὅσοι ξένοις πρῶτον, ἔπειτα πολίταις χρηματίζονται.* Ego civitates magistratusque laudo, qui priori loco hospitibus, deinde civibus responsa dant. Hæc igitur certum videtur, si nostri cives peregrinantes ab aliqua natione comiter recipiantur, parem humanitatem eidem nos honeste denegare non posse. Sicut contra, qui nostros arcent, sui ut à nobis recipiantur impudenter postulant. Verum si aliqua gens externos adire non curet, non adparet, quo jure ipsa teneatur admittere illos, qui citra necessariam, ac gravem causam ad eam accedunt. Sicut etiam nemo credit, qui in ædibus aut hortis suis rari quidpiam possidet, se ulla ob-
liga-

ligatione ad quosvis ejus spectatores admittendos adstringi; sed admittis
 isthoc velut indebitum officium imputari moris est. Præsertim cum fa-
 cile aliqua suspicio accedere possit, quare nimis curiosos rerum nostra-
 rum arbitratores procul habendos judicemus. Inde multis suam sen-
 tentiam non adprobat *Franciscus à Victoriarelect. 5. sect. 3.* ubi agit de ido-
 neis titulis, ex quibus Hispani Indos debellare potuerint; dum primum ti-
 tulum facit naturalem societatem & communicationem; circa quam isti-
 usmodi format propositiones. 1. *Hispanos habere jus peregrinandi in illas*
provincias, & illic degendi, sine tamen aliquo nocumento barbarorum, nec posse
ab aliis prohiberi. Ubi reponitur, illam naturalem communicationem
 non prohibere, quo minus super usu rerum suarum aliis communicando
 dominus statuere queat. Deinde crudum valde videri, ita indefinite vel-
 le aliis dare jus apud nos peregrinandi, & degendi, non considerato, quo
 numero, aut quo sine isti veniant; item innoxie transeuntes, regionem
 alienam lustrantes, ad modicum duntaxat tempus morari, an vero per-
 petuo velut suo jure apud nos velint degere. Ejusmodi hospitia qui aliis
 velit assignare, merito tanquam asperum nimis metatorem repudian-
 dum. 2. *Licere Hispanis negociari apud illos, nec vel hos, vel illos à principi-*
bis suis posse prohiberi. Hic, qui moderatius sibi philosophari videntur,
 nondum possunt dispicere talem negociandi licentiam, quam in subjectis
 suis principes, si usus reip. postulaverit, restringere nequeant: multo mi-
 nus talem, quæ exteros quoque nobis invitit & reluctantibus obrudat. 3.
Si qua sint apud barbaros communia tam civibus quam hospitibus, non licere
barbaris prohibere Hispanos à communicatione, & participatione illorum, v.g.
si licet aliis peregrinis effodere aurum, etiam Hispanis licere. Quo loco ali-
 qui considerandum judicant, an tale quid aliis fuerit permissum tanquam
 ex debito, an velut ex gratia. Nam circa ea, quæ nemini perfecte debeo,
 liberali sane magis adversus unum, quam alterum esse mihi licere. Deinde
 an illi, qui post accedunt, parè modestiam sint adhibituri cū priorib⁹, qui ci-
 tra nostrum incommodū re quapiam usi fuerunt; nec alium sibi finē, quā
 isti, habeant propositū. Si uni vel alteri vicinorū meorū concesserim faul-
 tatē quoties velit hortū intrandi, & fructus modice decerpenti, ubi alius
 post irruerit, qui arbores confringere, & in ipso horto, me expulso, hospi-
 tium figere instituat, putō ostiū mihi claudere fas erit. Add. quoq; respōsū,
 quod

quod quidam Americanorum dederunt Hispanis apud *Mich. Montaigne* *essais* l. 3. c. 6. p. m. 189. Sed super hac controversia alii viderint. Plerumque tutissimum videtur dicere: cui libet civitati ex usu suo licere statuere super admittance exteriorum, qui ex causis necessariis, aut commiserationem merentibus non accedunt. Nisi quod pacifice accedentes promissive favere sine dubio barbarum sit. Vid. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 67. Legatorum autem admittio ex peculiaribus fundamentis deducitur. Add. *Zeglerus ad Grot.* l. 2. c. 2. §. 23. Admissos tamen semel hospites & peregrinos sine probabili causa eicere inhumanitate & contumelia non vacat. Vid. *Livius* l. 2. c. 37. 38. Quin & quod probabilis istos expellendi causa fames sit, civitatem urgens, *Ambrosius de Offic.* l. 3. c. 7. & cum eo *Grotius* d. l. §. 19. negat. Id quod hactenus admittimus, si adsint media, quantumvis paulo duriora, ad istos simul cum civibus conservandos, sique iidem nobis quondam utiles fuerint, aut deinceps esse possint. Nam de hisce proprie loquitur *Ambrosius*. Verum si peregrinis nulla obligatione teneamur, neque iis statim, ubi à nobis sint expulsi, pereundum fuerit; non adparet, quare cives in illorum gratiam cum angustiis annonæ conflictari debeant. Vid. *Sueton. Augusto* c. 42. & *Bæcler. ad d. l. Grotii*.

§. 10. In hanc quoque officiorum classem à *Grotio* l. 2. c. 2. §. 16. 17. refertur concessio perpetuæ habitationis exteris, qui sedibus suis expulsi receptum quarunt. Quibus tamen necessum sit, imperium in illis locis iam constitutum agnoscere, atque ita se componere, ne factionibus, & seditionibus præbearnt materia. *Euripides Medea*: *οὐκ ἐπιβουλεύει πάλαι*. Decet peregrinum, ut se valde accommodet civitati. Sicuti & inter pacis leges ab *Ænea* hæc dicitur: *Socer arma Latinus habeto, Imperium solenne socer*, apud *Virgil. Æneid.* 12. Enimvero humanitas quidem est, paucos quosdam, sedibus suis non sceleris causa expulsos, recipere; præsertim si industria, aut opibus polleant, nec sacra nostra, aut instituta sint turbaturi. Sicuti etiam multas civitates immensum crevisse cernimus, quod peregrinos, & externos lubenter receperint: alias contra, quæ hos averfati sunt, ad modicam conditionem redactas. Sed quod magna aliqua multitudo, armata cum primis & bellicosa, velut ex debito recipienda sit, nemo temere asseruerit; cum præsertim vix fieri possit, ut veteribus incolis ab istis periculum non imminet. Ergo quantum heic indulgendum sit, quælibet civitas ex usu suo constituet. Cui antea pro-

be ex-

be expendendum, an expediat numerum incolarum vehementer auferri; an ea sit agri nostri fertilitas, ut commode omnes possit alere; an nimis anguste sinus habitaturi, istis receptis; solers an ignava sit turba, quæ recipi petit; an ita advenæ isti possint distribui & locari, ut civitati nullum ex iis periculum oriatum. Sane ubi & isti miseratione digni sunt, & civitatis nostræ rationes non repugnaverint, humanum fuerit, in tales beneficium non nimis onerosum, nec nobis pœnitendum conferre. Alias merito ita temperatur misericordia, ne mox nos aliis evadamus ipsi miserabiles. Cum porro quicquid à nobis in tales fuerit collatum, id beneficii loco ipsis imputare possimus: inde consequitur, ut non ipsi, quæ placuerint, sibi rapere, aut si quid forte vacui loci apud nos jacuerit, velut jure suo occupare possint, sed quæ nos assignaverimus, iis contenti esse debeant. Add. *Bœcler. ad d. l. Grotii.* Ad quæ illustranda isthæc exempla facere possunt. Apud *Virgil. Æneid. XI.* Latinus Trojanis hanc conditionem offert: *Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni, Aurunci, Rutuliq; colunt, & vomere duros Exercent colles, atque horum asperrima pascent. Hac omnis regio, & celsi plaga pinea montis Cedat amicitia Teucrorum.* Ubi *Servius* ex *Catonis* originibus annotat; cum agrum habuisse jugera DCC. Sed ne videretur de alieno fuisse liberalis, monet, circa verba illa: *Aurunci Rutuliq; serunt*, è superioribus subaudiendum esse *mibi*. Illum enim agrum Auruncos & Rutulos habuisse tanquam stipendiarium, aut ei colendo quasi regi operas dedisse. Idem factum prolixius memoratur à *Dionysio Halicarn. l. 1.* Trojanos, cum ex certis omnibus cognovissent, illam sibi satis destinatam sedem, statim venia non impetrata novam urbem moliri cœpisse, atque non citra rusticorum indignationem, ferrum, ligna, instrumentumque rusticum abstulisse. Qua re commotum Latinum in advenas istos cum exercitu movisse, ex postulantem prius cum *Ænea*: cur, cum licuisset ei quæcunque petiisset moderata, amice à lubentibus incolis impetrare, ea violato jure gentium, (*παράθεσιν τῶν ἀπαίτων ἀνθρώπων δικαίωσιν*) turpius quam honestius per vim sibi usurpare maluisset? Quæ jure agnoscens *Æneas* reprehendi, priora facta ut condonentur rogat, multis se officiis id pensaturum pollicetur, suamq; operam contra hostes effert. Inde Trojanis Aborigines agrum dedere; illi hisce in bello contra Rutulos suppetias tulerunt. Apud *Flo-*

rum l. 3. c. 3. Cimbrî à senatu Romano petunt: *ut Martius populus aliquid*

sibi terra daret, velut stipendium: ceterum, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur; sed quas daret terras populus, agrariis legibus intra se dimicaturus? Aliena porro condonari citra injuriam qui poterant? Tam validum autem populum ultro recipere intutum videbatur iis, queis tam multa erant, quæ cupiditatem egenorum stimulare possent. Apud Cæsarem de B. G. l. 4. Tencteri & Ulipetes jactabant: *Venisse invitos, ejectos domo: si suam gratiam Romani velint, posse eis utiles esse amicos: vel sibi agros attribuant, vel patientur eos tenere, quos armis possederint.* Quibus reponebat Cæsar: *haut verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare, neque ullos in Gallia vacare agros, qui dantur antea præsertim multitudini sine injuria possint.* Et si alia adhuc subesset causa, quare istos hospites nimis vicinos sibi nollet Cæsar. Apud Tacitum A. XIII. 55. Ansibarii sedis inopes, cum agros in sedissent trans Rhenum sitos, usibus Romanorum sepositos, non adeo absurde dicebant: *Quot ampertem campi jacere, in quam pecora & armenta militum aliquando transmitterentur? Servarent sane receptus gregibus inter hominum famem: modo ne vastitatem & solitudinem mallent, quam amicos populos.* Sicut cælum diis, ita terras generi mortalium datas; quæque vacua, eas publicas esse. Quo jure etiam Utopienses uti tradit Tb. Morus *Utopia* l. 2. Quibus utique molliora erant respondenda, quam quæ regerebat Avitus, intolerabilem sane superbiam redolentia: *patiendam meliorum imperia.* Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent; neque alios judices quam se ipsos paterentur. Imperator Probus centum millia Bastarnarum in solo Romano constituit, qui omnes fidem servaverunt. Sed cum & ex aliis gentibus purosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, Gaultunnis, & Vandalis, illi omnes fidem fregerunt, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum pene orbem pedibus & navigando vagati sunt, nec parum molestia Romana gloria intulerunt. Flav. Vopiscus in Probo. Sic apud Ammianum Marcellinum l. 31. Gothi metu Hunnorum, desertis suis sedibus, à Valente petunt, ut cis Istrum in Thracia sibi locus daretur, polliciti, se quiete victuros, & duros, si res flagitaret, auxilia. Mox alii quoque barbari accessere, idem petentes, queis & ipsis Valens annuit, sperans inde militem sine magno sumtu lecturum. Quod ipsi tamen mox exitio vertit: uti prolixius d. l. memoratur. Add. Socrates *hist. Eccles.* l. 4. c. 28.

§. II. Sub isto quoque officiorum genere comprehendit *Grotius* d. l. §. 18. 19. quod quisque debeat alteri concedere, ut ea sibi compareret pretio, opera, permutatione, aliove contractu licito, quæ vitam hanc commodiore adparatu instruunt: idque non impediatur vel lege lata, vel illicita aliqua conspiratione, aut monopolio. Præterquam enim quod in omnes populos ex commerciis insignis redundet utilitas, quippe quæ velut parsimoniam telluris, non ubique in omnia æque feracis, suppleat, & efficiunt, ut quod genitum est usquam, apud omnes natum videatur; (*Libanius orat. 3. Non omnibus partibus cuncta impertivit Deus; sed munera juxta regiones divisit, ut ad societatem homines operum mutua indigentia adduceret; & negotiationes patefecit, ut communem fruitionem eorum, quæ apud quosdam nascuntur, ad omnes proferat:*) inhumanum valde esse, terrigenam velle invidere usum eorum bonorum, quæ communis omnium parens profudit, ubi per id nostrum jus, quod ad ista peculiariter quæsimus, non redditur deterius. Hinc apud *Plutarch. Pericle*, cum Athenienses Megarensibus interdixissent omnibus emporiis & portibus suis, isti queruntur id fieri *ἡγοῦντὰ τὸν νόμον τῆς πόλεως, præter jus gentium*. Quanquam isthæc assertio multas admittat restrictiones. Nam ut cum aliis communicemus res supervacuas vitæ humanæ, aut voluptuarias, nullo videmur jure obstringi. Et si nobis ipsis rerum penuria metuatur, recte nobis solis istas servamus. Unde si *Josephus* perspexisset, non superesse frumentum *Ægyptiis* tolerandæ septem annorum fami, recte potuisset vetare, ne ad externos id exportaretur. *Quintilian. declam. 12. Vbi vicinis civitatibus vendimus, & undecunque affulsit lucrum, sine respectu salus publica addicitur, in vacuam possessionem fames venit*. Sicut & apud Athenienses capitis poena sancitum erat, ne quis civis Atheniensis frumentum alio, quam Athenas divendendum vheret. *Lycurgus orat. contra Leocratem*. Præterea si nostris terris insigne lucrum decedat, aut, indirecte licet, aliquod malum possit inde conciliari; recte alios abs commerciis ejusmodi rerum excludimus, quæ absolute ad vitam agendam non sunt necessariae. v. g. Cum alicubi pulcherrimi equi proveniant, nihil impedit, quo minus edicto prohiberi possit, ne exportentur, qui ad genus faciendum sunt idonei. Isti enim regioni decus atque emolumentum peculiare erat periturum, si passim similes equi nascerentur. Et luxuriæ potius,

potius, quam necessitati isti inserviunt. Apud *Livium* l. 43. c. 5. *legatus Gallorum petentibus datum, ut denorum equorum iis commercium esset, educendique ex Italia potestas fieret.* Sic in *tit. C. qua res exportari non debeant*, sub capitali pœna vetatur, ne quis vinum, & oleum, itemq; arma omnis generis ad barbaros exportet. Prioris ratio erat, ne illi hisce illecebris moti imperium Romanum invaderent. Sane enim apud *Livium* l. 5. c. 33. *Arus Clusinus, ut in Italiam Gallos alliceret, vinum ad eos advexisse scribitur.* Add. *Numer. XIII. 14. Iudith. X. 20.* Deniq; non prohibetur civitas, quo minus circa exportationem mercium plus faveat civibus, quam exteris; puta, ut majus vectigal ab his, quam ab illis exigat; aut ut iidem habeant jus *ἑποτιμίας*, seu præ exteris ad emendum admittantur.

§. 12. Verum ut quis ad alterius res emendas teneatur, id nullo jure constitui tradit *Grotius* d. l. §. 20. Cum naturaliter cuique liberum sit, quid acquirere velit, aut non; ac nemini probabilis querendi causa præbeatur, si alter rebus ipsius æquo animo careat. Inde & olim & nunc multis in locis veritum deprehendimus, ne certum genus mercium importetur, idque vel quia inde damnum aliquod civitati possit oriri, vel ut nostrorum hominum industria excitetur, ne vè opes nostræ ad externos migrent. *Plato* l. 8. de *LL. Thus ceteraq; hujusmodi, quæ diu incenduntur, peregrinaq; sunt, purpuram similiter & colores alios, qui à regione non producuntur, omnia denique peregrina, nisi necessaria sint, nemo adducat: nec rursus aliquid, quod regioni necessarium sit, exportet.* *Cæsar* de *B. Gall.* l. 2. de *Nervis* tradit: *Nullum aditum ad eos esse mercatoribus: nihil partem vini, reliquarumq; rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent.* Idem l. 4. de *Sveris*; *jumentis importatis non utuntur. Vinum ad se omnino importari non sinit; quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari arbitretur.* Inde sine dubio falsum est, quod disputat *Franc. à Victoria*: *jure gentium fas esse cuique negotiari in alienis provinciis, importando merces, quibus ibi carent, & exportando aurum & argentum, mercesq; alias, quibus illi abundant.* Atqui si ego domesticis copiis sum contentus, qua fronte quis alienas mihi invito obtruserit? Nam quod alicubi v. g. quilibet paterfamilias certam salis mensuram in singulos annos emere cogitur, id oritur ex potestate illa, quæ principi in cives competit; & habet ista emendi necessitas aliquod instar tributi. Sicuti etiam per summum imperium civibus in-

jugi

ungi potest, ut si quid ultro velint emere, non nisi abs certo aliquo emant. Qualia, ubi usus reip. admiserit, non inique in civitatibus sanciri possunt. Sicuti & hoc fat frequenter subditis injungitur, ut in tempore frumentum, & alias res necessariae etiam in locis remotis coemant; quando penuria, imminente praecipue obsidione, metuitur, aut ut eo laxior sit annona. Verum ut alterum, in quem mihi non est imperium, ad merces meas emendas cogere instituiam, id vero nulla ratio admiserit. Quo jure enim ego in alterius, mihi non obnoxii, crumenam tantum mihi arrogem autoritatis, ut ipsi praescribere sustineam, quid, & in quaerogare, & unde necessitati aut voluptati suae consulere debeat. Neque libertas alterius ideo minuitur, quia meo inde lucro aliquid decedit. Aut si omnino volebam alterum commodis meis velificari, mutuis id officiis mereri debebam. Id tamen inhumanum fuerit, & iniquum, impedire alium quem, qui res, quibus abundat, apud volentes distrahere vult, quo minus necessaria, quibus caret, inde sibi comparare queat. Add. *Bæcl. add. l. Grotii.*

§. 13. Ejusmodi officii genus quoque habetur, licentiam facere exteris, vicinis praesertim, apud nos matrimonia ambiendi, & contrahendi, ubi istis apud se copia foeminarum defuerit. Puta, si populus virorum aliunde expulsus alibi confederit, aut coetus virorum novam condere civitatem velit. Nam sine foemina aetatem agere repugnat naturae saltem plerorumque virorum; quippe cum coelibatus, ubi vires corporis sunt integrae, non nisi excellentibus animabus conveniat, & praeter naturam remedia haec adhibere, foedum. Et res unius duntaxat aetatis est, populus virorum. Qua ratione multi defendere, aut saltem excusare volunt raptum Sabinarum à Romulo patratum. Et si super eo non uno modo tradatur. *Dionys. Halicarn. l. 2.* ait, Romulum per connubia voluisse vicinarum sibi gentium amicitiam conciliare, quae licet ab injuria inciperet, credidisse tamen ex hujusmodi re quapiam, & malo ex principio magnam familiaritatem posse conflare, postquam factum illud purgatum fuerat apud mulieres quidem cupidine & amore; apud reliquos, si non contumeliae causa, sed necessitate id factum testarentur. Et si fat praepostera haec sit via amicitiam instituendi. Vid. *Tacit. An. I. 55.* de Segeste; *audis privatim odiis, quod Arminius filiam ejus alii pactam rapuerat. Gener irvisus, inimici soceri; quaque apud concordas vincula caritatis, incitantia irarum apud infensos erant.* Alii ut occasionem bellandi nanciscere-

cisceretur contra vicinos, raptas mulieres scripsere; quod parum probabile videtur. Cæteri inopiam mulierum, adeoque necessitatem prætexunt. Prius tamen legatōs circummissos, qui rogarent, ne gravarentur homines cum hominibus sanguinem & genus miscere. Qui postquam non sine verborum contumelia rejecti fuerint, vim dolo mistam fuisse adhibitam. Et erat eo seculo mos capiendi virgines non infrequens; quem *Dionysius* ideo vocat ἑλληνικὴν καὶ ἀρχαίαν τὸ ἔθνος, καὶ τῶν ποικιλιῶν καὶ ἕως συνάπτουσαι γάμοι ταῖς γυναῖξιν ἑσπέραις αὐτοῦ: *Græcum & antiquum morem, & modum jungendi connubio mulieres splendidissimum.* Add. *Judic.* 21. v. 22. Et si rarissime accidat, ut non inveniantur, quæ viris, non plane erubescendis & abominandis, ultro jungi velint. Tales igitur amicitiam nostram hoc modo simul quæsituros repudiare, asperum nimis fuerit. Quanquam enim ob negatam in uxorem fœminam causa bello per se non præbeatur; idem tamen fit, ubi repulsæ addita fuerit contumelia. Sicut, Rhegini virginem nuptum petenti *Dionysio* responderunt: *se nullam præter licetoris filiam ipsi concessuros.* Vid. *Diodorus Siculus* l. XIV. c. 108. Et *Strabo* l. 6. Simile exemplum extat apud *M. Paulum Venetum* l. 1. c. 52. Nostras autem fœminas pro imperio adigere velle, ut talibus nubant, qui in se nihil habeant, quod amorem conciliare possit, inhumanum videtur; multoque magis, si par quoque conditio accesserit. Conf. *Bæcler. ad d. l. Grotii* §. 21. Quæ à *Canulejo* jactantur apud *Livium* l. 4. c. 3. *Connubium petimus, quod finitimis externisque dari solet: & ut hominum numero simus:* ad præsentem quæstionem non pertinet. Nam haut quidquam inopia mulierum plebejos tunc premebat, sed iidem, ut patriciis exæquarentur, quærebant. De cætero in ubere fœminarum proventu per vim, bellumque ad nuptias grassari supervacuum est. Invenies alium, si te hic fastidit, *Alexin*. Leges civiles, quæ connubia cum exteris, aut inter diversi ordinis homines prohibent, præsupponunt, cuique copiam esse dignam se conditionem invenienti; & rationibus hæc fere nituntur, ut vel certarum splendor familiarum conservetur, vel nostrates fœminæ facilius maritos inveniant, vel nē opes, aut affectus nostrorum in alias civitates per connubia transferantur.

§. 14. Denique *Grotius* d. l. §. 22. addit, jus omnibus commune, adeoque & obligationem ad aliquid omnibus præstandum, oriri ex suppositione; si nimirum quid promiscue omnibus externis indulgeatur.

Tunc

*habet cautiones. Videndum est enim primum, ne obsit benignitas, & iis ipsis, quibus benigne videtur fieri, & ceteris: deinde, ne major benignitas sit, quam facultas: tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Et quidem ante omnia bene de nobis meritis: tum ut quisque nostræ opis maxime indiget. Sed & gradus conjunctionis inter homines observandi. Ubi latissime patet communis omnium hominum societas: qua propior est ejusdem gentis, nationis, lingua, interioris esse, ejusdem esse civitatis. Arctior colligatio societatis propinquorum. Ubi prima societas in ipso est conjugio: proxima in liberis, sequuntur fratrum conjunctiones: post consobrinorum, sobrinorumque: tum connubia, & affinitates. Præstantissima autem, & firmissima societas, cum boni viri, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti. (Idem de Finib. l. 5. In omni honesto nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quasi quædam societas & communicatio utilitatum, & ipsa charitas generis humani; qua nata à primo satù, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitias, post vicinitatibus, tum civibus, & iis, qui publice socii, atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humana.) Videndum etiam est, quid cuique maxime necesse sit, & quid quisque nobiscum vel sine nobis aut possit consequi, aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui & temporum: suntque officia, quæ aliis magis quam aliis debeantur: ut vicinam citius adjuveris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem; at in judicio propinquum potius, & amicum, quam vicinum defenderis. Seneca libros de beneficiis excerptere heic longum foret. Notabile est, quod de Pythagoreis tradit Plutarchus *sympos. l. 8. c. 7.* eos sociis præcepisse, *μὴ δὲ ὄντι ἀπορκεῖν βάρῃ, λυπεῖσθαι δὲ καὶ λυπεῖσθαι ὀφείλειν.* ne quem onere levem, sed in tollendo & subeundo juvent. Ratio additur; *ὡς μὴ δὲ μὴ ἂν μὴ δὲ βάρῃ τῆς ἀποδοχομένης.* scilicet omne otium, omnem segnitiam eo prohibentes. Quamquam potior ratio sit, quæ extat 2. Corinth. VIII. 13. *ὅτι ἴνα ἅμοις ἀνεσι, ἵπτιν ἢ ἰλίθι, ἀλλ' ἰξ ἰκότη.* Non ut aliis remissio, vobis autem afflictio sit, sed ex æqualitate, &c. Add. Ambrosius *Offic. l. 1. c. 30.* & ex eo Gratianus *dist. 86. c. 14. seqq. & caus. 1. quæst. 2. c. 6. 7.* Socrates apud Xenophontem *apomnem. l. 1.* erga amicos aut hospites, ceteramque vitæ optimam esse hanc admonitionem, *ἵνα καὶ δὲ ἄλλοι ἵπτιν ἰπτεῖν, secundum quod potes agas.**

§. 16. Beneficentiæ ex adversum respondet gratus animus, quo
is, qui

is, qui beneficium accepit, ostendit, id sibi acceptum fuisse, dantique ob eam causam favet, & occasionem quærit paria reponendi, quantum ejus fieri possit. Nam id haut quidquam necessarium est, ut præcise tantum reddamus, quanti fuit, quod datum est; sed sæpe studium & conatus obligationem explent. *Ovid. de Ponto* l. 3. *El. 8. Sed qui, quam potuit dat maxima, gradus abunde est, Et finem pietas contigit illa suum.* Modo tamen nihil sit, quod ei, qui beneficium scilicet dedisse prætendit, recte opponi possit. v. *Phædrus* l. 1. *fab. 23.* Quanquam sapientes monent, non nimis subtiliter investigandum esse, quibus rationibus quis motus nobis beneficii quid exhibuerit; quod ista subtilitas nunquam non ingratis prætextum possit præbere. Cæterum quo magis ad devinciendos animos hominum apta sunt beneficia; eo acrius ad gratiam referendam nos incumbere subigit jus naturæ. Saltem ne eum, qui fiducia nostri nobis prior benefecit, ob eam tem deteriore esse conditione patiamur; ne è beneficium accipiamus, nisi animo nitendi, ne dantem merito dati pœniteat. Nam si ob certam causam alicui peculiariter nolimus obligari, licebat oblatum beneficium repudiare. Id quod tamen citra suspicionem contentus faciendum; cum alias in recusatione beneficii, ultro oblatis contumelia inest. Et sane absque necessitate gratiæ referendæ si foret, contra rationem fecerit, si quis sua temere jactaverit, & quod perituum prospicit beneficium prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia: neque esset inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium. *Conf. Hobbes. de Civ. c. 3. §. 8. Aristot. Nic. l. IX. c. 2.* τὸς μὲν ἐπιχειρίας ἀνταποδοτῶν ὡς ἔπιτοπολὺ μᾶλλον, ἢ χαεῖς ἑὸν ἱταίροις. καὶ ὡς περ δάνειον, ἢ ὀφείλη δαποδοτῶν μᾶλλον, ἢ ἱταίρων δατόν. καθόλου μὲν τὸ ὀφείλημα δαποδοτῶν. ἐὰν ὅ ὑπερτείνῃ ἢ ὀύσῃ τῷ καλῷ, ἢ τῷ ἀναγκαίῳ, πρὸς ταύτ' ἀποκλιπῶν. Beneficia retribuenda ut plurimum magis sunt, quam sodali inserviendum: & sicut mutuum, cui debet quispiam, restituendum magis, quam sodali dandum. In universum debitum est reddendum: sed si datio honestate aut necessitate superexcedat, ad hæc est declinandum. Add. quæ Socrates circa amorem fraternum disputat ap. *Xenophont. Memorabil. l. 2. Cicero Off. 1.* Nullum officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quæ acceperis utenda majore mensura, si modo possis, jubet reddere *Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debe-*

cere debemus? An non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos esse debemus, qui jam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, nec ne, in nostra potestate est: non reddere bono viro non licet, si modo id facere possit sine injuria. Ubi observandum à Ciccone ad liberalitatem referri gratiæ relationem, quod neque hæc ita certis legibus sit adstricta, uti justitia, quæ præcise jubet restituere, quæ ex contractu debentur. Add. Ambrosius Off. l. i. c. 31. Gellius l. i. c. 4. Quanquam autem nec beneficium dare prorsus extra obligationem sit; longe tamen laxiorem habet licentiam beneficentia, quam gratus animus; qui omnino laborare debet, ut benefactori se suo adprobet. Etsi sæpe contingat, ut benefici magis ament eos, quibus benefecerunt, quam hi illos. Cujus rei causas investigat Aristoteles Nicom. IX. 7. Add. quoque Hobbes. Leviath. c. XI. ubi rationem reddit, quare magna beneficia à majoribus accepta pariant amorem; à paribus aut minoribus non item, nisi spes sit retribuendi. Cui innititur illud Taciti: beneficia eousque læta sunt, quoad videatur exsolvi posse: ubi multum supra sunt, odium pro gratia redditur.

§. 17. Porro licet in animo ingrato per se nulla sit injuria, quippe cum non violetur jus aliquod proprie dictum: foediustamen, & magis odiosum ac detestabile habetur nomen ingrati, quam injusti: quod censetur animi valde abjecti & degeneris, seipsum indignum declarare eo judicio, quod alter de ipsius probitate tulit, ac ne beneficiis quidem moveri posse ad concipiendum humanitatis sensum. Gregor. Nazianzenus: Ὅν γὰρ τὸ χρεῖσθαι ἐποίησεν ἡμῶν, τί δ' αὖθις ἀλλο τῶν πάντων πατέ; *Quem enim benignitas ex fero humanum reddere non potuit, quid aliud hunc ex omnibus rebus unquam emendaverit? Lucianus in antholog. φαῦλ' ἀρῆς πιδ' ἐστὶ τιτρηυτί' εἰς ἄνθρωπον Ἰσθλῶν τὰς χεῖρας, εἰς κινὸν ἐξίχτας. Vir nequam vas est pertusum; gratia in illum Mox effusa perit, susa simul fuerit. Add. Xenophon Cyropæd. l. 8. de Pheraulæ sententia circa naturam hominis. Eleganter quoque Cartesius de passion. artic. 194. Ingratitudo vitium est hominum brutorum & stolidæ superborum, qui putant omnia sibi deberi; aut stupidorum, qui nullam faciunt reflexionem animi ad beneficia, quæ accipiunt, aut imbecilliorum & abjectorum, qui ubi sentiunt infirmitatem & egestatem suam, demisse querunt auxilium aliorum, quod ubi sum consecuti, eos odio prosequuntur, quia destitu-*

desituti voluntate paria referendi, aut se id posse desperantes, & sibi fingentes omnes omnino secum venales & mercenarios esse, nihilque boni fieri nisi cum remunerationis spe, eos se decepisse arbitrantur. Sophocles Ajace flagel. Decet virum memorem esse, si quid illi suave accidit: Gratia semper parit gratiam. Si cui verò excidit accepti beneficii memoria, is ne utiquam vir generosus est. Enimvero an in foro civili actio ingrati sit danda, eruditi disputant. Negat id Seneca de benefic. l. 3. c. 6. seqq. hisce potissimum rationibus: quod pars optima beneficii percat, si actio, sicut certæ pecuniæ, aut ex conducto, & locato detur; jam enim creditum esse incipere. Et cum res honestissima sit referre gratiam, desinere esse honestam, si sit necessaria. Denique uni huic legi vix omnia fora suffectura. Themistiussorat. 3. ὁ Περσικὸς νόμος (cujus meminit Xenophon Cyropæd. l. 1.) δίκας εἰς πρᾶξις ἀχαιρίας, ὅτι μάλιστα ἔμποιοι μῖσος, ὅπη ἀν ἦ. Ἐὶ μὴδεὶς κολάζει νόμος, ἐν ταῦθ' ἀπὸ αὐτῆς μισοῦσι ἑαυτοὺς ἀλλήλους, ἔ δικάζονται ἦ, ἀλλὰ κρύπτουσι τὸ ἔχθρος. Persicis legibus ingrati animi constituta pœna est, quod ubicunq; sit, maxime odium atq; inimicitiam ingeneret. Vbi veronulla lex est, qua id puniat, ibi ex eodem vitio mutuo sese odio prosequuntur, nec litigant tamen, sed occultas simultates exercent. Add. M. Antonius l. IX. §. 42. circa finem; & Valerius Maximus l. 2. c. 6. §. 6. 7. & l. 5. c. 3. §. 5. inter externa. Quibus non pauca ab aliis reponuntur. Vid. Bœcleri dissertatio, quæ inscribitur Actio ingrati. Nobis hoc loco id tantum monendum videtur, non statim dari actionem, aut instar actionis in foro velut juris naturæ, quia actus aliquis legi naturali repugnat. Equidem ingratos pœnæ post mortem manent, per sententiam divini tribunalis infligendæ. Merito quoque iidem exosi & detestabiles reliquis hominibus sunt, & indigni quibus deinceps benigne quid fiat. Sed quare ob simplicem ingratitude, (quando quis acceptorum beneficiorum obliviscitur, aut occasione data referre gratiam negligit,) neque bello quis peti, neque in foro civili actione pulsari queat, ratio in aprico est. Nam ea ipsa de causa beneficium alteri dedi, i. e. ejus, quod dedi, refusionem mihi stipulatus non sum, ut & alteri foret occasio ostendendi, se honesti amore, non ex metu coactionis gratiã retulisse: utq; ipse non spe lucri, sed studio humanitatis exercendæ videar erogasse, de quo recipiendo mihi caveri noluerim. Fortius philosophatur Marcus Antoninus l. 9. §. 42. Quando tanquã ingratum incusas aliquem, in temet censuram converte. Peccatum enim procul dubio est tuum, quod non absolute dedisti, nec tanquam qui totum actionis tuæ fru-

Tum

Etum jam statim percepisses. Quid enim amplius velle debebas, ubi homini benefeceris? annon hoc ipsum tibi sufficit? quod est natura tua congruum, ubi quid feceris, tum facti istius mercedem quaris? Ast ubi quis exercet ingratitudinem mixtam, seu quando non solum gratiam non refert, sed & pro illa injurias & malefacta reponit; ibi causa belli, & actio proprie ex injuria data oritur; adjunctus autem ingratus animus foedissimam ejusdem labem arguens, efficit, ut & eo citius injuriæ executio suscipiatur, & eo acriori poena castigetur is, cujus pravitas ne beneficio quidem deliniri potuit. Cæterum quatenus per subsequentem injuriam necessitas referendi beneficii tollatur, docet Seneca de beneficiis l. VI. c. 4. §. & epistola 81.

CAPUT IV.

DE SERVANDA FIDE, UBI ETIAM DE DIVISIONIBUS OBLIGATIONUM.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Non possunt non in societate humana pacta existere.</i> | 5. <i>Obligatio naturalis & civilis.</i> |
| 2. <i>Pacta servanda sunt.</i> | 6. <i>Quæ utriusq. efficacia?</i> |
| 3. <i>Obligationes sunt vel congenita vel adventitia.</i> | 7. <i>Obligatio perpetua & temporaria.</i> |
| 4. <i>Obligatiōi congenita repugnat atheismus.</i> | 8. <i>Obligatio non mutua.</i> |
| | 9. <i>Obligatio perfecte aut imperfecte mutua.</i> |

Quæ hæcenus exposita sunt officia, ex communi illa cognatione, quam natura inter omnes homines constituit, invicem debentur, licet nullus inter ipsos actus antecesserit. Enimvero solo isthoc ambitu circumscribere officia, quæ inter homines mutuo sunt exercenda, parum est. Nam neque quibusvis ea est ingenii bonitas, ut omnia, quibus aliis prodesse queunt, ex sola humanitate & caritate velint præstare, citra exploratam spem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficisci possunt, ejusmodi sunt, ut gratis eadem nobis exhiberi salva fronte postulare nequeamus. Sæpe quoque nostram personam aut fortunam non decet, alteri tale beneficium debere. Adeoq; ut plurimum alter dare non potest, sæpe nos accipere nolumus, nisi alter paria à nobis recipiat. Non raro deniq; alios latet, quæ ratione commodis nostris inservire queant. Denique cum finita utique potentia hominis ad omnes simul

simul pari modo sese extenderē nequeat; rationi sane convenit, ut quæ actiones per priores obligationes nondum sunt occupatæ; addicantur iis, qui per pacta prius jus ad eas sibi quæsierunt. Igitur ut mutua inter homines officia, qui fructus est socialitatis, eo crebrius, & ad certas velut regulas exerceantur, necessum fuit, homines ipsos inter se convenire super ejusmodi rebus invicem præstandis; quæ ex sola humanitatis lege semper certo sibi polliceri quis non poterat. Adeoque in antecessum determinandum fuit, quid alteri quis præstare, quidque ab eodem iterum expectare, suoque jure exigere deberet. Ex quibus intelligitur, quomodo officia humanitatis seu caritatis differant ab illis, quæ ex jure proprie dicto exiguntur, quæque adeo justitia stricte dicta dirigit. Ista quippe non ex pactis expressis aut implicitis debentur, sed ex sola obligatione per ipsam naturam quibusvis hominibus injuncta. Sed quæ alteri ex pactis & conventionibus debentur, illa ideo debentur, quia novum sibi jus iste adversus me ex proprio meo consensu quæsit. Accedit, quod in conventionibus cum altero quicquid egi, non tam propter alterum, quam propter meum commodum feci; cum in officiis humanitatis contrarium accidat. Nam licet horum exercitium in genere sit necessarium, ut homines commode inter se degere possint, adeoque in ejus quoque commodum redundet, qui ista exercuerit, dum paria ab aliis sibi potest polliceri; heic & nunc tamen quis humanitatem exercet non propter seipsum, sed in gratiam illius, qui beneficium accipit. Nam quoties privatum commodum ex beneficio quæritur, illico id nomen & indolem suam amittit. Sic igitur lex humanitatis sive caritatis, & pacta hominum inter se officia, & præstationes mutuo velut supplent, dum quæ ex caritate non solent, aut possunt proficisci, per pacta procurantur; ubi hæc locum non habuerunt, caritas subit. Etsi autem, quæ & qualia pacta à singulis hominibus in cantur, in cujusvis est arbitrio; ut tamen aliqua inter homines existant, in genere & indefinite jus naturæ hæcenus præcepit, quatenus sine illis socialitas, & pax inter homines servari nequit. *Isocrates adversus Callimachum*: In foederibus & pactis tanta vis est, ut pleraque res tum Græcorum, tum barbarorum ex pactis & conventis transigantur. His enim freti convenimus, & commercia agimus. Per hæc inter nos contrahimus: per hæc cum privatam inimicitiam communia bella deponimus. Hoc uno, tanquam communi bono, homines omnes uti non desistimus.

§. 2. Si quæ autem inter homines ineuntur pacta, illa sancte observanda esse, sociabilis natura hominis requirit. Citra hoc enim si esset, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi ex communicatis invicem officii nascitur. *Aristoteles Rhetor. l. I. cap. 15. ἀκέρων γιγνομένων συνθηκῶν, ἀναίρεται ἢ πρὸν ἀλλήλους χάρις τῶν ἀνθρώπων. Sublatis pactis tollitur inter se usus hominum.* Cicero *Off. II. Iustitia tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitie vivere.* Id quod exemplo latronum & piratarum declarat. Ni quoque promissa fervandi necessitas foret, haut quidquam liceret rationes suas firmiter aliorum hominum subsidiis superstruere. Quin & ex decepta fide justissimæ querelarum, bellique causæ pullulare sunt idoneæ. Nam ubi ego ex pacto aliquid præstiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera frustra perit. Sin vero nihil adhuc præstiti, rationes tamen, & destinata mea turbari molestum est; cum alio modo rebus meis potuissim consulere, nisi iste mihi sese obtulisset. Et indignum est ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi. Igitur religiosissimum juris naturalis præceptum, & quod universæ humanæ vitæ decus, modum, atque rationem temperat, habetur: *Ut quilibet fidem datam servet, seu promissa atque pacta expleat.* Addantur, quæ *Dionysius Halicarn. l. 2. de Fide à Numa inter Numina consecratâ tradit. Euripides Heraclidis. καὶ ἀφιδέος εἶναι τοῖσι γυναικῶσι νόμος. Oportet generosis verax os esse.*

§. 3. Cæterum cum per pacta, expressa præsertim, obligatio nobis accedat, quæ alias per ipsam naturam, saltem ita definite, non aderat; conveniens videtur, hoc loco præcipuas obligationum distinctiones evolvere. Est igitur obligatio alia *connata*, alia *adventitia*. (*Arriano in Epicteto l. 3. c. 2. dicuntur ἁπλοῦς φυσικῆ καὶ ἐπιθητικῆ, affectiones naturales & accersita.*) Illa est, quæ omnibus hominibus eo ipso, quod prædita ratione animalia sunt, inhæret; seu quæ ipsam naturam rationalem, ut talem, comitatur. Et si cum omnes homines, ex aliorum conjunctione generati, infantes nascantur, ad rite exercendam rationem adhuc inhabiles, ea obligatio tantisper intra actum primum delitescat; plene sese exserens, & ad contrahendum reatum homines reddens idoneos, quam primum per ætatem ejus vim intelligere cœperint. Ex eo tempore effectus illa suos producit, si vel maxime per socordiam homo eandem rite expendere neglexerit. Unde etiam ignorantia juris naturalis neminem adultæ ætatis excusat,

cusat, aut si dicat, sibi nunquam in mentem venisse cogitare, an de ea re jure naturali sit dispositum. *Adventitia obligationes sunt, quæ hominibus ex antegresso facto humano arcessuntur, non citra ipsorum consensum expressum aut præsumtum.*

§. 4. *Inter congenitas obligationes præcipua est, quæ incumbit omnibus hominibus adversus Deum, universi hujus summum arbitrum; cujus vi tenemur ipsum venerari, ejusque imperio & legibus obtemperare. Quam obligationem si quis in universum abruperit, atheismi flagitio sese alligat. Quod fit, si quis vel ipsum Deum existere neget, vel ab eo res humanas curari abnuat. Nam quoad effectum moralem hæc duo æquipollent, & per utrumque omnis religio tollitur, & inter ludibria fræmandæ rudi plebeculæ rejicitur. Ambrosius Off. 1. 1. c. 26. Nihil est, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus, eum judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Add. Lactantius de ira Dei. c. 8. Inde merito rejiciendus est Hobbesius de Cive c. 14. §. 19. c. 15. §. 2. qui atheismum inter peccata imprudentiæ seu ignorantia refert, veluti is peccatum proprie non foret, sed error duntaxat, & stultitia, quæ jure puniri nequeat. Argumento utitur, quod atheus nunquam voluntatem suam Dei voluntati subjecerit, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit. Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum. Adeoque cum atheus nunquam sub regno Dei fuerit, legibus quoque ejus regni ipsum non obligari. Enimvero falsissimum est, omnne imperium constitui consensu eorum, quibus imperatur. Id enim verum duntaxat est de imperio humano; ubi non extinguitur facultas nostra resistendi alteri, naturaliter nobis æquali, nisi nostro consensu, & pacto. At quis dixerit, Deo non esse jus imperandi suæ creaturæ, nisi illa ultro in ipsius imperium consenserit? Præsertim cum Ipse c. 15. §. 5. jus Dei regnandi, & puniendi in regno naturali à potentia irresistibili deducat. Atheos autem potentiæ Dei resistere posse nemo crediderit. Unde & athei haut quidquam proprie loquendo hostes Dei sunt, (prout Hobbes hostes definit, qui neque communi imperanti, neque alter alteri subjiciuntur,) sed rebelles subditi, quiq; adeo crimine læsæ majestatis divinæ se obstrinxerunt; quod & Ipse diserte tradit c. XV. §. 19. Sicut juxta Eundem crimen læsæ majestatis humanæ est, si quis in universum dicto, factoyè declaret, sibi non esse amplius voluntatem, ei homini vel concilio,*

cui commissum est summum civitatis imperium, obediendi; seu ubi quis simul & semel vinculum obsequii civilis abruperit. Ut non adeo obscurum sit, ad quodnam peccati genus referendus sit atheismus. Sed & falsum est, atheos non aliter puniri posse, quam jure belli: quemadmodum contra Gigantes *Γιγάντες* divos sese in prælium accinxisse fabulantur Poëtæ. Verum quæ in bello infliguntur hostibus mala, poenas proprie dictas non esse, alibi ostendemus. Neque statim jure belli utitur, qui subditos refractarios armis in ordinem redigit. Nam & hoc ipsum sub jure imperii continetur, ad jussa capeffenda per violentiam posse adigere eos, qui ultro obsequi detrectant. Multo minus in justum hostem evadit, quique adeo jure resistere possit, qui legitimum imperii vinculum abrupit. Nec excusat *Hobbesium*, quod in *Psalmo XIV.* athei, qui *in corde suo dicunt, non est Deus, insipientes* vocantur. Quasi vero phrasi Sacræ Scripturæ illi solummodo stulti dicantur, qui in errore versantur; ac non illi quoque, qui ex malitia peccant. At quasi non maxima sit illa stultitia, per malitiam sibi gravissimam poenam pro exigua aut nulla voluptate arcessere. Deinde non ita difficile est, naturali ratione Deum investigare, quemadmodum est invenire proportionem sphaeræ ad cylindrum; quo exemplo utitur *Hobbesius*. Equidem fortasse artificiosam & philosophicam de Dei existentia demonstrationem eruere aut capere non cujusvis idiotæ fuerit. Non tamen ideo cuiquam impunè de Deo dubitare, aut eundem abnegare licet. Cum enim univrsum genus humanum in perpetua velut possessione istius persuasionis fuerit; necessum erat, si quis eandem oppugnare velit, ut non solum omnia argumenta, quibus Deus esse probatur, solide destruat, sed & plausibiliores rationes pro assertionem suam proferat. Simulque cum generis humani salutem ea persuasionem contineri hæcenus creditum sit, ostendendum ipsi præterea est; generi humano per atheismum melius consuli, quam retento cultu Numinis. Quod cum impossibile plane sit, non in Deum duntaxat, sed & in univrsum humanum genus athei delinquere sunt censendi. Eoque minus venia prosequendi sunt, quod illi demum consensum omnium populorum ac seculorum oppugnatum eant, qui eximiam quandam ingenii perspicaciam præ cæteris sibi arrogat. Unde si in atheismo prolapsi fuerint, in errore quidem, eoque exitiabili versantur; sed quem non per imprudentiam aut simplicitatem, verum ex petulanti sapientia persuasionem

suasione contraxerunt. Conf. *Iean d' Espaigne de erroribus popularibus* sect. 1. c. 6. & *Baco sermon. fidel. c. 16.* & *de Augment. scientiarum* l. 3. c. 2. Addatur etiam *Plato de LL. l. IX. sub finem*; ubi atheorum genera distinguit, & quibus poenis coercendi sint, tradit. Haut difficile quoque occurrere argumentis illis, quibus sententiam *Hobbessi* fulcire conatur *Autor discursus Theologico-Politici. c. 16.* qui cum hanc thesin præmisisset: *unumquemque, qui rationis usum non habet, in statu naturali ex legibus appetitus summo jure natura vivere*; objectioni, hanc assertionē juri divino revelato repugnare, ita respondet: *Statum naturalem & natura & tempore priorem esse religioni*; id quod saltem de religione naturali est falsissimum non minus, quam quod subjungit; *neminem ex natura scire, se ulla erga Deum teneri obedientia, imò nec ulla ratione hoc assequi, sed tantum ex revelatione signis confirmata.* Quod de religione naturali nullo modo admitti potest. Inde & fallit Ipsius illatio: *ante revelationem neminem jure divino, quod non potest non ignorare, teneri*, si capiatur de jure divino naturali, non positivo: & *statum naturalem absque religione, & lege, & consequenter absque peccato & injuria concipiendum.* Pergit deinde, in naturali statu à religione hominem esse immunem non solum ratione ignorantia, sed etiam ratione libertatis, qua omnes nascuntur. *Si enim homines ex natura jure divino tenerentur, vel si jus divinum ex natura jus esset, superfluum erat, ut Deus cum hominibus contractum iniret, & pacto & juramento eosdem obligaret.* Atqui pacta illa inter Deum & homines interveniunt in religione revelata, non naturali, ad quam homo eo ipso, quod animal rationale à Deo creatus est, tenetur. Inanis est igitur conclusio: *jus divinum ab eo tempore incepisse, à quo homines expresso pacto Deo promiserunt in omnibus obedire, quo sua libertate naturali quasi cesserunt, jusque suum in Deum transtulerunt, sicuti in statu civili fit.* Nimirum ad hanc thesin sustinendam necessum est fingere, homines in statu naturali existentiam suam non habere à Deo. Cæterum ex hac obligatione, qua omnes homines tenentur ad obsequium Deo præstandum, etiam promanat obligatio omnium hominum adversus quoslibet homines, quæ tales, per quam agere vitam socialem invicem tenentur. Quæ quomodo cognoscatur, alibi fuit ostensum.

§. 5. Celebris est quoque divisio obligationis in *naturalem & civilem*, sed quæ à variis varie accipitur. Juxta *Gortium* l. 2. c. 14. §. 6. obligatio naturalis quandoque dicitur de eo, quod fieri quidem per natura in hone-

stum est, quanquam non vere sit debitum. Cujus rei exemplum adfert: legata integra sine detractioe Falcidix præstare, vicem beneficio rependere, solvere debitum, quo quis in pœnam creditoris erat liberatus, seu cujus exactio opponere quis poterat Sctum Macedonianum. Vid. *Suetonius Vespas.* c. II. (cui Scto similis erat lex apud Lucanos: *ιδν τις ἀσώτῃ δανείσας χεῖρ' ἰλιγ' χθρ', εἰς ἔταυ αὐτῆ.* Si quis luxurioso mutuum dedisse convictus fuerit, mutuo isto multatur, teste Nicolao Damasceno de moribus gentium.) Quæ ubi ultro soluta sunt, cessat condictio indebiti. Interdum naturalis obligatio ea dicitur, quæ vere nos obligat, sive ex ea apud alterum oriatur jus perfectum, sive imperfectum duntaxat. Sic & civilis obligatio aliquando notat talem, quæ non in mero jure naturali fundatur, sed ex jure civili oritur: in cujus exemplum vulgo adducunt obligationem, quæ sit per litteras: aliquando notat talem, quæ in naturali æque ac civili jure fundatur, & ex qua etiam actio in foro civili oritur. Alii planius triplicem faciunt obligationem, mere naturalem, mere civilem, & mixtam. *Ista* naturali æquitate nititur, sed ut nulla actio jure civili eonamine sit. *Illa* oritur ex meris juris civilis apicibus, qua quis ita tenetur, ut summo jure in eum sit actio, sed quæ jure prætorio infirmetur, opposita perpetua exceptione. *Hæc* denique est, quam & naturalis sustinet æquitas, & simul juris civilis firmat autoritas. De quibus passim interpretes juris Romani.

§. 6. Nobis isthanc divisionem expendere placet, non tam prout originem obligationum, sed prout earum efficaciam innuit, quam in vita communi obtinent. Sic ut naturalis obligatio nobis illa sit, quæ duntaxat ex vi legis naturalis stringit; civilis vero, cui leges, imperiumque civile succenturiantur. Utriusque efficacia spectatur vel in eo, in quo hæret tanquam in subjecto, vel in altero, ad quem spectat. Priori considerandi modo obligationis naturalis efficacia in hoc præcipue consistit, ut conscientiam hominis stringat, seu ut homo intelligat, se, ubi eidem non satisfecerit, voluntati Numinis repugnare; cui uti humanum genus suam debet originem, ita ad observandam ejusdem legem teneri sese deprehendit. Et quanquam sanctiones pœnales in lege naturali non ita expresse definiri cernantur; nulla tamen ratione probabile est, eandem omnipiane sanctione destitui, quodque ab ipso legis autore non sit majus malum expectandum illi, qui obligationem violaverit, quam qui eandem imple-

impleverit. Id quod inter alia arguunt morsus illi conscientiæ, quibus carpuntur facinorosi, etiam quibus spes est homines fallendi, pœnamque humanam effugiendi; quem metum non ab altiore principio, & ex sensu quodam imperii divini oriri, sed ex mera tantum simplicitate, adsuétude, metuvè pœnæ humanæ provenire, nemini pio persuadetur. Cicero pro S. Roscio. *Sua quemque fraus, & suus terror maxime vexat, suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit; sua mala cogitationes conscientiaq; animi terrent. Ha sunt impiis assidua, domesticaq; furia.* Add. Seldenus de J. N. & G. l. 1. c. 4. p. m. 47. seqq. Neque crediderim unquam contra istos terrores aliquem solidam sibi medicinam ab atheismi impietate fecisse, quin ad tempus exulans Numinis reverentia acrioribus demum motibus impiam mentem concusserit. Et sane parci illi & infrequentes deorum cultores, qui aliquandiu insipientis consulti sapientiæ errant, ut plurimum retrorsum demum vela dare, non sine gravi consternatione coguntur. Ceterum etsi primario obligationis naturalis sit conscientiam hominis stringere; eadem tamen efficacia obligationi quoque civili communicatur, siquidem hæc versetur circa objectum priori non repugnans. Adeoq; & leges civiles, quæ naturali juri non repugnant, conscientiam afficiunt. Deinde in hoc utraq; obligatio convenit, quod homo ultro, & ex intrinseco velut motu debeat implere ea, ad quæ per illam tenetur. In quo præcipue obligatio à coactione differt, quod in hac animus per solam externam violentiam contra intrinsecam inclinationem ad quid adigatur. Quæ autem ex obligatione facimus, illa ex intrinseco animi motu, & velut proprio judicio ad probata fieri debere intelliguntur. Sed quando hæ obligationes spectantur, prout effectum aliquem produciunt apud eum, cui ex illis quid debetur; heic itidem utraque id commune habet, quod recte accipiatur, & possideatur, quicquid tanquam ex illa debitum præstatur. Verum quando alter obligationis impletionem ultro offerre negligit, aut detrectat, discrimen occurrit circa modum exigendi inter naturalem, & civilem obligationem, & quidem prout aliquis vivit vel in naturali libertate, vel in statu civili. Apud eos qui in naturali libertate vivunt; ex præceptis juris naturalis dispar oritur obligatio. Quæ enim citra antegressum pactum lex naturalis alteri ultro exhibere jubet, uti sunt officia caritatis & humanitatis, illa placidis duntaxat modis exigi possunt, puta, persuadendo, monendo, rogando, obtestando. Vim autem adversus pertinaciter detrectantem adhibere non licebit,

nisi

nisi forte summa necessitas urserit. *Causa hujus rei hæc videtur, quod sic satis tranquilla societas inter homines citra ista quoque officia consistere possit; adeoque natura eadem intelligatur seposuisse velut materiam peculiari benevolentia alios sibi homines devinciendi. Quippe cum tantam vim conciliandi aliorum animos non habeant, quæ vi poterant extorqueri, quam quæ citra metum licebat denegare. Verum quæ pacto interveniente debentur, nâ ultro exhibeantur, per vim extorquere fas est. Sicut & vi defendi possunt bona quæcunque, à nobis possessa, ubi ab altero per injuriam impetuntur. Enimvero civiles obligationes, seu quibus à lege civili autoritas accessit, actionem in foro civili pariunt, cujus vigore detrectantem ad magistratus trahere possum, qui istum pro imperio ad obligationem explendam adigant. Naturales autem obligationes, quibus civilis legis sanctio deest, in civitatibus solo debitoris pudore, ac reverentia Numinis constant, neque circa easdem exigendas civibus vim adhibere licet. Cæterum quibus obligationibus vim suam accommodare lex civilis debeat, legislatores ex facultate internam civitatis tranquillitatem obtinendi metiuntur. Cujus uti pars est, non ob quævis negotiola prætorem posse obtundere; ita eidem haut quidquam consuluerint, qui Seres imitari velint, de quibus *Strabon. XV. Jus apud eos non reddi, nisi de cade & contumelia. Hanc enim ne quis patiatur, penes ipsum non esse; uti penes quemlibet sit cavere, ne in contractu decipiatur, diligenter considerato, cui fidem adhibeat. Paria Idem d. l. de Indis: nec mandati, nec depositi actionem habent, nec testes adhibent, aut sigilla, sed simpliciter credunt. Conf. Ælian. V. H. l. 4. c. 1. Add. Seneca de beneficiis l. 3. c. 15.**

§. 7. Potest quoque obligatio dividi in *perpetuam & temporariam*. Illa est, quæ tolli nequit, quamdiu existit persona, cui inhæret. Qualis est obligatio congenita adversus Deum, cujus etiam exercitium nullo tempore suspendi potest. Talis est etiam obligatio omnium hominum adversus quoslibet homines, quæ tales; quam itidem homo nequit exuere, quamdiu pars humani generis existit: etsi hæc interdum quoad exercitium, saltem ex parte suspendatur. Id quod fit, quando cum altero in statum belli devolvor. Est quippe isthæc obligatio reciproca, ita ut ubi ab una parte abruptatur, & pro officiis humanitatis hostilia reponantur, alteri quoque non amplius integrum sit amice cum isto agere, sed salutem & jura sua etiam cum ejusdem læsione possit asserere. Hactenus tamen

tamen illa obligatio manet perpetua, quod statim atque propriæ salutis ratio admittit, parati esse debeamus ad exercenda iterum cum altero officia humanitatis, pacemque colendam. Ex adventitiis obligationibus inter perpetuas quoque solet referri obligatio liberorum erga parentes, & ea, quæ conjugibus intercedit, de qua alio loco pluribus. Temporariæ autem obligationes sunt, quæ tolli possunt, vivis adhuc illis, quibus in hærent.

§. 8. Porro quia frequentissimum est, ut obligationes sibi ex adversum respondeant, igitur dividi eadem quoque poterunt in *mutuas* & *non mutuas*. Obligatio non mutua est, quando unus quidem alteri præstare quid tenetur, ita tamen, ut in altero illo, cui quid debetur, nulla sit obligatio isti respondens, & ad æquipollens præstandum adstringens. Talis est obligatio hominum erga Deum, per quam illi quidem huic absolutum debent obsequium; ipse vero nulla ratione iisdem pro hoc obsequio ad quid præstandum, tanquam ex vi obligationis extrinsecus accedentis, tenetur. Ex obligationibus autem, quæ homines utrinque respiciunt, si pauculos contractus *μονοπλάγους* excipias, nulla hujus generis esse videtur. Idque quod naturali hominum æqualitati repugnet, unum ita obligari alteri, ut hic isti nulla prorsus ratione vicissim teneatur. Sociabiles enim illi nequeunt intelligi, qui communi vinculo non connectuntur, & inter quos mutua non est communicatio, sed quorum unus ita est propter alium, ut ab hoc in illum vicissim nihil debeat proficisci. Neque vero homines, dum dispares status introduxerunt, tale jus eminens in aliquem potuerunt conferre, per quod is ab omni obligatione, officioque reliquis mortalibus præstando eximeretur.

§. 9. Obligationes mutuæ sunt, quæ sibi invicem respondent, ita ut in eo, cui quid ex obligatione debetur, alia sit obligatio, quæ istius intuitu vicissim alteri præstare quid jubeat. Hæ iterum dividuntur in *imperfecte mutuas*, & *perfecte mutuas*. Illæ sunt, quæ sibi invicem respondent inæqualiter, ita ut ad unam referatur alia, quæ est alterius generis, aut non æque efficax. Id quod duplici potissimum ex causa videtur contingere; vel quia inter personas, quæ sibi invicem obligantur, est inæqualitas, ut uni competat jus imperandi, alteri necessitas obsequii incumbat; vel quia aliqui, cætera æquales, sese ultro pari obligationis genere noluerunt adstringere. Disparis quippe efficaciam sunt obligationes, dum quædam in

co, quem spectant, producant jus perfectum, ex quo nascitur actio adversus nos in foro humano, bello aut pro tribunali persequenda, prout quis in libertate naturali, aut in civitate vivit. Reliquæ autem imperfectum duntaxat jus generant, ex quo alter vi ad præstandum adigi nequit. Cæterum ex priori causa imperfecte mutæ fiunt obligationes inter principes & subditos, inter civitates & cives, dominos & servos, patres & liberos; de quibus singulis suo loco. Sed ut ex posteriori causa obligatio fiat imperfecte mutua, contingit potissimum in promissionibus gratuitis, eandemque impletionibus. Dum enim alteri gratis quid præmitto, perfecte me obligo ad id præstandum, sic ut iste suo jure id me postulare queat. Verum quia ab eodem æquipollens mihi non sum stipulatus, inde ex lege duntaxat gratitudinis iste mihi tenetur; cujus multo laxior & liberior ad exsolvendum est necessitas, quam si quid ex pacto debeatur. Nam in ejusmodi velut illimitata obligatione rationes nostras fundare nequidquam solemus: adeoque si maxime alter ingratus fuerit, parum detrimenti accepisse nos judicamus. Falluntur enim, qui tradunt, gratiam ab ingrato reposcendi jus perfectum naturam dedisse, etiamsi complures gentes eodem nomine actionem in foro suo denegaverint. Neque enim sequitur; major est necessitas reddendi, quam collocandi beneficii; igitur heic imperfectum, ibi jus perfectum est: cum possint esse gradus in ejusdem generis obligationibus, in primis ubi inter se comparanda sunt officia eodem tempore concurrentia. *Conf. Bæcler. ad Grotii l. 1. c. 1. §. 4.*

CAPUT V.

DE NATURA PROMISSORUM ET PACTORUM IN GENERE.

- | | |
|--|---|
| <p>1. <i>Obligationes adventitiæ unde proveniant?</i></p> <p>2. <i>Quid sit translatio juris Hobbesio?</i></p> <p>3. <i>Jus in omnia Hobbesianum non datur.</i></p> <p>4. <i>In quo revera consistat translatio juris?</i></p> | <p>5. <i>Affertion nuda non obligat.</i></p> <p>6. <i>Promissio imperfecta obligat, sed alteri jus non dat.</i></p> <p>7. <i>Promissio perfecta.</i></p> <p>8. <i>Verba de futuro jus non transferunt.</i></p> <p>9. 10. 11. <i>An vis obligandi insit nullis pactis?</i></p> |
|--|---|

Dispiciendum jam ulterius est, qua ratione obligationes, quæ homini non sunt congenitæ, deinceps eidem suo aliquo actu proveniant.

Quo

Quo ipso & in aliis enascitur jus aliquod, quo antea ipsi deficiebantur. Ita enim isthæc duo se mutuo consequuntur, ut quando in uno oritur obligatio, in alio jus eidem respondens enascatur; cum intelligi non possit, me obligari ad quid præstandum, nisi existat, qui illud exigere, aut saltem à me rite acceptare queat. Etsi non semper vice versa, ubi jus est in uno, in altero statim est obligatio, v. g. in imperantibus est jus ad exigendam poenā, sed non est obligatio in reo. Nisi velimus dicere, si jus presse accipiatur pro facultate & competentia ad aliquid habendum, ei semper respondere obligationem in altero; sed non semper, si idem notet facultatem ad aliquid agendum. Provenire igitur obligationes adventitias constat ex actu vel *μονοπωλεύω*, vel *διπλεύω*, quorum ille promissio gratuita, hic pactum est.

§. 2. Cæterum cum apud omnes in confesso sit, per promissa & pacta jus in alios transferri; prius sententiam *Hobbesii de Civitate c. 2. §. 3. seqq.* super translatione juris examinabimus. Is igitur, cum exposito statu suo naturali deduxisset, naturaliter quemlibet habere jus in quælibet; ac præterea ostendisset, ex usurpatione istius juris resultaturum bellum omnium in omnes, statum minime idoneum conservandis hominibus: inde concludit, dum ex eo statu in pacem ratio jubeat homines concedere, quæ pax cum jure omnium in omnia stare non possit, itidem jubere eandem, ut homines parte quadam istius juris in omnia decedant. Decedere autem aliquem de suo jure tradit, si vel illi simpliciter *renunciet*, i. e. si idoneis signis declaret, velle se non licitum sibi amplius fore certum quid facere, quod jure antea fecisse poterat: vel si idem jus in alium *transferat*. Id quod fiat, si signis idoneis declaret illi alteri, id jus volenti ab eo accipere, velle se non licitum sibi amplius fore ipsi resistere certum quid agenti, prout ei resistere jure antea poterat. Inde concludit *juris translationem consistere in sola nonresistentia*: seu qui in statu naturali jus in alterum transfert, non dare alteri novum jus, quod prius non haberit; sed tantummodo abdicare se jure suo resistendi alteri, jus suum exercere volenti. Id quod ex sua hypothesis ita probat; quia ante translationem juris is, in quem jus transferri dicitur, jam tum habebat jus in omnia; unde novum jus ei dari non potuit. Sed iusta transferentis resistentia, propter quam alter jure suo frui non poterat, extinguitur. Igitur quicumque in statu naturali jus acquirit, id tantum agit, ut secure,

& sine iusta molestia jure suo primævo frui possit, e. g. si quis in statu naturali fundum suum alteri vel venum, vel dono dederit, sibi soli jus in eum fundum, non item aliis adimit; seu declarat, se non velle alteri resistere, aut eundem impedire, fundo isto frui volentem; quo ipso tamen cæteris omnibus nihil præjudicatur, qui primævum jus ad illum fundum retinent.

§. 3. Enimvero quemadmodum supra ostendimus, statum illum Hobbesianum haut quidquam esse naturalem homini, ad socialem vitam destinato; ita neque consequens istius agnoscimus, ejusmodi jus, quod homo habuerit, aut habere potuerit ad omnia, & quidem, quod effectum aliquem in ordine ad alios homines obtineat. Quod ut penitus intelligatur, sciendum est; non quamlibet facultatem naturalem aliquid agendi proprie jus esse, sed illam demum, quæ effectum aliquem moralem involvit apud alios, qui ejusdem mecum sunt naturæ. Sic, uti est in fabulis, facultatem naturalem habebat equus pascendi in prato, habebat eandem & cervus; neuter tamen jus habuit, quod illa utriusque facultas alterum non afficeret. Sic homo, quando res sensu destitutas, aut bruta in usum suum adhibet, meram duntaxat facultatem naturalem exercet; siquidem illa præcise consideretur in ordine ad res, & animantes, quibus utitur, citra respectum ad alios homines. Sed quæ tunc demum in juris proprie dicti naturam evalescit, quando in cæteris hominibus hic effectus moralis producitur, ne alii eum impedire debeant, aut ipso invito ad easdem res usurpandas concurrere. Ineptum quippe est, eam facultatem juris nomine insignire velle, quam exercere volentem alii omnes pari jure impedire queant. Igitur hoc quidem admittimus, naturaliter competere homini facultatem ad usus suos adhibendi res quasvis sensu carentes, ut & bruta. Verum ea facultas, ita præcise considerata, jus proprie vocari nequit, tum quia in istis nulla est obligatio ipsius sese usibus præbendi; tum quia propter æqualitatem naturalem hominum inter se non potest unus cæteros ab iisdem rebus recte excludere, nisi ex eorum consensu expresso aut præsumto id sibi peculiariter comparaverit. Quod ubi factum est, tunc demum recte jus se ad eam rem habere dicere potest. Concisius dixeris; jus ad omnia, quo vis factio humano antè, non esse intelligendum exclusive, sed tantum indefinite, id est, non quod unus omnia sibi exclusis cæteris possit, sed quod naturaliter non sit definitum, quænam

portio

portio rerum ad hunc, quæ ad alterum pertineat, antequam ipsi super divisione & assignatione inter se convenerint. Multo minus autem eadem hominum æqualitas admittit, ut naturaliter homo in quemlibet hominem jus sibi prætere possit. Quin potius nemini jus ad regendum alterum erit, nisi peculiariter id ex ipsius consensu, aut alio facto antegresso quæsierit; uti suo loco pluribus ostensum.

§. 4. In quo igitur proprie consistat translatio, & acquisitio juris, planius fiet, si præmittatur, quod quædam jura respiciant homines, quædam res; quodque hoc jus in res sit vel originarium, vel derivatum. In homines acquiritur jus, si alter expresse aut tacite consentiat, ut ipsi, quid agere, pati aut omittere debeat, possim præscribere: per quod simul se obligat, quod ultro ad implendam meam voluntatem velit conitti; simulque potestas mihi conceditur tergiverfantem metu mali adigendi. Jus originarium in res hoc modo alicui quæritur, dum cæteri omnes expresse aut tacite renunciant facultati ea re utendi, quam antea æqualem cum ipso habuerant. Verum originario jure semel constituto, per quod primæva ad res facultas adempta fuerat, in transferendo jure adimitur, quod ipse habebam, & alteri tribuitur, qui id antea non habebat. Inde adparet incongrue dici, translationem juris consistere in sola non repugnantia; cum hocce vocabulum negativum haut quidquam exprimat vim obligationis ex translatione juris ortæ, quæ proprie continet inclinationem intrinsicam ad conventa expedienda. Etsi ex consequenti, qui paret obligationi, non resistat. Exemplum autem ab *Hobbesio* subjunctum ad rem non quadrat. Præterquam enim, quod absurdum sit venditionem vocare, ubi ego solus ad aliquam rem cessero meæ prætensionis, quam alii omnes salvam retinent: etiam ex ipsius mente proprietates rerum cœpit ab imperio civili, & post sublatum statum naturalem. Ergo in statu naturali suum dicere fundum nemo poterat, adeoque nec vendere. Verum ita dicendum fuerat. Cum in mero statu naturali non magis ad hunc, quam illum res pertinerent, igitur si quis aliqua re solus vellet frui, necessum erat, ut alii usui ejusdem rei renunciarent. Id si facerent gratis, habebat id negotium instar donationis; sin cum aliquo onere, contractus innominatus erat. Verum licet unus renunciaret facultati suæ in istam rem, reliquis tamen nihil præjudicabatur, adeoque deinceps

solus iste, qui renunciaverat, non autem ceteri ab usu ejus rei poterant excludi.

§. 5. Videamus porro, qua ratione quis obligationem contrahat, & jus in alterum conferat ex promisso suo gratuito. Ejus natura & effectus ut recte percipiatur, initio notandum; nos diverso posse modo loqui de re quapiam alteri præstanda, quæ jam est in nostra potestate, aut fore putatur. Uno quidem modo, si nude explicemus animum nostrum, qui nunc est, de futuro, ita tamen ut nullam nobis adferre necessitatem velimus in ista voluntate perseverandi. Uti ad Sejanum scribit Tiberius apud *Tacit. Ann. IV. Ipse quid intra animum volut. averim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre.* Ex tali assertione neque mihi obligatio, neque alteri jus nascitur. Vid. l. 108. §. 1. *D. de verb. obligat.* Et ut ista vitio careat, nihil aliud requiritur, quam ut veritas cogitationis adsit pro præsentis tempore, seu ut revera talis nobis sit animus, qualem profiteremur; nevé mendacio alteri illudamus. In ea autem destinatione perseverare non tenemur; quippe cum animus humanus habeat non tantum naturalem potentiam consilium mutandi, sed etiam jus, ut recte id facere possit, ubi nulla obligatio necessitatem adfert in sententia semel declarata persistendi. Quanquam reprehendi possint ejusmodi mutationes voluntatis, si prior sententia, abs qua discessum est, altera fuit melior; aut si alii per eam immerito ludibrio afficiantur. Quo adplicari potest, quod *Valer. Max. l. 7. c. 8. n. 5. 6. de Q. Cæcilio, & T. Mario Urbinatæ* memorat. Etsi quandoque corvorum hiantium impudentia ejusmodi ludibrium mereatur. Vid. *Plinius II. epist. 20. Conf. Grotius l. 2. c. 11. §. 2.*

§. 6. Promissionem imperfectam possumus vocare, quando quis voluntatem suam pro futuro tempore determinat ad aliquid gratuito alteri præstandum, cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem; seu ut satis declaret, se velle obligari, ut tamen alteri nullum jus proprium conferatur ad eam rem exigendam. Uti etiam in debito reponendæ gratiæ contingit: ubi qui beneficium accepit, ad exhibendum gratum animum obligatur, quem alter suo jure exigere non potest. Enimvero ejusmodi pollicitationis exemplum, quod quidem ex jure naturæ proveniat, quidam non ita facile inveniri posse autumant. Afferitur quidem promissum principis absoluti factum subjecto, domini factum

ctum

Etum servo, patris factum filio sub potestate constituto; quo illi qui tenent obligantur ad id implendum, his tamen jus ad exigendum ideo videtur deesse, quod forum deficiat, ubi actionem iisdem intentare queant. Verum quod ejusmodi promissiones velut manca videantur, id non oritur ex intrinseca ipsarum invaliditate, sed quia accedens paciscentibus qualitas externum obligationis effectum intercipit. Alii exemplum adferunt stipulationis mutilæ, ubi per leges civiles promissa per certas stipulationum formulas sunt concipienda, quibus deficientibus actio ex promisso non datur. Ubi censent, siquidem paciscentium intentio fuerit perfectam obligationem contrahere, & per errorem duntaxat, aut imprudentiam solennia in lege præscripta fuerint omissa, promissorem ex naturali æquitate ad promissum implendum teneri, alterum autem ad illud exigendum in foro civili actionem non habere. Ast neque in hoc exemplo promissionis imperfectio ex ratione juris naturalis, sed ex lege positiva resultat, quæ præter legis naturalis morem istius effectum à certis formulis suspendit. Igitur promissionis imperfectæ tale exemplum aptissimum videtur, si eam ita concipiam: ego serio destinavi hoc vel illud tibi præstare, & peto, ut id mihi credas. Quo casu promissor ad præstandum videtur obligari magis ex lege veracitatis, quam justitiæ: scilicet quia in se voluit quidem esse obligationem, ut tamen per alterum nolit ad implendam eam compelli. Sunt enim homines generoso animo, qui malunt videri propriæ virtutis impulsu ferri ad faciendum officium, quam propter jus alterius. Quò referendæ sunt pollicitationes viro- rum potentum aut gratiosorum, quibus alicui non per verba honoris, sed serio suam commendationem, intercessionem, promotionem, aut suffragium spondent; quæ tamen hautquidquam velut jure aliquo abs sese volunt exigere, sed in solidum suæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari. Ad talem pollicitationem ne naturali quidem jure aliquis cogi posse videtur, cum, ne id fieret, sibi tacitè reservaverit; ut officii sui gratia eo major foret, quo longius ab eodem coactio abfuerit.

§. 7. Perfecta denique promissio fit, quando quis non solum voluntatem suam pro futuro tempore determinat circa præstandam alteri rem quampiam; sed etiam simul indicat, se jus in eundem conferre, ut rem promissam plene possidere ipsum queat. Cum autem promitta-

mus vel dare àliquam rem, vel facere aliquid; inde promissio est vel via ad alienationem rei nostræ, vel quasi alienatio particulæ cujusdam de nostra libertate, ut nimirum quod antea facere vel intermittere poteramus, vel pro arbitrio adplicare, in eo nunc præscriptum nostri promissi sequi debeamus. Monendum autem est, isthæc pertinere ad promissâ inter homines concepta. Nam etsi impossibile sit, divina promissâ fallere; nimis tamen superbum videtur dicere, mortalem sibi ex promisso adversus Deum jus quærere. Add. *Grot. d. l. §. 3. 4.*

§. 8. Observanda porro hæc sunt, quæ tradit *Hobbes. de civ. c. 2. §. 6. seqq.* *In jure relinquendo seu transferendo si signa nulla extiterint præter verba, isthæc de præsentia aut præterito tempore esse debere: seu jus ad rem promissam in alterum transferri duntaxat per verba de præsentia aut præterito, non autem per verba de futuro. Qui enim v. g. de futuro sic dicit: cras dabo, cras donabo; aperte significat, se jam non dedisse. Iraque toto hodiernodie jus, quod in rem suam habet, immotum ipsi manet, uti & crastino die, & deinceps, nisi per novum promissum jus transtulerit, aut actu interea dederit. Quod si tamen præter verba alia quoque signa adsint, sufficientia ad declarandam voluntatem transferendi jus in præsentia tempore; cum effectum verba, quantum ad formam Grammaticam futurum tempus notantia, non impediunt. Verum ubi talia signa deficiunt, non facile tam laxa interpretatio verbis futuri temporis erit adhibenda, ut ista etiam ad præsentem translationem juris valeant. Cum enim bona nostra plerunque non soleamus transferre in alios, nisi boni alicujus acquirendi causa, quod bonum in donatione gratuita non ita liquido adparet: igitur circa actum, communi hominum inclinationi parum congruentem, nihil temere præsumendum, nisi quantum expressa voluntatis signa ostendunt. Præsertim cum frequens sit, ejusmodi verbis nudum duntaxat, & saltem in præsens inefficacem effectum exprimere. Ergo quamdiu adhuc quis in futuro loquitur, deliberare censetur; intra quod tempus & affectus ipsius, & meritum alterius mutari potest, vel etiam casus intervenire, quare quis re suâ commode carere nequeat. Quemadmodum testator in testamento hautquaquam jus de præsentia in hæredem transfert, sed semper ejusmodi clausulam in animo reservasse censetur; hic hæres meus esto, nisi antequam obiero, voluntatem mutavero. Etsi levitatis notam non effugiat, qui inani spe alios ne-*

quid

quidquam lactat. Aliter vero se res habet, si ita dicam: dono vel donavi tibi aliquid cras habendum. Id enim est; hodie jus dare rem cras habendi, seu hodie jus ad rem in aliquem transferre, cujus traditio craftina die fieri debeat. Neque obstat his, quæ diximus, quod communi loquendi usu pleræque promissiones exprimantur verbis, futurum tempus notantibus. Sic enim loqui solemus, etiam quando stipulata manu, aut jurato quid promittimus; habebis hoc à me, dabo tibi hoc, &c. Id quod ideo fieri suevit, quia traditio rei promissæ plerunque ex intervallo sequitur. Imo vix promissio dici potest, ubi eodem tempore voluntas dandi declaratur, & res ipsa exhibetur; quippe cum heic vel nulla adfuisse obligatio, vel statim atque fuerit contracta, iterum expirasse videatur. Tunc demum vero vulgus habere se quid dicit, quando ejus possessionem natum fuit. Unde talium verborum, sicubi in promissione perfecta occurrant, (v. g. intra dies sex C. dabo,) hic proprie est sensus: jam tibi jus do habendi & exigendi à me C., simulque me obstringo, quod intra præfixum diem eadem tibi sim traditurus. Brevius res ita potest efferri, quod verba futuri temporis in promissionibus, ac præcipue vocabulum dandi, innuant vel obligationem adhuc contrahendam, qua ratione per ea neq; res ipsa, neque jus ad eam rem transfertur: vel traditionem rei deinceps faciendam, ad quam jus jam transfertur, aut translatum fuit; quo in casu illa promissionis perfectioni nihil obstant.

§. 9. Hoc loco etiam excutienda erit vexatissima quæstio: utrum naturali jure aliqua vis obligandi insit nudis pollicitationibus, uti & nudis pactis, quamdiu intra terminos simplicis conventionis stant, nec ullum in se negotium aut *συτάλλαγμα* continent. Id quod sibi præcipue negandum sum sit *Franc. Connanus Comment. Jur. Civil. l. V. c. 1. quem Grotius l. 2. c. XI. §. 1. alii que refutatam ivere.* Et sane fidem verbis datam esse servandam, ac posse aliquem solis verbis sibi conciliare necessitatem aliquid præstandi, si vel maxime nondum aliqua res intercesserit, apud omnes hætenus sapientes in confesso fuit. *Cicero Off. 1. Fundamentum justitia est fides, id est, dictorum, conventorumque constantia, & veritas, eaque de causa fidem appellatam, quia fiat, quod dictum est.* Et *Vipianus in l. 1. D. de pactis: Quid tam congruum fidei humana quam ea, qua inter eos placuerunt, servare?* Improbe faceta est cavillatio reguli illius Javanici, qui cum re-

Ddd prehen-

prehenderetur, quod promissa sua non servaret, respondit: *linguam suam non esse ad officii instar rigidam.* Hoc an ita crude oppugnatum iverit *Connanus*, excussis ipsius argumentis, patebit. Primo igitur ait, *non minorem esse culpam ejus, qui temere nulla de causa pollicenti credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit promissionis.* Hic dextre est explicandum, quid sit *nulla de causa* polliceri. Si enim iste est sensus; talia polliceri, quæ ubi non præstentur, nihil detrimenti & incommodi afferunt ei, cui promissa sunt, & quæ illi, qui præstiterit, damnum aut molestiam sunt allatura; admitti, sane potest, promissa nulla de causa facta obligationem non producere. Cur enim quis velut suo jure postulare velit, ut ego fatiger, aut sumtus faciam, si ea res ipsi non est profutura? Et contra rationem est actionem suscipere, ex qua nihil boni, sed potius mali quid est proveniturum. Sic v. g. si tu à me stipulatus esses, ut per quatrimum cibo abstinerem; nulla adparet ratio, quare id servare debeam, si mea valetudo per tale jejunium est affligenda, nec aliqua utilitas exinde ad te redit. Et in hoc casu æque vanitatis est damnandus, qui talia promittit, quam qui ejusmodi ex promissa jus, serio vindicandum, quæ situm sibi arbitratur. Præterea cum promissa sint gratuita, adeoque unam duntaxat partem concernent; regulariter censenda est illis inesse hæc limitatio; quantum citra magnum meum incommodum potest fieri. Neque vero alter, cui promissio facta est, tam erit impudens, ut postulaturus sit, meum beneficium mihi valde esse damnosum, aut ut cum insigni meo detrimento velut locupletari. Quo facit illud *Ciceronis Off. I. Incidunt sæpe tempora, ut promissum non servare sit justum. Referrî enim decet ad fundamenta justitiæ, primum, ut ne cui noceatur; deinde ut communi utilitati serviatur.* Ea cum tempora commutant, commutatur officium, & non semper est idem. Potest etiam accidere promissum aliquod & conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, *Neptunus quod Ælæseo promiserat, non fecisset, Theæus filio Hippolyto non esset orbat.* *Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit.* Nec promissa igitur servanda sunt ea, quæ sicut ius, quibus promiseris, inutilia. Nec si plus tibi noceant, quam illi prosint, cui promiseris. Contra officium est, majus damnum anteponi minori: ut si constitueris te cuiquam advocatum in rem presentem esse venturum, atque interim graviter agrotare filius ceperit, non sit contra officium non facere quod dixeris: magisque ille, cui pro-

missum

missum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Add. Seneca de beneficiis. l. IV. c. 35. 39. Huc quoque pertinet, quod Iste Offic. 3. tradit: Si quis medicamentum cuiquam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento unquam postea uteretur, si eo medicamento sanus factus fuerit: & annis aliquot post incidere in eundem morbum: nec ab eo, qui cum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit, cum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuria? Vita & saluti consulendum est. Quod si vero in Connani sententia, nulla de causa polliceri, idem sit quod gratuito; tunc manifestum est, per eam tolli omnem materiam beneficentiae & liberalitatis, & omnia officia humana fieri mercenaria. Cur enim non credam ei, qui, cum suas facultates nosset, gratis me ab ipso expectare quid iussit, quo deinceps eundem amandi & colendi causam haberem? Et cum posset mihi impune non promittere, cur me iussit rationes meas ipsius fidei superstruere, si perfecte nolebat obligari? Nam in beneficii negatione tamdiu nulla est injuria, quamdiu ad illud dandum sola humanitatis lege quis adstringitur; non ubi postea per promissum jus alteri ad id quaesitum fuit.

§. 10. Ulterius urget Connani: cum huiusmodi promissa ab ostentatione potius, quam à voluntate proficiantur; aut ut non simulate, sed bona fide fiant, leviter tamen & parum considerate jaentur: magnum fortunis omnium imminere periculum, si quocunque dicto aut promisso homines teneantur. Ex quo fundamento fortasse est, quod antiquis creditum fuit, amatoris iuramentis nullam vim inesse, eaque transgressis deos ignoscere; quod ista animo per amorem occæcato suscipiantur. Plato in Convivio, & Poëta possim. Enimvero frustra tantum heic periculum metuitur. Nam non nisi seriis promissis, & ex deliberato animo profectis, vim obligandi tribuimus. Jocularia pro seriis accipere rusticum fuerit. Temere autem plura promittere, quam commode præstare queas, uti reprehensione non caret, ita inhumanum foret talia exigere velle. Ap. Flav. Vopiscum Aurelianus cum populo coronas bilibres promississet, si victor rediret, & hi aureas sperarent, ipse coronas de panibus fecit. Deinde separanda sunt verba honoris, & quibus affectum nostrum indefinite in aliquem testamur, ab illis promissis, quibus peculiariter ad certi quid nos obstringimus. Sæpe enim humani viri amplis valde verbis benevolentiam suam exprimunt; puta, dum totos sealicui addicunt, seipso, suaque omnia alterius ministeriis offerunt.

Uti apud *Virgilium*, *Æn.* I. *Æolus*: Tuus, ô regina, quod optes Explorare labor: mihi iussa capessere fas est. Heic impudens valde fuerit, istiusmodi verba presse accipere. Vid. I. *Regum* XX. 3. seqq. Et si illum locum aliter interpretetur *Iosephus archæol.* I. 8. c. 8. *Grotius* add. I. ait, Achabum verba ista intellexisse ita: do me meaque in tuam fidem: Benhadadum autem de rerum proprietate. Add. *Polybius excerpt. legat.* 13. & *Livius* I. 36. de Phanea, *Ætolorum* legato. Igitur talia etiam serio prolata ad nihil certi obligant, sed benevolum duntaxat animum, studiumque erga alterum exprimunt. Add. *Fern. Vasquius* *controv. illustr.* I. 1. c. X. §. 20. seqq. Sed promissa illa, quæ certi & determinati quid alterum à nobis expectare jubent, uti ideo sunt necessario implenda, quia alter fidem nostram secutus rationes suas ad ista attemperavit: ita si vel maxime unus aut alter dissoluto animo, atque ad agnatos, & gentiles deducendus, per nimiam promittendi facilitatem fortunis se suis everteret, non ideo obligatio promissorum ex vita humana penitus fuerit proscribenda. Sicuti fidei iussiones non statim damnantur, quia non pauci earum occasione iri noxam inciderunt. Inde quia promissum cadit in debitum, cauti esse homines debent, ne plura promittant, quam commode possint præstare. Nec vitio caret illa frontis teneritas, quæ nemini quis quidpiam negare audet, etiam impudenter procanti. Quam in rem *Terentius Andr.* act. 4. sc. 1. *Id est genus hominū pessimum, In denegando modo quis pudor paululum adest: Post ubi jam tempus est promissa perfici, Tum coacti necessario se aperiunt, & timent; Et tamen res cogit eos denegare. Ibi Tum eorum impudentissima oratio est: Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus Proximus sum egomet mihi: attamen ubi fides, Si roges, nihil pudet. Hic, ubi opus est, Non verentur: illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.* Apud *Plutarchum* *Bruto*, de hoc ita refertur: τὴν δὲ τῶν ἀναίσχυντος λιπαρῶν ἡτταν, ἢν ἔτιοι δυσωπῶν καλῶσιν, ἀσχίστην ἀνδρῶν μεγάλην ποίμιν, εἰώθει λίγην, ὡς οἱ μηδὲν ἀρετῶν δυνάμιοι δοκῶσιν αὐτῶ μὴ καλῶς τὴν ὄραν δεξιθεῖν. *Impudenter obsecrantibus succumbere turpissimum magno viro ducens, dicere solebat, eos, qui nihil denegare valerent, parum sibi videri honeste atatis florem collocasse.*

§. II. Reliqua, quæ *Connarius* adfert, parum habent difficultatis. Dicit, perquam justum fuisse aliquid honestati cujusque & liberalitati relinquere, nec omnia ad necessitatem obligationis revocare & exigere. Augeri enim probitatis in nobis & constantiæ studium, cum relinquatur,

ubi

tibi virtutes istæ elucere possunt : quod fieri vix posset , si promissa omnia omnes facere cogerentur. Nunc præstare, quod semel pollicitus sis, aut alio quovis modo ostendisti, te facturum esse, præclarum & gloriosum est; sed eo tamen gloriosius, quo minus est necessarium. Enimvero satis adhuc materiæ relinquitur liberalitati, dum alteri exigendum abs te offers, quod impune ipsi negare poteras. Et cum tam frequentia promissa inter homines mutua opera indigentes occurrant, magis interest rerum humanarum, minore cum gloria fidem suam exsolvere homines, quam plurimos per inconstantiam aliorum decipi. Sicut alter alteri commodet, quantum citra insigne suum detrimentum posset facere, sane lex naturæ præcipit. Arctior tamen redditur ea obligatio, si quod natura indefinite tantum præceperat, ultro quis consensu suo designet; alterumque certo id exspectare jubeat. Unde non sequitur; etsi non promississem, erat tamen viri boni & justii indigentia aliorum succurrere; ergo ideo tantum laudabile est stare conventis, quia indiges, non quia ego promisi. Quod autem iste concedit, si quis ex alicujus promisso non secuto damni quid fecerit, teneri eum ipso naturali jure ad id, quod interest, (puta si quis fidem alterius secutus aliunde suis necessitatibus prospicere neglexerit:) ex eo recte inferitur; exigi posse promissum, & alterum id implere debere, ne iste detrimenti quid capiat. Periculosum vero est admittere isthanc consequentiam: cum deteriore conditione non sis, quando promissum non præstiterim, quam si omnino non promississem; igitur re integra mihi semper licebit poenitere. Et magis contra naturam fore hasce promissiones exigere, in vitis illis, qui eas fecerunt, cum in eo lucrum quæras tuum; quam istos eadem revocare, cum tu inde nullum detrimentum accipias. Enimvero non in hoc solo humanitatis officium absolvitur, ne alteri noceas, sed & alterius commoda pro virili sunt promovenda. Ergo si ad hoc te peculiariter adstrinxisti, poenitere ob hanc solam causam, quod alter nihil detrimenti inde sit passurus, perinde foret, ac si indignum esset alterius conditionem per nos reddi meliorem. Sicut & nemo admiserit, ab illis pactis, quibus *οὐρά Μαγικα* inest, recte resiliri, quando per poenitentiam nostram alterius conditio non redditur deterior, sed duntaxat non melior. Et bene quoque monet *Grotius*, ex *Commani* sententia, ita crude accepta, securum, inter reges & populos diversos, pactorum, quamdiu ex iis nihil est præstitum,

vim fore nullam, præsertim illis in locis, ubi nulla certa forma foederum ac sponsonum reperta est. Quo nihil magis ad diffidentiam inter homines excitandam facit; cum hoc modo oculatis semper manibus omnia forent gerenda. Quod ipsum sæpissime conditio hominum, quibus inter se negotium est, non admittit. Quod denique Romani non nisi ex illis promissis actionem voluerunt dare, quæ stipulatione interposita fierent, non ea causa fuit, quia seria promissâ jure naturali non obligarent; sed ut adhibito formularum carmine homines admonerentur mature cogitare, an rebus suis expediat promittere, quod revocari amplius nequeat. Tum ut eo liquidius res promissæ exprimerentur, ne earundem obscuritas cavillationibus ansam præberet. Add. l. 15. D. *prescript. verbis.*

CAPUT VI.

DE CONSENSU CIRCA PROMISSA ET PACTA ADHIBENDO.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>In promissis & pactis requiritur consensus.</i> | 8. <i>De dolo malo.</i> |
| 2. <i>Consensus significatur expresse vel tacite.</i> | 9. <i>An suspicio deceptionis pacta reddat invalida.</i> |
| 3. <i>Consensus supponit usum rationis:</i> | 10. 11. 12. 13. <i>Modus promissa & pacta reddit invalida.</i> |
| 4. <i>Quem impedit magna ebrietas.</i> | 14. <i>Quomodo convalescant invalida promissa.</i> |
| 5. <i>De minorennibus.</i> | 15. <i>De consensu acceptantis.</i> |
| 6. <i>De errore circa promissa.</i> | 16. <i>De signis & monumentis consensus.</i> |
| 7. <i>De errore circa pacta & contractus.</i> | |

CUM per promissa & pacta regulariter libertas nostra constringatur, nobisque aliquod onus concilietur, dum necessario jam est præstandum, quod antea in nostro erat arbitrio positum, facere an omittere vellemus; nulla propior ratio est, quare quis de ejusmodi onere deinceps sustinendo recte conqueri nequeat, quam quia in illud ultro consensus, suoque sibi arbitrio accessivit, quod repudiare penes ipsum erat.

§. 2. Iste consensus etsi regulariter per signa, puta voces, literas, nutusque exprimi soleat; aliquando tamen contingit, ut ille citra ejusmodi signa ex ipso negotio, & aliis circumstantiis colligatur. Sicuti etiam quan-

quandoque absentia signorum, sive silentium, cum certis circumstantiis consideratum, loco signi consensum exprimentis valet. *Euripides Iphigen. in Aul.* Αὐτὸ δὲ τὸ σιγᾶν ὁμολογᾶν ἔστιν. *Hoc ipsum silere te confiteri arguit.* Ubi tamen necessum est, præsentem rerum conditionem ita esse comparatam, ut ex omni parte ad præsumendum consensum velut conspiraret, nec ulla occurrat probabilis conjectura, quæ in diversum ducat. Alias enim valde durum foret, ex quovis indicio obligationem alicui impingere. Ex quibus intelligitur, in quo proprie consistat natura *pacti taciti*; nempe quando consensus non per ejusmodi signa, quæ regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur, sed quando idem ex negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligitur. Frequentius tamen est, ut quando principale pactum consensu expressio fuit in initum, ex ipsa negotii natura pactum tacitum illi accedere, ac ex eodem fluere intelligatur. Sicut & illud valde usitatum, ut in pactis tacitæ quædam exceptiones & conditiones sint subintelligendæ. Quibus tamen non plus indulgendum, quam quantum communis commercii humani indoles fert, ne per illas pacta nimis reddantur lubrica & incerta. Exemplum pacti taciti esse potest, v.g. si quis peregrinus in civitatem aliquam, exteros amice tractare solitam, amica sub specie accedat, etsi nunquam expresse fidem dederit, tacite tamen & ex ipso accessionis actu fidem dedisse censetur, quod pro ratione status sui velit sese legibus ejus civitatis attemperare; postquam norat, eam legem in universum dictam esse omnibus, qui intra territorium ejus civitatis versari cupiunt. Unde & ipse iterum ab eadem defensionem sui temporariam, & administrationem justitiæ tacite stipulatus est. Sic quando absentis negotia citra expressum mandatum geruntur, pactum existit tacitum, quo postquam unus operam suam rebus alterius utiliter accommodavit, alter eandem pensare una cum sumptibus factis tenetur. Utique enim præsumitur, alterum, si scivisset, in hoc expresse consensurum. Sic qui in diverforio ad mensam accedit, etsi nullum cum hospite verbum circa pretium cibi commutet, ex ipso tamen actu suo ad id solvendum consensisse intelligitur; quod notorium sit, nemini gratis heic cibum præberi. Sic & obligatio, quæ inter tutorem & pupillum versatur, ex contractu tacito originem suam trahit. Add. *Grotius* l. 3. cap. 24. Pactorum autem accessoriorum hæc possunt esse exempla, v.g. Si quis cum altero paciscatur

ciscatur de tuto accessu in aliquem locum, etiam de reditu convenisse judicatur, etsi de hoc expresse mentio nunquam fuerit facta; quod alias priore pacto nihil foret actum. Sic qui pacto consentit, ut exteri foro suæ civitatis utantur, etiam consentire intelligitur, ut quas ibi merces emerunt, exportent. Quemadmodum etiam absurdum foret, v. g. vendere alicui agrum, non autem concedere velle, ut eundem in eo loco possideat, sed postulare, ut in alium locum ipsum transportet. Sic qui cubiculum in ædibus suis alicui locat, concessisse etiam judicatur usum earum partium, quibus ille carere nequit, puta januæ & viarum, quæ ad illud ducunt, saltem hætenus, ut foras prodire, ac redire liceat. Conditionum autem & exceptionum tacitarum exempla passim occurrunt. In universum autem observandum, omnium, quæ tacite conveniuntur aut excipiuntur, strictam esse faciendam interpretationem, nec ulterius eadem valere posse, quam quo liquida consensus conjectura ducit. Add. l. 24. D. de probation. Cum alias facile invito molesta obligatio impingi possit; & ubi tacitis exceptionibus & conditionibus nimis indulgetur, pleraque pacta subverti aut eludi queant. Jcti Romani exemplum taciti pacti adducunt in l. 2. D. de pactis: *si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos tacite convenisse, ne peterem.* Ubi tamen ex simplicitate juris naturalis non videtur necessarium, pactum tacitum in hoc casu statuere; cum planiore modo dici queat, redditione cautionis intelligi debitum remissum, adeoque actionem plane sublatam. Juri autem Romano ambages hæc, & pactum de non petendo comminisci placuit, ne obligatio, re contracta, nudo consensu tolli videretur. Sic in casu, qui proponitur in l. 51. princ. D. locati, non necessarium videtur statuere, *silentio convenisse, ne quid præstaretur, si ampliore pecunia fundus esset locatus.* Cum citra fictionem pacti taciti simplicissime dicatur; dictam illi contractui legem haut quidquam eousque extendi posse, ut conductori quoque profit; cum nullo utique favore dignus sit, qui ex lege agrum non coluit. Add. quoque l. 2. C. de pactis. l. 6. §. 2. l. 18. l. 53. D. mandati. l. 13. in fine l. 14. D. locati.

§. 3. Ut autem quis serio & liquido consentire possit, ante omnia requiritur usus rationis, hætenus ut præsens negotium intelligat, an sibi conveniat, & abs se præstari queat, eoque perpenso consensum suum sufficientibus signis exprimere possit. Ex quo consequitur, promissionem

tionem infantis, furiosi item, & amentis nullam esse. Circa furiosum autem peculiariter observandum, non nisi durante furoris tempore actiones ipsius moraliter pro nullis haberi. Quamdiu autem furor dilucidis intervallis distinguitur, nihil impedit, quo minus sese valide possit obligare ad id usque tempus, quo per morbum ipsi rationis usus relinquatur. Nam furor recurrens obligationem aliquid per se agendi & præstandi suspendit, quousque actiones suas arbitrari iterum possit. Unde vulgatum illud Juris: furor superveniens nullum negotium antea rite gestum perimit; intelligendum est de negotiis, quæ simul & semel absolvuntur. Quale est testamentum, quod semel rite conditum subsistit, quousque sufficienti contrariæ voluntatis declaratione fuerit sublatum; qualis in furore dari non potest. Verum ubi obligatio aliqua sit explenda per distinctas actiones, usum rationis requirentes, patet ab interveniente furore eandem suspendi. Si qui operam mihi suam ad certum tempus addixit, ubi interea in furorem inciderit, expirabit obligatio, cui jam ab illo satisfieri amplius nequit. Et si propter spem recuperandæ sanitatis sæpe tam obligatio, quam potestas & jus penes furiosos quoad actum primum durare intelligatur, cujus exercitium tantisper per alios obitur. Sed si quis incurabili furore laboret, is merito civiliter pro mortuo habetur. Vid. l. 8. D. de his qui sui vel al. jur. sunt. l. 14. D. de offic. præsidis. l. 2. D. de procuratoribus. l. 5. §. 2. D. ad L. Aquilianam.

§. 4. Porro cum usum rationis ebrietas non parum impediatur, aut quandoque penitus sopiat, quæritur: an ebrius intra temulentiam illam promittendo aut paciscendo sese possit obligare? Id quod nobis negandum videtur, si jam ebrietas eousque processerit, ut per vinum ratio plane sit obruta. Nam pro vero & deliberato consensu haberi nequit, si quis vel maxime momentaneo & inconsulto impetu in aliquid inclinet, aut signa quædam edat consensum alias exprimentia eo tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promissum velle exigere, ubi imprimis ejus impletio cum insigni onere est conjuncta. Quod si vero quis ebrietatem eam captavit, & observata alterius facilitate, promissum astute elicuit, ne abs doli quidem, fraudisque crimine immunis erit. Ast qui, discussa crapula, ubi dicta sua in mentem ipsi fuerint revocata, eadem rata habuerit, utique ob-

Ecc

ligabitur

ligabitur, sed non ex eo, quod ebrius, sed quod sobrius egerat. Paulo largior tamen invitatio, & quæ non tam rationem obfuscat, quam ad hilaritatem provocat, obligationem contrahendam non perimit, præsertim ubi illa à sobriis renovetur. Quo facit illud Taciti de mor. German. De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviiis consultant; tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalcescat. Gens non astuta nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentia loci. Ergo detecta & nuda omnium mens postera die retractatur: & salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt. Paria de Persis refert Herodotus Clio. Athenæus l. 4. c. 6. Curtius l. 7. c. 4. Add. Plutarch. Symposiac. quæst. l. 7. c. 9. & 10. Equidem id manifestum est, delicta ob ebrietatem, per quam patrata sunt, ideo à pœna hautquaquam immunia esse. Aristoteles Nicom. l. 3. cap. 7. καὶ γὰρ ἐπ' αὐτῶ τῷ ἀγνοεῖν κολάζουσι (οἱ νομοθέται) ἐὰν αἴτιον εἶναι δοκῇ τῆς ἀγνοίας. εἶναι τοῖς μισθύουσι διπλᾶ τὰ ἑπιτίμια. ἢ γὰρ ἀρχὴ ἐν αὐτῶ. κύριον γὰρ τῷ μὴ μισθούουσι. τὸτο δ' αἴτιον τῆς ἀγνοίας. Nam ob ignorantiam etiam puniunt leges, si sibi ipse ignorantiam causam quispiam fuisse videatur. Unde ebrius duplices pœnae institutæ sunt. In ipso enim, qui inebriatur, principium est; cum sui quisque in eo dominus sit, ut non inebrietur: id quod ignorantiam est causa. Solonis lex ita dicitur: τῷ ἀρχοῦσι, ἂν μισθούωι, ληθῆναι θάνατον εἶναι τὴν ζυμίαν. principem, si ebrius deprehensus sit, morte multandum. Et Pittaci lege delictum per ebrietatem admissum duplici pœna plectebatur. Diogenes Laërt. l. 1. Scilicet quanquam forte in ebrietate ipsa quis ignoret, quid agat; tamen ubi quis ultro voluit usurpare illa, ex quibus obnubilationem mentis orituram norat, censetur etiam in ea consensisse, quæ inde erant consecutura. Enimvero exinde non sequitur, promissam quoque ebriorum obligare; cum diversa sit ratio delictorum & contrahendarum obligationum. Nam quia absolute est interdictum, delicta admittere, ideo vitandæ quoque sunt homini occasiones, quæ probabiliter in delicta possunt pertrahere. Quid autem ebrietas designet, vix est, ut ignorare quis possit. Et cum ipsa ebrietas eo præcipue nomine sit peccatum, quatenus ad alia peccata hominem disponit; non potest ex peccatorum numero eximi, quod in se est peccatum ideo, quia peccato si am debet originem. At vero cum in nostro sit arbitrio situm, novas obligationes adsciscere nobis velimus,

velimus, nec ne; non possumus quoque teneri ad vitandas occasiones, quæ consensum nostrum liquidum erant intercepturæ. Perinde atque non tenemur evitare somnum, ideo quod niſtando possumus videri per ludibrium quid à nobis stipulanti annuisse. Quam ad rem facit jocularè scelus Caligulæ, de quo est apud *Suetonium Calig. c. 38. Notares est*, (loquitur de auctione ab ipso proposita) *Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Cajo praconem, ne pratorium virum crebo capitis motu nutantem sibi prateriret; nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores H. S. nonages ignoranti addicerentur.* Unde si nihil aliud pravi ebrietas efficeret, quam quod signa, consensum alias testantia, per eam ab imprudentibus aut ignorantibus possent elici, eo solo nomine inter vetita haut quidquam erat referenda. Cumque ad contrahendam obligationem ex promisso vel pacto requiratur consensus contrahentis, in præſenti tempore negotium quod geritur intelligentis: inde consensus alicujus non potest præsumi ex eo, quod quis consensit in usurpandam rem, quæ usus rationis erat impeditura. Præſertim cum plerique, qui vino se obruunt, non id spectent, ut usus rationis tollatur, sed ut eodem ad lætitiã excitentur; prior autem effectus fere præter intentionem obrepit, dum huncce nimis incaute persequuntur. Addi & hoc potest, cum per delictum alicui malum inferatur, per promissum vero bonum antea indebitum acquiratur, & vero odiosum magis sit lædi, quam aliquod bonum non acquirere; facilius esse, ut per ebrietatem nullum declaretur promissum, quam delictum. Denique quod quis teneatur solvere, v. g. pretium vini, quod per temulentiam obtuso jam palato invergit, & quod bibiturus non fuerat, sui si compos fuisset; illud est ex contractu, initio compositionis inito, quo is ad tantum vini solvendum se obstrinxit, quantum guttur hauserit, etiamsi per eandem viam iterum sit ejiciendum. Quod si quis per vinolentiam quid effudit, si vasa fregit, si in complementum hilaritatis fenestras pertudit; tenetur ex communi illa lege de pensando damno, quod sua culpa alteri dedit.

§. 5. Cæterum quousque in pueris duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, in universum adeo accurate definire nequit; cum in quibusdam citius, in aliis tardius judicium matureſcat. Sed respiciendum heic est in singulis ad quotidianas ipsorum actiones; tum etiam quid legibus positivis in civitatibus sit constitutum,

quæ fere certum temporis terminum heic designarunt, prout indolem suæ nationis solertem, aut hebetiorem deprehenderunt. Sicuti apud Ebræos valebat promissio, quam fecisset adolescens, qui annum ætatis decimum tertium, puellæ, quæ duodecimum impleisset. Quia tamen tenera ætas, etiam quando negotium, quod geritur, intelligit, vehementi & plerunque inconsulto impetu fertur, ac in promissa est facilis, spei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitiose colendas pro-na, & diffidere nescia: ideo in multis civitatibus salutariter institutum, ut aliorum prudentiorum auctoritatem adhibere necessum haberent juniores in contrahendis obligationibus, quousque inconsultus ille juventæ impetus deferbuisset censeretur. Inde alicubi quæ abs talibus propria auctoritate geruntur, ipso jure nulla sunt: alicubi per restitutionem in integrum, sicubi læsi fuerint, ipsis succurritur. Vid. l. 11. §. 3. *seqq.* l. 24. §. 1. l. 44. D. *de minoribus*. Id quod jure positivo constitui, naturalis ratio non obscure suadebat. Præsertim cum dolo vix careat, qui istius ætatis facilitati imminet, & aliorum dispendiis locupletari vult, quæ isti per judicii imbecillitatem prævidere, aut æstimare non norunt. Lex Attica hac in parte minorennibus æquiparabat fœminas, quibus non concedebat contractum inire, nisi usque ad ordei modium, *ἢ τὸ τῆς γράμης ὀδύρε*. propter consilii infirmitatem, uti est apud Dionem Chrysostomum orat. 25. *de incredulitate*; & Isaacum orat. 9. Sed & ipsum jus naturale præcipit, ut sicubi ejusmodi statuta in civitatibus extent, illa observentur, non solum si cives inter se, sed & si cum peregrinis paciscantur. Non tam ideo, quod qui in aliquo loco contrahit, legibus loci tanquam subditus temporarius tantisper subjiciatur; quam quia actionem solet denegare civitas ex illis negotiis, quæ ipsius legibus non sunt conformia. Nisi civitas expresse ostenderit, se in jure peregrinis dicundo merum jus naturale secuturam. Atque idem fuerit observandum, si per literas contractus sit initus inter diversarum civitatum cives, ex quo actio in foro alterutrius, qui eo stare abnuit, sit instituenda. Nam licet contrahens nunquam se, ne temporarie quidem, alterius civitati subjecerit; si tamen ejus fori subsidio uti velit, ad leges civiles negotium erit componendum. Sic licet in loco, qui nullius imperium agnoscit, puta in vasto Oceano, aut deserta insula, promissio aut pactum fiat inter duos, qui eidem civitati subjiciuntur; ad leges civiles tamen se attemperabunt; si ex illis jus perfectum & actionem

in foro

in foro suæ civitatis velint quærere. Verum quid circa actus eorum, qui legibus civilibus superiores sunt, observandum, alio loco monebitur.

§. 6. Consensum porro, qui ad validitatem promissorum & pactorum requiritur, quam maxime impedit *error*; per quem contingit, ut intellectus a vera promissi passivè objecto deviet, adeoque voluntas revera in illud non consentiat. Distincte autem fuerit dispiciendum, utrum error evenerit circa promissum, an vero circa pactum. De promissis ita videtur pronuntiandum; si promissio fundata sit in præsumptione alienius facti, quod ita se non habebat, seu ubi in promissione aliquod factum, vel etiam qualitatem alterius supposuerim, citra cujus intuitum promissurus non fueram, naturaliter promissionis nullam fore vim; modo ipsa negotii natura, liquidæque circumstantiæ ostendant, promissorem unice ex illo facto, eave quaestitate tanquam ex conditione consensum suspendisse. Ratio est, quia promissor consensit in promissum non absolute, sed præsumtionem ejus facti qualitativè tanquam conditionem supposuit; quæ cum non existat, ruit quoque & evanescit, quicquid ipsi fuerat superstructum. l. 15. D. de *jurisdic.* Sic v. g. si aliquo nuncio fuerim persuasus, mea negotia abs te bene fuisse gesta, eoque nomine tibi quid promiserim, non tenebor, ubi falsum id deprehendero. Inde etiam petenda est decisio quæstionis, quæ extat apud *Ciceronem de Oratore l. 1. Venerat de morte militis cujusdam falsus ab exercitu domum nuncius; quo audito, & credito, pater testamentum mutat, & quem sibi visum fuit heredem facit, ac post moritur. Miles domum revertitur, ac lege agit in hereditatem paternam. Causa ad centum viros defertur. Add. Valer. Max. l. 7. c. 7. §. 1.* Promilite adferebatur ratio ex jure civili deprompta, quo irrita declarantur testamenta patris, in quibus filius neque hæres foret scriptus, neque nominatim ex hæredatus; id quod heic factum non fuerat. Et si scriptus hæres excipere posset; legem illam supponere, patri constituisse, filium adhuc sibi superesse; id quod in hoc casu pater ignoravit. Enimvero ex naturali jure simplicius dicitur, patris testamentum fuisse fundatum in persuasionem de morte filii; quam cum falsam esse pateat, voluntatem patris nullam fuisse; cum constet, istam solam fuisse rationem, quare is testamentum mutaverit, & citra quam idem mutaturus non fuerat. Ex quibus etiam facile patet, quid sit respondendum ad quæstionem, plus justo curiosam, quam proponit *Thom. Brownne de religione Medici sect. 20.*

Liceretnè illi, quem heredem Lazarus scripserat, bona ejus obtinere, an ipse jam in vitam redux facultates suas jure repetere possit? Quorum posterius sine dubio asserendum. Nam ratio, quare bona defunctorum ad alios devolvantur, est, quia ipsi rebus humanis eximuntur, eoque istis bonis non amplius indigent. Inde & alicubi pars bonorum defuncti seponeitur, sacerdotibus aut pauperibus eroganda, in usum animæ istius. Alicubi quædam cum mortuis sepeliuntur, aut comburuntur, ad usus alterius vitæ. Cæterum si promissor fuit negligens in re exploranda, id qua consensum suum fundavit, tenetur refarcire, si quod damnum ex inani isto promisso alter accepit. Verum si promissio præsentiam aut absentiam alicujus qualitatis tanquam conditionem præ se non tulerit, licet fortasse ea facta non fuisset, ubi de illa promissori constitisset; promissio nihilominus valida erit. Quod si promissio pro parte duntaxat fuerit fundata in errore, poterit pro reliqua parte valere; nisi forte partium promissi una alteri insit per modum conditionis, aut non nisi conjunctim omnes partes possint præstari. Tunc enim error in parte totum vitiabit.

§. 7. Circa errorem autem, qui in pactis contingit, distinguendum videtur, utrum ad paciscendum quis per errorem fuerit motus, an vero error circa rem, de qua pactum initum est, versetur. Circa prius itidem putaverim dispiciendum, an res sit adhuc integra, an vero minus. Si ex errore ad paciscendum aut contrahendum fuerim impulsus, eumque re integra, & quando nihil adhuc fuit præstitum, deprehendero; æquum sane fuerit, ut facultas poenitendi mihi concedatur; præsertim ubi præ me rulero, dum ad paciscendum accedo, quæ me causa ad hoc impellat. Verum ubi res non amplius est integra, & ubi error patuerit, quando jam pactum est impletum ex toto aut ex parte; qui erravit rescissionem contractus urgere non poterit; nisi quantum alter ex humanitate velit indulgere, y. g. Patrifamilias peregre versanti falsus nuncius adfertur, equos ipsius domi periisse. Hoc ille præ se ferens circa alios emendos contractum inivit. Sed antequam traditio pretii aut equorum fieret, nuncium istum falsum comperit. Puto, eum ad implendum contractum adigi non debere, cum sciente venditore istum nuncium tanquam conditionem supposuerit. Etsi ad id quod interest, aut saltem ad pensandum damnum, si quod fecit venditor, per æquitatem obligetur. Verum ubi pecunia & equi jam mutuo fuerint traditi, etiamsi isti equis deinde opus
non

non sit, non poterit ad reddendam pecuniam, & recipiendos equos compelli venditor, nisi expresse hæc lex contractui dicta sit. Ast ubi error contigerit circa ipsam rem, de qua convenitur, pactum vitiatur non tam ob errorem, quam quia legibus pacti non fuit satisfactum. Quippe cum in pactis ipsa res, de qua convenitur, ejusque qualitates cognitæ debeant esse, citra quam cognitionem liquidus consensus intelligi nequit. Unde defectu deprehensio, qui lædendus foret vel à contractu resilire potest, vel alterum ad supplendum defectum adigere; vel etiam ad præstandum id quod interest, ubi ipsius fraus aut culpa intervenerit. Idque fieri poterit non solum, ubi defectus statim fuit deprehensus, sed etiam, si post intervallum. Quod intervallum, ubi leges civiles deficiunt, arbitrio boni viri est definiendum, ut neque alterius fraudi, neque hujus supinæ negligentæ in re exploranda indulgeatur. Idque paulo laxius est concedendum, si vitium exteriori adspectu, aut nisi à peritissimis deprehendi nequeat. Quod porro vulgo dicitur, errorem circa essentialia pacti id vitiare; (vid. l. 57. D. de oblig. & act.) non eum, qui est circa accidentalia; illud ita interpretandum, ut per essentialia pacti non tantum intelligantur ea, ex quibus essentia physica rei, de qua pactum inicitur, constat; sed etiam illæ qualitates rei, quas paciscens præcipue ob oculos habuit. Sæpe enim contingit, ut in paciscendo qualitas rei in primis æstimetur; ipsa autem substantia rei physica in loco necessarii accessorii habeatur. Vid. l. 34. princ. D. de contrah. emtione. Cicero pro Q. Roscio, de Panurgo fervo: *Quid enim erat Fannii? corpus. Quid Roscii? disciplina. Facies non erat, ars erat pretiosa. Ex qua parte erat Fannii, non erat 1000, ex qua parte erat Roscii, amplius erat 3000. Nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. Nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim aris: disciplina, quæ erat ab hoc tradita, locabat se non minus 3000.* Unde non solum vanus erit contractus, si ab altero Davum emi, & ille mihi Syrum tradiderit; sed etiam ubi professus sum, me servum quærere coquendi peritum, ubi ejus artis imperitus mihi traditus fuerit. Add. l. 9. 10. 11. 14. 41. §. 1. D. de contrah. emtione.

§. 8. Multo magis autem vitiatur promissio aut pactum, si alterius malitiosa fraudulentia, dolusque eum in promittente aut paciscente errorem produxerit, ex quo is ad promittendum, paciscendum vè accessit. Circa doli effectum quæ disputantur, perspicue nos arbitramur expediri posse

posse, si distinguatur primo, abs quo fuerit adhibitus dolus; ab eo, qui cum negotium nobis est, an ab alio. Deinde an dolus dederit causam promisso pacto, ita ut citra illum id omitturi fuerimus; an idem negotio duntaxat inciderit, ita ut suscipere illud quidem constituerimus, verum in objecto, ejusque quantitatibus, & harum æstimatione nobis sit impositum. Ubi dolus à tertio fuerit adhibitus, non colludente eo, quicum paciscimur, nec aliquod in re ipsa deprehendatur vitium, negotium erit firmum: ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus repetere id, quod intererat, nos non esse deceptos. Qui dolo suo malo causam dedit, ut ipsi quid promitterem, cum eo que paciscerer, ei ex isto actu haut quidquam obligor. Vid. *Diodorus Siculus* l. 2. c. 28. Si dolus fuerit, incidens circa ipsam rem, aut qualitatem rei, ad præsens negotium spectantem, hætenus pactum erit vitiosum, ut in arbitrio decepti sit illud penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere. Quæ ad essentiam negotii non faciunt, nec expresse fuerint designata, actum non vitiant, licet forte alter de iis, dum paciscitur, tacite cogitavit. Quid juris sit, si in pretio enormis deceptio contigerit, infra docebitur.

§. 9. Dispiciendum jam est de metu, quousque ille actus humanos reddat ineptos ad producendam obligationem. Ejus duæ hæc potissimum species expendendæ veniunt. Quarum una oritur ex vitio aut alia quapiam dispositione, hærente in eo, cui quis sese est obligaturus, vel etiam ex maligna ejusdem voluntate, sat perpicue significata, unde oritur probabilis suspicio imminentis ab ipso deceptionis. Altera notat vehementem animi terrorem, ortum ex intentato majore malo, nî promissum aut pactum inire velimus. Circa priorem metus speciem id quidem certum videtur; si aliquem videam, qui in universum nihil pensi habeat quosvis promiscue decipere, ac *ridendo fidem fallere*; aut circa præsens negotium animadvertam, eundem insidias mihi tendere: stolide me facere, si data ab ipso fide confisus, ludibrio me ejusdem ac fraudi exponam. Qui enim in casses prævisos ultro ruit, etiam miserationem consumsit. Sic quis fidem adhibeat ejusmodi hominum generi, quale describit *Plautus Curculione*: *Promisi lingua: eadem nunc nego: dicendi, non rem perdendi gratia hæc nata est mihi; & Rudente: Qua hæc factio est? non debes? non tu juratus es mihi? Leno. Juratus sum, & nunc jurabo, si quid voluptati est mihi: jusjurandum rei servandæ, non perdendæ conditum est.*

Memus

Metus arbitratus est lingua quid juret mea. Aut prout delineat Græcos suos Polybius l. 6. *Qui publicam pecuniam tractant apud Græcos, si vel unum duntaxat talentum eis fuerit creditum, decem rescriptionibus adhibitis, sigillis toridem, testibus autem duplo pluribus, fidem tamen ut seruent, impetrare nequeas.* Sed an ejusmodi metus, aut suspicio deceptionis pactum jam initum reddat invalidum, eumque qui decipi timet, abs necessitate præstandi absolvat, patebit, ubi sententiam *Hobbesii de civē l. 2. §. II.* examinaverimus. Iste igitur tradit, *pacta mutua fidei, neutro quidquam statim præstante, in statu natura frustra esse & invalida, si justus ex utraque parte metus oriatur.* Quæ assertio admitti non potest, nisi post pactum initum ex alterutra parte justus oriatur metus fore, ut ubi unus pactum impleverit, alter paria haut quidquam sit factururus. Justum autem vocamus metum, qui liquidis indiciis & argumentis est subnixus. Nam magnæ instar injuriæ est, probatam antea alicujus fidem mox nulla nova causa damnare. Hinc & ipse *Hobbesius in annotatis* addit; *nisi metus causa nova existat, ex facto aut alio signo voluntatis non præstandi à parte altera, metus justus censeri non potest.* *Causa enim, qua impedire non poterat, quin pacisceretur, impedire non debet, quin pactum præstet.* Scilicet etiam si ante pactum initum alicui fuerit oborta suspicio, fore, ut ab altero in pacto decipiatur: tamen eo ipso, dum cum illo paciscitur, huic metui velut renunciat, & non sufficientem eum declarat, quo minus fides alteri queat haberi. Alias enim nihil inter eos fuisset actum. Ab initio tamen hæc videtur fuisse *Hobbesii* sententia, quod etiam citra ejusmodi metum, post pactum obortum, idem sit irritum. Id quod adparet tum ex *Ipsius opere de corpore politico*, Gallice conscripto, ubi restrictio illa de metu recens oborto non extat; tum ex subjuncta ratione: *quod ille, qui prior præstat, propter pravum ingenium maxima partis hominum, commodi suo jure & injuria juxta studentium, cupidini se prodat illius, quicum contrahit. Rationis autem non esse, ut aliquis præstet prior, si verisimile non sit, alterum esse præstiturum post.* Ubi adparet, ipsum causam suspicionis ex communi hominum pravitate petere. Atqui hoc modo maxima pars mortalium inepta declarabitur, quicum pacta iniri possint; quin in universum fides proscribetur inter eos, qui eidem judici non sunt subjecti. Cum enim de constantia alicujus hominis falli nescia certitudo nequeat haberi, magna quoque hominum pars in prava sit insigniter proclivis: & vero in statu naturali quilibet proprio ex judicio de

negotii suis disponat, ac ipse de metus sui probabilitate iudicet; jam vana quoque suspicio ad abruptum pactum erit sufficiens, adeoque nullus plane pactorum extra civitatem erit usus. Deinde durum nimis fuerit, universo mortalium generi tantam malitiam impingere, ut in eorum animis reverentiam Numinis & fas fidei, & vim sanæ rationis, remota lege civili, tam parum valere iudicemus. Cum illud potius indelebilem fidei sensum, omnium animis plane inolitum arguat, quod vix quisquam reperitur, qui perfidum sese aperte fateatur; sed nemo non graves ob causas à pactis discessisse videri velit. Imo & qui fidem cum una gente violat, statim se ad fidem alterius gentis confert, ac fœdere, fideque data illam sibi adungere studet; ac quod ob violatam fidem sibi malum imminabat, opera fidei dispellere nititur. Quare & recte præsumitur, quemlibet quod iustum est facturum, donec prava per facta contrarium fuerit ostensum. Quo potest & applicari illud *Luciani in philopseude: γὰρ ὅρα ποιεῖς ἀπιστῶν ἀπιστοῦν, ridicule facis omnibus diffidens.* Ex quibus concluditur, metum illum violandæ fidei, ortum ex sola generali pravitate ingenii humani, non esse sufficientem ad detrectandam pacti implerionem. Hinc frivolus valde erat prætextus Mitylenæorum, quem abrupto cum Atheniensibus fœderi obtendebant, apud *Thucydidem* l. 3. *Ipsi nos belli temporibus veriti in honore habebant: nos ipsi in pace idem præstabamus. Et cum aliis benevolentia stabilem reddat fidem, nobis eam metus tutam exhibebat. Ita non tam benevolentia nos, quam timor in societate continuit, adeoque quibus primores tutiores metum demerent, ii etiam primi societatem rupturierant.* Imo licet peculiaria vitia in aliquo deprehendantur, non tamen ideo statim fides data ipsi non est servanda. Nam multa vitia fidem non tangunt. Sic utut quis sit proclivis in libidinem, in ebrietatem, in crudelitatem; id tamen per se non obstat, quo minus in servanda fide constantiam amare queat. Quia licet quis labore vitii, ad fidei firmitatem convellendam spectantibus, puta, si in ipso adpareat desultoria animi levitas, vel flagrans auri fames, nil non mortalia cogens pectora, aut regnandi libido, quæ apud multos omni affectu potentior est: tamen ne hæc quidem in se sufficiunt, ut quis fidem ejusmodi homini datam detrectet implere. Nam & sæpe potest contingere, ut ex peculiari affectu quis in alterum sit injurius, qui sancte tecum vivit. Et eo ipso dum paciscor cum altero, cujus animum novi, declaro, ea vitia non sufficere, quo minus fides ipsi à me queat

habe-

haberi; adeoque renuncio exceptioni, quæ ex ipsius moribus poterat peti circa renuendam pacti impletionem. Alias enim nihil fuisset actum, si quis ab initio sibi voluisset reservare aliquid, per quod pro lubitu negotium possit reddere irritum. Etsi ubi quis cum eo, à quo semel fuit deceptus, denuo paciscatur citra peculiarem cautionem, imprudenter sane faciat. Sic ut apud aliquos in proverbium abierit: qui semel me deceperit, illum dii perdant; si bis me deceperit, dii me perdant. Add. *Senec. de benefic. l. 4. c. 27. in fine.* Quin & ubi post pactum initum certa adpareant indicia, ipsum id agere, ut me decipiat, summa foret stoliditas alterius sese fraudulentæ ultro præbere. *Cicero de Invent. l. 1. Summa amentia est, in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis.* Inde apud *Homerum Iliad. 7. Menelaus:* Ἀχαιοὶ δὲ πρίαμοιο βίβω, ὄφρα ἔρχεται Ἰάμεν ἄυτος, ἵππει οἱ παῖδες ὑπερβιάδοι & ἀπίστοι. *Adducite huc Priamum, ut fœdera seriat ipse, quoniam ejus filii fœdisfragi sunt & infidi.* Add. *Polybius l. 8. c. 1. 2. l. X. c. 34.* Quo spectat etiam illud *Ciceronis in Verrem l. 1. Omnium est communis inimicus, qui fuit hostis suorum: nemo unquam sapiens proditori credendum putavit. Idem pro Rabirio Postumo: Vbi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures deos juret, non oportet.* Add. *Seneca de beneficiis l. IV. c. 27. in fine.* Id tamen fatemur, si qui aperte profiteatur, se religionem fidei floccifacere, aut si talia foveat dogmata, ex quibus necessario idem consequitur; in ejusdem promissis patrisvè nullam locandam esse fiduciam, nisi quatenus à nobis per vim cogi possit, si tergiversetur, aut manifesta ipsius utilitas subegerit conventis stare. Ex quo genere sunt athei, qui vel Deum esse vel divinam providentiam abnuunt; à quibus non longe abeunt, qui animas corporibus superstites negant. Hi enim non possunt non omne jus utilitate, ad judicium proprium exacta, metiri. Huc quoque referre possis, quorum vitæ genus apertam flagitii professionem habet; quales sunt piratæ, latrones, sicarii, lenones, meretrices, & id genus alii, queis pejerasse inter ludicra habetur. *Tacitus A. XI. Nec degeneres insidix fuere adversus transfugam, & violatorem fidei.* Sed & illud negari nequit, etsi ratio *Hobbessi* supra adducta omem vim pactorum in statu naturali non elidat; hæc tamen prudentiæ regulas inde colligi: ut ne quis magnam in fœdere fiduciam collocet, nisi ubi videat, alterius utilitatem non minus ac nostram in eo versari, ut istud servetur, &

certum isti malum & incommodum imminere, graviusque, quam quod fidem servatam comitatur, nî pacto steterit. Item, ut qui cum superiore est contracturus, ita contrahat, ut non ipse, sed superior conventa prius præstet. Nam inferior si prius præstiterit, aut decipietur, aut abs mera alterius gratia dependebit. Inde ad postulata Artaxerxis ita subungebat Socrates Achæus: *Nimis vecorditer nobiscum Rex agit. Quæ enim à nobis auferre cupit, statim sibi tradi postulat; quæ contra referenda sunt, precando de hinc obtinere jubet*, ap. *Diodor. Siculum* l. 14. c. 24. Unde etiam *facilior speratur fides ex pari. Quintilian. declam.* 312. Item, quod salutem suam periculo exponat, qui pactum præstando seipsum debilitat, & alterum confirmat, sperans fore, ut hujus viribus ipse postea juxta promissum adjuvetur. Nam rem pro verbis, scripturis, & sigillis permutare stolidum fuerit, ubi nihil aliud est præter religionem fidei, quod avaritiæ ac dominandi libidini opponatur. *Andr. Maurocenus hist. Venet.* l. V. *In fœdere certum rebus nostris præsidium collocare non ausim; cum ea sit societatum ratio, ut variis rerum eventibus inturbati, ac præpediri queant; atque alii sapius sociorum fines animos & vires in diversa trahant, ac dum quisque suis rebus consulit, commune bonum negligatur; subsidia neque paria, neque eodem tempore, uti constitutum est, submittantur: inde suspiciones, animarum alienationes; ex his dissidia; ex dissidiis denique leges fœderum violata ac deserta; qui minores reliquis ad obfistendum afferre possunt, præda loco non hostibus modo, verum etiam sociis suère.*

§. 10. Sequitur, ut dispiciamus de illo metu, quem cominus intentatum grave malum incutit; de quo paulo altius videtur repetendum. Supponimus igitur heic, voluntatem nostram naturaliter inclinari ad id, quod bonum ipsi adparet. Non minus autem voluntati bonum atque adpetibile adparet malum imminens effugere, quam absens bonum acquirere; & quæ ad utrumque finem faciunt media eliguntur, ut ut aliàs ipsa in se non sint adpetibilia. Non minus enim ob consequendum aliquod bonum adhibentur molesta, & per se ingrata media, quam ad effugiendum malum. Etsi spes boni consequendi molestiam mediorem magis abstergat, quam sollicitudo malum declinandi. Et hanc ob rationem *Aristoteles Nicom.* 3. c. 1. illas duntaxat actiones, quæ ob declinandum malum suscipiuntur, mixtas vocavit; quarum exemplum tritissimum est in jactu mercium, naufragio imminente. Etsi non molliora susti-

sustinuerint v.g. athletæ, qui coronæ per certamina reportandæ sese præparabant. Vid. *Epicteti enchirid.* c. 35. Enimvero quanquam actiones, metu maioris mali susceptæ, inter spontaneas sint referendæ, & minus malum, quod tunc eligimus, pro præsentis conditione revera à nobis adpetatur: id tamen nondum sufficit, ut ex illis obligatio aliqua adversus alterum apud nos oriatur. Cum enim obligatio semper referatur ad alium, cui quid est præstandum; adeoque illi respondeat in altero jus, cujus vi exigere queat obligationis impletionem; non sufficit ad eandem generandam, ut in uno sint principia obligationem producentia, sed in altero quoque requiruntur principia ad jus quærendum idonea. Citra jus quippe obligationi respondens nulla intelligi potest obligatio. Er nihil debeo, si nemo jure me poscere quid potest. Igitur ille demum metu obligationem producendam elidit, qui in altero ponit vitium, quod ineptum ipsum reddit ad jus acquirendum. Quod vitium est injuria; quæ sane id efficere non potest, ut per eam producat id, cui ipsa quam maxime repugnat. Cum enim lex naturæ jubeat præstare id, ad quod alteri jus est; absurdum utique videtur, per injuriam, id est, facto legi naturali contrario produci aliquid, cui ipsa lex naturalis firmitatem communicet, utque adeo ipsa ad sui destructionem inserviat. Sane quæ furtum prohibet lex, inter justos acquirendi modos utique furtum referre non potest.

§. II. Est tamen omnino prius considerandum, quisnam metum incusserit, utrum ille, quicum nobis est negotium, an vero alius. Et deinde an quis potestatem habuerit terrorem ostentandi, an minus. Id enim dubium non habet, cum in tenebris, ubi me obstrinxi propter effugiendum metum à tertio incussu, non instigante, aut colludente eo, cui promissio fuit facta. Nam in illo nihil residet vitium, quod acquisitionem juris adversus me impediatur; & is merito, quæ mihi præstitit, imputare potest, quod ipsius auxilio ad discutiendum præsens periculum fui usus. Sic si aliquem conduxero, ut iter facienti contra latrones mihi adsint, sine dubio pactum servandum fuerit. Imo ingrati animi quoque, non solum perfidiæ crimen contrahit, qui in rebus angustiis constitutus largis promissis alios in auxilium sollicitat; post ubi eorum ope periculum evasit, moras necere instituit. Sed & validum est promissum tertio factum, si quis ad illud pro imperio, & metu poenæ fuerit adactus ab

eo, cui tale quid injungendi potestas erat. Nam neque in promissario aliquod vitium hæret; & sibi ipsi imputet, qui metu se urgeri voluit ad illud suscipiendum, quod ultro suscipere debebat. Sic si princeps aliquis milites suos extraneo cuiquam velit præsidii causa adjungere, & ad majorem securitatem compellat eos isti quoque fidem dare; non poterunt hi promissa eludere obtentu metus sibi injecti; utpote ab eo profecti, cui talia quocunque modo exigendi jus erat. Sic si ponamus patrem filiae etiam invitæ sponsum dare posse, ubi ea metu paterni imperii sponso invito fidem dederit, haut quidquam illam deinceps fallere poterit. Nam in sponso nihil hæret vitii, quare sibi ex eo promissio jus non potuerit quaerere; & debebat filia ultro patris jussu capessere. Atque hætenus interest, quisnam metum incusserit. De cætero recte pronunciant leges Romanæ, nihil interesse, quis metum incusserit, ubi scilicet nemini jus fuit metum intentandi, & quando metus causam, non nudam occasionem, promissio aut pacto dedit. Vid. l. 14. §. 3. D. *quod metus causa*. Seneca l. IV. *controv.* 27. *An, si est in re vis & necessitas, ita tamen rescindantur, quæ per vim & necessitatem gesta sunt, si vis & necessitas à pacificente adhibita est? Nihil, inquit, mea, antu cogaris, si non à me cogaris, meam culpam oportet esse, ut mea pœna sit. Non, inquit; neque enim lex adhibenti vim irascitur, sed passus succurrit: & iniquum illi videtur, id ratum esse, quod aliquis non quia voluit, patet, sed quia coactus est. Nihil autem refert, per quem illi necesse fuit. Iniquum enim quod rescinditur, facit fortuna ejus, qui passus est, non persona facientis. Idem excerpt. *controv.* l. IV. c. 8. *Non mea, inquit, sed aliena vis fuit. Æque dignus est pœna, qui ipse vim adhibet, & qui ab alio admota ad lucrum suum utitur.* Enimvero invalida judicamus illa pacta & promissa, ad quæ ab illo ipso, cui promittit, aut quicum paciscitur, injusta ejusdem vi quis compellitur. Cum enim jure naturali, qui per injustum metum alteri quid extorsit, id restituere teneatur, adeoque tantum debeat pensare, quantum isti per tale pactum decedit; per compensationem velut tolli obligatio intelligetur, si non solvitur id, quod statim restitui debebat. Vid. l. 8. D. *de doli except.* Ac siolidum foret sponte, quod ob vim promissum fuit, solvere, ubi jam quis in loca tuta evaserit, ac deinceps damni sui penationem velle repetere. (*Martialis* l. XI. *epigr.* 59. *Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est, Tunc libertatem divitiasque roget? Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor, Latro rogat; res est imperiosa timor. Sed fuerit**

fuerit curua cum tuta novacula theca, Frangam tonsori crura manusq; simul.)
 Præsertim cum eo ipso, quod promissum à me exigit, aut acceptat, satis profiteatur, se damnum mihi datum ultro nolle sarcire. Inepta præterea est ad quærendum sibi jus hæc velut materia, alteri non inferre id, quod per leges inferre prohibebaris; & absurde imputas alteri, quod non feceris id, quo facto graviter peccaturus fueras. Inde recte Cicero *Philipp. 2.* negat se Antonio debere beneficium, quod ab ipso Brundusii non fuerit interfectus. *Quale beneficium est, inquit, quod te abstinueris nefario scelere? quod est aliud beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint. Horatius l. 1. epist. 15. Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat Servus: habes pretium, loris non ureris, ajo. Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos. Sum bonus atque frangi, renuit, negat atque Sabelus. Idem de arte: Vitavi denique culpam Non laudem merui. Add. l. 7. §. 3. D. de pactis. Seneca l. 2. contro. 13. Non est beneficium, scelus non facere. Quintilian. declam. 330. Non inter beneficia duco injuria finem.* Neque magis videtur teneri, qui in ejusmodi casu pro altero fidejubet, etsi hic ex proprio se metu non obliget. Cum enim fidejussio sit velut firmamentum accessorium negotii principalis; absurdum fuerit saltem de jure naturali, accessorio plus inesse efficaciam, quam primario negotio; aut laxius obligari principalem debitorem, quam qui ejusdem obligationem velut in subsidium suscepturum se promissit. Secus tamen videtur dicendum, si tertius obligationem propriam, & quæ non dependeat ab obligatione capti, aut eidem succenturietur, cum latrone contrahat. Puta, si quis misericordia ductus latroni quid promittat, ut in ipsius gratiam aliquem incolumem dimittat. Huic enim neque metus injustus est illatus, neque exceptiones capto competentes idem mutuari potest; quia non istius, sed proprio nomine se obligavit, nec suam obligationem illius obligationi, quæ nulla fuit, superstruxit. Et digna est res, ob quam aliquid præstetur, innocentis vitam conservasse; & sibi eximiam humanitatis laudem circumposuisse. Quod si vero obsides dederit, aut de focis quosdam in latronum potestate reliquerit captus, quoad promissa repræsententur; tenetur non ex pacto cum latronibus, sed ex eo, quod ipsi cum obsidibus intercedit. Huc quoque pertinet, quod Marocci, & alius quibusdam in partibus Africae, Christiani captivi universi
 pro

pro singulis de non capeffenda fuga fidem interponunt; per quam cautionem compedibus liberati per urbem ambulare possunt. Quod si unus eorum aufugerit, cæteri ejus pretium persolvere coguntur. An autem per juramentum tale promissum solidetur, infra erit dispiciendum. Atque hæcenus admitimus, quod *Cicero Offic. 3.* tradit: *si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc non fides esse debet, nec jusjurandum commune.* Scilicet quæ talibus per metum sunt promissa, præstari necessum non est. Sed ratio quam *Is* subjungit, multis non est ad palatum; præcipue si extendatur ad illa quoque promissa & pacta; quæ nulla vi compulsi cum istis inimus. Etsi enim moribus gentium aliter tractatur justus hostis, aliter latro & pirata, (quo adplicari potest illud apud *Heliodorum Æthiop. l. I.* ἡ γὰρ ἐπὶ ῥητοῖς ποτὶ ληστῆρας ἔλαξε νόλον, ἡ δὲ ὄντων δαῖς ἔχει τὴν λύτην. *Neque enim unquam pactis bellum inter prædones compositum est, neque fœderibus finitum:*) non ideo tamen is statim omnia jura hominis amisit, saltem ubi humano adhuc modo cum quibusdam agit. Nam quando mecum extra metum paciscitur, sane non ut latro, sed ut quivis alius homo agit. Communis autem hostis latro vocatur, quod non instar aliorum hostium certo alicui bellum indicat, sed omnibus promiscue, qui in manus ejus incidere, hostilia intet. Quo nomine etiam ad eundem coërcendum non indicto bello, aut singulari militum auratione opus est, sed cuilibet contra hunc licentiam militiæ ipsa natura indulget. Nihilominus dici potest, quemadmodum, fatente *Cicerone*, status hostilis non obstat, quo minus fides hosti data sit servanda; sic nec communem illam latronis hostilitatem prohibere, quo minus pacta cum illo inita sint servanda; præsertim cum actus hostilitatis, dum pacta in it, latro non exerceat. Sed & satisfacit suæ objectioni *Grotius l. 3. c. 19. §. 3.* *Qui atrociter malefici sunt, neque pars sunt ullius civitatis; hi possunt abs quovis homine puniri, si jus natura respicimus,* (quæ hypothesis tamen alio loco à nobis examinabitur.) At qui puniri possunt, ut vitam amittant, his & res & jura sua auferri itidem possunt. Inter jura autem illa est quoque hoc jus ex promisso quæsitum; poterit igitur & hoc in pœnam ei auferri. Enimvero qui ultro cum latrone paciscitur, quem talem novit, eo ipso censetur renunciassè exceptioni illi, quam ex persona ipsius petitam validitati promissionis pot-

crat

erat opponere. Quia alias nihil inter illos fuisset actum. Unde si latro me errantem in rectam viam promissa mercede deduxerit, non dubium mihi est, quin eam persolvere debeam. Sicuti & l. 31. D. *depositi* tradit, latroni depositum esse reddendum, siquidem non adpareat is, cui ea res à latrone crepta fuit, si modo depositarius malitiam deponentis ignoraverit. Nam si quis & istum latronem, & hæc spolia alteri detracta noverit, non video, quomodo eorum custodiam recipere possit, ut inde crimen non contrahat.

§. 12. Sunt tamen plurimi, qui promissis pactisque per vim extortis virtutem obligandi inesse contendunt. Aliqui ad auctoritatem juris Romani confugiunt, quod cum per talia pacta læsis beneficio restitutionis in integrum succurrat, utique videtur supponere; stricto jure ejusmodi negotiis vim obligandi inesse, verum ejus juris rigorem æquitate Prætoris temperandum. Sed legibus Romanis facile sua constat ratio. Cum enim non præsumatur, in civitate degenti vim esse illatam, atque ea exceptio dubiam possit habere disceptationem; conveniens utique erat ejusmodi pactum tantisper sustineri, donec à judice super metu illato posset cognosci. Ex quo tamen non consequitur, ejusmodi pacto, ut & aliis negotiis, quæ per exceptionem peremptoriam possunt elidi, intrinsecam vim obligandi inesse; cum istæ exceptionum ambages magis ad usum fori civilis, quam simplicitatem juris naturalis pertineant, saltem ubi agitur inter eos, qui communem judicem non agnoscunt. Grotius l. 2. c. 11. §. 7. tradit: ideo *naturaliter eum, qui metu quid promisit obligari, quia consensus adfuit, & quidem absolutus, posita ista hac rerum conditione,* (Est quippe *ἡ ψυχή τοῦ ἀνθρώπου πάντων ἀποτιμώτατον, homini anima omnibus rebus pretiosior. Heliod. Æthiop. l. V.*) etsi malo illo non imminente in tale quid consensus non fuerat. Enimvero uti omnis obligatio, ex pacto orta, in altero ponit jus ipsi respondens: ita non sufficit, ut in me sint requisita ad obligationem producendam necessaria, sed ab altero quoque abesse vitia debent, quæ juris in ipso acquisitionem intercipient. Adeoque non statim si in me facultas est aliquid transferendi, in altero est facultas accipiendi. Igitur cum obligatio, cui ex adversum jus non respondet, inanis sit, non est credendum, ex solo meo consensu obligationem nasci, ubi alter per jus naturæ prohibetur accipere. Id quod hoc casu omnino fit. Quæ enim lex metum alteri incutere vetat, eadem quoque ex isto metu

jus adquirere, lucrumvè facere prohibet. Incongruum autem est, quod subjungit; *si is, cui promittitur, metum intulit, quamvis levem, atque inde secuta fuerit promissio, eum teneri ad liberandum promissorem, si promissor velit; non quod inefficax fuerit promissio, sed ob damnum injuria datum.* Atqui si obligatione liberari possum meo arbitrio, citra præstationem alicujus rei, jam actu liber sum. Quid ergo opus hisce ambagibus; tu debes me liberare obligatione, si ipse velim. Quin dicimus, quia ad promittendum vi me adegisti, nihil tibi debeo; & frustra à me illud exigis, quod ubi præstitero, tu statim restituere teneris. Add. *Seneca controvers. IV. 26.*

§. 13. *Hobbesius de Civitate c. 2. §. 16. pro hac sententia aliis argumentis pugnat. Ait, pacta ex metu profecta non eo nomine esse invalida, quod ex metu sint profecta: alias enim sequeretur, pacta ea, quibus in vitam civilem homines congregantur, & leges condunt, esse invalida: (procedit enim à metu mutua cadis, quod alter alterius regimini se submittit:) neque cum ratione cum facere, qui captivum paciscenti pretium redemptionis suæ fidem adhibet. Verum in priori argumento ambiguo sensu vocabuli metus luditur. Alterius enim plane generis est metus, ob quem homines in civitates congregantur, quam is, de quo hec agimus. Ille enim est cautio circa declinandum aliquod malum, quod indefinite potest accidere. Hic autem est terror ex cominus intentato gravi malo, cuique repellendo ipse non sufficio, ortus. Igitur longe diversæ indolis sunt pacta, quibus mutuam auxilium paciscimur, ne singuli à communi hoste opprimamur; & quibus quid promittimus, ut effugiamus malum, ab altero injuste nobis intentatum. Circa posterius argumentum facile concedimus, stulte latronem facere, qui per injuriam promissum extorsit, & post fidem alteri adhibet, velut jure cum ipso egisset. Ut enim idem sceleratus sit, & stolidus, nihil repugnat; juxta illud *Menandri apud Stobæum sermone 2. ἀουλόγιστον ἔστι τὸ ποινεῖν. inconsiderata res est malitia.* Qui contra ego dixerim, hautquaquam cum ratione facere eum, qui ex periculo injulte conciliato ereptus ultro latroni pretium sui flagitii persolvit. Huc facit illud *Dionysii Halicarn. l. 8. Quicquid necessitas pro tempore vel privatis hominibus, vel civitatibus extorquet, tantisper durat, donec cesset ea necessitas. Addit; universaliter verum esse, obligare pacta, quando acceptum est bonum, & quando promittere, & id quod promittitur licitum est. Licitum est autem & ad redimendam vitam promittere, & de meo dare quicquid vulnere cuiquam etiam**

etiam latroni. Atqui non potest bonum dici id, quod latro viatori præstat; dum erper injuriam vitam non adimit. Absurdum est alicui tanquam bonum imputare velle intermissionem injuriæ. Tunc quippe dicimur bonum quid in alterum contulisse, quando vel bonum, quod antea deerat, dedimus, vel præsens conservavimus, vel malum, quod præter nostram culpam ipsi imminebat, dispulimus. Sicut stulte apud *Herodotum Thalia Polycrates*, dum amicos juxta & inimicos nullo discrimine deprædatur, in excusationem adferebat; *quod magis gratificaretur amico, si ei quæ abstulisset redderet, quam si nihil ab initio abstulisset.* Deinde non sequitur; licitum est mihi promittere & dare latroni; Ergo etiam illi est jus id exigendi, aut ego ad idem interno aliquo vinculo teneor. Multa licite possumus facere, ad quæ nulla nos obligatio stringit. Licite possum res meas abjicere; sed ut hoc faciam, non statim ab altero possum obligari. Unde & falsa est regula, quam *Idem* proponit *Leviath. c. 14. Quicquid facere licitum est non obligato, idem licite pacisci possum propter metum. Quod autem licitum est pacisci, id illicitum est non præstare.* Addendum quippe fuerat; modo honeste ab altero id exigi possit.

§. 14. Hæc denique & illa quæstio subjungenda; cum quæ ex errore aut metu promittuntur, sint invalida, si post errore discusso, aut metu depulso quis utique dictis suis stare velit, qua ratione illa promissa convalescant? Nam quod ab initio invalidum fuit, ex post facto convalescere potest, si accedat causa nova, jus per se parere idonea; quæ hoc casu est consensus liquidus & ultroneus. Alii ergo dicunt, ad confirmandam ejusmodi promissionem sufficere solum animi actum internum, seu consensum liquidum & liberum in eam promissionem, etsi nullo is signo exprimatur. Jam enim externum consensus signum antecessisse. Accedente ergo jam intrinseca animi destinatione liquida & libera, nihil deesse, quod ad pariendam obligationem requiratur. Aliis hæc ratio displicet, quod consensum internum, & actum exteriorem eodem tempore existere oporteat, eoque actum externum antegressum non posse esse signum actus interni subsequenter, de quo fortasse antea cogitatum non fuerat. Igitur ut tale promissum valeat, requirunt novam verbis factam promissionem & acceptationem. *Grotius. 2. c. 11. §. 20.* mediam sententiam sequitur, quod omnino signis quibusdam opus sit ad declarandum consensum internum supervenientem; quia alias

alter de jure suo certus esse nequit. Verum ut verbis hoc fiat, necesse non est, cum etiam alia heic signa sufficere possint. Puta, si promissor, errore cognito, metuque depulso, ultro praestet, aut super jam exhibita re controversiam non moveat, cum commode possit, aut si post de eadem re cum altero tractet tanquam tali, quam is jure possideat. Cui sententia & nos subscribimus.

§. 15. Cæterum & hoc addendum est, ut promissio sit valida, requiri non solum consensum ejus, qui promittit, sed & ejus, cui promittitur; (l. 19. §. 2. D. de donation.) & quidem per signa sufficientia expressum; ubi interdum nutus sufficere potest, si vel ultro quid offeratur, vel id antea sit petitum. Quando enim consensus alterius abest, seu oblatum promissum is acceptare recusaverit, res promissa penes promissorem manet, etiam ubi juramentum accesserit: quia & hoc ante acceptationem jus non transfert, sed hoc tantum efficit, ne mihi oblatum retractare liceat, antequam de ipsius recusatione constiterit. Scilicet qui alteri rem suam offert, neque invito eandem vult obtrudere, neque pro derelicta habere. Ergo si alter non acceptaverit, juri promittentis in rem oblatam nihil decessit. Quod si rogatio antecessit, censebitur ea durare, nisi expresse fuerit revocata; eoque casu in antecessum acceptatio facta intelligitur, ita tamen, ut rogationi respondeat oblatio. Nam v. g. si quis de minore summa, quam alter rogat, responderit, expressa requiritur acceptatio, quando alteri minore, quam rogavit, summa non est consultum; alias non nisi in summam concurrentem tenebitur. Quo loco notandum illud *Plutarch. quest. sympos. l. 9. c. 13. potio rem esse, & majoris auctoritatis orationem ejus, qui conditionem obtulit: qui vero oblatam accipiunt, jus addendi aliquid non habere.* Scil. quia promissario non potest jus nasci, nisi quantum promissor consenserit. Quod si promissor alteri rogationi simpliciter annuerit, rogatio illa tacite repetita censebitur. Add. *Grotius l. 2. c. 16. §. 32. Ad l. 3. D. de pollicitat. ex qua nonnulli concluderunt, ad promissum valide contrahendum sufficere solum promittentis actum; Grotius l. 2. c. 11. §. 14. respondet: pollicitationem semel factam non esse revocandam, ut acceptari semper possit, non quod ante acceptationem obligatio contrahatur. Verum curatius insipientibus id docere videtur *Ulpianus*, pactum esse consensum atque conventionem duorum, i. e. reciprocam promissionem; pollicitationem autem esse solius offerentis promissum.*

sum. Quo ipso non negatur, & hanc ab acceptatione demum valescere. Et jam in antecessum civitas acceptationem significavit, si pollicitatio fiat ob petitos aut adeptos honores; recusavit, quæ citra causam promittuntur. Vid. l. 1. §. 1. d. t. l. 19. D. de donat. Sine causa autem tradita vindicari prohibentur. l. 3. §. 1. d. t. quia traditio sine acceptatione fieri non potuit; adeoque quia revera dominium rei jam in municipium fuit translatum. Cæterum, quia in obligationibus quibusvis in eo, quem illæ spectant, seu cui jus ex iis quæritur, consensus requiritur acceptandæ alterius obligationi, & juri per hanc translato, isque vel proprius vel vicarius, expressus per signa animi sensum testantia; patet quoque, quid sentiendum sit de firmitate *votorum*, seu obligationum sponte accersitarum adversus Deum. Scilicet non possunt ea valide suscipi, nisi aut ipse Deus revelaverit, se ea acceptaturum, aut aliquis sit constitutus, qui vice Dei super istorum validitate inter homines cognoscat. Alias enim constare homini non potest, an Deus velit ipsum obligari, an minus, seu placeat Deo votum servari, an displiceat. Præsertim cum vota circa ejusmodi res debeant concipi, quæ Deus per modum præcepti antea à nobis, saltem definite, non exigebat. Nam & implicat, quod necessario alias faciendum erat, tanquam indebite factum alteri velle imputare: & constare nobis non potest, nisi ex revelatione divina, actum aliquem à Deo non præceptum eidem gratum fore. Vota autem suscipere, quæ Deo grata fore, non constat, inutile est. Sed an non licebit consensum & adprobationem Dei præsumere? Id nos putamus, posse fieri non nisi in illis rebus, quæ indefinite legi naturali, adeoque voluntati divinæ congruunt, sed in quibus applicatio ad personas, locum, tempus, ac definitio quantitatis in arbitrio & judicio hominum est relicta. Unde recte arbitramur servari vota, quibus quis ad certam summam pecuniæ se obligat in pauperes, aut ad pias causas erogandam, ubi per talem erogationem alia officia necessaria non intercipiuntur; item quibus certorum dierum jejunia quis sibi imperat, aut abstinentiam à certo cibo potu vè saltem intra certam quantitatem; item quibus genus ornamenti superflui, puta, margaritas, gemmas, auri que gestationem quis sibi interdicit, & similia, quæ ad virtutem aliquam referri possunt, licet certa ejusmodi determinatio non sit in præcepto. Ast inepta arbitramur vota, quæ non nisi voventi molestiam pariunt, ac nullam aliis hominibus utilitatem generant;

multoque magis, si istis alia officia intercipientur. Movetur & illud heic, num obligatio incipiat apud promittentem eo momento, quo acceptatio facta fuit, an tunc demum, quando promissori innotuit, eam factam fuisse. Ubi certum est, promissionem posse concipi duplici modo; vel sic, volo ut valeat, si acceptetur; vel ita, volo ut valeat, si acceptam intellexero. In dubio autem ex negotii natura præsumendum, utrum sensum ob oculos habuerit promissor. Prior sensus magis præsumitur in promissione mere liberali, & pura, quia heic promissor ad se ipsum obligandum velut properare videtur: posterior in promissione, cui conditio potestativa aut mixta fuit adjecta. *Conf. Grotius l. 2. c. 11. §. 15.*

§. 16. Superest, ut quædam subnectamus de signis, per quæ consensus exprimitur; quæ sane ad producendam obligationem necessaria sunt, quippe cum actuum voluntatis, quamdiu signis non manifestantur, nullus inter homines invicem effectus esse queat. Sunt autem signa imperfectiora quidem gestus, quos in commerciis adhiberi oportet inter illos, quorum lingua invicem non intelliguntur; perfectiora autem verba utrinque intellecta. *Vid. 1. Corinth. XIV. 11. Utrinque intellecta dico.* Unde forte est, quod Turcæ non aliter pactis & foederibus adstringi se putent, quam quæ ipsorum lingua & charactere sunt conscripta. *Vid. Marselaer Legato l. 1. c. 30.* Hæc porro ut eo liquidius ac firmiter voluntatem exprimerent, institutum est, tum ut pactis majoris momenti testes adhiberentur, ad quorum memoriam & conscientiam provocaretur, si fors pactum ipsum ab alterutro negaretur, aut de verbis pacti dubium fuerit ortum: tum vel maxime, ut scripto comprehenderentur leges pacti, quorum locum quandoque apud Græcos quædam tesserae aut *Σύμβολα* supplebant. Nam etiam complurium hominum memoria labilis, aut fluxa fides; scripta vero oblivioni aut perfidiae haut quidquam ita obnoxia. Nuda quoque verba frequenter hac exceptione eluduntur, quod per præcipitaniam, aut re non recte perspecta fuerint prolata. Quam exceptionem scripta quoque excludunt, quippe quæ dum concipiuntur, clare admodum, & non sine mora aliqua paciscentis animo rem subjiciunt, ut si quidem hæc adprobaverit, plene in rem ipsam consensisse omnino judicandus sit, sic ut postea nequidquam affectus aut animi impetus obtendatur.

Nec

Nec tam facile argutis interpretationibus detorqueri scripta queunt, quam verba ore prolata, in quibus particula aliqua captiose inserta, quæ per celeritatem pronuntiationis non animadvertebatur, totam sententiam invertere potest; cui incommodo scripta hautquaquam ita sunt subiecta. Inde recte plus defertur fidei instrumentis authenticis, & nulla corruptela vitiatis, quam dictis testium; quippe cum validius habeatur, quod quis contra seipsum testatur, quam quod alius: & gravissime accusetur, qui ne suam quidem auctoritatem declinare potest. Ita tamen ut omni exceptione majores testes audiantur, si instrumentum simulatum, suppositum, aut corruptum probabili modo arguerint. Cæterum etsi ab ejusmodi scriptis seu instrumentis pactorum firmitas in se haut pendeat, quippe quæ etiam sine illis recte contrahuntur, (l. 5. D. de fide instrum.) & quantum ad jus naturæ persistant, ut fors illa casu quoque perierint. (l. 1. 4. 5. 7. 8. 10. C. de fide instrum. l. 20. 21. C. de probat.) à iudice tamen civili, cujus cognitio non nisi manifestissima sequitur signa, hæc instrumenta quam maxime attenduntur. Ac nisi illa produci queant, regulariter actor rejicitur, nisi idoneis argumentis probaverit, eadem casu quodam sibi periisse. Hinc diligentis est hominis, syngrapha potius, quam nuda fide agere. Sic apud *Plutarchum* Perseus cum mutuo pecuniam amico daret, solenni formula, & in foro cautum sibi voluit. Quam diligentiam ille admiratus; ad eone legaliter Perseu, inquit? Respondit Perseus; scilicet ut amanter recipiam, nec legaliter poscam. *Juvenalis sat.* 13. *Facile & pronum est superos contemnere testes, Si mortalis idem nemo sciat.* Apud *Appian. Alexand. Mithridatico*, cum *Muræna* bellum *Mithridati* inferret, isti que legati regis foedera objicerent, negavit se videre ulla foedera. *ὁ δὲ συνγράψατο Σύλλαις, ἀλλ' ἔργω τὰ λεχθέντα βεβαιώσας ἀπέδραυτο.* nulla enim *Sylla* conscripserat, sed executione pactorum contentus discesserat. Contra ita de moribus *Turcarum* *Christ. Richerius*: Tanta est istis hominibus dictorum constantia, tanta etiam de fide suorum securitas, ut in conventis nulla unquam syngrapha, nulla obsignatione, nullo chirographo utantur: sed solo promittentis verbo, vel ipsa nominis ejus qui paciscitur auditione stent omnia. Paria de *Peruanis* refert *Garcilassus de la Vega Comment. Reg.* 1. 8. c. 16. Inde quoque est, quod, si creditor obligationis instrumentum sciens restituerit,

tuerit, aut confcio debitore idem sciens aboleverit, debitum ipsi condonasse censeatur. Nequaquam tamen, si quovis modo syngraphas debitor nanciscatur, puta, furto subtractas, aut alia ratione extortas, obligatione solutus erit. Ex quibus & hoc adparet, à Seneca de benef. l. 7. c. 10. *syngraphas minus recte vocari inania habendi simulacra.*

CAPUT VII.

DE MATERIA PROMISSORUM
ET PACTORUM.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Obligamur tantum ad ea, quæ fieri possunt.</i> | 6. <i>In illicita non cadit obligatio.</i> |
| 2. <i>Promissa circa impossibilia sunt vana.</i> | 7. <i>Pacta turpia, re integra non obligant:</i> |
| 3. <i>Impossibilitas circa pacta emergens.</i> | 8. <i>Quin nec turpi opera jam præstita.</i> |
| 4. <i>An summus conatus semper sufficiat?</i> | 9. <i>An turpiter data repeti possint?</i> |
| 5. <i>An quis obligetur ad ferenda mala humanam constantiam superantia?</i> | 10. <i>Frustra promittuntur aliena;</i> |
| | 11. <i>Et nostra alteri jam obligata.</i> |

Videndum porro est de materia promissorum & pactorum, seu ad quamnam ultro nos promittendo & paciscendo queamus obligare. Ad hoc igitur requiritur, ut rei aut actionis præstandæ habeamus facultatem physicam, & moralem, seu ut id præstare non sit supra nostras vires, nevé idem patrare lege aliqua prohibeamur. Ubi enim quid intra vires meas positum est, deque eodem statuendi facultas mihi relinquatur, nihil sane, obstat, quo minus ad id exhibendum alteri necessitatem mihi ultro arcessam, ubi usus vitæ humanæ id tulerit. Ex adverso circa ea, quæ vel vires nostras excedunt, vel salva obligatione validiore nequeunt præstari, nequidquam obligatio contrahitur, quippe quæ effectu suo directo & legitimo sit caritura.

§. 2. Ex hisce consequitur: impossibilem nullam dari obligationem. Id quod etsi in ore vulgi versetur, tamen paulo accuratius erit excutiendum. Ac initio quidem discrimen est statuendum inter obligationes, quæ sponte nostra nobis arcessimus, & quæ ab altero pro imperio nobis injunguntur. Qui ultro se ad impossibile, quod tale novit, vult ad-

adstringere, sine dubio mentis parum compos est. Vult enim id facere, quod à se fieri non posse prævidet. Non tamen semper ab omni necessitate præstandi liber est, qui impossibilia promisso aut pacto in se recepit, etsi ipsam rem conventam præstare nequeat. Equidem si quid alteri promiserim, quod in viribus meis fore probabiliter credebam, sed idem jam supra vires meas esse, aut intra præstandi tempus fore, invincibiliter ignorem, neque ad rem promissam, neque ad id quod interest alteri teneri videor. Præsertim ubi idem expresse dictum fuit, aut ea conditio tacite utrinque præsupposita fuit. Vid. l. 2. §. 3. seqq. D. si quis cautionibus. Sic v. g. si cui promississem equum commodare, qui jam alio in loco est, is autem in itinere perierit, neque ad equum exhibendum, neque ad id quod interest teneor. Intelligor enim promissionem meam tacite huic conditioni superstruxisse; siquidem equus incolumis domum reversus fuerit. Quæ conditione citra meam culpam non adparente, promissionis vis penitus expirat. Quod si uterque tam promissor, quam cui promittitur, rem non veritè impossibilem, ac se id nosse invicem norint, lusisse tantum, & nihil egisse censentur. At vero si promissor duntaxat sciverit rem esse impossibilem, alter idem ignoraverit, iste huic utique tenebitur ad id quod interest, ne ita sibi illuderetur. Ubi autem promissor fuerit negligentior in excutiendis suis viribus, & rem sibi jam impossibilem promisit, quam talem scire poterat, si debita circumspèctione fuisset usus; ipsa quidem obligatio erit nulla, quia promissor tanquam tacitam conditionem supponebat possibilitatem. Ob negligentiam tamen & culpam tenebitur alteri pensare, si quid ob inane illud promissum damni fecit; licet sub damno non sit reputanda spes lucri & emolumenti, ex inani promisso concepta. Atque idem etiam circa pacta obtinet, ut qui per negligentiam aliquid impossibile fuit pactus, præstando id, quod alteri inde nocitum fuit, liberetur: ita tamen, ut huic quoque id, ad quod se adstrinxit, remittatur; aut ubi jam præstitum id fuit, restituatur, vel pro eo æquipollens aliud reponatur.

§. 3. Enimvero quando res eo tempore, quo promissio aut pactum suscipiebatur, præstitum fuit possibile, post impossibile facta, dispiendum, utrum casu fortuito, & citra culpam, an vero ex culpa, aut dolo hoc obtigerit. Priori causa evanescit pactum, ubi res adhuc sit integra. Ubi quid præstitum ab altero jam fuit, id restituendum, aut æquipollens reponatur.

nendum. Si ne hoc quidem fieri possit, summus conatus erit adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam in pactis respicimus ad id, de quo expressè fuit conventum; ubi hoc obtinere non possumus, sufficit æquipollens exhiberi; saltem ne damnum sentiamus omni modo cavendum est. Ubi vero dolo quis sibi ipse vires implendi ademit, ad summum conatum tenetur, & velut in supplementum malo quoque potest multari. Ex hisce fundamentis dijudicanda sunt, quæ circa debitores obæratos disputantur. Hi quippe ubi casu fortuito & citra suam culpam solvendo esse desierint, summum solvendi conatum debent. Ubi tamen æquitas & humanitas requirit, ut mora aliqua ipsis indulgeatur, circumspiciendis & parandis solvendi mediis. Vid. *Matth.* XVIII. 25. 26. Sicuti & nefas fuerit, tales omni sua substantia exutos ad mendicantem redigere. Quin & alias certarum personarum favori hoc dederunt leges Romanæ, ut non condemnarentur, nisi quatenus facere possunt. Vid. l. 12. *D. soluto matrimonio.* l. 6. l. 16. 17. 18. 19. 20. 21. *D. de re judicata.* l. 49. l. 50. *d. t.* l. 4. l. 6. l. 7. *D. de cessione bonorum.* Nisi tamen creditor, quæ præsentis facultates excedunt, condonaverit, ad residua solvenda tenebuntur, quando in re lautior esse cœperint. Dolus autem & culpa decoctorum etiam malo aliquo potest coerceri; in quos dentum illud tritum valet; qui non habet in ære, luat in corpore. Vid. *Gellius* l. XX. c. 1. *circa finem.* Et quæ Appius differit apud *Dionys. Halicarn.* l. V. Add. tamen *Livius* l. 8. c. 28. Considerandum præterea heic est, quam quis causam aut necessitatem habuerit debitum contrahendi. Prout enim hæc gravis aut levis fuerit, favor debitoris inopis aut miseratio intenditur, aut remittitur. Unde recte duriore habentur conditione mercatores, etiam qui per casum fortuitum solvendo esse desierunt, quam alii, qui ex peculiari quadam necessitate pecunias mutuo sumere sunt adacti. Illos enim lucri cupido debita contrahere subigit. Et cum ipsi artem ditescendi profiteantur, vix culpa carent, qui etiam fortuita non præcaverunt; puta, qui omnes suas fortunas uni casui exposuerunt. Secus ac tradit *Plinius* l. 3. *epist.* 19. *Tutius videtur incerta fortuna possessionum varietatibus experiri.* Et *Justinus* l. 9. c. 1. de Philippo, qui dum Byzantium nequidquam obsidet, in Scythiam quoque prædandi causa profectus est, more negotiantium impensas belli alio bello refecturus. *Livius* l. 40. c. 21. *Antigonus sæva tempestate jactatus, cum in eadem nave secum suos omnes habu-*

habuisset, praecepisse liberis dicitur, ut & ipsi meminissent, & ita posteris proderent, ne quis cum tot agente simul in rebus dubiis periclitari auderet. Adparet tamen, priscos Romanos ista discrimina parum aestimasse. Ita enim Seneca de beneficiis l. VII. c. 16. *Quid tu tam imprudentes iudicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam à creditore acceperat, libidine aut alea absumsit, & eum, qui incendio aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit? nullam excusationem receperunt, ut homines scirent, fidem utique praestandam. Satius enim erat à paucis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* Sic & apud Moscovitas non superfunctorie vapulant, qui solvendo non sunt debitores, & demum creditoris servire coguntur.

§. 4. Hoc loco etiam est examinandum, quod *Hobbesius de cive c. 2. §. 14.* nimis, ut adparet, generaliter tradit, *pacta non ad rem ipsam, sed ad summum duntaxat conatum obligare.* Scilicet quia ad impossibile non obligamur; ultra summum autem conatum nihil est in nostris viribus; adeoque quod isto attingere nequimus, nobis impossibile est, & sic extra obligationem positum. Ubi tamen addendum, nisi culpa nostra aut dolo vires id praestandi corruperimus. Tunc enim per summum conatum obligatio non expletur, sed qua expletio deficit, ad malum accipiendum reddimur idonei. Videtur autem ista assertio locum habere proprie in illis pactis, quibus pro accepta re vel opera praesenti operam aliquam nostram futuram spondemus: in quibus per summum conatum obligationi satisficit. Quia enim futura illa intuitu humanae providentiae incerto sunt, adeo ut vel vires nostrae aliquo casu debilitari, aut occasio conversione rerum intercipi, aut difficilior queat reddi; & quia praeterea saepe humana perspicacia in aestimatione virium propriarum, ac difficultatis rei solet aberrare: ideo censendi haec quoque sunt paciscentes humanae conditionis fuisse memores; adeoque in determinanda praestatione actionum seu operarum futurarum tacitam conditionem supposuisse, si quidem vires & occasio eadem permanerint, aut nisi vires praesentes justo amplius aestimatae sint. In ejusmodi casibus recte dicitur officio suo satisfacisse, qui quantum in se est fecit; cum primis ubi etiam in ipsa operatione aliquid, à nostris viribus non dependens, intercurrerit, quod effectum intercipiat, aut velut detorqueat. Et quod in talia duntaxat

pacta valeat *Hobbesii* assertio, etiam ex subjectis ab ipso argumentis adpa-
 ret. Ait, *paciscimur sapissime eas res, quae possibiles tunc videntur, cum pro-*
mittimus, quae tamen post constat esse impossibiles; praesupponendum est, non
 fuisse facultatem specimine aliquo vires explorandi; non ideo omni obli-
 gatione liberamur. Ratio est, quod is, qui futurum incertum promittit, bonum
 praesens ea lege accepit, ut mutuum redderet. Voluntas enim ejus, qui praesens
 bonum praestat, pro objecto simpliciter habet bonum sibi, quantum erant res promif-
 sa: ipsam autem rem non simpliciter, sed si fieri potest. Ego tamen potius
 contra dixerim; qui bonum praesens alicui praestat, eum directe assequi
 velle illud bonum futurum, quod pacto expressum fuit. Et quidem æ-
 que in conventionem dandi, quam in conventionem faciendi. Nam in jure
 naturali non videtur fundari id discrimen, quod aliqui tradunt, ex con-
 ventionibus dandi praecise aliquem obligari ad dandum, sed ex conven-
 tionibus faciendi non praecise ad faciendum aliquem obligari, sed praes-
 tando interesse eum liberari posse. Enimvero ubi quod conventum
 fuit obtineri nequeat, eundem detrimento evitando velle praestari, quod
 tantidem est. Quod si autem ne hoc quidem obtineri queat, neque re-
 stitutionem admittat id, quod acceptum jam est, defungetur quis sua ob-
 ligatione, qui praestat id, quod vires admittunt. Enimvero in contra-
 ctibus mutui, & qui ejusdem sunt indolis, falsum est, per summum cona-
 tum debitorem obligatione liberari. Quando enim mutuum contra-
 hitur, praesertim non ex necessitate extrema, creditor sane supponit, de-
 bitorem velle & posse solvere; & idem quoque debitor praese fert; ac su-
 per hac hypothese contractus inicitur. Quod si igitur tempore solutionis
 faciendae tantum non sit in bonis debitoris, impossibile quidem est, in
 praesens plura exsculpere, ut tamen obligatio remaneat, in futurum resi-
 dua supplendi. Vid. *Matth. XVIII.* Caeterum in simplicibus promissis,
 quibus aliquid pollicemur, cujus eventum praestare absolute penes nos
 non est, semper debet subintelligi haec restrictio, si fors fuerit, nisi ex trans-
 verso quid intercurrerit, aut ut Christiani magis pie, si Deo placuerit. Vid.
Jacobi IV. 15. Quanquam ejusmodi futura incerta velut absolute jurare
 cum magna temeritate, & praesumptione impia sit conjunctum. Ex quo
 genere est illud juramentum Labieni & reliquorum Pompejanorum, qui
 jurarant, *se nisi victores in castra non reversuros*, apud *Casarem de bello civili*
 l. 3. Add. *Aitor. XXIII. 21.* & *Selden. de J. N. & G. l. 4. c. 7.*

§. 5. Est quoque heic excutienda quæstio fat spinosa, quam *Hobbesus de cive c. 2. §. 18.* proponit: An quis se pacto queat obligare ad perfe-
renda mala, firmitatem animi humani communiter superantia? v. g. *an quis pacto suo possit obligari, mortem & vulnera inferenti non resistere?* Accu-
ratiùs autem rimanti latis adparet, quo sine quæstio ista negetur; nempe
ut ostendatur, securitati hominum non satis caveri per sola pacta; nec suf-
ficere, si quis pacto se obliget, quod ultro velit pœnam sufferre, siquidem
ab ipso injuria fuerit perpetrata; sed necessarium esse conservandæ inter
homines paci, ut imperia constituentur, quæ etiam invitos ad pœnam
peccantes possint trahere. Id quod verissimum est, & de eo plura suo
loco dicentur. Operæ pretium tamen fuerit, argumenta *Ipsius* pressius
considerasse. Dicit, *mortem aut vulnera, vel aliud damnum corporis infe-*
renti nemo suis pactis quibuscunque obligatur non resistere. Est enim in uno-
quoque gradus timiditatis summus, per quem malum, quod infertur, adprehen-
dit ut maximum, idcoque necessitate naturali quantum potest fugit, intelligitur-
que aliter facere non posse. Ad talem gradum metus ubi per ventum fuerit, non
est expectandum, quin vel fuga vel pugna sibi consulat. Cum igitur nemo te-
neatur ad impossibile, illi quibus mors, vel vulnera, aut alia corporis damna infe-
runtur, nec ad ea ferenda satis constantes sunt, ea ferre non obligantur. Heic
observandum, non videri absolute rem humana constantia majorem,
mortem citra reluctantiam admittere. Inde si Deus præceperit, mor-
tem potius subire, quam certam actionem suscipere, non est dubium,
quin ad istud homo obligetur. Hoc tamen facile concedimus, cum ut-
plurimum ea res constantiam mortalium vulgarem superet, non præsu-
mi hominem ultro per pactum suum sese ad tale quid voluisse adstringe-
re. Quippe cum non minus leges humanæ ferri, quam pacta iniri debe-
ant cum sensu humanæ imbecillitatis. Nequaquam autem hoc trahi
debet ad dissolvendum rigorem disciplinæ militaris, quasi diceret militi
stationem deserere, si præsens periculum vitæ videat imminere, ex hoc
obtentu, quod ad mortem subeundam, tanquam impossibile aliquid, non
teneatur. Negamus enim humana constantia, saltem quæ in viros ca-
dit, superius esse, probabile mortis periculum subire, cum potestate ta-
men ad extremum repugnandi. Vix enim casum credo dari, ut in bello
quosdam hosti objicere necessum sit, adempta pugnandi, aut dolos mi-
scendi potestate. Inde ex fine conservandarum civitatum, & usu

omnium gentium adparet, siquidem res ita postulet, recte militi à duce posse injungi, ut loco assignato in hostem ad extremum usque spiritum pugnet, etsi contingat in vestigio esse occumbendum; ac ignaviam stationes deserentium morte expiari. Nam qui militiæ nomen dat, timiditatis naturalis excusationem perdit, obligaturque non modo prælium inire, sed & invito suo ductore non fugere. Neque vero est absurdum pœnæ genus, occidere, quia occidi noluit. Gravius enim est, à carnifice per ignominiam jugulari, quam cum gloria ad instar viri fortis ab hoste occumbere. Add. l. i. §. 28. D. de ScTo Silaniano. Sed & illud est addendum, si cui peculiaris sit animi mollities, ut ad ea quoque defetiscat, quæ intra communem hominum firmitatem sunt, per animi sui vitium haut quidquam istum obligatione liberari. Pergit *Hobbesius*: cum ei, qui pacto tenetur, credatur; ad supplicium autem qui ducuntur vinculis constringantur, aut satellitibus custodiantur, ideo non videri illos pactis ad non resistendum satis obligatos esse. Quod in hoc sane casu verum est; etsi alias etiam illis, qui revera pactis tenentur, non ita absolute credatur, quin violenta quoque præsidia caute disponantur prohibendæ istorum perfidiæ. Quo spectat illud *Senecæ Thyeste*: *Arx urbem premit, & contumacem regibus populum suis habet subiectu.* Subjungit, *inutile fore tale pactum. Equidem sic frequenter pacta iniri; nisi constituta die hoc fecero, interfice;* i. e. jus habebis capitale supplicium à me exigendi, nisi hoc fecero. *At tale pactum, nisi fecero, interficienti non resistam, iniri & inusitatum esse, & inutile.* Id quod sic probat. Tale pactum ineunt aut civitas cum cive, aut cives ejusdem civitatis inter se, aut duo, qui in naturali libertate vivunt. Ut civitas cum cive tale pactum ineat, inutile est. Sufficit enim, ut ipsa possit nocentibus pœnam infligere, si singuli cives fidem dent, quod non velint eum, à quo supplicium sumendum, per vim defendere. Cives inter se ita pacisci nequeunt, quia jus interficiendi in civitatibus privato concedi non potest. Iis, qui in libertate naturali vivunt, itidem tale pactum inutile est: quia si paciscerentur de interficiendo, nî fecerint, intelligetur præcessisse aliud pactum de non interficiendo ante diem præstitutum. Nam ex *Ipsius* hypothese in statu naturali ante pactum initum jus est cuique quemque interficiendi. Ergo illo die, quo non sit præstitum, redit jus belli seu status hostilis, in quo quidvis in alterum licet, & sic etiam redibit jus resistendi. Ego tamen heic potius dixerim, pactorum vim ad extrema

huc

huc redire; ut non solum intrinsecam necessitatem adferant conventa præstandi, sed & utrique jus dent recusantem vi compellendi malo aliquo ipsi intentato. Adeoque in hunc sensum pacta resolvi: spondeo, me tibi hoc præstiturum; nisi fecero, habebis potestatem vi & malo intentato me compellendi. Huic pacto ut aliud superaddatur de non resistendo illud malum intentanti, inutile esse & absurdum. Hoc enim iterum alio pacto poenali foret sanciendum, hoc modo: si tibi vim inferenti resistero, tunc aliquo malo me multandi habebis potestatem. Atqui sic manifeste adparet, per alterum pactum primo pacto nihil esse additum. Nam ex eo licebat jam pacti violatorem malo multare; & eadem facilitate posterius pactum violatur, quam prius. Quid ergo opus est, unum pactum per aliud velle fulcire, cum non difficilius sit decem, quam unum perumpere? Denique ita colligit *Hobbesius*: *pacto non resistendi obligaremur duorum malorum presentium eligere illud, quod majus videbitur. Nam mors certa majus est malum, quam pugna. Sed duorum malorum impossibile est non eligere minus. Ergo tali pacto teneremur ad impossibile: id quod natura pactorum repugnat.* Enimvero regula illa de eligendo malo minore dextrè est explicanda. Nam proprie illa locum habet in comparatione duorum malorum inutilium, seu quæ damnum adferunt, ut talium. Ubi lucri vicem obtinet, parte duntaxat damni inevitabilis posse defungi. Nequaquam autem illa est extendenda ad comparationem duorum malorum turpium, aut unius mali turpis, & alterius inutilis. Nam ex duobus malis commissionis neutrum est eligendum. Et si aliquando contingat, ut duobus præceptis affirmativis satisfieri nequeat, quorum intermissio seorsim considerata cum peccato est conjuncta; sed propter illorum præceptorum concursum fit, ut unius eorum intermissio habeatur licita. Quo casu utique ex duobus malis omissionis minus est eligendum: seu potius, concursus cum altero præcepto nobiliore ostendit, in tali casu omissionem præcepti ignobilioris non esse peccatum. Scilicet quia legibus subordinatis hæc semper limitatio inesse intelligitur; quatenus iis satisfieri queat, salva lege nobiliore. Sic non obedire Deo, & non obedire imperio civili, utrumque seorsim consideratum malum est. Sed si contingat, utrique simul satisfieri non posse, puta, si imperium civile jubeat aliquid legi divinæ adversum; eo casu huic non obedire malum esse desinit: quia

quia legi de obsequio potestati civili præstando, addita intelligitur limitatio; nisi quid præcipiatur legi divinæ adversum. Sicut & mera executio peccati alieni, seu cooperatio per modum instrumenti præferri potest insigni malo damnofo, aut molesto. Quæ de reali latius. Eodem modo non potest comparatio institui inter malum molestum aut damnosum, & inter peccatum, neque hoc præ illo eligendum; puta, ut quis malit peccatum committere, quam lucro carere, aut damnum facere, ut uti iudicio per pravam libidinem corrupto illud præ hoc minus malum videatur. Hoc enim si fieret, efficacia obligationum abs cujusvis iudicio suspenderetur; adeoque penitus evanesceret, si ad illud non obligarer, cujus intermissio ob externum aliquem respectum adpetibilis magis videtur, quam ejusdem impletio. Sic furi nequidquam ad excusationem sui suffecerit, si dicat: gravius se malum judicasse opus faciendo vitam tolerare, quam rebus alienis manus injicere. Imo vel heic maxime vim suam exerunt obligationes, quod per illas intrinseca necessitas gignatur aliquid præstandi, abs quo etiam affectus abhorrebant.

§. 6. Requiritur præterea, ut ex promisso pactovè oriatur obligatio, facultas moralis, quæ nobis in sit ad præstandam rem, de qua convenitur. Ex cujus facultatis defectu ad rem in se illicitam obligare nos non possumus. Nam quævis promissio vim accipit ex potestate promittentis, neque ultra extenditur; seu nemo sese potest valide obstringere ulterius, quam ipsi est potestas. Ast qui lege actionem prohibet, adimit sane potestatem eam suscipiendi, & de eadem præstanda obligationem in se recipiendi. Implicat enim, ex obligatione per leges confirmata aliquid necessario debere facere, quod per easdem leges est omittendum. Et voluntas nostra legibus subjecta non potest solo suo actu earundem vim elidere. Unde peccat quidem, qui illicita promittit; sed bis peccat, qui eadem præstat. Add. l. 15. D. de condition. institutionum. l. 35. §. 1. l. 123. D. de verb. obligat. Ex quibus etiam hoc consequitur, non servanda esse promissa, quæ alteri, cui fiunt, noxæ sunt futura; cum generali naturalis juris præcepto vetetur, ne quis sciens volens alteri, etiam stolide volenti, malum inferat. Sed & ex eo ipso, quod circa illicita non possit contrahi obligatio valida, consequitur: regulariter actus, qui contra leges suscipiuntur, esse invalidos ipso jure, vel præcedente magistratus cognitione tales declarari. *Lex Wisigothorum* l. 2. tit. V. c. 7. Etsi & aliquando, actu contra leges

leges suscepto, multa quidem aliqua imponatur eundem suscipientibus, ipse autem actus non rescindatur; ideo quod major indecentia in actu, quam in effectibus conspiciatur; & sæpe incommoda, quæ rescissionem sequuntur, majora sint, quam incommoda ipsius actus, si validus relinquatur. Sicut apud *Apollonium Rhodium* l. 4. Alcinous inter Colchos & Argonautas arbiter captus, ita pronunciat: si Jason cum Medea non concubisset, ut ea restitueretur patri, si concubisset, maneret penes Jasonem. Idem habetur apud *Higinum fab. 23. Apollodorum* l. 1. *bibliotheca*, & *Orpheum in Argonauticis*.

§. 7. Cæterum heic distinctius quæri potest, primo, an obligatio ad præstandum turpe factum sit valida, readhuc integra, & antequam quid fuerit præstitum? Heic certum est, neutra ex parte exturpi ejusmodi conventionione obligationem existere, sed utrumque ab eadem resilire debere. *Seneca Hercule Octao. Præstare fateor posse me tacitam fidem, si scelere careat: interim scelus est fides.* Add. l. 26. 27. *D. de verb. oblig.* Unde si v. g. sicarium mercede quis conduxerit ad faciendam eadem, sicarius sane, si pœnitentia ductus obire facinus recusaverit, à conductore ad implendum pactum compelli non potest. Et contra si conductor pœnitens sicario denunciaverit, ut ne eadem patret; nequaquam hic alterum adigere potest ad perseverandum in proposito, quo ipse mercedis adipiscendæ locum habeat. Neque hic mercedem poterit conductorem pœscere, quasi per ipsum steterit, quo minus scelerata ista opera fuerit præstita. Imo si post factam revocationem sicarius nihilominus perseveraverit eadem absolvere, conductor eadem non erit reus: sed in id duntaxat condemnari poterit, quanti est, propositum habuisse eadem, sed quod mox per pœnitentiam fuit emendatum. *Grotius* l. 2. c. 11. §. 9. ideo promissionem seu mercedem sponsam v. g. homicidii causa vitiosam esse tradit, quia ad hoc adhibetur, ut alter ad malum facinus impellatur. Exemplum non servati ejusmodi pacti extat apud *Philostratum* l. 3. *de vita Apollonii Thyanaei*, ubi cum hic promississet, sese navem mercibus onustam in piratarum manus deducturum, eos aliorum converso cursu elusit.

§. 8. Secundo quæritur: an si turpe facinus velut ex obligatione fuit patratum, alter ad mercedem pro ea solvendam teneatur? Quod *Grotius* d. l. affirmat, ex ea ratione, quod ante crimen impletum merces illa labem habeat, tanquam illex mali; quæ labes peracto crimine cesset, ideo

quod illex mali esse deficiat. Enimvero nobis scelus videtur. Nam tantum abest, ut pactum tale turpe esse desinat, peccato flagitio, ut potius ad plenum turpitudinis gradum pervenerit, obtento suo fine. Nisi vero minus turpe sit furatum esse, quam furari velle, aut accipere mercedem sceleris, quam sperare, solvere quam promittere. Immo si promissio est turpis, quia est illex mali, etiam impletio promissionis erit turpis, quia est pensatio sceleris, & ad plura suscipienda invitatio. Inde labe quoque aliqua ejusmodi mercedem comitari judicatur, etiam quando in tertium justo titulo transit; quod ipsa ex scelere parta sit. Sic & in divina lege interdictum est, ne in domum Dei inferretur pecunia ex prostitutione corporis quaesita. *Deuter. XXIII. 18. Joseph. arch. col. IV. 8.* Et sacerdotibus religio erat, mercedem proditionis à Juda pro derelicta habitam arario sacro inferre. Tritum quoque est, de male partis tertium heredem non gaudere. Inde probare non possumus, quæ *Grotius* d. l. tradit: *usque ad tempus impleti sceleris efficaciam turpis promissionis esse pendentem, quemadmodum est efficaciam promissionum conditionalium*, donec conditio extet; aut promissio rei in præsens impossibilis, quæ tamen possibilis futura speratur, quousque intra vires nostras esse coeperit. *Crimine autem perpetrato jam obligationis vim excersi, quæ ab initio non defuit, (adfuit enim mutuis consensus,) sed ab accedente vitio fuit impedita*, ideo quod ad malum suscipiendum aliquid contulit. Enimvero si hoc admittatur, irrita foret prohibitio juris naturalis de non incundis circa illicita pactis, si post scelus obitum pactum illud jure naturali est servandum. Quid prodest prohibuisse, ne furtum fieret, si furto facto res furtiva citra vitium potest retineri? Et falsum est, vim intrinsicam obligandi pacto turpi non defuisse, sed tantum ab accedente vitio fuisse suspensam, quousque ad crimen allicere deficiat. Nam ut pacto vis obligandi intrinseca insit, non sufficit consensus utrinque adfuisse; sed & idem debet versari circa rem, de qua in utramque partem disponendi libera est homini potestas. Alias si satis foret ad producendam obligationem, utrinque consensisse, facile omnes leges subvertentur, inuito super iis violandis pacto; adeoque ipsum jus naturæ ad sui destructionem inserviret. Arbitramur igitur, per legem naturæ neque executorem facinoris pactam mercedem tanquam ex jure proprie dicto postulare posse, neque conductorem ex intrinseca, & conscientiam afficiente obligatione ad solvendam eam mercedem teneri. Adeoque juri naturæ curæ non esse,

ne quis gratis scelus patrauerit. Equidem si quis, qui v. g. ficarium conduxit, & mox cæde patrata mercedem solvere abnuat, ab ipso male mul-
 tetur, nemo est, qui injuriam ipsi factam dicat. Verum heic observandum,
 etsi turpia pacta vi intrinseca obligandi destituantur, neque ad actionem
 pariendam apta sint: non tamen omni effectu carere in eo, qui, cum libere
 in illa consenserit, iisdem stare renuit. Scilicet efficiunt, ne quis jure queri
 possit, si ad illa implenda ab altero vi adigatur, aut ob eadem non servata
 malo afficiatur. Vetat enim lex naturæ ad rem indebitam alterum co-
 gere, aut ob eandem non præstitam malo afficere. Sed qui in pactum tur-
 pe consensit, eo ipso favori hujus legis renunciavit, dum quantum in se
 fuit, alteri rem in se indebitam exigendi potestatem fecit. Atqui malum,
 cui quis culpa sua causam dedit, non immerenti accidere judicatur. Ex-
 emplum gratia; jus naturæ vetat virginis invitæ pudorem imminuere. Ve-
 rum ubi ipsa consensit, jacturam quidem facit rei irreparabilis, de injuria
 tamen sibi facta queri non potest. Etsi sæpe circa talem istud *Ovidii He-
 roïd. ep. l. 5.* locum inveniat: *Ipso Crimine dotata est, emeruitque virum.* Sic
 in civitatibus, ubi duella sunt prohibita, provocatus ab altero haut quid-
 quam in arenam descendere tenetur, etiam ubi id jam promissit. Si tamen
 comparuerit, & vulnera acceperit, de injuria sibi facta queri, aut vulne-
 rantem impensas curationis poscere nequit. Ad exemplum Judæ *Gen. 37.*
 qui circa lex solvendam Thamari concubitus mercedem sollicitus erat, re-
 spondet *Seldenius l. V. c. 4. de jure nat. & gent. creditum fuisse eo tempore, licere
 innuptæ & solutæ sæminæ corporis sui usum concedere alteri sine consensu in
 vita communionem, idque vel gratis, vel pro mercede; adeoque validam ob-
 ligationem ex istiusmodi conventionem, tanquam circa rem, saltem civiliter
 licitam, potuisse contrahi.* Quanquam & hoc observetur, non paucos
 nescio quid generositatis in eo ostentare, si non gratis libidinem exple-
 verint. Fortasse etiam de pignore reluendo erat sollicitus. Huc quoque
 pertinet *l. 4. §. 3. D. de condict. ob turp. caus. Quod meretrici datur repeti non
 potest, sed nova ratione, non ea, quod utriusque turpitudine versatur, sed solius
 dantis. Illam enim turpiter facere, quod sit meretrix: non turpiter acci-
 pere, cum sit meretrix.* Scilicet etsi Romæ extra pœnas legum civilium
 erat publice corpus prostituere, ejusque quæstus fœditatem apud ædiles
 profiteri; tale tamen vitæ genus inire ab honestis hominibus merito tur-
 pissimum habebatur. Electo tamen semel eo vitæ genere, nulla nova

erat turpitudine, si mercedem pro usu corporis acciperet meretrix, atque *cava pretium flagitaret usque manu. Tibullus l. 2.* Perinde ac si dicerem; turpe est quidem homini ingenuo carnificinam exercendam suscipere: verum digesto semel eo pudore, mercedem pro ista opera accipere turpitudine vacat. Concisius possis dicere; cum Romæ status meretricius fuerit toleratus, valida quoque iudicata in eo foro fuisse pacta, quæ illum statum comitabantur. Quanquam ex alio capite ista pacta iniquitatis accuset *Ovidius Amor. II. eleg. 10. Sola viro mulier spoliis exultat ademptis: Sola locat noctes: sola locanda venit. Et vendit quod utrumque iuvat, quod uterque petebat, Et pretium quanti gaudeat ipsa facit. Quæ Venus ex aquo ventura est grata duobus, Altera cur illam vendit, & alter emit?* Istud tamen patet, si scelus in alterius usum ipso volente sit susceptum, eum recte eidem irasci non posse. Apud *Ovidium Heroid. epist. 12. Medea Jasoni: Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est, Pro quo sum toties esse coacta nocens.* Apud *Eundem Metamorph. l. 8. Nisa Minoi: Scelus hoc patrieque patrique; Officium tibi sit.* Apud *Senecam in Medea: Cui prodest scelus, is fecit. Tibi innocens sit, quisquis pro te est nocens.* Et si inter principes cum primis non infrequens sit, ut fructum alieni sceleris quidem capiant, scelus tamen ipsum puniant, ne id exemplo sibi deinceps noxium evadat. Sic apud *Paulum Orosium l. V. c. 18.* servum, qui Sulpitium herum suum, à Senatu hostem iudicatum, quod hostem indicaverat manumitti, quod vero dominum prodiderat, saxo Tarpejo de jecti consules decreverunt. Add. *Zonaras tom. III. in Theophilo ab initio.*

§. 9. Tertio denique quaritur; an merces pro turpi opera data possit repeti? Ad hanc quidem repetitionem jus naturale nullum videtur prætextum suppeditare, si neque dolus alterius, neque enormis læsio intervenerit. Nam utique volente domino res alteri tradita fuit cum intentione transferendi dominii, & quidem velut ex debito pro opera, quæ ipsi tanti fuit æstimata. Atqui etiam ubi gratis alteri res datur, repetitio cessat. Neque obstat, quod acquisitio sit facta titulo non justo, & modo & medio, legibus vetito. Hoc enim ad repetendum id, quod dedit, allegare non potest, qui dedit; quippe qui & ultro pactus est turpem operam, eaque exhibita æquipollens quid convento pretio sibi exhibitum iudicavit; nec super flagitio queri potest, quod ipse fecit. Id tamen efficit illegitimum acquirendi medium, ut superior quod datum fuit vel per
modum

modum poenæ auferre queat, vel danti iterum addicere. Quod si tamen v. g. illecebrosa aliqua meretrix incautum adolescentem magna argenti summa emunxerit, recte eadem videtur repeti posse; cum etiam inter eos, qui ob turpia sociantur, species quædam justitiæ, adeoque & leges contractuum utcunque soleant observari. Cæterum cum & illud turpe habeatur, quod gratis debebas, non nisi accepta mercede velle præstare, ulterius quæritur; an si quid promissum datumque fuit ob rem antea debitam, repeti possit? Respondent aliqui simpliciter, valere tale promissum, si ius naturale spectemus; cum etiam id valeat, quod citra ullius causæ intuitum fuerit factum. Damnum tamen per violentam extortionem datum esse sarcindum. Clarius res expeditur, si distinguatur, utrum quid fuerit debitum ex imperfecta, an vero ex perfecta obligatione. Si quid ex imperfecta duntaxat obligatione debeatur, quod pro eo exhibendo promissum fuerit, præstandum erit, neque repetitioni heic locus adparet. Sic v. g. etsi viam erranti monstrare lex humanitatis jubeat; si quid tamen pro eo officio, ut ut mihi non molesto, paciscar, & exigere id licebit, nec solum alter repetere poterit. Nisi forte dolo, & confictis terriculentis ipsum ad enormia pollicenda adegero. Sed & illa promissa valent, quibus alium incitare instituo, ut eo alacrius & accuratius officio suo satisfaciat. Illa enim velut ex ultronea liberalitate facta judicantur. Verum ubi quid antea perfecte fuerat debitum, idque is qui debet non nisi promissa alia re velit præstare, putaverim idem dicendum, quod de iis promissis, quæ metu aut dolo eliciuntur. Si enim quispiam in naturali libertate constituto debitum præstare abnuat, indicio est, virium suarum fiducia ipsum id facere; quod credat, penes me non esse vi ipsum ad præstandum debitum adigere. Igitur ubi quis prius pactum legitime initum implere nolit citra novum velut supplementum, statim mihi iusta in ipsum bellandi causa nascitur. Quod si autem res meæ non ferant bello jam certare, sed duris licet conditionibus transigere svadeant, læsionis istius pensationem post licebit petere, nisi ultro eandem ipsi condonavero. Aliud tamen est, si ideo pactum prius retractari velit, quod in eo enormiter læsum se ostendere queat. Verum in civitatibus, qui pacto satisfacere sine novo augmento detrectat, per judicem facile compelli poterit. His addenda sunt, quæ Interpretes juris Romani tradunt *ad titulum D. de condict. ob turp. causam*. Ubi distinguunt, an turpitude sit solius

accipientis, an solius dantis, an utriusque. Priori casu conditionem concedunt, posterioribus non item. *Libanius orat. V. Si qua à legibus obvenire mihi possunt, ea percipio; quomodo hoc adhuc gratia est? Certe qui gratiam accepit, remunerationem ei debet, qui dedit. Atqui iudici, qui legibus est addictus, gratia non debetur; qua enim ei ex necessitate erant agenda, egit.*

§. 10. Facultas moralis quid præstandi, aut ad præstandum quid nos obligandi nobis quoque deest circa res & actiones alienas: quippe quæ non nostro, sed alterius arbitrio sunt subjectæ. Ex quo consequitur, nos de illis non posse promittere aut pacisci, ut alter actu nostro jus ad illas adquirat, aliumque istas velut suo jure poscere queat. Unde & Jcti Romani docent ad §. 3. *Instit. de inutil. stipulat.* qui alium daturum aut facturum promisit, nequè ipsum obligari, neque alium, cujus factum promisit, obligare. Id quod verum est, si stricte velimus inhærere verbis ejusmodi promissionis. Quia tamen inconueniens est, actus alicujus serio suscepti nullum esse effectum; inde facile est, ut eam promissionem sic interpretemur; illum curaturum, ut alter det vel faciat. Quod si autem expressè ita concepta sit promissio, me operam daturum, ut tertius certam rem aut actionem ipsi exhibeat; tunc teneor omni modo moraliter possibili laborare, ut ad eandem exhibendam alter permoveatur. *Moraliter possibili* dicimus, i.e. quantum alter honestè à me postulare potest, & quantum vitæ civilis ratio fert. Unde si ex mea parte nihil intermisero, & tertius tamen facere abnuat, ad id quod interest hautquidquam tenebor; nisi hoc expressè receperim, aut ex negotii natura recepisse intelligar. *Livius l. 2. c. 31. Velut persoluta fide, quoniam per eum non stetisset, quin præstaretur.* Quod si vero ita promittam, ni tertius præstet, me certi quid daturum; manifestum est tertio non præstante, meum promissum committi. Cui simile fere id, quod legibus Romanis erat constitutum, ut si quis rem alienam legarit, quam alienam sciebat, heres eam redimere cogeretur, & præstare, aut si eam redimere nequiret, æstimationem ejus dare. Certum tamen est, ex qualicunque meo promisso tertium non obligari, aut alterum jus nancisci ab eodem immediate id exigendi. Pro alienis tamen non reputantur actiones aut res eorum, in quos nobis est imperium, quousque isthoc se extendit. De his

his enim tanquam de propriis efficaciter promittere possum, adeo ut non solum ipse teneat præstare promissum, sed & alter, cujus factum spondeo, ex vi potestatis mihi in eum competentis, ad representandum promissum obligetur, ubi mea ipsi voluntas innotuit. Etsi regulariter à principali promissore sit postulandum, ut ipse sibi subiectum ad præstandum obligat; & si hic pertinaciter detrectaverit, non ipse immediate, sed iste conveniendus erit; nisi hic omne suum jus in alterum transtulerit.

§. II. Denique nec super rebus meis aut actionibus, in quas jam alteri jus fuit quæsitum, tertio valide possum promittere, nisi forte alter iste suo jure velit cedere. Nam qui prioribus promissis aut pactis jus suum jam in alium transtulit, ipse utique nullum amplius tale jus reliquum habet, quod in tertium possit conferre. Ac nullo negotio omnia promissa & pacta hac ratione irrita reddi possent, in toto alio, in quo contraria priori disponderentur, aut quicum prius simul expleri nequiret. Unde hoc in casu posterius pactum redditur irritum per prius: vel potius, prius ostendit, posterius nullum esse posse. Hinc & irrita sunt omnia pacta subditorum inter se, vel cum aliis, in fraudem fidei facta, quam legitimis imperantibus dederunt. *Gramondus hist. Gall. l. V. Qui sub rege nascitur, primitus fidem regi debet, quam si quis alius à rege sibi arrogat, rei aliena temerarius contractator est; nec standum pacto, quod contra leges fit, & jura regni. Fide solutus est, qui contra regem suam fidem dedit. Quo spectat & illud tritum: qui prior tempore, potior jure.* Scilicet non quod ipsum tempus in se aliquid juris conferat, sed quia priori in eam rem jus jam fuit quæsitum, quod impedit, quo minus ad eandem rem posteriori jus adquiri poterit. Inde etiam est, quod servus alii operam suam addicere nequeat, quippe cum illa ad ipsius dominam pertineat. Sed quod ex legibus Romanis servus domino suo non posset obligari, (præter generalem illam obligationem, quæ ipsius statum comitatur,) inde est, quod jam antea domino in omnes ipsius res, & actiones utiles jus competeat. Quod si quis tamen rem alienam, aut suam jam obligatam alteri promittendo ipsum deceperit, ac frustra habuerit, huic ad id quod interest tenebitur; & sæpe etiam criminis stellationatus est reus.

DE CONDITIONIBUS PROMIS-
SIONUM.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Quotupliciter fiat promissio?</i> | 5. <i>Conditio impossibilis & turpis.</i> |
| 2. <i>Conditio quid?</i> | 6. <i>Adjectio loci.</i> |
| 3. <i>Conditio an referatur ad tempus
præsens aut præteritum?</i> | 7. <i>Adjectio temporis.</i> |
| 4. <i>Conditio casualis, potestativa,
mixta.</i> | 8. <i>Discrimen inter pacta, & promissa
conditionata.</i> |

Circa contrahendas promissiones id quoque observandum, quod quædam fiant *pure*, quædam *sub conditione*; seu quod aliquando absolute ad quid præstandum nos obligemus, aliquando obligationem à conditione quapiam suspendamus.

§. 2. Est autem conditio adjectio aliqua ad actus, jus vel obligationem parituros, qua eorundem vis & efficacia confertur in aliquem eventum, à casu, aut arbitrio humano pendentem. Sic ergo ad conditionem duo requiruntur, tum ut per eam differatur, & suspendatur vis obligationis; tum ut eventus ille, seu quod pro conditione supponitur, nondum extet, aut sit incertus saltem quoad nostram notitiam.

§. 3. Ex his concluditur, adjectiones illas non esse proprie conditiones, licet quoad formam verborum Grammaticam tales videantur; quæ referuntur ad tempus præsens aut præteritum. Nam futura tantum mortalibus incerta sunt, præsentium autem & præteritorum liquida habetur scientia, ac proinde illis inesse nequit vis suspendendi consensum. Unde in §. 6. *Instit. de verb. oblig.* traditur, conditiones, quæ ad præsens vel præteritum referuntur, (puta, si Titius consul fuit, si Mævius vivit, dabo,) vel statim infirmare aut nullam reddere obligationem, aut omnino eandem non differre, sed puram facere. Si enim ea, quæ tanquam conditiones adjiciuntur, ita se non habeant, nulla contrahitur obligatio: sin ita se habeant, statim valet promissio, & pure obligare incipit. Ubi tamen monendum, recte promissioni posse adjici conditionem, quæ referatur ad tempus præsens aut præteritum, siquidem de illius existentia utrique aut alterutri, quibus invicem negotium est, non constiterit. Quæ tamen pro-

promissio videtur continere adjectionem dici. Nam ex ea non prius peti quid potest, quam promittenti liquido fuerit ostensum, conditionem illam revera extitisse: ad quod utique aliquantum temporis requiritur, v. g. potest imperitus aliquis historiarum ita promittere; dabo tibi decem, si dictator Cæsar olim Rhenum transiit. Heic sane necessum fuerit, priusquam decem peti possint, ut alteri id prius autoritate scriptorum fide dignorum demonstretur. Sic ubi ita promisero; si Mævius, qui peregre abiit, adhuc vivit, decem dare spondeo; tunc demum alter petere potest, quando de ipsius vita mihi constiterit. Quod si tamen accuratius velimus inspicere, ejusmodi promissionum ex conditione præsentis aut præteriti temporis suspensarum, hic proprie sensus est: dabo tibi decem, si probaveris mihi, Cæsarem transisse Rhenum, aut Mævium peregre profectum adhuc vivere; adeoque veras esse conditionales, sed in quibus conditio non sit existentia illius actus præteriti aut præsentis, sed ejusdem probatio alteri facienda. Id igitur certum est, si utrique constiterit, talem conditionem extitisse, & serio res inter ipsos agatur, pura erit promissio. Sin uterque eam non extitisse sciverit, jocularis erit promissio, quæ nullam obligationem parit. Quod si autem adjiciatur quidem aliquid futurum, sed quod certo eventurum præscitur, v. g. si cras sol oriatur, talem adjectionem itidem pro conditione non habendam communiter statuitur; eo quod obligationem non differat, cum de existentia futura illius adjectionis certo constet. Quia tamen non facile præsumitur, inaniter tale quid esse adjectum; videndum, num forte vocula *si* posita sit pro vocula temporis *quando*, ita ut ejusmodi promissiones non sint conditionales, sed in diem conceptæ, q. d. cras orto sole dabo. Sic igitur omnis conditio proprie dicta continet aliquid nondum liquidum, saltem alterutri eorum, quos inter negotium versatur; & quousque ea aut extiterit, aut extitisse probata fuerit, in suspensio manet obligatio. Conditione autem adparente jam pure contrahitur obligatio: eadem non adparente, hæc quoque evanescit.

§. 4. Solent autem conditiones distingui in *possibiles*, & *impossibiles*. Illæ sunt, quæ obligationem suspendunt ex eventu, qui physice aut moraliter contingere potest. Et iterum distinguuntur in *casuales* seu fortuitas, *potestativas* sive arbitrarias, & ex utrisque *mixtas*. Vid. *l. un. §. 7. C. de caducis tollendis*. Casualis conditio est, quæ ex arbitrio alicujus ter-

tii nobis non obnoxii, aut ex mero casu & fortuna, quantum ad nos, dependet, v. g. dabo tibi decem, si Cajus duxerit Titiam, si intra triduum non pluet. Potestativa est, cujus eventus & existentia dependet ab ejus arbitrio & viribus, cui sub ea quid est promissum, quæ etiam dicitur *promiscua* in l. 11. D. de condit. & demonstrat. At verò inuilem esse ab initio promissionem statuunt, quando conditio est collata in arbitrium rei promittendi, seu ejus, qui promisit, v. g. dabo tibi decem, si mihi placuerit. Sensus enim ejusmodi promissionis hic est: jam tibi nihil pure promitto, ac in posterum erit in meo arbitrio, utrum tibi velim pure promittere, nec ne. Unde alteri nullum nascitur jus, nisi denuo promissum fuerit. Nam ejusmodi conditio in perpetuum à promittente potest inhiberi & eludi. Unde recte dicitur; quod in nostra potestate est, in casum conferri non oportet. *Vid. l. 7. princ. D. de contrah. emptioe l. 8. D. de oblig. & action. l. 17. l. 108. §. 1. D. de verb. oblig.* Quod si tamen conditio sit quidem in promittentis arbitrio posita, sed quam tamen is in perpetuum eludere non possit, aut velit, conditio adjectionem temporis habebit, v. g. dabo tibi decem, si novos calceos induero, si uxorem duxero, i. e. quando. Ex dictis explicanda quoque sunt, quæ tradit *Grotius l. 2. c. 11. §. 8. Si res promissa nunc non sit in potestate promittentis, sed esse aliquando possit, promissio erit inpendente efficacia; quia tunc promissio facta censeri debet sub conditione; si res in potestatem venerit.* Id quod admitti potest, si quidem alteri cognitum erat, in præsens rem non esse in potestate promissoris. Alias enim dolo non caret, pro pura & præsentis promissione subicere eam, quæ in diem concipitur. Subjungit; *si conditio, quæ res promissa in potestatem promissoris pervenire possit, ipsa quoque sit potestativa, tenebitur promissor facere, quidquid moraliter æquum est, ut ea impleatur.* Sensus est; si quid tibi promittam, quod in præsens præstitum mihi sit impossibile, mea tamen opera fieri possit, ut deinceps possibile reddatur, teneri me pro virili elaborare, ut promissi præstandi facultas à me comparetur. Exemplum tale esse possit; si studiosus legum adhuc imperitus alteri sic promittat: omnes tuas causas agam in foro, si peritiam legum mihi comparavero. Hic ex mente *Grotii* tenebitur hic sedulam operam studio juris navare, quo agendis causis reddatur idoneus. Id quod non nisi tunc admittitur, quando expresse quis promisit, aut probabilibus ex conjecturis promississe intelligitur, sese circa vires præstandi sibi parandas laboraturum. Alias licebit conditionem

tionem in infinitum protrahere. Est quoque præterea notandum, *Grotium* vocabulo *conditionis potestativæ* aliter, atque ea supra definita est, uti, pro ea, quæ ut existat in potestate est promittentis. Mixta denique conditio est, cujus impletio partim ab arbitrio ejus, in quem confertur, partim à casu dependet, v. g. dabo tibi decem, si *Mæviam* uxorem duxeris. Nam id non in tuo solum arbitrio est, cum & illa te sponsum renuere, & ante nuptias fato fungi possit. Denique & hoc addendum, conditionem pro impleta haberi, si per alterum stet, quo minus conditio impleatur. Vid. l. 50. D. de *contrah. emt.*

§. 5. Conditiones porro impossibiles sunt vel physice tales, vel moraliter: seu quædam per rerum naturam fieri non possunt, quædam per leges fieri non debent. Ejusmodi conditiones adjectæ, si naturalem interpretandi simplicitatem sequamur, præsertim ubi uterque impossibiles eas scivit, negantem, adeoque nullam faciunt promissionem. Vid. l. l. §. 11. l. 31. D. de *oblig. & act.* Et quidem, ubi negotium sit inter eos, qui in libertate naturali vivunt, planum est, nihil agi, adjecta conditione naturaliter impossibili; etsi hoc modo alicui petita denegare speciem contumeliæ habeat, quæ simplici negationi non videtur inesse. Et huc pertinet responsio Lemniorum *Miltiadi* data, apud *Cornel. Nepotem. c. 1.* Inde cum post *Miltiades* verba cavillaretur, recte judicatur; *Lemnios non dicto, sed secunda fortuna adversariorum captos.* Id quod etiam in conditione moraliter impossibili, seu turpi deprehenditur. Huc pertinet, quod de *Esdiguerii* promisso, *Maphæo Barberino* circa suscipiendam religionem Pontificiam facto, refert *Gramondus hist. Gall. l. 16. p. m. 708.* Quod si quis tamen turpem conditionem impleverit, an & quatenus promissum exigi possit, ex illis colligitur quæ *cap. preced. §. 8.* tradidimus. In civitatibus autem per leges civiles constitui potest, ut promissio cum conditione impossibili, præsertim quam talem promissarius ignoraverat, pro non adjecta habeatur; nec huic ita petulanter illudatur. Pacta autem & promissa, quibus turpes conditiones adjectæ, recte per leges civiles irritæ declarantur; ne privatorum pacta ad leges publicas subvertendas aliquid valere credantur. Sic & in testamentis leges Romanæ adjectas conditiones impossibiles, turpes, aut ludicras pro non adjectis declararunt; quod absurdum videretur, in tali actu, quem maxime serium, gravemque conveniebat esse, ita petulanter per inanes clausulas hominibus illudi.

Apud *Petronium* Eumolpus testamento suo ita cavet: *Omnes qui in testamento meo legata habent, præter liberos meos, hac conditione percipient, qua dedidi, si corpus meum in partes conciderint, & adstante populo comederint.* Apud *Horatium* *serm.* 1.2. *sat.* 5. *Tiresias* ita dicit: *Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba Thebis Ex testamento sic est elata. Cadaver unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres: Scilicet elabi si posset mortua, credo, Quod nimum institerat viventi.* Ad quem locum *Scholias* *tes*: *In testamento præcepit, ut sic efferretur, nimirum ut nuda & oleo uncta à captatore nudo efferretur, ea videlicet cogitatione, ut vel mortua humeris ejus elaberetur, cujus viva captationem evadere non potuerat. Quare re latius agunt J Cti Romani ad tit. D. de condition. institutionum. Vid. quoque l. 8. D. de usu & habit.*

§. 6. Addendum & hoc; siquidem in promissionibus loci mentio sit inserta, citra mentionem certi temporis; intelligi tantum temporis tractum impletioni promissionis indulgeri, quoad commode possit perveniri in locum, ubi promissio est præstanda. *Vid. l. 73. princ. l. 137. §. 2. D. de verborum obligat.*

§. 7. Tempus autem definitum adjectum facit, ut effectus obligationis non nisi illo elapso exseratur, seu ut nisi præstituta die peti nequeat.

§. 8. Est denique heic explicanda differentia inter promissa conditionata, & pacta. Quæ quidem in hoc conveniunt, quod uti illa, conditione non posita, haut quidquam stringunt; ita nec hæc alterum obligant, ubi ab uno legibus conventionis non fuerit satisfactum. Inde tralatitium est; singula capita conventionum inesse singulis per modum conditionum. Aliqui exceptionem addunt, nisi conditio forte sit inutilis, tantum ob decorum, & tanquam complementum, ut ita dicam, adjecta. Cui tamen exceptioni non multum videtur indulgendum, ne illa ad eludenda præcipua pacti capita porrigatur; & quia non præsumitur inutiles clausulas pactis inferi. Apud *Gramondum* *hist. Gall.* 1. 16. de articulis secretis pacto matrimoniali inter *Carolum V Valliæ Principem*, & *Henriettam Borboniam* adjectis pronuntiatur, *adjecta, quo magis decorum servaretur; eo facto à Christianissimo Rege aula Romanæ affectatam gratiam, neutrique partium creditum adjici illud pactum, ut servaretur.* Sed & promissa cum conditione potestativa in hoc cum pactis conveniunt, quod utrinque alteri aliquid præstandum sit, siquidem promissum aut conven-

tum

tum velit exigere. Verum in hoc isthæc duo differunt, quod in promisso sub conditione potestativa promittentis nihil videatur interesse, utrum ea impleatur vel minus; saltem ad eam implendam promissarium non vult obstringere, sed in ipsius arbitrio id relinquit. Ast in pacto utique ego præstandum quid recepi intuitu ejus, quod ab altero est præstandum; & sic altero non præstante non solum ipse præstare nihil teneor, sed & eundem ad conventa præstanda adigere possum.

CAPUT IX.

DE MINISTRIS OBLIGATIONUM
CONTRAHENDARUM IN GE-
NERE.

- | | |
|--|--|
| 1. Promittere & pacisci etiam possu-
mus per alium. | 5. Quatenus quis pro altero possit acce-
ptare. |
| 2. Mandata quotuplicia? | 6. Ab heredibus non potest acceptatio
fieri. |
| 3. Quid si internuncius moriatur, re
infecta? | 7. De onere promisso adjecto. |
| 4. Differentia inter nuncium & me-
diatorem. | 8. Divisio pactorum. |

Frequentissimum est, ut promissa & pacta sanciantur aliorum hominum interventu. Heic igitur quid observari debeat, jam explicandum est. Certum igitur est hominem obligari, non solum quando immediate alteri consensum suum declarat, cui vult obligari; sed & quando eundem significat per alium hominem, quem consensus sui interpretem atque internuncium constituit. Is in isto negotio se habet ad modum instrumentalis causæ, dum non solum omnia gerit alterius autoritate; sed & quia non sibi jus acquirit, aut obligationem contrahit ad istum spectantem, quicum ut agat est destinatus; verum illi, cujus negotium gerit, jus acquirit, & eidem ad negotium rite gerendum obstringitur. Illæ quippe actiones alterius in nobis quoque obligationem producant, nobisque jus pariunt, adeoque pro nostris censentur, ad quas gerendas alium autoritate instruximus, easque pro nostris nos agnituos palam professi sumus. Sed cum tali ut efficaciter possit alter agere, necessum est, ut ipsi constet, serio hunc à nobis electum, ut voluntatis no-

Ræ sit interpres, nosque ab ipso gesta pro nostris habitura. Et ex hisce fundamentis deducenda sunt pleraque, quæ in legibus Romanis super *actione exercitoria, & insitoria* traduntur. Huc etiam spectat titulus *D. quod jussu.*

§. 2. Porro destinare solemus alterum ad paciscendum loco nostri vel sub generali formula, ut statuat, quicquid ipsi maxime ex re nostra videbitur esse; vel ut expresse, quo modo, & quid pacisci debeat, præscribamus. Si prius factum fuerit, tenebor illo, quodcunque is bona fide circa præsens negotium concluderit. *Bona fide* dicimus. Nam haut quidquam me obligabit, quod iste mala fide egit, & ubi per nefariam fraudem me circumvenit. Quippe cum in autoritate illi conferenda utique bonam ipsius fidem conditionis loco supposuisse intelligar. Quin & hoc includit bona fides, ut quod ab isto gestum est, ab honore & commodo mandantis non abhorreat, saltem prout præsentia tempora ferunt. Istud enim ignorare socordia est dolo æquiparanda. Atque idem etiam sentiendum de chartis puris, nomine nostro inscriptis, quas sæpe mandatariis nostris committimus, ut ipsi in eadem instrumentum obligationis describant. Quæ haut quidquam nos obligabunt, si quid illis deinceps insertum fuerit, quod à natura commissi negotii fuit alienum, & in quod consensisse præsumi non possumus. Memorabile est exemplum fraudis, per ejusmodi chartam puram commissæ, apud *Zonaræ tom. III. & Glycæ tom. IV. in Romano Lacæpæno*, de Tryphone patriarcha, qui ut ostenderet, se literarum rudem non esse, (de quo ipsum argui fingeant,) nomen suum chartæ inscripsit. Cui deinde Cæsariensis adjunxit, quasi iste patriarchatum resignaret. Ex quo Imperator occasionem arripiebat eo munere istum ejiciendi. Apud *Guntherum Ligurino* l. 6. abusus istarum chartarum reprehenditur: *An pulcrum satis est, & summo præfule dignum Impres- sis signo vacuas emittere chartas. Quas possit lator variis inscribere nugis Cum volet, & miseris falsas affingere culpas.* Cui autem certi fines sunt præscripti, ultra illos obligare me non poterit. Quod si autem alicui dentur duplicia mandata, manifesta, seu quæ exhibeat illi, quicum est contrahendum, & arcana, quæ internuncium duntaxat instruant, & quousque progredi debeat præscribant; quæstio exurgere potest, an autorem suum obliget internuncius, si arcana mandata excedat, ita tamen ut intra id subsistat, quod manifesta præ se ferunt? Id quod affirmandum est.

Nam

Nam manifestis mandatis obstringo me tertio, quicum contrahendum, ad rati habenda ab internuncio meo gesta. Per arcana autem mandata obstringo internuncium, ne ab iis discedat; quæ ubi transgressus fuerit, mihi tenebitur ad id quod intererat à mandato meo non fuisse discessurn. Tertio tamen obligor ad id, quod ab isto fuit actum. Circa hoc enim nihil cum internunciis tuto posset agi; cum semper metuendum esset, ne ab apertis mandatis arcana discreparent; nec facilior prætextus foret, omnia per internuncium conclusa subvertendi, aliosque inanibus tractatibus illudendi. Vid. *Autoris Anonymi Memoires touchant les Ambassadeurs* p. 582. 583. 588. Præsupponitur autem heic quoque, internuncium non mala fide ab arcanis mandatis discessisse.

§. 3. Quod si autem in promisso alteri deferendo internuncium adhibuerimus, & vero hunc mori contigerit, antequam alteri nostra voluntas per eum fuerit significata, & is eandem acceptaverit, revocari promissum posse patet. Nam expresse promissor voluerat intervenientibus hujus verbis obligationem contrahere. Unde licet forte hic internuncius tertio alicui indicarit, quale negotium in mandatis habeat, & per hunc isti, ad quem destinabatur, id innotuerit, nequaquam tamen inde ipse obligor. Nam neque ego ex alterius istius verbis volui obligari: & idem iste non adeo liquidam habet voluntatis meæ notitiam, ut de ea satis alteri confirmare queat. Secus autem sese res habet in tabellario, cui literæ voluntatem meam exprimentes ad alterum deferendæ dantur. Hic enim etsi ante literas redditas moriatur, eæque per alterum post traditæ sint, nihil inde obligationi contrahendæ decedit. Nam tabellarius non est proprie causa instrumentalis obligationis contrahendæ, sed est duntaxat perlator instrumenti obligatorii, seu literarum, quas per quemcunque perferri ac tradi neutrius quidquam interest. Conf. *Grotius* l. 2. c. 11. §. 17.

§. 4. Sed & in aliis casibus multum interest, utrum quis interveniat aliorum negotiis tanquam purus nuncius, & perlator sententiæ ab alio conceptæ, an vero tanquam mediator, & qui iudicium suum aliquo modo interponat. Quod *Grotius* d. l. ita effert: *utrum quis minister sit electus, qui promissionem significet, an vero ut ipse promittat.* Priori casu, si ego promissum revocem, antequam ab altero acceptatum fuerit, revocatio valebit, etsi ea ministro non innotuerit, sed is ob revocationis ignorantiam voluntatem antea significatam indicare perrexerit. Conf. l. 4. *D. de manumissis vindicta.*

Sed

Sed ubi quis posteriori modo alterius negotio intervenerit, nisi revocatio ipsi innovaverit, irrita eadem erit, ac obligatio auctori nascitur, si iste commissum negotium executus fuerit. Quia scilicet auctor constituerat, ut oblatio sui promissi innotesceret alteri per actum internuncii, ad quem aliquis usus iudicii, non solum ministerium corporale, requirebatur. Quo adplicant J Ctil. 15. D. *mandati*. Conf. l. 17. D. *de offic. praef. & Costalius ad l. 63. D. de procuratoribus. cap. un. de renunciatione in Clementinis*. Eandem distinctionem locum quoque habere iudicant in ea quaestione; an donatio valeat, mortuo ante acceptationem donatore. Id quod affirmant, si internuncius fuerit ex priori genere; quippe cum ex parte donatoris nihil amplius defuerit. Negant, si ex posteriori genere; quia à vivo donatore donatio nondum erat plene facta, sed tantum mandata fieri, seu quia nondum obtulerat quid, sed iusserat tantum offerri. Conf. tamen *Zieglerus ad Grot. l. 2. c. 11. §. 17.* ubi putat posse acceptari donationem, si ea donatore adhuc vivo à mandatario fuerit jam exposita. Ubi tamen nondum liquet, quo obtentu exposita donatione circa acceptationem alter moras nectat. Ex eodem etiam fundamento *Grotius l. d.* iudicat decidendam controversiam; an mandatario detur actio mandati contraria contra heredem mandantis de illis impensis, quæ in exsequendum mandatum factæ sunt post mortem mandantis. Qua super reactionem dedisse M. Drusum Prætozem, negasse Sext. Julium refert *Autor librorum ad Herennium l. 2.*

§. 5. Cæterum uti per internuncium alteri consensum nostrum possumus declarare; ita ulterius quaeritur: an tertius possit promissionem alteri factam ipsius loco acceptare? Ubi non est sermo de illo, qui super acceptatione nostro nomine faciendâ est à nobis mandato instructus. Nam per talem quod facimus, ipsi iudicamur fecisse: & velle censemur, quod in alterius voluntate posuimus, si & ille velit. Sed de illis quaeritur, qui ejus rei mandatum à nobis non acceperunt. Ubi *Grotius d. l. §. 18.* iudicat, distinguendum esse inter promissionem mihi factam de re danda alteri, & inter promissionem collatam in ipsius nomen, cui res danda est: i. e. utrum promissio ita sit concepta, promitto tibi, me Sejo daturum; an vero ita, promitto, te arbitro ac teste, me Sejo daturum. Priori casu is videtur naturalis esse sensus ejusmodi promissionis, ut quando eam acceptavi, jus adquiram efficiendi, ut ad alterum res perveniat, siquidem & is acceptave-

ptaverit, ita ut intermedio tempore à promissore promissio revocari nequeat. Ego tamen, cui immediate facta est promissio, eam possim remittere, antequam ab altero fuerit acceptata: Sic ut eo fere redeat hæc promissio: ego Sejo dabo, si tibi placuerit. Heic sane in tuo videtur esse arbitrio, derivare id promissum velis in Sejum, an vero recusando id intercipere, saltem ne illud per te ad ipsum perveniat. Nam si omnino dare velim, licebit id sine interventu tuo facere. Sed si tu ostenderis, oblatum tibi arridere, mihi poenitendi non concedetur facultas, priusquam Sejo meum promissum fuerit indicatum. Quod ubi & ipse acceptavit, promissio jure naturali valida erit. Et si leges Romanæ inutiles declarabant stipulationes citra adjectam poenam conceptas, in usum duntaxat tertii tendentes; ratione addita, quod stipulationes sint inventæ, ut unusquisque acquireret sibi, quod sua interesset; cæterum si alii detur, nihil interesse stipulatoris. At per stipulationem poenalem, v. g. nisi Sejo decem, mihi poenæ loco solves octoginta, saltem mihi jus fuit quæsitum, ut si prius non præstetur, meo nomine *XXC* possim petere. Enimvero videtur hoc constitutum positiva ex ratione ad præscindendas litium multitudines. Poterat quippe judex non injuria queri super importunitate litigatoris, quod sibi aliis negotium faceretur, cum ipsius nihil interesset. Et quanquam non omnino nihil nostra intersit, si per nos in alium beneficium derivetur; hoc modo enim alter ad gratitudinem adversus nos obligatur: incongruum tamen videbatur, dari actionem ad beneficium alterius nomine petendum, cum proprio id nomine petere is nequiret; adeoque actionem dari, ut de alieno quis alium sibi devincire posset. At vero altero casu, quando ita est concepta promissio; promitto seu assevero, te teste, me Sejo daturum, si quidem mandato destituaris pro Sejo promissum acceptandi, ut ut verbis istis annueris, neque tibi jus quæsisisti, neque Sejo, qui actionem tuam pro sua non agnoscit. Unde nihil interest, utrum interveniens testis promissio annuat vel non; quippe quod in ipsius personam non fuit collatum. Et promissor, quia per acceptance[m] Sejo jus non est quæsitum, revocare promissum potest citra injuriam, etsi non semper citra violationem constantiæ & veracitatis.

§. 6. Sed & illud constat, si quid vivo offeratur, puta per literas aut nuncium, & is antequam acceptaverit moriatur, acceptance[m] ab heredibus ipsius fieri non posse; adeoque tale promissum recte posse re-

vocari. Nam promissor acceptationem contulisse videtur in arbitrium istius mortui, non in heredum. Nec præsumitur ipsum de casu mortis cogitasse, ut etiam ea interveniente promissum voluerit perficere. Sæpe quippe volumus quid alteri dare, quod ad heredes quoque transmittere possit, quod tamen immediatè ipsius heredibus dare nolumus: cum multum interfit, quis beneficium à nobis accipiat. Vid. l. 19. D. de reg. juris.

§. 7. Denique & hoc addi potest; an quis promissioni suæ onus aliquod adjicere queat post eandem jam nuncupatam? Nam quia ab initio, quas velit condiciones addere possit, dubio caret. Id igitur fieri potest, quando ea per acceptationem nondum est completa, aut fide interposita immutabilis & irrevocabilis facta. Ante acceptationem enim alteri jus nondum est quæsitum, adeoque uti promissori heic totum licet promissum revocare, ita & onus eidem adjicere. Sed perfecta donatio condiciones non amplius capit. Vid. l. 4. C. de donat. quæ sub modo. Sed quid si onus illud sit adjectum in commodum tertii? puta, si ita dixerò, dabo tibi centum, si Sejo sumtus studiorum per annum dederis. Heic dicimus, posse hoc onus à promissore revocari, quamdiu à Sejo non fuerit acceptatum. Nam ante acceptationem nullum ipsi jus competere potest.

§. 8. Generalissima pactorum divisio hæc videtur esse, ut per quædam constituatur aliquod jus, in universi generis humani usum redundans; per quædam certis duntaxat hominibus profuturum jus nascatur. Scilicet simplex valde futura erat hominum vita, & inculta, nî ad illud, quod natura dederat, ipsorum quoque instituta accessissent, per quæ & insignem commoditatem, nec minus decoris eadem accepit. Ex quorum genere præcipua sunt *sermo*, *dominium rerum*, *earumque pretium*, & *imperium*, quæ universale aliquod pactum præsupponunt, tacitum aut expressum, quo certa forma illis fuit assignata; quæ introduci ratio, posita generis humani multiplicatione, suadebat, tanquam ad decus & tranquillitatem ejusdem maximè facientia. Igitur postquam in genere de pactorum natura vidimus, ista jam instituta contemplabimur, quibusque pactis illa nitantur, & quænam ex iisdem juris naturalis præcepta, quæ hypothetica supra vocavimus, promanent.

SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ ET GEN-
TIUM
LIBER QVARTVS.

CAPUT I.

DE SERMONE, ET QVÆ EUNDEM
COMITATUR OBLIGATIONE.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Sermone quomodo utendum?</i> | 12. <i>Simulatio in rebus quatenus licita?</i> |
| 2. <i>Signa quotuplicia?</i> | 13. <i>De sermone ambiguo.</i> |
| 3. <i>De origine sermonis.</i> | 14. <i>De reservationibus mentalibus.</i> |
| 4. <i>Vocabula significant ex impositione.</i> | 15. <i>Infantibus quatenus falsum liceat dicere?</i> |
| 5. <i>Eadem comitatur conventio;</i> | 16. <i>Falsum pro salute aliorum dicere fas est.</i> |
| 6. <i>Eaq; vel generalis, vel specialis.</i> | 17. <i>Rectoribus civitatum quatenus falsum dicere sit concessum?</i> |
| 7. <i>Vnde sit obligatio ad pandenda alteri animi sensa.</i> | 18. <i>Quatenus prave curiosus illudiqueat?</i> |
| 8. <i>Quid veritas, quid mendacium.</i> | 19. <i>Hosti falsum licet dicere.</i> |
| 9. <i>Non omne falsiloquium est mendacium, & turpe.</i> | 20. <i>An reus negare crimen possit?</i> |
| 10. <i>Jus, quod mendacio violatur, quale, & unde sit?</i> | 21. <i>Quid liceat advocato pro reo?</i> |
| II. <i>Pars veri quatenus recte dissimuletur.</i> | |

Hominem ad sociale vitam à natura destinatum vel hoc unum sufficienti poterat argumento esse, quod ipsi præ ceteris animalibus datum sit articulado sono aliis posse animi sensa indicare; cujus facultatis extra socialitatem inter homines vix ullus usus intelligi potest. Bene *Aristot. Polit. l. 1. c. 2. Nihil frustra a natura facit. Sermone vero* (nempe qui sit conjunctus cum intelligentia & sensu eorum, quæ vocabulis significantur, non qui nuda repetitione soni alieni constat, uti psittacorum garritus,) *homo habet solus omnium animantium,* (cujus ope etiam unus alterum docere, & unus alteri commodissime imperare, & imperata intelligere potest, citra quæ vix ulla, aut non nisi incultissima inter homines societas, pax, aut disciplina foret.)

Nam φωνή, vox (seu inarticulatus quidam sonus) molesti atque jucundi est signum, quapropter aliis quoque existit animalibus. Hucusque enim natura processit in his, ut sensum habeant jucundi & molesti, & hoc inter se utcunque significare possint. (Unde & qualescunque brutorum voces à natura sunt, non ex instituto, sicut humanus sermo.) At se: mo datus est ad significandum etiam utile & damnosum, adcoque etiam justum & injustum. Hoc enim præter cetera animalia hominibus proprium est, ut boni & mali, justi & injusti, aliorumque hujusmodi habeant sensum. Horum enim communicatio & societas facit domum & civitatem. Add. Isocratis Nicoclis paulo post princip. Plinius N. H. l. XI. c. 51. Explanatio animi, quæ nos distinguit à feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æque grande, quam à belluis fecit. Luculenter quoque Quintilianus Inst. Orat. l. 2. c. 16. Sophocles Oedipo Coloneo. τὰ θεῖα καλῶς ἐυρημὴν ἔργα τὰ λόγῳ μινύει. Præclare cogitata sermone indicantur. Argute quoque Plinius N. H. l. 7. c. 1. necessitatem loquelæ expressit, dum ait: externus alieno non est hominis vice. Add. Garcilass. de la Vega, Comment. Reg. l. 7. c. 1. Et cum quæ singulos premit imbecillitas, commodissime aliorum auxilio possit dispelli, & vero alter ad opem mihi ferendam se nequeat accingere, nisi desideria mea intellexerit, id quod promptissime per signa, & cum primis voces articulas fieri potest: igitur ut utilissimum humanæ vitæ instrumentum rite finem suum obtineat in jungenda hominum societate, ne vè per abusum linguæ homo minus fieret sociabilis, quam per silentium, aut inscitiam loquendi, jus naturæ intelligitur præcipere: Ne quis signis ad exprimenda animi sensa institutis alterum decipiat.

§. 2. Ut autem ab ovo, quod dicitur, rem repetamus, sciendum est, eam esse indolem rerum in sensus incurrentium, ut non solum de sui ipsarum velut præsentia testentur, sed etiam in aliarum cognitionem rerum perveniendi rationi humanæ ansam præbeant. Idque vel quia naturalem cognationem aut cohærentiam istæ res habent, vel quia entia, sensu & intellectu prædita, citra naturalem ipsarum habitudinem ejusmodi notionem iis imposuerunt, per quam certarum rerum imagines animo repræsentarentur. Inde emergit distinctio inter signa naturalia, & quæ valent ex conventionem. Illorum plurima dantur per hoc univèrsum; puta, aurora orituri mox solis, fumus ignis, &c. Ex conventionem in usum significandi sunt assumptæ ab hominibus res & actiones, certique motus,

motus, & voces seu articulati soni lingua formati, ac post in literas redacti. Et isthæc omnia vel certos apud homines, vel plerosque aut universos valere deprehenduntur. Ad priorem classem possunt referri ignes nocturni dirigendo navium cursui, quibus quondam abusus Nauplius ad scopulosa Capharei Græcos tempestate laborantes allisit, ulciscendæ neci Palamedis filii. Add. l. 10. D. de incend. ruin. naufrag. Item aliâ signa, quibus diurnum navium cursus regitur, breviaque & scopuli indicantur. Signa itidem itinerum terrestrium, hermæ, protensæ manus, & similia. Sic quondam ignibus per montium cacumina accensis Persæ certas res per totum regnum suum brevissimo spatio nunciare solebant. Quem morem expressit *Barclajus Argen.* l. 1. Addatur *ἡ ἀπορία τῆς φουκαρίας* Polybius l. X. c. 39. seqq. *Casaubonus* epist. 812. edit. *Grævii.* *Julius Africanus* *ἡ δὲ* l. 2. cap. penult. Vid. quoque *Ferdin. Pinto* c. 61. de cornu, in singulis domibus haberi solito, quo apud Japonios signum datur. Taliu signorum infinita varietas passim invenitur in civitatibus, per quæ certæ res civibus indicari solent. Quo pertinent horologia, pulsus campanarum, hastæ, hederæ, tabulæ ædibus præfixæ, & similia. In bello tubarum sonitus, tympanorum pulsus, tormentorum displosiones, vexilli propositio, &c. Sic etiam certi gestus, motusque passim in signa certarum rerum sunt assumti. Via decedere, & loco assurgere, inclinari, manus osculari apud plerosque honoris signum est. Caput inter salutandum nudare, calceos deponere, apud alios honorem, alibi contemptum notat. Sic contumeliæ signum alicubi est medium digitum ostendere, adunco naso suspendere, sicum monstrare, quod Italis dicitur, & complura alia. Sic barbam adprehendere alibi ignominiosum; apud alios honorificum, puta ap. Tataros, quosdam Indos, & uti quidam putant, apud veteres Gallos, ex *Livii* l. V. c. 41. Solenne quoque est gestibus designare desideria illorum actuum, ad quos ejusmodi motu corporis opus est; quibus utcunque inscitia linguæ suppletur inter externos versantibus. Id quoque passim receptum, ut capite modice inclinato aliquid affirmemus, eodem in latera concusso negemus, ac tergo obverso aliquid respiciamus. Nam quod locum aliquem aut rem designaturi directâ aut extensâ versus eundem manu, digitovè utamur, fortasse inter naturalia magis quam arbitraria signa retuleris. Quid nutibus, niçtu oculorum, gesticationibus digitorum, pedibus, indicari possit, siquidem inter cer-

tos homines super iis convenerit, notissimum est, nec prolixè ista exsequi nostri est instituti. *Æschylus Agamemnone*: ὅ δ' ἔντι φωνᾶς φράζεσθαι κερδαίνουσι. *Tu autem pro voce loquere barbara lingua.* Add. *Lucianus de saltatione*, ubi memoratur exemplum saltatoris, fabulam de adulterio Martis & Veneris ita saltando exprimentis, ut narrare videretur; quem dein barbarus quidam à Nerone petiit, ut sibi interpretis vice esset. Sic Dominus de Sancy Legatus Gallicus in Turcia retulit se vidisse duos mutos, unum natione Turcam, alterum Persam, sed qui se mutuo intelligere non possent, quod diversis signis & gestibus uterentur; tunc repertum fuisse tertium mutum, qui istis loco interpretis inservire poterat.

§. 3. Enimvero de sermone, signo inter homines maxime communi simul & utilissimo, & ad conceptus hominum seu cogitata communicanda invento, nobis heic potissimum curæ est. De cujus origine propter incitiam humani generis natalium ita fabulatur *Diodorus Siculus* l. I. *Homines primitus nati vitam inconditam & belluinam egerunt: ut qui sparsim ad pascuæ exiverint, ac sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comederint. Cumque à feris infestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem adacti, paulatim cognatas inter se formas agnoverunt. Voce autem adhuc confusa, & nihil significante pcedentim verba articulate pronuntiando, & signis unamquamque rem subjectam notando, elocutionem tandem omnium rerum sibi notam fecerunt. Sed cum per totum orbem ejusmodi catus coirent, & quique, ut fors dabat, verba connecterent, non eadem omnes loquelæ utebantur. Ideoque variæ, omnisque generis linguæ extiterunt. Gemina hæc tradit *Lucretius* l. V. At varios linguæ sonitus natura subegit Mittere; & utilitas expressit nomina rerum; Non alia longe ratione, atque ipsa videtur Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ, Cum facit ut digito, quæ sint præsentia, monstrant. Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse Rebus; & inde homines diducisse vocabula prima, Desperere est. Nam cur hic possit cuncta notare Vicibus, & varios sonitus emittere linguæ, Tempore eodem alii facere id non posse putentur? Præterea si non alii quoque vocibus usi Inter se fuerant, unde insita notities est Utilitatis? & unde data est huic prima potestas, Quid vellet facere ut scirent, animoque viderent? Cogere item plures unus, victosque domare Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent, Nec ratione docere ulla, suadereque surdis Quid sit opus factò: faciles neque enim paterentur. Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aures Vocis inaudite sonitus obtundere frustra.* Subjungit denique, cum bruta pecora diversos animi

nimi

nimi motus diverso sono potuerint exprimere; cur non potuerit genus humanum, cui vox & lingua vigeret *Pro vario sensu varias res voce notare?* (Add. *Diogenes Laërtius* l. X. p. 754. edit. *Steph. & Vitruvius de architect.* l. 2. c. 1.) Quibus rationibus *Lucretius* potillimum videtur impugnare voluisse *Cratylum apud Platonem*, qui summæ sapientiæ fuisse asserit eum, qui rebus nomina imposuisset; de quo mox dispiciemus. Et sane qui crederent, homines primitus è terra prorepisse *mutum & turpe pecus*, de origine linguarum vix alia tradere potuerunt. Nullam enim linguam homini congenitam, sed ad suerudine omnes addisci, in aprico est. Inde est, quod qui surdi nascuntur, iidem & muti sint. Et miraculi instar habetur, talem fermocinari docere; id quod hoc seculo contigit Fratri *Connestabilis Castiliæ Velasco*, quem natum surdum docuerunt loqui, scribere, legere & intelligere autores; & non ita pridem *Wallisus Oxonii* par specimen edidit. Nec illud verisimile videtur, unum aliquem hominem initio linguam quampiam integram concinnasse, & quidem excogitata subtiliter vocum combinatione, ac cum rebus convenientia. Enimvero ex sacris literis plerisque Christianorum est persuasum, primævam linguam à Numine primis hominibus immediate fuisse infusam, quam ex ipsius geniti dein usu audiendi addidicerint. Diversitatem autem linguarum per miraculum provenisse, dum mortales invito Deo turrim *Babylonicam* moliebantur. Add. *Mornæus de verit. relig. Christ.* c. 26. Etsi an ipsius quoque *Adami* lingua ab initio omnibus numeris fuerit perfecta, & ad exprimendos quosvis conceptus locuples, nonnulli dubitent, quod tantum de vocabulis, quæ animantibus per ipsum sint imposita, sacræ literæ expressè memorent. Sicuti & de plerisque linguis constat, illas ab initio valde fuisse pauperes atque simplices; successu autem temporis locupletatas, & in concinniores formas redactas: quin & cum tempore insignes sensisse mutationes; & ex earundem depravatione & confusione non paucas novas ante secula non adeo multa provenisse. Conf. *Hobbes Leviathan.* c. IV.

§. 4. Manifestum autem illud est, vim determinate hoc vel illud significandi, id est, certam in animo ideam excitandi, vocabulis non inesse à natura, aut intrinseca quapiam necessitate, sed ex merito hominum arbitrio atque instituto. Alias enim nulla posset ratio reddi, quare eandem rem in diversis linguis diversa notarent vocabula. Id quod etiam de apicibus & figuris literarum verum est.

Quam

Quam in rem *Augustinus de doctrin. Christian.* 1.2. c.24. ait: *Vna figura litera, qua decussatim notatur, aliud apud Gracos, aliud apud Latinos valet, non natura, sed placito & consensione significandi: & ideo qui utramque linguam novit, si homini Graco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc literam, in qua eam ponit, cum homini scribit Latino. Et beta uno eodemque sono apud Gracos litera, apud Latinos oleris nomen est. Et cum dico, lege, in his duabus syllabis aliud Gracus, aliud Latinus intelligit. Neque obstat, quod Adam credatur non temere, sed summa ratione vocabula animantibus imposuisse, ex peculiari ipsarum natura desumpta, & diserte ipsorum proprietates exprimentia, ut ad primum vocabuli sonum mox natura cujusque intelligeretur, uti est apud *Philonem Iudeum de opificio mundi*. Nam etsi concedamus, animantibus, atque aliis quibusdam rebus, (nam de omnibus nemo hoc facile probaverit,) nomina indita, ipsarum indolem, aut præcipuam affectionem notantia: tamen illa ipsa primitiva, abs quibus ista sunt deflexa, ex mero arbitrio rem substratam notant, v.g. etsi rationem reddiderit Adam, quare uxorem suam vocaverit Hevam, ideo quod esset mater omnium viventium: tamen cur vox *hava* vivere significet, ex mera est impositione. Et quanquam in omnibus linguis, cognatis rebus cognata fere vocabula sint tributa, servata in plerisque inflexionis conformitate, quam analogiam vocant: tamen hæc quidem perpetua est, compluribus vocibus peculiarem sibi viam observantibus; & illa ipsa analogia, certa vocabulorum flexione & combinatione constans, itidem ex arbitrio humano est constituta. *Quintilianus Inst. Orat.* 1. 1. c. 6. *Meminerimus non per omnia duci analogie posse rationem, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Non enim cum primum fingerentur homines, analogia demissa cælo formam loquendi dedit, sed inventa est, postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quomodo caderet. Itaque non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed observatio: ut ipsam analogiam nullares alia fecerit, quam consuetudo.* Apud *Platonem in Cratylō* Cratylō sententia hæc est: ὀνόματα ὁρθότατα εἶναι ἐκαστῶ ἧστ' ὄντων φύσιν περιφυλάττειν. *Rebus singulis natura inesse rectam nominis rationem.* (quod vanuni.) καὶ ἡ λέξις τοῦ εἶναι ὄνομα, ὃ, ἢ ἂν τινος συνθέμενοι καλεῖν, κατ' ὅσον, τὸ αὐτῶν φωνῆς μβερον ὑποφθιγίσμενοι. Neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione vocant, dum vocis suæ particulam quandam pronunciant. (Hoc admittitur eo sensu, si quidam contra communem usum ad illudendum aliis vellent peculiariora rebus nomina*

*Orat. l. I. c. 6. Etiamne hominem appellari, quia sit humo natus? Quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terra, quam sibi. Illud autem ridiculam, quod cum Socrates iuberetur rationem reddere vocabuli πῦρ & ὕδωρ, nihil aliud noxit dicere, quam barbaris illa suam originem debere. Et ipse fatetur, non ultra de derivatione & ratione interrogari aut responderi posse, quam perventum fuerit ad illa, ἃ ὡς αἰσθητὰ στοιχεῖα τῶ ἄλλων ἐστὶ καὶ λόγων, ἔἴθε ὀνομάτων. quae velut elementa sunt aliarum & rationum & nominum. Et si idem post nequidquam circa primitivorum quoque rationem investigandam ingeniosus sit. Et tamen, postquam plurima velut pro sententia Cratyli differuisset, mox ipse eandem demum in dubium vocat. Sospater Charisius instit. Grammat. l. I. ex Varrone ita tradit: *Latinus sermo constat natura, analogia, consuetudine, autoritate. Natura verborum nominumque immutabilis est, nec quidquam aut plus, aut minus tradidit nobis, quam quod accepit. Nam si quis dicat scribo, pro eo quod est scribo, non analogia virtute, sed natura ipsius constitutione convincitur. Idem habetur quoque apud Diomedem l. 2. Sed isthanc naturae necessitatem ego quidem nondum dispicio. Nisi dicere velimus, linguae Latinae insignem quandam inesse suavitatem, aurium iudicio mire congruentem; inde esse, quod asperas literarum combinationes in ea lingua aurium iudicium statim adspernetur. Vid. Huartius Scrutin. ingen. c. XI. Ratio à P. Nigidio allata, quod vocabula φύς significent, apud Gellium l. X. c. 4. frivola plane est. Arnobius l. I. Nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quenam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut hic paries dicatur, & hac sella? cum neque sexus habeant femininis generibus masculinisque discretos, neque ququam docere doctissimus me possit, ipsum hic & haec quid sint, aut cur ex his unum, sexum virilem designet, femininis generibus id quod sequitur adplicetur. Humana ista sunt placita. Recte contra Grotius l. 3. c. 1. §. 8. rejicit eos, qui inter res & voces hoc discriminis statuerant, quod voces naturaliter sint signa conceptuum, res non item. Equidem si hic sensus est ejus assertionis, voces eo fine institutas, ut sint signa conceptuum, adeoque istarum naturam & essentiam in significando consistere; rebus autem aliis extrinsece accidere, quod loco signorum adhibeantur; tunc omnino ea admittenda fuerit. Sed si hic sensus sit, vim significandi certum quid inesse vocibus natura, rebus autem non item, falsum est assertum. Et contra verum est,**

est, voces natura ipsa & citra humanam impositionem nihil significare; nisi forte vox sit confusa & ἀναρρητός, seu inarticulata, qualis est in dolore aut risu: quæ ipsa tamen sonitus magis, quam locutio appellari potest. Quod si autem illud ita explicetur, hominis hanc esse naturam super cæteras animantes, ut conceptus animi aliis possit significare, & ad eam rem voces esse repertas, verum quidem dicitur; sed addendum tamen est, non solis vocibus tale fieri indicium, sed & nutibus. Sicuti mutorum nonnulli sat soletter sensa animi sui pandunt. Inde in l. 7. §. f. D. de *supell. leg.* illi qui loqui non possunt, conatu ipso, & sono quodam, & ἠρρητός φωνή dicere existimantur. Et in *cap. 25. X. de sponsal.* traditur, quod muti possint contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, scil. per nutus significatum. Imo *Plinius* l. 6. c. 30. memorat, quibusdam Æthiopiæ populis pro sermone nutus, motusque membrorum esse. Add. *Quintilianus* l. XI. c. 3. *Instit. Orat.* Denotatis Peruvianorum sub imperio Incarum vid. *Garcilassus de la Vega Comment. Reg.* l. VI. c. 9. Huc pertineat etiam notæ illæ, quæ non voces lingua formatas seu verba denotant, sed res ipsas; idque vel quia convenientia aliqua est istarum cum rebus significatis, uti in plurimis notis hieroglyphicis Ægyptiorum; vel quia impositio hominum talem vim ipsis indidit, uti sunt notæ Chinesium, quibus integri conceptus & sententiæ exprimuntur. Hoc loco etiam non inconueniens fuerit monere de illa impositione, quæ certum ac singulare vocabulum certis personis, ac locis aliisque rebus solet imponi. Quorum hic est finis, ut unus homo ab altero, unus locus, una urbs aut regio ab altera possit discerni, utque adeo ea nota intelligatur inter homines, quid quisque fecisse ac dixisse censeatur. Cæterum uti vocabula propria aliarum rerum sequuntur naturam nominum, uti vocant, appellativorum seu communium: ita circa nomina propria hominum est observandum, illa imponere esse penes eos fere, qui in alios potestatem habent. Sic parentes liberis, domini servis, reges subditis, quos dignitate aliqua maectant, nomina imponere adsolent. Id ubi ab hisce fuerit prætermissum, aut si multi eodem nomine utantur, ambiguitatis &

erroris vitandi causa cuilibet licebit sibi aliquod nomen distinctivum adsumere. Sicuti autem aliud sibi nomen indere non licet, ubi finis nominum impositorum intercipiatur, aut ubi per talem mutationem ulli damnum aliquod aut præjudicium, ejusq; probabile periculum & suspicio provenire potest: ita nec dissimulare id licebit; nisi in eo casu, quo per eam dissimulationem alterius jus non læditur, nobis autem utilitas aliqua conciliatur, aut damnum à nobis & periculum avertitur; juxta ea, quæ mox de obligatione verum dicendi trademus. Add. *Valerius Maximus* l. IX. c. ult. & l. VII. c. 3. n. 8. 9. Oratio *M. Antonii Majoragii* ejus argumenti. *Cassaubonus ad Baronium exercit.* XIII. n. 13.

§. 5. Cæterum uti omnia signa, exceptis naturalibus, rem certam notant ex impositione; ita eandem impositionem comitatur tacita quædam aut expressa conventio, *συθήκη, ὁμολογία*, & pactum, cujus vi necessum sit, ad hanc & non aliam rem notandam ista signa adhiberi. Atque ejusmodi pactum omnino est statuendum circa quaslibet res signorum loco adhibitas, quamcunque demum originem loquelæ humanæ supponamus. Licet enim statuamus primævas linguas hominibus immediate infusas; cum tamen quilibet hominum suam sermocinandi facultatem seorsim obtineret, eademque libere uti posset, quælibet verba quibuslibet rebus pro lubitu applicando; non poterat ea facultas usum obtinere, nisi conventio inter diversos homines foret inita, ut quisque uniformi modo ista uteretur, easdemque res iisdem vocabulis exprimeret. Cum enim in naturali libertate constitutus facultates suas alteri obnoxias non habeat, sed ex proprio judicio iis queat uti, nullo jure alter postulaverit, ut hoc & non alio modo easdem adhibeam, quo exinde de sensu animi mei judicare possit, nisi super isthac re pacto inter nos convenerit. Quod pactum eousque valet, ut quanquam signa haut quidquam infallibilem de animo alterius certitudinem gignant, sed probabilem duntaxat, aptis ad quævis simulanda, & dissimulanda hominibus; (quo facit illud Archidami apud *Plutarch. apoph. Lacon.* *ἄριστον ἢ εἰς τὸ αὐτὸ φθίγειν φωνὰν. ἀδραμαὶ δὲ πολλὰς καὶ ποικίλας, ἕως ἂν τὸ δόξαν ἐπιτελέσῃ.* *Ovis semper voce utitur eadem, homo autem multis & variis, dum quod vult conficiat.* *Moschus Idyll. r.* *κατὰ φέρον, ἀδὲ λάλημα: mala mens, dulcia verba.* ἢ *ἴδ' ἴδ' τοῖς ἔ φθίγειν*), non enim idem sentit, quod loquitur; tamen id quisque serio voluisse præsumatur, quod signis illis expressit. Adeoque effectus juris consensum hominis

minis consequantur, prout eundem signa representant, licet forte intrinseca voluntatis destinatio à signis discrepet. Add. *Grot. l. 2. c. 4. §. 3.* Nam citra hoc incassum recidebat illorum usus. Cum autem mutua inter homines officiorum communicatio non possit exerceri, nisi de voluntate hominum invicem constaret, & vero id aliter fieri, quam per signa in sensus incurrentia humanæ naturæ conditio non ferret; igitur usus istorum signorum certa conventionione erat sancendus & circumscribendus, ut cuique quid ab altero postulare posset, liquido constaret. Quo loco obiter notandum, quod tradit *Livius l. 40. c. 42. Cumanis petentibus permissam, ut publice Latine loquerentur, & praconibus Latine vendendi jus esset.* Et si alias Romani linguæ suæ propagandæ essent studiosissimi. Vid. *Valer. Max. l. 2. c. 2. §. 2.*

§. 6. Est autem conventio illa circa usum signorum, & potissimum vocabulorum vel *generalis*, vel *specialis*. Illa intervenisse intelligitur hominibus eadem lingua utentibus, ut certas res, in primis in frequenti commercio: atque usu versantes, certis vocabulis exprimant, quæ communis usus ejusdem temporis adprobat. Nam *penes hunc arbitrium est, & jus, & norma loquendi*, eoque volente *multa renascuntur, quæ jam cecidere, cadentq;*, quæ nunc sunt in honore, vocabula. *Horat. de art. poet. Quintilianus Inst. Or. l. 1. c. 6. Abolita atque abrogata retinere, insolentia cujusdam est, & frivola in parvis jaçantia.* Add. *Gellius l. 1. c. 10. Sextus Empiricus adversus mathematicos. l. 1. c. 3. Καὶ μὲν παντοίας γίνονται τῶν φωνῶν μεταβολαί, καὶ ἀπολύτως γίνονται, & εἰσαυθις γίνονται.* φιλομετάβολον γὰρ ἴσιν ὁ αἴων, ἢ εἰς οὐτά μόνον καὶ ζῶα, ἀλλὰ καὶ εἰς ἄλλα. *Quin etiam sunt varia vocum mutationes; fueruntque antea, & rursus erunt: mutatione enim deletatur seculum, non solum in plantis & animalibus, sed etiam in verbis. Idem d. l. c. 10. Quomodo in civitate pro more regionis procedente numismate, qui ei quidem accedit, potest in ea civitate emendo, vendendo, ac contrahendo absque ullo impedimento degere: qui autem hoc quidem non admittit, novum autem effingit, & eo vult uti pro numismate, is plane despicit: ita etiam in vita, qui non vult usu receptum tanquam non numisma aliquod, sequi sermonem, sed sibi excudit novum, non longe est remotus ab insania.* Præsertim cum nullus sit usus sermonis, nisi utrinque intelligatur. *Cicero Tuscul. Quest. l. 5. Omnes nos in his linguis, quas non intelligimus, surdi sumus. Ovidius Trist. V. El. 7. Barbarus hic ego sum, quia non intelligor. ubi.* Ubi & hoc observandum, plerasque linguas non solum

dialectis variari, sed & ejusdem linguæ vocabula sæpe in diversis locis diversa significare. Talium igitur vocabulorum significatio judicabitur ex usu istius loci, ubi negotium geritur; nisi adparuerit, peregrinum patrii sui sermonis genium nondum exuisse, nec in alterius loci idioma consensisse. Sic & quibusdam vocabulis alio loco & tempore contumeliæ quid inest, alio non. De vocabulo tyranni notissimum est. Sic vocabulum barbarorum, apud Græcos Latinosque contumeliosum, *Theodoricus Rex* in Edicto suæ nationi applicat. Sic & in *Lege Burgundionum* passim ipsi Burgundiones barbari vocantur. Quo loco & hoc observandum est, quod plurimæ voces præter principalem significationem habeant quoque aliam velut accessoriam, qua simul judicium nostrum, aut affectum, æstimationemq; exprimimus. Ex quo est, ut ex multis vocabulis, quæ quoad principalem significationem coincidunt, quædam contumeliosa & injuriosa, quædam minus sint; quia nimirum illa accessoria significatio quasdam comitatur, à quibusdam exulat. Sic si dicam alicui: mentitus es, non solum significo, orationem ejus cum sensu animi ipsius non congruere; sed etiam connoto, eum prava intentione, & ut nos injuria afficiat, id fecisse. Propter quam connotationem fit, ut ea vox contumeliosa & injuriosa habeatur. Sic si aliquem vocem impostorem aut ignorantem, contumelia illum afficio, quia ea vocabula contemptum & exprobrationem connotant; cum tamen vocabula dentur, quibus citra contumeliam exprimere possim, me ab altero læsum fuisse, aut istum quædam nescire; adeoque quibus tantum notetur res ipsa citra connotationem opprobrii. Aliquando tamen ista connotatio oritur non ex communi impositione hominum, sed ex tono vocis (qui alius est docentis, alius blandientis, alius objurgantis,) faciei lineamentis, gestibus, aliisque naturalibus signis, quæ principalem verborum significationem non parum solent immutare, minuere, augere. Sic & figuratus sermo sæpissime connotat passionem ejus, qui loquitur, simplex autem rem ipsam nude exprimit. *Usque adeonè mori miserum est?* plus notat, quam *non est usque adeo miserum mori*. Ibi enim connotatur contemptus mortis. Sic & ex ejusmodi connotatione oritur, quod alia vocabula obscœna, alia secus habeantur, ut ut unam & eandem rem significent, imo licet in re ipsa nulla turpitudine insit. Cujus rei ratio

par-

partim hæc videtur, quod quædam vocabula paulo generalius, quædam autem distinctius & quasi cum certis circumstantiis rem aliquam, aut actum expriment. Igitur qui posterioris generis vocabulo utitur, simul libidinem suam, & delectationem aut adprobationem, honesto homine indignam, circa eandem rem, aut actum prodit. Aliquando etiam vocabulis obscœnitas inde provenit, quod vel contemptum rei simul innuant, vel non nisi usurpentur inter viles homines, & adversus quos nulla reverentia adhibetur. Vid. quoque *Cicero epist. ad famil. IX. 22. Casaubonus comment. ad Persii sat. 4. p. m. 342.* disputat, num etiam recte in castigatione vitiorum verba obscœna adhibeantur; quod satyricis scriptoribus solenne est. Speciali autem conventionem nituntur illa vocabula, quæ peculiarem à communi usu significationem induerunt, aut quæ communis usus ignorat. Ex quo genere sunt vocabula artificum, seu termini artis, quos rerum multitudo, aut nudum placitum fingere, vel novo significatu à populari usu discernere subegit. Quibus ne quis decipiatur, inter peritos artis conditio negotii, de quo agitur, facile præcavere potest. Inter imperitos autem vulgaribus vocabulis eadem erunt circumscribenda. Quod etiam necessum est, si vel circa eorundem usum artifices discrepent; aut si cui nova procudere vocabula, novumque veteribus indere sensum certas obrationes placeat. Add. *Baco de Verulamio de augment. scient. l. 3. c. 4. princip.* Imo possunt & solent pauci aliqui peculiariter sibi vocabula, rerumque notas fingere, aut vulgaribus vocabulis diversum sensum imponere, ut à se invicem, non ab aliis intelligantur. (Quod quousque liceat, ex sequentibus adparebit.) Circa quæ sufficit, si animi mei sensum recte indicent illis, quibuscum super eorundem usu peculiariter conventionem inivimus. Quod etiam in aliis signis, peculiari duntaxat certorum hominum impositione determinatis, obtinet. Quo cum primis tesserae militares pertinent. Quarum locum quandoque silentium subire potest. Sicut apud *Polyænum stratagem. l. 1.* Arcadum dux, cum noctu Spartanos Tegeæ opprimeret, militibus hoc signum dederat, ut interficerent eos, qui tesseram requirerent. Arcades igitur non rogabant, Spartiatæ verò tanquam noctu suos non agnoscentes, & idcirco quærentes signum, ab Arcadibus intercepti sunt. Sic apud *Eundem l. V.* Pammenes contratio modo tubarum lege usus hostes decepit, man-

mandans suis militibus, ut cum receptui caneretur, impressionem facerent: cum vero ad pugnam vocarentur, recederent.

§. 7. Est præterea & hoc accurate notandum, etsi conventionem illa generali & speciali adstringamur, voces & reliqua signa, prout conventum & receptum est, adhibere: nequaquam tamen eo ipso nos teneri, ut omnia animi nostri sensa & cogitata quibusvis pandamus. Quo possis accommodare illud *Apolloni Thyæ. ap. Philostratum* in ejus vita l. 4. c. 11. *Palamedes literas invenit non scribendi solum causa, sed ut etiam cognoscere quisque possit, quæ scribenda non essent.* Sed ad hoc alia obligatione opus est, quæ provenit vel ex peculiari pacto, vel ex communi præcepto legis naturalis, vel denique ex præsentis negotii natura, cui contrahendo sermo adhibetur. Sic si quem informandum suscepero, ex contractu locati conducti teneor ipsi aperire, quæ ad eam artem spectant. Sic si quem misero ad explorandum certæ rei statum, is ex pacto teneor indicare omnia, quæ super ea re ipsi fuerint comperta. Sic si cui sit exhibendum officium humanitatis, quod sermone peragitur, ad sensa animi nostri verba quoque esse conformanda in aperto est. Sic si cui res gestas orbis notitiæ tradere institutum sit, etiam ex communi obligatione, qua cæterorum utilitatem promovere tenemur, haut poterit aliquid tradere, quod secus se novit habere. Sicut & illa generalis est obligatio animi sensa liquidis exprimendi signis, ne noxa aliis præter meritum inferatur, si secus factum fuerit. Sic denique in commerciis hominum, & quibusvis negotiis, in quibus ex consensu jus vel obligatio est nascitura, circa ea, quæ ad præsentem rem spectant, sensa animi nostri liquido sunt exprimenda illis, quibuscum agitur. Citra hoc enim nulla est via isthæc rite expediendi. Enimvero cum non semper contingat, ut ex aliquo horum capitum cogitata mea circa negotia cum primis particularia alteri sint significanda; inde manifestum est, me non teneri omnia quibusvis indicare, quæ ipse in animo volvo; sed illa duntaxat, ad quæ intelligenda isti jus habent plenum, aut minus pleno, quod obligationi, quæ in me est, ex adversum respondeat: adeoque recte ea tacendo dissimulare posse, quæ ut ex me sciat alter jus non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor. *Æschylus Cœphoris: Οἷον ὁ θεὸς δέει, καὶ λέγειν ἢ κείναι.* Tacere quando oportet, & dicere opportuna. Immo ubi alterius jus non læditur, mea autem vel alterius utilitas aliter procurari, aut salus servari nequit, licebit mihi ita adhibere signa,

gna, ut diversam plane animi mei sententiam, quam quæ revera est, exprimant. Cum enim conventio illa de adhibendis certo modo signis respiciat ad alias obligationes, quibus explendis signa illa inserviunt: igitur ubi istæ cessaverint, nulla adparet ratio, quare non alio modo signa illa usurpare queam, si nemini injuriam faciam, & commodiore via mihi, aut aliis prospicere non possim.

§. 8. Ex hisce igitur fundamentis liquido judicari potest, quid sit *veritas*, ad quam dicendam homines obligantur; quid item *mendacium*, tantopere omnibus honestis detestatum; & quod viro obijci in turpissimis habetur. *Sophocles Trachiniis*: *ὦς ἐλευθέρῳ ψυδῆι καλεῖσθαι, κῆρ πρὸς ἑστῆν ἢ καλῆ.*
Quid miserius est homini libero, quam vocari mendacem? Add. *Mich. Montaigne essais* l. 1. c. 9. & l. 2. c. 18. Scilicet ista in hoc consistit, ut signa, ac in primis verba, commode animi nostri sensa repræsentent alteri, cui eadem intelligendi jus, quæque ut ipsi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit; idque eo fine, ut vel idem ex intellectu animi nostri sensu commodum aliquod adipiscatur, vel ne, ubi deversum fuerit significatum, damno præter meritum multetur. Sic ut veritati Logicæ, quæ in conformitate verborum cum rebus consistit, veritas Ethica, de qua hoc loco agimus, superaddat dicentis intentionem atque obligationem. Unde qui ex errore aut imprudentia verum dixit, veritatem Ethicam non exercuit, sed Logicam duntaxat veritatem recitavit. Qui autem præter obligationem suam & jus alterius verum dixit, garruisse potius & effutiisse, quam veritatem dixisse censetur. Ex quo facile colligitur, quid mendacium sit; scilicet ubi signa aut verba aliam præferunt sententiam animi nostri, quam quæ revera erat, cum tamen hanc ipsam is, ad quem signa illa diriguntur, intelligendi & judicandi jus haberet, & nobis obligatio incumberet faciendi, ut ille nostram sententiam intelligeret. Hoc modo distinctius putem intelligi posse, cur mihi necessum sit verbis animi mei sensa liquido exponere, quam si mendacii turpitudinem simpliciter ex generali illo scito juris naturalis, *neminem esse ledendum*, velimus derivare; quasi mendacii vis omnis in eo foret sita, ut noceat. Nam presse loquendo non nocetur alicui, cui non exhibentur, ad quæ jus duntaxat imperfectum habet; cujus tamen violatio ad mendacium sufficit. Sic & parum distincte ratio foeditatis in mendacio traditur ap. *Philostrotum de vit. Apollon. Thy.* l. 2. cum memorasset, apud Indos, si quis eorum,

qui ad philosophiam sese applicuisset, in mendacio deprehensus unquam fuerit, hac multari poena, ut nullo amplius magistratu aut dignitate fungi possit; *quia communem hominum societatem mentiendo fraudaverat.* Cæterum uti in omnibus actibus, quæ à lege discedunt, error, imprudentia, & temeritas à malitia distinguitur, ita & proprie mentiri non dicitur, nisi qui dolo malo, & destinata ex malitia alteri diversa ab animi sui sententia profert, eo fine ut isti noceat, aut vana spe eidem illudat. Unde qui ab alio deceptus falsa profert, quæ ipse pro veris habet, mendacium dicit, non mentitur. Et si temeritatis ac stoliditatis reprehensionem non effugiat, qui quævis ex provera credulitate arrepta inter alios iterum spargit. Ac potest imprudens alieni mendacii, aut rei parum compertæ propagatio obligationem adferre ad damnum per eam datum resarciendum, præsertim ubi ea propius ad culpam latam accesserit. Vid. Tacit. Ann. l. 16. c. 1. seqq. de Cæsello Baslo.

§. 9. Genuino veritatis & mendacii fundamento reperto, patet, falli eos, qui credunt; mendacium & falsiloquium coincidere, & semper mentiri, qui aliquid dicit à sententia animi sui discrepans; adeoque qui in sua natura turpe autumant, aliud dicere quam sentias. Falsiloquium quippe est, ita adhibere verba, ut alius ex inde diversum ab internis tuis cogitatis sensum concipiat. Atqui si alteri nullum est jus, ut animi mei sententiam liquido debeat intelligere, neque alteri noxa aliqua præter meritum inferatur, nulla adparet ratio, quare, si ita mihi expediat, ego istis verbis ad alterius potius quam meum arbitrium uti debeam. Inde omne quidem mendacium falsiloquium est; sed non omne falsiloquium mendacii nomine venire potest. Et in hunc sensum si accipiatur illud Aristotelis, καὶ αὐτὸ τὸ ἴδιον ψεῦδος & ψαῦδον καὶ ψικτόν, *per se mendacium est falsum & vituperabile*, non opus est limitatione Grotii, qui l. 3. c. 1. §. 9. illud καὶ αὐτὸ explicat, *communiter, sive respectata sepositis circumstantiis.* Nam falsiloquium, quod propter certas circumstantias vituperationem effugit, mendacii nomine haut quidquam est notandum. Quod autem omne mendacium proprie dictum turpe sit, manifestum est. Quo loco & hoc notandum, veriloquium quandoque effectus mendacii posse producere. Id quod contingit non solum, si quis vera dicat tanquam mentiens, ac suo schemate ac gestibus, nutibusque, quibus alias sermo velut animatur, faciat, ut audientes diversum ab eo, quod dicitur, credant: quo-

quomodo *Quintil. Inst. Or. l. i. c. 5.* ut solœcismum, ita & mendacium gestu fieri posse docet, ubi aliud voce, aliud nutu seu gestu demonstratur: sed & cum primis id usu venit circa illos, qui crebris mendaciis fidem suis dictis ademerunt. His uti nemo facile credit, si vel maxime velint vera serio proferre: ita iudem aliorum diffidentia ad eos decipiendos abuti possunt, ut dum istos semper sui similes putant, contraria illis, quæ proferuntur credendo in fraudem inducantur. Sic quod est in fabulis, puer cum sæpe rusticis ficto clamore illusisset, tandem ubi vere lupo adesset, nequidquam eorum auxilium contra hunc excitavit. Eaque re in vicem strategematis usus est Agesilaus. Cum enim non sit imperatorium, aperte denunciare quid proposueris, adeoque hostes non soleant credere, quæ nimis secure pronunciantur; ea ratione astute imposuit iste Satrapæ Persico, ut copias suas in diversam regionem adduceret, quam quo Agesilaus iturum se sparserat. *Xenophon rer. Græc. l. IV. & Cornel. Nepos in Agesil. c. 3.* Huc etiam pertinet astutia veteratoris apud *Terentium Heauton. act. 4. sc. 3.* Enimvero uti nemo vituperare audebit gravitatem Epaminondæ alicujus, qui ne joco quidem mentiri sustinebat: ita simplex valde est credere, piaculo semper obstringi, qui citra alicujus injuriam, & in utilitatem sui & aliorum profert verba ab animi sui sententia discrepantia. Inde optandum quidem foret cum *Cicerone Offic. 3. ut ex vita humana sublata sit omnis simulatio & dissimulatio*; adeoque eo esse ingenio omnes homines, ut aliorum bonis nemo invideret, aut insidias tenderet, nevé aliorum simplicitate ad fraudem illis intentandam abuteretur, aut sanæ rationi obniteretur. Qualem Achilles se fert apud *Homerum Iliad. 1. ἐχθρὸς γὰρ μοι κείνῳ ὁμῶς αἰδᾶο πύλῃσιν. ὅς γ' ἕτερον μὲν κεύθεῖσιν φρεσὶν, ἄλλο δ' ἔβαλλε.* *Exosus mihi iste tanquam porta inferorum, qui aliud quidem occultat in mente, aliud autem loquitur.* Sed cum pravos apud homines in fraudem pateat, qui omnia sua aperte præ se fert, & plurimi inanibus, quam solidis artibus duci gaudeant; igitur non prius innoxias simulandi & dissimulandi artes ex humana societate proscribemus, quam omnis malitia aut vecordia hominum fuerit in probitatem & sapientiam mutata. *Pindarus Nem. od. 5. ἔτσι ἀπαλὰ κερδίων φάγοισα πρόσωπον ἀλάθει ἀπεικῆς. καὶ τὸ σιγᾶν, πολλὰκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπων νοῦσα.* *Non omnis veritas exacta patefaciens faciem, utilis est: sed scire tacere, est sapientissimum inter homines.* Ac inane est istud votum *Thesei*

apud *Euripidem Hippol. Coron.* v. 925, *seqq.* Etsi certum sit, si quis artibus simulandi & dissimulandi ulterius utatur, quam ad sui defensionem opus est, eum sibi ipsi omnem detrahere fidem, ac se reddere inidoneum, quicum bona fide agi possit; cum ejusmodi hominis dicta & facta non possint non esse suspecta. Argumenta, quibus probare aliqui volunt, omne falsiloquium in se turpe esse, invalida sunt. Dicunt, falsiloquum suam ipsius linguam, nobilissimum instrumentum, tali abusu foedare, ac sibi ipsi fidem demere, non sine plurimorum officiorum, quæ alias inter homines poterant exerceri, remora. Quippe cum inter alia hoc quoque mendax lucretur, ut si maxime verum dicat, ipsi non credatur. Sed hæc de mendacio proprie dicto vera sunt, non de tali falsiloquio, quod prudentia sæpe adhiberi suadet. Addunt, mendacium arguere hominem animo humili & abjecto. Qui enim solidis artibus & veritate niti potest, cur ad ista furta confugiat? Enimvero fraude carentia & necessaria falsiloquia non semper ex animi abjectione proficiscuntur; & solidæ artes sæpe non nisi obliquis modis pravos inter homines servari queunt. Aliis hoc argumentum placet, quod oratio sit interpretis mentis; cui fini cum repugnet falsiloquium, recte quoque idem ordini naturæ repugnare censerit: ac turbari harmoniam inter facultates hominis, si à mente discrepet oratio. Verum facile admittimus interpretem esse mentis orationem, sed ita ne plura effutiat, quam à mente sit injunctum; penes quam judicium est, quid proferri expediat & necessum sit, quidnam sileri.

§. 10. Porro jus illud, quod per mendacium violari diximus, quale sit, & unde hominibus sit quæsitum, inter omnes non convenit. Aliqui putant, quia tam Deo, quam hominibus naturaliter competit facultas intelligendi res veras, quæ per falsiloquium impediatur; igitur eo ipso competeat quoque illis jus exigendi ab aliis, ut ita per verba res exprimant, quo prout sunt intelligi queant. Enimvero circa Deum quidem res plana est. Nam adversus ipsum quocumque falsiloquio uti non solum extreme irreverens foret, quasi nuda apud eum veritas æque non sit efficax, quam ficti colores; sed etiam stultissimum, quippe cui ad cognitionem veritatis nostro sermone opus non est. Unde non impius solum, sed & vecors erat Cainus, de fratricidio Deum celare aggrediens, & quidem sententia tam contumaci & inficeta. Et huc proprie quadrat illud *Sophoclis Antigone*: *μισῶ γὰρ μὲν τὸ χαῖν ἐν κακοσίῃς ἀλὺς, ἰσχυρὸν δὲ καλῶ-*

van bilij; odi; quando aliquis in malis deprehensus; ea vult excusare. De cætero autem non sequitur; hic naturaliter potest aliquid intelligere, igitur & ipsi jus est idem intelligendi; neque ex facultate physica statim inferenda moralis. Quod autem aliqui heic addunt; etiam illum, qui falsa audit, intelligere; igitur per falsiloquium non tolli jus intelligendi; id ad rem nihil facit. Intelligit enim ille non rem veram, quam volebat, sed ejus loco inane figmentum. Alii autem jus illud, quod per mendacium violatur, non à natura, sed ex facto hominum arcessunt, & quidem ex tacito aliquo pacto. Cum enim instituto hominum sermo, aliæque similes notæ sint introductæ, statim quoque homines mutua se obligatione adstrinxisse, ut iisdem ita uterentur, quo exinde possent judicare de sensu ejus, quicum colloquuntur. Citra talem enim obligationem, & si cuivis liceret verba adhibere pro suo arbitrio, & ut alteri de alterius sententia constare non posset, inane fuisset illud notarum inventum. Quæ est sententia *Grotii* d.l. §. II. De qua isthoc monendum, quod non satis heic distinguatur inter obligationem, quæ est circa apte adhibenda signa, ut ex illis sensa animi ab altero possint intelligi; & inter illam obligationem, quæ est ad sensa animi sui alteri per signa ista indicandum. Quæ sane duo distincta sunt, & ex diverso principio promanant. Nam cum vocabula ex impositione significant, utique conventio aliqua inter homines eadem lingua utentes intercessisse intelligitur, ut in communi usu certas res certis vocabulis indicarent. At vero ut actu ipso ea signa adversus alterum adhibeam, seu ut animi mei sensa super certa re alicui pandam, ea obligatio oritur vel ex generali aliquo præcepto legis naturalis, vel ex peculiari pacto; uti supra fuit explicatum. Patet hinc, quid judicandum sit de eo, quod quidam negant, mendacii naturam ex pacti cujusdam violatione esse arcessendam; quod quæcunque non natura, sed pactis hominum, maxime tacitis constant, ex utilitate, eaque singulari & oriunda sint, & æstimanda. *In eo autem, ut quævis alterius dicta intelligas, quid tantum compendii sit non reperiri. E contrario plurimum referre, ut integram quis habeat libertatem silentio, aut idoneis coloribus tegendi, quæ sine alterius damno, nostra autem cum utilitate secreta manent.* Confunduntur quippe, quæ accurate erant distinguenda. Ut enim quis omnium cõgitata, aut ut alii omnes ipsius intelligant, in eo nulla versatur utilitas, nec sermone introducto ad id sese homines mutuo obligarunt. Sed quousque quis

teneatur sua sensa alteri indicare, & alter eadem intelligendi habeat jus, satis jam expositum est. At vero posita jam obligatione sensa animi alteri communicandi, pactum, linguas introductas comitans, sese exserit de ita adhibendis vocabulis, ut sententia animi nostri ab altero possit intelligi. In quo sane tantum est compendii, ut sine eo nullus sermonis foret usus.

§. II. His præmissis facile licebit judicare, quo jure vulgo quædam à mendacii nota eximantur, ubi simpliciter, quod res est, dictum non fuit. Ac initio aliqui distinguunt inter falsum dicere, & partem veri non dicere, seu dissimulare; ut illud illicitum, hoc vero sæpe vitio carere dicant. Ubi sciendum, etsi non dicere, seu tacere mendacium proprie loquendo vocari nequeat, ubi nullum præsertim signum sermoni æquipollens fuerit adhibitum: ex alia tamen causa silentium in crimen cadere posse; puta, si per eam impediatur bonum, quod quis procurare, aut concilietur malum, quod averruncare tenebatur. *Silius Italicus* l. 16. *Animumque nefas scelerare silendo*. Sic qui in specula constitutus est ad indicandum hostium adventum, male multabitur, si tacuerit. Imo *mendacium* non minus maledicentiam vocat *Polybius* l. 12. c. 7. si quis historiam scribere professus, quæ gesta sunt non commemoret. Quod tamen alteri indicare non tenebar, siquidem totum reticere tuto nequeam, recte parteduntaxat ejusdem narrata defungi potero. Quo adplicant exemplum *Jeremia* 38. ubi propheta à rege interrogatus de obsidionis eventui, apud proceres regis ipsius jussu hoc prudenter dissimulat, aliam interim causam, nec falsam, colloquii adferens. Hic enim partem duntaxat veri dixit, cum ut totum illis significaret, haut quidquam teneretur. Item illud *Athanasii*, qui interrogantibus ad se capiendum missis respondebat; modo hac transisse *Athanasium*, dissimulans, eundem etiam retro navem convertisse. Nam seipsum prodere non tenebatur. Circa exemplum *Abrahami Genes. XX. 12.* quidam dubitant, num prudenter fecerit vir sanctissimus, dum *Saram* sororem suam vocat, de matrimonio dissimulans. Norat quippe formam irritando aliorum amori idoneam, & facilius sollicitari solutas, quam maritatas. Nec injustam videri *Abimeleci* exostulationem; ac inhumanam esse præsumptionem, in aliqua civitate nullum esse pietatis & justitiæ respectum, antequam ejus documentum extiterit. Etsi alii hoc eo nomine excusatum cant, quod *spes vite ple-*

rum-

utrumque magnos animos infringat, & ad declinandam mortem vix quidquam turpe habeatur. Sed hoc quidem in medio relinquimus.

§. 12. Distinguit quoque *Grotius* d. l. §. 8. inter signa ista, quæ sunt reperta ad significandum *mutua* seu cum mutua obligatione, & inter res alias, circa quas ejusmodi conventio non intercessit. (Nam si circa rem quamvis pactum intercessit, ea non nisi uniformiter licet uti.) Putatque rebus hisce uti licere, etiamsi prævideamus fore, ut alter inde falsam concipiat opinionem; modo nullum aliud sequatur nocumentum, aut ubi nocumentum ipsum seposita doli consideratione licitum est, & ubi aperte alteri nocuisse licebat. Quod facile admittimus. Cum enim nulla adsit conventio generalis, aut peculiaris, ut istam rem hoc, & non alio modo adhiberi necessum sit, eo sine, ut alter inde animi mei sententiam colligere queat; igitur circa eandem usurpandam plena nobis intelligitur esse libertas relicta, modo nemini nocumentum aliquod injuria inferatur. Quod enim alter falsam opinionem concepit, sibi imputet; quippe qui in alienis negotiis arbitrandis plus justo fuit curiosus. Neque, si jure meo utar, semper teneor evitare, ne alter in falsam opinionem, cætera innoxiam, incidat, v. g. si quis per noctem in cubiculo suo lampadem alat, discutiendis terroribus nocturnis, aut ut semper lumen in promptu sit; non tenetur eam extinguere, si vel maxime vicinus credat, ob lucubrationes id fieri. Circa exemplum *Luce XXIV. 28.* res plana est. Nam talem gestum præ se ferre in cujusvis est arbitrio; & nihil frequentius in vita communi, quam discessum simulare, ut constat, gratinè simus futuri hospites, an nimus. Nam nî enixe rogemur, serio nobis est propositum abire. Exemplum *Actor. XVI. 3.* altioris inde tur indaginis. Quin autem hostis, cui aperte nique licebat nocere, adhibitis simulationibus circa fugam, usum vestium, insignium, velorum, armorum, circumveniri recte possit, itidem dubium non habet.

§. 13. *Idem* d. l. mendacii notam non semper contrahi existimat, si utamur voce aut locutione ambigua, cui plures uno sint significatus vel ex usu vulgi, vel ex artis consuetudine, vel ex aliqua figura aut schemate non inusitato; modo animi nostri conceptus congruat uni istarum significationum; etiamsi putetur is, qui audit, in aliam partem acce-

accepturus. Enimvero recte subjungitur, non posse temere probari talem locutionem, nisi pertineat ad erudiendum eum, qui curæ nostræ fuerat traditus, aut ad evitandam iniquam interrogationem, (vid. *Seneca Troad. v. 597. seqq.*) aut ut nostrum aliquod commodum quæramus sine damno alterius. 1. *Samuel. 27. 10.* De cætero enim, si tu tenebaris sententiam animi tui liquido mihi exponere, nihil interest, utrum simplici mendacio, an per ambiguum sermonem decipias. Præsertim cum ambiguus sermo, siquidem proposito tuo debet inservire, ita sit conformandus, ut popularem magis sensum ego arripiam, abstrusior & minus frequens tuis cogitatis respondeat. Alias si uterque significatus æque est dominans, nemo facile erit tam supinæ negligentia, quin interroget, in quam partem dictum illud accipi velis. Id autem omni vitio caret, ambigue aut obscure loqui ad eum, quem informare, aut cujus profectus explorare vis; si hic finis magis isthoc modo, quam per apertum sermonem queat obtineri. Quo spectat exemplum *Joan. VI. 5.* Sic & cui sensa animi mei omnino indicare non tenebar, ubi silentio defungi non licet, nihil prohibet, quo minus falsam opinionem pro simplici ignorantia propinam, si præter errorem istum nullum aliud consequitur damnum, quo ipse indignus est. Sic nemo reprehenderit Athanasium, ex quo cum quaereret, qui ad ipsum persequendum missus erat, quantum inde abesset Athanasius; hic respondet; cum non longe abesse; ap. *Theodoret. hist. Eccles. l. 3. c. 8.* Adparet autem ex hisce, caute accipiendum illud *Grotii d. l.* quando ad communem mendacii notionem requiri ait, ut quod dicitur, scribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quam in eum sensum, qui à mente profertentis discrepat. Nam ubi quis liquido sententiam suam tenetur exprimere, sermo ita est formandus, ut quem sensum præfens negotium, aut dictionis usus popularis insinuat, idem quoque cogitatis tuis congruat. Neque alter statim jubendus est, suum errorem aut damnum sibi ipsi imputare, quod non omnes minus frequentatos, & à presenti re alienos, ac contortos dictionum sensus excusserit, aut quod divinus non fuerit. *Isocrates Panathenaico:* Ambiguus dictis uti, *ἢ μὴ συμβεβηκέναι καὶ πλεονεξίας ἀγωνιζόμενον, ἀσχετὸν ἔστι πορνείας ἢ μικρὸν χρημάτων, ἢ de contractibus, & emolumentis in foro litiges, turpe est, & magnum signum improbitatis.*

§. 14. Longe magis autem detestandæ sunt reservationes illæ
men-

mentales; quas aliqui foedo plane artificio excogitarunt, in contrarium torquendo apertorum verborum sensui, etiam circa illas res, ubi verum dicendi obligatio erat, & quæ juramento confirmantur assertiones. Per quas hoc quidem efficitur, ut extrinsecus affirmare quis videatur, quod in animo suo negare instituit, & vice versa. Quo ipso omnis sermonis usus corrumpitur, ut nemo amplius certus esse possit, in quam partem alterius verba debeat accipere. Quanquam & absurdum plane sit isthoc inventum. Cum enim institutus sit sermo, ut quod in animo habemus efferatur; cogitationum autem nostrarum, quamdiu non proferuntur, in vita humana nullus sit effectus: quomodo igitur tacita illa, & à communi usu abhorrens reservatio mentalis possit tollere effectum illum, quem prolata verba alias producere sunt apta? Id equidem frequens, ut sermoni generali ex substrata materia, aliis vè circumstantiis accedat quandoque tacita conditio aut restrictio, per quam sermo præsentis negotio dexte aptatur, atque ab inconvenientia liberatur. Verum quid hoc vel rationis vel subtilitatis habet, si interrogatus an fecerim, jurem, non feci, nempe *aliud quidpiam*, aut *alio die*? Aut si perenti pecuniam dicam, non habeo, scil. *quam tibi dem*. Aut promitto me tibi daturum, scil. *dicis causa*? Stultum autem est, quod ejusmodi hominem à mendacii & perjurii crimine volunt eximere ideo, quia *istantum non dicit unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa significare, sed aliam veritatem disparatam*. Quasi vero interrogationi meæ satisfiat, si quamvis veritatem disparatam, & quæ ad præsens negotium nihil facit, audiam; aut quasi adposite quæstioni meæ satisfecerit, qui mihi de cepis perconranti, de aliis responderit. Sicut & illud non minus absurdum est, quod dicunt; ex oratione aperte prolata, & reservatione mentali unam confici integram orationem, in qua tota conjunctim accepta nulla sit falsitas, v. g. si quis dicat, non sum sacerdos, hoc in mente reservato; *ut tibi dicam*: tota hæc oratio, si integre sumatur, erit vera; *non sum sacerdos ut tibi dicam*. Enim vero uti oratio propter alios inventa est, non uti sibi quisque loqueretur: ira ejusdem veritas & falsitas ex iis æstimatur, quæ aperte ad alios proferuntur. Add. *Lud. Montaltius epist. provinc. 9.*

§. 15. Non committi mendacii culpam, etiam si aliquid dicatur, quod falsam habeat significationem infanti, aut amenti, communiter statuitur; adeoque permissum creditur, *Ut puerorum atas improvida ludificetur.*

tur. Lucret. l. 1. Theocritus Idyl. 15. in ἀξιῶ τοῦ βίου. μαρμὰ, δὲ καὶ ἰσθμῶ. Ratio adfertur à Grotio d. l. §. 12. quia cum illis non sit iudicii libertas, non potest eis circa illam libertatem injuria fieri. Quæ ratio mihi non plane sufficit. Nam ut de infantibus potissimum dicam, manifestum est equidem, hæc tamen illis deesse facultatem judicandi, quod quæ iisdem narrantur, aut alio modo repræsentantur, simpliciter & incaute arripiant, nec per ratiocinia verum à falso discernere norint. Quia tamen, quæ sunt homines, id juris habent, ut ne ab aliis lædantur; utque humanitatis officia recipiant, & peculiariter à parentibus atque educatoribus potissimum bonis sententiis imbuantur; (Add. Matth. XVIII. 10.) & vero utique tenent facultatem adprehendendi saltem res faciles: omnino censendum est, illos eodem cum adultis jure hæc tamen frui, ut quæ indicari ipsis debent, ita proponantur, quo intelligi ab iisdem possint. Verum quia ob rationis imbecillitatem & affectuum impetum nudam veritatem fere adspernantur; ideo per fabulas doceri, aut fictis terculamentis coërceri eos expedit, quousque citra inania rerum soliditatem capere, & æstimare norint. Inde non ut ludibrio habeantur, aut noxa afficiantur, adversus illos figmenta adhibemus, sed quia ratione magis seria doceri commode nequeunt. Hinc adposite Lucretius d. l. Pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulcis flavique liquore, Ut puerorum atas improvida ludificetur Laborum tenuis; interea perpotet amarum Absinthii laticem, deceptaque non capiatur, Sed potius talifactor recreata valescat. Strabol. 1. Non modo Poëtæ, sed etiam civitates longe prius fabulis delegerunt, nec non ipsi legumlatores publica utilitatis gratia, cum ratiocinantis animantis intuerentur ingenium. Homo enim cognitionis aviditate ducitur. Hujus autem via prima fabularum studium est. Hinc pueri audire incipiunt, & ad communicanda studia ultro proficiunt. Causa est, quia novum quoddam est studium fabulatio, quæ non res consistentes, sed alia quadam exponit. Dulcis quidem est novitas, & quod nemini prius est cognitum: hoc autem ipsum est, quod oblectationis aviditatem ingenerat. Cum autem admiratio adsit, & monstra, intenditur oblectatio, quæ discendi illecebra est. Ab ipso igitur primordio hoc pacto inescandi sunt: atate vero proveciore ad rerum disciplinam perducendi, corroborata jam cogitatione, cum adulationis amplius nequaquam indigeant. Peculiariter autem commendationem fabularum Æsopi vide

vide apud *Philostratum de vita Apollonii* l. V. Sed & amentes, qua rationem non capiunt, recte figmentis deliniuntur.

§. 16. Quin in univcrsum omnes, apud quos bonum, quem intendimus, finem simplici sermone assequi non valemus, citra mendacii culpam figmentis in errorem, verum ipsis salutarem, possunt deduci. Neque necessum est ejus licentiæ rationem inde arcessere, quod præsumatur, alterum libertatis suæ in judicando læsionem non ægre laturum, imo gratias habiturum eo nomine ob commodum, quod inde assequitur. Volenti autem injuriam non fieri. Nam habebat quidem iste jus, ut nostræ sermone aliquod ipsi commodum conciliaretur, aut malum depelleretur; verum non eo modo, ut contrarium effectum iste sermo produceret. Id quod factum fuisset, si rem simpliciter prout erat citra colorem intellexisset. Inde in tali casu non minus ad ingenium & conditionem audientis attemperandus est sermo, quam Medico pharmacum ad vires & complexionem ægroti. Cum igitur nemo dici possit jus habuisse, ut sermonem tali forma conceptum audiret, quo ipsi perniciosus erat futurus; non recte quoque dicitur, jus aliquod heic esse remissum. Cumque ex adverso alter teneretur ad id officii mediante sermone alteri exhibendum ex lege humanitatis, vel etiam arctiore ex obligatione; in aperto est, non posse ipsum esse obligatum sermonem eo modo adhibere, quo sine suo erat cariturus. Inde ab omni vitio mendacii vacant, & laudem insuper prudentiæ merentur ficti sermones, quibus alicujus innocentia tegitur, iratus placatur, mœstus demulcetur, aut quid aliud commode adfertur, quod aperta oratione obtineri non poterat. Vid. *Exodi* I. 17. 19. 1. *Samuel*. XIX. 12. seqq. XX. 5. 28. 29. 2. *Sam.* XIV. 4. seqq. 2. *Corinth.* IX. 2. 3. 4. *Plinius* 3. *epist.* 16. de *Arria*. *Horat.* 3. *Carm.* 2. de *Hypermetra*, quæ ab ipso vocatur *Splendide mendax*, & in omne virgo *Nobilis ævum*. *Euripides Phœnissis* v. 998. *Sadi Rosarium Persicum* c. 1. *Mendacium beneficium faciens, melius est vero, exitium parturiente*. *Heliodorus Æthiop.* 1. 1. καλὸν ποτὲ καὶ τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελῶν τὸς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπῃ τὸς ἀκούοντας. *Pulcrum est mendacium, cum auctori commodat, & audienti non nocet*. Huc spectat factum *Rachabæ* *Jos.* 2. 4. Ubi non curamus, quod *Grotius* adh. l. notet: ante *Evangelium mendacium viris bonis salutare culpa non ducebatur*. *Laudatur hoc factum, ut illi temporis congruens, ad Ebr.* 29. XI. 31. *Jac.* II. 25. Nam & nunc licitum id arbitramur, modò obligatio civilis per idem non violetur. Addatur *Socrates hist.* *Eccles.* 1. 3. c. 12.

Huc pertinent, qui in prælio labantes suorum animos ficto nuncio erigunt, quo incitati victoriam & salutem sibi pariant, aut qui ante prælium hostium multitudinem extenuant. Vid. *Cornel. Nep. Eumene* c. 3. & passim apud historicos. *Xenophon* l. 4. de dict. & fact. *Socratis*. Si quis dux viderit exercitum perterritum, & mentitus dicat illico socios affuturos, istoque mendacio animos sociorum levet, sub quonam id collocabimus? Sub iustitia, uti videtur. Apud *Sophoclem Philoctete*: Neopt. ἐκ αἰχρῶν ἢ ἤ δῆτα ἰὰ ψεύδη λέγειν; Ulyss. ἐκ, εἰ τὸ σωθῆναι γὰρ τὸ ψῦδος φέρεται. Non ducis turpe mentiri. Non, cum mendacium salutem affert. Add. *Frontinus strateg.* l. 1. c. 11. l. 2. c. 7. Et *Polyænus* l. 1. strateg. de Leotychide. *Maximus Tyrius dissert.* 3. ἰδὲ. Σιμῶν τὸ ἰαλῆθῆ λέγειν, εἰ μὴ γίγνοιτο ἐκ ἀγαθῶν ἢ μαθόντων. ἔτω καὶ ἰατρὸς ποσὺντα ἰεπάτα, & στρατηγὸς στρατοπέδων, καὶ κυβερνήτης ναύτας, καὶ δεινὸν ἰδὲν. ἀλλὰ ἴδῃ & ψεύδεται ὡνισεν ἀνδραγαθίας, καὶ ἰαλῆθῆς ἰελάσεται. Non est res per se præclara verum dicere, nisi id cum utilitate fiat ejus, qui audit. Ita sæpe medicus agros, dux exercitum, gubernator fallit nautas: nec hoc in iis reprehenditur. Quid? quod mendacia sæpe profunt hominibus, nocet contra veritas. Quanquam nescio, an probari possit illud factum *Agasilai*, qui cum suos multitudine hostium perterritos cerneret, manus vocabulum victoriæ inscripsit, arreptoque ab hariolo jecinore, in manus notis inscriptam imposuit, quoad nota à jecinore reciperentur. Tunc fociis eam scripturam monstrat, deos, inquit, victoriam polliceri. *Plutarch. apoph. Lacen*. Sic mendaces non sunt medici, dum a groto delicato aut moroso pharmaci dulcedinem aut lenitatem persuadere satagunt. *Libanius declam.* 29. *Medicos videmus agrotantium cupidines fraudibus eludere. Idem etiam utique adversus sanos præstamus, quoties melius fuerit delusum fuisse, quam quod verum est audisse.* Nescio tamen, an sub hac classe censi possit astutia *Erasistrati* medici apud *Seleucum* regem fingentis, *Antiochum* filium uxorem ipsius deperire, apud *Lucianum* de dea *Syra*. Huc quoque possis referre factum *Josephi*, qui ut in fratribus suis seriam poenitentiam plagii circa ipsum perpetrati excitaret, utque intelligeret, quo animo in patrem, ac fratrem *Benjaminem* essent, diu eos fictis criminationibus anxios habuit. *Gen.* 42. seqq. *Joseph. archæol.* l. 2. c. 3. Denique & fabulas Poëtarum, quibus sub amœno involucro veritas insinuatur, à mendaciorum classe eximendas facile conceditur. Vid. *Plutarch. de aud. Poëtis*. Et hætenus admitti potest illud *Sophocl. Electra*. δοκῶ μὲν ἰδὲν ῥῆμα σὺν κτεσθὶ κακῶν. Existimo enim, nullum verbum commodum & utile turpe esse.

§. 17. Rectoribus quoque civitatum falso sermone uti quando- que licet, quorum consilia ac destinata si propalentur, sæpe incassum cadunt, aut in reip. damnum redundant. Ea, ubi silentio nudo non satis obteguntur, per fictos sermones averfa aliorum hominum curiositate, velare fas erit. *Plato de rep.* l. 3. τὸ μὲν δὲ ἀνθρώποις χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκῳ εἶδη, ἄλλοι ὅτι λόγοι τοῦτον ἰατροῖς δοτῶν, ἰδιώταις δὲ ἔχ. ἀπὸ τοῦ. Τοῖς ἀρχαῖσι δὲ ἢ πύλιος, εἰσὶν ἰσὴν ἄλλοις προσήκη ψεύδεσσι ἢ πολέμιων, ἢ πολιτῶν ἕνεκα, ἐπ' ὠφελείᾳ ἢ πύλιος, τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν ἔχ. ἀπὸ τοῦ ἢ τοῦτον. *Mendacium hominibus pro medicamento est utile, quare publicis medicis concedendum, privatis autem hominibus minime attingendum. Igitur rempublicam administrantibus precipue, si quibus aliis, mentiri convenit, vel hostium, vel civium causa ad civitatis utilitatem. Reliquis autem à mendacio abstinendum est.* Huc spectat factum Salomonis *1. Reg. III. 25.* Apud *Sveton. Claudio c. 15.* hic *fœminam non agnoscentem filium suum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confessionem compulsi, indicto matrimonio juvenis.* Sic pater & filio in jus rapto ob interfectum sacerdotem, cum non constaret, uter facinus patrasset, neutro alterum prodere volente, *Carol. Magnus* sententiam pronunciaſſe dicitur, ut uterque moriatur. Ita pater se autorem confessus est. Sic lex in Hispania est, ut si serva ex domino pepererit, ipsa libera fiat. Aliquando ex nobili ancilla sua conceperat; ille negat. Illiquida probatione rex *Alfonſus* jubet puerum publice vendi. Quo audito, pater se prodidit; ap. *Panormitanum de reb. gestis Alfonso* l. 2. Sic cum *Nelco*, coloniam deducturo, vates respondissent, oportere à pollutis hominibus exercitum purgari; ipse simulavit, se puerum trucidasse, & purgationis indigere. Sic alios, qui sibi consciit essent, etiam persuasit. Quo factò, patefactos jam qui se contaminassent reliquit; apud *Ælianum V. H. l. VIII. c. 5.* Hispanis proverbium est: *dic mendacium, & erues veritatem.* Huc quoque pertinent dissimulationes circa valetudinem aut mortem Principis, præcavendis turbis. Isthæc tamen haut quidquam ad *Numæ* commenta extendere velim. Add. *Polyænus strategem.* l. 2. in *Epaminonda* n. 6. & 12. *Polybius* l. 16. c. 11. Sicuti & isthæc licentia nullo modo ad promissâ pertinet. Add. *Baconis sermon. fidel.* c. 6.

§. 18. Cum porro *Grotius* d. l. §. 13. mendacium oriri statuat ex læsione juris, quod quis habet ad intelligendam alterius sententiam; ex hoc quoque concludit: mendacium non esse, quoties fictum sermonem ad aliquem dirigimus, qui non decipitur, etiamsi tertius falsam inde

hauriat persuasionem. Præsupponitur enim privatum duntaxat negotium geri inter me & alterum, neque id quidquam ad tertium spectare. Ergo alter ficto sermone haut quidquam decipitur, qui ex eo satis animum meum percipit, non secus ac si intelligenti fabulam narrem, aut ironico vel hyperbolico sermone utar. Adversus tertium autem ideo mendacii culpa non contrahitur, quia cum eo nihil est negotii, adeoque nullum ipsi jus, ut quæ mea sit mens intelligere debeat. Ac si ipse opinionem sibi format de eo, quod non ipsi, sed alteri dicitur, habet, quod curiositati suæ imputet. Qua tamen assertionem ne quis abutatur, monendum est; non debere à duobus ex compacto captari tales occasiones, ut tertius aliquis hoc modo ludibrio habeatur. Nam si vel maxime tertius ille plenum jus non habeat me intelligendi; lex tamen humanitatis & caritatis requirit, ut ne meus sermo occasionem præbeat ipsi damnum præter meritum accipiendi. Ut omnino distinguendum sit, utrum aliquis citra suam culpam aliorum sermonem percipiat, an vero ex petulantia, aut maligna cura aliorum secretis imminet. Igitur assertio isthæc competit potissimum in *ἀκούσας*, qui insidiosis auribus clanculum aliorum sermones sublegere satagunt. Horum importunam curiositatem, ubi penitus tacere non placet, solemus amoliri, diversum & ad rem non pertinentem injiciendo sermonem, vel etiam de compacto fabellam referendo, quam dum ipse, magnum se excepisse arcanum ratus, aliis propinat, ludibrio habeatur, modo nullum præterea ipsi aut aliis damnum inde enascatur. Equidem novimus, neminem debere alterius honorem & estimationem deterere, ludosque eundem facere. Enimvero uti non arbitramur nos peccasse, si alicujus errorem detexerimus, modo id fiat citra amarulentiam, & insultationem cruditis viris oppido quam indignam, etsi ejusdem famæ aliquid potius inde decedat, quam accedat: ita vitium in alterius moribus hærens, ubi nobis id molestum extiterit, nil prohibet vel ludibrio corrigere, quo ipse deinceps id exuat. Neque enim ideo correctiones & emendationes aliorum illicitæ sunt, quia opinionem de illorum præstantia imminutum eunt. Sic cum in universum generis humani interfit, ne quivis cujusvis arcana intelligat, tacita quapiam gentium conventione est receptum, uti sigillo munitæ literæ ab illo solo aperiantur, cui sunt inscriptæ. Si ergo aliquem animadvertero mearum arcana epistolarum captare, credo piaculum non

non erit, si ejusmodi epistola ipsi intercipienda subjiatur, qua lecta non magnopere gaudeat. Sic si in dōmo aliqua puer sit, omnibus eduliis in penu dispositis imminere solitus; injuriam iste non patietur, si reprimendæ ipsius gulæ amaro plenum succo vas inter reliqua locetur. Huc referre possis, quod memorat *Herodotus* l. 1. de Nitocri seu Semiramide, quæ sepulcro suo incidi curaverat hæc verba: *Si quis rex Babyloniorum pecunia valde indiguerit, ex sepulcro ipsius aperto quantumcunque voluerit sumeret.* Id cum aperuisset Darius rex, auri nihil invenit, sed hæc duntaxat verba: *nisi insatiabilis auri fuisses, mortuorum loculos haut quidquam commovisses.* Aut uti *Maximus Tyrius* dissert. X. id effert: ὁ πάντων ἀνθρώπων ἀπληστικότητα, ὅς ἔτι τις νεκρῷ θίγειν δι' ἔρωτα χρυσῷ. *Male sit tibi mortalium avarissime, qui auri causa mortuum tangere ausus es.* Vid. quoque *Ad. Olearius itin. Perf.* l. 4. c. 7. Ejusmodi quippe inscriptionibus credere, simplicitatem juxta & avaritiam arguit. Equidem recte illi, qui in factō Papyrii apud *Gellium* l. 1. c. 23. causam, i. e. ingenium & taciturnitatem in tantilla ætate laudant; modum autem reverentiæ matri debitæ adversum censent; præsertim cum istud ludibrium eliceret sententiam, matronis sane quam parum honorificam; *ut una potius duobus nupta fieret, quam uni dua.* Nondum tamen à me impetrare hæcenus potui, ut valde irascerer marito illi apud *Plutarchum* lib. de garrulitate, qui amoliendæ uxoris importunitati circa expiscanda Senatus arcana de coturnice, quæ cum aurea galea per forum volitare visa sit, narravit. Etsi ne reliqui per garrulam istam mulierem in vanum terrorem conjicerentur, aut aliud quid damni caperent, marito isti utique erat cavendum. Nam momentaneum errorem delectatio sequens facile pensabat. Quod si autem hoc providendum est, ne per eum, qui à nobis ludibrio haberi merebatur, alter decipiatur; multo minus licebit falsi quid alteri persuadere, eo fine, ut is tertium decipiat; licet alter ille fortasse peculiariter inde non lædatur. Nam & hoc ipsum indignum est adhiberi velut instrumentum alterum fallendi: & perinde est, sive immediate, sive interventu alterius à nobis subornati alium decipiamus. Quanquam ars sit non paucis usurpata, ut fallant eos, per quos fallere alios cogitant. Vid. *Senec. Thyeste* v. 320. Scilicet quia *non parum interest, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria.* *Terent. Andr. act. 4. sc. 4.* Add. quoque *Gellius* l. 12. c. 12.

§. 19. Illud planum est, cum inter hostes obligatio sensa animi patefaciendi cesset, posse quem citra notam mendacii adversus eos falsa proferre, fictisque rumoribus terrere, aut detrimenti quid iisdem inferre, dummodò tertio amico præter fas damnum inde non nascatur. Cui enim aperta vi nocere licet, quid prohibet, quo minus per astutiam, & citra nostrum periculum ei noceatur? Quod enim aliqui hunc modum hosti nocendi sunt adspernati, factum, non quia crediderunt, jus aliquod violari: sed quia ferociores apud animos illa tantum hosti illata gloriæ ducuntur, quæ vigorem quandam & impetum animi ac corporis præferunt. Sed quæ de fallendo hoste dicuntur, nequaquam ad ulla pacta cum hoste, tollendo aut suspendendo bello inita, sunt extendenda. Cum enim lex naturæ pacem, quantum commode potest, servari, aut abruptam sarciri jubeat; jubere quoque intelligitur, ut ea usurpentur media, sine quibus iste finis non potest obrineri. Atqui in pacem coire hostes iterum nequeunt, nî invicem sit obligatio sensa animi circa præsens negotium liquido indicandi; adeoque nî diffidendi invicem necessitas per obligationem vera dicendi circa compositiones pacis tollatur. Sed & quod traditur, licitum esse hosti ficto sermone illudere aut nocere, nequaquam eo extendi debet, ut de hoste falsa crimina & flagitia spargantur, minuendæ ejus existimationi. Nam status hostilitatis id quidem licentiæ dat, ut cogitata animi mei hosti abscondam, aut fictos rumores disseminando viam ad ipsi nocendum aperiam. Sed qui crimen hosti objecturus est, siquidem de eo fidem velit facere illis, qui extra hostilitatem sunt constituti, utiq; hostili schemate exuto veritatis sese assertorem ferre debet, adeoque historici personam adversus istos induit. Unde si sponte à rerum veritate abeat, mendacis & calumniatoris notam effugere non poterit. Falsa autem crimina hosti in os exprobrare, impotentis est conviciatoris. Mendacia pro mendaciis ulcisci est vanitatem hostis sui imitari. Adde *Ludovici Montaltii epistolam XV. & notas ad eandem.* Quod autem *Lipsius Polit. l. 4. c. 14. n. 32.* cum hostibus externos quoque conjungit, adversus quos simulatio & dissimulatio sit adhibenda; id haut ulterius potest admitti, quam quatenus consilia & res nostras illorum notitiæ subtrahi interest. Nam ut ultro hisce damnum velimus fictis sermonibus conciliare, id communis inter homines cognatio non patitur.

§. 20. Difficilior est inspectio, an citra mendacii culpam reus delictum,

licetum, eujus insimulatur, negare, aut fictis argumentis eludere queat? Ubi non est sermo de tribunali divino, apud quod humilem confessionem, veniæque implorationem utilissime adhibueris. Impium quippe non minus quam stolidum fuerit, apud Omniscium coloribus aut negatione velle uti. Cui rationi nititur illud *Iosue* VII. 19. 20. Nam reus jam divino indicio erat patefactus. De iudicii ergo humanis sermo est; quæ duplicem potissimum finem habent propositum, tum ut quisque obtineat, quod ipsi debetur, tum ut per poenam coërceantur, qui vel per malitiam aliorum jura temerare ausi fuerunt, vel segnem ob justitiæ amorem temeraturi erant, nî, quæ alios tetigere mala, sibi quoque eventura horrent. Horum ergo severitatem ut quis declinet, aliqui haut quidquam fas esse putant, falso sermone uti. Idque quia iudex cum primis verum intelligendi jure pollet. Unde nec sanctitatem iudicum, Dei nomine præsentium, nec obsequii necessitatem ulli circumscriptioni aut contumaciæ locum dare. Præterea non tam necessarium hoc videri, quam periculosum; plus enim detecta nocere. Si præsertim non tam facta, quam *sententia falsa* proponantur; quod semper noxium est tum in sese, tum quatenus unus error infinitis præbet originem. Contraria tamen sententia aliis potior videtur; qui distinguendum iudicant in omni crimine inter damnum datum, & ipsum reatum; quorum illi restitutio, huic poena proprie dicta respondet. Jure naturali quemlibet damni delicto suo dati restitutionem facere debere. Sed & debere quemlibet alteri poenitenti, & restitutionem præstanti veniam concedere. Obligatione ergo proprie dicta quemlibet nocentem adstringi, ut ad reparationem damni abs se dati semper sit paratus. Sed ut quis ultro ad poenam se præbeat, aut nomen suum ipse deferat, neminem teneri. Et ubi occultum sit delictum, ita ut restitutio palam fieri nequeat citra confessionem de crimine, eandem oblique & occulto quodam modo faciendam. Poenam quippe invito infligendam; cum alias finem suum non possit obtinere, qui est, peccantem, & alios à peccando abstertere. Ad quæ autem obligamur, ultro & à volentibus suscipi debere. Cum ergo ad poenam sibi arcessendam nemo sit obligatus, (vid. l. i. *de bon. eorum, qui ante sentent.*) ac non possit non naturaliter homo ab eadem maxime abhorreere, præsertim ubi ad mortem usque, aut grave aliud malum progrediatur: non adparere, quare non quovis modo, citra tamen

injuriam tertii, eam liceat declinare. (Conf. tamen l. 13. *D. de custodia & exhibitione reorum.*) Neque vero reip. valde interesse, ut pensatione damni facta puniatur delictum non notorium, quodq; adeo colore aliquo adhuc tegi aut excusari possit. Inde uti manifesta quidem negare vecordis sit; ita fictis quoque argumentis crimen objectum posse dilui, ex hætenus adductis videri. Etsi falsas sententias allegare reo inutile sit, quod iudex utique juris sit intelligens. Equidem iudici facultatem esse quoquo modo verum exculpendi, modo restanti sit, ut salus reip. omnino requirat eam vindicari. Inde & à mendacii nota absolvi iudicem, qui ut à reo crimen expiscetur, aliquid fingit; puta, se ab alio jam rescisse, hoc vel illud se facturum, si dissimulare pergat, & similia. (Etsi in solo crimine seductionis dolis utilicuisse Ebræis ad detegendum reum, notet *Grotius ad Deuter. c. 13. 8.*) Sed ex eo non statim sequi, ipsum reum ad confessionem criminis teneri. Neque enim cuilibet facultati, quæ non dum exercitium alicujus actus notat, in objecto suo obligationem respondere. Et esse alia media in veritatem facti penetrandi, argumentis, & per testes. Quos, ubi de alieno crimine interrogentur, etiam injuratos verum dicere teneri ob jussum imperjii civilis. Accedere, quod tantus sit favor propriæ conservationis, ut etiam invidiosum habeatur, manifestos criminum inauditos plectere. Eoque vitio non verti quemcunque colorem facinori suo obtendisse. Vid. l. I. *princ. D. re requir. vel absent. dammand.* & ad d. l. *Grotius in flor. spars.* Non omnia quoque tribunal divinum & humanum habere communia, nec tanta majestate præsidere iudicem mortalem, quam Deum. Quod si autem reus de proprio crimine nltro fateri non teneatur, negatione ipsius hautquaquam obsequii civilis necessitatem infringi. Equidem gravius plerunque plecti crimen, quod abs reo contumaciter fuit negatum; quippe cum ultronca confessio fere pœnitentiam indicet, quæ de malitia delinquentis multum detrahit. Sed utrum magis expediat callide negare, an apertæ confessionis ingenuitatem amplecti, ad alterius generis inspectionem pertinet, non ad eam, quæ agit de eo, quod quis tenetur facere, nec ne. Ex his duabus sententiis utra alteri sit præferenda, facile intelliget, qui argumentorum momenta ponderare novit. Memorabile est, quod *Hayt bonus de Tartarâ c. 48.* tradit; eos, cum alias mendacissimi sint, in duobus tamen mentiri nescire; nempe neminem eorum arrogare sibi aliquod forte facinus, quod revera

NON

non patravit; & qui scelus admisit, ob quod etiam mortem sibi imminere novit, à domino interrogatum veritatem non reticere. *Quin* & apud Japonios capitale est coram iudice mentientem deprehendi.

§. 21. Sed quid in hisce casibus patrono seu advocato licebit? Heic nobis distinguendum videtur inter causas civiles, & criminales. In illis salva conscientia non videtur advocatus impedire posse, ne alter primo quoque tempore jus suum obtineat. Adcoque heic illicitas esse arbitramur non solum falsas allegationes, fictasq; rationes, sed & dilatorias exceptiones; quippe quæ omnes moram adferunt, ne quis tribuat, quod debet, ne vè alter accipiat, quod ipsi debetur. *Conf. l. 9. §. ult. D. ad L. Corn. de falsis.* In criminalibus autem, ubi de pœna duntaxat agitur, ulterius putaverim dispiciendum, an quis publice sit constitutus, ut rei causam agat, an vero ab ipso reo adscitus sit. Priori non videtur concessura uti falsis allegationibus, aut fictis coloribus; cum hoc sine publice detur, ut, quæ reo intentantur, calumnias depellat, ne vè quid injuste ipsi inferatur provideat. Ad quem finem sufficit accusatoris argumenta simpliciter diluere. Ast vero quem reus sibi adsciscit patronum, cum interpretem ejus duntaxat agat, eodem quoque defensionis modo uti posse judicaverim, quem adhibere licebat reo, si pro se ipse diceret. *Cicero pro Cluentio: Errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illæ orationes causarum & temporum sunt, non hominum ipsorum, ac patronorum.* *Idem Off. 2.* religioni non contrarium tradit, nocentem aliquando defendere. Neque vero ab hac licentia multum periculi justitiæ imminet. Cum enim in iudice supponatur cognitio juris, igitur nihil aget advocatus, ficta jura aut falsas sententias allegans. Neque facta proponenti creditur, nisi eadem idonee probaverit. Ergo si quandoque nocentes pœnæ hoc modo subtrahuntur, non advocati, aut rei culpa erit, sed iudicis, qui aræ lupinis discernere haut valuit. Et si *Plato de LL. l. XI. sub finem*, in sua civitate ne isthæc quidem videatur indulgere. Et *Ægyptii* quondam caudicorum oratione multum juri caliginis offundi arbitrabantur, ap. *Diodor. Sicul. l. 1. c. 76.* Præsertim cum, uti *Euripides Phœnissis* ait, *simplex sit veritatis oratio*, quæq; adeo variis interpretum ambagibus non indiget. ὁ δὲ ἀδικῶν λόγος, νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν, *injustus autem sermo, agrotans in seipso, callida poscit medicamina.*

Et *Pindarus Nem. od. 7. ἰουρῶν ἢ δῖαυ ἡγῆτα ἰσῆα δῖαυ ἡγῆτα. ad honestam causam tua verba sufficient.* Bene quoque *Isocrates ad Demonicum: Nullius improbi negotii patronus esse velis. Nam & te ipsum facere putabunt, quæ ab aliis facta defenderis.* Ex quibus patet, quatenus sit admittendum illud *Quintilianiorat. instit. l. 2. c. 17. Et mendacium dicere etiam sapienti aliquando concessum est; & affectus, si aliter ad aequitatem perducere iudex non poterit, necessario movebit orator.* Et illud *Ejusdem l. 12. c. 1. Verum & illud, quod prima propositione durum videtur, potest asserere ratio, ut vir bonus in defensione causæ velit auferre aliquando iudici veritatem.* Quanquam exempla, quæ eo loco adfert, accuratioris discussionis indigeant. Dicit, *falsis posse defendi reum insidiarum tyranno structarum.* Id quod profluxit ex hypothese Græcica, de cæde tyrannorum licita. Alias insidiatorem principis, cui fidem quis dedit, defendere fictis argumentis ideo illicitum, quod quilibet civis ad eum pro virili defendendum teneatur. Cum qua obligatione stare non potest voluntas insidiatorem ipsius meritis poenis subtrahendi. Pergit; *Quid si quadam benefacta damnaturus est iudex, nisi ea non facta convicerimus: non vel hoc modo servabit orator non innocentem modo, sed etiam laudabilem civem?* Enimvero talis casus fingi vix potest. Quod enim benefacti nomine insigniri debet, id utique cum legibus civitatis congruat necessum est. Ob tale factum quomodo aliquis in jus vocari queat, non adparet. Ergo ponendum est, aliquem egregio quoque factum invidiam incurrisse apud improbos cives, qui postea tribunalia occupaverint. Heic ubi notorium fuit facinus, si ob id calumnia ipsi intetetur, nil profuturum est reo, si illud negare instituat. Sicut ineptum foret, si Cicero ob socios Catilinæ interfectos in jus vocatus, negare factum voluisset. Sed ubi probabiliter adhuc negari factum possit, nihil sane obstabit, quo minus fictis quoque argumentis pravos apud iudices innocens reus defendatur. Si quis dissuadere velit *justa quæ sunt natura, sed pro conditione temporum inutilia civitati*, non opus est, ut falsis argumentis adstruere laboret, *justa illa injusta esse; sed sufficit ostendisse, non semper, quæ juste fieri possunt, necessario debere fieri; præsentia autem tempora requirere, ut utilia speciosis præferantur.* Id quod veris quoque sententiis persuaderi potest. Spes futuræ emendationis in reo id præstare potest advocato, ut eo minus dubitet reo ingenium suum ad declinandam poenam accommodare, quod ejus impu-

nitatem

nitatem reip. haut noxiã fore norit. Verum ut dux bonus manifesto crimine pressus, sed citra quem honeste civitas vincere nequeat, poenæ subtrahatur, argumentis fictis non obtinebitur; sed simpliciore potius vi, qua usum M. Antonium in defendendo M. Aquilio tradit Cicero in *Verrem* lib. V. *sub init.*

CAPUT II.
DE JURE JURANDO.

- | | |
|---|--|
| 1. <i>Jurisjurandi sanctimonia.</i> | 13. <i>Non tamen semper stricte interpretandum;</i> |
| 2. <i>Jusjurandum quid?</i> | 14. <i>Aut citra tacitas conditiones & limitationes.</i> |
| 3. <i>Juratur tantum per Numen,</i> | 15. <i>Iuramentum explicatur ex intentione deferentis.</i> |
| 4. <i>Et quidem juxta religionem jurantis.</i> | 16. <i>De juramento in alterius animam.</i> |
| 5. <i>De intentione jurantis.</i> | 17. <i>Quatenus heres teneatur ex juramento defuncti?</i> |
| 6. <i>Juramentum est vinculum accessorium obligationum.</i> | 18. <i>Iuramentorum divisio.</i> |
| 7. <i>De juramentis dolo elicitis.</i> | 19. <i>Iuramentum confirmatorium;</i> |
| 8. <i>De juramentis metu extortis.</i> | 20. <i>Testificatorium;</i> |
| 9. <i>Juramenta circa res illicitas non obligant:</i> | 21. <i>Litis decisivum.</i> |
| 10. <i>Nec quæ impediunt majus bonum.</i> | 22. <i>Suppletorium, & purgatorium.</i> |
| 11. <i>Iuramentum non immutat naturam actus, cui adjicitur.</i> | 23. <i>An qualibet juramenti violatio faciat perjurum?</i> |
| 12. <i>Iuramentum excludit cavillationes.</i> | 24. <i>De juramentorum relaxationibus.</i> |

Videndum porro est de jurejurando, quo sermoni nostro, omnibusque actibus, qui sermone concipiuntur, insigne accedere firmamentum judicatur. De quo etsi infra, ubi de firmamenti pactorum tractatur, commode quoque agi posset; ei tamen heic potissimum locum maluimus assignare, quod jurejurando non pacta solum, sed & simplex sermo soleat confirmari. Quo etiam facere potest, quod apud Ebræos juramenta, ut & vota, non censebantur obligare, nisi verbis prolata. Vid. *Grotius ad Levit. V. 4. & Numeror. XXX. 3. Deuter. XXIII. 23.* Ejus maxima vis atque sanctimonia etiam apud Ethnicos habita fuit, ita ut gravissima perjuros poena manere crederetur, quæ ad posteros quoque pertingeret; &

ubi sola voluntas sine facto pœnam arcefferet. Vid. Grot. l. 2. c. 13. §. 1. *Philo Judæus de sacrific. Sententia nostræ fides ex jurejurando accedit, ipsi vero juramento ex Deo. Apud Ægyptios quondam in perjuros capitis pœna erat constituta, ut qui duo maxima committerent flagitia, quod & pietatem in deos violarent, & fidem, maximum humana societatis firmamentum, everterent. Diodor. Sicul. l. I. c. 77.*

§. 2. Est autem jusjurandum assertio religiosa, qua divinæ misericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos deposcimus, nisi verum dicamus. Hunc enim juramentorum sensum esse, facile indicant formulæ, quibus illa concipi solent; puta, *ita me Deus adjuvet, Deus sit testis, Deus sit vindex*, aut his æquipollentes; quæ eodem fere recidunt. Quando enim superior puniendi jus habens testis advocatur, simul ab eodem perfidiæ ultio petitur; & qui novit omnia, ultor est, quia testis. In hoc ipso autem gravissima pœna est, si quem Deus propitius mortalem non adjuvet. *Plutarchus quæst. Rom. 44. πᾶς ὄρνις εἰς κατάραν Ἰηλεῦτᾶ τ᾽ ἑπιουρίας, omne juramentum in exsecrationem perjurii definit. Quo loco inquit in rationes, quare apud Romanos Flamini Diali non fuerit licitum jurare. An quia juramentum est species torturæ, quæ liberorum hominum animabus adhibetur? Sacerdotis autem animum & corpus oportet torturæ esse expers. Aut quia non convenit de rebus parvis fidem non habere ei, cui sacra & maxime sunt credita? Aut quia omne jusjurandum in exsecrationem perjurii definit. Est autem exsecratio tristis res & mali ominis. Quæ causa est, ut dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint. Et sine laudi datum est Athenis sacerdoti, quæ populo jubente Alcibiadem devovere noluit, votorum se, non detestandi causa antistitam esse inquiens. Aut quia publicum est perjurii periculum, si homo impius ac perjurus pro civitate vota nuncupet, ac sacris operetur. Ex eo tamen, quod Deus in jurejurando testis invocari dicitur, haut quidquam inferendum, quasi juramentum pro testimonio Dei sit habendum, aut quasi Deus ipse de jurantis veracitate attestetur, uti sentire videtur Rob. Sandersonus de obligat. juramenti prælect. 1. §. 6. Sed dum omniscius & omnipotens testis seu arbiter simul & vindex invocatur, præsumptio veritatis ideo excitatur, quod nemo tanta impietate judicetur, ut ita petulanter summi Numinis vindictam in se excitare sit ausurus. Unde & monstruosum plane peccatum est perjurium, quippe quo perjurus restatur,*

statur, se contemnere Deum, metuere homines, ac ostendit sese audacem adversus Deum, timidum erga homines. Vid. *Charron de la Sagesse* l. 3. c. 10. n. 7. Finis quoque juramentorum, quis sit eorundem serfius, suggerit. Is est, ut homines ad enunciandum verum, aut servandum promissum eo firmiter adstringantur metu divini Numinis, omnipotentis & omniscii; cujus vindictam, si scientes fallant, per juramentum in se invocant, ubi alias metus ab hominibus imminens non satis efficax videbatur, quorum vires contemnere aut declinare, vel scientiam fallere se posse sperabant. *Lucianus Phalaride* I. ἀνθρώπους μὲν γὰρ ἵσως ἔξαπατῆσαι ῥαδίον, θεὸν ὅμως λαθεῖν ἀδύνατον. *Homines quidem fortasse decipere facile sit, Deum autem fallere est impossibile.* *Plinius* l. 4. epist. 25. Plurimum licentiae pravis ingenii adjicit illa fiducia, quis enim sciet? Ubi enim nec latere potest, nec poenam humanam declinare, qui simplici promisso aut asseveratione nos fallit, superfluum videtur juramentum exigere. *Demosthenes de falsa legatione*: δε γὰρ ἀν' ὑμᾶς λάθῃ, ἴστων ἀφίστε τοῖς θεοῖς καλᾶζειν, ὃν δὲ αὐτοὶ λάβῃτε, μικρὸν ἐκείνοις ἀπὸ ἴστε προστᾶτε. *Qui vos latuerit, eum diis puniendum relinquit.* *Quem vero ipsi deprehenderitis, de eo nihil jam illis mandatote.* Et hoc nomine etiam absurdum judicaverim, quod leges Romanæ permiserunt contra mulierem jurari, quod non sit prægnans. Vid. l. 3. §. 3. D. de jurejur. Idque eo magis obtinet, quod frequenti nimis juramenti usu eius quoque reverentia apud multos non parum exoleat. *Hobbes de civitate* c. 2. §. 23. Et valde mihi arridet institutum Pythagoræ, qui discipulis suis præcipiebat, σπανίως μὲν ὀμνύειν, χρῆσθαι δὲ ὅτις ἔρως πάντως ἐμμένει. *Ut ad jurandum raro ac tarde accedant, ubi vero semel jurassent, ut prorsus sacramenti fidem servarent.* Nec displicet illud *Isocratis ad Demonicum*: Pecunia causâ per nullum Deum jurabis, etiamsi liquido id facere possis: ne aliis perjurus, aliis avarus esse videaris. Add. *Valer. Max.* l. 2. c. 10. §. 2. ext. Fidissimi mortalium, qui colendo fidem jurant. Vid. *Curtius* l. 7. c. 8. Apud *Sophoclem Oedipo Coloneo* ita Oedipus dicit: ἔτι δ' ὑπὸ ὄρκου γ' οἷς κακὸς πισώθημαι. *Neque te ut hominem malum juramento obstringam.* Reponit *Theseus*: ἔκων πιστὰ γ' ἀν' ἐδὲν ἢ λόγῳ φέροις. *Non à me jurato plus acceperis, quam si promittam solum.* *Epictetus Enchiridio* c. 44. & *Simplicius* add. l. Cæterum uti recte juramentis summa religio tribuitur; ita temerarium est expectare aut postulare, ut

veritas aut falsitas juramentorum miraculo quodam præsentaneo demonstratur, quasi Deus teneretur ad libidinem hominum judicarium suum munus exercere. Quæ superstitio tamen non inter Ethnicos solum viguit, sed & seculis barbaris inter Christianos frequentissima fuit. *Sophocles Antigone. v. 269.* ἤμῃσι δὲ ἑτοιμοὶ καὶ μύστρος ἀρεῖν χερσῶν. & πῦρ διγερῶν, & θεὸς ὀρκωμοτῶν, &c. *Eramus parati ignitum ferrum capere, & ire per ignem & jurare.* Vid. formulæ exorcismorum apud *Marculphum. Phil. Baldæus de Idololatria Indorum cap. ult.* memorat, apud Malabares, qui juramentum purgatorium præstiturus est, ejus tres priores digitos manus ferventi butyro immergi, & folio cicumvolutos post tertium diem inspici. Alii jubentur tranare fluvium inter Cochinchina & Cranganos, crocodilis plenum. Aliis pomum, serpentibus plena ex olla est tollendum. Prout illæ si ista faciunt, ita de eorum innocentia judicatur. Vid. quoque *Bern. Varenius descr. Japonia c. 18.* & *Iodoc. Schouten in descr. regni Siam.* ubi processum eorum judicarium delineat. *Eusebius apud Stobæum serm. 27.* Multi homines adhortantur, ἵνα ἐὶς τὸ εὐσεβὲς εἶναι, ut verum jurent. *Ego vero καὶ τὸ ἀρχαῖον μὲν εὐσεβίας ἰσχυρῶς, ne principio quidem temere jurare religiosum duco.* Add. *Grotius ad Matth. cap. V. vers. 34.* Et sane si verum fateri velimus, juramenta arguunt aut præsupponunt humanam diffidentiam, infidelitatem, ignorantiam, & impotentiam. Quid enim opus esset juramentis, si alterius fidei & constantiæ satis fideremus? aut si nulla perfidiæ exempla extarent? aut si sat virium nobis esset alterum ad debitum explendum adigendi? Quid denique ex juratis testibus rem cognoscere studeret iudex, nisi eam ignoraret? Et inde putaverim arcessendam rationem ejus, quod *Fridericus* effatur ap. *Gunterum Ligurino l. 3.* *Nudo jus & reverentia verbo Regis ineffe solet, quovis juramine major.* Quia non solum principum quam maxime interest, fidem sacrosanctam haberi; sed etiam quia majestatem eorum dedecet, si vel suspicio perfidiæ aut mendacii, fraudisve in ipsos cadere videatur. Sic apud Peruvianos juramenta non fuisse in usu, testatur *Garcilassus de la Vega Comment. Regii l. 2. c. 3.* sed qui testimonium dicturi erant, simpliciter promittebant, se verum confessuros Yncæ.

§. 3. Caterum quia præter Numen nihil est omniscium aut omnipotens; hinc patet absurde juramentum concipi per aliquam rem,

rem, quæ opinione divinitatis destituitur; hoc nimirum sensu, ut illa res testis atque ultrix perjurii invocetur. Inde pagani per sidera jurandum concipere frequens, quod illa Numina crederent. Id quod Christianis imitari impium atque absurdum foret. Sine dubio autem pro jocularibus sunt habenda v. g. juramenta Socratis, per canem, per anserem, (quidquid contradicat *Porphyrus* l. 3. *ἀπὸ θεῶν*,) & plantarum: Zenonis per capparim; aliorum *ἐν τοῖς ἀρούρωσι*. Vjd. *Athenaeus deipnosoph.* l. 9. c. 2. Scilicet jurabant per talia non ut per deos, sed ne per deos jurarent; uti loquitur *Apollonius Thyanaeus* apud *Philostratum* l. VI. postquam apud plurimos pravus mos invaluit, juramenta in ornamentum ac supplementum velut sermonis adhibere. Sed & apud veteres longe frequentissimum, erat, jurare per ea, quæ quis habebat carissima, aut quæ maximi æstimabat. Apud *Virgilium Æn.* IX. *Ascanius: Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.* Sic passim legas jurari per caput proprium aut amicorum, per animam suam aut carissimorum. Amatoribus religiosissimum erat jurare per fulgentes oculos; per dulce osculum, per crines aureos dominæ. *Ovidius Amorum* l. 3. *eleg.* 3. *Perque suos illam nuper jurasse recordor, Perque meos oculos; & dolere mei.* Quibus omnibus nequaquam hic sensus inest, quod istæ res tanquam testes aut vindices perjurii invocarentur; quod credidit inter alios etiam *Apulejus de Deo Socratis*: aut quasi creaturæ istæ testes citarentur, tanquam aliquid Dei, in quo sc. refulget Dei veritas, bonitas, & potentia, & quo se tum agnoscit per Dei misericordiam frui, tum non vult per Dei justitiam privari; ac si ita dicerent, *juro per vitam*, i. e. per Deum, cui vitam debeo. Uti præter alios arbitratur *Rob. Sanderfon. de juramenti obligat. prælect.* l. 1. §. 4. Sed Deum obtestabantur, ut ultionem perjurii in istis potissimum rebus, utpote sibi carissimis, expeteret. *Per caput ipse suum solitus jurare, tuumque Quod scio non illi vilius esse suo.* *Ovidius Trist.* l. 4. *El.* 4. Sicut Atheniensibus usitatum erat, in juramentis se, & familiam suam devovere, si fallerent; & contra, si bene jurarent, sibi suisque omnia bona à diis precari, ut passim apud *Demosthenem* patet. Add. *Antiphon. orat.* 15. Et credebant isti, violato ejusmodi juramento iram deorum in aliena quoque capita derivari. Facit huc cum primis illud *Plinii* 2. *epist.* 20. ubi de *Regulo* narrat, quomodo *Veraniam* graviter decumbentem inviserit, ac cum ipsi persuasisset, se ex siderum observatione cognoscere,

morbo ipsam liberandam; illa, ut in periculo credula, poscit codicillos: legatum Regulo scribit; mox ingravescit; clamat muriens: O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam perjurum! qui sibi per salutem filii pejerasset. Addit Plinius; Facit hoc Regulus non minus scelere quam frequenter, quod iram Deorum, quos ipse quotidie fallit, in caput infelicis pueri detestatur. *Lysias orat. advers. Diagitonem.* Paratus sum fidenti animo, ubicunque volueris, prestare jusjurandum per capita horum liberorum, & eorum, qui secundis nuptiis mihi nati sunt. Atqui nondum eò miseria perveni, neque tanti facio pecuniam, ut aut perjurio liberos diris devovere velim, quo alimenta ipsi relinquam, aut per nefas patri facultates auferre. Possis etiam huc obiter referre, quod apud Banjanos in India, qui summo cultu vaccas habent, sanctissimi instar juramenti sit, præsentem vacca cultrum manu tenere, ac dicere: si hoc verum non sit, aut nō contractus impleatur, posse hoc cultro vaccam trajici. *Petrus de Valle Itin. part. 2. ep. 3.* Ex his quoque patet, quis sensus sit juramentorum, quæ veteres concipere solebant per caput, per genium, per salutem Principis; qualia adhuc inter Persas frequentari, & religiosius haberi, quam si simpliciter per Deum juretur, refert *Petrus de Valle Itin. part. 2. epist. 1.* Id enim non ideo factum, quod principibus adhuc vivis Numen inesse crederent, aut quod iram eorum in se fallentes imprecarentur; sed quia multi serio, aut per adulationem videri volebant, se Principis salutem propriam anteferre, adeoque majori religioni ducere iram deorum in istius, quam in proprium caput devolvere. Unde sensus ejusmodi juramentorum proprie hic fuit: ita salvum Principem opto, ut ego hoc faciam; i. e. nisi hoc faxo, iratum Principi Deum precor. Adposuit *Augustinus*, citante *Grotio in spars. flor. ad l. 33. D. de jure jur.* Quid est jurare, nisi jus reddere Deo, quando per Deum juras? jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras. Quod autem jus debemus salutem nostram, filiis nostris, Deo nostro, nisi caritatis, veritatis, & non falsitatis? Cum dicit quisque per meam salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit per filios meos, oppignorat Deo filios suos, ut hoc veniat in caput ipsorum, quod exit de ore ipsius. Si verum, verum: si falsum, falsum. Cum ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam quisque in juratione nominat, quicquid nominat, obligat Deo. Inde etsi omnino probandam sit, quod *Philos Judæus de specialibus legibus* profanam jurandi temeritatem damnet: ista tamen haut quidquam album calculum merentur: *Quod si rei necessi-*

tas religionem jurisjurandi postulet, magis decet jurare per patris aut matris sanitatem, & senectutem prosperam, si vivunt, aut, si defuncti sunt, per beatam eorum memoriam. Sunt enim effigies & simulacra divini Numinis, qui liberos ad vitam produxerunt de nihilo. Iis quoque laus debetur, qui quoties urgentur sacramentum dicere, cunctando tergiversandoque religionem incutiunt, non solum spectantibus, sed & ad jurandum provocantibus. Solent enim quidam, ubi hoc solum protulerint, Ita me adjuvet, reliquum ex abrupto subticere, nihil addentes amplius, nec absolventes formulam. Potest enim suppleri si libeat, non statim addendo: Altissimus, aut summus rerum conditor, sed tellus, sol, cælum, mundusvè. Sed nec video, quomodo excusari possit illud juramentum militum Christianorum, crassum nimis excessum reverentiæ adversus Imperatores redolens, quod refert Vegetius de re milit. l. 2. c. 5. Jurant per Deum, & per Christum, & per Spiritum sanctum, & per majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam presenti & corporali Deo, fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. Et si enim concedatur, quod sequitur: Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat autore: non ideo tamen per majestatem Imperatoris pari modo jurandum erat, ac per Deum juratur. Neque vero illa subtilitas in gregarios milites cadit, ut vocabulum per in eadem formula diverso modo accipere possint, cum de Deo, & cum de Imperatore sermo est. Sane ex Eusebii hist. Eccles. l. 4. c. 14. patet, inter signa abnegati Christianismi fuisse, jurare per fortunam Principis; id quod Polycarpus facere constantissime abnuit. Sic nescio an probari possit formula juramenti, novo ordini Equitum à Carolo Gonzaga præscripta: Juro per immortalem Deum, perque avitam quam profiteor nobilitatem; apud Gramondum hist. Gall. l. 5. Hinc quoque patet, non sine ratione graviter quondam punitos, qui per caput aut salutem Principis pejerabant; quippe quod crederentur divinis pœnis ipsum Principem facere obnoxium, cujus tamen incolumitati salus publica sit innexa. Vid. l. 13. §. f. D. de jurejurando. Sic apud Herodotum Melpomene refertur, Scythas, rege ægro tante, inquisivisse, num quis civium per solium regis pejeraverit. Quo comperto, perjurum capite plecti. Apud Zosimum l. V. in fine, magistratus Alarichi postulata æqua concedi propterea posse negabant, quod per caput Principis juratum fuerat, cum isto pacem non fore.

Quippe si Deo praestitum fuisset jusjurandum, fortasse negligi posse, permittendo benignitati divina facinoris impii condonationem: sed quando per caput Imperatoris jurassent, non jam eis fas esse, contra tam grave jusjurandum delinquere. Cæterum ne quis juret per vitam Regis & filiorum ejus interdictum legitur in capitul. Caroli Magni l. 3. c. 42. In l. autem 33. D. d. t. Ulpianus non negat juramentum esse, quando quis per propriam salutem juraverit; sed id non valere dicit, nisi specialiter ipsi sit ita delatum. Add. l. 3. §. 4. l. 4. l. 5. princ. d. t. Scil. quia juramenta fiunt ejus causa, qui ea defert. Ideo verbis à deferente conceptis præstari eadem mos est, ut in eum sensum valerent, quem deferens intendisset; (conf. Livius l. 22. c. 38. ab init.) nevé jurans insidiose & ambigue formatis verbis vim juramenti eludere conaretur. An quia quotidiano ejusmodi juramentorum usu eorundem reverentia exolescit; igitur alter pro juramento solenni acceptare non tenetur tritam alicujus formulam, quæ sæpe etiam non cogitantis sermonem interstinguit. Imo recte Hobbes Leviath. c. 14. illas dejectiones non juramenta esse dicit, sed nominis divini abusionem, natam ex prava consuetudine omnia nimium vehementer asseverantium. Ex quibus & hoc patet, etsi execrationes presse sumtæ, quatenus quis nude sibi aut aliis mala imprecatur, aut se aliosque diris devovet, juramenta non sint: easdem tamen, quatenus ad assertionem aut promissum nostrum referuntur, omnino pro parte juramenti esse habendas. Conf. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 3. §. 10. Id quod etiam extendendum ad illas preces, quibus quis sibi certi quidpiam boni ita precatur, uti juramentum servaverit. Quale est illud apud Ælianum V. H. l. XII. c. 9. ὅτι ἐγὼ Τιμησίῳ ἢ ἐκείνῳ ἐξαρὰξαι. Sic ego Timesie cerebrum discussferim. Ammianus Marcellinus l. 24. c. 5. Animabat Julianus exercitum, quum non per charitates, sed per inchoatam rerum magnitudinem dejeraret assidue, Sic sub jugum mitteret Persas, ita quasfarum recrearet orbem Romanum: ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta consuevisse firmare, Sic in provinciarum speciem redactam videam Daciam; Sic pontibus Istrum, Euphratem superem. Add. quoque Grotius ad Gen. c. 24. 2. Sic Patanes, populi in Indestantã, elato sunt animo, ut sæpe velut jurantes soleant dicere: Nunquam fiam rex in Dehli, nî hoc ita sit. Atque sic adparet, quomodo explicanda sint juramenta, quæ in sacris literis occurrunt, ubi à piis quoque hominibus creaturarum mentio fuit facta. Vid. Gen. XLII. 15. 2. Sam. XIV. 19. 1. Sam. xxv. 26. 1. Reg. II. 23. 2. Reg. II.

v.4.6. Sic inter Judæos posteriorum seculorum valde frequentia fuisse juramenta per caput, cœlum, templum, aurum templi, aram, victimas, patet ex *Matth. xxiii. 16. seqq.* Quorum profanos abusus, & petulantes cavillationes graviter taxat Salvator noster l. d. Ad *Homeri Iliad. a. v. 234.* *Didymus* illud *vaj* *αὐτὸς* *Κυρίου* ita explicat: *ἰστέον, ὅτι δὲ Κεῖρα τρεῖς ἄμυσιν αὐτὸν τὸ ἔφορον τὸ βασιλείας θείας.* Sciendum, quod per sceptrum jurant ipsum regni arbitrum Deum. *Homeri* locum imitatus est *Valerius Flaccus Argonaut. l. 3.* *Hanc ego magnanimi spoliū Didiraonis hastam, Quæ neque jam frondes virides nec proferet umbras, Ut semelest excussa jugis, ac matre peremta Fida ministeria, & duras obit horrida pugnas; Testor; & hoc omni ductor tibi nomine firmo.* Conf. *Virgil. Æneid. XII. v. 396.* *Ovidius* tamen de *remed. amoris l. 2.* *Atrides sibi quod nunquam tactam Briseida jurat Per sceptrum: sceptrum non putat esse Deos.* Add. *Grot. d. l. §. 11.* Per fas posterioribus seculis per salem solitos jurare, patet ex *Procopii de bello Persico l. i. c. 4.* Et apud *Ducam hist. Byzant. c. 23.* Mahometes, Turcarum Imperator, Bajazeten Visirem per panem & salem adjurat.

§. 4. Porro in juramentis formula illa, sub qua Deus testis aut vindex invocatur, accommodanda est ad persuasionem seu religionem, quam circa Deum fovet, qui jurat. Frustra quippe adigitur quis ad jusjurandum per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit. Ac nemo per Deum se jurare putat alia formula, aut alio sub nomine, quam quod suæ, i. c. ex opinione jurantis veræ religionis præceptis continetur. Inde est etiam, quod qui per falsos Deos jurat, quos ipse tamen pro veris habet, obligetur, ac si sefellerit, revera perjurium admittat. Quia sub quocunque speciali conceptu Numinis notionem ante oculos habuit, adeoque dum sciens pejeravit, divinæ majestatis reverentiam, quantum in se fuit, violavit. *Juvenalis sat. XV. Numina vicinorum Odit uterque locus, cum solos credat habendos esse Deos, quos ipse colit.* Add. l. 5. §. 1. *D. de jurejur.* cui non repugnat §. 3. d. l. & c. 10. *qu. 5. caus. 22.* Quod si autem quis juramentum accipit sub formula illius religionis, quam jurans quidem pro vera, ipse autem pro falsa habet, nequaquam ideo istius religionem adprobat, aut pro vera habet. Sic qui à Judæo juramentum accipit, haut quidquam adprobat ipsius sententiam, qui negat, unum Deum creatorem cœli & terræ esse patrem Domini nostri Jesu Christi. An tamen huc quadret exemplum à *Grotio d. l. §. 12. ex Gen. 32. 53.* allatum dubito. Nam Deus Abrahami & Deus Nahoris, & patrum ipsorum verus erat Deus. Add. c. 16. *quest. 1. caus. 22.*

§. 5. Ad juramenti porro obligationem requiritur, ut animo deliberato id susceptum sit. Unde juramento haut quidquam obstrictus erit, qui non putans se jurare verba jurantia protulerit, seu qui simpliciter tantum juramentum recitaverit, vel etiam ejusdem verba concepta in prima, ut loquuntur, persona alteri præverit. Add. l. 3. §. 2 D. *de oblig. & action.* Et hætenus valere potest illud *Luciani pro lapsu inter salutandum*: ἢ ἢ γλώττειν αὐτῆς, ἀλλὰ ἢ γνώμῃ ἐξετάζειν αἴτιον, *non linguam ejus, sed mentem examinare oportet.* Inde frustra sibi religionem fingeat Cydippe, lecto juramento, quod Acontius pomo inscripserat. Et recte ipsa apud *Ovidium in epist. Heroid.* *Quæ jurat mens est: nil conjuravimus illa. Consilium, prudensque animi sententia jurat, Et nisi judicii vincula nulla valent. Verba suis frustra viribus orba tenes. Non ego juravi; legi jurantia verba.* &c. Simile factum narrat *Antonius Liberalis* sub init. *Metamorphos.* de Ctesylla virgine Cæa, quam Hermochares Atheniensis pari modo circumvenit. At vero longe absurdissimus foret, si quis jurare volens, seu intentionem jurandi præ se ferens, nolit tamen obligari; sique dixerit, se, dum juramento adigitur, recitatione duntaxat verborum conceptorum voluisse defungi, non autem ex iisdem obligationem conscientiaæ suæ conciliare. Cujus rei ratio proxima non tam hæc est, quod obligatio à juramento sit inseparabilis, & effectus ejus necessarius; quam quia alias omnis usus juramentorum, imò omnis ratio intervenientibus signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis tacita sua intentione posset impedire, ne effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendo idem est institutus. Unde omnino juramento obligaberis, quicquid demum cogitaris, quando jurabas; siquidem & is, cui juratur, ita verba tua accepit, tanquam juramentum exprimentia, & tu, quando eadem proferebas, serio rem abs te agi, non autem jocandi institutum ostentabas. Et revera contradictorium est, velle jurare, & tamen non velle juramento obligari; velle promittere, & promissio nolle teneri: velle serio verba proferre, ut tamen non obtineant illum usum, quem communis conventio illis assignavit. Hinc inficete Mediolanenses *Friderico I.* apud *Radevicum* l. 2. c. 25. respondent: *Juravimus quidem, sed juramentum attendere non promisimus.* Add. *Grotius ad Matth. c. V. v. 33.* Huc quoque spectat, quod habet *Petrus Svarus hist. Concilii Trident.* l. 1. *Sede vacante, solent Cardinales capita quadam reformando regimini Pontificio in formulam redigere, qua singuli se exacte servatu-*

voturos jurant, si forte ipsi Pontificatum obtineant: licet omnium atatum experimentis testatum sit, nemini propositum juramento stare, quod statim ab electione in Pontificem profiteantur, se non potuisse obligari, vel ipsa assumptione in Pontificatum solutos sacramenti religione. Add. Idem l. V. p. m. 358. edit. Gorinch. 1658. Quod si autem quis ejusmodi præposteram intentionem præ se tulerit, ludos tantum agere censetur. Sic v. g. in scholis, ubi solenni in actu titulus Doctoris alicui confertur, hic utique Doctor erit, si vel maxime promotor, dum usitatum carmen recitat, de asino coronando cogitaverit. At si cui in scena ab histrione mitra omnibus cum ritibus imponatur, is ne hilum quidem qualitatis doctoralis nanciscetur. Ipsa statim scena rem fictam esse testatur. Quintil. decl. 342. Unde patet, absurdam esse questionem, an obligetur, qui deliberato protulerit verba jurantia, animo tamen non jurandi? Si enim verba illa tantum recitative protulit, apertum est ipsum neque jurasse, neque obligari. Verum ubi res velut serio fuit acta, i. e. ubi & ille qui verba protulit, jurantis speciem præ se tulit, & alter in eum sensum id accepit, sine dubio juratum est, & obligatio contracta est; quicquid demum ille, qui juravit, tacite in animo suo volverit.

§. 6. Est autem & hoc probe observandum, juramenta in se non producere novam & peculiarem obligationem, sed obligationi in sese validæ velut accessorium quoddam vinculum supervenire. Semper enim dum juramus, supponimus aliquid, quo non præstito, divinam pœnam in nos provocamus. Atqui ineptum hoc esset, nisi illicitum foret non præstare id, quod supponitur; adeoque nisi jam antea obligaremur. Quanquam sæpe uno sermonis complexu comprehendatur & principalis obligatio, & vinculum jurisjurandi accessorium, v. g. si dicam, ita me Deus adjuvet, ut ego centum tibi dabo. Non ideo tamen supervacuum est jusjurandum, quia obligationi jam antea firmæ accedit. Scilicet etsi omnes non athei credant, Deum violationem promissorum etiam injuratorum vindicare; iisdem tamen haut quidquam vane persuasum est, acerbius puniri, qui iram Dei expresse provocaverit, ac quantum in se fuit, ad ipsius misericordiam viam sibi præclusit. Quippe qui tam firmo proposito ad exferendam malitiam ruit, ut nihil se curare ostendat, quicquid illi displiceat, cui summum bonum juxta ac malum præsentandi est facultas.

Ex

Ex quibus concluditur, quod illi actus, quibus vitium aliquod intrinsicum, obligationem producendam impediens, adhærebat, obligatorii non fiant, jurejurando licet accedente. Sicuti nec per subsequens juramentum antegressa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem quæsitum alteri tollitur. Sic frustra quis juraverit, sese alteri debitum non soluturum.

§. 7. Exinde consequitur, cum in promissis & pactis consensus errore elicitus non sit idoneus ad producendam obligationem; non obligare juramentum, ubi certum est, eum qui juravit factum aliquod supposuisse, quod revera ita se non habebat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum: inprimis ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit conjectus. Nam factum illud habet vim conditionis, qua non adparente, quæ superstruuntur corruunt. Sic si quis ex remotis locis lætum mihi nuncium attulerit, ob quem evangelia ipsi jurato promiserim; postea autem falsa ipsum nunciasse deprehendero, haut quidquam juramento tenebor. Addit autem heic *Grotius* d.l. §. 4. Si dubium sit, an non aliquis idem juraturus fuerit, etiamsi in isto errore non hæssisset, standum erit juramento; quia simplicitas quam maxime juramento competit, & ab eodem omnis interpretatio elusoria est separanda: & quia promissio non soli isti errori fuit superstructa, etsi forte erroris istius intuitu prolixior fuerit. Ubi tamen res nondum est in expedito. Nam uter judicabit, an errore remoto promissio fuerit suscipienda? Non sane ille, cui juratum fuit. Quomodo enim liquido quis possit judicare, quænam mens a terius futura fuerit, si hæc vel illa conditio extitisset? Sed nec ipse, qui juravit, adeo certe hac de re judicare poterit; quippe cum neque eadem res diverso tempore proposita æquè nobis soleat placere, neque si eadem res eodem quidem tempore, sed diverso modo proponatur. Probabile igitur videtur, ne tale quidem juramentum, saltem in quantum errori superstruitur, esse validum. Si cui tamen in honorem Numinis ab eo non penitus discedere placeat, ex conditione rerum suarum metietur, quantum commode præstare possit. Quo loco non inconueniens fuerit, circa juramentum à *Josua* Gibeonitis præstitum quædam monere; *Josua* IX. Ubi primo observandum, astutiam Gibeonitarum non esse culpabilem, nec mendacii proprie dicti nomine venire. Quis enim reprehendat, si quis ficto sermone vitam suam ser-

vare

vare sategerit ab hoste ad internecionem grassante? Deum neque damnum propriè dictum ista astutia illatum fuisse Israëlitis. Quid enim homini decedit, si sanguinem alterius effundere non concedatur, quem de cætero omnibus rebus spoliare, & in perpetuam abstrahere servitutem potest, ita exarmatum ac debilitatum, ut insurgere in ipsum postea nequeat. In hoc ergo cardo rei versatur; an Deus per modum præcepti injuaxerit, omnes & singulos incolas terræ Canaan internecioni dare, etiam eos, qui sponte cervices servitio submitterent, & ex quibus periculum in postero non immineret? Id si absolute affirmetur, juramentum Josuæ erat irritum. Inserviisset enim ad hoc, ut præceptum divinum eluderetur, i. e. invocasset Josua Deum, ut ipsum puniret, nisi præceptum ipsius violasset. Neque dici potest, Josuam ideo juramentum illud servare voluisse, ne Jehovæ reverentia apud eas gentes aliquid detrimenti caperet, dum ipse non servat pactum, super quo nomen Dei invocaverat. Nam hoc incommodum non minus sequebatur, si ipse aliquid à Deo sibi injunctum executioni dare neglexisset. Igitur *Grotio* d. l. videtur præcepto illi *Deuter. XX. 16.* hanc addendam limitationem; *nisi si qui statim imperata facerent*; id quod aliquot rationibus probatum est. *Add. Seldenus* l. VI. c. 16. ubi ostendit, internecionem illam non tam præceptam Israëlitis, quam indultam. Idque aliis eo probabilius videtur, quod ratio istius dispositionis hæc exprimitur; ne istorum idololatriam imitaretur populus, tunc immane quantum in peregrinas superstitiones proclivis; tum ne relictis magno numero antiqui incolæ novos colonos migrare iterum juberent; præsertim si æquali fœdere cum ipsis degerent. *Vid. Judic. I. 34. II. 2. III. 5. 6.* Hoc periculo depulso, nonnullis, qui præsertim idolorum cultum egerassent, sane parci potuisse. Quicquid hujus sit, id patet Josuam, dolo deprehenso, valde stricte juramentum fuisse interpretatum. Phrasi Orientalibus familiari servos se Israëlitarum professi fuerant, & fœdus poposcerant. Josua vitam illis promittit, fœdusque inquit. Per hoc sane, (si tales fuissent Gibeonitæ, quales se ferebant, i. e. extra illos populos, quos Deus excidio destinarat,) & bona, & libertas ipsis relinquebantur. *Vid. 1. Reg. XX. 4.* Sed propter adhibitum dolum verbis suis presse inhæret, & præter vitam, ac, ut adparet, necessaria alimenta nihil illis relinquit. *Add. Ambros. Off. 1. 3. c. 10.*

§. 8. Quid vero sentiendum de juramentis per metum injustum extortis? Sane qui per metum injustum causam juratæ promissioni dedit, non minus obligatus est ad restituendum vi extortum promissum, cui juramentum accessit, quam si ab injurato id foret profectum. Igitur non adparet, quare non & heic compensatio possit opponi, juxta ea, quæ supra de metu tradidimus. Equidem *Grotius* d. l. §. 14. censet, *si aut verba juramenti hominem non respiciant jus ei conferendo; aut respiciant quidem, sed aliquid sit, quodei possit opponi; tunc eam vim fore juramenti, ut homo quidem ille jus nullum consequatur, at nihilominus qui juravit Deo obligetur stare jurjurando.* Ejusque rei exemplum esse in eo, qui per metum injustum causam promissioni dedit. Enimvero alia videtur natura jurisjurandi, cujus verba non ad hominem, sed ad Deum diriguntur, v. g. si dicam solus aut coram arbitris: ego Deo juro, quod Sejo velim dare. (*Add. Paulus Servita de Inquisitione* p. m. 55. 56. 57. ubi distinguit inter juramentum, quod ad Deum dirigitur, & quod fit in manus alterius.) Id enim habet indolem voti, quo Deo promitto, quod in ipsius honorem aliquid sim præstiturus; adeoque ex eo non homini, sed Deo jus volui conferre. Secus autem sese habent juramenta, quæ ad hominem diriguntur, seu ubi Deo teste homini quid promitto. Ubi plane videtur expirare obligatio, si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod recte acceptare promissum is non possit. Neque enim Deo promisi, neque dixi: in honorem & gloriam divini nominis latroni dabo. Et si vel maxime admittas, hoc quoque jusjurandum habere vim voti; tamen cum votum non stringat, nisi à Deo acceptetur, unde constabit mihi, Deo probari, ut ego innocens me bonis meis spoliem, & illa in impium nebulonem conferam, ne ille gratis sceleratus fuerit? Ne vero Numinis honor minoris dein sit apud latronem ejusmodi, juramento neglecto, non est metuendum; cum is ipso vitæ genere satis ostendat, quanti Deum faciat. Si quis tamen sit, qui evitando simpliciorum scandalorum, & ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniæ promissæ jacturam facere velit; fatius utique videtur, Deoque acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicujus malitiam eadem alere. Idque eo tutius procedit, ubi juratum fuerit ab eo, in cujus civitate per leges quoque civiles talia juramenta declarantur irrita. Vid. *authent. sacramenta puberum. C. si adversus venditionem.* Exempla, quæ pro

pro contraria sententia *Grotius* adfert, recte inspicienti ad rem nihil facere videbuntur. Add. quoque *Anton. Matthaus de Criminibus tit. de perjurio* n. 5. Ubi miror cum probare exemplum *Julii Caesaris, qui à piratis interceptus, jurejurandoque adactus, ante lytron iis solvit, dein classe parata oppressos cruci suffixit.* Nam neque *Plutarchus, Vellejus, Svetonius, Polyenus* l. 8. de tali jurejurando ipsius mentionem faciunt: & videtur hoc ipso illos sequi, qui momentanea solutione juratum defungi posse arbitrantur, ut statim vel per se, vel in subsidium vocato magistratu datum recuperare queat. Quæ est sane inanis religiositas, cum perinde sit non solvere, & solutum confestim recuperare. *Cicero* quoque *Off. 3. prædoni pactum pro capite pretium sine fraude non afferri* adserit; ex ea ratione, quod prædo sit communis hostis omnium, cum quo nec fides esse debet, nec jusjurandum commune. Id quod *Grotio* displicet d. l. & l. 3. c. 19. §. 2. ex ea ratione, quod licet cum prædone non sit specialis illa communio, quam inter hostes in bello solenni introduxit jus gentium; illum tamen, quia homo est, habere communionem juris naturalis, ex quo nascitur, ut pacta servanda sint. Neque tamen deest, quod pro *Ciceronis* sententia possit dici. Scilicet cum pirata sit communi hostis omnium, seu qui citra antegressam injuriam spoliat aut trucidat, quoscunque nactus fuerit, adeoque ex professo perturbet, & abrumpat socialitatem à Deo inter homines constitutam; igitur non prodesse ipsi debere vinculum, quo homines ad institutum Dei sociabiles inter se solentnecti. Cumque is ipso vitæ genere atheismum profiteatur, nullum eidem à religione emolumentum accedere debere. Sicuti etiam è contrario in ejusmodi hominum juramentis nemo prudens fidei aliquid reponit. Et lenoni apud *Terentium* velut inter requisita suæ artis reponitur, ut sit *perjurus*. *Nic. Machiavellus hist. Florent.* l. 3. *Cum religio Dei que timor extinetus sit, inde consequitur, juratam fidem tantisper estimari observarique, quantum utile: eaque homines uti, non quo eam servant, sed ut ea intermedia facilius decipiant, eoque plus laudis & gloria sibi partum ducunt, quo facilius atque tutius fraudem fraus sunt.*

§. 9. Requiritur & hoc ad validitatem jurisjurandi, ut licita sit illa obligatio, cui id accedit. Igitur nullas habebit vires jurata promissio de re, quæ est illicita jure naturali & divino, imò humano quoque isti non adverso, si jurans in civitate vivat. Vide loca quæ ex *Patribus* concessit *Gratianus caus. 22. quæst. 4.* Nobile cum primis est exem-

plum Davidis 1. *Sam.* XXV. qui cum pro iracundiam jurasset, se Nabalis domum internecione deleturum, ob beneficium verbis contumeliosis sibi negatum, post oratione Abigailis delinitus ultro Deo gratias agit, quod impeditus fuisset, ne illicitum juramentum majore cum peccato impletet. Sic & recte Alboinus revocavit votum, quo voverat, se omnem populum Ticinensem, quia se tradere nolisset, ferro deleturum, apud *Paul. Warnesfridum de gest. Longobard.* l. 2. c. 27. Add. *Idem* l. V. c. 40. in fine. Et *Aeneas Sylvius hist. Bohemica* c. 18. Absurdum est enim invocare vindictam divinam, nisi aliquid feceris, quod cum comminatione poenae à Deo est interdicitum: adeoque reverentia Dei velut in ipsius ignominiam abuti. Ac introducta sunt juramenta, ut licitis & bonis actionibus inter homines firmitatem addant, non ut sceleribus succenturiantur. *Dionysius Halicarn.* l. XI. *Θεοὶ ἐν καλαῖς καὶ δικαίαις ἀθροισμαῖσι φιλοῦσιν ὁμολογίας, καὶ ἐν ἀνεπίστοις καὶ ἀδίκαις. Dii ad honesta & justa, non ad turpia & injusta pacta adhiberant.* In *Alcorano cap. de disputatione* prohibetur, ne quis juret, quod suam uxorem nunquam sit tacturus. Et si quis ita juraverit, ad expiandum juramentum jubetur mancipium manumittere, antequam uxorem tangat. Quo loco etiam quaritur, si quis in latrones incidens ad redimendam vitam cogatur jurare silentium perpetuum, & ipsis quantum in se cavere de impunitate, an id juramentum sit servandum? Id quod nobis negandum videtur, si quidem ex eo silentio pluribus periculum sit emerfurum. Nam pro se quidem impunitatem dare non est illicitum: non tamen si inde multis innocentibus exitium sit proventurum. Et accommodari huc possit illud apud *Tacitum A.* 3. *Seneca lentus in suo dolore esset: reip. injurias ne largiretur.* Apud *Guntherum Ligurino* l. 8. *Fridericus ita sancit: Juramenta metu, mortisve dolore coacta, Praecipue ne quis multis nocitur a loquendo Publicet, aut in se crudeliter acta queratur, Nullius meriti vel ponderis esse jubemus.*

§. 10. Imo etiam si res, quae promittitur, in se non sit illicita; non tamen valebit jusjurandum, si per id impediatur majus bonum morale, seu ubi per id simus prohibendi obire aliquod officium humanitatis ac pietatis. Huc etiam referre possis juramentum, quo quis se obstringit, ne honestam aliquam & humano generi utilem artem alteri communicet. Vid. *Matth.* XXV. 27. Cui tamen assertioni haec limitatio videtur addenda; nisi per me, aut alios, ejus artis jam conscios, usibus humani generis satis prospici queat: nec ei, qui jusjurandum exegit, damnum inferatur.

Tale

Tale juramentum extat apud *Lucianum Tragopodagra*. *μύς ης με σγῶν δρ-
πῶ ἐν τῇ φράσει, ἡ λολθία θήσκοντῶ ἐστολὴ πατρὸς, ὅς ἔταξεν κλύθειν φαρμάκω
μῆνα (θίνῶ. Sacratum tacendi jus mihi jurandum datum Me talia dicere
tibi plane non sinit, Nec ultimum morientis edictum patris, Qui jussit hanc
celare nos vim pharmani. Plinius N. H. l. 25. c. 1. Neminem docere in auto-
ritatem scientia est. Scilicet quia profectum in bono Deo debemus, &
ad summum quisque pro sua virili eniti tenetur, ita ut ejus libertatem
eripere nobis ipsis non valeamus, neque nostro actu nos exsolvere offi-
cio per jus divinum nobis injuncto. Talia juramenta non erant infre-
quentia apud Judæos, de quibus vid. *Grotius* d. l. §. 7. Et ad *Matth. c. XV. 6.*
Et *Seldenus* l. 7. c. 2. *Constantin. L'Empereur in Babakama* c. 9. §. 20. *Gratia-
nus cap. 22. caus. 22. quas. 5.* Sic & invalidum judicamus juramentum,
quo *Narses* senem aliquem adstrinxit, ne defossum abs sese aurum ulli
mortalium indicaret. Qui tamen recte, *Narsete* defuncto, *Tiberio*
Imperatori indicium fecit, apud *Paulum Diaconum* l. 18. Add. quoque
Gratianus c. 2. *distinct. XIII.* Et hac in parte pari passu ambulat cum ju-
ramento votum; nam & hoc non valet, non modo si sit illicitum, sed &
si ineptum. Quo facit illud dictum *Spartani*, qui cum vovisset, se præci-
pitem à *Leucata* sese daturum, altitudine conspecta abiit retro; cumque
id ei vitio verteretur, dixit: *ἐν ᾧ μὲν, τὸν ἰσχυρὸν ἄλλας μείζονα ἰσχυρὸς δειδῶ, ἢ
non putaram, votum illud majori voto indigere.**

§. II. Denique quod juramenta non immutent naturam & sub-
stantiam promissi passivè, cui accedunt, sat clare constat. Sic juramenta
circa absolute impossibilia non obligant; etsi graviter peccet, qui ita te-
mere jurando nomine divino abutitur. Sic addita promissioni jura-
menta, conditionatam nequaquam mutant in absolutam. Non mi-
nus enim quod conditionem supponit juramentum cum conditione
illa stat, caditque, quam injuratum promissum. Sed & juramentum,
sicut quodvis aliud promissum expirat, si cesset qualitas, sub qua ju-
ratum fuit, v. g. si magistratus munere suo abierit, non tenebitur am-
plius ad istud, quod in eo ineundo juravit. Et vice versâ cives illi,
qui imperio abiit, aut exutus est, obsequium non amplius debent,
etsi id expresse non sit remissum. Id enim ex ipsâ negotii natura in-
telligitur. Add. *Grotius* d. l. §. 18. Sic & æque in jurato, quam injurato
promisso requiritur acceptatio. Et jurati æquè, atque injurati pacti

impletionem remittere potest, cui ex eo jus quæsitum fuit. Sic & ex natura pactorum erit judicandum, an actus contra juramentum admissus, sit duntaxat illicitus, an vero etiam irritus. Nisi enim jure suo in rem promissor juratus sese abdicaverit, & in alterum illud transtulerit, non erit actus irritus, si post in tertium actu idem conferat, v. g. si quis juraverit, se rem quampiam alicui legaturum; postmodum autem tertio eandem vendiderit, haut quidquam invalida erit venditio, licet ille perjurio sese adstrinxerit. Sic si quis vivis parentibus jurato promiserit, se certam foeminam in uxorem non ducturum, istis tamen mortuis, eandem nihilominus duxerit; perjurus ille quidem erit, matrimonium tamen firmum persistet; nisi legibus civilibus aliter sit dispositum. Sed & pro natura promissi aut pacti, cui juramentum adjicitur, id habebit efficaciam ex jure naturali aut civili. Nam illud in se non facit, ut quod alias naturalem tantum obligationem producebat, jam civilem quoque producat; nisi peculiariter hoc jure civili sit dispositum. Sicuti nec idem actus speciem mutat, ut v. g. quod donatio fuit, accedente juramento contractus onerosus fiat, & vice versa. Quo pertinet quæstio: an contractus juramento sancitus, in quo jurans insigniter fuit læsus, possit rescindi, & ipse in integrum restitui? *Grotius* d. l. §. 16. id negat, addita ratione; quamvis personæ nihil aut minus debeatur, Deo tamen fides erit præstanda. Quam rationem nos paulo ante rejecimus. Super eadem quæstione interpretes Juris Romani prolixè disputant ad l. 1. C. *si adversus vendit.* & subjectam illi *authenticam*, quam multi Jcti, & Galli cum primis, iniquitatis arguunt. Et ad rescriptum quidem Alexandri respondent, id nequaquam universalem aliquam decisionem complecti, sed ad specialem casum fuisse directum. Scilicet consulebat Imperatorem miles, i. e. homo pleno judicio, qui nimirum ageret annum decimum octavum, & quidem qui non læsionem aliquam enormem, sed solam ætatis immaturitatem, ut adparet, allegabat. Hujus contractum juramento confirmatum irritum nequaquam volebat princeps religiosus, & qui videri potest ob oculos habuisse exemplum Herculis, quem *Plutarchus quæst. Roman.* 28. non nisi semel in vita jurasse memorat. Authenticam autem illam tradunt Friderico extortam per Honorium III. Pontificem, dum diadema imperii negat; eamque ipsum Fridericum mutare constituisse; sed morte fuisse præventum. Causam autem, quare eam constitutionem urserit

rit Pontifex , facile deprehendet , qui arcana reipubl. Pontificiæ intelligit. Eam legem in Gallia non observari tradit *Mornacius* ad d. l. Vid. etiam *Augustinus Barbosa* ad d. l. *Grænevvegen de LL. abrogatis ad d. l. & alii*. Nobis ad perspicuam hujus quæstionis solutionem videtur ante omnia observandum ; pacta , in quibus est insignis inæqualitas , & in quibus fraus , dolusque aut iniquus metus versantur , & quæ animo non deliberato concipiuntur , naturali & intrinseco vitio laborare , quorum rescissionem aut correctionem jus naturæ postulat. Scd ætatem minorem viginti quinque annis in se pacto vitium non aspergere. Etsi facile præsumatur , ob fragile & infirmum ejus ætatis consilium , & multorum captionibus & insidiis expositum , læsionem aliquam ex parte minorum intervenisse. Qua læsione non adparente nulla est ratio , quare pactum debeat rescindi. Quo præmissis dicimus , si pactum aut promissum juratum nullo alio labore vitio , non posse id eo nomine rescindi , quod à minore sit initum , modo is præsens negotium intelligere potuerit. Sed si alterius fraus intervenit , imò si etiam citra fraudem ex sola ætatis imprudentia insignis læsio contigerit , juramentum non obstat , quo minus læsus juratus rescissionem contractus , aut correctionem petere queat. Nam juvenis , qui contractum jurejurando confirmat , præsupponit , eum vitio carere , idque alter quoque præ se fert. Et isthæc velut conditio juramento substernitur : qua non adparente , hoc quoque corrumpit. Aliud autem est , si citra fraudem alterius gnarus prudensque juvenis plus dedit , quam quanti res erat. Tunc enim negotium fuit mixtum ex contractu , & donatione. Sed & in universum observandum , eum , qui imperio subjectus est , non in plus sese obligare posse , quam quantum per imperium ipsi conceditur. Id ubi excesserit , sive juratum fuerit , sive non , irritum declarari ab imperante , si velit , negotium potest.

§. 12. Hoc autem efficiunt juramenta ob interpositam Dei invocationem , quem neque astu quis deceperit , & cui nemo impune illuserit , ut ab negotiis , quibus adjiciuntur , omnis interpretatio cavillatoria sit excludenda. Hinc recte Censores Romani damnarunt astutiam captivi , qui juraverat se in castra hostium rediturum , & postea cum paululum esset progressus , simulans oblitum se quid , in castra rediit , ac deinde quasi

quasi religione jurisjurandi solutus Romæ mansit. *Cicero Off. I. & III. Gellius* l. 7. c. 18. Sic & damnanda cavillatio Dercyllidæ, qui jusjurandum dedit Scepsæos urbis tyranno, si procederet ad colloquium, cum statim iterum in urbem reversurum. Ego egresso iste, mortem minatus, portas jussit aperire; dicens: nunc in urbem te demitto, hoc enim juravi: atque etiam ego cum exercitu nunc ingredior. *Polyæus strateg.* 2. Damnanda quoque improba cavillatio Locrorum apud *Polybium* l. XII. c. 4. Scilicet quia *fraus adstringit, non dissolvit perjurium.* *Cicero Off.* 3. Add. *Stobæus serm.* 28. de Cydia. *Tacitus A.* XII. *Rhadamistus quasi jurisjurandi memor, non ferrum, non venenum in sororem & patrum expromit; sed projectos in humum, & veste multa gravique opertos necat.* Sic & isthanc mercatoribus valde familiarem cavillationem notat *Henr. Stephanus in tract. preliminar. Apolog. Herodoti* c. 16. dum jurant, se non posse tali vel tali pretio rem vendere, nã velint perdere. Ipsos enim respicere ad proverbium: Mercator, qui nil lucratur, perdit. Nescio an huc referri debeat factum Comitæ Fontani, qui in prælio ad Rocroium sella gestatoria vectatus fuerat; *jurejurando enim se obstrinxerat, neque peditem se, neque equitem adversus Gallos pugnaturum;* apud *Benjam. Priolum histor. Gall.* l. 2. Aut *Alexandri VII.* qui cum sub initium pontificatus jurasset; sese cognatos suos Romæ non recepturum (*di non riceuere i suoi parenti in Roma*) mox autoribus Jesuitis hoc modo juramentum istud elusit: dum cognatos suos apud Castellum Gandolfi primum recepit, & inde Romam secum deduxit. Uti refert *Autor Nepotismi part. 1. libr. 3.* Aut quod de ministris Societatis Indicæ Orientalis memorat *Tavernier Itin. part. 2. c. 14.* qui antequam ex Hollandia discedunt, juramento obstringuntur, ne commercii quid privato nomine exercent, sed stipendio suo contenti sint. Mox tamen in Indiam delati multi eorum uxores ducunt, quæ suo nomine clandestinam illam mercaturam agitant. Apud *Ælianum V. H.* l. 12. c. 8. refertur: *Cleomenes Lacon Archonidem consortem sui propositi fecit, jurans, si compos voti fieret, πάντα σὺν τῷ αὐτῷ κεφαλῇ πράττειν, se omnia cum ipsius capite transacturum esse.* Cum vero rerum potitus esset, occisi focii caput resectum vasi pleno mellis immisit: & quotiescunque aliquid agere instituisset, ad id inclinatus propositum narrabat. Sic apud *Polyanum* l. VII. *Aryandes Barcæis super latente fossa, tenuibus lignis terraque relecta, jurat; quamdiu terra permaneret, se conventa servaturum.* Hinc dis-

disiecta machina in urbem nihil hostile suspicantem irruit. Id tamen factum Persis tribuit *Herodotus Melpomene circa finem.* Sic si duorum nebulonum unus rem auferat, alter occultet, & ille juret, se rem non habere, hic, se eam non abstulisse, uterque perjurus habebitur. Crassa quoque nimis cavillatio Solymanni, qui cum Ibrahimo Bassæ jurasset, quod ipsi vivo vitam non sit erepturus, dormientem jussit interfici; quasi dormientes inter vivos referri nequeant. Contra ab antiquis laudata est constantia *Q. Metelli Numidici*, quod recusarit in legem Saturnini jurare; etiamsi *Marius Consul* & alii dicerent: ob tempora reip. recte id posse suscipi, ejusque vim elidi tacita hac conditione; se jurare in legem, siquidem lex esset, i. e. si rite rogata & lata esset. Atqui postea facile ostendi posse, nullam esse hanc legem, quippe quæ lata sit Jove tonante; quod ubi fiebat, nihil cum populo agi fas erat. Sed iste malebat patria carere, quam hoc astu uti; quippe cum qui jurarent, sane præ se ferrent, pro vera lege sese illam rogationem agnoscere. Vid. *Appian. l. 1. de bello civili. Plutarch. Mario.* Sed & arbitramur, supervacuum fuisse sollicitudinem *Lycurgi*, qui cineres suos in mare spargi jussit, ne iis Spartam allatis, cives se juramenti religione exsolutos crederent. Nam ille proprie reversus non judicatur, cujus cadaver domum reportatur. Vid. *Plutarch. Lycurgo Justinus l. III. c. 3.*

§. 13. Non tamen ideo eorundem interpretatio semper est extendenda, sed quandoque stricte facienda, siquidem subjecta materia id requirere videatur; puta, si juratum sit in odium alterius; & non tam promissioni, quam minis, (ex quibus per se nemini jus nascitur,) juramentum fuerit adjectum. Quam in rem adfertur illud *Israëlitarum Judic. XXI.* qui juraverant, se filias suas Benjaminitis non collocaturos. Post tamen his svadebant virgines rapere, & apud raptarum patres pro iisdem intercedebant. Aliud enim est dare, aliud raptum non repetere. Et eo facilius stricta hæc interpretatio admittebatur, quod crudele foret, integram tribum ob crimen, quantumvis atrox, excindere: quem etiam casum illi fortasse in juramento suo exceperant. Add. *Josephus archæol. V. 2. & Ambrosius Offic. l. 3. c. 14.* Apud *Ammianum Marcellinum l. 27. c. 4. quoniam assererat Athanaricus, Gothorum judex, sub timenda execratione jurijurandi, se esse obstrictum,*

mandatūque prohibitum patris, ne solum aliquando calcaret Romanorum, & adigi non poterat, indecorumque erat & vile ad eum Imperatorem transire: recte noscentibus placuit, navibus remigio directis in medium flumen, (Istrum) quæ vehebant cum armigeris Principem, gentisque judicem, inde cum suis fœderari, ut statutum est, pacem. Sic apud Livium l. 39. c. 37. cum Romani ab Achæis postularent, quædam decreta sua ut tollerent, hi quidem jurisjurandi religione impediri sese causabantur. Sed cum Appius Princeps legatus diceret; se magnopere Achæis svadere, ut dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inviti & coacti facerent: illi metu perculsi hoc modo petierunt, ut Romani ipsi, quæ viderentur, mutarent, nec Achæos religione obstringerent irrita ea faciendi, quæ jurejurando sanxissent. Scilicet aliud illi judicabant esse, decretum suum ultro tollere; aliud, ob metum non repugnare, quo minus id à potentiore tolleretur. Possis etiam huc referre, quod apud Euripidem Hecuba Agamemnon quidem renuit punire Polymnestorem Thracem, tanquam amicum Græcorum; promittit tamen se non impediturum, quo minus ipsa Hecuba vindictam de eodem sumat. Add. Polybius except. legat. 8. circa finem. Sic nequam servus apud Terentium Andria act. 4. sc. 3. D. Accipe à me hunc ocyus, atque ante nostram januam adpone. M. Quamobrem id tute non facis? D. Quia si forte opus sit ad herum jusjurandum mihi non adposuisse, ut liquido possim, Et si eam cavillationem nos inanem arbitremur, cum perinde sit, ipse adponas, an ab alio adponendum cures. Sic recte minarum suarum strictissimam faciebat interpretationem Aurelianus, dum milites ad canes occidendos jubet discurrere. Flav. Vopiscus Aureliano c. 22. Add. Valerius Maximus l. 7. c. 3. §. 4. inter externa. Huc referri potest, quod cum Alexander sibi proposuisset Lampfacum destruere, adventante Anaximene juravit, se nihil eorum facturum, quæ peteret; petiit hic ut Lampfacum dirueret. Ita urbs servata est. Apud Herodotum Melpomene, cum Etearchus Themisonem adjurasset, ut quam rem oraretur, in ea se ministrum præberet; & ille deinde postularet, ut hic ipsius filiam nari demergeret: Themison in altum subvectus puellam funibus revinctam in pelagus demisit, sed eandem mox inde salvam retraxit. Huc referri potest, quod narrat Plutarch. Demetrio. Cum Antigonus ob somnium quoddam Mithridatem interficere constituisset, filioque

De

Demetrio, quem jurejurando adegerat taciturnum, id indicasset; hic sultate juvenis anxius ab arbitris seducto nihil quidem dixit, sed hastili in seculo, inspiciente illo, descripsit: *Fuge Mithridates*. Item, quod de Cæsare refert *Svetonius Julio*. c. 74. *Sed & in ulciscendo natura lenissimus piratas, à quibus captus est, cum in ditionem redeisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat, jugulari prius jussit, deinde suffigi*. Huc quoque spectat juramentum Davidis; de impunitate Simei præstitum. 2. *Sam.* XIX. 23. Quo non obstante post decessurus Salomoni mandat; operam daret, ne incruento fato iste nequam defungatur. 1. *Reg.* II. 8. Nam pro se duntaxat impunitatem promiserat David. Neque proprie Salomoni hoc mandabat, ut pro antiquo illo crimine eum ad supplicium raperet, sed ut nefarium hominem probe observaret, & si iterum peccare ipsum contingeret, haut quidquam eidem parceret. Et prudenter heic Salomon, quod turbulentum & infensum hominem juberet in urbe regia sub oculis suis vivere, ne forte novas res moliretur, sub comminatione mortis; quam legem ipse quoque Simei adprobavit. Non tamen citra providentiam Dei factum est, ut iste legem transgressus recentis simul & antiqui delicti poenas lueret. Add. *Mich. Montaigne essais* l. 1. c. 7. Forte etiam huic referri potest factum Mariæ reginæ Hungariæ, uxoris Sigismundi Imp. quæ Horvato Croatia præfecto, abs quo capta & male tractata erat, incolumitatem jurato promisit; post libertatem adepta maritum ad vindictam sumendam incitasse fertur, quod ipsius nomine nihil se promisisse diceret. *Bonsinius rerum Hungar.* l. 3. c. 2. Nescio, an huc referri debeat factum Timoleontis, Milarchum tyrannum oppugnantis, qui multos dolis circumvenerat, & neglecta jurisjurandi religione trucidaverat. Tyrannus simulabat, se judicium Syracusis subiturum, si Timoleon non accusaret. Hic juravit, se non accusaturum. Hac lege Milarchus Syracusas venit, Timoleon cum eum in concionem protraxisset; nequaquam eum, inquit, accusabo; sic enim pactus sum, verum interfici celerrime jubeo. *ὁ γὰρ πολλὸς ἐξαπατήσαστα, δικαίον αὖ εἶναι, καὶ αὐτὸν ἄπο αὐτοῦ ὁμοίως ἐξαπατηθῆναι.*
Qui enim multos decepit, justum fuerit, eum semel pari modo decipi. Polyænus strateg. l. V.

§. 14. Sic nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipsa rei natura rite fluunt. Puta, si alicui quicquid velit petendi optionem concessi; ubi iste iniqua aut absurda petierit, haut-

quidquam tenebor. Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam noverit, quid iste sit petiturus, præsupponit alterum petiturum honesta, moraliter possibilis, non absurda, non sibi aut aliis perniciofa. Phœbus apud *Ovidium Metamorph. 2. dabitur Quodcunque optaris; sed tu sapientius opta.* Qua occasione prolatum fuit illud dictum Hippolyti apud *Euripidem Hippolyto*, à Cicerone laudatum: *Juravi lingua; mentem injuratum gero.* ἢ γλῶσσι δ' μὴ μὸς, ἢ ἃ φηρὸ ἀνώμωτος. Juraverat enim nutrici, se taciturum, quæ illa narraret; sed cum eadem post de adulterio & incesto cum noverca Phœdra proponeret, negavit se eo juramento ad silendum tantum flagitium teneri. Etsi utique intuitu ejus juramenti tacuisse illum refert *Euripides d.l.* Eadem exceptione utitur *Nicomachus ap. Curtium l. VI. c. 7. se vero fidem in parricidio dedisse constanter abnuit, nec ulla religione, ut scelus tegat, posse constringi.* Quippe cum civis obligatione contineatur, non tacere, si quas machinationes contra personam Principis aut statum fieri animadvertat. Sic *Cicero Off. 1. Potest accidere promissum aliquod & conventum, ut id effici sit inutile ei, cui promissum sit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo juratus promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbat.* Ex tribus enim optatis hoc erat tertium, quod de interitu Hippolyti iratus optavit, quo impetrato in maximos luctus incidit. (conf. *Euripides Hippol. Coron. v. 1315.*) Nec promissa igitur servanda sunt illa, quæ sunt illis, quibus promiseris, noxia. Add. quoque *Diodorus Siculus l. 4. c. 65.* Sic neque Herodes debebat saltatriculæ privignæ caput Johannis indulgere; quia cum ad illicita nulla sit obligatio, in generali promisso utique subaudiendum erat; si quid peteret, quod licite posset præstari. *Matth. XIV.* Sicuti nec Salomon præstabat promissum indefinite factum, cum mater aliquid peteret, quod statui ipsius in præjudicium cederet. *1. Regum II. 20.* Notatu quoque dignum est, quod memorat *Diodorus Siculus l. XI. c. 58.* *Xerxem novæ in Græciam expeditionis percupidum à Themistocle postulasse, ut hujus belli ducem se præberet. Illum vero ita assensum, si fidem jurejurando confirmatam daret, se Græcis absque Themistocle bellum non illaturum.* Post immolatum ergo taurum, juramento præstito, Themistoclem poculum taurino sanguine plenum hausisse, atque illico expirasse. Ita Xerxem à proposito revocavit. Enimvero, si alias Xerxi ratio belli contra Græcos constitisset, non erat, quod isto juramento moveretur, in quo utique supposuerat Themistoclis vitam; quasi

quasi dixisset, se, illo vivo contra Græcos absque ipsius consilio nihil suscepturum. Adeoque eodem defuncto, juramenti quoque vis expirabat. Add. l. ult. D. qui fatidare cogantur. Sed & minus recte *Homerus Iliad. x. v. 307.* de Hectore dicit, *ἠτάλοπον ἀπαθέμοον, perjurium juravit*; quia conditio tacita suberat; si ceperimus, & tu salvus redeas. Nī *ἠτάλοπον* capiamus pro juramento, quod exitum non sortitur.

§. 15. Cæterum etsi in juramentis invocatio divini Numinis sit attemperanda ad persuasionem ejus, qui jurat; sensus tamen totius orationis valebit, prout capere se illum profitetur is, qui juramentum defert. Hujus enim præcipue, non jurantis causa juramentum præstat. Unde ejusdem quoque est concipere verba juramenti, & quidem quantum fieri potest planissime, sic ut & ipse significet, quomodo illa intelligat, & jurans annuat, se istius sensum probe percipere: eaque mox ab hoc liquido sunt exprimenda, sic ut nulla ratione eadem cavillari & eludere queat. Inde nequidquam perjurium effugiebant illi apud *Tacitum H. IV. trepidi & verba jurisjurandi per varias artes mutant, quis flagitii conscientia inerat.* Sic apud *Dictyn Cretensem l. 5.* Diomedes & Ulysses Trojanis veteratorie jurant: *permansuros se in eo, quod sibi cum Antenore convenisset*; eum ipsi intelligerent pactum proditionis, quod cum hoc iniverant. Quod autem apud Romanos in declaratione juramentorum juberetur quis jurare *ex animi sui sententia*, id non cum habet sensum, quasi juramentum valeret, prout quisque super eo in animo suo senserit; sed ut indicarent serio, non simulate aut fecte, vel ludibrii causa jurandum. Sicuti & Censoribus ea formula erat solennis, v.g. *ex animi tui sententia habes uxorem? Quam* formulam intempestive quidam eques Romanus cavillatus, ex mei non ex tui animi sententia respondens, severitatem censoriam incurrit. Elegans est locus *Ciceronis l. 4. Academ. quest. sub fin.* ubi probabilem duntaxat cognitionem rerum in hominem cadere disputat. *Quam rationem, inquit, comprobabat majorum diligentia, qui primum jurare ex animi sui sententia quemque voluerunt.* Deinde ita teneri si sciens falleret, quod inscientia multa versaretur in vita. *Tum qui testimonium diceret, ut arbitrari se diceret, etiam quod ipse vidisset; quaque jurati judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut videri pronuntiarentur.* *Ideo Off. 3. Quod ita juratum est,*

ut mens deferentis conceperit fieri oportere, id observandum est: quod aliter, id si non feceris, nullum perjurium est, i.e. si quis mentem ejus, qui juramentum defert, non perceperit, sed in diversum ab ista sensum jusjurandum conceperit, illud non præstare perjurium non est. Dum enim istius mens ab hujus mente discrepavit, iste quoque hujus oblationem juratam non acceptasse intelligitur; citra acceptationem autem in promittente nulla producitur obligatio. Non enim falsum, pergit Cicero, jurare, pejerare est, i.e. ex errore aliquid jurato asserere, quod revera secus se habet; sed quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere perjurium est.

§. 16. Disceptatum quoque fuit inter quosdam recentiores super juramento in alterius animam; seu an quis loco & nomine absentis præstare possit juramentum, quod absentem istum stringat? Qua super re nobis ita videtur. Quemadmodum quis absens per literas obligationem contrahere potest, cum consensus æque bene scripto, quam viva voce queat exprimi: ita quin juramentum quoque literis possit concipi, nihil ob stare videtur. Quod tamen tunc demum, postquam solenniter fuerit recitatum, perinde obligabit, atque si coram iste viva voce id præstitisset. Sed antequam recitatum id fuerit, revocari posse videtur: sic ut perjurus non sit, qui attestationem suam juratam, antequam, quo debebat, perlata sit, retractet. Illud tamen minus congruum videtur, quod procuratores ita se componunt, quasi ipsi revera essent pro se juraturi; aut quod ex metu, ne ipsi forte obligari videantur, ultimam jurisjurandi formulam sic immutare soleant: ita Deus illum adjuvet. Nam sufficiebat simpliciter absentis juramentum de scripto recitari. Nihilominus quia plurimas apud gentes recte receptum, ut juramenta solennibus quibusdam ceremoniis redderentur augustiora, adeoque juratoris reverentia Numinis pio aliquo signo, puta, admota victima, accessione ad aram, similique modo expressius ob oculos poneretur; igitur judicaverim, si magni sit res momenti, absentem juramentum in eo loco, ubi degit, solenniter deponere debere; præsertim ubi necessario requiritur corporale, quod vocant, juramentum; quale id, quod per absentem recepto modo præstatur, dici nequit. Sane enim plus est, inter solennes ritus, Numinis præsentiam non sine sacro quodam horrore exprimentes, Deum testem invocare; quam id chartæ, quæ non erubescit, in-

scri-

scribere. Nec de nihilo est, quod quæ scripto perhibentur absentibus *testimonia cæca* vocentur. Vid. *lex Wisigothorum* l. 2. tit. 4. c. 5.

§. 17. Denique & hoc scilicet quæri; an & quatenus teneatur heres ex jurejurando ejus, cui succedit? Ubi illud manifestum est, si ex jurejurando alteri sit perfectum jus quæsitum, quod directe, aut in subsidium, expleri debeat ex bonis jurantis, heredem teneri ad jus illud explendum; quippe cum onus illud, bonis adhærens, cum bonis simul in ipsum transierit. Ast ubi ex juramento nemini fuit jus perfectum quæsitum, ipsaq; obligatio tantum in pietate, fide, aut constantia jurantis fundata fuit; patet heredem non teneri, qui alterius personam non repræsentat in iis obligationibus, quæ ultimato & unice in ipsius persona terminabantur. Sic si quis juraverit, seu jurato votum conceperit, v.g. sese singulis hebdomadis semel jejunaturum, per quinquennium in cælibatu mansurum, peregrinationem in terram sanctam suscepturum; ubi id ab ipso, dum moritur, nondum fuerit impletum, heres haut quidquam ad idem implendum tenebitur. Aliud fuerit, si quis sub tali conditione heres sit institutus. Sic si quis juraverit, sese intra proximos decem annos singulis annis centum in pauperes erogaturum, ac nondum elapso decennio moriatur; heres non tenebitur, nisi jus illa exigendi in certos homines sit collatum. Qui enim nemini jus ad exigendum promissum confert, is suam tantum fidem, non bona sua, respici vult, adeoque ipso mortuo ea obligatio haut quidquam bona ipsius, heredemvè afficiet; nisi per testamentum hoc ipsum fuerit injunctum. Huc quoque refert *Grotius* d. l. §. 17. *si ob vitium aliquod in promisso jurato non homini, sed soli Deo jus nascatur, tunc heredem ejus, qui juravit, ad id exsolvendum non teneri.* Quod ita admitimus, siquidem is, qui juravit, ex generositate, aut evitando conscientie scrupulo proposuerit sibi implere juramentum, quod per exceptionem doli, metusvè injusti elidere poterat. Nam ne ipsum quidem, qui juravit, valide obligari supra ostendimus. Quid si autem heres juratum promissum, pactumvè defuncti non impleverit, an ideo ipse perjurii notam contrahet? Hoc vero negandum videtur. Nam id, quod juramentum presse dictum, seu obtestatio divinæ vindictæ obligationi simplici superaddit, personam ejus, qui juravit, non egreditur. Cum heres dici nequeat neglexisse reverentiam divini Numinis, quod ipse in testem non invocaverat. Adeoque iste heres simplicis duntaxat per-

perfidia erit reus. Aliud habetur, si integer populus juraverit. Illum enim, quamdiu idem manet, perpetua jurisjurandi religione affici multi censent. Quod tamen mihi non omni dubio carere videtur. Nam juramentum ejusque violatio voluntatem duntaxat naturalem, hominumque singulorum afficit, voluntatem autem personae moralis non nisi derivatione à singulis. Adeoque populus, ut est persona moralis, iram Dei in se vocare nequit, sed singulae personae physicae, ex quibus populus componitur. Igitur violato per populum jurato promisso vel pacto, illi soli, qui corporaliter jurarunt, perjuri erunt, siquidem in violationem juramenti consenserint, reliqui simplicis perfidiae nota defungentur. Unde perjurii haut quidquam accusaverim Spartanos, quod post complura secula à Lycurgi legibus discesserunt; aut Romanos, si Cæsares regum vocabulo insignivissent, non obstante juramento, quo populum Romanum Brutus adegerat. Id quod clarius patebit, si consideremus, ex illo juramento nulli homini jus fuisse quaesitum, sed Romanos per id libertatis voluntatis suae duntaxat vinculum voluisse injicere, ne quam semel infelicem sibi formam reip. experti erant, reducere in mentem veniret. Quo ipso se quidem obligare potuerunt, ne regem Romae constituerent, saltem haec tunc, quamdiu salus reip. regnum non desiderabat. Nam in hoc casu & illi ipsi, qui juraverant, juramento soluti intelliguntur, cum tunc materia jurisjurandi per conditionem civitatis, quae absque regno salva non esse posse praesupponitur, illicita sit reddita. Posteriores autem, qui juramentum non repetiverunt, eodem stringi non poterant, tum quia ipsis pro imperio à majoribus imponi non potuit; tum quia posteriores non consenserunt; quod supponitur. Nec obstat, quod populus idem censeatur, singulis licet civibus mutatis, adeoque & actus majorum posteris videatur tribuendus. Nam actus majorum non nisi tunc stringere potest posteros, quando alteri homini ex eo jus fuit quaesitum. Circa talia autem, quae in populum redundant ex actione singulorum, posteriores non semper stant pro majoribus. Sicuti si populus aliquis olim gloria bellica floruit, posteriores ignavi & degeneres id sibi haut quidquam tribuerint. Aliud autem foret, si juramentum illud à singulis posterorum fuisset repetitum. Ceterum circa similia juramenta observandum fuerit illud *Sophoclis Antigone*:
 ὅμοιοι οὐκ ἔστιν ἕως ἀπώμοτον. ἤϊός τε ἢ πῖρος τε καὶ γρόμυλον. *Homines non ju-*
rent,

rent, se non mutatueros esse sententiam. Mutat enim sequens cogitatio priorem. Non plane quoque de nihilo est, quod 70. Labardaus hist. de reb. Gall. l. vi. p. 329. scribit: Regibus, quam populis, quibus & imperium est, fœdera sanctiora sunt. Nam qua fides ab uno datur, ejus servanda religio hunc magis afficit, quam singulos ex multitudine, ad quos fidei publica vel nulla, vel exigua pars pertinet, quo fit, ut ab hac facile discedant. Conf. Anton. Matthæus de criminibus tit. de perjurio. n. 5.

§. 18. Possunt, & solent juramenta duplici potissimum fine adhiberi, ut vel aliquid singulari cum religione promittatur, vel via aperiat ad decidendum aliquod factum illiquidum, & quod alia ratione commodius demonstrari nequit. Quem in sensum explicandum illud Aristotelis Rhetor. ad Alexandr. c. 18. ὅπου ἐστὶ μὲν θεῖος καὶ ἀθάνατος φῶς ἀναπόδεικτον. Juramentum est cum divina invocatione assertio indemonstrabilis, seu quæ nullis argumentis demonstratur, sed cui ob solam jurantis religionem fides adhibeatur. Ubi enim argumentis liquidis res demonstrari potest, non recte ex juramentis probatio sumitur. Ubi autem juramento lis decidenda committitur, nullæ amplius probationes quærentur. In aprico est autem, quare non in juris, sed in facti quæstionibus adhibeantur juramenta. Non enim juratur, recte an secus factum quid sit; sed factum quid sit, nec ne. Quo cognito de jure ex certa demonstratione potest pronunciari. Neque vero quod à iudicibus præstatur juramentum, assertorium est, sed promissorium, quod scilicet velint sententiam pronunciare citra præsens factum, prout jus & æquum suggererit. Prioris igitur generis juramenta possumus vocare promissoria, posterioris assertoria.

§. 19. Promissoria tam in publicis quam privatis causis frequentissime adhiberi sverunt, & fortasse frequentius, quam necessum erat. Circa quæ tamen aliqui monent, quod quædam suscipiantur obligationis inducendæ causâ, promissoria in specie dicta; quædam actus alicujus jam subsistentis firmandi causâ. Quæ divisio non ita est capienda, quasi non quodvis juramentum sit accessorium alterius obligationis; sed quia quædam promissa juramentum eodem orationis contextu includunt, v. g. juro me tibi quid præstiturum; quandoque autem principale negotium à juramento separatim concipitur. Recte

T t

autem

autem monent Interpretes juris Romani, id quod & supra ostensum est, irrita esse juramenta, quæ accedunt negotiis, ipso jure naturæ illicitis ac turpibus, quæque aut bono publico repugnant, aut in fraudem tertii vergunt. Dari tamen negotia, quæ in se invalida sint in foro civili, sed accedente juramento confirmantur; ideo quia naturali vitio non laborant, sed quia duntaxat facilem occasionem possunt præbere, ut lædatur is, qui suscepit. Cum autem beneficio in favorem sui introducto renunciare quis possit; præsumitur serio consultasse, an negotium sibi expediat, vel non, qui juramento id confirmare sustinuit.

§. 20. Juramenta autem assertoria, quæque adhibentur ad decidendas lites, quarum exitum alia argumenta non ostendunt, præstantur vel ab ipso, quem negotium spectat, vel à tertio. Qui super alieno facto jurant, testes vocantur; quorum fides, ubi nullo probabili indicio suspecta redditur, merito magnum habet pondus; cum nemo pius præsumi queat ob alienum negotium animam suam iræ divinæ exponere. Sapienter tamen leges civiles, quæ non temere aliquem voluerunt ad dicendum testimonium admittere in causa, quæ spectat alium, necessitudine, affectum vehementem generante, ipsi junctum; quod facile sit, ut hi religionem post affectum ducant. Vid. l. 3. & 4. *D. de testibus*. Neque etiam plane de nihilo est, quod Romani quondam, in causis præcipue arduis, requirerent testes locupletes.

§. 21. Sed & in proprio negotio sæpe is, cujus interest, juramento suo controversiam solvit; idque vel ex conventionem partium, vel jussu judicis. l. 1. l. 3. *D. de jurejur.* Quando enim contingit, controversiam oriri inter duos circa debitum aliquod, ubi probationes idoneæ non suppetunt, potest petitor alterum, à quo petitur, ad jurandum provocare, pollicitus, se à petitione destitutum, si juratus debitum abnegaverit. Vid. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 79. Quod si autem hic diffidat, liquido se jurare posse, puta, si debitum ab alio sit in ipsum devolutum, tunc is petitori juramentum potest referre, cum promissæ solaturum se, si petitor sibi deberi juraverit. Atque ejusmodi jurisjurandi delatio & relatio inter partes fieri potest vel in judicio, vel extra judicium; cum hac tamen differentia, quod extra judicium id delatum suscipi non sit necessum; quippe cum contineat conventionem, ex qua aliquid deinceps debiturus sum. Ad conventionem autem onerosam nemo me invitum potest adigere, cui in
me

me non est imperium. Ast ubi in iudicio una pars alteri iuramentum defert, non nisi graves ob causas recusari id poterit, sed aut præstandum idem erit, aut adversario referendum. Scilicet quando iudici adparet, non de nihilo litem motam, neque tamen probationes sat liquidæ in promptu sunt; tunc ubi uni placuerit alterius conscientiæ rem committere, recte iudex pro convicto habet, qui religiose debitum abnegare non est ausus, neque alterum ad similem debiti assertionem provocat. Non enim aliò isthæc tergiversatio referri potest, quam quod se debere in conscientia sua sentiat. Nam ne ob lucellum jurasse videatur, relato petitori iuramento declinare potest. Si metuit, ne hic pejeret, cur non ipse jurat? *Plato tamen de LL. l. XII. iuramento tantum locum concedit, in quibuscunque secundum hominum opinionem nulli emolumento perjurium sit. In quibus autem utilitatem ex perjurio aliquis assequitur, ea sine jurejurando judicentur.* Vid. l. 34. §. 6. 7. 9. l. 38. D. de jurejurando.

§. 22. Denique & interdum parte non petente iuramentum potest deferre iudex, quando probationes cæteræ non sufficiunt; idque eo fine, ut quis vel jus sibi aliquod adquirat, vel suspicione alicujus facti sese eximat. Ubi tamen observandum, hautquaquam eo loco talia solere deferri iuramenta, ubi veritatis confessionem supplicium capitis, aut atrox aliquod incommodum est secuturum. Nam præterquam quod valde durum sit, circa factum illiquidum in tam ancipitem necessitatem aliquem conijcere, ut aut conscientia sit atrociter lædenda, aut grave damnum subeundum; etiam parum fidei est ejusmodi iuramentis adhibendum, pronis hominum animis in eam spem, Numen læsum iterum posse placari, cujus misericordiam utique ne perjurus quidem implorare prohibetur. *Libanius declam. 3. Cui alia omnia desperata sunt, atque unius relinquitur modus, quem non licet nisi mendacio assequi: is certe audet periculum periculo commutare, cum sciat inevitabile esse, quod in oculis est; pro illo autem sæpe seipsum decipiens, quasi possit victimis, cultu, votis & hostiis ac donariorum decore ad veniam deos comparare.* Sed de his iuramentorum speciebus prolixius Interpretes Juris Romani ad tit. D. de jurejur.

§. 23. Circa violationem iuramentorum hæc quoque quæstio est expedienda; cum sæpissime per iuramentum ad officia sua fideliter obcunda homines in civitatibus potissimum soleant adstringi, an semper perjurus sit habendus, qui partem quamcunq; sui officii neglexit? Ubi

non est quæstio de illis juramentis, quæ circa peculiarem aliquem actum versantur; puta, quibus quis testatur, depositum abnuit, promissum peculiare destituit, & similia. Nam qui talia violat, ei sine dubio perjury nomen competit. Sed de talibus, quibus quis ad plura uno velut fasce comprehensa se adstringit. Qualia exigi ab illis moris est, qui muneri alicui præficiuntur, per diversas functiones & actiones explendo. Heic quò minus quæstio sit affirmanda dubium non videtur, ubi violatio à sciente, & ex deliberata malitia provenit. Nisi quod uti aliorum criminum, ita & hujusmodi perjurii gradus sint. Nam uti minus nocens habetur, qui unam duntaxat aut alteram legem violavit, quam qui simul & semel omni imperio civili renunciavit, seu crimen læsæ majestatis admisit: ita graviore se perjurio adstrinxit, qui summam officii sui violavit, quam qui partem. Add. tamen *Rob. Sanderfon. de obligat. juramenti, prælect. 3. §. 18.* Non autem audiendi sunt, qui putant, à perjurio absolvendum, qui poenæ transgressoribus dictitæ se subjecerit. Nam nisi expresse in obligatione hæc alicui sit libertas concessa, ut aut faciat quid, aut licentiam diversum faciendi certa multa redimat, (vid. pacta nuptialia inter Carolum Walliæ Principem, & Henriettam articulo 23. apud *Grammondum hist. Gall. l. 16.*) poena haut quidquam à crimine purum istum præstiterit; uti infra latius ostendemus. Sic qui fustigationem sustinuit non minus jure fir cluet, quam cum adhuc tergum à virgis intactum gestaret.

§. 24. Quæ super dispensationibus & relaxationibus juramentorum, & ex parte votorum solent disputari, ex duobus fere principiis possunt definiri. Quorum primum est: qui habet in alterius actiones & res imperium, in ejus præjudicium non potest à subjecto aliquid disponi, & ubi id factum fuerit, isti idem rescindere licet. Alterum; qui in aliquem habet imperium, potest subjecti etiam quæsitæ jura, magisque adhuc quærenda, temperare & circumscribere, prout ex usu esse videbitur. Ex quo illud adparet, superiorum actus hoc quidem efficere non posse, ut jusjurandum, quatenus vere fuit obligatorium, non sit præstandum, i. e. juramentum, quod in se nullo laborat vitio, factumque fuit super re, de qua in jurantis arbitrio est pro lubitu disponere, à superiore non posse rescindi. Sic juramentum, quod *Regulus Poenis* dederat super reditu, non poterat à *Senatu Romano* rescindi. Etsi & alia ratio erat, quod *Regulus* esset servus

servus Carthagenſium, in quem Romani nihil poteſtatis amplius obtinebant. Verum ubi juratum fuit ſuper rebus & actionibus, quæ directioni ſuperioris ſubſunt, juramentum à conſenſu expreſſo aut tacito ſuperioris vim mutuabitur, qui illud irritum declarare poteſt, ubi idem ipſi diſplicuerit. Nec ullum heic perjurii periculum eſt metuendum, ſi hoc modo reſciſſum fuerit juſjurandum. Nam à ſubjecto adprobatio ſuperioris tanquam conditio fuit ſuppoſita. Neque ſuperior heic reſcindendo peccat, quia ſuo jure utitur, dum non concedit, ut actu ſubjecti poteſtas ſua aliquid detrimenti capiat. Perinde autem irritum eſt juramentum, ſive ſuperior in anteaſſum denunciet, ne ſuper certis rebus juramentum concipiatur, ſive ubi juratum eſt veret, ne impleatur. Et ſi priori caſu grayi ſe peccato obſtringat ſubjectus temere contra interdictum jurando. Hinc lege Ebraeorum *Numer. 30.* pater poterat reſcindere vota jurata filiarum familias, maritus uxoris, dominus ſervi, ſi videretur. Alias enim hi vovendo & jurando iſtius poteſtatem potuiſſent reddere inutiliſſimam. Imo refert *Leo Mutinensis de ritibus Hebraicis part. 2. c. 4. §. 4.* ſi quis votum, aut juramentum fecerit qualecunque, eumque bona ex ratione poenitentia ſubierit, neque in præjudicium tertii id cedat, poſſe ipſum ab uno Rabino aut tribus aliis viris, deducta & adprobata retractati voti ratione, abſolvi. Sic & in *cap. 19. X. de jurejurando* dicitur, *in jurejurando debere intelligi juſ ſuperioris exceptum.* Add. *tit. 55. l. 2. feudorum.* Potest & hoc modo vis juramenti, à ſubjecto præſtiti, à ſuperioris arbitrio ſuſpendi, ſi ſuperior ita conſtituat; id quod inferior certo caſu juraverit ita demum valiturum, ſi ab ipſo adprobetur. Patet autem heic relaxationem juramenti non poſſe fieri, niſi ab eo, qui in jurantem habet imperium, & in cujus imperio iſthæc poteſtas eſt comprehenſa. Unde eandem quondam recte exercuerunt Principes Romani, uti patet ex *l. ult. D. ad municipalem.* Ubi Imp. Antoninus & Verus gratiam alicui fecerunt juſjurandi, qui juraverat, ſe ordini non interfuturum, & poſtea duumvir creatus erat. Scilicet quia civis juramento ſuo non poteſt miniſteria ſua reip. requirenti ſubtrahere. Sic apud *Svetonium Tiberio c. 35.* Tiberius equiti Romano juſjurandi gratiam fecit, ut uxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe nunquam antea repudiaturum juraverat. Declarabat quippe Princeps, ad iſtum caſum extendi juramentum non poſſe, quo ipſa tam foedo crimine indignam cohabitatione

sefe reddiderat. Sed post Christiani Principes cognitionem super relaxatione juramentorum saepe Episcopis delegavere, quo apud simpliciores opinio de istorum sanctitate si quid scrupuli oriretur demere posset. Quamquam quousque istam concessionem Episcopi, & praecipue qui principem inter istos locum praetendit Romanus, extenderint, quidque mali orbem Christianum eo ex abusu inundarit, notorium est. Et sane cum ex principiis juris definiendum sit, quamnam juramenta, & quibus de causis relaxari possint; nescio qua de causa sacerdotes praestis sibi quid autoritatis heic arrogare queant. Sed & ubi ex persona jurantis non potest irritum declarari juramentum; poterit tamen ejusdem effectum elidere superior ejus, cui ex juramento jus est quaesitum, si jus istud ipsi auferat, aut vetet, ne quid ex juramento accipiat. Idque vel poenae nomine, vel ob utilitatem publicam ex vi dominii supereminens. Quo casu jurans à perjurii periculo immunis est, quia per ipsum non stat, quo minus illud impleatur, & praestandi necessitas ipsi remittitur ab eo, cui jus directe aut eminenter quaesitum fuit. Conf. *Grotius* d.l. §. 20. Et *ad Matth.* c.V. v. 37. Caeterum Princeps, qui justa de causa juramentum relaxat, hautquidquam peccat, quod effectum subtrahit actui, super quo nomen divinum fuit invocatum; etsi quandoque peccare potuerit subditus, quod temere nomen Dei invocaverit circa actum, quem superioris juri praesudicare nosse debebat.

CAPUT III.

DE FACULTATE HUMANI GENERIS

IN RES.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Magna pars juris occupatur circa res.</i> | 4. <i>Dubia circa cadem & esum animalium;</i> |
| 2. <i>Deo volente aliis creaturis homo utitur.</i> | 5. <i>Qui tamen defenditur.</i> |
| 3. <i>Vegetabilia homo citra injuriam consumit.</i> | 6. <i>Abusus juris in bestias reprehendendus.</i> |

EA est constitutio humani corporis, ut ex intrinseca sua substantia conservari nequeat, sed adsumtis quibusdam extrinsecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quae ipsius compagem eunt destr-

structum, muniatur. Quin & eò plurimæ res homini inserviunt, ut commodiorem & molliorem isthanc vitam queat degere. *Hesiodus Op. & Dier. l. 2. χήματα γὰρ ψυχῆ πλείον' δειλοῖσι βροτοῖσι. Opes enim anima sunt mortalibus.* Istarum intuitu rerum plurima hominibus invicem negotia intercedunt, & multis controversiis atque litibus occasio præberi potest. Quæ ne tranquillitatem humani generis turbent, & naturali lege cavetur, & civiles leges plerorumque populorum heic maxime deprehenduntur sollicitæ. Quæ omnia ut rite evolvantur, primo loco erit dispiciendum, quo jure mortalium genus res alias, atque animalia in usum suum, aut commoditatem voluptatemque disponat; & quidem quo fundamento illa facultas nitatur in ordine tum ad ipsum Creatorem, tum ad ipsas res, quibus homo non solum utitur, sed & iis sæpe abutitur, easdemque consumit.

§. 2. Deus igitur O. M. cum universi hujus sit creator & conservator, sine dubio etiam summum velut dominium in res omnes obtinet, illæque ita arcte ad ipsum pertinent, ut eo invito nemo juris quid in easdem queat prætere. De quo dominio Dei prolixè agit *Philo Judæus libro de Cherubim*, ejusque intuitu jus hominum in res *usum-fructum* duntaxat vocat. Quia tamen ipse nulla re extra se indiget, neque per alias res ipsius beatitudini ulla potest accessio fieri: inde sua ipsum bonitas facilem esse subegit, ut creaturis suis ex se invicem utilitatem capere concederet. Cum primis autem erga humanum genus eousque benignum sese exhibuit, ut tralatitium sit, à Deo omnes creaturas in usum hominum conditas. Etsi jus Dei in res ab eo jure, quod hominibus in easdem competit, plane differat. Sic ut vanum sit *Dio-genis Cynici* ratiocinium apud *Diogenem Laërtium*: *Omnia deorum sunt: diis autem amici sapientes sunt: sunt autem amicorum cuncta communia: omnia igitur sapientum sunt.* Nimis tamen arroganter illi, qui jactant, secuturum, frustra quædam esse, si usum nullum homini præstarent: & ex hoc ipso constare, totius generis humani communia cuncta esse, ita ut totum genus humanum dicere possit, hoc est meum. Uti etiam *Aristoteles Polit. l. 1. c. 5.* tradit: *εἰ δὲ ἡ φύσις μὲν, μήτε ἀτελες ποιεῖ, μήτε μάλιστα, ἀναγκάων ἢ ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα ποιηκίνας τὴν φύσιν.* Si igitur natura nihil neque imperfectum facit, neque frustra; necesse est, hominum causâ hac omnia fecisse naturam. *Lucianus Prometheus:*

Nisi

Nisi fierent homines, jam futurum erat, ut omnia cunctarum rerum decor esset sine teste, & opes nostræ ne à nobis quidem ipsi haberentur in pretio. Sane enim longe compendiosius machina mundi adornari potuisse videtur, si nihil fuerat creandum, nisi quod usum homini præberet. Nec male *Seneca de ira*, l. 2. c. 27. *Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* Add. *Charron de la Sageſſe* l. 1. c. 40. n. 3. 4. 5. Sed quicquid hujus sit, id sane constat, volente Numine aliis creaturis hominem uti; idque intelligitur ex eo, quod sine usu istarum hancce vitam homo conservare nequit, quarum quædam velut ultro sese ipsi præbent. Cum autem vitam homini indulserit Deus, intelligitur quoque concessisse usum illarum rerum, sine quibus donum ipsius conservari nequit. Add. *Arriani Epictetus* l. 1. c. 16. *ab initio.* Accedit quoque autoritas Sacrarum literarum, quæ expresse tradunt, à Deo homini facultatem indultam non solum in vegetabilia, sed & in animantia, in cœlo, terra, ac mari nata. *Genes.* l. 28. 29. Quæ tamen concessio non habet vim præcepti, sed indulgentiam duntaxat privilegii, quo quis uti, quousque libet, potest, nec ad omnimodum ejus exercitium tenetur. Alias enim peccaret homo in legem divinam, si animal quodpiam liberum dimitteret, aut occasionem idem in potestatem redigendi negligeret. Id quod nemo sanus dixerit. Et si facultas illa hominis in bruta diversæ indolis sit ab imperio, quod in homines exercetur: quia illi in brutis non respondet obsequium velut ex obligatione profectum, simulque eadem longe magis absoluta est, quam imperium in homines. Quod esu quorundam animalium Judæis divinitus interdictum erat, id ad diminutionem juris hominum in bestias haut quidquam pertinet; cum ratio istius præcepti ex medicina videatur desumpta. Cæterum ex sententia antiquorum Ebræorum *Seldenus* l. 7. c. 1. refert: Adamo fuisse interdictum esum carniæ, (nam illum herbis agro nascentibus vesci Deus jubebat;) sed Noacho eundem post concessum, *Genes.* IX. 3. ita tamen, ut abstineret à sanguine, & à membro, quod vivo animanti fuisset resectum. Add. *Deuteron.* XII. 20. Adjungit tamen *Idem*, sanguinem piscium non fuisse prohibitum, imò & vivos comedere licuisse, uti ostræa solent; sed & sponte mortuos: quorum neutrum erat licitum circa animalia terrestria, quæ neque viva, neque sponte mortua comedi debebant.

§. 3. Quod si autem consideremus illam facultatem humani generis in ordine ad ipsas res & animantes, quibus homo utitur & abutitur; sane quod illud cum ipsarum injuria non sit conjunctum, argumento esse potest tum hominis natura, tum Creatoris concessio. Neque enim probabile videtur, ab optimo & sapientissimo Creatore homini, primariæ inter terrenas creaturæ, talem injunctam necessitatem, ut seipsam citra alterius injuriam, quæ utique non potest non peccato esse sociata, conservare nequiret. Accedit expressa concessio divina, quæ nihil scrupuli relinquit, quod ex cæde potissimum animantium oriri poterat. Quæ si quid immanitatis habere videtur, hoc solo sufficienter tollitur, quod ejusmodi ipsis conditionem Creator assignaverit; ac eam facultatem mortalium genti attribuerit, quo sive à Creatore delegato, sive concessio si utantur, injuriam non faciunt. Cæterum super vegetabilibus, aliisque; sensu destitutis nihil videtur difficultatis esse, quod deprehendi non possit, illis, dum ab homine consumuntur, ægre fieri; præsertim cum vel ab aliis bestiis, aut brevi tempestatum anni lapsu sint corrumpenda, ac multa eorundem citra hominis operam non fuerint proventura. Nam superstitionem Ægyptiorum, circa abstinentiam à certis oleribus nihil moramur. Vid. *Diodor. Sicul.* l. I. c. 89.

§. 4. Enimvero circa animantia, queis sensus sui est, ac vita cum cruciatu relinquitur, non omni dubio res multis carere visa est, qui ex sola ratione licentiam hominum in bruta considerarunt. Neque enim, quia primo mortalium in animantia dominari concessit Creator, liquido statim consequitur; infinitam licentiam simul indultam, ut ista etiam ob usum non necessarios posset occidere. Add. *Grotius ad Genes.* c. IX. 3. *Seldenus de J. N. & G.* l. VII. c. I. Dominatur etiam homo homini, in quem tamen ejusmodi licentiam exercere haut quidquam potest. Neque queri homines potuissent, parcam in se fuisse divinam indulgentiam, aut necessitatibus suis maligne præspectum, licet potestas in vitam animalium, saltem noxam vitæ humanæ non intentantium, denegata iisdem fuisset. Quippe cum opera eorum in colenda terra, ac quæ alias ex iisdem proveniunt, puta, lac, ova ad speciei propagationem non necessaria, lana, & similia sufficere hominibus ad tolerandam vitam potuissent. Neque statim ex eo, quod in signum cultus divini immolare ea juslit Deus, homo in escam eadem pro lubitu vertendi accepit potestatem. Quæ enim pe-

U u u

culiati

τιτα ἀδύνατον. Et hic quidem erat prae textus. Revera autem animatis abstinere iussit, exercens atque assuefaciens mortales ad faciliorem victum, ut cibos semper parabiles haberent, quibus igne ad coquendum opus non esset, quique aquam simplicem biberent. Hinc & sanitatem corporis, & ingenii acumen provenire. Et si Lucianus in Somnio seu Gallo, ipsum jam in gallum mutatum hanc sui dogmatis rationem reddentem introducat; ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ, ὅτι ἐστὶ τὸ λατρεῖν καὶ λατρεῖν τοῖς πολλοῖς νομιζοίμην, ἢ κίσα ἑπαινοῦμαι ἢ ἀνδραγαθία ἐστὶ δαίμων: ὅσω ἢ ἀνελίξομαι, τοσούτω κατότερον ὁ ἄνθρωπος αὐτοῖς ἔσται. Verum animadvertēbam, si consuetudo modo, ac eadem, quae vulgo traduntur à multis, praecepissem, non fore ut mortales in admirationem adducerem, sed quo peregriniora, magisque aliena proposuissem, futurum ut hoc magis novus, magisque viderer admirandus. Add. Jo. Schefferus de philosophia Italica c. 14. Plutarchus in Gryllo. Homo gula studio ad omnia se ferens, omnia tentans, omnia gustans, ut sui & naturae ipsius convenientis ignarus etiamnum nutrimenti, solus inter omnia animalia omnibus vescitur. Primum utitur carnibus, nulla cogente inopia, nulla penuria: cum liceat ei quovis tempore alios è seminibus & plantis decerpere cibos, multitudine nunquam defectura. Sed luxuria & satietate necessariorum, alienas & pollutas cadibus animalium escas sectatur, immanitate etiam sevirissimas vincens feras. Sanguis enim & caedes ac carnes milvo, lupo, draconi convenientes sunt cibis, homini autem obsonium. Idem inter multa alia orat. 2. de esu carniū: Ab initio ferum aliquod & noxium animal devoratum fuit: deinde avis aliqua aut piscis, donec his condoce facta & gustui adsveta libido ad bovem operarium progressa est, & ovem, quae nos ornat, custodemque domūs gallum. Itaque paulatim inexpletam roborantes aviditatem in caedes hominum, & bella sunt delapsi. Aratus Phaenomen. Polluit & taurus mensas, affoetus aratro. Add. Plinius l. 8. c. 45. & Valer. Max. l. 8. c. 1. inter damnatos n. 8. Svetonius Domitiano c. 9. Aelianus V. H. l. V. c. 14. Dio Chrysostomus orat. 64. p. m. 592. Cicero de Nat. Deor. l. 2. De Phrygiibus Nicolaus Damascenus: si quis apud eos bovem aratorem interfecerit, aut agriculturae instrumentum surripuerit, morte multatur. Incolis quoque regni Calecuti boves eadem sanctimonia haberi refert Aloys. Cadamustus navigat. c. 57. 60. Et Nomades tauro & vaccæ, nec non arieti & ovi parentum vocabula indiderunt, quod alimenta vitæ quotidiana ab istis proveniant; Diodorus Siculus l. 3. c. 32. De Brachmanibus Strabo l. XV. carnibus vescuntur animalium, quae hominem ad opera non adjuvant.

Idem fere de Japoniis refert *Bern. Varenius in descript. Japonia* c. 23. Qui & sanguinem averfari dicuntur in cibis, nec minus lac, quod hoc nihil aliud, quàm sanguinem album esse putent. Obiter quoque notari possunt, quæ apud *Plutarchum Symposiac.* l. 4. c. 4. disputantur, *justissimum esse obsonium, quod è mari petitur.* Nam ut cum terrestribus nullum aliud jus nobis intercedat, saltem iisdem aluntur rebus, aëremque, lavacra, potum indidem unde nos hauriunt, & pudorem jugulata incutiunt miserabili voce: tum pleraque nobis familiaria convictu facimus. Marinum verò omnino à nobis alienum genus, & quasi in alio mundo natum, educatumque vivit: neque vox ulla, aut aspectus, aut ministerium ab eorum cæde nos revocat. Nullus enim nobis est usus ejus animalis, quod ne vivit quidem apud nos. Sed quem nos incolimus locum, ipsis est tanquam Orcus. Nam in eum simul atque pervenere moriuntur. Contra tamen Pythagoræi ex animalibus maxime pisces pro cibo averfabantur; in cujus rei rationes prolixè inquiritur apud *Eundem Sympos.* l. 8. c. 8. (Sic de Caledoniis refert *Xiphilinus epit. Dionis in Severo*, quod pisces, ut ut maxima eorum apud ipsos copia fuerit, non gustarint.) Inter alias adfertur & hæc; quod *reliqua animalia utcunque maleficio causam necis hominibus præbent; pisces neque injuria nos adficiunt, neque afficere possunt.* Et quæda n ideo mactanda fuisse, ne nimia eorum multitudo victum hominibus præriperet, uti sunt cuniculi & gallinæ. Sed pisces, in alio velut orbe natos, nullam adversus se præbere occasionem; sed per solam gulæ impotentiam homines in eos concitari. Cum primis verò operosus est *Porphyrius libris IV. ἀείδειν*, ut ostendat, abstinentiam à carnibus competere maxime philosophis, qui suam felicitatem ex Deo, & ejus imitatione adstruunt. Inter plura argumenta, quæ jam fere exposita sunt, late satagit demonstrare, omnem animam, sensu & memoria præditam, esse participem rationis; idque cum in aliis animalibus deprehendatur, ad hæc quoque justitiam, quæ in non lædendo citra causam justam maxime consistit, porrigendam. Manifestum autem argumentum rationis in brutis esse, quod eadem rabie ac furore corripiantur. Hodie quoque *Benjani in Cambaja*, quod credant animas hominum post mortem in bestiarum corpora transire, nulli animalium noxam aliquam inferunt, neque comedere ea audent; quin xenodochia etiam, avibus ægrotantibus & mutilatis ædificata, habent. Add. *Abrab. Rogerius de Braminibus part. I. c. 1. & 18. Phil. Baldeus in descript. ins. Ceylon* c. 47. refert: Bramines etiam Christianam

stianam fidem cōversos genus vivendi suum retinere; & si opponatur illis, mundis omnia esse munda, ipsos regerere; *regnum Dei non consistere in cibo. & potu; se mollibus istis cibis assuetos, eaque diata bene sibi esse.* Apalchitæ olim nec carnes nec pisces comederunt, antequam ab Europæis hoc discerent. *Rochefort descript. Antill. part. 2. c. 8.*

§. 5. Enimvero et si quæ in hisce argumentis ad temperantiam & frugalitatem colendam tendunt, & ne pingui nimis pabulo subtiliores spiritus oblimentur, merito probanda sint: nullum tamen piaculum cæde & esu animantium admitti etiam rationibus sufficienter ostendi potest. Quas inter præcipua videtur, quod nullum hominibus brutisque jus, nullaque obligatio invicem intercedat, nec per naturam intercedere debeat. Nam neque lege naturali pro imperio nobis injunctum deprehendimus, ut cum brutis amicitiam & societatem colamus; neque illa obligationis ex pacto oriundæ adversus homines sunt capacia. Ex quo defectu communis juris sequitur velut status belli inter eos, qui se mutuo lædere possunt, & probabilibus de causis velle posse intelliguntur. Quo in statu cuique facultas est, alteri, quicum ipsi bellum, inferendi, quæ ex usu suo videbuntur. Et si hic status belli cum brutis multum differat ab illo bello, quo homines aliquando colliduntur; quod neque est universale, aut perpetuum, neque ad omnem licentiam promiscue se extendit. Et hic quidem status in immanibus belluis clare elucescit, quæ occasione data in ipsos quoque homines sæviunt; queis si quis parci velit, deteriore hos conditione, quam illas esse, postulet. Cicures vero animantes usui se hominibus præbent non ex aliqua obligatione; sed vel illecebra victus captæ, vel vi coërcitæ: quam ubi removeris, mox in libertatem suam abibunt, aliquæ etiam in ipsum hominem insurgent. Nonnullorum quoque nimia multitudo accidenda, ne hominibus ipsis angusta & maligna fiat habitatio. Vid. *Exod. XXIII. 29. Deuteron. VII. 22. Add. Gassendus Syntagm. Philos. Epicuri. part. 3. c. 27.* Frustra autem sunt, qui negant ex defectu communis juris inter homines & bruta sequi, quod homini liceat lædere, & comedere bruta. Licet enim injuria non fiat brutis, posse tamen injuriam fieri eorum Creatori, nisi de hujus consensu constet, aut etiam dominis brutorum. Enimvero inanis ista est exceptio. Nam ex eo ipso, quod Creator jus commune inter hominem

& bruta non statuit, satis colligitur, eidem non fieri injuriam, si ab homine brutra lædantur, quia talem statum inter hominem & bruta ipse fecit. Aliud porro est quærere, an homo bruto faciat injuriam, aliud an homo occasione aut interveniente bruto alteri homini injuriam faciat? Prius tantum hoc argumento negatur, posterius non item. Neque illud nihil ad rem facit, quod cum alias innocuæ bestiæ rapacium prædæ atque lanienæ sint expositæ, melior potius, quam deterior illarum reddatur conditio per hoc, quod homines tantum in eas potestatis exerçant; quippe qui & de pabulo ipsis velut in compensationem cædis prospiciunt, & contra incurfus belluarum easdem defendunt. Communi autem jure hominem cum brutis non connecti, ab aliis dudum ostensum. Quæ ipsa, (ut hoc obiter addamus,) causa quoque est, quare dominium in ordine tantum adversus alios homines effectum habeat, non item adversus bruta; quippe quæ, quando res nostras depascuntur, injuriam nobis non faciunt. Sic *Matth. VI. 26.* Deus dicitur alere aves, etiam quando nostro labore productum frumentum consumunt. Et si dominus pecorum quandoque nobis injuriam aut damnum det, quando ista nostram segetem depascuntur, quod eadem non melius custodiverit. Eodem tamen quasi jure, quo bestiæ nostra invadunt, nos easdem inde repellimus.

§. 7. Quin tamen abusus hujus facultatis, & præcipue qui cum stolidi immanitate est conjunctus, reprehensione dignus sit, dubium non est. Nam uti singularum civitatum interest, ne quis re sua male utatur; ita & in detrimentum universæ mortalium societatis, & in contumeliam Creatoris, qui tanti muneris est auctor, vergit, inutiliter & petulanter ista perdidisse. Quo facit, quod Deus apud Judæos quietem diei septimi expresse jumentis indulgendam jussit. *Exod. XX. 10. XXIII. 12. Deuter. V. 14. Add. Deuter. XXV. 4. 1. Corinth. IX. 9. Numer. XXII. 28. 32. Proverb. XII. 10.* Conf. quoque *Deuter. xx. 19. Roman. VIII. 19. seqq. Plutarch. orat. I. de esu carniæ* tradit, Athenienses pœnam ab eo exegisse, qui vivo arietis pellem detraxerat. Sic & Pythagorici ἦ ὑπὸς τὰ θηρία παραύτητα μελέτων ἐπὶ τὴν ἄνθρωπον ἔφιλονεικίοντες καὶ φιλοκτίριμοι. *Manſuetudinem erga bruta fecerunt meditationem amoris & misericordiæ erga homines. Porphyrius l. 2. de abſtinentia.* Sed nec plane de nihilo est, quod Mentius, Sinensis Philosophus monuit apud *Martinium historia Sinical. V. Tenui macula retibus ad piscatum rex uti ne permittat; ut magnitantum capiantur*

tur pisces, data elabendi facultate minoribus, qui procedentibus annis affatim succrescentes, omnibus ac semper sufficient. Item, gallinas, porcos, animantiaque reliqua nemini mactare liceat, antequam adoleverint. Ita hominibus facile suppeditabunt carnes, quis vescantur. Ex hoc dicto manavit usus, ut animalia non mactentur à Sinis, nisi præfixam à natura crescendi cuique metam attigerint. Conf. Deuteron. xxii. 6. 7. Cui conspirat illud Phocylidis: μηδέ τις ὄρνιθας καὶ ἰὺς ἀμα πάντα ἐλίετω, μητέρα δὲ ἐναπολιπῆς, ἢ ἐχὺς πάλι ἴσθαι νοτίε. Neque quis aves è nido simul omnes auferat; Sed matrem relinquant, ut rursus ex ea habeas pullos. Memoratum quoque dignum est illud factum Alexandri Severi apud Lampridium: Cum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putarent? illi continuo exclamaverunt, carnem bubulam atque porcineam. Tunc ille non quidem vilitatem proposuit; sed iussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactentem; ne quis vaccam, ne quis damalionem; tantumque intra biennium, vel prope annum porcine carnis fuit, & bubula, ut cum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur.

CAPUT IV. DE ORIGINE DOMINII.

- | | |
|--|--|
| 1. Proprietas & communio sunt affectiones morales. | 8. Antiquorum super origine dominii sententia. |
| 2. Quid communio & proprietas? | 9. Sententia Grotii expenditur. |
| 3. Eadem non nisi inter plures uno locum habet; | 10. 11. 12. 13. Argumenta eorum, qui communionem primævam oppugnant. |
| 4. Et immediate fluit ex conventionem hominum. | 14. Quo sensu dominium dicatur juris naturalis? |
| 5. De communione primæva. | 15. Quatenus infantes sint capaces dominii? |
| 6. Ab eadem quo ordine discessum? | |
| 7. Ea; res utilis humano generi fuit. | |

ENimvero ut facultas illa humani generis in res effectum inciperet obtinere in ordine ad alios homines, (eminentissimo enim juri Dei nulla hominū proprietas opponi debet. Vid. Euripid. Phœnissis v. 558. Add. Levitici xxv. 23.) seu ut ex indefinito illo jure dominium fieret, per quod res aliqua ad hunc & non ad alium pertinet; id ex alio principio pro-

profluxit. De quo antequam agamus præmittendum est; proprietatem & communionem esse qualitates morales, quæ ipsas res non physice & intrinsece afficiant, sed effectum duntaxat moralem producant in ordine ad alios homines: easque qualitates, uti reliquæ ejus generis, incubula sua ad impositionem referre. Unde inepte quaeritur; utrum proprietates rerum sit à natura, an verò ex instituto? Nam manifestum est, eandem provenire ab impositione hominum; ac sive accedat rebus proprietates, sive detrahatur, physicam earundem substantiam nihil mutationis sentire.

§. 2. Deinde accurate expendendum, quid sit communio, quid proprietates sive dominium. Communionis vocabulum accipitur vel *negative*, vel *positive*. Illo modo communes res dicuntur, prout considerantur, antequam ullum extiterit factum humanum, quo peculiariter ad hunc magis, quam ad illum pertinere declarentur. Eodem sensu etiam ejusmodi res dicuntur *nullius*, sensu magis negativo, quam privativo, i. e. quod nondum certo alicui sint assignata, non quod certo alicui assignari nequeant. Vocantur etiam res in medio quibusvis expositæ. Communes autem res in altero significato à propriis differunt in eoduntaxat, quod hæ ad unam personam; illæ autem ad plures eodem modo pertineant. Est porro proprietates seu dominium jus, quo alicujus rei velut substantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad aliam hominem. Sunt enim dominium & proprietates nobis unum & idem. Et si aliqui proprietatem jus ab usufructu se junctum & separatum dicant; dominium verò, si ei usufructus conjunctus sit; quod discrimen tamen non perpetuo observatur. Sicut & illi nimis quam subtiles, qui per proprietatem intelligunt rem ipsam sub ista qualitate, qua ad me & non ad alium pertinet; per dominium vero jus de re ista libere disponendi, quod veluti effectus ex proprietate proveniat, ita ut dominium in sit personæ, proprietates vero in esse potius videatur rei. Vid. Ziegler. *ad Grot.* 1. 2. c. 2. §. 1. Ubi id falsum, dominium esse velut effectum proprietatis; cum potius, si quis omnino ista sic velit distinguere, inverso modo sese res habeat. In homine enim proprie istud jus inhæret, ex quo res quoque ipsa denominationem quampiam extrinsecam fortiuntur. Idque vel inde satis intelligitur, quod jure illo una cum homine extincto, res propriæ esse desinunt, citra ullam substantiæ suæ aut qua-

qualitatum physicarum mutationem. Cæterum ea est vis dominii, ut de rebus, quæ tanquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ab earundem usu quosvis alios arcere possimus; nisi per pacta jus singulare à nobis sibi quæsierint; utque adeo dum nostræ sunt, eodem modo alterius in solidum esse nequeant. *Eodem modo* inquam; nam & nihil impedit, & usitatissimum est, eandem rem pro diversis habendi modis ad diversos spectare. Sic in eundem fundum civitas dominium habet eminens, dominus fundi directum, emphyteuta utile. Additur quoque *in solidum*. Nam & plures eandem rem eodem habendi modo tenere possunt, non tamen in solidum, sed pro rata quisque parte. Quod contingit in iis bonis, quæ indivisim possidentur à pluribus, eodem dominii genere circa eandem rem concurrentibus. Cæterum proprietas interdum in plures velut particulas discerpta deprehenditur, aut, si quis ita loqui malit, plures habere gradus intelligitur. Ita enim passim distinguitur dominium in *plenum*, & *diminutum*. Illud vel est conjunctum cum dominio, quod vocant, *eminente*, quo modo civitates, aut earundem capita bona sua possident: vel ab isto disjunctum, quod etiam *vulgare* vocant, quo quis plenam de bonis suis disponendi facultatem habet, nisi quatenus à legibus civilibus eorundem usus dirigitur. Diminutio autem dominii ita potest fieri, ut vel restringatur ipsius duntaxat *exercitium* sive administratio, vel ut de dominii *emolumento*, vel denique etiam de ipsa *proprietate* aliquid decedat. Prius contingit, quando pacto, testamento, aut legis autoritate, tum ob conditionem personarum, tum ob qualitatem rerum, tum alias ob justas causas rerum alienatio interdicitur, aut certis limitibus circumscribitur, ut nihil tamen juris in re aliis inde accedat. Add. testamentum Theophrasti apud *Diogenem Laërtium* l. 5. Emolumento dominii aliquid decedit, si vel usufructus rei nostræ sit penes alium, extra contractum commodati, aut locationis, vel aliàs nostra res alteri usum quempiam per modum servitutis exhibere debeat. Denique ipsa proprietas tum restringitur, quando alteri cum plenissimo jure utendi fruendi concessum est aliquo modo jus rem ipsam alienandi, conjunctum cum quadam perpetuitate. Ubi qui retinet proprietatem ita restrictam, & superiorem in re potestatem, dicitur habere dominium directum; qui vero cum jure utendi fruendi concessio dicto modo participat de proprietate, dicitur habere ipsius rei ita sibi concessæ domi-

nium utile. Conf. *Struvius syntagm. exerc. XI. th. 55. Seneca de beneficiis* l. VII. c. 12. *Non est argumentum, ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius. Tuum enim est, etiam quod sub certa lege tuum est.* Quo loco & hoc obiter observari potest, quænam limitatio sit addenda vulgatæ illi JCtorum regulæ; res sua non potest alicui magis reddi sua. Ex qua concludunt, neque pignus, neque depositum, neque emtionem, neque locationem suæ rei sibi ipsi factam posse consistere. Item, inutile esse legatum, si quis rem legatarii ipsi legaverit. Item, neminem rem suam futuram in eum casum, quo sua sit, utiliter stipulari, & similia. Scilicet nisi fors modus habendi diminutus in pleniorē evchatur. Sicuti & false in Hermocratem quendam avarum ludit *Lucillius in antholog. l. 2.* eum in testamenti sui tabulis seipsum suorum bonorum hæredem scripsisse. Porro cum eadem res haberi possit vel ab uno in solidum, vel à pluribus pro indivisa, ita ut singuli pro rata parte in ea re par jus habeant: inde fit, ut hoc respectu res dividantur in proprias & communes, in posteriori significato, quo eadem res indivisim ad plures eodem dominii genere pertinet. Ist hæc communitas à proprietate differt non quoad modum aut vim dominii; (idem quippe pluribus in rem communem juris, quod uni in propriam, & uti proprietas rei alicujus, ad unum spectantis, quorumvis aliorum jus æquale in eam rem excludit; ita quoque à re communi excluduntur omnes alii, qui sunt extra illos, queis res dicitur communis:) sed quoad pertinentiæ terminum duntaxat, quod res propria ad unum hominem, communis ad plures spectet. Quorum cum nullus jus obtineat, velut in totam rem sese extendens, sed quod in partem duntaxat rei, verum indivisam, valeat: patet sane, unum non posse suo jure de tota ista re disponere, sed pro rata; ac si de tota re aliquid statuendum sit, singulorum, ad quos ea spectat, consensum & autoritatem requiri. Caterum communionem negativam cum positiva confuderunt *Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 1. ab init. Felden ad Grot. d. l. §. 2. Bæcler. ad Grot. d. l. p. 47.* Propter quam confusionem multa argumenta in hujus materiæ disceptatione in ventum effunduntur; uti infra patebit. Non in super quoque habenda sunt, quæ super diversis generibus communionis tradit *Seneca de beneficiis* l. VII. c. 12. *Non mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit, pars illius: sed quomodo patri matrique communes liberi sunt: quibus cum*
duo

duo sunt, non singuli singulos habent, sed singuli binos. Equeſtria omnium equitum Romanorum ſunt, in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupavi. Hoc ſi cui ceſſi, quamvis illi communi re ceſſerim, tamen aliquid dediſſe videor. Quadam quorundam ſub certa conditione ſunt. Habeo in equeſtribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem: in hoc tantum, ut ſpectem. Propterea non mentiar, ſi dicam, me habere in equeſtribus locum: ſed cum in theatrum veni, ſi plena ſunt equeſtria, & jure habeo locum illic, quia federe mihi licet; & non habeo, quia ab his, cum quibus jus mihi loci commune eſt, occupatus eſt.

§. 3. Patet autem ex hiſce, tam communionem poſitivam, quam proprietatem innuere excluſionem aliorum ab iſta re, quæ communis aut propria dicitur, adeoque illam plures uno homines in mundo præſupponere. Unde quemadmodum ſi unus tantum homo in mundo exiſtiſſet, nequaquam res poterant dici ipſius propriæ: ita abſ quarum rerum uſu nemo hominum eſt excluſus, ſeu quæ non magis ad hunc, quam ad quemvis aliam ſpectant, communes in priori, non in poſteriori ſignificatu dicendæ ſunt. Maniſteſtum eſt autem ex hiſ, quatenus Adamo, quamdiu ipſe ſolus in terris exiſtit, dominium in res poſſit tribui. Scilicet eſt propter vaſtitateſ terræ, & modicam ipſius neceſſitateſ, exiguam duntaxat rerum particulam ad uſus ſuos adplicare opus habebat; tamen nullum alterius jus obſtabat, quo minus, ſi voluiſſet, aut commode potuiſſet, quicquid daretur rerum in uſus ſuos arriperet. Igitur jus Adami in res diverſum fuit ab illo dominio, quale jam eſt inter homines conſtitutum; quod quis vocare poſſit dominium indefinitum non formaliter, ſed ceſſive, non actu ſed potentia. Idque eundem obtinebat effectum, quem jam dominium, rebus nempe pro lubitu utendi; dominium tamen proprie loquendo non erat, quod nullus præterea homo tunc exiſteret, adverſus quem effectum id exfereret: hominibus autem poſtea ſubnatis in dominium tranſire poterat. Adeoque Adamo, quamdiu is ſolus exiſtit, neque propriæ neque communes res fuerunt: Nam communitas involvit ſocium poſſeſſionis; proprietas autem connotat excluſionem juris alterius ad eandem rem; ſic ut utraque non poſſit intelligi, niſi poſtquam plures uno homines cœperunt exiſtere.

§. 4. Observandum porro & hoc accurate, concessionem Dei, qua hominibus indulgit usum rerum terrestrium, non esse immediatam causam dominii, prout illud effectum habet in ordine ad alios homines; (cujus indicium etiam est, quod bruta animalia, Deo utique volente, utantur rebus, easque consumant; inter quæ tamen nullum dominium:) sed id omnino præsupponit factum humanum, & pactum aliquod tacitum vel expressum. Equidem concessit Deus homini, terram, terraque nascens, & animalia ad usum & commoditatem suam adplicare, seu indefinitum ad ista jus hominibus dedit: modus tamen hujus potestatis, ejusque intensio & extensio arbitrio ac dispositioni hominum fuit relicta: scilicet certis, an vero nullis limitibus eam circumscribere; item an cuilibet in quælibet, aut certam duntaxat rerum partem eandem velint competere, an vero suam cuilibet assignare portionem, qua contentus in reliqua nihil juris præterequeat. *Ambros. Off. l. i. c. 28. Natura omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quedam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum.* Add. *Seldenus de J. N. & G. l. VI. c. 1.* Unde frustra disputatur, an Deus protoplastis dominium in res dederit, tanquam personam totius humani generis sustinentibus, an vero idem his peculiariter, & tanquam individuis assignaverit, ut ipsi proprio jure essent domini totius orbis, quibus reliqui mortales dominia sua in acceptis referrent? Nam concessio illa divina homines tantum reddebat certiores de indulgentia Numinis adversus se, quodque volente ipso creaturas alias in usum atque servitium suum disponerent. Sed quo modo providendum esset, ne ex usu ejus juris discordia inter homines oriretur, ipsis hominibus prævia sana ratione determinandum fuit relictum. Haut quidquam autem ab ipso Deo universalis quidam modus res possidendi fuit præscriptus, quem omnes homines tenerentur observare. Adeoque per expressum aliquod mandatum Dei res neque propriæ, neque communes (communione positiva) factæ sunt: sed super hoc ab hominibus deinde dispositum, prout tranquillitas societatis humanæ exigret. Unde falluntur, qui ita crude tradunt: *res dividere juris natura est, i. e. non ita accipit à natura originem, ut gentium demum arbitrio jus fiat, sive juris rationem induat; sed natura ipsa hoc jus facit & absoluit.* Item: *Res dividere est præceptum decalogi, i. e. caput juris naturalis.*

Qui

Qui enim dixit, Non furaberis, eadem opera dixit: sit rerum proprietas & distinctio; teneat quisque suum, alienum non concupiscat. Vid. *Bœcler. ad Grot. in præfat. p. 9.* Non enim extat præceptum aliquod juris naturalis, quo omnes res ita propriæ hominum jubentur esse, ut cuius sua portio divisim sit assignanda. Etsi lex naturalis satis svaserit, hominum conventionem ejusmodi rerum assignationem ad singulos introduci, prout ex usu societatis humanæ foret, ita tamen, ut ex judicio hominum dependeret, omnes, an certas duntaxat res vellent facere proprias, an quasdam indivisim possidere, reliquas velut in medio expositas relinquere, ut tamen eas nemo sibi soli vindicare posset. Unde etiam jus naturæ intelligitur adprobare omnes conventiones, quæ circa res ab hominibus sunt introductæ, modò contradictionem non involvant, aut societatem perturbent. Ergo proprietas rerum immediate ex conventionem hominum, tacita aut expressa, profuxit. Etiam si enim, posita concessione Dei, nihil reliquum erat, quam ut homo res occuparet: tamen ut per occupationem seu apprehensionem cæterorum jus ad eam rem exclusum intelligeretur, conventionem utique opus fuit. Quod autem sana ratio svaserit dominia introduci, id non obstat, quo minus illa originarie ex pacto humano profuant.

§. 5. His ita præmissis manifestum est, ante omnia hominum conventa fuisse omnium rerum communionem, non quidem illam, quam positivam diximus, sed negativam, i. e. res omnes fuisse in medio positas, & non magis ad hunc quam ad illum pertinuisse. Sed cum res hominibus usum non præbeant, nisi saltem illarum fructus apprehendantur, & vero frustra hoc fiat, si aliis iterum eripere liceat, quæ jam in usus nostros actu destinavimus: inde prima conventio inter mortales circa res hæcce intelligitur; ut quod quisque ex rebus in medio positis, earumvè fructibus apprehendisset, ea intentione, ut istud ad usus suos applicaret, id ipsi ab altero non eriperetur. Et huc pertinet l. i. §. i. *D. de adquir. possess.* Declarari potest hoc exemplo ferarum, inter quas sane nulla ad quamlibet rem peculiare præ altera jus prætereundum potest; sed in quam rem quælibet primum inciderit, eandem in pabulum suum arripit. Quod si aliqua res quaspiam in futuros usus seposuerit, cæteræ tamen non prohibentur easdem invadere, ideo quod inter ferarum conventio non sit, quæ primæ apprehensioni præcipuum jus in re tribuat. Ad isthæc illustranda

facere possunt, quæ traduntur ab *Autore de princip. justit. & decori* p. 100. *seqq.* ubi præsupponit, homini fas esse uti creaturis, ratione carentibus, easque possidere: sed cum naturaliter homines inter se sint æquales, par quoque omnibus in creaturas jus esse; neque ex creaturarum respectu aliam partem proximo, aliam mihi assignatam. Igitur nihil superesse, quam ut distinctio bonorum ex pacto deducatur. Cum autem omnia instituta humana habeant exceptionem summæ necessitatis, inde hac enata jus primævum ad omnia reviviscere: quia in pacto circa divisionem rerum quilibet hac cum restrictione juri suo ad illas res, quæ aliis assignantur, renunciaffe intelligitur; nisi aliter salutem suam servare nequeat. Nam meam calamitatem mihi ad ea, ad quæ antea jus non habebam, jus non parere; at extremum periculum tollere conditionem, sub qua cessionem juris feceram. Sic etiam in bello jure adquiri bona hostis; quia cessantibus pactis redeat jus primævum. Dein addit, primam occupationem ante pacta, jus aliquod per se non facere. Idque quia primò tunc nullo jure, in quocunque etiam necessitatis casu constituerer, ad me redire possent talia bona; cum id tantum locum habeat in bonis, quorum cessiones feci proximo voluntate: at paucos reperiri, qui bonis eâ ratione partis talem prærogativam concesserint. Quæ ratio clarius ita proponi potest. Si prima occupatio per se daret jus cum exclusione reliquorum omnium, sequeretur, in casu necessitatis alterum non posse uti bonis, isthac modo partis: quia jus illud necessitatis oritur ex exceptione, pacto circa divisionem rerum addita: quale pactum (ex hypothesi) non extat circa bona per occupationem parata. Atqui absurdum esse, in extrema necessitate non posse aliquem uti rebus, quas alter per occupationem adquisivit. Ergo ut occupatio dominium pariat etiam ex pacto esse. In quo tamen argumento non multum nervorum deprehenditur. Conf. supra l. 2. c. 7. §. 6. Deinde addit: nullam esse naturalem rationem, quare ex prima potius occupatione jus alicuj accrescat, quam ex prima detectione, quæ oculis fit. Ideo discrimen hoc oriri ex instituto gentium, quod primo occupatori jus in illam terram accedere voluit; non autem ei, cui primum in conspectum venit. Tertio ait: finge duos homines, alterum pedibus pernicem, alterum tardum; liquet, quam iniquè hic composita sint paria in acquirendis dominiis: ideo etiam illi primæ occupationi ex natura non deberi jus in id, quod occupatur; sed pacto implicito

placito & instituto. Brevius poterat dici, posita æquali facultate primæva hominum in res, non posse intelligi, quomodo nudus actus corporalis unius, qualis est occupatio, cæterorum facultati præjudicare possit, nisi ipsorum consensus accedat, i.e. nisi pactum interveniat. Sed quæ idem *Autor* d. l. & p. 266. disputat, quod unus homo in statu primævo totum mundum potuerit sub jugum mittere, ea vana sunt; & convelluntur per ipsum *Hobbesium de Civitate* c. 1. §. 11.

§. 6. Ab isthac porro communione rerum negativa sive primæva homines discesserunt, & dominia rerum divisa pacto constituerunt, non quidem simul & semel, sed successive, & prout conditio rerum, aut indoles & multitudo hominum videbatur requirere. Sicut quondam apud Scythas pecora & supellex in proprietatem concesserant; agri in communione primæva subsistebant. *Justinus* l. 2. c. 2. Et vero pax atque tranquillitas generis humani, de qua juri naturæ cum primis curæ est, haut obscure insinuabat, quidnam heic ab hominibus constitui convenientissimum foret. Nam ut cuilibet in quælibet æqua potestas maneret, seu ut omnes res in medio, essent expositæ quorumlibet usibus promiscue patentes, pax humani generis, saltem post ejusdem multiplicationem, culturamque vitæ adhibitam, non admittebat. l. 26. D. *de servit. præd. urb.* Quippe cum non possent non infinitæ oriri collisiones ex concursu plurimum ad eandem rem, quæ omnibus simul sufficere non poterat; cum plurimarum rerum ea sit indoles, ut uno tempore non nisi uni inservire possint. Quo autem ordine, & quas ob causas res in proprietatem iveriat, sic intelligi posse arbitror. Res pleræque, quæ immediate sui usum hominibus præbent, ipsique in nutrimentum, ac tegendo corpori adhibentur, non ubiq; per naturam citraque culturam tanta producuntur copia, ut quibusvis abunde sufficiant. Igitur paratissima erat rixarum atque bellorum occasio, si duo pluresvè eadem re indigerent, eandemq; singuli sibi vellent trahere, quæ omnibus non sufficiebat. Vid. *Hobbes de Civitate* c. 1. §. 6. Plurima quoq; labore & cultura hominum ad sui productionem, aut ut usui sint habilia, indigent. Heic verò inconveniens erat, ut æquale jus ad ea haberet, qui nihil operæ contulerat cum eo, cujus industria res producta, aut apte concinnata erat. Igitur pacis humanæ interfuit, statim cum multiplicatis hominibus dominium rerum mobilium, præsertim quæ labore, & cultu hominum indigent, & inter immobiles illarum, quæ immediate usum hominibus præbent, uti sunt domus, introduci;

ut

ut scilicet earum corpora ad singulos seorsim pertinerent, aut inter plures ad eos, qui peculiari conventionione earum rerum positivam inter se communionem inivissent. Porro in hisce rebus, etsi ratio aliqua adpareat, quare convenientius sit eas ad hos, quam ad alios pertinere; eorum tamen dominium, exclusionem cæterorum involvens, utique pacto saltem tacito erat confirmandum, cui tacita simul renunciatio cæterorum inesset, quod nihil amplius juris ad res uni assignatas velint prætere ex eo prætextu, quod terra tanquam commune hominum domicilium iisdem rebus materiam, aut nutrimentum præbuerit. Res autem immobiles per naturam citra industriam humanam productas, i. e. agros, quod attinet, cum eorum tanta foret laxitas, ut paucitati primævorum hominum abunde sufficerent; ideo de istis ab initio tantum fuit occupatum, quantum usibus suis conveniens homines judicabant; reliqua in statu communionis primævæ seu negativæ relicta, ut ea occupare in posterum posset, cuicumque id libitum foret. Heic ergo tale pactum intervenisse intelligitur; ut qui agri per expressam conventionem cæterorum hominum alicui essent assignati, aut quibus cæteri tacite cessisse judicarentur ideo, quod unum solum istis frui quiete pateretur, ipsi alios simili modo sibi assererent; illi ad cultores suos pertinerent. Quod reliquum esset, illis cederet, qui deinceps eos agros occupaturi forent. Add. *Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 2. p. 224.* Hoc loco obiter monendum, dum *Josèphus archaeolog. l. 1. c. 4.* jam tum Cainum *terminos terræ posuisse* tradit; in eo non majorem ipsum fidem mereri posse, quam quod *ibidem* memorat, Cainum *libidinem suam cum injuriis secum habitantium exercuisse, domum multitudinem pecuniarum, ex rapinis & violentia congestarum, auxisse, ad latrocinia suos familiares invitasse.* Quomodo enim talia possint cadere in filium primogenitum ejus, qui primus & solus mortalium cum sua comparè a Deo creatus fuit, ego nondum dispicio.

§. 7. Cæterum utile fuisse generi humano jam multiplicato divisa rerum dominia introduci, illustrari potest argumentis, quibus *Aristoteles Polit. l. 2. c. 2.* communionem bonorum Platoniam destructum it. Etsi illi propositum sit oppugnare communionem positivam, nos autem inquiramus in rationes, quare à communionem negativa sit discessum. Quibus addatur *Aristophanes in Concionatricibus p. m. 716. seqq.* Scilicet si homines in commune quidem laborent, & in commune fructus conferant;

rant, ac de communi acervo alantur, non possent non querelæ existere ob inæqualitatem laboris & fruitionis. Bene quoque dicitur: ὅλως ἰὸ συν-
 ζῆν καὶ κοινωνεῖν ἅψ ἀνθρωπικῶν πάντων χαλιπίν. *In aniver sum convictus & com-
 munitas rerum humanarum omnium est gravis.* Inde etiam maxime famulis,
 qui quotidie circa nos versantur, offendimur. Proprietate autem intro-
 ducta tolluntur istæ querelæ, & augetur cuique cura circa rem suam; pa-
 raturque materia exercendi liberalitatem erga alios de suo. Eoque βελ-
 τιον, εἶναι μὲν ἰδίας τὰς κτήσεις, ἢ δὲ κοινῶν κοινὰς, *melius, propria quidem esse
 esse bona, usum vero facere, ut sint communia.* Item; πρὸς ἰδούτῳ ἀμύθητον ὄσον
 ἀφάρτη ἰὸ νομίζον ἰδίῳ ἴ. *Ad voluptatem nimium quantum refert proprium ali-
 quid existimare.* (Juvenalis sat. 3. Est aliquid quocunque loco, quocunque
 recessu Unius sese dominum fecisse lacerta.) Item; ἰὸ χαλεπῶς, καὶ βονθίσσα
 φίλοις, ἢ ξένοις, ἢ ἰταίροις, ἢ δόξον. ὁ γίνεθ, ἢ κτήσεις ἰδίας ὄσον. *Gratificari, &
 adjuvare amicos, vel hospites, vel sodales, res jucundissima; qua nisi propriis
 bonis esse nequit.* Præterea cum plerarumque rerum usus non quibus-
 vis promiscue hominibus sufficiat, non poterant non rixis inter se colli-
 di, qui eidem rei omnibus non suffecturæ simul animum abjecerant, nî
 istæ res certis hominibus assignarentur. Fateor tamen, hisce rationibus
 non fuisse motum *Thomam Morum, & Th. Campanellam*, quo minus ille ap.
Utopienses, hic in *Civitate Solis* communionem bonorum introducerent;
 nimirum quia facilius perfecti homines finguntur, quam habentur. Sed
 & hoc patet, fallere illud tritum; meum & tuum omnium bellorum
 causas esse. *Quin* potius ad evitanda bella meum & tuum est introdu-
 ctum. Inde *Plato de Legibus* l. 8. lapidem terminalem vocat ἰείζοντα Φι-
 λίαν ἢ ἐχθρῶν ἕσπερον παρά θεῶν; lapidem jurejurando à diis firmatum, quo ami-
 citia & inimicitia terminentur. De cujus sanctimonia vid. quoque *Deu-
 ter.* 19. 14. *Iob.* 24. 2. *tit. tot. D. de termino moto. Collat. LI. Mosaicarum cum
 Rom. tit. 13. Paulus sentent. II. 16. V. 22. Frontinus de re agraria. Unusquis-
 que suos fines teneat, non alienos laceffat. Nam ideo est limes agro positus,
 litem ut discerneret arvis.* Sed infinita seges bellorum inde surgit, quod
 avaritia hominum terminos mei & tui pacto, aut à legibus præscri-
 ptos perrumpere ardet. *Lysias Orat. XVII. Dissensiones oriuntur in-
 ter cives hisce de causis maxime, cum quod alii aliena concupiscant, tum
 quod alii suis spolientur.*

S. 8. Isthæc quanquam plana sint, operosius tamen quorum-
 Y y dam

dam veterum atque recentiorum super hacre sententias examinare placet. Ex veteribus *Diodorus Siculus* l. 1. tradit; primos homines è terra enatos egisse vitam inconditam & belluinam, sparsimque exiisse ad pacscua, & lapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comedisse. (*Plinius* N. H. l. 23. *proœm.* de arboribus: *primum homini cibum fuisse inde, & sic inductos cælum spectare, pascique & nunc ex se posse sine frugibus.*) Quod tamen alimenta comportare, & in futuros usus recondere nescirent, multos inclementia aëris, & penuria victus per hiemem interiisse. Donec sensim experientia docti hieme in speluncas refugere, & fructus asservationi idoneos recondere cœperunt, magis inde magisque vita exulta. Hujus hypothese circa originem hominum, falsa licet, adsumta, consequitur, homines ab initio viciitasse rebus in medio positis. Inde per pacta induxisse proprietatem domiciliorum, & fructuum in futuros usus collectorum; donec paulatim agrorum quoque proprietas reciperetur. Allegatur quoque heic frequenter *Justinus* l. 43. c. 1. ubi rex Aborigenum Saturnus tantæ fuisse justitiæ memoratur, ut *neque servierit sub eo quisquam, neque quidquam privata rei habuerit; sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, velut unum cunctis patrimonium esset.* Magno quoque numero adducuntur dicta Poëtarum de conditione felici seculi aurei. *Virgil. Georg.* l. 1. *Ante Jovem nulli subigebant arva coloni: Nec signare quidem aut partiri limite campum Fas erat; in medium quarebant; ipsaque tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.* Quem locum illustrat *Seneca Epist.* XC. *Tibullus* l. 1. *eleg.* 3. *Illo non validus subiit juga tempore taurus: Non domito frenos ore momordit equus. Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva lapis.* *Seneca Octavia act.* 2. *Cingere assuerant suas Muris nec urbes, pervium cunctis iter. Communis usus omnium rerum fuit. Et ipsa tellus lata sacundos sinus pandebat ultro.* *Idem Hippolyto act.* 2. *sc.* 2. *Prima quos mixtos deis Profudit aetas. Nullus his auri fuit Cæcus cupido. Nullus in campo sacer Divisit agros arbiter populis lapis.* *Ovid. Metamorph.* 1. de ferreo seculo: *Communemque prius ceu lumina solis & auræ, Cautus humum longo signavit limite mensor.* *Macrob.* l. 1. *Saturnal.* c. 8. *Ædem Saturni Romani ararium esse voluerunt, quod tempore, quo incoluit Italiam, nullum in ejus regno furtum esset commissum: aut quia sub illo nihil erat cujusquam privatam; Nec signare solum, aut partiri limite campum Fas erat; in medium quarebant.* *Ideo apud eum locare-*

caretur populi pecunia communis, sub quo fuissent cunctis universa communia. Isthæc & similia Poëtarum tradita sic interpretatur *Lactantius* l. 5. divin. instit. c. 5. *Nec signare quidem aut partiri limite campum Faserat: in medium quarebant, quippe cum Deus communem omnibus terram dedisset, ut communem degerent vitam; non ut rabida, & furens avaritia sibi omnia vendicaret; nec ulli deesset, quod omnibus nasceretur. Quod Poëta dictum sic accipi oportet, non ut existimemus nihil omnino tum fuisse privati; sed more Poëtico figuratum; ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent; nec soli absconditis incubarent; sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.* Enimvero uti nemini cordato Poëta persvaserit, à priscis illis omnia in mediū quæsitā, seu communionem aliquam positivam fuisse; ita quam *Lactantius* adfert eorum dictorum rationem, nobis non satisfacit. Uti enim isti fortasse avaritiæ non ita fuerint dediti, ignorantia opum, & quod victum facilem terra præberet gulæ irritamenta nescientibus: ita non adparet, quæ liberalitatis materia fuerit, ubi nulla colligendarum opum occasio. Cæterum ad istius fabulæ de seculo aureo intellectum nonnulli non absurde monent, considerata esse barbarorum & rusticorum ingenia, oppidò quantum otio & ignaviæ amica, à labore averfa. Et quod, quo incultior & simplicior est alicujus populi vita, eo minus locum habeat; copiosior & splendidior vitæ adparatus magnam industriam, plurimamque operam requirat. Add. *Mich. de Montaigne essai* l. 1. c. 30. *Quod denique communi vitio senes sint laudatores temporis acti se pueris; & præsentia fere adspernentur, vetera & obsoleta extollentes.* Igitur valde probabile videri, simplices istos homines, cum à legislatoribus ad vitam cultiorem & labores adigerentur, per insolentiam talia ægre tolerasse, ac identidem otia sua & glandes, desiderasse. Ex qua seniorum querela posteri deinceps somnia illa de aureo seculo finxerunt. Quo facit, quod *Salustius Catilin.* Aborigenes, aurei seculi cives, vocat *genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.* Addatur de iisdem *Diomysius Halicarn.* l. 1. Sic & *Ovidius Metam.* 1. aurei seculi felicitatem in hisce constituisse dicit, quod homines sponte sua *sine lege* fidem rectumque coluerint, à pœna immunes, quod nullæ adhuc essent civitates; *Contentique cibus nullo cogente creatis Arbuteos fetus, montanaque fraga legebant, Cornaq; & in daris harentia mora rubetis, Et qua deciderant patula Jovis arbore glandes.* Quæ autem sequuntur

de perpetuo vere, frugibus mitibus sponte natis, & fluminibus nec tate ac lacte redundantibus, non magis vera sunt, quam illa *Pherecratis*: ποταμοὶ μὲ ἀθάνατοι καὶ μέλανοι ζυμῆ πλείοι διὰ τῆς ζωνωπῶν ἐν θορυγῶντι ἰβρίον ἄσπασι μυσταλισσι, ἔρασῶν τρέφου. *Plena & farina & juris atriflumina Fluxere per loca artha murmurantia Obperleves panes calentes.* οὐσκαὶ ἡ ἐξ ἕσπασι ἀλλάντων ἰομοὶ παρὰ τοῖς ποταμοῖς ἰζοῦντις ἐπιχῶντ' ἀντ' ὀσπράκων. *Lucanica & tuceta bullientia loco ostrearum sparsa erant per flumina.* ὀσπασὶ κίχλα καὶ γὰρ ἀνάσπασι ἡρτυμέται καὶ ἰοσῶν ἰσπαστ' ἀντιβόλῶσα κατὰ σπασίον. *Turdi volabant ora circum, qui bene Conditierant, coctique mire, supplices Edirogabant.* Est quoque celebris locus Ciceronis *Offic. I. Justitia minus est, ut quis communibus utatur pro communibus, privatis ut suis. Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, pactio, conditione, sorte, ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum. Similisque est privatarum possessionum descriptio. Ex quo quia suum cuiusque fit eorum, qua natura fuerant communia, quoad cuique obtigit, id quisque teneat. Eos si quis sibi plus adpetet, violabit jus humanae societatis. Adducunt aliqui etiam illud Horatii II. sat. 2. Nunc propria telluris herum natura neque illum, Nec me, nec quenquam statuit. Nos expulit ille: Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris, Postremum expellet certe vivacior heres. Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli Dicitus, erit nulli propius, sed cedit in usum Nunc mihi, nunc alii. Idem II. Epist. 2. Tanquam sit proprium quidquam, quod puncto mobilis horae Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema Permutet dominos, & cedat in altera jura. Sic quia perpetuus nulli datur usus, & heres Heredem alterius velut unda supervenit undam; Quid vici profunt aut horrea? Lucianus in Anthol. Ἀρχὸς ἀχαρμῶν δὲ γινόμενον ποτὲ, ἴδὼν ἡ Μινίπασ καὶ πάλιν ἐξ ἐτίμου βήσματος εἰς ἕτερον. Καὶ γὰρ ἐκεῖ ἔχον με πῶς ἦτο, ἔ πάλιν ἔτ' οὐκ. εἰ μὴ δ' ὄλας ἐδινός, ἀλλὰ ἰύχνα.*

Idem Nigrino: Natura quidem nullius rei domini sumus: lege autem & per successionem usum earum in tempus incertum acquirentes ἀλιγοχρῆνοι διαπῶν temporarii possessores habemur, ac posteaquam terminus ille constitutus praerierit, tunc rursus alius à nobis easdem accipiens nomine illo fruitur. Verum isthaec magis ad instabilitatem fortunarum, & possessionum humanarum, quam ad originem dominiorum pertinent. Sicut etiam eam ob rationem Cicero pro Balbo, pradiorum nullam esse gentem fecit.

§. 9. Expendamus jam sententiam *Grotii* l. 2. c. 2. §. 2. in qua tamen illa sequestrabimus, quæ is contra recepta nostrarum Ecclesiarum decreta admiscet, ab aliis jam satis castigata. Ait iste: *Deum humano generi generaliter contulisse jus in res hujus inferioris nature statim à mundo condito, atque iterum mundo post diluvium reparato.* Id in hunc sensum admittimus, Deum indulgisse hominum generi uti rebus hisce terrenis *generaliter*, i. e. ut non determinaret simul, divisim an indivisim omnes res, aut quasdam earum possidere deberent, sed in arbitrio hominum relinqueret, ut ipsi super eo disponderent, prout paci videretur expedire. Nequaquam autem credi debet, quasi ab initio à Deo fuerit instituta quædam communio positiva, abs qua postea homines suo arbitrio discesserint: sed potius quantum ad Deum, res istæ in medio usibus hominum fuerunt expositæ. Inter quos quamdiu ipsa rerum corpora nondum fuerunt certis assignata, isthæc tacita fuit conventio, ut quisque hominum ad suos usus, ex fructibus potissimum rerum, arripere posset, quod vellet, & quæ consumi poterant consumeret. Actalis usus rerum universalis utcunque supplebat vicem proprietatis; & quod quis sic arripuerat, id ei eripere alter nisi per injuriam non poterat. Eam ad rem illustrandam uti facit simile à theatro ductum: (vid. *Arrianus Epicteto* l. 2. c. 4. circa finem.) ita non congruit exemplum Aboriginum, prout *Iustinus* eos describit. Nam verba istius autoris repræsentant communionem aliquam positivam, qualis primæva illa non fuit; velut regio illa univèrsa fuerit populi, sed nondum in privatos fundos descripta; ideo quod homines isti contenti essent frugibus sponte enatis, quas infrequenti populo ubertim sylvarum & terræ amplitudo præbebat. Eas tamen fruges in commune collectas vero simile non videtur. Id autem recte *Grotius*: siquidem communio illa negativa debeat persistere, citrà perturbationem pacis communis, in magna simplicitate hominibus vivendum, contentis vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum, ferarumque pellibus tecto. Ubi exquisitius vitæ genus placet, cuius commoda per industriam sunt procuranda, utique proprietate rerum opus esse. Verum dum addit; communionem durare potuisse, *si homines inter se vixissent mutua quadam eximia caritate*; communionem negativam cum positiva confundit. Qualis fuit inter Essenos quondam, (de quibus inter alios vid. *Philo Judæus* libro,

quod omnis probus sit liber.) & primitivos Christianos Hierosolymis habitantes, & qui vitam colunt asceticam. Add. *Martinius hist. Sin.* l. V. c. 34. Isthæc quippe constitui & servari nequit, nisi inter paucos, & eximia animi modestia præditos. Ubi in distantia loca discessum fuit, stulto labore fructus in unum conferuntur, & inde de communi massa distribuuntur. Et in magna hominum multitudine complures inveniri necesse est, qui ob justitiæ defectum, ac *πλιονεζιαν* nec in labore, nec in consumptione fructuum debitam velint æqualitatem servare. Atque hoc ipsum insinuat *Plato de LL.* l. V. dum iis, deorumque filiis civitatem ejusmodi assignat, in qua illa omnimoda communio sit. Talem autem communionem, postquam in plures familias homines discesserunt, aut instituisse unquam, aut voluisse instituere, stulte creditur. Add. *Joh. Strauch. dissert. de imperio maris* c. 1. §. 8. Illud denique recte *Grotius*; *res initio in proprietatem ivisse non solo animi actu*, seu cogitatione. Nam neque scire alii poterant, quid quis suum esse vellet, ut eo abstinere; & idem velle plures poterant. Igitur actu externo, seu adprehensione opus fuit; quæ ut produceret effectum *moralem*, i. e. obligationem apud alios abs re per alterum adprehensa abstinenti, pactum antecedere debebat; & expressum quidem, quando plures simul res in medio positas inter se diviserunt: tacitum autem pactum sufficit, quando occupata fuerunt, quæ à primis rerum divisoribus vacua sunt relicta. Inter hos enim ita conventum intelligitur, ut quæ res in prima rerum divisione certo alicui non forent assignatæ, illi cederent, qui eas primus occupasset.

§. 10. Ex recentioribus plurimi circa originem dominii in alia omnia discedunt. Quorum argumentis quid nervorum insit videamus. Illi igitur agnoscunt, communionem duplici sensu dici, vel quod proprium pluribus pro indiviso, usum singulis communem præbet, vel quod proprietatis omnino nescium omnium promiscuo usui prostat. Non solum autem priorem communionem, quod & nos facimus, rebus ab initio detrahunt, sed & posteriorem; adeoque negant initio res omnes exclusa penitus proprietate promiscuo usui patuisse; & quod inde consequitur, dominia ex divisione & occupatione originarie esse orta. Ratio hæc ponitur: *quale, quantumque juris primus mortalium in res creatum habuit, à Creatore eum omne ita accepisse. Jam si nudam facultatem utendi sine proprietate accepisset, non potuisse à posteritate ejus proprietatem usurpari*
citra

citra προνοίαν & arrogationem ejus, cujus usu Creator mortales interdixerat.
 Ad quod ex superioribus facile potest responderi. Sane accepit homo jus in res ex concessione Numinis, sed indefinitum, generale, indifferens, neque restrictum ad proprietatem aut communionem, & quod homines, prout ratio & necessitas svaderet, in peculiarem quasi formam redigere possent. Unde & communitio primæva non notat nudum aliquem usum fructum, exclusa proprietate; sed ex ea per conventionem hominum tam ad proprietatem, quam communionem positivam discedi potest. Neque sequitur; primus homo non accepit aut usurpavit jus in res sub formali ratione proprietatis; ergo posteri ipsius sub ea formalitate id non potuerunt exercere. Neque concessio illa divina, sacris literis expressa, definitum aliquem modum dominiū designat, sed indefinitum jus res adhibendi ad usus rationi & necessitati congruentes; quod jus æque in communitioe negativa, quam in proprietate exerceri potest. Male autem inferitur; mortales acceperunt jus in res ex concessione divina; ergo proprietates non fuit nata ab occupatione & divisione. Nam concessio divina securum tantum reddebat hominem, volente Numine fieri, ut is rebus ab ipso creatis ad suas necessitates abuteretur. Dominium autem proprie dictum debebat effectum producere in ordine ad alios homines, ut ne quis invaderet, quæ uni jam forent assignata. Ubi sane factio humano opus fuit, ut aliis constaret, quid alterius foret, quo abstinere eodem possent. Est à civitate theatrum in medio expositum usibus civium. Ut tamen hic vel ille tempore spectaculi certum obtineat locum, quo ab altero non debeat depelli, actu corporali, i. e. occupatione opus est. Imò & in perpetuum cives singuli suum sibi locum possunt consensu civitatis acquirere. Sic & quælibet res, antequam existat factum humanum, dominio introducendo aptum, in medio intelligitur exposita, omnibus negative communis, i. e. non magis ad hunc quam illum pertinens. Ast ubi pacto expresso divisio instituta, aut tacito occupatio concessa, ex communitioe negativa in proprietatem res transit. Quod si autem aliqui eo demum velint devolvi, *per dominium, quod ipse Deus citra antegressum factum humanum in homines contulerit, intelligitur tantum dominium potentiale, seu potestatem occupandi & possidendi, adeoq; dominium in actu primo, per quod in possessionem, & à possessione in dominium, quod est actu secundo, venit; illi à nostra sententia vocabulis duntaxat, non re ipsa dissident.*

dent. Etsi hoc parum accurate, quod potestatem occupandi res vocent dominium in actu primo; id autem quod possessio est antegressa, dominium in actu secundo. Nam diversa sunt, potestas aliquod jus sibi adquirendi, & ipsum jus habitualiter jam inhærens, citra tamen operationem aut exercitium. Sicut diversa sunt, esse Musicum in potentia, & habitu Musicæ instructum non canere. Neque ad potentiale illud dominium declarandum satis accurate quadrat exemplum de hæreditate, *cujus dominium in hæredem re et a, & immediate transit sine adprehensione, statim à morte testatoris, de habitu sive potentia.* Nam præterquam quod de habitu, & de potentia diversa sint, etiam fictio aliqua juris civilis heic intervenit. Naturale est, ut in translatione domini ab uno in alterum non solum in isto requiratur oblatio, sed & in hoc acceptatio. Quia autem legibus placet, ut voluntas testatoris ad ultimum usque halitum possit esse ambulatoria, simulque post mortem usque occulta haberi: ideo lex defuncti voluntatem circa transferenda bona in hæredem eousque velut sustentat, quoad hæres acceptationem significaverit; aut, si quis ita malit, acceptationem hæredis retro trahit ad extremum usque spiritum testatoris, quo voluntas ipsius figitur, sic ut de manu in manum immediate bona in hæredem intelligantur translata. Isthæc fictio in hærede producit effectus domini hætenus, ut rem hæreditariam, etiam antequam actu eandem possederit, vindicare possit. Absque hac fictione si foret, non magis dominium hæredi ante actualem aditionem competere, quam in donatione ante acceptationem. Inde etiam in jure naturali versantibus, abs quo fictiones juris civilis fere exulant, haut quidquam admittetur possessio aliqua potestativa, actuali contradistincta; neque possessio vocabitur nudum jus & potentia possessionem sibi adquirendi. Conf. Io. Strauchius d.l. c.1.

§. II. Multis placet heic ad historiæ sacræ autoritatem provocare, ex qua constet, nunquam ejusmodi communionem extitisse. *Adamo quippe per donationem divinam statim totam rerum universitatem cessisse, ita ut ipse eandem haberet in solidum propriam. Cujus proprietatis hæc fuerit vis, ut non solum ab universitate rerum abs se possessa excluderet alios, sed & nemo alius, si quis fuisset, jus occupandi quascunque res haberet. In tantum, ut etiam liberi Adami plane fuerint exclusi à dominio rerum, quamdiu familia paterna continebantur, nisi si quid à parente ipsis ad instar pecu-*

peculii foret assignatum. Dominium eosdem nactus post emancipationem, & quantum parens rerum ipsis concesserat, & post mortem parentis, divisit inter se ipsis bonis. Conf. Zieglerus ad Grot. l. 2. c. 2. §. 2. Scilicet divina traditionis formulam jus dedisse non nisi uni hominum pari, liberis Adami nondum existentibus. Igitur aut proprietatem rerum soli Ada ac Eva datam, à quibus titulum possidendi acciperent eorum liberi; aut in persona Adami universitatem rerum toti humano generi fuisse datam. Cui posteriori repugnat inter alia jus occupationis, qua non nisi in re vacua locum habet. Si enim rerum universitas toti humano generi data fuit, non adparet, quomodo singuli aliquid ex rerum universitate occupando proprium possint facere private ad totum genus humanum, seu ut universitas hominum nihil juris in eam rem possit amplius pretendere. Ea quippe est natura rerum communium, qua partes habeant non pro diviso, sed pro indiviso, ita ut nec atomus sit, in qua non sit communio pro indiviso; qua si ab aliquo singulorum sibi soli applicaretur, per injuriam communitati eripietur. Jam vero illi, qui communionem primariam defendunt, fatentur singulos occupando tale jus in res occupatas quasi visse, ut caterorum omnium jus ad eandem rem excluderetur. Enimvero ad ista quæ reponi possunt, ex superioribus patet. Scilicet concessio divina homini contulit duntaxat jus creaturas ad usus suos applicandi; quod jus ad communionem positivam & proprietatem, quæ sunt jura adversus alios homines effectum obtinentia, indifferenter se habet. Unde, quod alii addunt, dominium commune humani generis in res à Deo ipsi collatum esse sub lege privati domini constitutendi, partiendique; adeoque idem non posse nec debere concipi sine ordine ad privatum dominium ita constitutum, sicut natura rationali ac sociali consentaneum erat; id non incommode pro nostra sententia possumus interpretari. Nimirum constituit Dei concessio res ab initio in communiōe negativa. Sed isthæc cum ad conservandam pacificam societatem inepta foret, genere humano multiplicato, & vita per industriam excoli cœpta, facile intellexere homines, placere Numini, distincta dominia rerum introduci. Quæ ut actu constituerentur, utique factum humanum & conventio antecedere debebat. Non enim hæc duo opponenda invicem sunt; aliquid voluntate divina constitutum, & ut actu idem foret introductum conventionem hominum antegressam. Sicut hæc non repugnant; Deus genus humanum non per vagos concubitus, sed per matrimonia vult propagari; & pactum antecedens

cedens requiritur, ut inter certos homines matrimonia actu existant. Deinde cum communitas positiva & proprietas relationem involvant ad alios homines, hautquidquam accurate dicitur, omnes res creatas Adami fuisse proprias; sed hoc duntaxat, ipsum fuisse dominum omnium rerum non formaliter, sed concessive, seu quatenus nullius jus extabat, quod eum impediret, quò minus omnes res in usus suos posset convertere, si opus foret. Adjuncta ipsi à Deo compare carissima, indefinito illo jure in res pro indiviso uti instituerunt, utpote sociati arctissima conjunctione, propter quam etiam hodie multas apud gentes inter conjuges recepta est bonorum confusio. Nec distinctis dominiis opus erat, quamdiu soboles Adami intra teneram ætatem constituta à parente alenda erat, aut intra ejusdem familiam adhuc hærebat. Nam quod tunc temporis soboles in usu rerum ad arbitrium patris sese componere necessum haberet, id non ex vi domini, sed imperii paterni erat. Igitur tunc demum distincta dominia cœperunt, quando consensu patris liberi separatas sibi familias constitutum iverunt; cui rei sine dubio causam dedit antiqua fratrum æmulatio, & ut sua cuique industria fructui, sua desidia oneri foret. Neque tamen credendum est, inter paucissimos illos mortalium totum terrarum orbem statim divisum, aut res omnes simul & semel proprietatem subiisse. Sed ab initio illa sufficiebat propria fieri, quæ vel immediate sui usum præbent inter plures indivisibilem, uti sunt vestimenta, casæ, & fructus in alimenta collecti; aut quæ industria aliqua cultuque opus habent, uti sunt instrumenta, seu suppellex, pecora, arva. Paulatim reliqua proprietatem subierunt, prout cupido hominum aut multitudo svasit. Sic diu pascua manserunt intra primævam communionem, donec multiplicato pecore, subortis rixis, isthæc quoq; dividi pacis interesset. Caterum quod adferebatur, *occupationi locum non esse, ubi universitas aliqua rerum ad integrum cœtum pertinet*; id argumentum contra eos valet, qui pro primævo rerum statu communionem aliquam positivam venditant, in qua sane non potest à singulis aliquid occupari cum exclusione totius cœtus. Noster autem status rerum primævus æque à communionem positiva, quam proprietate strictè distincta est diversus; & ut occupatio dominium pariat, antegresso pacto saltem tacito opus esse asserimus.

§. 12. Afii de origine domini ex facris literis ita tradunt; fuisse quidem à Deo datum protoplastis dominium commune hominum, quasi pro indiviso possidentium, quatenus protoplasti humani generis personam sustinebant. Quo sensu adhuc recte dici, ad genus humanum spectare dominium orbis terrarum, aut rerum ejus orbis, in quantum apta sunt in proprietatem ire. Verum per istud dominium commune dominium privatum non excludi; quippe cum istud non possit nec debeat concipi sine ordine ad privatum dominium ita constituendum, sicut natura rationali ac sociali consentaneum erat. Concurrisse autem in Adamo cum dominio communi etiam dominium privatum, quod liberos ipsius sine aliqua cessione previa excluderet. Vid. Bœcler ad Grotii l. d. Ubi super vocabulis quidem nemini litem movebimus, ut dominium scilicet commune vocetur, quod nobis est jus utendi creaturis, ex concessione divina hominibus competens; modò illud dominium commune in se spectatum nullum effectum in ordine ad homines invicem obtinere intelligatur. De quo jam supra dictum, potuisse homines jure illo utendi rebus in medio positis contentos esse, neq; statim divisa dominia introduci necessum fuisse, quamdiu inter paucos aliquos genus humanum substitit, ac simplicem incultamque vitam toleravit. Eo multiplicato, vitæque commoditatibus per industriam promotis, necessitas conservandæ socialitatis dominia introduci svasit: ita tamen ut non omnes res simul, sed successive in proprietatem iverint, prout ratio concordæ id videretur requirere. Adamo autem dominium privatum in omnes res competisse, antequam filii ejus diversas familias irent constitutum, ~~non~~ valde dicitur. Nam primo privatum dominium ab actu aliquo humano incipit. Igitur non poterat Adamus habere dominium earum rerum, quas nunquam adprehenderat, imò ne notitia quidem sua complexus fuerat. Incongrue huc adplicatur l. 3. §. 1. D. de *adquir. possess.* quasi Adamus dum in una parte terræ pedem posuit, universum terrarum orbem occupasse intelligatur. Quod si quis jus illud utendi rebus à Creatore hominibus concessum velit nomine proprietatis insignire, admitti quidem possot, *proprietatem esse causam divisionis & occupationis*, i. e. ideo hominibus fas fuisse res occupando & dividendo sibi vindicare, quia in genere Deus iis indulserat, res in usum suum adplicare. Verum si proprietatem velimus proprie accipere, prout notat exclusionem cæterorum à certa re uni attributa,

Verum omnino est, divisionem & occupationem esse causas proprietatis. Deinde liberi Adami in familia paterna adhuc constituti circa usum rerum utique ad patris se arbitrium gerere debebant; verum non ex vi domini privati Adami competentis, sed ex vi potestatis patriæ. Teneros enim ipse tenebatur alere. Ubi jam ipsorum quoque opera utilis esse posset, patria potestas ferebat, ut & in usu rerum in medio positarum ad patris arbitrium sese componerent liberi, ne ex intemperantia malum aliquod paterentur; & ut quæ ipsi ex rebus sponte enatis collegissent, aut per industriam produxissent, in patris manus tradere hujus arbitrio dispensanda. Qui utique, quamdiu isto jure utebatur, filiis etiam adultis pro temporum conditione de necessariis prospicere tenebatur. Unde si v. g. filius aliquis Adami contra interdictum patris certo genere fructus clam sese justo avidius ingurgitasset, nequaquam furto se obstrinxerat, sed imperii paterni violati reus erat. Aut si Adamus jussisset majorem fratrem prodire, ut fratri parvulo fructus quosdam colligeret, & vero hic eosdem vel proprio ventri immerfisset, vel clam in futuros usus recondidisset, castigationem merebatur non ob furtum, sed propter obsequium patri non præstitum. Adeoque eo tempore neque Adamus dominium privatum habebat, neque ipsius liberi; sed illi quidem jus communionis primævæ sufficiebat, hi vero circa exercitium ejusdem juris à directione paterna dependebant. Igitur dominium privatum Adami tunc incepit, quando filios suos velut emancipavit, & ut suam sibi familiam seorsim constituerent, permisit.

§. 13. Expendamus quoque argumenta eorum, qui primævam illam communionem impossibilem fuisse pugnant. Vid. *Bæcler. dicto loco*. Ajunt, *in statu innocentia non debuisse, nec potuisse, talem esse communionem; quia ut omnis ordo rectæ rationi consentaneus, ita pulcherrimus ordo possidendi res, quarum dominium humano generi traditum erat à Deo, illi statui vel maxime conveniebat; in quo abstinentia alieni illustre nomen sortiri debebat. Inde in decalogo uti abstinentiam, ita certam cuique & discretam rerum suarum possessionem sancitam. Illam autem legem etiam ante lapsum mentibus hominum insculptam*. Hæc respondetur, primò non ita liquido constare, qualem vitam, quantum ad ista exteriora, homines fuerint acturi, si in statu primævo à peccatis immuni perstitissent; adeoque utrum ad eam magis communio rerum, quam proprietas congruisset.

Dein-

Deinde & hoc indubium vocari potest, an non major in hoc sit virtutis perfectio, placide cum aliis in medio positis rebus frui, neque præ reliquis peculiare sibi quid adpetere, quam in abstinentia alieni. Denique quicquid sit de aternitate legis naturalis, id patet, non necessarium esse, omnia ejus legis objecta semper extitisse; quorum multa ex conventionibus & institutis humanis demum proveniunt. Sic lex de homicidio objectum non inveniebat, Adamo solo existente; neque lex de adulterio, nullo existente præter ipsum adulto mare; neque lex de furto ante divisionem rerum; neque lex de falso testimonio ante judicia instituta; neque lex de non concupiscenda domo, cum adhuc domus antra essent, aut servo & ancilla ante institutam servitutem; neque lex de honorandis parentibus, antequam Eva peperisset. Vid. *supra* l. 2. c. 4. §. 22. Pergunt, *in statu post lapsum itidem possibilem non fuisse eam communionem; Primò quia ne animo quidem concipi possit. Nam ita à Grotio describi istius communionis leges, ut statim quisque hominum ad suos usus arripere posset, quæ vellet, & quæ consumi poterant consumere. Ac talem usum universalis juris tunc fuisse loco proprietatis: quod enim quisque sic arripuisset, id ei eripere alterum nisi per injuriam non potuisset. Hoc modo autem proprietatem in communiõne statui; adeoque contradictionem involvi; cum hic solius proprietatis sit effectus, ne cui ab altero res possit eripi. Enimvero frustra fingitur difficultas, ubi nulla est. Aliter quippe sese habet communiõ primæva ante omne factum hominis, usumque ullius rei; ubi simpliciter quælibet res non magis ad hunc quam ad alterum, & sic æque ad neutrum spectant. Aliter autem illa sese habet, quando rebus in medio expositis uti homines incipiunt. Ibi enim ex pacto prævio illa cujusque propria fiunt, quæ in usus suos arripuit. Citra hoc enim hominibus usu omnium rerum foret abstinendum. Unde in hac communiõne veluti temperata ipsa rerum corpora ad nullum pertinent, fructus autem post collectionem proprii fiunt. Quale communiõnis primævæ cum proprietate temperamentum puto etiam à mediocriter subtilibus posse animo concipi. Quercus erat nullius; quæ deciderant glandes ejus siebant, qui legisset. Quo posito, facilis est quoque responsio ad id, quod subjungunt. Negant enim, *talem communionem potuisse vel minimum temporis durare, & fuisse naturæ humanæ seu rationali contrariam, ferinam, insociabilem. Adeoq; eandem nullum alium sui usum præbere, quam ut ex illa, tanquam hypothese ficta, ostendatur necessitas**

dominii distincti in civitate. Sed communio illa velut in actu signato considerata durare non potuit, nisi homines perpetuo vellent esurire, & nudi ambulare. Quo minus autem cum temperamento aliquo proprietatis subsisteret, nihil prohibebat, quamdiu neque maximus hominum numerus existeret, & iidem vitam simplicem agerent. Id tamen certum est, quo magis auctus fuit hominum numerus, vitaque excoli coepta, eo majorem fuisse necessitatem plures res proprietati subjiciendi. Inde barbari satis ac simplices sunt populi, qui propius adhuc à communiōne primæva absunt; puta, qui herbis, radicibus, fructibus sponte natis, venatu, piscatione vitam tolerant, nullo alio censu, nisi casa, & vili supellectile. Porro quando asserimus, natura omnes res negative fuisse communes, non hoc dicimus, quasi jus naturæ præcipiat istum statum rerum perpetuo conservare; sed quod res consideratæ citra ullum antegressum factum humanum tales fuerint, ut non magis ad hunc quam ad illud pertinuerint. Contra quando tradimus, svadente ratione ab ista communiōne discessum, non id pertendimus, necessarium fuisse, ut uno momento omnes res sub proprietatem irent; sed prout in doles hominum, rerum, locique requireret, & prout commodissime litium materia videretur intercipienda. Adeoque neque nos in legem naturæ peccavimus, exterminata penitus communiōne primæva; neque barbari, multis ejusdem vestigiis adhuc retentis. Sic quod additur parum habet difficultatis. Dicunt, *post lapsum homines nunquam potuisse sine lege vivere, ut esset vita socialis: ergo nec sine distinctione dominiorum; quippe cum communiō rerum pugnet cum lege, quæ assignare & distribuere res possidendas solet.* Atqui cum non omnes leges dominia rerum præsupponant, quare istæ non potuerint observari, ut in ea communiōne temperata vita socialis ageretur? Quanquam certum est, ante divisionem dominiorum simplici admodum jure, & quod paucissimis capitibus absolveretur, potuisse ægri homines. Unde limitandum illud *Servii ad Æneid. 4. v. 58.* ubi docet, ideo ab antiquis Cererem dictam legiferam, & sacra ejusdem Thelesinophoria, quia ipsa dicatur leges invenisse; quippe cum ante inventum frumentum passim homines sine lege sint vagati; quæ feritas interrupta sit invento usu frumentorum, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. Scilicet operosiore legum adparatu opus erat post divisa dominia rerum introducta, cum ante paucis legibus genus humanum regere-

geretur. Ipsa autem communio simplicem duntaxat, & incultam, ac parum velut digestam vitam, non tamen plane ex legem & infocialem efficit. Communio Platonica huc non pertinet, utpote quæ positiva est, & non in res solum, sed & uxores, liberosque extenditur.

§. 14. Ex hisce adparet, in quem sensum sit accipiendum, quod nonnulli asserunt: *proprietatem & dominium esse juris naturalis proprie dicti, quodque mentibus hominum est inscriptum.* Ubi observandum, locutionem istanc, *hoc vel illud est juris naturalis*, diversum habere sensum, prout profertur vel de præcepto aliquo proprie dicto, vel de instituto aliquo, in vitam humanam introducto. Priori modo notat; jus naturæ præcipere, ut hoc fiat vel non fiat: posteriori autem; sanam rationem svadere id inter homines constitui & recipi, ex considerata in universum vitæ socialis conditione. Nam quæ ob peculiarem utilitatem hujus vel illius civitatis introducta sunt, juris civilis seu positivi dicuntur. Inde quando quæritur, dominium an ad jus naturale suam referat originem; non prior, sed posterior sensus attenditur. Scilicet cum fundamentum juris naturalis sit vita socialis, & vero humani indoles ingenii satis ostendat, in magna hominum multitudine, vitam variis artibus excolere aggredientium, quietam decoramque societatem subsistere non posse citra distincta rerum dominia; ideo rebus humanis ita requirentibus recte, & ex scopo legis naturalis eadem sunt introducta. Quo factò eadem lex observare jubet, quæ ad finem domini instituti faciunt. Nequaquam autem omnes statim ab initio humani generis, aut ubique locorum ex definito aliquo præcepto juris naturalis debuerunt proprietatem subire; sed hæc est introducta, prout pax mortalium id requirere visa fuit. Præceptum autem juris naturalis de abstinentia à rebus alienis tunc demum vim suam exseruit, ubi ex conventionem hominum fuit definitum, quidnam cuique alienum, quid proprium esset. Ante id tempus virtualiter quasi delituit in generali illo præcepto de servandis pactis, & de non lædendo alterius jure. Neque absurdum est dicere, obligationem ad servandam legem de abstinentia alieni esse generi humano coævam; constitutionem proprii & alieni deinceps introductam. Sic sæpe obligamur ad obsequium, priusquam sciamus, quid nobis sit injungendum; quando nempe in genere sumus obligati ad parendum illis, quæ à certo quoquam nobis deinceps erunt imperanda, aut quando sub generali aliquo præcepto plura specialia possunt subsumi.

§. 15. Addendum quoque heic est de domini subjecto; circa quod illud potissimum quæritur: an capaces sint domini, quibus deest usus rationis, puta infantes & furiosi? Ubi illud certum est, infantem & furiosum non posse originaliter dominium alicujus rei acquirere, seu per immediatam occupationem aliquid suum facere. Causa est, quia ad dominium hoc modo acquirendum necessaria est intentio acquirentis, quod velit hanc rem in posterum habere pro sua; & simul ut intelligat, istum actum esse aptum, ut ipsi inde jus nascatur. Id quod in tales non cadit. Ast circa acquirendum dominium rerum, quæ ab aliis hominibus in hos derivantur, aliter se res habet. Et si enim ad hoc quoque, ut res ab altero in me transeat, in me regulariter requiratur animus intelligens, quid agatur, & valens signis ex intentione procedentibus indicare, quod istam rem mihi habere, atque acceptare velim; receptum tamen est apud omnes cultiores gentes, ut in infantes quoque, & qui adhuc in utero sunt (vid. l. 7. l. 26. D. de statu hominum. l. 3. D. si pars hered. petatur.) dominia rerum transferri, & ab iisdem retineri possent. Idque ratio naturalis & æquitas introduci sivebat, quod res, quæ dominio subsunt, ad usum vitæ spectent, & non infantibus minus quam adultis sint necessariae; imò illis paulo magis, quod ob impotentiam virium, & iudicii sibi non æque, ut adulti, possint prospicere. Igitur in infantibus circa acceptationem sufficere iudicatur consensus ipsorum præsumtus, quatenus nemo respuere censetur aliquid, quod sibi expedit. Ob defectum tamen iudicii, ex ætate resultantem, dominium tantum quoad usum in infantes conferri potuit, non tamen ut ipsi per se id exercerent. Nam mos gentium infantibus favens id quidem efficere potuit, ut illi quid habere, non etiam ut eo recte uti per se possint. Vid. Galat. IV. 1. Ne autem jus illud infantium in nihilum recideret, id præterea humanitas requirebat, ut cæteri adulti istorum personam tantisper circa administrationem bonorum sustinerent, quousque ipsi suis rebus superesse possent. Quæ administratio vel committitur certo homini ab eo, qui bona sua in tales transfert, vel in civitatibus super ea re per leges, aut magistratum provisum cavetur; aut ubi utrumque deest, cognatio, vicinia, vel sola denique humanitas eam idoneis commendat. Quo loco obiter referenda est lex Charondæ; qui orphanorum bonam agnatorum administrationi, pupillorum vero educationem cognatorum fidei & cura subjecit. Hos enim, utpote ad quorum succes-

successionem hæreditas pupillorum non pertinet, hisce nullas insidias moliri. Agnatos insidiarum occasionem non habere; cum tamen fato casuè extinctorum bona ad ipsos devolvantur, attentam hæreditatis curam eosdem gesturos probabile esse. *Diodorus Siculus*. l. XII. c. 15. *Publius Syrus*: Male secum agit ager, medicum qui heredem facit. Non multum abit lex Solonis; ut curator cum pupillorum matre non cohabitet; & ne is curator fieret, ad quem post pupillorum obitum substantia spectaret. *Diogenes Laërtius in Solone*. Quocumque autem modo alicui ejusmodi administratio sit commissa, ob favorem teneræ, sibi que non sufficientis ætatis summa fide ea erit tractanda. Inde *Hesiodus* l. 1. op. & dierum, in pari gradu delicti locat, qui supplici, hospiti que nocuerit, qui fratris cubile polluerit, qui senem parentem aspere tractaverit; & ἄλλοις ἄφραδῆς ἀλιτρωσίῃ ὀρθρὰν ἔκταν, & qui mala cujuspiam fraude deceperit orphanos liberos. Apud *Platonem* de LL. orphani vocantur ἡμετέρας τὰ μέγιστον & ἱερτάτην, depositum maximum & sanctissimum. Ubi multa de officio tutorum. Etsi ut gratis, aut cum dispendio sustineatur, non semper æquitas & humanitas requirit. Add. *Grotius* l. 1. c. 3. §. 6. & ibi *Bœclerus*, *Zieglerus*, & *Felden*. Ubi ostendunt, dominium etiam quoad actum secundum penes infantes esse. Nam penes tutores est nuda administratio juris, & rei alienæ.

CAPUT V. DE OBJECTO DOMINII.

- | | |
|---|---|
| 1. Quid requiratur, ut res propria fieri queant? | 6. Rationes contra proprietatem maris. |
| 2. Res usus inexhausti frustra fiunt propria. | 7. Usus maris quinam? |
| 3. Res propria aliquo modo custodia debet esse obnoxia. | 8. Quanam maris partes occupata sint? |
| 4. Quarundam rerum proprietatum usus omnibus patet. | 9. Oceanus vastus dominii expers. |
| 5. Divina concessio dominio maris non repugnat. | 10. Oceani navigatio & commercia quatenus libera? |

Videndum jam est de objecto dominii, seu quænam res idoneæ sint, ut sub proprietatem eant. Ad hoc igitur duo requiri videntur, tum, ut res usum aliquem hominibus mediate aut immediate pos-

fit præbere, per se, aut per coherentiam cum alia re; tum ut hominum apprehensioni & custodiæ aliquo modo sit obnoxia. Nam plane inutilia sibi vindicare velle supervacuum, & ineptum est. Et cum proprietas includat jus alios ab ea re arcendi, quod inutile est, nã adversus alios in actum possit deduci; frustra proprium tibi asseres illud, ubi nulla ratione prohibere possis, quo minus ceteri te invito de ista participent.

§. 2. Sed & quædam, utilia licet hominibus, propter amplitudinem suam inexhausta sunt, ut omnium usibus possint patere, nec tamen singulis iste usus reddatur malignior. Tales res proprietati subjicere, malignum foret atque inhumanum. Eam ob rationem vulgo à proprietate eximunt lumen caloremque solis, aërem, aquam profluentem, & similia. *Petronius. Quid non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formosus potest? In publico tamen manant. Apud Ovidium Metam. VI. ita Lætona: Usus communis aquarum est. Nec solem proprium natura, nec aëra fecit, Nec tenues undas: ad publica munera veni.* Quanquam cum terrigenis ad usum luminis & aëris, terræ usus sit necessarius, quippe quibus volare à natura sit negatum; inde fit, ut ejus liber & omnimodus usus aliis possit intercipi; puta; si quis in obscurum & tetrum carcerem conjiciatur. Et cum aër alicubi liquidius sese & purius diffundat, isthoc quoque respectu alicui loco pretium accedere potest. Quemadmodum in ædificiis cum primis & fundis prospectum maximi fieri ab hominibus, amœnitatem sectantibus, videm⁹. Quæ de causa introductæ sunt servitutes altius non tollendi, luminum, & ne luminibus officiat, prospectus, & ne prospectui officiat. Sic quanquã alias nemo ventum sibi asseruerit proprium; potest tamen constitui servitus venti non intercipiendi, ne molæ nostræ alata reddantur inutiles.

§. 3. Est & hoc observandum, quemadmodum diversam habent materiam substantiæ rerum, in quas homini dominium competit; ita quamlibet earum occupari & possideri eo modo, quem nature ipsi⁹ conditio admittit. Quo arctius enim aliqua res velut claudi & circumscribi potest, eo facilius effectus proprietatis adversus alios obtinentur. Adeoque quo aptior est aliqua res, ut injustæ aliorum manus ab illa excludantur, eo securiorem nobis ejusdem proprietatem spondemus. Uti tamen non statim aliqua res est à proprietate exempta, abs qua
non

non ita commode aliorum manus possunt arceri; ita si quid ita sit diffusum, ut vel impossibile moraliter sit custodia qualicumque eam amplecti, aut ipsa custodia longe plurium sit impensarum, quam quanti sunt fructus inde redituri; non est præsumendum, quempiam rem tam onerosæ tutelæ sibi voluisse propriam reddere. Quanquam ad hoc, ut res aliqua fieri possit propria, non requiratur, ut illa includatur aut includi possit terminis artificialibus, aut heterogeneis; sed sufficit, si ejus magnitudo quacunque ratione possit designari. Inde supervacua est sollicitudo *Grotii* l. 2. c. 3. §. 7. quando flumina proprietatis capacia vult ostendere; quod etiamsi flumina nec supra nec infra claudantur territorio, sed cum aqua superiori & inferiori, aut cum mari cohæreant: sufficiat tamen, quod major pars, i.e. latera sint clausa ripis.

§. 4. Denique & hoc deprehendimus, quod quarundam rerum usus arctis velut finibus sit circumscriptus, nec cum pluribus communicari aptus: quales in proprietatem ire pacis quam maxime intererat. Quædam autem res, cum diversos sui usus præbeant, secundum quosdam usus exhauriri possunt, secundum quosdam omnibus abunde sufficiunt. Tales res uti nihil impedit, quo minus propriæ possint fieri: ita & illud lex humanitatis jubet, ut usus earundem inexhaustus nemini pacato denegetur. Quod si autem aliqua res sit, quæ secundum omnes usus inexhausta foret, eam in primæva communione, & in medio non relinqui absurdum fuerit. Equidem in communione positiva si communis res divisa singulis sufficit, nihil impedit divisionem fieri; sin minus, præstat rem indivisim possideri. Verum ut res aliqua in medio totius humani generis exposita, omniumque promiscuis usibus sufficiens per partes dividatur, id sane à ratione abhorret. Equidem terræ tanta est magnitudo, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat, non tamen si indivisim à tanta multitudine hominum, qualis nunc est, possideretur. Quam illa citra culturam haut quidquam aluerit. Ergo alia ratio est, quare magnitudo non obstiterit, quo minus terra divideretur; quæ ipsa tamen divisionem Oceani faceret ridiculam. Conf. *Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 3.*

§. 5. Enimvero de aliis quidem rebus parum heic difficultatis. Sed super mari, an illud proprietatis capax sit, nostro seculo à clarissimis ingeniis fuit disceptatum. Ubi observare licuit, multos studium ad-

versus patriam suam magis ob oculos, quam veritatem habuisse. Etsi per eosdem, & reliquos extra partium studia politos, ita sint omnia excussa, ut nihil fere dici possit, quod non dictum sit prius. Eo brevioribus nobis heic licebit esse; cum in omnium manibus versentur scriptores, à quibus ista controversia fuit tractata. Illud igitur manifestum, concessioni divinæ, qua homini jus in terram capeffendi imperium fuit indultum, etiam mare adjungi. Æque dicitur: dominamini piscibus maris, quam animalibus terrestribus. In animalia autem imperium intelligi non potest, nisi simul jus sit elementum, quod illa inhabitant, prout ejus admittit natura, usurpandi. Etsi vero & volucrum cœli fiat mentio; tamen cum in aëre homini versari sit negatum, ita ut à terra sit disjunctus, soli aëri innixus; ideo imperium in aërem exerceri non potuit, nisi quousque qui in terra stant pertingere queant. Verum ut in mari dominium longius exerceri posset, effectum est per naves, ad summam jam perfectionem perductas, quæ non oneribus tantum transportandis inserviunt, sed & per regna Neptuni Martem terribili magis specie, quam per terram idem desævire, circumferunt. Neque est, cui scrupulum injicit amplius illud *Horatii carm. l. i. od. 3. Nequidquam Deus abscedit Prudens Oceano dissociabili Terras; postquam impia Non tangenda rates transliunt vada.* Neque privilegium aliquod maris præ terra adparet, quo minus illo ad usum & commoditatem suam uti homo queat. Enimvero cum concessio divina dominium, quod effectum in ordine adversus homines sit habiturum, immediate non constituat; inde in arbitrio hominum fuit, utrum mare quoque, sicut plerasque terras, sub proprietatem vellent mittere, an vero id in primævo statu relinquere, ut non magis ad unum, quam ad alterum pertineret.

§. 6. Quæstio igitur est, utrum certæ inveniatur causæ in mari, quare illud proprietatem subire nequeat? Id quod aliqui assertum ivere, rationibus partim physicis, partim moralibus. Inter illas allegarunt fluiditatem maris, quod proprium terminum non habet pro communi natura omnium liquidorum; possessionem autem non procedere, nisi in re terminata. Ad quod alii respondent, fluiditatem in se nihil obstare proprietati: neque mare carere suis terminis, inclusum quippe litoribus; neque adeo difficile esse partes & tractus maris certis terminis circumscribere. Addi potest, quemadmodum proprietati fluminum nil officit,

cit, quod in perpetuo sint decursu; ita nec maris, quod aqua vi ventorum aut per æstum modo huc modo illuc impellatur. Aliud enim est flumen, aliud aqua profluens; aliud mare, aliud aqua marina. Vastitas & amplitudo maris nequaquam ejusdem custodiam penitus reddit impossibilem, adeoque nec proprietatis usum plane tollit. Nam prohiberi alii ab usu maris possunt vel ex terra, ubi per angustum fretum in nostras terras finis maris infunditur, vel per naves armatas, quæ eundem in mari usum possunt præstare, quam in terra arces limitaneæ. Et si negari nequeat, totius Oceani custodiam uni populo moraliter fore impossibilem; neque operæ pretium facturum, qui in omnibus ejus partibus per naves armatas cæteros ejusdem usu velit arcere. Stultum est autem concupiscere, quæ non capias; præsertim ubi non necessitas vitæ, sed supervacua ambitio, aut avaritia quæritur. Et si eni alias defectus facultatis physicæ moralem non statim extinguat: tamen cum hæc citra illam inter pravas hominum cupidines scire inanitas sit, rationis est, plura non affectare, quam commode tueri possis. Supervacua tamen est restrictio *Grotii* l. 2. c. 3. §. 7. 8. quando flumina, & partes maris in proprietatem ire vult, modo illa, & hæc comparatione terræ quid sint exiguum; aut ut non ita magna sint, ut non cum terris comparata portio eorum videri possint. Si enim populus aliquis ad ripam fluminis vasti confederit tractu longo, non lato, flumen in comparatione terræ non erit exiguum quid; & tamen puto hoc ipsius proprietati nihil obstabit. Sic regna dantur, quæ à suis provinciis & appendicibus longe superantur. Moralem rationem, ob quam proprietas mari non conveniat, desumunt inde, quod ejus usus sit inexhaustus, adeoque omnibus promiscue sufficiens, ut frustra sit, ejus partes singulis velle assignare. Quod argumentum sane palmarium ducemus, si id constaret, mare quoad omnem sui usum in quibuslibet partibus omnibus sufficere. Nam introducta est utique rerum proprietas conservandæ paci in societate humana. Cum autem hic inter cæteros ejus sit effectus, ut qui rem meam me invito invadit, & usurpat, injuriam faciat, bello causam præbentem: igitur non promovisse pacem, verum plures ejus abrumpendæ occasiones conciliaffe fuerint censendi, si qui rem vellent propriam facere, quæ in medio omnium promiscue usui exposita homines nulla collidere lite apta foret. Enimvero an mare secundum

omnem sui usum in omnibus sui partibus sit inexhaustum, liquidius adparebit, si ejusdem usus distinctius consideremus.

§. 7. Aquandi ergo & lavandi usus nec magni est, nec nisi litorum accolis patet, & revera inexhaustus est. Inservit quoque aqua marina sali excoquendo; sed quo usu accolæ litorum duntaxat gaudent. Inexhaustum quoque & innoxia utilitatis est mare quantum ad navigationem. Vid. l. 23. §. 1. D. de *servit. prad. rust.* Verum sunt præter hos alii quoque usus maris, qui partim non penitus sunt inexhausti; partim populo maris accolæ occasionem damni præbere possunt, ut ex re ipsius non sit, omnes maris partes cuius promiscue patere. Prioris generis est piscatio, & collectio rerum in mari nascentium. Piscatio etsi in mari fere sit uberior, quam in fluminibus aut lacubus: patet tamen, ex parte eam exhauriri posse, & accolis maris maligniorem fieri, si omnes promiscue gentes propter litora alicujus regionis velint piscari; præsertim cum frequenter certum piscis, aut rei pretiosæ genus, puta, margaritæ, corallia, succinum, in uno tantum maris loco, coque non valde spatioso inveniuntur. Heic nihil obstat, quo minus felicitatem litoris aut vicini maris ipsorum accolæ potius, quam remotiores sibi propriam queant asserere; quibus ceteri non magis jure irasci aut invidere possunt, quam quod *non omnis fert omnia tellus; India mittit ebur, molles sua thura Sabai.* Vid. de felicitate litoris Byzantini *Plinius* l. 9. c. 15. Ex posteriori genere est, quod mare regionibus maritimis vicem munimenti præbet. Inde Dux Somersetiæ Angliæ Protector in epistola ad Scotos apud *Sleidanium* l. XX. *Oceano claudimur undique tanquam mœnibus & vallo firmissimo.* Et longe meliori jure mare, quam ab *Isocrate encomio Busiridis Nilus, ἀθάνατον τείχος* immortalis murus vocatur. Verum anceps est hoc munimentum. Nam uti pedestria per id itinera abrumpuntur; ita patulus navigiis præbetur accessus. Eamque ob causam haut quidquam expedit populis maritimis, ut cuilibet in mari litoribus ipsorum prætenso versari liceat cum armatis navibus, non impetrata venia, aut præstita cautione de non offendendo. Quantum autem spatium maris ejusmodi vicem munimenti obtineat, cujus intuitu populo expediat dominium in eam obtinere, in universum non ita accurate definiri potest. Sane ob solam hanc causam aliquot centena milliaria imperio velle amplecti; plus justo mericuli foret. Ad hoc illustrandum facere potest, quod *Cæsar* l. VI. de

B. G. tradit de Germanis: *Civitatibus maximalaris est, quam latissimas circa se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam prope se audere consistere. Simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentina incurfionis timore sublato.* Igitur potuerunt graves esse rationes, quare populus aliquis certam sibi partem maris propriam faceret, hætenus ut cæteri ejusdem usus ab isto tanquam beneficium recognoscere tenerentur.

§. 8. Enimvero cum dominium, quod adversus alios homines effectus est producturum, à facto hominum cœperit; quousque ejusvis populi limites in mari sese extendant, possessio, aut pacta cum vicinis ostendent. Sic *Isocrates Panegyrico* gloriatur, Athenienses regi Persarum fœdere præscripsisse, *μακρὸν πλοῖον ἐπὶ τῆς φασήλιδος μὴ καθέλκειν, intra Phaselidem nave longa non adpellere.* Quid tamen heic in dubio, & ubi de actibus occupationem testantibus haut liquida extat memoria, sit præsumendum, ex sequentibus intelligi poterit. Ab initio ergo, cum adhuc navigandi usus esset incognitus, populos terris occupatis dominium ultra litora extendisse non est probabile. Nam cum piscatio citra naves valde esset sterilis, & non nisi testacea legere, aut lino & hamis decipere, & calamo salientes ducere pisces in scopulo hærentibus liceret; non erat qui metueret, ne per vicinos piscatio ipsis redderetur deterior; cum terrestri itinere accessuri arceri possent. Imò & navigiis inventis diu apud plerosq; populos piscatio in mari libera est relicta; quod vitæ genus laboriosum haut crederetur tam multos inventurum sectatores, ut ex collisione ipsorum turbæ forent metuendæ. Sed & cum nullæ adhuc hostiles classes navigarent, per se mari ratio munimenti factis constabat. Inventis dein navibus armatis, diu vix quidquam præter portus sibi proprios populi fecerunt; reliquæ partes maris in primæva communionem relicta. Quo audentius piratæ grassabantur, quod in locis nullius jurisdictioni subjectis minus atrociter pacem abs se violari crederent. Intellectis deinde maritimæ mercaturæ compendiis nonnulli fretorum accolæ hæc sibi propria asseruerunt, quæ exactis vectigalibus in partem lucri admitterentur, aut ut urbes suæ à mercatoribus celebrarentur. Dein aliæ quoque partes maris dominio subjectæ, vel piscatione insigniter uberes, vel quia securitati regionum expediebat.

Vix.

Vix tamen aliud dominii jus exercitum, quam ut citra noxam commẽare quibuslibet injungeretur, ne vè cui amplius ibi prædas liceret agere, aut citra veniam armatis navibus illas maris partes ingredi. Inde apud *Thucydidem* l. V. cum Lacedæmonii milites mari Epidauriis submisissent, Argivi missis legatis cum Atheniensibus exostularunt, quod cum in fœdere cautum esset, ne transitum per suam regionem hostibus darent, ipsos mari præternavigare sivistent. Idque factum Athenienses tanquam violationem fœderis à Lacedæmoniis factam interpretati sunt. Ad istud autem dominium agnoscendum recentioribus, ut adparet, seculis receptum, ut exteræ naves, dum munitionem maritimam, aut armatam navem prætervehuntur illius, qui dominum ejus maris se fert, signum aliquod venerationis exhibeant. Id autem non videtur necessarium, ut singulæ gentes præcise demonstrent tempus, quo dominium in certas maris partes occupaverint: sed cum istius exercitium non quo vis tempore usum habeat, sufficit, si actus imperii tunc exercuerunt, quando utilitas reip. id exegisse visa fuit. Quin putaverim citra absurditatem dici posse, partes maris, in quantum rationem munimenti, adeoque appendicis duntaxat habent, absque peculiari actu corporali cœpisse subire dominium ejus populi, cujus litoribus prætexuntur, postquam inter gentes armatarum usus navium innotuit. (Conf. *Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 3. §. 11.*) Nam hoc intuitu mare sese habet tanquam accessorium terræ; sicut fossæ, vel etiam proximæ uligines & paludes censentur accessio urbis. Uti autem in occupatione rerum immobilium non opus est, ut singulæ partes corpore tangantur, sed una pars tacta intelligitur proprietatem inducere toti isti, cujus ea pars dicitur: ita occupata per modum universitatis aliqua regione, certis finibus circumscripta, licet ab initio populus ultra eos fines dominium proferendi aut exercendi intentionem non haberet, quod nullum ejus loci usum crederet: intellecto tamen post, necessarium esse istum locum vacuum suæ regioni adjungi, videtur sola destinatione animi dominium in eundem locum, tanquam partem aut appendicem suæ ditionis, potuisse prorogare. Præsertim postquam constitit, alios quoque populos ex terra in vacuum hæctenus mare ditionem suam protulisse. Ubi recte præsumitur, reliquos populos haut quidquam de teriore conditione esse voluisse. Ex hisce patet, hodie post rem navalem, ad summum perductam fastigium, præsumi, quemvis populum maritimum,

num, & cui ullus navigandi usus, esse dominum maris, litoribus suis præ-
tensi, quousque illud munimenti rationem habere censetur: inprimis au-
tem portuum, aut ubi alias commoda in terram exscensio fieri potest.
(*Bodinus de rep.* l. 1. c. ult. Baldi fide asserit: *jure quodammodo Principum om-
nium maris accolarum communi receptum esse, ut sexaginta milliaribus à li-
tore Princeps legem ad litus accedentibus dicere possit.*) Sinus quoque maris
regulariter pertinere ad eum populum, cujus terris iste ambitur; neque
minus freta. Quod si autem diversi populi fretum, aut sinum accolant,
eorum imperia pro latitudine terrarum ad medium usque ejusdem perti-
nere intelligentur; nisi vel per cōventionem indivisim id imperium con-
tra exteros exercere, ipsos autem promiscue inter se isto æquore uti pla-
cuerit; vel alicui soli in totum istum sinum, aut fretum sit dominium que-
situm ex pacto, reliquorum concessione tacita, jure victoriæ, aut quia is
prior ad id mare sedes fixerat, idque statim totum occupaverat, & contra
adversi litoris accolam actus imperii exercuerat. Quo casu tamen ni-
hilominus reliqui sinus aut freti accolæ suorum quisque portuum, tra-
ctusque litoralis domini esse intelligentur. De effectibus marinæ vel-
ut ditionis vid. *Alber. Gentilis advoc. Hispan.* l. 1. c. 8. & 14. & *Seldenus maris
clausul.* 2. c. 20. 21. 22. Ubi obiter addendum, quod *Eduardus Chamberlayne
Notitia Angliæ part.* 1. c. 4. tradit, qui in navigatus sit, in mari ditioni Angli-
cæ subjecto, pro indigena Anglo censerit, neque naturalisatione, uti vo-
cant, opus habere, sicut alii, qui extra Angliam nati sunt.

§. 9. Sed quid dicemus de vasto Oceano, magnis continentibus,
Europæ, Africæ, Asiæ, Americæ, terræ Australi, & incognitæ interjecto?
An & hic sub proprietatem ivit, an vero adhuc in primævo statu persistit,
omnibus in medio expositus? Equidem istum sua magnitudo haut quid-
quam absolute reddit proprietatis incapacem. Fatendum tamen est,
inutile, quin & cum iniquitate conjunctum fore ejus dominium, si quis
eum sibi soli in universum, aut pauci per partes exclusis reliquis velint
asserere. Navigatio seu usus itineris maritimi est res innoxie utilitatis,
cujus solius causa proprietatem mari inducere supervacuum est; cum æ-
que commode in mari omnibus communi, quam proprio vela fiant.
Piscatio per vastissima illa æquora non est tanti momenti. Et cum fru-
stra illud tuum esse dicas, abs cujus promiscuo usu alios arcere mora-
liter sit impossibile; haut puto operæ pretium fecerit, qui classes

per omnes Oceani partes perpetuo velit alere, prohibendæ aliorum piscationi. Quid si tamen aliquis per inanem ambitionem, ut dominus Oceani clueat, aut subigente avaritia, ut solus emolumenta navigationis, & commerciorum maritimorum ad se trahat, proprietatem Oceani sibi soli velit arrogare? Præsertim si dicat, sese primum navigando Oceanum usurpasse, & in singulis continentibus, quæ iste interiectus est, terras possidere. Cum autem Oceanus initio fuerit vacuus, in eum potuisse proprietatem sibi acquirere, quicumque primus illum occupare sit aggressus. Heic dicimus; liberum quidem esse hominibus vacua occupando sua facere, sed ita tamen, ut meminerint, non uni & alteri, sed universo hominum generi orbem terrarum à Numine esse concessum; simulque naturaliter homines esse æquales. Igitur pactum illud tacitum eorum, qui primi res diviserunt, circa concedenda occupantibus illa, quæ in primam divisionem non venerunt, hautquidquam extendi potest ad talem rem, quam si unus possideret, reliquos omnes iniquissimo servitio posset premere, aut exposita alias maxima commoda interciperi. Quippe cum istis de tali casu in mentem non potuerit venire. Unde sicut nemini vitio fuerit vertendum, si ex acervo rerum in medio positarum quantumvis abunde necessitatibus suis etiam in futurum prospexerit: ita ferendus non est, qui absurda ex cupidine plura velit affectare, quam quæ capere possit; & ideo tantum fines suos in immensum extendere, ne aliis naturæ bonis fruendi copia sit. Nullus igitur probabilis prætextus adferri potest, quare unus aliquis populus in totum Oceanum dominium velit prætere, cum hoc effectu, ut cæteros omnes à navigatione ejusdem velit arcere. Earum rationum, quæ proprietatem rerum introduci svaserunt, nulla in vastum Oceanum cadit. Ut is navigationi sit idoneus, nulla, quantum ad ipsum mare, hominum opera & industria opus est. Eodem labore venti quicquid est ubique navium propellunt, quam unicam. Nec quos naves ducunt sulcos, secuturis asperius reddunt iter. Non deterius patet tibi in continentem alterum iter, licet cæteri eandem viam usurpent. Ante cæteros per locum aliquem iter fecisse, hautquidquam in eundem dominium dat, aut reliquis idem iter intercludit. Impudens autem est jactare; interdicta cæteris navigatione, unam solum lucro inde proveniente potiri;

ad

ad quod quemque intentum esse debere. Quasi vero iniquissimo monopolio ceteri omnes sint premendi, ut unius inexplebilis avaritia alatur; aut quasi reliquis omnibus jugum ultro sit subeundum, quia unius ambitio improbo voto totius orbis imperium complectitur. Ea fuit Numinis erga mortales liberalitas, ut, quæ necessitatibus ipsorum inserviunt, abunde suppeditaverit. Eos autem possidendi fines ratio hominibus præscripsit, ut contenti sint acquisivisse, quæ suis suorumque usibus probabiliter sufficerent. Nec futuri incautos esse vult, dummodo per invidiam, aut superflua habendi libidinem alii non prohibeantur de necessariis sibi prospicere. Si quis ulterius grassatur, & superfluas corradit opes opprimendis aliis, reliquis vitio non vertetur, si occasione data istum mature in ordinem redigere instituant.

§. 10. Ex hisce liquet, pacatam Oceani navigationem omnibus & esse liberam, cum nemini adhuc tale jus in eum sit constitutum, ut cæteros inde arcere queat; & per legem humanitatis talem esse debere. Ad eoque neminem posse prohibere, quo minus populi Oceanum accolentes, ipsi non subjecti, inter se commercia instituant; nisi pacto tale jus sibi quæsierit, ut aut unus populus in ipsius gratiam certum quempiam populum à suis commerciis arcere teneatur, (qualia pacta Societas Indiæ Orientalis Belgica cum Imperatore Zeilonis inivit. Vid. *Phil. Baldeus descript. ora Malabar & Coromand.* c. 10. & 22.) aut quis ipsi cesserit facultate sua ad eum populum navigandi. Nam cum merces meas, præsertim ad superfluam voluptatem magis, quam ad vitæ necessitatem spectantes, pro lubitu ipse retinere, aut alienare possim; nihil prohibet, quo minus certas ob causas pacto me alicui obstringam, quod ipsi soli easdem sim concessurus. Et hoc ipsum est libertatis, ut quis jure suo alteri per pactum cedere queat; quanquam ejusmodi pactum tertio alicui præjudicare nequit. Inde etiam uti recte Princeps prohibere potest, ne merces in sua regione natæ, aut factæ ab exteris exportentur, nisi pacto aut liberali concessione eam sibi facultatem paraverint; (quale tamen pactum inire, aut quam gratiam indulgere de jure naturæ nequidquam tenetur, nisi si quem forte extrema urgeat necessitas, citra commercia isthæc periturum:) ita si v. g. populus Europæus regionem aliquam Africæ aut Indiarum suam fecerit eo modo, qui inter gentes dominium parere solet; recte quoque, si videbitur, omnem aditum ad eandem commerciorum causâ susceptum

cæteris poterit præcludere, aut non nisi sub certa conditione, certo vè onere permittere. Id quod & ita observari videmus, nec in eo quidquam adparet, quod naturali rationi repugnet. Nam illa tantopere jactata commerciorum libertas non obstat, quo minus civitas suis plus civibus, quam exteris favere queat.

CAPUT VI.
DE OCCUPATIONE.

- | | |
|---|---|
| 1. Modi acquirendi quotuplices? | 8. Quando occupata intelligantur res immobiles; |
| 2. Modi acquirendi originarii. | 9. Quando mobiles? |
| 3. Occupatio fit per universitatem, aut per fundos. | 10. An vulnerata à me fera statim mea sit? |
| 4. Occupatio mobilium dependet ab arbitrio summi imperii. | 11. An nostri sint pisces, qui in lacu nostro sunt? |
| 5. Alicubi captura ferarum quibuslibet permissa: | 12. Res derelicta sunt denuo occupantis. |
| 6. Alicubi eadem solis Principibus relicta. | 13. De thesauris. |
| 7. An qui contra leges venatur, feram captam suam faciat? | 14. De occupatione bellica. |

Proximum est de modis acquirendi dominii dispicere, qui ad ductum *Grotii* commode dividuntur in *originarios*, & *derivativos*. Illi sunt, quibus ab initio in rem aliquam proprietas introducitur; hi, quibus dominium jam constitutum ab uno homine in alium transit. Modus acquirendi originarius iterum est vel simpliciter talis, quo dominium in corpus alicujus rei acquiritur; vel secundum quid, quo incrementum aliquod ad rem nostram adjungitur.

§. 2. In superioribus satis ostensum fuit, postquam mortalibus à primæva communione discedere placuisset, ipsos de rebus in medio positus, prævio pacto, suam cuique portionem assignavisse, autoritate parentis, consensu, sorte, aut quandoque optione concessa. Quæ sub isthanc primævam divisionem non venerunt, super his ita conventum, ut ea cederent occupanti, i. e. qui primò eadem corporaliter adprehendisset animo sibi habendi. Inde quod apud *Grotium* l. 2. c. 3. §. 1. dicitur: *originaria adquisitio olim, cum genus humanum coire posset, fieri potuit etiam per*

per divisionem, nunc per occupationem tantum; ita est explicandum: cum primum genus mortalium in plures familias dividi cœpisset, distincta rerum dominia provenire ex divisione; post eam divisionem originarie rem vacuum acquirit, quicumque eam occupaverit, i. e. qui præ cæteris eam rem adprehenderit, aut in eadem asserenda reliquos prævenierit. Prout id vocabuli accipitur apud Senecam Thyeste v. 204. In medio est scelus positum. occupanti. Tacitum H. V. 1. Multi quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat, occupandi Principem adhuc vacuum. Plinium l. 4. epist. 15. In ea civitate, in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur, qua legitimum tempus expectant non matura, sed sera sunt.

§. 3. Circa occupationem rerum immobilium, & potissimum agrorum, distincte considerandum, an ea fiat ab uno, an à pluribus simul. Unus aliquis agrum tunc occupasse censetur, quando culturam illi adhibet, aut certos eidem limites designat. Ita tamen ut non plura amplectatur, quam quantum familia una, etiam insigniter multiplicata, probabiliter tueri possit. Nam si v. g. unus vir cum sua conjuge in vacuum insulam delatus esset, quæ aliquot myriadibus alendis sufficeret, impudenter eam totam titulo occupationis sibi assereret; ac extrudere conaretur eos, qui in diversam insulæ partem adpulerint. Ubi autem cœtus hominum junctim partem quampiam terræ occupaverit, id fieri siveit vel per universitatem, vel per fundos. Prius contingit, si cœtus hominum possessione complectatur desertum aliquem tractum terræ, certis finibus per naturam, aut ex arbitrio hominum circumscriptum. Cujus deinceps particulæ singulis ex eo cœtu pro lubitu occupandæ conceduntur, (id quod rarius factum,) aut, quod rixis & confusio evitandæ commodissimum, publice cuivis assignantur. Promiscuam quippe occupationem confusio præbere materiam, innuit illud Livii l. V. in fine, de Roma: *formaque urbis occupata magis, quam divisa similis.* Exempli loco possunt esse, quæ de Germanis antiquis memorat Tacitus German. c. 26. *Agri pro numero cultorum ab universis per vicos* (sic enim legit Grotius pro *vices*) *occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur, facilitatem partendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant, & superest ager. Sic Casar l. 4. de B. G. Svevos memorat C. pagos habere, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causâ suis è finibus educunt, reliqui domi manent, pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt,*

illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio & usus belli inter-
mittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est: neque longius an-
no remanere uno in loco incolendi causa licet. Idem l. VI. de Germanis in uni-
versum: haud quisquam agri modum certum, aut fines proprios habet; sed ma-
gistratus & Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum,
qui unà coiverunt, quantum eis & quo loco visum est, attribuant agri; atque
anno post aliò transire cogunt; conservandæ scilicet vitæ simplicitati, pro-
cul avaritia & luxuria. Quo alludit Horatius 3. Od. 24. Campestris melius
Scythæ Vivunt, & rigidi Getae; Immetata quibus jugera liberae Fruges, & Ce-
rerem ferunt: Nec cultura placet longior annua; Desunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius. De incolis insulæ Liparæ vid. Diodorus Si-
culus l. V. c. 9. Idem l. V. c. 34. Vaccais arctius quoddam genus commu-
nionis tribuit. Vaccaorum natio, inquit, divisos quotannis agros colit; &
communicatis inter se frugibus suam cuique partem attribuit. Rusticis ali-
quid intervertentibus supplicium capitis multa est. Add. Idem d. l. c. 45. de
Panchæorum republ. Sic & Apalchitæ in commune laborant, & ex
communi granario singulis patribus familias pro numero suæ familiæ
singulis plenilunii distribuitur. Vid. Rochefort descript. Antik. part. 2. c. 8.
n. 8. Conf. Grot. l. 2. c. 2. §. 4.

§. 4. Circa occupationem porro per universitatem est observan-
 dum; per eadem constitui dominium toti coetui, ut tali, in omnia eo tra-
 ctu comprehensa, non immobilia solum, sed & mobilia, ac se moventia;
 aut saltem jus isthac posteriora, exclusis cæteris, adprehendendi. Quod
 dominium universale usque adeo distinctum est à dominio privatorum;
 ut hocce possit transire etiam in aliquem extraneum, salvo in idem civi-
 tatis dominio universali. *Dio Chrysostomus in Rhodiaca. ἡ χώρα τῆς πόλεως,*
καὶ ἡ πόλις ἡ δὲ περὶ τῆς περὶ τῆς πόλεως ἑκάστης οὐκ ἐστὶν ἰδιωτικὴ. Regio civitatis est, ni-
hilominus tamen possidentium quisque est dominus rerum suarum. Sed nec
necessarium est, ut omnia, quæ per modum universitatis occupata sunt,
in singulos & privatos dominos describantur. Unde si quid in tali re-
gione privato carens domino inveniatur, non statim pro vacuo haberi
debet, ut abs quovis possit peculiariter occupari, sed ad totum populum
pertinere intelligitur. Id quod putamus extendendum ad desertas insu-
las in mari sitas, cujus dominium ad civitatem aliquam spectat, aut si quæ
in vacuis ibi nascantur: quarum exempla memorat Plinius N. H. l. 4. c. 12.

Qui

Qui circa ejusmodi res diverso modo disponere solet. Aliquando fructus ex istis rebus redeuntes in publicum rediguntur, in publicos usus iterum erogandi; aliquando etiam exteris ejusmodi rebus uti frui conceditur; aliquando civibus duntaxat omnibus, aut certi ordinis. Semper tamen, quantum singulis circa talia juris competat, à constitutione populi dependet. Discrimen tamen aliquod heic deprehenditur, inter res immobiles & mobiles. Illæ cum & palàm sint expositæ, nec loco moveri queant, per universalem illam occupationem statim, quantum ad ipsorum velut corpora, ad populum pertinere intelliguntur. Quædam autem res mobiles ita sunt comparatæ, ut sedem quidem ipsis præbeat ea regio, sed tamen opus habeant vel aliqua investigatione & collectione, uti metallæ in terræ visceribus hærentia, gemmæ, margaritæ, & similia in litoribus, aut alibi adhuc dispersa; vel peculiari adprehensione, & constrictione, ne iterum ex potestate nostra sese subducant, uti sunt feræ bestiæ, pisces, atque aves. Tales res nondum quæsitæ aut captæ cum in hominum potestate non sint, ut iis pro lubitu queant uti; igitur dum à populo per universitatem earum sedes occupatur, hic propriè non ipsarum dominium quæsit, sed duntaxat jus per particularem adprehensionem dominium earundem nanciscendi. Unde non recte dicitur, v.g. feras adhuc in naturali libertate vagantes esse Principis proprias. Sed Princeps jus habet eas capiendi, ideo quod penes ipsum sit dominium soli, in quo vagantur: quod quousque singulis liceat usurpare, penes ipsum est præscribere. Adeoque cui imperium est in terras & aquas, poterit vel promiscue quibusvis illas res adprehendendi, & proprias faciendi jus concedere, vel civibus suis omnibus, aut certi ordinis, vel sibi soli id reservare. Licet enim proprie sub dominio nondum sint istæ res: tamen cum ad constituendam earum proprietatem necessario adhibenda sit res dominio subjecta, puta, terra, aut aqua: igitur cui in hæc imperium competit, lege lata impedire poterit, ne ad talia adquirenda rem ipsius alteri adhibere liceat. Conf. *Grotius* l. 2. c. 3. §. 5. 19.

§. 5. Ex hisce adparet, ab arbitrio ejus, qui summum imperium habet, non autem à naturali aliqua, & necessaria lege dependere, quidnam juris in civitate singulis competat circa collectionem rerum mobilium nondum occupatarum, circa venationem, aucupium, piscationem, & similia. Imò & circa occupationem desertarum regionum, quas quo minus

quit

quilibet subditorum invadat, summi imperantes prohibere possunt. Quo interdicto tamen extraneis non præjudicant, quo minus ipsi tales regiones occupando suas facere queant, sed tantum suis subditis, ne alii ex iis istas acquirere possint, nisi quibus hoc concessum est. Scilicet alicubi singulis plura, alicubi pauciora sunt concessa, prout rectoribus civitatum expedire visum fuit. De moribus Ebræorum refert *Seldenus* l. VI. c. 4. *Quicquid in locis habebatur desertis, seu quæ à privatorum dominio & cultura erant vacua, fluminibus ac torrentibus, fiebat occupantis, uti est gramen, fructus arborum, sylva, & similia. Item pisces maris aut fluminum, volucres aut fera bestia. Non tamen in alieno agro venandum, aut aucupio utendum. Nihilominus quod & heic quis cepisset suum faciebat. In vivariis feras aut pisces capere nefas.* Conspirant fere Jcti Romani. Ita enim *Cajus* l. 2. rerum quotidianarum. *Omnia animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, i.e. fera bestia, volucres, pisces, capientium fiunt. Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.* De piscibus elegans est locus apud *Plautum Rudente act. 4. sc. 3.* *Ecquem esse dices in mari piscem meum? Quos cum capio, siquidem cepi, mei sunt, habeo pro meis: nec manu asseruntur, neque illinc partem quisquam postulat. In foro palam omnes vendo pro meis venalibus.* Et si isthæc ad inventum vidulum male adplicaret piscator. Circa isthæc & similia loca notant Interpretes juris Romani, per feras intelligi omnia animalia, quibus à natura vis infinita est insita vagandi in terra, mari, & aëre, sic ut etiam includantur illa, quæ hominum tantum commercio mansvefacta sunt. Et si fortasse discrimen ferarum & cicurum bestiarum melius ita exprimitur, quod illæ inter homines versari magis abhorreant, magisque infinita libertate gaudeant, nec nisi ægre & vix satis fideliter contubernio hominum assvescant; quod in hisce secus est. Et si ex eo, quod in remotissimis locis, quo nullus aut rarissimus homini accessus, aves sint deprehensæ, quæ tactus hominum non refugerent, *Grotius hist. Belg. l. 5.* pronunciet: *quod ab animantibus aliis fugimur, non illis deesse, sed nobis mansuetudinem.* Ni dicere malis, in feris majorem esse indocilitatem, & velut rigorem indolis, quam in cicuribus. Ubi obiter monendum, non recte inter feras aves referri columbas, & pavones, in §. 15. *Instit. de rer. divis. & l. 5. §. 5. D. de A. R. D.* Quod de pavonibus observavit etiam *Godofredus* ad d. l. *Inst.* & in columbas cadit quoque illa ratio, quæ seq. §. 16. adducitur, quod etiam feræ dentur columbæ.

Quas

Quas moribus Ebræorum non nisi ultra triginta stadia à columbari capere licebat. Vid. *Constant. L'Empercur Baba Kama cap. VII. §. 7.* Add. etiam *Seldenus de J. N. & G. l. VI. c. 11.* Apum tamen natura sine dubio fera est, cum consuetudinem ad alvearia sua redeundi non adsvetudine hominum, sed propriæ naturæ instinctu habeant; de cætero plane indociles. *Plato tamen de LL. l. 8.* ita fancit: *Si aliena examina quis persequitur, atque ara pulsans delectatione apes ad se trahit, damnum restituat.* Ubi videtur præsupponere, eum, ex cujus alvearibus evolarunt, non amplius illas persequi. Conf. §. 14. *Instit. d. t. Plinius l. XI. c. 5.* dicit: *cum neque mansueti, neque feri generis sint.* Et si alii apes distinguant in feras sive sylvestres, & quasi cicures. Vid. l. 26. *D. de furtis. l. 5. §. 3. D. de adq. rer. dom.* Quamdiu tamen ad nostra alvearia redeunt, eas nostras esse, iisque læsis damnum dari, operose ostenditur apud *Quintilianum declam. 13.* quæ inscribitur: *Apes pauperis. l. 8. §. 1. D. famil. erciscunda.* Juxta leges quoque Romanas nihil interest, sive quis feram in suo fundo capiat, sive in alieno: quia quocunque loco feræ sunt, dummodo sint in naturali libertate, nullius sunt. Potest tamen dominus fundi ingredi volentem aucupandi aut venandi causâ prohibere. Et nihilominus, quod quis contra interdictum domini capit, suum facit. Et si circa hoc dissentiat *Cujacius IV. obs. 2.* propter l. 55. *D. de A. R. D.*

§. 6. Enimvero in plurimis locis venatio rectoribus civitatum relicta, abs quibus in ejus communionem præcipui cives alicubi admissi; nisi quod rapaces bestias quibusvis occidere ubique fere licet. Istius rei variæ potuerunt esse causæ. Scilicet non videbatur consultum, rusticos & opifices labore suo relicto per sylvas vagari; quod & latrociniis exercendis paulatim ipsos poterat allicere. Vid. constitutio *Friderici II. l. 2. feud. tit. 27. §. si quis rusticus.* Aliquando etiam plebi arma committi parum tutum habetur. Vid. *Cicero l. V. in Verrem,* de L. Domitio, qui in crucem sustulit servum, ideo quod ingentem aprum venabulo percussisset; cum interdictum esset in Sicilia post bellum servile, *ut ne quis cum telo servus foret.* Principibus quoque, & nobilibus, quorum armis securitas civium paranda est, venatio velut simulacrum aliquod belli adprime videbatur congruere, ut ad labores militiæ durarentur. Quem ob finem quantum quondam *Medi, Persæ, ac Parthi* venandi studio tribu-

erint, ex *Xenophonte de Pædia Cyri*, *Cornel. Nepote Alcibiade* c. XI. *Justin.* l. 41. c. 3. *Tacit. A.* II. 1. *Sveton. Caligula.* c. V. patet. Apud *Laconicum Chalcondyllam* l. 3. memoratur, Bajazetem habuisse septem millia virorum, qui accipitres curarent, & aluisse sex millia canum. Cui captivo cum mille canibus & accipitribus hoc exprobarer victor Temires, ille ferociter reposuit: *Mihi, qui sum natus & educatus ab Amurate Orchanis filio, qui ambo reges extiterè, congruit canum & accipitrum studium. Non item tibi Scythæ, latroni, & latrociniis assueto.* Par quoque erat, Principibus, quorum curis quies publica stat, isthanc virilem sane recreationem concedere. Præsertim cum venatio in regionibus celebribus, si quibusvis promiscue sit indulta, singulis parum possit adferre compendii. *Plin. Paneg. His artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor.* Ob hæc ergo & similes causas Princeps, si reip. expedire visum fuerit, etiam invitis plebejis citra injuriam venandi licentiam adimere potuit. Non enim ipsis res suas eripit, sed vetat duntaxat ab ipsis usurpari aliquem adquirendi modum, quem aliàs merum jus naturæ, citra constitutiones civiles si esset, indulgebat. Nam quod aliqui simpliciores venationis prohibitionem ideo illicitam putarunt, quod Deus hominibus dominium in bestias dederit, rusticos autem utique homines esse; aut quod passim apud Jctos Romanos venatio jure naturali ac gentium libera dicatur: ad id dudum responderunt viri docti, distinctione facta inter jus naturæ præceptivum, & permissivum, & explicata diversa significatione vocabuli juris gentium. Vid. *Grot.* l. 2. c. 8. §. 1. Sed & probabile est, ultro deferente populo multis in locis id juris in Principes transcriptum. Nam cum ipsis bona quædam essent assignanda, unde dignitatem, & convenientem fastigio suo adparatum sustinerent; sapienter existimatum fuit, commodissime ipsis assignari illas res, quæ sine damno cujusquam tribui possunt. Cujusmodi sunt omnes res, quæ nondum in alterius dominium pervenerunt. De venatione apud Peruanos sub imperio Yncarum vid. si placet, *Garcilassus de la Vega* l. VI. c. 6. *Comment. Reg.*

§. 7. Cæterum per ejusmodi leges Principibus proprie loquendo non dominium ferarum fuit datum, sed tantum jus, ut ipsi soli easdem occu-

occupando suas possent facere. Quod ius tamen, postquam ab aliis isthæc feræ fuerunt adprehensæ, hunc cum dominio communem effectum habet, ut ab illegitimo captore possint vindicari. Nam id non videtur admittendum, quod aliqui dicunt: potuisse legem etiam ante occupationem harum rerum dominium assignare, cum ad dominium producendum lex sufficiat. Id equidem lex civilis efficere potest, ut dominium jam in rebus constitutum ab uno cive in alium transeat citra antecedens aliquod ipsorum factum. Sed ut dominium in rem aliquam, quæ nondum potestatem hominum actu subiit, ab initio introducatur, per solam legem fieri non potest; sed opus est actu aliquo corporali, cum primis circa res se moventes. Diversa autem sunt, dominium ab initio constituere, & constitutum conservare. Sunt contra, qui statuunt, per leges civiles, venandi licentiam prohibentes, esse detractum non quidem acquisitioni animalis capti, sed juri tantum venandi. Nam circa feras duo quondam fuisse jure gentium concessa, unum, ut omnibus hominibus venari liceret; alterum, ut dominium ferarum occupatione acquireretur. Quorum priori derogatum fuisse sit intelligendum, posteriori autem nequaquam. Inde si is, cui venari sit interdictum, nihilominus venando feram ceperit, tolli quidem ab eo feram, si apud ipsum sit inventa; non tamen quod illius facta non sit, sed velut ab indigno, & poenæ causa. Ea plane ratione, qua laquei, jacula, & alia instrumenta venatoria hujusmodi hominibus auferuntur; quæ illorum tamen esse negari non possit. Unde si quod ita captum est, alteri bona fide accipienti traditum sit, adimmi ei, & vindicari non posse. Quod tamen fieret, siquidem illa fera revera fuisset aliena, & furtiva. Principem enim, antequam feras adprehenderit, non posse vocari earum dominum: adeoque qui contra interdictum venatus fuerit, non committere furtum, nec auferre rem alienam; sed acquirere eam, cujus acquirendi jus alter privative habebat: ipsumque poena affici, rei autem ita acquisitæ vitium furtivi non adhærescere. Vid. *Gudelinus de jure novissimo* l. 2. c. 2. & ex eo *Arnold. Vinnius* ad §. 13. *Inst. de rer. divis.* Paria habet *Zieglerus ad Grot.* l. 2. c. 2. §. 5. *Impediri lege posse, ne fera capiantur; sed ut capiendo non acquirantur, impediri lege non posse. Stare enim posse jus prohibendi cum acquisitione ipsa. Diversas esse quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In prima quæstione nihil posse majestatem. Quem-*

admodum facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possideantur, quæ non possidentur. l. 3. §. 14. D. de acquir. possess. ita nec prohibere posse acquisitionem, nec facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita. Sed in secunda liberum esse Principi imperium. Enimvero valde simplex est credere, naturali quadam necessitate aliquem fieri dominum ejus rei, quam primus adprehendit; cum id ex prævio pacto esse supra ostenderit. Igitur si isthoc acquirendi modo circa certas res subjectis Princeps interdixerit, prima adprehensio ad dominium acquirendum nihil proderit. Et producit ista lex eundem cum dominio effectum hæctenus, quod subjectus feras attrectare non debeat, aut si de facto attrectaverit, suas non faciat. Neque vero si rancidula carnes à tertio cum primis vindicari non solent, ideo venator clancularius earum dominium habuit. Neque capere est statim acquirere; cum illud sit nudus actus physicus, hoc vero effectum moralem involvat. Quin illud potius contradictorium est: Principibus solis competit jus venandi; & si privatus feram ceperit, ejus dominium acquirit; i. e. soli Principes possunt usurpare illum modum, quo dominium legitimum in feras constituitur, & nihilominus, cui illum modum adhibere non licet, dominium acquirit. Sed quid si aliquis quærat: Penes quem ergo erit dominium feræ contra leges capta? Nam penes captorem id esse ipsi negamus; & Princeps eam non cepit. Hæc dicendum videtur, istum venatorem Principi ultroneam, licet parum gratam, operam præstitisse; adeoque non secus atque alius venator, à Principe autoratus, capiendo feras Principis fecisse. Illud insuper certum est, peregrinam quoque teneri ejusmodi legibus, licet forte in ipsius civitate venatio omnibus sit libera. Quippe cum ea sit lex omnium civitatum, ad servandam pacem internam omnino necessaria, ut qui ejus territorium ingreditur, etiam ad tempus, conformem se tantisper gerat illius legibus, saltem quarum ratio in ipsum quoque congruit, & à quibus legislator peregrinos peculiariter non exemit. Vid. Grotius l. 2. c. 2. §. 5. Sed & moderate exercendas ejusmodi leges bene monent cordati, nisi peculiaris furtivorum venatorum malitia asperitatem svadeat. Vid. Bæcler. ad Grot. d. l. §. 4.

§. 8. Caterum occupasse tunc demum rem aliquam dicimus, quando possessionem ejus adprehendimus; cujus initium est corporis ad corpus immediate, aut per instrumentum idoneum adjunctio. Igitur regu-

regulare est, ut occupatio rerum mobilium fiat manibus, rerum soli pedibus, cum intentione culturam iisdem adhibendi, ac constitutis limitibus vel exacte, vel cum aliqua latitudine. Vidisse autem tantum, aut scire ubi quid sit, nondum ad possessionem sufficere iudicatur. Ceres apud Ovidium *Metam.* l. V. *En quaesita diu tandem mihi nata reperta est, si scire ubi sit reperisse vocas.* An autem rei immobilis possessio instrumento queat adprehendi, intelligitur memorabili exemplo apud *Plutarch. quaest. Grac.* 30. ubi narrat, *Andrios & Chalcidenses in Thraciam abiisse, quaesituros loca, habitationi apta, ibique per prodicionem cepisse urbem Sanam. Postea certiores facti, barbaros urbem Acantum deseruisse, duos eo exploratores misere perspeturos, an vere barbari abiissent. Hi propius accedentes, cum jam clare locum desertum conspicerent, Chalcidensis quidem explorator cursu concito eo contendit, ut possessionem urbis nomine Chalcidensium caperet; sed Andrius, cum cursu superari se videret, jaculum, quod gestabat, emisit; & cum id porta infixum esset, exclamavit, se pro popularibus suis ferro jaculi sui possessionem priorem cepisse. Controversia inde orta arbitri capti Eretrienses, Samii, & Parii. Ubi priores duo pro Chalcidensibus, Parii pro Andriis pronunciarunt. Qui irati arbitris iuramento sese execrati sunt, quod nunquam ab illis uxores essent petaturi, neque suas filias illis collocaturi.* Et sane jaculum occupandæ rei immobili non idoneum videtur instrumentum; cum multa jaculo possimus tangere, ad quæ corpore nunquam licet accedere.

§. 9. Res autem mobiles, ut nostræ fiant, adprehensione corporali indigere communiter iudicatur; ut tamen ex eo loco, ubi positæ fuerant, dimotæ in locum aut custodiam nostram transferantur. Sic pullos avium, in nido adhuc hærentes, licet eosdem tetigero, meos nondum feci, nisi inde eosdem domum asportavero. Sic si in antro catulos feræ deprehendero, meos tunc demum faciam, si aut eos inde in mea velut præsidia dimovero, aut tantisper custodiam adposuero, ne evadere possint. Fit autem ista adprehensio non solum manibus nostris, sed & instrumentis, puta, laqueis, decipulis, retibus, nassis, hamis, & similibus: dummodo instrumenta sint in nostra potestate, i. e. eo loco posita, ubi nobis feræ capiendi jus est, nec adhuc per feram abrupta; & fera illis ita implicita teneatur, ut inde exire nequeat, saltem intra id tempus, quo nos ad eam eramus perventuri. Ex quibus definienda est quaestio de apro, qui in laqueum inciderat, proposita in l. 55. D. de A. R. D. Scilicet si ita aper:

aper laqueo implicitus erat, ut inde eluctari non posset, & laqueus vel in publico vel in tuo positus erat, ubi venandi tibi jus, tuus utique factus iste jam erat; & ubi ipse cum solvissem, ut in naturalem libertatem evaderet, estimationem ejus solvere tenebar, quocunque demum nomine actio illa veniret. Verum si in meo fundo laqueus erat positus, uti te eo ingredi volentem prohibere poteram, ita & laqueum me invito ibi positum si dissolverim, non habes quod mecum expostules.

§. 10. Illud quoque disputatur, an vulnere inflictio feram statim nostram fecisse videamur? Id quod quondam Trebatio placebat; ita tamen ut eandem persequamur; hoc si omiserimus, nostram desinere esse, & fieri occupantis. Aliis diversum placuit, nec aliter eam nostram fieri, nisi ceperimus; quippe cum multa accidere possint, ut non capiamus. l. 5. D. de A. R. D. Ad quam legem *Godofredus ex Radevico* l. 1. c. 26. de gestis *Friderici* adfert, *Fridericum hoc in casu ita distinxisse: si quis cum canibus venatoris seu Molossis feram invenerit, & persecutus fuerit, ut ei potius, quam occupanti cedat: si lancea, vel gladio vulneraverit, aut occiderit, ut ejus sit, non occupantis. Si cum canibus leporariis sive Laconicis, ut occupanti cedat. Si telo, ballista, aut arcu emissio occiderit, ut aque ejus sit, non occupantis, eousque tamen, donec eam persequatur.* Sic juxta legem *Longobardorum lib. 1. tit. 22. l. 4. & 6.* qui feram ab altero vulneratam occidit, aut reperit, aufert armum cum septem costis: in reliquis, qui vulneravit, jus habet, sed non nisi spatio XXIV. horarum. In universum tamen dicendum putaverim, si fera lethaliter sit vulnerata, aut insigniter debilitata, non posse eam ab altero intercepti, quamdiu eam persequimur, dummodo jus nobis sit in isto solo versanli; secus, si vulnus non sit lethale, nec fugam valde impediens. Inde ex amore notius, quam jure *Meleager* *Atalantam* in partem gloriæ occisi apri *Caledonii* admittebat, ap. *Ovidium Metamorph. l. 8.* Fera autem, quam canes mei, me non instigante, occiderunt, non prius est mea, quam eam apprehendero. Add. *Alb. Gentilis advoc. Hispan. l. 1. c. 4.*

§. 11. De his & similibus *Ebræorum* jure ita disponebatur, prout refert *Seldenus* l. VI. c. 4. *Pisces aut fera non capiende in vivariis. Licet autem pisces capere ex alieno reti, dum in mari est; & feram ex alieno reti, quod in loco deserto expansum est. Si quis rete expanderit in agro alieno ad feram capiendam, fit captus dominus, nisi dominus agri invenerit, & jus suum ex proprietate agri*

agri vindicaverit. *Pisces, qui in navem transilierint, navis domini sunt; quoniam navis habetur pro custodia satis firma atque occlusa, non pro ea, qua mobilis, aut hinc inde transiens dicitur. Nam ab aquis est, quod moveatur, aut hinc inde transeat navis, non ex sua natura.* Est quoque heic expendenda l. 3. §. 14. D. de *acquir. possess.* ubi Nerva tradit: *pisces, qui in piscina sunt, à nobis possideri, non autem, qui in stagno nostro sunt; & feras, quæ in vivario sunt inclusæ, non quæ in circumseptis sylvis vagantur.* Id quod Grotio l. 2. c. 8. §. 2. displicet, ideo quod pisces non minus stagno privato includantur, quam piscinæ; & feras non minus coërceant sylvæ bene circumseptæ, quam vivaria. Sed constat ratio pronuntiatio Nervæ. Nam ferarum & piscium proprietates ab adprehensione incipit. Pisces ergo piscinæ inclusi, & feræ vivario, capti utique jam fuerunt: non item pisces, qui in lacu nostro verfantur, aut feræ, quæ in sylvis naturaleni libertatem nondum exuerunt, licet forte ita circumseptæ sint, ut in infinitum vagari nequeant. Aliud enim est, feram capere, aliud, sepem statuere, ut facilius capi possit. Quia tamen illarum capiendarum mihi soli jus est, inde & reliquos omnes ab illarum captura arcere, & captas ab ipsis vindicare possum, sic ut quoad hunc effectum pro domino habear. Igitur inclusis hætenus tantum libertas naturalis competit, quod nondum ab homine fuerunt adprehensæ, non quod abs quovis capi possint.

§. 12. Occupatione quoque acquiruntur res, in quibus dominium, cui antea subjectæ fuerant, plane est extinctum. Id quod fit, si vel aperte quis rem abjiciat cum sufficienti signo, quod eam non amplius inter sua habere, sed in medio cuius occupanti expositam esse velit, & quidem nulla cum intentione alteri inde gratificandi: vel si ab initio quidem invitatus ejus possessionem amittat, deinceps tamen pro derelicta eandem habeat, vel quia recuperationem desperat, vel quod tanti ejus recuperatio non sit. Alias enim dominium rei suæ, amissa licet possessione, nemo invitatus amittit, (nisi per modum pœnæ, aut in bello ipsi auferatur;) sed retinet jus eandem recuperandi, quamdiu animum recuperandi non deposuerit, aut deposuisse censeatur. Unde talium rerum dominium per occupationem acquiri non poterit, prioris domini jure adhuc subsistente. Vid. 1. *Samuel*. IX. 3. l. 13. *princ.* D. de *acquir. possess.* l. 2. §. 8. l. 8. D. *ad legem Rhodiam*. Cum autem ut res pro derelicta habeatur, duo requirantur, primo ut quis nolit esse amplius dominus; deinde ut possessione se rei exuat, abjiciendo eam, aut deserendo; alterutrum si desit, dominium

non amittitur. Fac ergo rem à domino abjici, non tamen ea mente, ut eam amplius suam esse nolit, nihil heic amittetur. Contra fac nolle dominum amplius rem suam esse, nisi eam abjecerit, dominus esse non desinet. Vid. l. 17. §. 1. D. de *adquir. possess.* Add. *Bœcler. ad Grot.* l. 2. c. 4. §. 4. ubi excutitur casus à *Cicerone de Inventione* l. 2. c. 5. propositus. Hoc modo dominium quoq; denuo subeunt feræ bestia, ubi custodiam nostram evaserint, & in naturalem sese libertatem receperint. Ubi tamen *Grotio* l. 2. c. 8. §. 3. non placet, quod l. 3. §. 2. D. de A. R. D. traditur, feram nostram esse desinere, cum evaserit custodiam nostram, & in libertatem naturalem se receperit. Non enim ideo statim dominium ferarum amitti, quod illæ custodiam evaserint, sed ex probabili conjectura, quod ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur. Id quod ipsum tamen insinuat l. 5. princ. D. de A. R. D. ubi dicitur: *naturalem libertatem recipere intelligitur fera, cum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu, ut difficilis sit ejus persecutio.* Et l. 4. 4. dicit, id, quod à lupo eripitur, nostrum manere, quamdiu recuperari possit. Vid. l. 8. §. 2. D. *famil. ercisc.* Unde etiam temperandum est, quod notat *Ziegler. ad Grotii* d. l. Quia feræ per amissionem libertatis fiunt nostræ, ergo & per recuperationem libertatis nostras esse desinere, & per consequens dominium earum in actuali possessione consistere censeari. Nam libertatem naturalem nondum adepta intelligitur fera, quamdiu aliquis ipsam cum spe probabili recuperandi persequitur. Sicut nondum plene evasit captivus, carcere elapsus, quamdiu lictores adhuc ipsum pervestigant, & ipse in loco versatur, ubi inveniri possit. Quod autem *Grotius* d. l. arbitratur, per appensa *γυωείσματα* sive crepundia, aliasque notas dominium ferarum, quæ nostram custodiam effugerunt, retineri, adeoque easdem non fieri occupantis: id de illis tantum putaverim admittendum, quæ per homines mansuefactæ sunt, nativamque feritatem exuerunt; quæque id eo jure cicurum bestiarum merito gaudent. Inde si cervus ille *Thyrri* ejusmodi notas habuit, sane *Ascanius* causam tumulvi præbuit non improbarem; apud *Virgil. Æn.* VII. Add. *lex Salic. tit.* 35. Huc pertinet, quod *Plinius* l. IX. c. 59. refert de pisce anthia, qui à piscatoribus assvefici potest, ut reliquos in insidias deducat. *Conciliatorem nosse ad hoc prodest, ne capiatur.* *Parcit piscator fugituro in reliquum gregem. Ferunt discordem socium duci insidiatum pulcre noto cepisse malefica voluntate: agnitum*

in macello à socio, cujus injuria erat, & dati damni formulam editam, condemnatumque: addidit Mucianus aestimata lite decem libris. Sed quibus vivariotantum inclusis nota impressa, ubi in libertatem naturalem evaserint, occupantis fieri verius est. Accurata enim custodia seu perpetua velut occupatione opus est, ut retineatur animal, cui per naturam insita est infinita vis vagandi, & quod perpetuo possessioni renititur, quam nota aliqua haut quidquam frænaverit. Vid. Ziegl. l. d. Inde ex decoro falsam sententiam delatoribus attribuit *Jurvenalis sat. 4. Non dubitaturi fugitivum dicere piscem, Depasumq; diu vivaria Caesaris, inde Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.* Circa fugitivos servos peculiariter legibus Romanis erat constitutum, ut domini etiam possessionem (civilem) eorum retinere intelligerentur; ne scil. pro lubitu ipsi dominos possessionis commodo possent privare. l. 1. §. 14. l. 13. D. de *acquir. poss.* Id manifestum est, si alterius cujusdam rei possessionem inviti amittamus, puta, si quid in via nobis exciderit, ejus dominium nobis non perire, nec inventori adquiri; nisi postquam idem pro derelicto à nobis haberi constiterit; id quod ex neglecta inquisitione fere intelligitur. Unde si quis aliquid invenerit, quod ultro à domino abjectum non sit probabile, profiteri id debet, ut à domino recipi possit. Domino autem non adparente, recte res inventa ab inventore poterit retineri. *Ælianus V. H. l. 3. c. 45.* hanc legem Stagiritarum refert: *ἀ μὴ κατάθευ, μὴ λάμβανι, qua non deposuisti, ne tollas. Idem l. 4. c. 1. Biblii in via, si inciderunt in aliquid, nihil tollunt, quod non posuerunt. Non enim hoc inventum, sed furtum arbitratur esse.* Similis lex Solonis apud *Diogenem Laërt. l. 1. ἀ μὴ ἴθου, μὴ ἀτίλη.* Add. *Plato de LL. l. X. sub init.* Ex doctrina Confutii apud Chineses, in via reperta, nisi qui ea amisisset, tollebat nemo. *Martin. hist. Sin. l. 4. c. 21. Edictum Regis Theodorici c. 58.* Antiqui Ebræi, referente *Seldeno l. VI. c. 4.* legem *Deuteron. XXII. 1.* ad gentilem negabant pertinere, sed tantum ad Israëlitam; ita tamen, ut si adpareat, dominum tale pecus pro derelicto habere, occupantis fiat. Distinguebant etiam illi inter res signatas & non signatas. De his recuperandis præsumebant dominum desperasse, non item de illis, nisi palàm id profiteretur. Illas quoque sine præconio publico, bis vel ter factò, retinere nefas, non item has. Cui fini in suburbio Hierosolymitano suggestus erat, ex quo res amissas præco denunciabat. Apostatarum tamen res amissas restituendas negabant. Gentilium autem bona amissa hoc

duntaxat respectu restituenda dicebant, ut ob eam humanitatem & ipsi humanius à gentilibus tractarentur. Adeoque isti rerum amissarum dominium statim cum amissione de jure naturali expirare statuebant; restitutionem autem earundem ex jure civili pendere. Quæ opinio falsa sane, uti multæ aliæ, ex avaritia gentis, & hostili adversus omnes alios odio profluxit.

§. 13. Sub rebus, quæ dominam amiserunt, etiam censetur thesaurus, sive pecunia, cujus dominus ignoratur. Vid. l. 31. D. de A. R. D. l. 67. D. de rei vindic. l. 3. §. 3. D. de adquir. possess. Inde si quis vel metus causa, vel custodiæ sub terram pecuniam recondiderit, non est thesaurus; & qui eum abstulerit, furti est reus. Uti servus ille apud *Plautum Aulularia*, qui Euclionis ollam auro plenam amoverat. The-saurus naturaliter, & citra diversam dispositionem legum civilium fit inventoris, i. e. ejus, qui eum adprehenderit, locoque moverit. Quia cujus dominus ignoratur, quamdiu ignoratur, moraliter censetur ac si dominum non haberet, essetque nullius, adeoque primo occupanti cedit. Quo loco tamen quæri potest: utrum quis in locis degens, ubi inventori relinquunt talia leges civiles, ad adprobandum conscientia inventionis titulum omnino teneatur indicare publice, thesau-rum abs se inventum esse, etiam ubi adparuerit, dudum eundem ibi depositum? Nam ubi nuper eum depositum constat, quin id necessum sit, non dubito. Ubi probabilissimum videtur, si quis thesaurum in proprio effoderit solo, cum ad hoc indicandum per conscientiam non teneri; sed posse eum id, quod invenit, tantisper retinere, quoad alius ultro inquirat, & causas probabiles occultationis & dissimulationis ad id usque tempus afferat. Nam ille, abs quo ager vel domus ad præ-sentem dominum, thesauri inventorem, pervenit, non præsumitur sciens reliquisse pecuniam abs se depositam, cum agrum vel domum alienaret. Neque ille, qui in alieno solo tale quid domino soli inscio occultaverit, rei suæ vindicandæ occasionem omisisse creditur, ubi probabilis metus erat, ne in alterius manus ea perveniret. Ast vero, qui in alieno solo thesaurum offendit, per conscientiam videtur teneri ad quarendum ex domino soli, saltem oblique, num ipse eundem deposuerit. Citra hoc enim non potest liquido constare, an non custodiæ duntaxat causa is à domino, vel ab alio, conscio domi-
no,

no, sit eo loci conditus. Cæterum super hac re diversæ apud diversos leges positivæ occurrunt. Vid. *Grot.* l. 2. c. 8. §. 7. *Plato* l. XI. de LL. nec thesaurum, nec res quasvis alias deperditas, etsi ignorentur, cujus sint, vult inventori cedere, sed super illis oraculum consuli, quid fieri jubeat. Quæ nimia sine dubio scrupulositas. Qualem in illo Philosopho Siuensi Chiungejo annotat *Martinius* l. V. *historia Sinica*; qui nihil fas attingere statuebat, quod injustum, aut ab injusto esse suspicaretur. Quare nec paternam domum inhabitabat, quod crederet à malis viris edificatum; nec cibum à parentibus aut fratribus capiebat, inique partum timens. Apud Ebræos juris fuisse videtur, ut thesaurus cederet domino agri, quod colligitur ex *Matth.* XIII. 44. Ad i. *Plautus Trinummo act.* 1. sc. 2. v. 188. Et *Philostatus de vita Apollon. Thyan* l. VI. c. 16. Apud *Spartianum* Hadrianus de thesauris ita cavisse legitur, ut si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, domino daret; si quis in publico, cum fisco aqualiter partiretur. Apud *Philostatum in vitis Sophistarum* l. 2. in *Herode*: & *Zonaræ* tom. II. cum Atticus, Herodis pater, grandam thesaurum in sua domo invenisset, super eo ad Nervam Imperatorem scripsit, quid de eo faciendum juberet. Cui Nerva: utere, inquit, quæ invenisti. Cum autem Atticus denuo scriberet, se magnitudine thesauri superari: abutere, inquit, invento, quando tuum est. Add. *Constitutiones Siculæ* l. 3. tit. 31. Apud *Philostatum de vita Apollonii Thyanai* l. 2. c. 15. hic, lite inter venditorem & emptorem agri orta, jubet inspicere, uter vir melior sit; id quod pro communi regula haberi nequit.

§. 14. Inter illa, quæ per occupationem adquiruntur, à Jctis Romanis referuntur quoque res hostium. Vid. l. 1. §. 1. D. de *adquir. possess.* Quod ut recte intelligatur, sciendum est, per statum hostilem, uti cætera jura pacifica, ita & effectum dominii adversus hostem abrumpi hæcenus, ut non amplius quis teneatur ab istius rebus manus abstinere, nisi quâ humanitas svaserit. In bello ergo res hostium in ordine ad alium hostem redduntur velut dominio vacuæ; non quod hostes per bellum ipso jure rerum suarum domini esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quo minus eas res auferre, sibi que habere possit. Prorsus uti ad rei vacuæ dominium acquirendum sola adprehensio sufficit. Etsi in bello qui res hostiam occupatum eunt, non segnius repelli possint & soleant. Notandum tamen, rerum bello captarum dominia ultimam

firmitatem adquirere, quando is, cui illæ ereptæ fuerunt, per pacem prætensionem ad easdem renunciat. Habet autem & hoc bellum peculiare, quod in isto per violentam occupationem etiam imperium in homines possit quæri. Alias enim sub objecto occupationis non continentur homines, sive illi jam sint sub alterius imperio, sive naturali gaudeant libertate; excepto duntaxat casu, quando à parentibus proles fuit exposita. Vid. *Hobbes de cive* c. 9. §. 4. Nam ut reliqua jura, ita & libertatem hic comitatur effectus, ut abs me abire nequeat in alium hominem non hostem, nisi meo consensu. Occupatio autem in objecto occupabili nullum ponit consensum; sed sola duntaxat occupantis apprehensione, & absentia juris in objecto occupationem impediens absolvitur. Inde ubi cum persona, nullo relicto hærede ex testamento aut lege succedente, extinguntur omnia jura, quæ in res aut personas habuit, res quidem cedunt occupanti, subjecti autem in naturalem abeunt libertatem. Neque enim unquam hominem tam abjecti animi fuisse crediderim, ut libertatem suam ultro deserat, & velut pro derelicta habeat. Nam si vel maxime alicui servire allubescat; saltem tamen electionem domini sibi reservabit. Equidem *Grotius* l. 2. c. 3. §. 4. inter objecta occupationis etiam imperium videtur referre, dum in rebus, quæ nullius sunt, duo statuit occupabilia, imperium, & dominium, quatenus ab imperio distinguitur. Id tamen dextre est explicandum. Nam imperium proprie in homines dicitur, quod extra bellum, & casum supra dictum occupatione nequit adquiri; quia qui non est alterius, suus est, non nullius. Improperie autem imperium dicitur in locum sive territorium; cujus hic est effectus, ut nemo sibi istum locum usurpare possit citra consensum illius, qui in eum imperium habere dicitur; & qui ad tempus duntaxat illum locum ingreditur, tantisper ipsius jurisdictionem cogatur agnoscere. Enimvero hoc imperium proprie est effectus domini in eum locum constituti, & non nisi consequenter aliquid imperii in hominem involvit. Quod enim meum est, id utique citra meum consensum nemo usurpabit. Qui autem locum meum ingreditur, saltem hæc tunc directioni meæ subijcitur, ne per eum dominium istius loci mihi reddatur detrius.

DE ADQUISITIONIBUS AC-
CESSIONUM.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Accessiones quotuplices?</i> | 7. <i>Charta cedit scriptura;</i> |
| 2. <i>Accessiones regulariter pertinent ad dominum rei.</i> | 8. <i>Tabula pictura:</i> |
| 3. <i>Fructus quotuplices?</i> | 9. <i>Purpura vesti.</i> |
| 4. <i>Fœtus animalium pertinent ad dominum matris.</i> | 10. <i>De specificatione.</i> |
| 5. <i>Constituta solo cedunt.</i> | 11. <i>De alluvionibus integrarum regionum;</i> |
| 6. <i>Ædificia quatenus solo cedant?</i> | 12. <i>Et agrorum privatorum.</i> |

HAbent hoc pleræq; res dominio hominum subjectæ, ut non in eodem statu permaneant, sed variis auctibus exuberent. Quædam enim intrinsece suam substantiam dilatant: quibusdam extrinseca incrementa accedunt; aliæ heterogeneis fructibus exuberant; multis per formam industria hominum superinductam pretium accrescit. Quæ omnia uno vocabulo *accessionum* comprehendi possunt, & in duas potissimum classes dividuntur. Quædam enim citra factum hominis ex sola natura istarum rerum proveniunt; quædam facto & industria hominum in solidum, aut ex parte procurantur.

§. 2. Circa istas hæc est generalis regula; ut qui est dominus rei, ad eundem quoque pertineant istius accessiones. Id quod ex ipsa domini natura, ejusdemq; primitus introducti sine manifeste profluit; cum multæ res frustra possiderentur, si fructus spectarent ad alios; & pax humani generis nequidquam promoveretur, si pari jure accessiones prætere alii possent cum eo, qui corporis dominus cluet. Inde non opus est dominium accessionum derivare à titulo occupationis fictæ, qua id, quod rei nostræ accedit, velut mediante ista re videamur occupare; aut qua res nostra propter præminentiam ad se aliam trahere intelligatur.

§. 3. *Fructuum* nomine solent potissimum venire incrementa, multiplicationes, & emolumenta rerum quarumvis; nisi quod animalia ex aliis animalibus provenientia peculiariter *fœtus* adpellentur. Fructus usitatissime solent dividi in eos, qui ex re ipsa proveniunt; & qui occasione duntaxat rei percipiuntur. Illos vocant *naturales*; hos *legitimos* seu *civiles*.

viles. Inter naturales quidam sola naturæ operatione citra culturam & industriam humanam proveniunt; in aliis rebus per industriam humanam operosiores aut faciliores naturæ fecunditas aut habilitas est procuranda. Unde hi fructus solent etiam vocari *industriales*. Civilium fructuum exempla conspiciuntur in usura, pensione rerum locatarum, vectura, & similibus. Cæterum prioris generis fructus, quamdiu non sunt separati, pars rei, à qua proveniunt, censentur. l. 44. *D. de rei vindic.* separati distincte velut existere intelliguntur. Utrique naturaliter pertinent ad eum, qui est dominus rei, ex qua proveniunt.

§. 4. Circa foetus animalium plerisque placuit, ut illi ventrem sequerentur, & sint ejus, cujus est mater, non cujus est pater. vid. l. 5. §. 2. *de rei vindic.* Cujus non ista solum ratio est, quod pater plerumque ignoratur; sed quia foetus aliquando pars matris, nunquam pars patris fuit; & quia longe pluris æstimandum est, quod heic mater, quam quod pater confert: utut fortasse si uterque tanquam causa physica consideretur, pari passu ambulent. Nam non est quaestio, vaccæ magis, an tauro imputari possit, ut existat vitulus; sed an is magis ad illius, an ad hujus dominum pertineat. Atqui pater leviter opera sua defungitur, sic ut ipsius domino parum aut nihil decedat: mater autem dum uterum gerit, ad alia fere est inutilis, & sollicita alenda. Ergo iste saltem æquas partes cum hoc prætere nequit; præsertim cum unus masculus pluribus foemellis imprægnandis sufficiat. Si quis tamen eum in finem admissarios alat, sine dubio aliquid ipsi pro eorumdem usu debetur. *Add. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 8. §. 18. Et Felden ibid.*

§. 5. Plantata quoque & consita solo cedere dicuntur, & surculi stirpibus, quibus inferuntur; quod ista non tantum solo alantur, sed & velut in unum cum solo coalescant, & pars ejusdem fiant. Inde etiam requirunt, ut radices egerit: ante id enim manere, cujus fuerant. Id quod tamen *Grotio* l. 2. c. 8. §. 22. juris positivi, non naturalis videtur; quippe cum alimentum rei jam existentis pars duntaxat sit. Igitur jus tantum in partem ejus rei dominum soli posse prætere, neque ob id domino seminis, plantæ, aut arboris naturaliter jus suum perire; adeoque communionem heic locum habituram. Enimvero his non obstantibus, ratio legibus Romanis constat. **Non enim hoc** volunt, ut dominus seminis, plantæ, aut arboris, siquidem **bona fide** egerit, rei suæ jacturam faciat; neque illud pro-

prohibent, quo minus domini soli, & plantæ, si velint, rem illam deinceps communem habeant, prout usus soli, aut nobilitas plantæ partes utriusque ratas assignaverit. Sed quia illæ nolunt aliquem adigere, ut in communi-
 one invitus permaneat, & vero istæ res divisionem non admittunt; igitur
 quæritur, utri æquius sit rem totam assignari, cum hoc tamen onere, ut al-
 teri æstimationem ejus, quod ipsius fuit, solvat; domino soli, an feminis?
 Heic cum frequentius sit, ut ista solo jam coalita translationem commo-
 de non admittant, & extra solum servari omnino nequeant; & vero in-
 congruum videatur plantæ alicui temporariæ solum immobile cedere;
 igitur in universon placuit, insita solo cedere, ut tamen dominus soli pre-
 tium feminis aut plantæ alteri, ubi bona fide egit, persolvat. Quanquam si
 vili aliquo femine solum quis mecum conserverit, quod ego nobiliori fe-
 mini destinaveram, ne ad semen quidem solvendum teneri videor; cum
 damno mihi sit, ignobili segete agrum meum occupari. Quod si autem
 translationem admittant plantæ, nobiliores præfertim, quam est usus soli;
 sine dubio æquitatis fuerit, ut domino plantæ concedatur eam alio aufer-
 re, soluto quanti fuit usus soli. Quo loco observanda est lex Solonis apud
*Plutarchum Solone: Aliam arborem qui in agro suo plantaret, eum à vicino absi-
 stere pedes quinq; imperavit: qui ficum aut oleam, novem; quod radices hæc agant
 longius, neq; sit omnibus earum innocens vicinia, sed & alimentum eripiant, &
 halitum essent aliquibus infestum.* Conf. l. 7. §. 13. D. de acquir. rer. dominio.

§. 6. Eadem fere ad ædificia, quæ in alieno solo, aut ex aliena ma-
 teria in proprio solo extruuntur, possunt applicari. Equidem si ædificium
 sit mobile, non est dubium, quin in id dominus soli nullum jus habeat;
 modo transferatur, & solvatur, quantum per id solum fuit deterioris reddi-
 tum. Vid. l. 38. D. de rei vindic. l. 60. D. de A. R. D. Si ex mea materia alius sibi
 ædes extruxerit, ut plurimum præstat, me ejus pretium, quam ipsam ma-
 teriam recipere; cum quæ semel uni ædificio adaptetur, alteri fiat inhabi-
 lis. Quod si tamen materia per ædificationem non sit reddita deterior,
 & ea ipse opus habeam, nec aliunde commode nancisci similem queam;
 æquum est, ut mihi materiam meam tollere concedatur. Id quod dum
 leges XII. tabularum prohibent, alia tamen via domino materiæ consu-
 lebant, data actione in duplum, de tigno juncto. Sin autem ex sua
 materia in alieno quis solo ædificaverit, ubi sciens hoc fecit, vix do-
 lo videtur posse carere; & si quidem propositum ipsi fuerit solum il-
 lud domino intercipere, non videtur, dominum soli teneri, ut pretium
 mate-

materiae, mercedesque fabricorum solvat, utvè concedat, istum materiam iterum tollere, diruto quod extructum est. *Lex Longobardorum* l. 1. tit. 27. §. 1. Ubi dolus abfuit, nec ita tolli queat ædificium, quin penitus dirui necessum foret, placuit Romanis legibus, solo cedere ædificium, ita tamen, ut si ædificator sit in possessione, dominus soli solvat mercedes fabricorum, & pretium materiae. *Edictum Regis Theodorici*. c. 137. Nam etsi plerumque pluris sit quod superstruitur, quam solum, & superficies; tamen putarunt inconveniens esse, rem immobilem attrahi per talem, quæ saltem per partes loco moveri queat. Nihilominus si dominus soli ista parte fundi, qua ædificium est extructum, facile carere queat, neque illi commodum sit, ædificii pretium solvere, æquissimum videtur, ut recepto soli pretio ædificium alteri relinquat. Conf. l. 7. §. 10. 11. 12. *D. de A. R. D.*

§. 7. Enimvero quod regulam illam; in ædificata, aut insita solo cedunt, Jcti Romani ad chartas quoque & membranas extenderint, id parum arridet. Vid. l. 9. §. 1. *D. de A. R. D.* Scilicet ut si ego bona fide quid alterius chartæ inscripserim, id ei omnino concedere cogar, recepta scriptiois mercede. Quin potius, cum regulariter pluris sit scriptura, quam charta, æquissimum est, ut alter recepto chartæ pretio sit contentus. Præsertim cum illud haut absurde à quibusdam addatur, chartam utendo quodammodo perire & consumi: adeoque scripturam ab ædificatione diversæ esse naturæ. Nam tunc demum chartæ velut essentia integra persistit, si pura sit, ita ut quidlibet ei inscribi possit. Ubi quid ei inscriptum est, in libri, epistolæ, commentarii, &c. nomen transit. Igitur charta conscripta hætenus mihi perit, quod mihi jam non amplius sit integrum quidvis eidem inscribere. Adeoque pretio ejus recepto, quod querat ultra non habebō; cum alia eundem æque usum præbere possit.

§. 8. Rectius iidem de pictura tradidere, quod huic tabula cedat; quippe cum regulariter longe majoris sit illa, quam hæc: & facillimum sit alicui recepto pretio tabula carere, vulgari re, & cujus passim est copia. Quæ ratio tamen ostendit, per æquitatem interdum contrariæ decisioni locum esse: puta, si proletarius aliquis pictor, & qui cupressum tantum novit simulare, pretiosæ tabulæ quid ille verit, quod deleri satius sit; aut si in lamina aurea, argentea; vel in gemma aliquid sit expressum. Sic & valde impudens foret, qui ubi in alieno pariete quid pinxisset, statim domo illa

illa ut sibi cedatur vellet postulare. Quin etiam cum impensa illa fuerit voluptuaria, vix à domino ædium mercedem pingendi poterit repetere; nisi forte istius facultates ejusmodi sint, ut talem impensam lubenter facturus fuisse videatur. Add. l. 38. D. *de rei vindic.*

§. 9. Purpuram alièno vestimento intexam, utut pretiosiore, vestimento tamen cedere itidem ab JCtis Romanis traditum. Id quod dupliciter potest intelligi; ut vel stamini suo viliori quis aliena fila purpurea velut tramam intexuerit: vel ut pannum purpureum suo vestimento adaptaverit. Priori casu quin iste pannus domino purpuræ addici debeat, vix dubium est. Nam non semper illud loco accessorii est habendum, citra quod alterum non potest existere, quodque alteri sustinendo quasi physice substernitur: sed omnino etiam pretii est habenda ratio, ut scilicet res majoris pretii cæteris paribus ad se trahat viliores. Equidem id necessarium est, ut illud rei cedat, quod sine illa esse non potest, seu ut quod adjuncti rationem habet, sequatur suum subjectum, siquidem loquamur de physica rerum concomitantia. Verum in assignandis rerum dominiis, ubi in primis pretia & usus earum spectantur, & quam facile quis aliqua re carere queat, ista ratio haut semper militare potest. Quod autem *Grotius* d. l. §. 21. ait, *ut rei majori adquiratur minor, esse naturale facti, non juris*; id in hunc sensum admittimus; de facto quidem, quod majoribus est viribus ad se trahere posse id, quod minus est validum: sed non semper jure fieri, ut validior ad se rapiat rem imbecillioris, aut ut quis rem suam minorem amittat, si cum majore fuerit conjuncta. Quemadmodum qui fundi pro vicesima parte est dominus, æque dominus manet, quam qui partes habet novendecim. Enimvero proprie heic disceptatur, non an cujus sit pars major, debeat lucrari partem minorem; sed quæ via sit ineunda negotii expediendi, si duo ad dominium unius rei concurrant, quam neque dividere, neque communiter habere possunt, aut volunt. Heic sane uni integra res erit adjudicanda cum hoc onere, ut alteri suæ partis æstimationem solvat. Verum utri res sit adjudicanda, ex rei prævalentia, domini indigentia, & similibus circumstantiis erit decernendum. Sic ubi pannum meum purpureum alter suæ vesti adaptaverit, licet forte purpura pretiosior sit, melius tamen est, ut ego recepto pretio vestem illi relinquam integram. Nam si ea sit dissuenda, alter damnum patietur; & quid mea interest, lacerum mihi pannum restitui? Vestes autem ad alterius

E e e

corpus

corpuserat ut plurimum nobis sunt inutiles, aut minus congrua. Et sane in tota hac materia commodius ex inspectione negotiorum singulorum quid æquum sit deprehendi potest, quam ex universali aliqua definitione.

§. 10. Circa specificationem ab initio observandum, eam inter modos acquirendi originarios proprie referri non posse. Nam cum naturaliter nihil fiat, nisi ex materia præexistente, igitur videndum est, cujus sit ea materia. Si enim materia fuerit nostra, continuabitur dominium specie nova introducta. Si fuerit nullius, per occupationem acquiratur ejus dominium. Sed si fuerit aliena, tunc dispiciendum, domino materiæ, an qui speciem fecit, ea sit adjudicanda. Super qua re cum antiqui JCti apud Romanos dissentirent, tandem media sententia placuit, si species ad priorem & rudem materiam possit reduci, ea cederet domino materiæ; sin minus, ei, qui novam formam materiæ induxisset. Cujus decisionis aliqui hanc evidentissimam rationem putant, quod ubi species non possit ad pristinam materiam reduci, quodammodo videatur interisse, & novum quid effectum. Hoc ergo casu rem addicendam ei, qui effecit, ut sub nova ista forma res existeret. Sed ubi ad antiquam materiam species possit reduci, intelligi eandem adhuc existere, neque per inductionem novæ formæ periisse; & sic priorem dominum non exuisse. Alii contra hoc solum respiciendum esse arbitrantur, materia, an forma pluris sit. Vid. *Connanus comment. jur. civil.* l. 3. c. 6. Ego neutram sententiam ad omnes casus salva æquitate applicari posse putaverim, sed aliarum quoque circumstantiarum rationem esse habendam. Sic si quis ex uvis, olivis, aut frumento meo vinum, oleum, aut panem, ex meo melle & vino mulsum confecerit; cur iste potius habeat jus ad hæc species quàm ego, ideo tantum, quia ad priorem materiam reduci nequeunt? Igitur cum ejusmodi res divisionem admittant, pro ratione pretii materiæ, aut operæ in producenda forma dividantur. Quod si autem dominus materiæ re integra indigeat, omnino hunc specificatori præferendum judicaverim. Sic si quis ex alieno metallo opus confecerit, ubi majoris est pretii forma, quàm materia, specificatori rem relinqui æquum est, ut in antiquam & rudem massam redigi queat; siquidem simile metallum, aut ejus pretium restituatur. Secus tamen dicendum videtur, si ego id metallum ad idem opus

opus destinaverim, quo valde indigeo, neque similis metalli copia sit. Hæc enim æquitas favet domino materiæ, utut fortasse pretium formæ pluris sit quam materia. Aliqui etiam hoc arbitrantur considerandum, utrùm materia ad formam recipiendam fuerit in potentia proxima, an remota duntaxat: & in priori casu præferendum censent dominum materiæ, in posteriori specificatorem, v. g. si navis facta sit ex alterius rudi ligno, navem esse ejus, qui fecit; sinjam tabulæ erant destinatæ navi, ejus fore navem, cujus fuerant tabulæ. Sic ex rudi mea lana si quis vestem fecerit, ipsius fore vestem: verùm si ex panno meo confecta sit vestis, meam esse. Sic siquidem medicamenta jam parata fuerint & perfecta, emplastrum inde confectum ejus fore, cujus medicamenta fuerint; cæteroquin emplastrum esse facientis. Sed ne hæc quidem distinctio sola ubique ad æquitatem quadrat. Nam si ego tales materias, sive rudes, sive jam præparatas ad formam recipiendam, vel venales habeam, vel in tanta copia, ut necessitatibus meis supersint; nulla ratio est, cur res non sit specificatori relinquenda, si pretium materiæ refundat. Verum si ego aliquam materiam certo meo usui destinaverim, nec aliunde commoda sit occasio similis materiæ parandæ, indigentia mihi favorem addet, licet materia adhuc in remotiori potentia fuerit. Add. l. 61. D. *de rei vindic.* Quod si quis partim ex sua, partim ex aliena materia speciem confecerit, nè sic quidem in omni casu indubium est ei rem assignandam, qui fecerit; quia & forma ipsius operæ debetur, & insuper partem materiæ præstitit. Nam fieri potest, ut & opera sit exigui pretii; & pars materiæ ab ipso collata itidem exigua, adeo ut materia alterius utramque excedat. Et dantur res, ad quas certæ quantitatis materia requiritur, cujus ubi partem quis absulerit, reliquum inhabile saltem illi usui redditur. Tali casu pro eo pronuncianum, qui ista specie maxime indiguerit. De cætero in univèrsum verum est, quod tradit *Grotius* d. l. §. 19. cum res consistant materia & specie tanquam suis partibus, si alterius sit materia, alterius species, sequitur, naturaliter rem communem fieri pro rata ejus, quanti unumquodque est. Quemadmodum & totum id corpus, quod ex confusione aut commixtione duarum materialium ejusdem generis resultat, utrique commune est. Vid. l. 3. §. 2. l. 5. D. *de rei vindic.* Enimvero, ubi neque communiter res haberi potest, nec dividi, ex æquitate utique aut legibus positivis definiendum est, quisnam

alteri, recepta partis suæ æstimatione, rem integram debeat concedere. Vid. l. 23. §. 2. 3. *D. de rei vindic.* Omnino tamen inspiciendum, bona quis, an mala fide speciem alienæ materiæ induxerit. Nam qui in mala fide versatur, ut ut species pluris sit, quam materia, ac materia prior desisse videatur, aut ipse vehementer re indigeat; haut quidquam rem magis ad se, quàm ad dominum materiæ pertinere prætendet. Ipsa quippe res major per se non attrahit minorem, sed accedere oportet etiam aliquam probabilem causam in domino rei majoris. Inde si quis sciens dolo malo materiæ meæ novam induxerit formam, ut eam hac ratione interverteret, is neque in materiam quid juris adquisivit, nec magis à me operæ suæ mercedem potest postulare, quàm perfossor parietum, quod operose novum ostium in ædes meas fuerit molitus; aut percussor, qui insanabilem aliàs vomitum secuit, dum trucidare aliquem intendit; vel Autolycus, quod equis furto subductis colorem induceret. Atque hoc non est ex legibus positivis, sed ex ipsissima ratione naturali, etsi alias natura poenas non determinat. Neque enim poena est, nequitiam suam gratis impendisse. Et sane æquissimum est, ne quis alteri pro injuria sibi intentata mercedem teneatur solvere. Add. *Lex Wisigothorum* l. X. tit. 1. c. 7.

§. II. Quæ super alluvionibus à Jctis veteribus ac recentioribus operose traduntur, pleraque non tam certa aliqua, & naturali ratione nituntur, quàm positivis statutis singulorum populorum. Quo brevioribus nobis heic esse licebit. Circa alluviones ergo, seu latentia illa incrementa, queis per flumen ripæ quid adponitur, duo potissimum solent quæri; an augeant integra territoria, & an fundos quoque privatos? Prior quæstio majoris est momenti, quippe quæ sæpe magnis controversiis inter populos occasionem potest præbere; cum frequens sit, ut inter duos populos fluvius tanquam terminus interjiciatur. Hic ergo quando cursum mutavit, quæritur, an simul etiam imperii terminus sit mutatus, & an, quæ flumen adjecit, eis cedant, quorum ripæ adjecta sunt? Ubi prius supponenda est distinctio inter agros limitatos, seu circumscriptos limitibus manu factis, cum quibus, quantum ad præsens negotium, conveniunt agri mensura comprehensi, puta, per numerum jugerum designati; & inter arcifinios, qui terminos habent hostibus arcendis maxime idoneos, ut plurimum naturales, puta, flumina aut montium supercilia. Deinde dispiciendum, an populi vicini interjectum flumen vacuum reliquerint, utrius-

utriusque usibus promiscue patens, an vero terminos voluerint esse in medio fluminis; ita ut dimidium ad hunc, dimidium ad alterum pertineat. An denique integer fluuius pertineat ad unum populum, sic ut fines hujus sint in ripa alterius populi. Igitur si uterque populus agros limitatos, aut certa mensura comprehensos habeat, qui citra interjectionem vacui in medio relictī sese immediate tangant, de territorio nihil mutabitur, licet fluuius cursum mutaverit; neque alluvioni hec locus erit, cum nihil relictum sit spatii, quod non jam ad alterutrum pertineat. Quod si flumen in medio sit velut vacuum relictum, alluviones & insulæ in eadem cedent occupantib⁹. Convenientissimum autem est, ut alluvionem occupet, cujus ripæ illa est adposita; & insulam, cujus ripæ eadem proxime accedit. Si integrum flumen ad unum pertineat populum, insulæ in flumine natæ ipsius solius erunt; alluviones autem ad alteram ripam adpositæ magis est, ut in solidum ad alterum populum pertineant. Enimvero frequentius est, & magis congruum, ut agri ad flumen utrinque pertinentes sint arcifinii, utq; adeo fines territoriorum in medio fluminis intelligantur. Nam flumen & sine obscuritate fines ostendit, & simul naturale munimentum regioni prætendit. Ubi tamen requiritur, ut ne solenne velut ipsi sit, incertis ripis insultare, & quotannis novos sibi alveos facere. Igitur ubi arcifinios agros populi possident, (id quod in dubio præsumitur,) flumen mutato paulatim cursu & territorii fines mutat, & quicquid flumen alteri parti adjecit, ad eum spectat, cujus ripæ adjecta est, ita tamen, ut illa mutatio facta fuerit sensim, neque, relictō uno impetu alveo, flumen diverso plane loco viam sibi ruperit. Nam particularum accessio, decessio, aut talis immutatio, quæ toti veterem speciem relinquit, rem sinit eandem videri. Et major est in naturali limite commoditas, quam ut propter exiguum detrimentum ab eo discedi debeat. Quod si autem veteri alveo deserto, aliâ penitus irruperit flumen, neque ille populus, per cuius agros recens sibi iter fecit, tanti putet insigni terræ suæ parte carere, ut naturalem habeat limitem; deinceps fines intelligentur esse in medio deservi alvei. Quia uti lapis usum termini præbet non quæ lapis est, sed quæ hoc loco positus: ita & fluuius est terminus populorum non quæ aqua est, ex certis fontibus, rivis aliisque fluminibus collecta, ac certo nomine insignita, sed quatenus tali alveo fluit, ta-

libusque ripis includitur. Conf. *Grotius* l. 2. c. 3. §. 16. & ad eum locum *Bæclerus*, & *Zieglerus*.

§. 12. Circa fundos privatorum putaverim prius esse dispiciendum, utrùm flumen, ad quod ager privatus pertingit, territoria duarum civitatum dirimat, an verò per territorium unius civitatis transeat; & dein an publicum sit flumen, an verò privatum. Priori casu ex mero dependet arbitrio civitatis, utrùm ista incrementa velit privatis relinquere, an vero publico asserere. Nam plerunque populi tractum aliquem terræ per modum universitatis occuparunt, ejusque particulas deinde singulis tanquam privatos fundos assignarunt, qui fere certam & definitam habent mensuram. Uti ergo, quod ex territorio privatis assignatum non fuit, publicum civitatis mansit: ita si quid ad privati alicujus fines accesserit, ipsi publico accrevisse censetur. Quia tamen agri vicini à fluminibus multa sæpe incommoda patiuntur per inundationes, & illa incrementa, cum sensim fiant, publicis redditibus parum momenti videntur adferre: inde multis civitatibus humanum fuit visum, istas alluviones concedere iis, quorum fundis accesserunt. Id quod è æquius est, si privatis sumtibus isti ripas soleant munire. Et tali jure gaudere ager præsumitur, qui privato non ad definitam mensuram, sed veluti corpus fuerit assignatus, etsi forte in traditione mensuræ aliqua mentio fuerit facta; (vid. l. 13. §. 14. D. de act. emti & vend.) adeoque si in designatione finium simpliciter fluminis facta sit mentio. Quod si tamen alluviones magni sint momenti, & quæ mensuram privati fundi longe excedant, ad publicum pertinere judicabuntur. Insulas vero enatas in flumine privati citra expressam concessionem civitatis vindicare sibi non poterunt; quia cum à fundo sint separatæ, nulla ratione pro parte, aut incremento ejus haberi poterunt. Ex eo autem solo, quod fundis ipsorum sunt proximæ, non magis eas occupandi jus habebunt, quam alius quivis partem plateæ & fori, ædibus suis prætensam. Quod si autem flumen alluvionem producens ex utraque parte accolæ habeat eidem civitati subiectos, cum adponere flumen nihil possit, nisi aliunde quid abrascrit; inde omnino æquum erat, ut alluvio illius foret, ex cujus fundo quid fuerat detractum. Hinc recte legibus Romanis constitutum, ut si vis fluminis partem aliquam, tuo prædio detractam, meo adposuerit, ea tua maneat. Quod multo magis obtinet circa agros mobiles, quales quon-

dam

dam in paludibus Euphratis cratibus arundineis superimponebant; que ab aqua loco motos in pristinā sedem contis propellebant: uti *Strabo* l. 16. tradit. Verum si diutius fundo meo hæserit, arboresq; quas secum traxit, in meo fundo radices egerint, ex eo tempore meo fundo adquisita videbitur. l. 7. §. 2. *D. de A. R. D.* Unde adparet, crustam illam avulsam, nondum coalitam, ad antiquum locum à domino fuisse retrahendam, siquidem ejus dominium vellet retinere. Verum ubi non constat, quid & quantum ab alterius fundo fuerit detractum, impeditur quidem ille, cujus fundo quid decessit, quò minus sibi alluvionem queat vindicare: naturaliter tamen ea alluvio videtur adquiri non domino fundi, cui adposita est, sed populo, cujus id est flumen. Nam id rationi quam maxime congruit, ut fluminis publici non aqua solum, & quæ in ea continentur, publica esse intelligantur, sed & alveus, & ripa, intra quam ille decurrit, & quod vel alveo, vel ripæ adcrefcit. Incongruum quippe videtur dicere: alveum in se esse partem fundi proximi, sed eundem, quamdiu flumine publico superfunditur, pro publico censerit: flumine remoto ad privatam redire naturam; quasi fundus flumini servitutem itineris debeat. Quod si autem alveum totum, aut aliquam ejus partem flumen deseruerit, & novum sibi alveum fecerit, cum hic ex opposito fundo sit detractus, æquum fuerat, in solatium hujus domino derelictum alveum adsignare: & ubi novum quoque alveum flumen deseruerit, huncce ad antiquum dominum redire, non ad eos, qui vicina novo alveo prædia possederant. Quicquid tamen de alluvione, aut mutato alveo fiat, id sane par est, ut pro ratione ejus, quod agro fuit detractum, minuantur onera agro imposita. Sicuti eam apud *Ægyptios* legem fuisse refert *Herodotus Euterpe*. Sicut & hoc æquum est, ut siquidem ager aliquis inundatione fuerit merfus, antiqui domini maneat, quando vel ultro aqua uno impetu aut paulatim decesserit, vel ipsius opera iste sit siccatus. Sed ad quem pertinebit aqua superfusa, quousque fundus merfus iterum fuerit siccatus? Heic dispiciendum putaverim, an merfus fundus in formam lacus, aut paludis abierit; an verò partem alvei fluminis publici constituat. Priori casu lacus & palus perpetuo ad dominum fundi pertinebit: posteriori eousque, quoad animum retinuerit in antiquum alveum flumen redigendi. De fluminibus

pri-

privatis, quæ aliquid ex meo detrahunt, & alibi meo addunt, res clara est. Sed quid si flumen meum privatum per alterius fundum novum sibi alveum fecerit? Utrum illa pars fluminis, alieno fundo superfusa, mea manebit; an ad eum pertinebit, in cujus fundum irrupit? Hæc pro posteriori pronunciandum judicaverim. Mihi tamen jus manebit flumen in antiquum alveum revocandi. Quod si flumen intra meos fines nolim retrahere, non potero alterum ejus æstimationem poscere, & ne communionem quidem fluminis ea in parte prætere. Nam quæ res ideo tantum nostræ sunt, quia spatio nostro continentur, quæque adeo accessiones illius spatii videntur; ubi id excesserunt, aut revocandæ à nobis intra nostrum spatium sunt, aut nostræ esse desinent, & deinceps naturale velut incrementum censebuntur illius spatii, in quod se contulerunt. Sed super his leges positivæ varie disponere possunt. Apud *Aggenum Urbicum* hæc traduntur regulæ: *Si hæc in occupatoriis agitur agris, quidquid vis aqua abstulerit, repetitionem nemo habet. Quæ res necessitatem ripæ munienda injungit, ita tamen, ut sine alterius damno quidquam fiat. Sin vero in divisa & assignata regione tractabitur, nihil amittet possessor, quoniam formis per centurias certus cuique modus adscriptus est.* Circa agros ad Padum sitas ita pronunciarat *Cassius*: *Ut quidquid aqua lambendo abstulerit, id possessor amittat: quoniam scilicet ripam suam sine alterius damno tueri debet: Si vero majore vi decurrens alveum mutasset, suum quisque modum agnosceret, quia non possessoris negligentia, sed tempestatûs violentia abreptum adparet: sin vero insulam fecisset, à cujus agro fecisset, id possideret, ac si ex communi quisque suum reciperet.* Conf. *Grotius* l. 2. c. 8. §. 8. seqq. Et *Zieglerus* ad d. l.

CAPUT VIII.

DE JURE IN RES ALIENAS.

- | | |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Variis modis contingit, ut quis in re aliena jus habeat. 2. Quot præcipuè jura sint in re aliena? 3. Jus emphyteuticum. 4. Jus superficiarium. | <ol style="list-style-type: none"> 5. Jus possessoris bonæ fidei. 6. Servitutes quid, & quotuplices? 7. Usus fructus. 8. Usus. |
|--|--|

9. Ha-

9. *Habitatio.*10. *Opera servorum.*11. *Servitutes praeiorum urbanorum;*12. *Etruscorum.*

EA quidem est dominii vis, ut super re sua soli domino liceat dispo-
 nere, cæterique omnes ab eadem sese abstinere teneantur. Cum ta-
 men non ideo res inter mortales sint divisæ, ut omnis bonorum com-
 municatio cessaret; inde contingit, ut non solum ex lege humanitatis al-
 teri sæpe res nostras, earumvè usum debeamus concedere; sed etiam ut
 alii jus aliquod perfectum aut minus perfectum in re nostra sibi quærant,
 adeoque ex re nostra utilitatem aut commoditatem aliquam suo sibi jure
 comparent. Idquod quibus modis contingat, breviter heic perstrin-
 gemus; postquam à juris Romani interpretibus ista omnia fusiissime ex-
 posita sunt. Quibus addatur *Seldenus de J. N. & G. l. VI. c. 2.*

§. 2. Jura præcipua in rebus alienis, quæ competunt non dominis,
 aliqui solent numerare quinque: jus emphyteuticum; jus superficiarium;
 jus bonæ fidei possessoris; pignus seu hypothecam; & servitutes.

§. 3. *Jus emphyteuticum*, quod alicui in re immobili à domino con-
 stituitur sub obligatione præstandi certum canonem in recognitionem
 dominii, emphyteuticario tribuit non tantum, ut ista re plene uti frui, sed
 & de illa, etsi non ita libere circa ejusdem alienationem, disponere possit.
 Contractus ille, quo jus isthoc immediate constituitur, neque ad emtio-
 nem venditionem, neque ad locationem conductionem refertur; quip-
 pe cum neque plenum dominium rei in alterum conferatur, & plus ta-
 men quam in locatione tribuatur; præsertim cum canon iste regulariter
 longe minoris sit, quam alias in locatione pensio est. Cæterum quid in
 renovatione ejus contractus, qui in solutione canonis, in alienatione bo-
 ni emphyteutici, in ejus duratione ex jure communi, aut singulari con-
 ventione obtineat, Interpretes juris Romani passim tradunt.

§. 4. Qui *jus superficiei* pretio aut certa pensione sibi comparavit,
 potest quidem superficiei ad instar domini frui, ac de ea disponere, ean-
 demque alienare, adeoque dominum se eorum, quæ solo superstruun-
 tur, ferre; non autem ipsius soli. Idquod in emphyteuta secus est, cui
 etiam dominium utile soli competit. Causa autem ejusmodi juris in-
 troduci hæc fuit, quod aliqui quidem incolas intra sua latifundia recipere
 vellent, ut tamen de istorum magnitudine nihil decederet. Igitur su-

Ffff

perfi-

perficiem istis concesserunt, solo sibi reservato, in cujus recognitionem modica pensio annua solvenda. Vid. *Iustinus* l. 18. c. 5. n. 14. Ac si superficies perierit, puta, si ædes corruerint, aut combustæ sint, jus superficiarii expirat, sic ut deinceps dominus soli de superficie pro lubitu queat dispo- nere.

§. 5. *Jus possessoris bonæ fidei*, (quod comperit iis, qui bona fide à non- domino acceperunt rem alienam titulo legitimo, qui quæ ad transferen- dum dominium alias idoneus est,) hætenus vero domino æquipollet, quod & iste omnes fructus ex re perceptos suos faciat, deque eadem pro arbitrio disponat, suamque possessionem contra omnes alios, excepto domino, tueatur, ac in ea per leges defendi debeat. Vid. l. 48. D. de A. R. D. Quæ possessio post certum temporis spacium irrevocabile dominium, etiam contra ipsum dominum valiturum, possessori assignat. Quæ de re infra pluribus. Introductum est autem hoc jus in favorem commercio- rum humanorum, vitæque civilis tranquillitatem, ut ne molestis incom- modis afficeretur, qui bona fide, justoque titulo res sibi comparatum it. Id quod futurum erat, si tantisper à quibusvis aliis impune in sua possessione turbari possent, aut domino rem vindicante fructus quoque consumptos restituere teneretur, aut si denique ipsius possessio perpetuo velut fluctu- arer. Sicuti & hoc non jure duntaxat civili constitutum est, sed & nat- urali ratione nititur, ut quisque in possessione sua, bona fide parta, relin- quatur, quousque petitor jus suum possessioni prævalens, demonstrave- rit. Quid enim turbarum & molestiarum cuiusvis quotidie excitari pos- set, si quis ad cujusvis petitionem possessione rei suæ decedere cogeretur, & alterum persequi, ut eandem iterum recuperaret? Videantur interpre- tes juris Romani ad tit. D. de Publiciana in rem actione. De pignore inferius agetur.

§. 6. *Servitutes*, intuitu ejus, cui debentur, sunt jura certum emolu- mentum aut commodum ex re aliena percipiendi, aut prohibendi, ne do- minus sua re omnibus modis utatur. Intuitu autem ejus, qui eas debet, sunt obligationes alteri emolumentum ex sua re concedendi, aut in alte- rius commodum abs certo usu suæ rei abstinendi. Dividuntur servitu- tes à re, cui debentur, in *personales* & *reales*; non quod non omnis uti- litas demum in personam redundet, sed quia quædam alicui obvenit, quatenus certi prædii est possessor. Vid. *Grotius* l. 1. c. 1. §. 4. add. l. 32. §. 1. in fin. D. de servit. præd. urb. Id quod alii sic exprimunt, quod utilitas ali- cui

cui proveniat ex aliena re vel immediate, vel mediante certo prædio.

§. 7. *Servitutes personales* hæc vulgo numerantur; *ususfructus, usus, habitatio, & opera servorum.* *Ususfructus* est jus alienis rebus utendi fruendi, salva ipsarum substantia: seu jus ex re aliena percipiendi omne emolumentum, quod salva rei substantia inde provenire potest. Et si enim naturaliter, qui est dominus rei, sit etiam dominus fructuum; nihil tamen prohibet, quo minus isthæc separentur, & penes unum sit dominium, penes alterum jus fructus percipiendi. Idque constitui potest vel lege civili, (etsi quod ususfructus bonorum adventitiorum filii patri competat, qui adhuc eum in potestate habet, etiam rationi naturali maxime congruat;) vel officio judicis, quando v. g. res communis alia ratione commodius dividi nequit; vel facto hominum, puta testamento, aut per pactiones. Patet autem, usumfructum proprie tantum constitui posse in illis rebus, quæ usum aliquem præbent extra suam substantiam, seu quæ usu non consumuntur; modo revera in illis usus aliquis, vel ornamentum, aut delectatio sit. Haut quidquam autem ususfructus proprie dictus locum habet in re, quæ nisi consumatur usum sui non præbet; cum utique corpus ipsum alicujus rei, adeoque & dominium, ad aliquem pertinere intelligatur, qui jure rem quampiam suo arbitrio consumere potest. Legibus tamen Romanis receptum, ut pecuniæ, aliarumque rerum fungibilium quasi ususfructus posset constitui testamento, & alicui legari: ubi pecuniæ aut res ita dantur legatario, ut ejus fiant; sed necessum est, ut legatarius satsidet hæredi de tanta pecunia aut rebus ejusdem qualitatis, vel etiam earundem æstimatione, usufructu finito, restituendis, sic ut cautio apud proprietarium ipsorum corporum vicem velut suppleat. Vid. l. 1. l. 2. l. 7. l. 11. D. de usufr. ear. rer. *quæ usu consum.* Spectant autem ad usufructuarium omnia emolumenta omnesque fructus, qui ex re proveniunt, tam naturales, quam civiles. Romanæ tamen leges exceperunt foetum ancillæ; cujus ratio hæc videtur, quod ususfructus mancipiorum introductus sit propter operas, non propter foetificationem. Cæterum fructus naturales usufructuarii fiunt perceptione, sive si eos à corpore separaverit, & collegerit. Unde consequitur, ut fructus nondum separati ad proprietarium pertineant; & usufructuario ante perceptionem eorundem mortuo, ab hujus hærede non possint vindicari. Quanquam si cultura & industria in fructus sit impensa, æquum fuerit in istorum participationem admitti hæredem,

saltem hætemus, ne usufructuarius laborem suum gratis consumserit. Civiles autem fructus ad usufructuarium spectant pro lapsu temporis, cui pensio respondebat. Porro quemadmodum usufructuarius re debet uti boni viri arbitrato, seu uti diligenti patri familias competit, & ad istam utilitatem rem adhibere, ad quam ipsius conditio, aut domini voluntas eam destinavit; ita & eandem custodire, & factam testam conservare tenetur; nec non pro illa tributa, & collectas, aliaque onera ordinaria & extraordinaria, saltem quæ fructus non exsuperant, solvere. Vid. l. 7. l. 9. l. 10. l. 11. l. 12. l. 13. §. 4. seqq. l. 15. l. 17. l. 18. l. 27. l. 44. l. 45. l. 59. l. 61. l. 62. l. 65. l. 68. l. 69. l. 70. D. de usufr. Nam & hæc, non secus atque cultura, cum sequuntur, qui ex re lucrum vult percipere. Neque quisquam tam duro sese oneri præsumitur subjecisse, ut alteri non solum fructus ex sua re velit concedere, sed & onera insuper istius rei tolerare. Amitti traditur usufructus morte usufructuarii; quia regulariter in eo concedendo meritum ipsius personæ spectatur, quod in aliis non transit. Et quia onerosum valde est, suæ rei fructum esse penes alios, igitur strictè ista concessio est interpretanda, sicut si dictum sit, usum fructum concedi Sejo, ejusque hæredibus, ad hæredum hæredes id non extendatur. Cum inutilis sit proprietas, quæ in perpetuum ab usu rei excluditur. *Quem* in sensum accipiendum illud *Ciceronis epist. ad famil. VII. 30. Id cuiusq; est proprium, quo quisque fruitur atque utitur.* Inde si sit legatus usufructus civitati, quæ alias perpetua esse potest; centum tamen annis finiri eum Romanis legibus placuit. (vid. l. 56. D. de usufr.) *Qui* & extinguitur, si interea civitas ista vel urbs hostile aratrum patiat, l. 21. D. quib. mod. usufr. amitt. Ex iisdem rationibus quoque est, quod usufructus non possit alienari; quia & hoc modo in perpetuum dominus posset eludi, & iste ad aliquem devolvi, quem dominus ægris oculis in re sua esset ad specturus. Ex legibus Romanis idem amittebatur capitis diminutione maxima, & media. Neque enim volebant, ut jus istud amplius premeret dominum, postquam ille nihil amplius ex eo lucrari poterat, in cuius gratiam id erat constitutum; neque illi, qui civitatem amisisset, tale jus in bonis civis competere conveniens judicabant. Ex lege quoque aut conventionem est, quod is certo tempore non utendo amittatur, (quia multæ res non utendo fiunt deteriores,) aut non observando præscriptum utendi modum, aut rem ex malitia, aut culpa lata reddendo deteriorem.

Sed

Sed & perit iste rei interitu; vid. l. 30. D. *quib. mod. ususfr. amitt.* nec reviviscit re iterum instaurata; propter strictam interpretationem, quam hoc negotium requirit. Nam v. g. aedes, quas in locum earum, quæ incendio conflagraverant, recens extruxi, cum prioribus eadem non sunt. Et cum illæ ad sui instauratorem magnos sumtus requisiverint, durum valde esset, dominum steriles sibi aedes extruxisse. Vid. l. 5. §. 2. 3. l. 8. l. 9. l. 10. l. 12. l. 23. D. *quibus mod. ususfr. amitt.* Consolidatione denique, & si usufructuarius eundem domino cedat, usufructus extinguitur; quia nemini res sua servit; vid. l. 5. *princ. si ususfr. petatur.* quippe cum usufructus, & quælibet servitus proprie notet jus in re aliena. Sed quando quis propriare utitur, & ex eadem emolumentum percipit, id ex vi domini est. Add. l. 28. D. *quib. mod. ususfr. amitt.* l. 26. D. *de servit. præd. urb.*

§. 8. *Usum* vocant, quando quis ex re aliena commodum tantum quotidianum & necessarium, salva ejus substantia, percipit. Atque hic minus late patet, quam usufructus; quippe cum usum habens ex ea re solum capere possit, quantum sibi suisque sufficit; id quod æstimatur ex dignitate & conditione personæ, cui usus concessus. Uti autem cui v. g. usus alicujus domus competit, cum sua familia ibi habitare potest; ita eadem neque hospitem diuturnum, neque inquilinum, qui cum ipso non tanquam pars familiæ habitet, recipere simul licebit; ubi ipsi proprietario in eisdem aedibus sit inhabitandum, secus si totius domus usus soli competat. Vid. l. 22. §. 1. D. *de usu & habit.* neque regulariter eum usum alteri deferre: cum plurimum intersit, quem quis in eisdem aedibus secum cohabitantem habeat. Conf. l. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. l. 10. §. 3, l. 11. l. 12. l. 13. D. *de usu & habitat.* Circa conservationem autem & refectionem ejus rei, in qua quis usum habet, id æquissimum videtur, ut si nihil domino superstit fructus, extra istum usum ab altero perceptum, usuarius rem factam rectam præstet. Ubi ad utrumque par utilitas redundaverit, communi sumtu res conservabitur aut facietur. l. 18. D. *d. t.* Sed si usus exiguum quid sit in comparatione ejus fructus, qui domino adhuc remanet, facile præsumitur, ut usus sine onere concessus sit.

§. 9. *Habitatio* Jctis Romanis jus est, per quod omne emolumentum ex inhabitatione aedium alienarum provenire solitum percipitur. Ea arctius patet, quam usufructus; quia ad hunc pertinet emolumentum, quod ex mercium receptione, alijsvè causis provenit. Latius tamen,

quam nudus usus, extenditur, quod ædes ejusmodi aliis suo loco inhabitandas locare quis possit.

§. 10. Per *jus operarum servilium* percipitur omnes utilitas, quæ ex operis servi alieni provenit. Quod jus leges Romanæ arctius quam servi usum fructum esse tradunt; quia alia quoque via, quam per suas operas, præstare utilitatem servus potest.

§. 11. *Servitutes reales*, quæ alicui debentur propter prædium aliquod, in genere dicuntur jura, per quæ vicinum prædium nostro prædio aliquam præbere debet utilitatem. Dividuntur illæ in jure Romano in *servitutes prædiorum urbanorum & rusticorum*. Prædia rustica vocantur agri, & ædificia, quæ ad agriculturam, remque pecuariam spectant. Urbana prædia vocantur ædificia omnia in habitationi hominum, commercii exercendis, similique usui destinata, etsi extra urbes, & ruri ista locata sint. Omnibus istis constituendis occasionem fere præbuit vicinitas, quæ non immerito in propinqua parte amicitia putatur. Vid. l. 38. 39. D. de servit. præd. urb. l. 5. D. de servit. præd. rust. Cum enim magnam utilitatem simul, & jucunditatem haberet plurium hominum cohabitatio ædiumque conjunctio, quæ tamen vix consistere posset, si abs quovis usu rei suæ vicinum quis arcere institueret: igitur inter vicinos conveniri suevit, ut ne quis omni modo sua re uteretur, ne alter velut in angustias inde redigeretur, utque modicum rei suæ usum alteri concederet, quo sine gravissimo suo incommodo carere hic non poterat. Add. l. 1. §. 1. 2. D. si usus. sfr. petatur. l. 15. D. de servit. l. 10. D. de servit. urb. præ. l. 20. §. 2. l. 31. d. t. Sicuti & alias vicinitas non injuria in propinqua parte amicitia putatur. Terent. Heautont. Hesiodus Op. & dier. l. 1. Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σίθιν ἐγγύθι ταίη. Εἰ γὰρ τοι καὶ χεῖμα ἐγγώριον ἄλλο γίνηται, Γείτονας ἀζώνοι ἕκιοι, ζῶσαντο δὲ ποί. πῆμα κατὰς γείτων, ὅσον ἄγαθὸς μίγ' ὀϊσαρ. Ἐμμορὶ τοι τιμῆς ὅσ' ἔμμορε γείτοι. & ἰδλῶ. *Illum potissimum voca, qui tibi prope habitat. Si enim tibi negotium aliquod domesticum obtigerit, vicini discincti accurrunt, cinguntur autem cognati. Noxa a malus vicinus, quantum bonus magnam emolumentum. Sortitus est honorem, cui obtigit bonus vicinus.* Socrates ap. Xenophontem Memorab. l. 2. has vicini præstationes memorat, ut ignem accendat tibi, cum oppuserit, teque aliquare bona juvet, ac si quid tibi adversi accidat, è propinquo tibi benevole succurrat. Add. quoque Plato de LL. l. 8. p. 915. edit. Francof. 1602. Circa omnes autem servitutes observandum, neque nimis late eas exten-

extenſendas, & mōdeſte iisdem utendum, ne vicino moleſtia ac tædium inde creetur. Vid. l. 8. D. de ſervitut. Cæterum ſervitutes urbanorum prædiorum hæ fere numerantur. *Servitus oneris ferendi*, qua vicini paries, vel columna onus noſtrarum ædium ſuſtinere debet. Cui conſequens eſt, ut vicinus, qui iſthanc ſervitutem debet, parietem illum aut columnam reficere teneatur, cum alias fruſtra ea ſervitus foret, pariete collapſo. l. 33. D. de ſerv. præd. urb. *Servitus tigni immittendi*, qua trabem vel quid aliud, quo ædes contignantur, ex ædibus ſuis in parietem vicini licet immittere, ut in eo requieſcat. *Servitus projiciendi protegendive*, qua ſupra alienam domum aut arcem ædificatum aliquod licet provehere ita, ut nuſquam in ædibus vicini requieſcat, qualia ſunt mœniana, & ſuggrundia. *Servitus altius tollendi*, qua quis etiam cum incommodo ſuo tenetur pati, alterum ad utilitatem ſuam ædes altius tollere, cum id alias prohibere aut intercipere poſſet. *Servitus altius non tollendi*, qua quis in vicinarum ædium utilitatem aut commoditatem cogitur ædes ſuas habere depreſſas, aut ultra certam meſuram non attollere. *Servitus luminum*, quas vicinus noſtra lumina ſeu noſtras fenestras, quibus lumen haurimus, cogitur excipere. *Servitus ne luminibus officiatur*, qua non poteſt vicinus quidquam facere, quo quævis noſtrarum ædium lumina obſcurentur & minuantur. Ejus ſevere aſſertæ exemplum loculentum extat apud *Zonaram* Tom. 3. in Theophilo, & *Michaël. Glycam*, Ann. Tom. 4. *Servitus proſpectus*, qua vicinus pati tenetur nos proſpicere in ipſius prædium, nec illud impedire poteſt. *Servitus ne proſpectui officiatur*, qua quis in prædio ſuo non poteſt quidquam facere, quod libero quaquaverſus proſpectui in loca præcipue amœna obſtet. *Servitus ſtillicidii recipiendi* notat obligationem aquam oneroſam in ſuam aream recipiendi. *Servitus ſtillicidii non recipiendi* notat obligationem aquam utilem in commodum ſuum non avertendi. *Servitus fluminis recipiendi*, qua flumen, i. e. aquam collectam, & per canales vel tubos inſtar fluminis deſluentem ex noſtris ædibus vicinus tenetur ſuſcipere. *Servitus fluminis non avertendi*, qua vicino non licet flumen ex ſuis ædibus veniens à noſtro prædio avertere ob commodum, quod hoc inde habet. Huc denique pertinet ſervitus cloacæ immittendæ; effundendi aliquid in aream vicini, & ſi quæ aliæ ſunt.

S. 12. *Servitates prædiorum ruſticorum*, ſeu quæ debentur prædiis ruſticum

rusticum usum habentibus, hæ vulgo numerantur. *Iter*, quod est jus eundi ambulandi hominis per vicinum prædium ad nostrum, ipsius prædii causa. *Actus*, jus agendi jumentum aut vehiculum. *Via*, jus eundi, ambulandi, agendi, & omnia, quæ ad prædii nostri utilitatem spectant, vehendi, ducendi, ferendi atque trahendi. *Aqua ductus*, jus aquæ ducendæ per fundum alienum ad utilitatem sui fundi, sive ea aqua utamur ad irrigandos agros, aut aquanda pecora, sive ut aqua superflua fundum nostrum liberemus. Harum servitutum natura est, ut pro parte nequeant concedi, quia nisi integræ usui non sunt. Nam uti est in *l. ult. D. de servit. præd. rust. via consummari solet vel civitate tenus, vel usque ad viam publicam, vel usque ad flumen, in quo pontonibus trajiciatur, vel usque ad aliud ejusdem domini prædium.* Igitur frustra foret, per dimidium duntaxat alterius fundum iter habere, si ulterius progredi non liceret. *Hauustus aquæ*, jus hauriendæ aquæ ex fonte, aliove loco alieno, quatenus ad fundum nostrum opus est. Quo concessio iter quoque ad fontem, puteumve concessum intelligitur. *l. 3. §. 1. de servit. præd. rust. Pecoris ad aquam adpulsus*, jus pecora prædii nostri adpellendi ad aquam vicini. Huc pertinet & *jus pascendi* nostri prædii pecora in fundo alieno. Circa quod jus observant, per id non prohiberi dominum fundi servientis, quo minus & ipse sua ibi possit pascere pecora, dummodo non plura alat, quam fundus iste ferre queat, intervertendo alterius juri. Sed & qui pascendi jus habet, morbida aut infecta scabie pecora eò non compellet, ex quibus alia infici queant. Denique huc referunt *jus calcis coquendæ, arenæ sodiendæ, pedamenta sumendi, lignandi, lapides cadendi*; quatenus ad commodum prædii rustici faciunt. Add. *l. 3. D. de serv. præd. rust.* De quibus omnibus alii prolixius.

CAPUT IX.

DE TRANSLATIONE DOMINII IN GENERE.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ex dominio fluit, ut liceat rem alienare.</p> <p>2. In alienatione requiritur ducrum consensus.</p> | <p>3. Qui exprimendus per signa.</p> <p>4. Alienatio fit pure, aut sub conditione.</p> |
|---|--|

5. An

5. An ad alienationem requiratur traditio?
 6. Dominium vel abstrahit à possessione, vel eandem involvit.
7. Quid & quotuplex sit possessio?
 8. Quatenus per sola pacta adquiratur dominium.
 9. Traditio vera, vel ficta.

Videndum deinceps erit de *modis acquirendi derivativis*, quibus dominium jam constitutum ab uno in alterum transit. Quos antequam peculiariter enarremus, quædam super translatione dominii in genere præmittere conveniens fuerit. Ut igitur quis rem suam possit alienare, seu in alterum transferre, id ipsum ex dominii pleni natura resultat. Cum enim hoc domino det facultatem de re pro arbitrio disponendi, utiq; vel præcipua ejus facultatis pars videtur, si ita placeat eam in alterum posse transferre; ut hac ratione vel magis idoneam sibi rem liceat comparare, vel saltem occasio sit beneficio alterum sibi obligandi.

§. 2. Cæterum uti in translatione jurium atque rerum duæ interveniunt personæ; quæ transfert, & in quam ista transferuntur: ita in illis acquirendi modis, qui ex vi dominii præmanant, duarum voluntatum velut concursus requiritur, dantis nimirum & accipientis. Alienatio enim præcipue innuit rem à domino volente transire, non invito per meram violentiam eripi. Et ut alienum à priori dominum res accipiat, hunc quoque consentire necesse est; cum inconveniens sit, ut res, substantia sua physica à me separata, mihi velut adjungatur, nî voluntate & consensu meo eandem amplexus fuerim. Ubi autem ipso jure dominium etiam in ignorantem transire dicitur, v. g. hæreditatis, ibi lex per quandam fictionem juris velut acceptationem facere intelligitur in favorem hæredis. Indicio est, quod hæres possit recusare hæreditatem, & nisi eam actu adierit per se aut per alium, non stringitur obligationibus, quæ ex ipsa re hæreditaria oriuntur.

§. 3. Porro cum alienationes utroque volente debeant fieri, & vero societati humanæ sit incongruum, solis actibus internis tribuere vim producendi jura, quæ adversus alios homines effectum sunt habitura: ideo requiritur in utroque, tam dante, quam accipiente, ut consensum suum idoneis signis declaret, quo cæteris de ea liquido constare queat. Qualia signa sunt nutus, gestus, vox, scriptum. Quibus alicubi accedit confessio apud magistratum, relatio in acta, & similia.

Gggg

§. 4. Id

§. 4. Id porro manifestum est, ubi translatio seu alienatio perfecta & pure facta fuerit, ei, qui alienat, ad rem antehac suam nihil juris aut prætensionis remanere. Quod licet cuius alienationi per se insit, frequens tamen est, in solennibus cessionibus & renunciationibus discrete exprimi; nihil in eam rem ab ipso aut hæredibus deinceps prætendendum aut tendendum, & si fors id fiat, irritum & nullum habendum; scilicet quia sine effectu quis disponere aggreditur circa rem, quæ alterius jam facta est. Sæpe tamen re alienata penes alienantem remanet prætensio aliqua, & jus velut eventuale, quod certo eventu posito vim suam exerit. Idque vel quia expresse super hoc in alienatione fuit conventum, uti fit in iis, quæ venduntur sub lege retractus, aut quæ sub lege commissoria alienantur, aut ubi dominium duntaxat diminutum transfertur, quod in concessione feudi, & emphyteuseos contingit: vel quia alienationi tacita conditio subest, qua existente prioris domini jus ad eam rem reviviscit; unde oritur conditio indebiti, conditio causæ data causâ non secuta, donationis sponsalitia repetitio nuptiis non insecutis, repetitio detis soluto matrimonio. Sic apud *Homerum Odys.* 9. v. 318. Vulcanus deprehenso uxoris Veneris adulterio, repetit *ἔδρα*, quæ focero ob filiam sibi locandam dederat. In *Alcorano* disponitur, ubi sponsus repudiaverit sponsam, antequam eam cognoverit, hanc retinere posse dimidiam partem ejus, quod sibi à sponso fuit donatum, nisi iste totum eidem relinquere velit.

§. 5. Verum illud potissimum heic solet disceptari, annon jure naturali ad translationem domini requiratur traditio? Nam id jam ab aliis notatum, non recte traditionem referri inter modos acquirendi domini, cum sit actus in transferendo dominio interveniens. *Grotius* l. 2. c. 8. §. 25. & alibi arbitratur, etiam solis pactis jure naturali dominium posse transferri: traditionem autem, duntaxat requiri jure civili positivo, quod quia a multis gentibus receptum est, improprie jus gentium vocatur. Contra interpretes juris Romani tradunt; solis pactis dominia rerum non transferri, etiamsi id in eo negotio expresse geratur, sed utique traditionem requiri. Eius rei hanc rationem putant, quod dominia à naturali possessione ceperint, adeoque etiam in illis transferendis requiratur talis actus, per quem statim naturalis possessio rei possit apprehendi. Ubi etiam aliqui observant, in acquisitione originaria, puta occupatione, in idem concurrere titulum sive causam, & modum acquirendi. Sed in acquisitionibus

tionibus derivativis ista duo esse perpetuo distincta. Traditionem enim & acceptionem esse modum transferendi dominii, seu potius actus in dominio transferendo intervenientes; donationem, emtionem & venditionem, &c. esse titulos seu causas, ex quibus dominium transfertur. Et si supra ostensum sit, non nudam occupationem ad titulum dominii sufficere, sed pactum eandem antecedere. Alii mediam viam hinc ingrediuntur, & uti negant, jure naturali necessariam esse traditionem; ita eandem rationi congruere asserunt: quippe cum dominium in re exerceri nequeat, nisi eam mihi corporaliter velut adplicuerim; id quod non nisi per traditionem, & adprehensionem fiat.

§. 6. Nobis videtur rem liquido posse expediri, si observetur dominium posse considerari, vel prout notat qualitatem mere moralem, secundum quam res ad aliquem pertinere, ipsiusque dispositioni subjecta esse debere intelligitur: vel prout etiam adjunctum habet aliquid facultatis physicae, ut quæ circa eandem nobis placuerint, statim in effectum possimus deducere. Vel quod eodem recidit, dominium quandoque consideratur, prout præscindit à possessione: aliquando velut cum eadē adjunctum intelligitur; quæ est ultimum quasi complementum proprietatis, & qua posita plene isthæc effectus suos directos exserit. Quo loco non inconveniens erit, super possessione in genere aliqua hinc adducere.

§. 7. Per possessionem ergo intelligimus non quamvis rei detentionem, qualem v. g. custos, administrator, commodatarius, aut usufructuarius circa rem alienam habet; sed talem, quæ conjuncta est cum affectu, & animo sibi habendi. Eam dividunt in *naturalem* & *civilem*; quæ divisio iterum accipitur vel de modo possidendi seu detinendi, vel de ipsa forma possessionis. Priori modo naturalis possessio dicitur, quando non animo solum, sed & corpore velut, ipsoque actu insistimus rei à nobis semel adprehensæ. Civilis autem possessio hoc sensu animo duntaxat retinetur, quando quis eadem corpore jam excidit. Scilicet quia lex civilis compendia illa, quæ possessionem sequuntur, certis in casibus etiam illis adhuc indulget, qui corporali possessione, aut detentione rei suæ exciderunt. Posteriori modo naturalis possessio est, ubi animus quidem & affectus rem sibi habendi adest, citra tamen justam persuasionem dominii, ex legitimo titulo conceptam. Civilis autem possessio & affectum, & probabilem affectus causam obtinet; quæ ipsa regulariter intelligitur, ubi in legibus civilibus aliquis possessioni favor tribuitur.

Vid. *Polybius* l. XII. c. 7. Possidentur autem proprie res corporales, mobiles & immobiles: analogice, res incorporales seu jura, quæ usu & facultate utendi possidemus; ut & cheirographa, ex quibus ad certum petendum actio potest institui. Ad constituendam autem possessionem omnino requiritur, ut quis rem aliquam aut ejus symbolum, custodiæ vè instrumentum per se, aut per alium ipsius nomine corporaliter adprehendat, prout id rei natura patitur, utque adeo res ita sub ipsius potestatem redigatur, quo actu de ipsa disponere queat. Et quidem si corpora plura inter se sint unita atque connexa, una eorum parte adprehensa, animo totum possidendi, totum, quoad vacuum est, adprehensum intelligitur. Sic v. g. qui fundum possidere vult, non opus habet, omnes glebas circumambulare, aut qui domum, omnia conclavia circumreptare; sed sufficit, quamlibet partem ejus introire. Vid. l. 3. §. 1. *D. de acquir. possess.* Quæ ex distantibus corporibus constat universitas, v. g. grex, si omnes partes sint præsentis, unius corporis adprehensione tota adprehensa censetur. Sed ubi partes loco sint disjunctæ, v. g. aliqua pars gregis in hoc fundo, aliqua in alio, singulæ partes separatim adprehendendæ. Res incorporales, ubi coherant rei corporali, hac adprehensa & illæ intelliguntur adprehensæ. Sinistæ in re aliena sunt acquirendæ, adprehenduntur vel cum introducimur in rem, in qua v. g. jus aut servitutem constitutam volumus; vel cum actus velut ex isto jure promanantes exercemus. Add. l. 3. §. 2. *D. de act. emti.* In juribus autem negativis possessionis instar est, si ego alteri quid prohibuero, aut eidem contradixero, & is prohibitione aut contradictione mea adquiescat. Porro ad quamlibet possessionem nanciscendam ejusmodi adprehensio, aut exercitium necessario requiritur; etsi leges civiles efficere possint, ut ipso jure dominium in aliquem transeat hætenus, ut eadem efficacia actionem ad petendam eam rem à detentore instituire queat, ac si corporalem rei possessionem adprehendisset. Quo spectant, quæ à *Grotio* allegantur l. 2. c. 8. §. 25. Porro uti ad acquirendum dominium per occupationem requiritur, ut res fuerit vacua; ita si res ab altero in me transire debeat cum hoc effectu, ut ego actu deinceps circa eandem queam disponere, necessarium utique est, ut iste ejus se possessione abdicet, & ex custodia velut sua ipsam removeat, quo mihi statim eam adprehendendi copia sit. Atque hoc sufficit, ut alter tradidisse rem dicatur. Neque enim necessum est, ut rem mihi

mihi in manus inferat. Sicuti, ut quis alteri cibum præbuisse dicatur, non requiritur, ut eundem præmansum in os ipsi immittat; sed sufficit tali loco exposuisse, ut ipse manum cibo commode admovere possit. Vid. l. 1. §. 21. l. 51. D. de acquir. possess.

§. 8. Hisce positis adparet, omnino per sola pacta transire posse dominium, prout id consideratur nude tanquam qualitas moralis, & prout abstrahit à possessione: verum prout illud etiam aliquid physicæ facultatis intelligitur continere, per quam statim actu exerceri queat, præter pacta etiam traditionem requiri. Id quod non ex jure positivo, sed ex ipsa naturali ratione fluit. Neque tamen propterea admitti necessum est, alienanti ante traditionem dominium aliquod imperfectum superesse: nisi dominium valde *ἀνύρως* velis vocare meram facultatem physicam super re aliqua de facto disponendi citra facultatem moralem. Nam post pactum completum, seu post jus pacto in alterum translatum, res statim ad alterum pertinere, & alterius gratia esse incipit; & alienans nullum circa eandem actum legitime potest exercere, nisi qui faciat ad possessionem alteri tradendam. Si quid præterea circa eam rem ante traditionem disposuerit, id de facto, & non velut ex jure domini agit. Et ipsa traditio proprie non est ultimus actus domini, sed corporalis detentionis abdicatio. Actus enim domini ille censetur, qui ex vi domini libere exercetur. Atqui traditio non libere, sed ex necessitate seu obligatione fit. Sicut actus magistratus, prout notat potestatem aliis imperandi, non est juratio. Quanquam autem res, ad quam ego jus plene in alterum contuli, pro mea non amplius censi queat: non tamen nihil interest, utrum ego adhuc rem corporaliter detineam, an vero alter jam possessionem ejus nactus sit. Nam neque actu jam ad usus suos rem potest adplicare; & ubi ego renuerim tradere, coactione opus est ad possessionem nanciscendam. Ubi præterquam quod tantisper ista re carendum, in civitate quidem labor tibi iucumbet, ut judici jus tuum demonstres, qui si forte corruptus, aut per socordiam, injustam tulerit sententiam, ad quiescendum erit; in libertate naturali anceps Martis alea subeunda. Hinc etiam leges Romanæ ex illis contractibus, quibus agitur de rebus alienandis, jus ad rem tantum quæri docent, quasi ante traditionem quis adhuc velut extra rem positus sit, jus tamen habeat, ut ea res secum conjungatur. Verum ubi per corporalem apprehensionem dominio jam ultimum accessit complementum, jus in re constitutum tradunt. Id quod

tamen leges quandoque suppleant, dum v.g. inter jura in re etiam referunt jus hæreditarium, sive quod hæredibus competit ad bona defuncti, licet possessionem nondum nacti fuerint. Quod autem leges Romanæ ex jure in re actionem realem, ex jure ad rem, personalem dederint, hæc ratio videtur esse; quod ubi jam semel perfectæ res ad me pertinuerit, nil aliud quam ipsam, ubicunque invenero, persequi necessum habeam, nec ut ea mihi restituatur, peculiaris & nova in altero obligatio requiratur. Jus autem ad rem præsupponit, rem, de qua agitur, nondum plene mecum fuisse conjunctam, & alterum ex peculiari obligatione teneri efficere, ut illa res mecum conjungi possit. Igitur ipsius persona est urgenda, ut rem velut vacuum mihi sistat, quò à me possit adprehendi. De cætero etsi vulgo dicatur, minus esse actionem habere, quam rem; certum tamen est, per jus ad rem, actionesque personales patrimonium nostrum reddi locupletius. Sicuti vice versa, quæ quis alteri perfectæ debet, nequidquam in patrimonio suo numeraverit, licet adhuc corporaliter ab ipso detineantur. Inde qui mille possidet, & mille debet, nihil; qui plus debet, quam possidet, minus quam nihil habet. Scilicet ut l. 28. D. de negot. gest. dicit: *idei abesse videtur, in quo est obligatus.*

§. 9. Observandum præterea, traditionem esse vel *ver. im.*, vel *fiçt. im.*, quæ brevi manu fieri dicitur, ad inutiles ambages vitandas. Ethæc potissimum intercedit, quando alicui rei meæ proprietatem donatione assigno, usufructu ad certum tempus retento. Vid. l. 28. C. de donat. Etsi in nonnullis ejusmodi donationibus hodie claves à donante alteri solent tradi, quas hic statim in istius manus iterum resignat. Item, quando rem meam, quam alter jam possidet, ipsius propriam deinceps esse volo. l. 21. §. 1. D. de A. R. D. Aut quando rem commodatam, locatam, aut depositam postea tibi vendiderim, donaverim, aut dotis nomine dederim. l. 9. §. 5. D. d. t. Ficta quoque traditio inter tres personas intercedit per delegationem, puta, si quis mihi dare velit, vel debeat, & ego id ipsum alteri dare jubeam. Id enim perinde est, ac si res mihi primum foret data, ac abs me postea tertio tradita. Manu longa autem traditio fieri dicitur, quando res non immediate alterius corpori admoventur, sed vel propius vel eminus demonstratur. Nam, quantum in me, tradidi, cuius possessione ipse decessi, & alteri, ut mox adprehendere possit, ostendi. Vid. l. 79. D. de solution. l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. l. 51. D. de acquir. possess. Huc etiam

etiam referunt, si detur signum, aut instrumentum custodiæ; puta claves. Vid. l. 9. §. 6. D. de A. R. D. l. 1. C. de donationibus, l. 74. D. de contrab. emt. In jaciendis autem, & spargendis missilibus in vulgus nō hoc agitur, ut res illæ habeantur pro derelictis, & postea quibusvis adprehendentibus titulo occupationis acquirantur. Sed ejusmodi sparsio est revera quædam species donationis, collatæ in indefinita individua alicujus coetus, ut res projecta illi tradita intelligatur, qui eam primus in turba arripuerit. Conf. l. 9. §. 7. D. de A. R. D. Et si de præda militi concessa *Cæsar. ap. Lucanum l. 7. Nec enim donare vocabo, Quod sibi quisque dabit.* Aliquando etiam solæ tesserae sparguntur, queis ostentis deinceps traditur, quod illæ præ se ferunt. Sic Titus Imp. in ludis globulos ligneos dejiciebat, in quorum aliis esculenti aliquid, aliis vestis, aliis aurum, equi, jumenta, pecudes, mancipia inscripta erant. Quos qui rapuerant, cum ad dispensatores pertulissent, ea accipiebant, quæ inscripta erant. *Zonaras tom. II. Conf. Bæcler. ad Grot. l. 2. c. 6. §. 2.*

CAPUT X.

DE TESTAMENTIS.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Modi acquirendi derivativi quotuplices?</p> <p>2. Definitio testamenti Grotiana examinatur.</p> <p>3. Quid nobis testamentum?</p> <p>4. Testamenta an sint juris naturalis, dubitatur.</p> <p>5. Antiquissimi mortuorum vivi inter hæredes bona distribuiebant.</p> | <p>6. Testamenta in quantum juris naturalis, & in quantum juris positivi?</p> <p>7. Licet capere hæreditatem ex testamento, solennitatibus defecto, si nemo contradicat.</p> <p>8. Licet tamen hæredi ex intestato tale testamentum subvertere.</p> <p>9. Donationes mortis causâ.</p> |
|---|--|

Inter modos acquirendi derivativos quidam adhibentur in eventum mortis, quidam inter vivos utrinque res transferunt. Utrinque derivantur res ab uno in alterum vel expressa prioris domini voluntate, vel interveniente legis alicujus dispositione. *Varro de re rustica l. 2. Quod alterius fuit; id ut fiat meum, necesse est aliquid intercedere.*

§. 2. Mortis causâ frequentissime factis hominum dominia transferuntur per testamentum. De cujus natura, & origine paulo curatius est dispi-

est dispiciendum. Ex mente igitur *Grotii* l. 2. c. 6. §. 14. testamentum est alienatio universi patrimonii in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure possidendi ac fruendi. Ubi scrupulo non caret, an testamentum alienatio recte vocari queat, & quidem stricte, prout notat talem actum, quo dominus ex re sua facit alienam. Nam alienatio hoc sensu cum sit translatio domini ab uno in alterum, præsupponit utique, duas personas eo tempore, quo alienatio fit, existere, ita ut deinceps res dici queat aliena ei, abs quo in alterum fuit translata. Atqui testator, quousque ipsi spiritus recipitur, plenissimum jus in omnia sua bona sine ulla diminutione retinet. Igitur vivus adhuc nihil alienavit. Quamprimum autem expirat, statim omne jus, quod vivus habuerat, amittit, ac deinceps pro nullo habetur. Ergo non potest eo tempore alienatio dici facta, quando alienanti res nulla amplius aliena aut sua dici potest. Neque difficultas tollitur, si dicamus, alienationem fieri, quando testamentum scribitur, sed eam interim ab eventu mortis suspendi. Nam in alienatione duorum voluntates conspirare debent, unius, in quem retransfertur, alterius, qui rem transfert; & quidem, ut illæ eodem tempore velut conspirando uniantur. Atqui frequentissimum est, aliquem ignorare, se heredem scriptum, quousque post mortem testatoris tabulæ testamenti fuerint apertæ. Sicuti & apertis testamenti tabulis liberum heredi scripto est, adire, an repudiare hereditatem velit. Deinde cum omne jus heredis testamentarii demum à morte testatoris incipiat; igitur ante mortem testatoris nullum ipsius jus extabat, quod ab eventu mortis suspensum dici posset. Præterea ubi qualiscunque alienatio, etiam revocabilis fit, tale tamen jus in alterum, cui quid alienari dicitur, transferri debet, ut illa non ex nudo arbitrio alienantis revocari queat. Alias enim neque alienans obligationem aliquam contraxisse, neque alter jus aliquod adquisivisse potest intelligi, si hoc duntaxat actum fuit, v. g. habebis aliquando rem meam, nisi interea mihi displicuerit; quo minus autem quolibet tempore & nullam quoque ob causam displicere queat, prohibendi jus non habebis. Talis actus sane alienatio dici nequit, cum sit nuda tantum declaratio voluntatis, quæ in præsens est, citra necessitatem in ea perseverandi; quæ neque obligationem, neque jus parere idonea est. Vid. *supra* l. III. c. V. §. 5. Atqui testamentum revera est ejusmodi declaratio voluntatis, qua nihil juris ante mortem testatoris in alterum confertur,

fertur, saltem quod adversus ipsum testatorem aliquem effectum pleni juris habeat. Nam etiam post scriptum testamentum testator retinet non tantum jus possidendi & fruendi plenissimum, nudo dominio in hæredem translato; sed revera illibatum dominium penes testatorem remanet. Evidenti est indicio, quod is etiam post conditum testamentum res alienare, ac scriptos hæredes, nequidquam ringentes, expungere queat. Alienationes autem revocabiles semper supponunt aliquem eventum, aut conditionem, sub qua sint revocandæ, non ex nudo arbitrio alienaturi dependentem.

§. 3. Simplicius, & ad mentem JCtorum Romanorum, naturam testamenti exprimemus, si illud vocemus; declarationem voluntatis nostræ circa successores in bona nostra post mortem nostram; quæ tamen ante mortem pro lubitu nostro sit inmutabilis & revocabilis, & ex qua aliis demum ab excessu nostro jus nascatur. Circa quam mutabilitatem illud lex humanitatis exigit, ne quis præter meritum inani spe læctetur, aut ludibrio habeatur. Inde etsi vix improbare possumus illud apud *Plinium VIII. ep. 18.* de Domitio Tullo, qui captatores, improbosque hæredipetas deceperat, (*alii contra hoc ipsum laudibus ferunt, quod sit frustratus improbas spes hominum, quos sic decipere pro moribus temporum prudentia est.* Add. *Lucianus in dialogo Simyli & Polystrati:*) merito tamen male audit apud *Valerium Max. l. 7. c. 8. Q. Cæcilius, & T. Barrulus*, quorum ille L. Lucullo, hic Lentulo Spintheri illulit, abs quibus tamen maxima beneficia acceperant.

§. 4. Istiusmodi testamenta juri naturali, an positivo suam debeant originem, inter eruditos disceptatur. Cujus quæstionis non hic est sensus, an jure naturæ teneatur quis testamentum facere; (nam id sine dubio in cujusque est arbitrio, nisi quatenus id necesse est ad rixas inter suos tollendas. Conf. *Iesai. 38. v. 1.*) sed an introducto rerum dominio ex hujus natura necessario consequatur, ut quis efficaciter possit testamentum facere; an vero facultas testandi per leges positivas dominis rerum sit concessa? *Grotii* mens est, testamentum quidem, uti alios actus, formam certam posse accipere à jure civili; ipsam tamen ejus substantiam cognatam esse dominio, & eo dato, juris naturalis; seu, ut liceat de rebus suis efficaciter disponere, ex jure gentium esse, quod JCtis Romanis primarium dicitur; ut non aliter quam certo modo, ex jure esse civili. Circa quam

H h h h

adsertio-

adfertionem non potest nullum dubium moveri. Nam cum res illæ, quarum dominium est introductum, vivis hominibus inserviant, ad mortuos autem res humanæ nihil amplius attineant: igitur non ita necessarium videbatur, ut dominium in se contineret facultatem disponendi, quid circa res alicujus post mortem debeat fieri. Sed sufficere poterat, si quis suæ potestati res subjectas haberet, quousque viveret, nec eam ultra vitam extendere posset; de bonis autem eorum, qui inter homines esse desierunt, vivis disponendi cura relinqueretur. Deinde cum mortui rebus humanis exempti sint, impune ipsorum voluntas ac dispositio, à vivis adhuc facta, videbatur posse negligi. *Id cinerem, & manes credis curare sepultos?* Argumento est, quod antiquissimi suos ad ultima mandata observanda iurejurando adstringere consueverint, velut nullo humano vinculo satis valido. Vid. *Genes. XXIV. 2. 3. XLVII. 29. L. 25. Diodorus Siculus l. 2. c. 33. de Parsode morituro. Quo spectat, quod apud Sophoclem Trachiniis vers. 1192. seqq. Hercules ab Hyllo super ultimis mandatis exsequendis juramentum exigit. Sic Constantinus Ducas juramento Eudociam uxorem adstringit, quod ad secundas nuptias, ipso defuncto, non sit transitura. Quæ tamen qua astutia syngrapham suam à Patriarcha, cui asservanda erat data, recuperavit, ac velut promissio exsoluta Romano Diogeni nupserit, memorat Zonaras tom. III. in Eudocia, & Michaël Glycas Annal. tom. IV. Sic apud Iosephum archæol. XVII. 10. Herodis mandata de interficiendis Judæorum proceribus à sorore & affine negliguntur. Sic *Iussit hæc rapidis aboleri carmina flammis Virgilius, Phrygiæ quæ cecinere ducem. Tucca vetat Variusq; simul: tu, maxime Cæsar, Non sis.* Sic Dio Cassius l. 59. ubi narrat, quomodo testamentum Tiberii à Caligula & Senatu fuerit irritum declaratum, addit; *nihil consilii adversus ingrætitudinem hominum, & vim posterorum valere. Quo possis applicare illud Lucani l. 2. Nulla fides rebus post terga relictis.* Igitur ut alicujus voluntas etiam post mortem effectum obtineret, in arbitrio situm erat si perstitum. Quibus utique conventionem aliqua inter se determinandum fuit, quousque vellent sese componere ad placitum eorum, qui hominum jura jam amiserant. Citra hoc vana erat dispositio, quam tueri auctor non posset, reliqui, qui poterant, nollent. Manifestum autem est, ad pacem generis humani non sufficisse, ejusmodi dominium rerum introducere, quod ad præsentem duntaxat, & momentaneum usum vale-*

ret,

ret, sed & quod in posterum durable foret; cum non minus homini in futurum tempus, quantum natura admittit, quam in præsens tempus vitam servandi, eique media prospiciendi jus competat. Quo cum accedat, quod & eorum, qui sanguine nobis junguntur, peculiaris cura sit injecta, quorum profapiam in indefinitum duraturam speramus: inde ex pace generis humani visum, vim dominii à nudo aliquo temporis termino non suspendere, quippe cum ea res non minus turbarum, quam primæva communio datura fuerat: sed ei durationem velut indefinitam assignare, per quam etiam in alios transire & in iis continuare possit. Hoc igitur dominium quomodo servari, & continuari possit, ii, qui in naturali libertate vivunt, ex suo iudicio statuunt. Sed in civitatibus uti illud publicis viribus defenditur; ita plerunque variis id modis temperatum & circumscriptum fuit, prout ex usu civitatis videretur. Quod autem comminiscitur *Autor novæ Methodi Jurisprudentiæ*, p. m. 56. id nescio an cordati sint adprobaturi. *Testamenta*, dicit, *mero jure*, (i. e. citra legum civilium confirmationem) *nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis. Sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum; quos vero hæredes reliquerunt, concipiendi sunt procuratores in rem suam.* Conf. *Luce XII. 20. Sirac. XI. 20.*

§. 5. Cæterum uti nemo facile adseruerit, juri naturæ repugnare, ut quis possit de suis rebus disponere eo tempore, quo dominus est, & effectum conferre in tempus, quo futurus dominus non sit: ita ut hoc ex dominii natura necessaria aliqua ratione resultet, haut quidquam adparet. Equidem hoc ex natura dominii fluit, ut quis vivus in rem suam alicui vivo jus conferat, quod non extinguatur, extincto licet eo, qui illud constituit; quippe cum illud jus in vivente hæreat. Nam cum efficiens & effectum sint entia separata, illo extincto, hoc non statim extinguere necessum est. Adeoque uti quis rem suam vivus plene in alterum potest transferre, cujus dominium hic non amittat, mortuo eo, abs quo idem fuit acceptum; ita nihil prohibet, quo minus quis dominium rei suæ in alium possit transferre, recepto tamen sibi certo in eam rem jure, quoad in vivis fuerit. Inde antiquissimis seculis patres familias de bonis suis, imminente jam fato, disposuisse legimus; (nam *Genes. XV. 3.* Abrahamus servi sui filium haut quidquam hæredem jam nuncupasse videtur,

sed tantum de eo instituendo cogitasse, si improlis ipse decederet: sed ita, ut suam voluntatem ipsi inter liberos suos promulgarent, ut dum hi eadem adquiescunt, pacto mutuo inter se eandem confirmare viderentur. Quo ipso à vivis in vivos jus collatum, iidemque velut in possessionem bonorum statim immissi. Et probabile est, veteres illos, frugali & simplici vita usos, communiter non ita repentinis & violentis morbis extinctos; sed sensim deficiente humido radicali extabuisse, sic ut ad ultimum spiritum ratio sibi constaret, nec mors ita subito, improvisoq; ipsis ingrueret. Vid. *Genes.* XXV. 5. 6. XLVIII. 22. *Deuter.* XXI. 16. 17. 1. *Reg.* I. 35. *Sirac.* XXXIII. 24. Sic & Cyrus apud *Xenophontem* l. 8. *Cyropad.* filii viva voce assignat, quid quemque ex fortuna patria maneret. Et sane maximum favorem habent istæ ultimæ dispositiones; ac non exiguum mortalitatis solatium erat, si, quæ quisq; per vitam suam acquisivisset, ad illum potissimum pervenirent, quem ipse maluisset. *Quintilianus* de-
clamat. 308. *In more civitatis, in legibus positum est, ut quotiens fieri poterit, defunctorum testamento stetur. Idque non mediocri ratione. Neq; enim aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem: alioqui potest grave videri & ipsum patrimonium, si non integram legem habet: & cum omne jus nobis in id permittitur viventibus, auferatur morientibus.* Nec de nihilo est illud *Statii Sylv.* l. 4. *Orbitas omni fugienda nisi, Quam premit votis inimicus hares, Optimoposcens (pudet heu!) propinquum Funus amico. Orbitas nullotumulata fletu: Stat domo capta cupidus superstes Imminens leti spoliis, & ipsum Computat ignem.*

§. 6. Eninvero non tam de hujusmodi ultimis dispositionibus quæstio est, quam de illis testamentis, quibus quis ita de rebus suis disponit, ut libertatem tamen ea mutandi ad ultimum spiritum retineat, utque hæredi demum à morte testatoris jus in ipsius bona incipiat nasci. Qui modus disponendi multis non citra gravissimas rationes magis placuit, quam ille, quo morti propinqui bona sua ipsi inter hæredes distribuabant. Scilicet improviso sæpe fato homines obruuntur, aut à suis distracti, ut supremam voluntatem exprimendi spatium & occasio non sit. Sæpe etiam, cui Parcæ jam extrema legere fila videbantur, sanitati iterum insperato restituitur. Convenientius quoque judicabatur, ut animo sereno atque integro per otium quis de rebus suis disponderet potius, quam tum extremis jam admotus trepidaret, aut vi morbi concussa mens langueret.

gueret. Quin & utilissimum erat, ut quis ad ultimum usque spiritum dominus rerum suarum maneret, ac nemini tale jus in illa concederet, quod non quovis tempore possit citra incommodum revocare, mutantibus sese heredum meritis, aut nostra inclinatione. Vid. *Siracid. XXXIII. 20. seqq.* (Gallico proverbio absurdum judicatur, vestibus sese prius exuere, quam eas cubitum.) Quamquam enim translatio juris possit fieri revocabiliter, seu ut iterum à transferente possit retractari, existente aliqua conditione casuali, aut potestativa, ex parte ejus, in quem facta erat translatio: tamen immensam litium segetem erant præbitura dubia, quæ circa existentiam conditionis oritura fuerant, & quæ ab utraque parte poterant prætendi. Saltem hæres semel nuncupatus gravissimam offensam in testatorem erat concepturus, si quamcunque ob rationem hæreditate, quam spe jam devoraverat, excidisset. Quin multis non citra periculum fuit, mature ac palam hæredem nuncupasse. Sic Caligula *derisores vocabat, qui ipsum inter liberos palam hæredem nuncupaverant, & post nuncupationem vivere perseverarent; & multis venenatas mactæas mittebat.* Sueton. *Caligula. c. 38.* Add. *Idem Galba c. 9. Livius l. XL 34.* Apud *Iosephum archæol. XVI. 8.* Augustus Herodem, regnum inter filios dividere volentem, prohibuit; sed jussit, ut quoad viveret, & regnum, & filios in potestate retineret. Sicuti & id perniciofa æmulatione domum ejus distraxit, quod post vivus successorem designaret. Et ideo tutum visum, testamenta scripta post mortem demum promulganda curare, ne vivis invidiam aut periculum crearent. Hinc etiam ista invito testatore resignare ac proflare, foedam atque inhumanum facinus non immerito habitum. Sic cum Cæsar, orto bello, testamentum Antonii apud Vestales depositum publice in senatu recitari fecisset, plurimi id facinus moleste tulerunt. *Ἀποδοτορ γὰρ ἔδοξεν εἶναι καὶ δευτέρου, εὐθύνας τινὰ δίδωαι ζῶντα, ἀλλ' ὅτι ἰβουλῆθεν γυρίσθη μὲν τὴν τιλιωτὴν.* Indignum enim videbatur, & grave, rationem ut quis redderet vivus de illis, quæ post mortem suam vellet fieri. *Plutarchus Antonio.* Idem Cæsar factum *Dio l. L.* injustissimum vocat. Præsertim cum Romanis frequens esset, multa judicia de hominibus in testamentum conferre; uti ex *Tacito* passim adparet. Add. *l. 1. §. 38. D. depositi. l. 1. §. 5. D. ad L. Cornel. de falsis.* Hæ ergo & similes rationes, quamquam ejusmodi modum ultimæ dispositionis multis gentibus vehementer commendarent; nondum tamen exinde evincitur, hujus generis testamenta ex ipso

rerum dominio naturaliter fluere, adcoque juris naturalis esse. Non licet ponamus; ex communi mortalium conventionem dominio hanc esse vim, ut quis bona sua in eventum mortis ad quemcunque placuerit devolvere queat: ut tamen hoc fieret tali modo, quo & voluntas testatoris ad mortem usque maneret ambulatoria, (Vid. l. 4. D. de adimend. & transfer. legat.) & jus hæredis non nisi à morte testatoris inciperet, & iste tunc demum hæredem sese intelligeret esse; id vero inventum est juris positivi. Nam alias in translationibus juris ab uno in alterum regulariter necessarium erat, ut consensus ejus, qui transfert cum consensu alterius; in quem translatio fit, eodem tempore & simul existant, ac velut uniantur; ex qua unione translatio juris resultare intelligitur. Heic autem usque adeo non necessum est voluntatem testatoris ac hæredis uniri, ut etiam inter mortem illius, & hujus aditionem intervallum temporis intercedere queat, lege tantisper jus hæredis sustinente, Add. l. 61. D. de adquir. rer. dom.

§. 7. Operose quoque disceptari solet, an salva conscientia hæres in testamento scriptus, solennitatibus jure civili requisitis defecto, hæreditatem possit capessere; ut &, num salva conscientia, qui alias ab intestato erat successurus, subvertere possit testamentum, solennitatibus jure positivo præscriptis defectum, licet constiterit, serio voluisse testatorem in hunc bona sua transferre? Qui utrumque negant, maxime nituntur hypothese illa, factionem testamenti esse juris naturalis. Unde & subversorem ejusmodi testamenti foro quidem externo & civili actionem suam adprobare posse sentiunt, non item foro interno sive conscientie. Enimvero ad isthæc penitius intelligenda, observandum prius fuerit, leges civiles vix ulla in parte magis fuisse sollicitas, formulasque & ritus scrupulosius exegisse, quam in testamentis, præveniendis fraudibus, quæ in scriptis testamentis intervenire possunt plurimæ, & dirimendis contentionibus, quas habendi cupido acerrimas erat suscitatura, cum vix quidquam minore adquiratur labore, quam opima hæreditas. Inde cum quilibet justæ ætatis, & extra crassam rusticitatem aut ruditatem positus præsumatur posse, aut ex peritioribus posse cognoscere, quomodo leges civiles ordinari testamenta velint; nemo censetur seriam suam voluntatem eo modo expressisse, quo norat, in foro civili adversus contradicentes non esse valituram. Præsertim cum tam amplum condendis testamen-

stamenti spatium indulgeatur. Igitur ubi ad leges civiles testamentum non congruerit, facile præsumitur, fraudem aliquam intervenisse, aut testatorem vel mentis non satis fuisse compotem, vel superfunctorie, & magis aliorum instinctu, quam proprio motu testamentum deproperasse. Sic ut unicus finis istorum solennium sit, ne pro vero falsum subjiciatur testamentum; nevé pro liquida, & bene deliberata testatoris voluntate præceptus & inconsultus instinctus admittatur; præsertim cum jam antea leges ad successionem ab intestato vocarent eos, quibus regulariter defunctum quam optime voluisse censetur. Cæterum etsi contingere queat, ut etiam qui seriam suam, & mature expensam voluntatem declarare constituit, in solennibus adhibendis impingat; tamen foro civili aliter de voluntate defuncti constare nequit, quam ex ejusmodi instrumentis. Et cum penes leges civiles fuerit facultatem testandi ad usum reip. temperare; non est opus, in unius aut alterius gratiam à communibus statutis discedi; cum admissio semel exemplo magna litium seges, & fraudium sit germinatura. Ac frustra querelas movet, qui propter mutilum testamentum sperata hæreditate dejicitur. Nam neque prærogativa sanguinis nititur, (alias enim ab intestato fuisset admissus;) neque jus ex testamento alicui civi quæritur, saltem in contradictorio valiturum, nisi ad statuta civilia illud quadraverit. Unde fato potius, quam alicujus injuria talis hæreditate sese excidisse arbitretur. Nihilominus ubi scripto hæredi super testamento nulla movetur controversia, recte hæreditatem adire poterit. Nam vitium, quod leges civiles ex defectu solennium præsumebant, heic cessat; (præsupponitur enim, testatorem hunc sibi hæredem serio voluisse:) & revera ad neminem propius, quam ad hunc ea bona pertinent, postquam illi adquiescunt, & tacite jure suo cedunt, quos alias generalis lex ad successionem vocabat. Seria enim voluntas, minus solenniter declarata, hæctenus tantum à legibus civilibus ad transferendum jus insufficientis declaratur, quatenus per eam alii sunt excludendi, qui ex alio fundamento jus ad eandem rem possunt prætere. Ubi ad forum civile negotium non trahitur, absentia solennium juris positivi id haut quidquam vitiat, si ad fuerint, quæ generali naturæ lege aliàs ad jus constituendum sufficiunt. Ergo videtur defectus solennium scriptis hæredibus tantum nocere contra eos, quibus in defectu heredum testamentariorum lex successionem dedit. His silentibus censetur ad
domi-

dominium transferendum sufficere, quod serio significaverit testator, quem sibi hæredem velit. Id quod etiam multæ gentes, quæ scrupulositatem juris Romani ignorarunt, aut adspernatæ sunt, ad testamenti validitatem satis esse judicarunt. Illud tamen extra dubium est, peccare eos, qui ex suppositio testamēto scientes aliquid capiunt, licet ipsorum nulla fraus intervenerit. Unde recte improbantur *Ciceroni Off. 3. M. Crassus, & Q. Hortensius*, qui ex falso Minutii Basilii testamento, cum sibi nullius fraudis essent conscii, alieni facinoris munusculum noluerunt repudiare. Add. *Valer. Maximus l. IX. c. 4.* Nam neque ad illos bona sua pervenire voluit testator, & non extante legitima domini voluntate, jam aliis bona illa per leges erant assignata.

§. 8. Neque tamen, si, cui alias ex intestato hæreditas competeat, testamentum non solenne evertat, ut de serua voluntate testatoris constiterit, proprie testatori, aut heredi scripto injuriam infert. Non testatori; quia ipsi non competeat jus per ultimam dispositionem bona sua conferendi hæredibus non legitimis, nisi modo præscripto in legibus suæ civitatis. Non heredi scripto; quippe cui non confertur jus adversus hæredes legitimos valiturum, nisi per testamentum ad leges civiles conformatum. Nihilominus generosum judicaverunt viri, eximie humanitatis laudem affectantes, à voluntate defuncti non recedere, nisi illa ad formulas legum civilium non ita exacte foret expressa, evitandæ suspitioni avaritiæ; an quia mortalitatis sensus tenera pectora acriter movet, ut ne quem frustra id voluisse concedant, quod ultimum erat voliturus. Sic capiendum illud *Plinii l. IV. epist. 10. Religiosissime soles custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro jure est. Neq; enim minus apud nos honestas, quam apud alios necessitas valet. Idem l. II. ep. 16. Ego propriam quandam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi jure deficerentur, quasi de defectas tuerer. Et l. V. epist. 7. Hoc si jus adspicias, irritum est: si defuncti voluntatem, ratum & firmum est. Mihi autem defuncti voluntas (vereor quam in partem Icti quod dicturus sum accipiant,) antiquior jure est.* Hoc exemplum qui sequi voluerit, liberalis sane animi laudem meruerit. Sicuti & eam ob causam ultima mandata aut petita necessariorum amicorumque humanitatis laudem affectantibus observare curæ est, ut ut cum aliquo onere sint conjuncta. Quo referas testamentum illud irregulare apud *Lucianum in Toxari*, ubi pauper testamento uni amicorum

corum divitum matrem suam alendam, alteri filiam dotandam legat. Neque tamen vituperandus fuerit ille, qui emolumentum non adspernatur, quod per publicas ipsi leges indulgetur. Cæterum ex singularum civitatum legibus cognoscendum, quousque alicui liceat patrimonium suum dividere inter plures, tanquam hæredes, aut partim hæredes, partim legatarios. Item an pleno jure hæreditas transmittatur, an sub onere fideicommissi. De quibus late interpretes juris civilis. Illud autem utique juris naturalis est, ut qualemcunque hæredem onera & debita, in bonis defuncti fundata, sequantur; non tamen ultra vires hereditatis, nec ut ipse de suo, quod deest, supplere teneatur, nisi ad hoc peculiariter obligasse se intelligatur.

§. 9. Distingui à testamentis solent *donationes mortis causa*, quibus vivus in vivum & consentientem jus in bona sua transfert in eventum mortis. Earum duæ potissimum videntur species. Una, quando quis, probabile mortis periculum imminere sibi suspicatus, alicui non sic donat, ut statim faciat accipientis; sed tunc demum, cum mors fuerit infecta; seu ubi quis donationem suspendit à conditione mortis ex instanti periculo imminentis; quod periculum ubi quis evaserit, nulla est donatio. Exemplum extat apud *Homerum Odyss. 9.* Referrì huc potest aliquo modo factum Philippi regis apud *Livium* l. 32. cap. 38. qui cum acie sibi cum Romanis decernendum videret, urbem Argos *Nabidi* veluti *fiduciariam* dat, ut *victori sibi restitueret: si quid adverli accidisset, ipse haberet.* Add. *Diodorus Siculus* l. 15. c. 19. de donatione Olynthiis ab Amynta facta. Hercules apud *Euripidem in Alceste*, v. 1020. Γυναῖκα τὴν δέ μοι σώσασαι λαβὼν ἕως ἂν ἴππους δειρὸ Θρηάκας ἄγων Ἐλθεῖν, τύραννον Βιστόνων καὶ Πηλαγίων. Πράξας δ' ὁ μὴ τύχοιμι, νοσήσαιο γδ, Δίδωμι τήνδε σοῖσι πρόσπολον δόμοις. *Hanc mulierem serves mihi à me acceptam, Donec adducens Thracios equos huc Rediero, interfecto tyranno Bistonum. Si vero male rem gesserim, (quod avertant Dii, utinam enim redeam.) Do hanc ancillam tuæ familiæ.* Altera, quando quis rem suam alicui assignat in eventum mortis, retenta sibi interim possessione, & pleno usufructu, ita tamen ut ante mortem ea donatio certa ex causa revocari possit; puta, si donatarius donantem insigni injuria læserit, aut si donanti orbo postea proles propria nata fuerit. Quod si autem revocabilitatem à nulla conditione extrinseca, sed à mero suo beneplacito suspenderit donator, tunc donatario nullum jus quæsitum

erit, quamdiu donator naturalem facultatem habuerit voluntatem mutandi, i. e. quamdiu vixerit rationis compos. Nam uti non est obligatus, qui nudo suo arbitrio quodcumq; vult citra præstationem ullius rei sese potest liberare: ita juris nomine venire nequit spes, quæ mero alterius arbitrio tolli potest; se cum morte dumtaxat donatoris alterius jus incipiet, adeoque ad naturam testamenti strictè dicti actus iste accedet. Quando autem quis, imminente mortis periculo commotus, ita donat, ut statim fiat accipientis, neque revocetur, si periculum fuerit depulsum, ad donationes potius inter vivos referetur. Et si ubi donatio fuerit magna, & facultates donantis debilitatura, multoque magis si totam ipsius substantiam complectatur, à conditione mortis secutura videatur suspensa, cum nemo sanus temere ad mendicitatem semetipsum præsumatur velle redigere. Illa quoque donatio inter vivos censetur, qua quis in alterum irrevocabiler dominium transfert, recepto sibi ad dies vitæ usufructu.

CAPUT XI.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

- | | |
|--|---|
| 1. Successiones ab intestato nituntur præsumta voluntate defuncti; | 11. Aut non ab hereditate exclusit. |
| 2. Prout tamen illarationi congruit. | 12. De jure representationis. |
| 3. Liberi reliquis omnib; præferuntur. | 13. Deficientibus liberis succedunt parentes; |
| 4. Parentes liberis debent alimenta. | 14. Et his deficientibus cognati pro ordine propinquitatis. |
| 5. Quid alimenta comprehendant? | 15. An amici cognatis præferendi? |
| 6. Quinam liberorum nomine veniant? | 16. An benefactores cognatis præpollentur? |
| 7. Quid præter alimenta liberis debeatur, & quare? | 17. Ordo inter cognatos. |
| 8. Non necessario aequaliter bona inter liberos dividenda. | 18. Civilibus tamen legibus ampla hæc disponendi facultas. |
| 9. Liberi legitimi prævalent naturalibus, | 19. Hæres quatenus defuncti debita exsolvere teneatur? |
| 10. Modò pater illos agnoscat; | |

Ex

EX dispositione legis naturalis, sine expresso & peculiari facto prioris domini, dominia rerum transire dicuntur in successione ab intestato. Scilicet cum ea dominio vis foret attributa, ut quis de rebus suis posset disponere non solum quoad ipse in vivis esset, sed etiam eadem efficaciter in mortis eventum in alios transferre; probabile non videbatur, si quis super bonis suis vivus nihil deprehenderetur disposuisse, cum illa à morte sua velut præ derelictis habita cuivis occupanti voluisse patere. *Pindarus Olymp. od. 10.* πλῆτ' ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον θνάσκοντι συρωτάτ'. *Divitia, sortita dominum adscititium alienum, morienti sunt odiosissima.* Igitur sequendam heic defuncti voluntatem probabilissime præsumtam ratio naturalis dictitabat. In dubio autem præsumitur quemq; id voluisse, quod naturali inclinationi simul ac officio quam maxime congruit. *Conf. Grot. l. 2. c. 7. §. 3.*

§. 2. Inclinationo naturalis regulariter eo fertur, ut nostra opera quam prolixissime sit prospectum iis, qui ex nobis descendunt; & juxta hos aliis sanguine nobis junctis. Nam & plerunque propinquitas sanguinis peculiari quoque affectu animos conjungit; & cunctis fere ea cupiditate est insita, ut familias suas quam maxime velint florere. Inter officia autem præcipuum est, ut illis prospiciamus, quorum curam natura nobis peculiariter injunxit, tum ut gratum animum adversus benefactores exhibeamus. Enimvero utut præsumtiones has sæpe à vera voluntate defuncti aberrare contingeret; tranquillitatis tamen & pacis intererat, ut ne facile peculiare quædam conjecturæ contra hæc communes admitterentur; cum hac ratione innumeris litibus fenestra foret aperienda. Adeoque in hac materia voluntas defuncti respicitur non tam qualis fuerit, quam qualis esse debuerit, & prout ad regulas officii congruebat. Inter quas vel hæc præcipua est, ne quis occasionem præbeat, ut alii litibus inter se collidantur. Inde pacis interest communem aliquam viam heic, potius sequi, licet contingat paucorum quorundam voluntatem negligi, quam, dum singulis satisfacere laboramus, infinitis difficultatibus nos aliosque involvere. Et qui omnino singulari suæ voluntati satisfacere volebat, expresse eam significasse debuerat. Sic nihil frequentius, quam ut pater unum ex pluribus liberis ardentissimo præcæteris amore prosequatur. Qui dubitet, quin uberius velit prospectum isti delicio, quam reliquis? Et nihilominus ubi intestatus deces-

scribit, æquis portionibus hæreditatem cernent; non quod juri naturali repugnet uni ex liberis suis eximiam quandam portionem assignare; sed quia infinitæ lites inter fratres erant surrectura, si ex modo paterni affectus patrimonium foret dividendum. Idem incommodum sequeretur, si quis improbis decederet, relictis pluribus fratribus, quos dispari amore, dum vixit, fovemat. Sic non infrequens est, ut quis decedat, relicto cognato aliquo remotioris gradus, quem nunquam singulariter amavit, nec beneficio ejus ullo usus est; cum contra alieni cujusdam favori omnes suas fortunas debeat. Quis non dicat, defuncto potiozem fuisse illum benefactorem, quam cognatum? Et tamen, quia difficillimis litibus materiam erat præbitura comparatio inter necessitudinem sanguinis, & gratitudinis, cunctis gentibus placuit, ut in causa intestati cognatus beneficiæ præferretur. Præsertim cum non beneficium dedisset, sed fœneratus quis videri posset, si propter istud propinquis in hæreditate deberet præferri. Ast si per expressam defuncti voluntatem ille hisce fuerat antelatus, æquum utique erat, eam voluntatem servari. Unde adparet, rationem naturalem, quæ de successionibus arbitratur, ubi ultimæ dispositiones desunt, non nudam defuncti voluntatem, de qua sæpe parum constat, respicere; sed prout ea cum communi hominum inclinatione, & officio congruit, ac ne litibus fomes suggeratur. Add. *Baclerus ad Gret.* l. 2. c. 7. §. 13. Isti tamen rationi naturali in omnibus civitatibus leges civiles succenturiantur, tum ne avaritia hominum acerrimis litibus collideret illos, queis paria rationum momenta videbantur favere; tum ut ad publicam utilitatem ea res dextre attemperaretur.

§. 3. In successionibus igitur ex intestato & ipsa duce ratione, & consensu omnium, quas novimus, gentium liberi præferuntur reliquis etiam ipsis parentibus. Vid. 2. *Corinth.* XII. 14. *Roman.* VIII. 17. *filii, & hæredes.* *Aristot. Nic.* VIII. 14. *μᾶλλον ἴσασιν οἱ γονεῖς τὰ ἐξ αὐτῶν, ἢ τὰ γεννηθέντα, ὅτι ἐκ τούτων καὶ μᾶλλον συσφείονται τὸ ἀφ' ἐ τῶ γεννηθέντι ἢ τὸ γεννώμενον τῶ ποίησαντι.* *Magis sciunt parentes, qui ex seorti sint liberi, quam nati ex illis se esse genitos. Majorem autem id, à quo aliquid est, cum genito habet necessitudinis connexionem; quam quod factum est cum eo, qui fecit.* *Isens orat.* V. *Ὁ νόμος αὐτοῖς ἀποδίδωσι τῶν ἡμῶν τὰ τῶ πατρὸς, καὶ ἐδὲ ἐξ ἐδὲ ἐὰν ὅτι αὐτοῖσι παῖδες γνήσιοι.* *Lex ipsa ea qua sunt patris dat filio, & non permittit eum testari,*

testari, cui filii sint legitimi. Idemorat. II. ἔτι γὰρ διαθήσει, ἢτε δῶται ἢ δὴν ἔξεισι τῶν ἑαυτῶν, ἄνευ τῶν θυγατέρων, ἐάν τις καταλιπῶν γνησίας τελευτῇ. Non enim cupiam licet aut disponere, aut donare. Sua, invitis filiabus, si quis legitimas relinquens decesserit. Et paulo post: Lex dicit, licere unicuique disponere sua arbitrio suo, si non relinquat filios legitimos: sin vero feminas relinquit, in illarum arbitrio. Igitur cum filiabus licet dare & disponere propria: in sciis vero filiabus legitimis non possunt neque adoptare, neque alicui bona dare sua. Add. l. 7. D. de bonis damnatorum. Iulianus in Caesaribus. πᾶσι νόμιμον ἑπιτρέπειν τὰς διαδοχὰς: καὶ τὸτο ἅπαντες ἔχοντες. In more positum est, ad filios omnia per successionem deferre; & hoc omnes in votis habent. Apud Valer. Max. l. 7. c. 7. §. 2. arctissimum inter homines procreationis vinculum vocatur: Favet autem liberis tum parentum obligatio, qua ad liberos alendos, & bene educandos à natura adstringuntur, tum affectus vehementissimus, quem non nisi raro enormia liberorum scelera, aut inusitata parentum feritas extinguit.

§. 4. Ac de alimentis quidem, quæ parentes liberis debent, à quibusdam dubitatum fuit, utrum obligatio, ex qua debentur, sit perfecta, an imperfecta; seu utrum illa ad explettricem, an ad attributricem justitiam spectent. (vid. *Grot. d. l. §. 4.*) Quorundam sententia est, debere quidem parentes liberis alimenta, non tamen ex justitia explettrice, sed attributrice duntaxat, sic ut valde inhumaniter faciant parentes, si illa denegent; liberis tamen non competere jus ab invitis parentibus illa alimenta exigendi; qui proprius est effectus justitiæ explettricis. Etsi per leges civiles liberis possit perfectum jus dari. Nobis tamen potius persuasum est, parentibus perfectam incumbere obligationem liberos alendi, quamdiu ipsi sese alere nequeunt; eaque injuncta videtur non solum ab ipsa natura, sed etiam proprio parentum facto, dum liberos generant atque tollunt. Sane enim proli suæ magnam facerent injuriam, si eam ideo tantum generassent, ut periret. Ergo generando videntur sese ultro obstrinxisse, quod quantum in se, operam velint dare, ut, quam dederunt, vita conservaretur. Sic igitur in liberis erit perfectum jus à parentibus alimenta habendi. Verum quo minus illud omnes effectus producat, obstat naturalis liberorum imbecillitas in ea ætate, in qua sibi ipsis prospicere nequeunt. Adeoque non tam jus illos deficit, quam vires id exsequendi; nisi quæ leges civiles ipsis subveniant, & detrectantes parentes ad præstanda ali-

menta compellant. Etsi per sapientiam Creatoris naturalis parentum affectus tantam habet vim, ut etiam citra compulsum legum civilium parentes regulariter officio suo satisfacere gaudeant.

§. 5. Cæterum sub nomine alimentorum veniunt non solum, quæ ad naturalem vitam conservandam sunt necessaria, sed & quæ hominem ad socialem & civilem vitam reddunt idoneum. Et ista quidem eousque debentur, quoad propriam per industriam victum sibi proles quærere possit. Quantum autem in educationem, quâ ad vitam civilem liberi formantur, sit impendendum, ex fortuna parentum & in dote filiorum erit judicandum. Saltem id requiritur, ut in honesta, & utilia societatis humanæ membra queant evadere. De cætero uti id quidem natura non videtur exigere, ut parentes in gratiam liberorum miseri suum defraudent genium: ita vitio non carebit parens, in lauta fortuna constitutus, si non exquisitissimam filiis culturam adhiberi curet.

§. 6. Sub nomine autem liberorum comprehenduntur non illi tantum, qui primi sunt gradus, sed & qui secundi & ulteriorum, sive ex filiis, sive ex filiabus descendant; siquidem à propioribus parentibus ali nequeant. Vid. l. 8. §. 5. *C. de bonis, quæ liberis adquir.* l. 5. §. 1. & 5. l. 8. *D. de agnosc. & alend. liberis.* Alimenta porro debentur non legitimis tantum liberis, sed & naturalibus, imò & illis, qui ex incesto concubitu nati sunt. Cur enim misera & innocens proles alienum ob delictum fame pereat? Si tamen cum talibus concurrant legitimi, isti vix postulare poterunt, ut cum his ad æquales portiones admittantur, nisi expressè hoc parentes voluerint. Vid. *Genes.* XXI. 10. XLIX. 19. 20. *Judic.* IX. 18. XI. 1. 2. Add. *Baeker. ad Grot.* d. l. §. 4. Et respectu istorum alimentorum, quando parens decessit, liberis adhuc in immatura ætate constitutis non modo ab intestato hæreditas debetur: sed ea ne per expressam quidem patris voluntatem adimi recte poterit, quantum ad huc finem requiritur. Neq; enim videtur filium ea ætate tale facinus posse patrare, ut alimentis sit indignus. Add. l. 27. §. 3. *D. de inoffic. testam.*

§. 7. Quæ alimenta isthæc excedunt, liberis, qui jam sibi ipsi possunt prospicere, debentur non tam ex diserto aliquo præcepto juris naturalis, quam quia communiter nemini lautius prospectum volunt parentes, quam ex sese genitis. Singularis est dispositio Crateris Thebani, qui pecuniam suam apud trapezitam deposuisse dicitur hac lege, ut si quidem

dem filii essent idiotæ, ipsis restitueret; sin philosophi evaderent, plebi distribueret. Fore enim ut, si philosophentur, nullius rei indigeant. Ap. *Diogenem Laërt.* l. 6. Nam quod aliqui putant; parentes liberorum causâ omnia acquirere, adeoque liberos etiam vivis parentibus jus aliquod habere in bonis parentum, adversus hosce valiturum, extra causam alimentorum, id falsum est. Primario enim sui ipsius causâ quisque acquirit. *Horat.* II. ep. 2. *Vitar, & ex modico, quantum res poseet, acervo Tollam nec metuam, quid de me judicet heres. Quod non plura datis invenerit. Iuvenalis Sat.* 14. *Manifesta phrenesis, Ut locuples moriaris egenti vivere fato. Que* autem propriis necessitatibus supersunt, ea demum illorum esse vult, qui ipsi sunt quam carissimi, quales regularitur liberi censentur. Vid. *Nicephor⁹ Gregoras* l. V. sub fin. Et liberis hæcenus spes ad bona paternâ præ reliquis competit, quod expressâ voluntate in diversum non existente, ipsi omnibus præferantur; & quia rarius contingit, ut ab ordinario isto affectu parentes discedant. Neque ultra admittimus l. II. D. *de liberis & posthumis.* Est autem illud bene à legibus Romanis constitutum, ut parenti causas, cur filium exhæredaret, exprimere necessum foret, utque non nisi certæ ad hunc effectum sufficerent. Quin imo dabatur insuper liberis exhæredatis querela inofficiosi testamenti, per quâ non hoc in dubium vocabatur, an testator potestatem habuerit justis de causis in alios potius quam liberos bona transmittendi: sed discutiebantur rationes, quæ defunctum moverint, quod contra communem inclinationem aliquid statuerit. Quod si deprehenderetur, patrem per subreptionem, & fraudes aliorum, aut absurdo ex affectu prolem suam neglexisse, hæreditas per publicam auctoritatem illis addicebatur, ad quos ea alias fuerat perventura, siquidem sanam rationem in consilium pater adhibuisset. Inde *Cicero pro Sexto Roscio*, Erucio, qui arguebat, senem Roscium in animo habuisse exhæredare filium, recte reponit: *Id erat accusatoris officium, explicare omnia vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum ejiceret ex animo; ut denique patrem sese esse oblivisceretur.* Add. l. 2. 4. 5. D. *de inoff. testam.* Ubi notandus color, quo in actione isthac instituenda usi fuerunt exhæredati; quod cum necessû haberent præsupponere, justas exhæredationis causas in se non fuisse, prætendebant, parentes, dum testamentû conderent, sanæ mentis non fuisse. Vid. *Mornacius* ad d. l. 2. & 4. & *Grotius in sp. us. fler.* ad d. l.

De

De cætero ita liberis favere debet pater, ut tamen ideo cæterorum officiorum respectum non penitus exuat. Unde postquam satis visus est liberis prospexisse, haut quidquam prohibetur, quo minus bonis suis utatur ad gratum animum, aut liberalitatem exercendam, licet ideo minus ad liberos ipse sit perventurum. Sic si quis magnis alicujus beneficiis fuerit usus, aut egregio ingenio cum inopia luctanti occasionem possit præbere ad magna emergendi, cur non particulam aliquam bonorum in hunc devolvat? Sane magnis laudibus celebratur factum Attali, qui cum abs fratre suo Eumene maximis beneficiis fuisset maectatus, post regnum Eumenis filio tradidit, licet ipsi plures essent filii; uti est apud *Plutarch. de fraterno amore*, & in *apophthegm.* Simile exemplum legitur apud *Hieron. Osorium de gestis regis Emanuel. l. 4. p. m. 117.*

§. 8. Patri quoque non est necessum, ut æquis portionibus bona inter liberos dividat; sed potest uni atque alteri præ cæteris eximii quid assignare ob singularia merita, aut præclaram spem, vel etiam ob peculiarem affectum. Vid. *Genes. XLVIII. 22.* Sicut & in distribuendo patrimonio ratio potest haberi totius familiæ, ut illa deinceps splendorem suum, & firmitatem retinere queat. Quæ si detrimentum sit passura, diviso æqualiter inter liberos plures patrimonio, salvo jure naturali poterit pater uni præcipuam bonorum partem addicere, reliquos minoribus esse contentos portionibus jubere. Inde apud multos populos jura primogenituræ recepta sunt, quæ ex antiquissimis moribus dabant principatum in familia, sacerdotium sacrorum familiæ, & duplam portionem in bonis à patre possessis. Quæ dupla usum habebat ad facienda convivia & sacrorum sumtus; uti arbitratur *Grotius ad Deuter. c. XXI. 17.* De insigni quoque prærogativa primogenitorum apud Japonios vid. *Bern. Varenii descript. Japoniæ. c. 15.* Quanquam contra non desunt gentes, ubi minimi natu fratres potio rem capiunt, aut saltem optionem habent, quam eligere partem velint. Cujus instituti ratio est, quod priores natu fratres educatione paterna diutius usi sunt; quæ cum minoribus sæpe mature nimis subtrahatur, aliquid solatii merito illis rependitur. Etsi hoc institutum magis in familias plebeias, illud in illustres quadret. Sic cum filiæ in alias abeant familias, non necessum est, ut cum fratribus æquas portiones ex bonis paternis capiant. Nam simplex valde est credere, pietati paternæ adversari, inæqualiter sua bona inter illos distribuere, quorum unus æque atque

atque alter ab ipso est procreatus. Quin *honestissimum testamentum* vocat *Plinius VII. epist. 24.* in quo ab avia nepos ex beſſe, neptis ex tertia parte hæredes relictæ erant. Inde non lege ſolum, ſed & pacto conſtitui poteſt, ut etiam iis, qui ex conjugio naturaliter juſto nati ſunt, alimenta ſolum debeantur, aut certe illi excludantur à præcipua hæreditate. Vid. *Grotius d. l. §. 8. ſub. ſin. & Bæcler. ad d. l. Ubi obiter mirari lubet, quare Auguſtinus de civit. Dei l. 3. c. 21.* tantopère improbet legem Voconiam, qua non niſi certa pars fœminis hæreditate relinqui poterat. *Ea lege quid iniquius, inquit, dici aut cogitari poſſit, ignoro. Quæ lex ſuadente M. Catone cenſorio lata fanxit, ne quis hæredem relinqueret filiam ſupra H. S. XXV. M. uti ex Dione l. LVI. oſtendit Paulus Manutius de LL. Romanis. Etſi Aſconius Pedianus ad orat. Cicer. in Verrem de pratura urb. ita ſcribat: Voconius legem tulerat, ne quis cenſus, hoc eſt, pecunioſus, hæredem relinqueret filiam.* Supra dixerat: More veterum cenſi dicebantur, qui centum millia profeſſione detuliſſent. Add. *Livii epitom. l. XLI. Quintil. declamat. 264. Gellius l. VII. 13. XVII. 6.* Sane Spartæ longe durior lex, quæ virginibus verabat dotem dari; cujus ratio exponitur apud *Plutarch. apoph. Lacon. ne vel ob inopiam aliqua manerent innuptæ, vel propter opes expeterentur; ſed qui vix in mores puella intuens virtutem in delectu ſequeretur.* Nihilominus prudentia heic opus erit, ne invidiæ & odiorum ſemina inter liberos ſpargat pater, ſi citra graves cauſas æquales, & æqualiter meritos inæqualiter tractaſſe fuerit viſus. Vid. *Genef. XXXVII. 4.* Ac graviffima ratione nititur lex divina, *Deuter. XXI. 17.* ne uxoris dilectæ delinimentis captus pater cauſas in primogenitum aut fingat falſas; aut captet leves. Quin & omnino heic tutiſſimum à legum civilium diſpoſitione non decedere. Vid. *Charron de la ſageſſe l. 3. c. 14. n. 38. Mich. Montaigne eſſais l. 2. c. 8. Bacco fidel. ſermon. c. 7.* pronunciat: *Raro aut nunquam proſperum ſortiuntur exitum, quando exhæredantur ſeniores filii.* Inde etiam, ubi ſine teſtamento pater deceſſerit, neque civilibus legibus aliter diſpoſitum fuerit, liberi æquis portionibus ſuccedunt; quia in dubio æquali gradu deſunctum attingentes æqualiter dilecti cenſentur. Æquæ autem portiones & illæ habentur, quas quis cum conſenſu cæterorum vel ipſe elegit, vel à cohæredibus assignatas adprobavit, vel ſorte accepit, etiam ſi fors reliquis in ſe pretio pares non fuerint. Non inſuper quoque habendum illud *Quintil. declam. 5.* *Par eſt in omnes liberos, eademque pietas, ſed habet in aliquo plerunque proprias indulgentiæ cauſas, & ſalva caritatiæ æqualitate eſt quiddam,*

per quod tacito mentis instinctu singulos rursus tanquam unicos amemus. Hunc primus nascendi locus, illum gratiorem fecit infantia, alium letior vultus, & blandior osculis amplexibusque facies, quosdam magis severitas probitasque commendat, in quibusdam diliguntur impatientius calamitates. Et damna corporum, debilitatesque membrorum notabilius miseratione complectimur. Salva est tamen universitas, cum quicquid in altero cessare credatur, in altero restituit alter affectus.

§. 9. Addendum tamen & heic est, non leges duntaxat civiles, sed & ipsam naturalem rationem magis favere liberis legitimis, quam naturalibus, licet hi tantundem trahant ex sanguine paterno, quam illi. Nam qui præter patris intentionem per vagam libidinem provenerunt, nullo modo comparare se possunt cum his, qui procreati sunt ad familiam propagandam, & ut quis suos hæredes haberet. Quod si quis naturalem suum filium in legitimi locum adsciscere velit, id demum in libertate naturali fas erit, si legitimis liberis, aut quibus alias jus quaesitum est, nulla inde læsio inferatur: in civitatibus, quatenus leges civiles id permiserint. Vid. l. 6. & 7. C. de natural. liberis. Apud Aristophanem in Avibus recitatur lex Solonis: *Νέθω μὴ ἀνά ἀρχαίαν, παίδων ὄντων γινώσκων. ἐάν ᾧ παῖδες μὴ ἴσθαι γινώσκωσι, τοῖς ἐγγυτάτω τῷ γένει μετὰ τῶν χρημάτων.* *Spurio non esse cognationem filiis existentibus legitimis. Si autem filii non sint legitimi, his qui proximi sunt genere participationem esse rerum.* Contra apud Muhammedanos ad participandū de hæreditate paterna nihil interest, ex justa quis matrefamilias, an ex concubina aut ancilla sit natus. Ubi autem alicui ex concubina potius, quæ ipsi soli corpus addixit, sobolem quaerere, quam ex justa uxore placuerit, in favorem liberorum ex prioribus nuptiis genitorum; etiam expressâ voluntate patris concubinæ filii his posthabebuntur, & accepta modica portione reliquam hæreditatem iisdem relinquent. Quod si tamen ideo concubinam sibi junxerit, ut ne justa matrefamilias superbiam aut sumtus toleraret, aut ob alias rationes politicas, aut etiam propter pactum aliquod, matrefamilias dignationem illi noluerit impertire; tunc videndum est ex legibus civitatis, utrum taliter nati cum reliquis ex justa matrefamilias sublatis admittantur, aut si hi non extent, alios cognatos excludant. Nam citra leges positivas si sit, non video, quid taliter natis obesse possit; cum cohabitatio patris ipsorum cum matre verum conjugium fuerit in terminis naturalibus; præsertim si hic in ipsa edu-

catione,

catione, ac significatione affectus paterni nullum inter ipsos discrimen fecerit. Unde putaverim, filios Jacobi ex ancillis prognatos, etiam non extante dispositione patris, cum reliquis ad æquas portiones fuisse successuros; quia nunquam dispari eos modo à reliquis tractasse legitur. Quod si tamen expresse pater hoc præ se tulerit, quod ideo justam matrem familias sibi jungere noluerit; ut bona sua ad proximos agnatos devolvantur, (quod ut fiat quandoque rationes politicæ suadent;) tunc etiam hisce ex bonis paternis nihil licebit petere præter alimenta, aut si quæ præterea voluntas patris, legesvè civiles assignaverint. Add. *Bæcler. ad Grotii d. l. §. 8.* Uti autem merum jus naturæ discrimina ordinum ignorat: ita juxta idem perinde est, sive quis ex illustri, sive humili matre filium procreaverit, modò ab hac fides conjugalis data sit. Unde sicubi deterioris conditionis sunt liberi, ex minus nobili matre prognati, id ex legibus positivis est. Quæ uti rationibus politicis moveri possunt, ut legitimos istis anteponant, nec in defectu descendantium cum adscendentibus simul admittant: ita si in ipsorum generatione nullum fuerit vitium, penitus eos excludi vix æquum videtur. Hi tamen omnino dispescendi sunt ab illis, qui geniti fuerunt ex concubitu, cui naturale vitium adhærebat, puta ex adulterio, aut incesto. Qui utut ex delicto parentum nihil reatus contraxerint; (vid. *Gratianus c. 3. seqq. distinct. 56.*) idem tamen efficiet, ut alimentis cogantur contenti esse, nec admittantur cum illis, qui in spem hæreditatis sunt geniti. Quam in hos, dum generant, parentes haut quidquam contulerunt; dum id oprant, ut flagitium suum perpetuo sit occultum potius, quam ut per id velint producere, qui de turpitudine parentum publicè velut testimonium dicant.

§. 10. Illud præterea monet *Grotius d. l. §. 8.* tunc demum filios ab intestato succedere, *si modò constet, eos ab isto esse genitos, aut ni contrarie voluntatis indicia extiterint.* Nam neque paterno affectu quis sobolem ab alio procreatam prosequitur; & præsumta voluntas cessat, ubi diversum expressa ostenderit. Cæterum esse aliquem alterius patrem, neque semper rationibus indubiis demonstrari, neque testimoniis aliorum ita liquido ostendi potest, sicut de matre constat; præsertim ubi fœminæ degunt abs suo fere pudore atque conscientia custoditæ. Igitur præcipuum hæc argumentum habentur ipsæ nuptiæ, quibus & fidem mulier viro dat, quod corpus suum nemini præterquam marito sit præ-

bitura, & uxor quasi sub oculis mariti constituitur, simulque huic potestas conceditur ejus corpus custodiendi. l. 5. D. de in jus vocando. Semper autem præsumitur, quemque & fidem datam observare, & potestate sua uti, nisi manifeste contrarium probetur. Igitur quilibet quidem est in hac velut possessione, ut sit filius ejus, quem nuptiæ suæ matris demonstrant. Neque sibi ipse quis facile controversiam heic movebit, & matris adulterio patrem petet, nisi forte insaniat. Tacitus H. IV. *Julius Sabinus, super insitam vanitatem, falsæ stirpis gloria incendebatur, pro aviam suam divo Julio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.* Sed alii si litem heic moverint, onus probandi ipsis incumbet; puta, eum, qui pater fertur, tempore conceptionis fontico morbo decubuisse, aut peregre abfuisse. Apud *Xenophontem rer. Grec.* l. 3. *Agefilaus Leotychidæ ex hisce rationibus controversiam movet, quod aliquando pater eum esse suum negasset, quod patre esset formosior, quod decimo mense post ultimum congressum Agidis cum matre foret natus, quod Agis matrem ipsius thalamo expulisset.*

§. 11. Altera autem exceptio, qua filius ab intestato patri non succedit, est, si expressa patris in contrarium voluntas extet; puta, si eum abdicaverit, quod antiquis Græcis solenne erat, aut exhæredaverit. Utrinq; justas, & graves causas accedere debere, supra monitum. Apud *Dichyn Cretensem* l. 3. *Antenor filium Glaucum à penatibus suis abdicandum decrevit, quod Paridis comitatum, Helenam capientis, secutus foret.* Add. *Bæcler. ad Grot. d. l. §. 7.* Subjungit tamen *Grotius* d. l. alimenta esse exhæredato aut abdicato præstanda, nisi mortem fuerit meritus. Et si vix videam, qua ratione exhæredationem aut mortem mereri queat filius, in tali ætate constitutus, in qua ipsi à parente naturaliter alimenta debeantur.

§. 12. Cæterum quod supra dicebamus, parentes alimenta debere liberis non solum primi, sed & ulteriorum graduum, si ipsorum parentes non amplius extent; à quibus ali queant; (vid. l. 7. D. de his qui sui vel alien. jur. sunt. l. 2. §. 7. D. de excus. tutor.) inde præcipue petitur æquitas juris quod vocant repræsentationis; per quam liberi in locum defuncti sui parentis promoveri intelliguntur, ut ex majorum hæreditate idem capiant, quod pater ipsorum capturus fuerat, si eo tempore adhuc viveret; utq; adeo in stirpes succedant cum illis, qui cum patre ipsorum æquo gradu fuerant.

fuerant. Et sane valde miserum erat, ut super luctum ex præmature parentis obitu etiam exciderent illis bonis, ad quæ habenda spes lege aut destinatione majorum parentibus ipsorum jam fuerat collata. Add. *Bæcl. ad Grov. d. l. §. 6.* Quod si autem leges civiles alicubi tale jus representationis non admiserint, patre præmature orbi id tanquam fatalem calamitatem ferent.

§. 13. Deficientibus liberis primi & ulteriorum graduum, successionem deferri adscendentibus rationis erat; tum quia ut plurimum à parentibus sunt profecta ista bona, aut saltem semina velut eorundem, quæ libeti postea auxerunt; tum quia parentum beneficia id cum primis merentur. Quos, cum alias optarent bona sua in liberos devolvere, eosque habere superstites, ubi ordo naturæ versus fuerit, vel lamentabili illo solatio hæreditatis ut cunque demulceri par erat. *Plinius panegy. Abunde miserare est pater filio solus hæres. l. 15. D. de inoffic. testam. l. Iulianus D. si quis omissa causa. l. liberi C. de inoff. l. ult. C. de Institut. §. 2. Instit. de Scto Tertull. l. si qua C. ad Sctum Tertull. Philo Iudæus de vita Mosi l. 3. isthunc circa hæreditates à Mose ordinem institutum memorat, ut primo loco vocentur filii, his deficientibus, filia, tum fratres, quarto loco patrui, quo argumento etiam colligit, patres fieri posse hæredes filiorum. Stultum enim foret credere, inquit, patrio concedi hæreditatem fratris filii, ut patris cognato, ipsi vero patri eam auferri. Verum quia lex natura jubet filios parentibus hæredes succedere, non parentes filiis, hoc ut ominosum, & piis votis contrarium tacuit; ne pater materque viderentur lucrari ex immaturis filiorum mortibus & luctu inconsolabili, oblique tamen ipsos vocavit ad jus, quod permittit patrui, ut & decorum servaretur, & bona manerent in familia. Accedit in quibusdam parentibus debilitas & egestas senii; qua oppressos alias liberi alere tenebantur. Id quod lege Attica expresse sanciebatur. *Isæus orat. VII. Iubet lex parentes alere, parentes vero sunt mater & pater & avus & avia, si adhuc vivant. Illi namque generis principium sunt, & bona eorum posteris per manus traduntur. Quapropter eos alere necesse est, etiam si nihil reliquerint.* Add. *Grotius d. l. §. 5. & Ziegler. add. l.* Quod si tamen atrocibus odiis atque injuriis filium pater citra rationem profecutus fuerit, nulla secuta reconciliatio, recte pater ab hæreditate filii poterit excludi. Sicut & ille, qui recens natum exposuit. Huic enim præferendum illum, qui onus educationis susceperit, dubium non est. Sed & naturali patri adoptivum heic præ-*

ferri æquum videtur, ut hic recuperet, quæ in alienæ prolis educationem impendit. Id quoque observandum, Jctos in successionebus adscendentium non admittere repræsentationem, uti in successionebus descendenteum, v. g. si quis improlis moriatur, relicto patre, & avo materno, hic in filia suæ locum non admittetur. Cujus rei ratio hæc videtur, quia naturaliter spes successione non adscendit, sed descendit; adeoque filio jam erat spes succedendi patri; quam spem in suos quoque liberos ipse transmittere potest. Matri autem nunquam spes aut votum fuit prolis suæ hæreditatem cernere. Unde nec eandem contra naturæ seriem ad majores suos potuit remittere; adeoque merito proximus remotiores heic excludet.

§. 14. Ubi descendentes & adscendentes deficiunt, collaterales ab intestato ad successione vocabuntur. Hi quo ordine debeant admitti, ubi leges civiles deficiunt, ex naturali erit conjectura definiendum. Quæ illi favet, in quem defuncti affectus maxime propendisse præsumitur, ita tamen, ut illum affectum metiamur magis ex communi sanorum hominum inclinatione, & prout ille ad lites præscindendas facit, quam ex moroso unius vel alterius ingenio. Heic igitur ex sententia sapientum naturalis ratio quam maxime favet propinquitati sanguinis, ita tamen, ut simul respiciatur, ex quo velut fonte bona ista in defunctum fuerint devoluta, aut cui quid ea occasione, quod iste in rerum natura extiterit, quondam decesserit. Sic *Aristoteles Nicom.* VIII. c. 14. primo loco ponit amicitiam inter parentes & liberos, dein amorem fratrum, exinde ortum, quod ex iisdem genus ducant, quem alit similis ætas atque educatio. His subjunguntur patrucles & reliqui cognati, quod per hosce nobis jungantur. Post illos autem, quos ipsa natura velut necessario amandos nobis commendat, illi demum admittuntur, quos beneficia, aut commoditas morum, aut peculiaris animorum conspiciatio, vel perfecta fides conciliant. *Cicero Off.* l. 1. necessitudinum gradus hoc modo disponit. *Prima, inquit, societas in ipso est conjugio: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Sequuntur fratrum conjunctiones: post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum una domo capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit caritate homines.* De necessitudine fratrum videatur

videatur late *Plutarchus libro de fraterno amore*. Et *Xenophon* l. 8. in ultima oratione Cyri. & l. 2. *Memorabilium*. Add. *Bæcler. ad Grot. d. l. §. 9. 10. 11.* Ad illustrandam consanguineorum necessitudinem facere quoque potest lex illa in regno Tunquin recepta, qua lites inter cognatos ortæ non per iudicem, sed per communes cognatos tanquam arbitros deciduntur; uti refert *Alexander de Rhodæ itiner.* l. 2. c. 7.

§. 15. Sed annorum amici cognatis quandoque sint præferendi, dubium moveri potest ex encomiis, quæ passim amicitia tribuuntur. *Cicero* d. l. *Omniū societatum nulla præstantior, nulla firmitior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti.* *Homerus* *Odyss.* θ. ἢ μὲν τι κασιγνήτοιο χειρῶν γίνεται, ὅς κεν ἑταῖρῳ ἑὼν πεπνυμένα εἶδῃ. *Non fratre inferior existit cordatus amicus.* *Euripides* *Oreste*: ὡς ἀνὴρ ὅστις πρόποισι συντακεῖ, θυγατρῶν, μυείων κρείστων δαμάμων ἀνδρῶν κερτῆδός φίλῳ. *Adeo vir, quanquam alienus, qui conglutinatus est moribus Magis meretur haberi amicus, quam multi cognati.* Add. *Valerius Maximus* l. 4. c. 7. princip. Sæpe quoque contingit, ut cum alieno longe jucundius versetur, quam cum cognato, istiusque taciturnitati & fidei plurima credamus, quæ hunc celamus; denique ad isti inserviendum promptius nos accingamus, quam si cognatus auxilio indiget, quia & iste in nostrum auxilium promptius, quam hic accurrit. Enimvero exinde non sequitur; in generali aliqua consuetudine, legis vim imitante, cognatis esse præferendum amicum, etiam adversus quem defunctus plura amoris indicia exhibuit, quam adversus istos. Nam in transmittenda hæreditate non nuda respicitur benevolentia, sed & hoc, in quem bona nostra transire maxime congruum sit. Cum autem communis inter homines propensio ferat, ut familia, ex qua quis ortum trahit, sit quam ornatissima; igitur fere hoc convenientissimum est, ut bona nostra intra familiam mancant. Deinde non statim sequitur; ego hujus familiaritate impense delectatus fui; ergo ad eundem quoque bona mea volui transmittere. Ista enim inter alienos amicitia fere mutua benevolentia significatione, consiliorum communicatione, ac quotidianis vitæ officiis absolvitur. Sed ut intelligamur unam velut domum cum alieno velle constituere, bona nostra in eundem devolvendo, expressa opus erit voluntatis contestatione. Sic & quanquam moribus præcis Romanorum in ordine officiorum post parentes liberosq; primus locus tribueretur *propillis*, alter *clientibus*, tertius *hospitibus*, & pro-

& proximus demum *cognatis atque affinibus*; (*Gellius* l. V. c. 13.) in hæreditatibus tamen deferendis istius ordinis nulla plane habebatur ratio. Deinde si amici aliquando cognatis in causa intestati deberent præferri, maximus heic fœselitium campus aperiret, tam inter ipsos amicos, si cui plures uno fuissent, quam inter hosce, & cognatos. Nam quod quis jucundius cum aliquo versatur, aut plura cum ipso communicat, id non statim infallibile est indicium, maxime omnium eundem amari. Sæpe ingenii lepos, aut facilitas, ætatis item paritas, vel solertia jucundiorum aut utiliorum nobis faciunt amici familiaritatem, quam propinqui, cui talia non adsunt. Neque tamen ideo statim, ubi super bonis fuerit disponendum, in illum magis quam hunc sumus futuri proclives. Ubi locum habeat illud *Hesiodi* l. 2. *op. & dier.* *μὴδὲ κασιγνήτων ἴσον ποιεῖσθαι ἰταίρων.* *Neque fratri parem facias sodalem.* Denique gradus cognationis numerare in promptu est; amicitia autem gradus quis in talem disposuerit ordinem, ut nihil dubia disceptationis remaneat?

§. 16. Plausibilis adhuc jactatur, saltem illos amicos propinquis esse præferendos, quorū liberalitate, consilio, aut subsidio bona ista fuerunt quæ sita. Æquum enim esse, ut bona coredeant, unde promanant. Sed nec heic decrit uberrima litium materia, ad quam præscindendam omnia jura potissimum tendere debent. Rege enim amico poterit; ipsum beneficium non dedisse, sed reddidisse; vel ipsi jam sat gratia relatam. Dedisse cum citra spem aliquid recipiendi, eoque animo, ut non amico solum, sed & ipsius conjunctis prodesset. Dedisse gloriae, aut commodi sui gratiâ. Non defuisse occasionem aliis mediis emergendi. Non liquido constare, quantum ejus opera ad bona ista cumulanda contulerit. Neque statim in communionem rei partæ admittendum, cujus opera utili in re illa paranda sumus usi. Mercenaria in super & fœneratoria fore amicorum officia, si ab intestato ante cognatos sint vocandi. Sic enim non intelligi, alio fine alteri quid datum, quam ut custodiam ejus tantisper susciperet, aut moriens cum fœnore id restitueret. Igitur ubi expressa non extat dispositio, quæ amico faveat, propinqui obtinebunt, ita tamen, ut cum bonis defuncti simul suscipiant ejusdem obligationem erga istum benefactorem, eique quantum in se gratiam referre nitantur, quod ejus opera hæreditatem optimam sint nacti. Neque est quod quis importune urgeat illud *Aristotelis Nicom.* l. IX. c. 2. *ἰεργίτην ἀνταποδο-*

τιον χάριμαλλον, ἢ ἵτα γὰρ δέσποιν, ἰὰν ἀμφοῖν μὴ ἐρδύχεται. *Bene merito reddenda magis gratia, quā sodali dandum, si utriusq, non liceat.* Et *Cicer. off. l. 1. Nullum officiū referenda gratia magis necessarium est.* It. *cum duo liberalitatis genera sint, unū dandi beneficii, alterum reddendi, dem⁹, nec ne, in nostra potestate est: non reddere bono viro non licet, modò id facere possit sine injuria.* Aut illud Phocionis ap. *Plut. in apoph.* Postulantib⁹ ad sacrificiū quoddam stipem Atheniensibus, cōferentibusq; reliquis, aliquoties vocatus; *Puderet verome, inquit, vobū dare huic (simul δαεισῆν, creditorem demonstrabat) non reddere.* Add. l. 12. *de donation.* Enimvero materia de successionibus ab intestato haut quidquam per omnia ad regulas, quæ in beneficiis dandis vel reddendis observantur, exigi potest aut debet. Nam beneficia virtute humanitatis ac liberalitatis diriguntur, ac proprie loquendo illis duntaxat dantur, qui non nisi ex dictato illarum virtutum eadem à nobis expectare poterant. Verum successiones ab intestato aliis nituntur fundamentis, nempe obligatione aliis prospiciendi, necessitudine sanguinis & naturaliter injuncta propensione familiam propriam augendi & conservandi. *Isaïus orat. VI. πάντες οἱ τελευτήσῃ μίλλοντες πρόνοιαν ποιῶνται σφῶν αὐτῶν, ὥπως μὴ ἐξηρημώσωσι τὰς σφαιτέρας αὐτῶν οἴκας.* *Omnes morti propinqui providentia quadam propria efficiunt, ne suas ad solitudinem redigant familias.* Ubi & illud imprimis curandum, ut liquida in eatur via, quæ quam minime controversiis sit obnoxia. Quæ nulla est expeditior, quam ut, expressa voluntate non extante, successio ita deferatur, prout quisque defunctum cognatione proxime attigerit. Hinc & ab aliis jam observatum, in successione ab intestato diverso se modo rem habere, quam in dandis beneficiis. Ibi enim maxime necessarium esse, beneficium dare; in secundis reddere: quippe cum liberi beneficio utique devinciendi præferantur parentibus, quæ plurima debentur. *Lucianus Abdicato: καίτοιγε ἡ φύσις τοῖς πατέρας τὰς παῖδας μάλλον, ἢ τοῖς παισὶ τὰς πατέρας ὀπιτάτ' εἰ φιλεῖν.* *Natura comparatum est, ut patres liberos ament magis, quam liberi parentes.* Conf. *Bæcler. ad Grotii d. l.* Quæ tamen non ita debent accipi, quasi ab ultimis voluntatibus gratus animus debeat exulare; sed quod inconueniens sit, ex sola præsumta voluntate defuncti circa exercendum gratum animum velle communem instituire ordinem, secundum quem ab intestato hæreditates devolvantur.

§. 17. His positis adparet, ex collateralibus proximos ad hæredi-

tatem esse fratres, dulcissimo ut plurimum affectu nobis junctos; & quia ipsi propter fratres ex patris hæreditate minores portiones acceperunt. *Quintilianus declam. 321. Quæ potest amicitia esse tam felix, quæ imitetur fraternitatem? Certe quotiens blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus.* Addatur quoque oratio Cyri ad filios suos apud *Xenophontem Cyropæd. l. 8. Valer. Maximus l. 5. c. 5. princ. Stobæus serm. 82.* Cum quibus etiam sorores sunt admittendæ saltem in bonis maternis, & noviter adquisitis; non ita in paternis, quæ quidem destinata sunt ad splendorem familiæ conservandum; cum foeminæ extra familiam paternam soleant nubere. Fratres consanguinei in bonis paternis excludent uterinos, & illos hi in bonis maternis. In bonis, quæ recens quæsitæ sunt ex eo tempore, quo pater meus fratrum meorum uterinorum matri nupsit, conveniens est, ut ego potiores partes feram; cum ad bona acquirenda fere plus pater, quam mater soleat conferre. Ubi fratres defuerint, fratrum filii vocabuntur; qui tamen defuncti patruos videntur debere simul admittere; quod & his paterna hæreditas fuerit tenuior, quippe dividenda ipsis cum patre defuncti. Idem circa bona materna de filiis sororum, & avunculis defuncti dicendum. Et hic ordo deinceps erit servandus, ita tamen, ut ubi agnati defecerint, ad bona paterna etiam cognati admittantur, & vice versa.

§. 18. Bene tamen observandum, isthæc naturalia dici, non quod præcepto aliquo juris naturalis ita sint definita, ut aliter de iis disponi nequeat; sed quia eadem rationi naturali quam maxime congruant, & ad lites præscindendas expeditissima videantur, ubi expressa defuncti voluntas, aut lex civilis defecerit. Caterum vix ulla in juris parte leges civiles adeo deprehenduntur sollicitæ, quam circa dispositiones hæreditatum, non solum amputandis inter propinquos litibus, sed & quia isthanc rem ad rationes reip. attemperari interest. Et alicubi quidem liberrima testamentorum factio; alicubi magis aut minus illa restricta. Romæ in LL. XII. tabularum erat: *Pater familias uti super familia pecuniarè sua legasset, ita jus esto.* Quæ lex fuit desumpta ex jure Attico, à Solone constituto. Sicut *Plutarchus Solone* memorat, cupidissime acceptam, & æquissimam visam istius legem, qua factionem testamentorum civibus tribuit, quæ nulla ante eum in civitate erat. Cujus legis hanc rationem habuit, non tam

tam ut genere proximos jure propinquitatis fraudaret, sed ut utilitate in medium proposita efficeret, ut homines inter se beneficiis certarent, & propinqui eo arctius se invicem complecterentur, quod benevolentia quoque alienos superare deberent, siquidem ex bonis ipsorum capere quid vellent. *Demosthenes adversus Leptinen*: ἡ μὲν Σόλων ἔθηκε νόμον, ἐξέρχαι δὲναί τὰ ἑαυτῷ ὅτε ἂν τις θέληται, ἵαν μὴ παῖδες ὡς γνήσιοι ἔχῃ ἢ ἀποσιγήσῃ τῆς ἐγγύτατα τῷ γένει τῆς ἀρχιτέρας· ἀλλ' ἵνα εἰς τὸ μίσην καταθεῖς τὴν ἀφελείαν, ἐράμυλοι ποιήσῃ τὸ ποιεῖν ἄλλοις ἴσιν. *Legem Solon tulit; licere, cui legitimi liberi non sint, quem libitum sit, heredem instituere, non ut genere proximos jure propinquitatis fraudaret, sed ut utilitate in medium proposita efficeret, ut homines inter se certarent beneficiis.* Simul & quam maxime libertati congruum videbatur, & plenitudini dominiorum, ut ne quis bona sua cogeretur relinquere, nisi quos præ reliquis amaret. Addi quoque potest, spem sapius adparere magis liquidam, quod extraneus quispiam bona nostra in adminiculum virtutis sit adhibiturus, quam cognatus aliquis noster, quem non raro in luxuriam aut desidiam sollicitat spes opimæ hæreditatis. *Theocritus Idyl. 10.* χεῖματα δὲ ζώοντες ἀμαλδίσεις θανάτων. *Vivi autem dissipant opes mortuorum.* In solatium demum mortalitatis cedere, si quis res suas, tanto labore partas, illis possit relinquere, quos maximè amat. Add. *Isocrates Aeginetico.* Testamentum tamen prohibeantur condere ii, qui liberos mares legitimos haberent, quibus omnino hæreditas paterna debebatur. Negari tamen non potest, ex ista testandi libertate apud Athenienses non minus, quam Romanos irrepsisse immensam fraudum luem, captationes maxime senum & orbium, circumscriptiones, falsarum tabularum suppositiones, & similia. Inprimis autem id improbat circa leges testamentarias Solonis *Bodinus l. V. cap. 2.* quod prædia quoque testamento legare licuerit. Ea enim ratione, dum ad unum multa prædia potuerunt pervenire, magnam inæqualitatem opum inter cives fuisse exortam; ex qua tenuioribus in locupletes invidia, his superbia exorta, mala perturbandis & evertendis rebus, idonea. Præsertim cum frequens sit, ut ubi aquæ sunt, aquæ confluere gaudeant, Interesse autem ærumpub. popularium, ut ne pauci quidam opibus reliquos nimis excedant. Quæ ratio etiam fuit legis Ebrææ, ne fundi in perpetuum alienari possent. Item ut foeminae, quibus fundi essent dotales, tribulibus tantum suis possent nubere, ne ista occasione illi in aliam

tribum devolventur. Vid. *Numeror.* 36. Hinc *Aristoteles V. polit.* 8. inter regulas conservandæ democratiæ hanc quoque tradit: τὰς κληρονομίας μὴ κατὰ δόσιν εἶναι, ἀλλὰ κατὰ γένος. ἕτω γὰρ ὁμαλώτεροι αἱ ἕσται εἶναι. *Hereditates non testamento, sed agnatione sunt deferendæ, sic enim facultates magis erunt æquabiles.* Quid in rep. Spartana libertas testamentorum, per Ephorum Epitadem contra instituta Lycurgi introducta, malorum invexerit, late apud *Plutarchum in Agide* potest legi. Add. *Aristoteles politic.* 1. 2. cap. 9. Contra apud alios nulla testandi licentia, aut valde restricta. De Ebraeorum heic legibus vid. *Seldenus* libro peculiari *de successione ad leges Ebraeorum*, & præcipue c. 24. & *Grotius ad Numer.* c. 27. v. 8. seqq. De antiquis Germanis *Tacitus: heredes successoresque sui cuique liberi, & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi.* Quem locum cur ita cum non nemine velimus interpretari, quod Germanis, utpote nullas edoctis literas, forma testamentorum, & scriptura, ad morem Romanum, quem *Tacitus* ibi fere præ oculis habet, in usum non fuerit, nondum satis causæ video. Nam Romanis recepta quoque erant testamenta nuncupativa, ad quæ scriptura non requiritur. Igitur si *Tacitus* annotare voluisset, scripta dumtaxat testamenta Germanis ignota fuisse, præliore locutione id fuerat exprimendum. Adde quod jura cognationis eximia quadam sanctitate à gente ista fuerint culta; uti ostendunt, quæ apud *Tacitum* d. l. sequuntur: *Quanto plus propinquorum, quò major affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis præmia. Suscipere et inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est.* Sic & hodie in multis Germaniæ partibus, si filius alicui natus sit, hæredem ipsum fortitum vulgo dici solet. Nec adparet, quare tantopere testamenta desiderare debuerit gens, thesauros tunc cumulare nescia, & paupere suppellectile contenta, cui ex segete, pecore, & venatu vix amplius quære batur, quam quod victui quotidiano eique simplici sufficeret. Quale genus vitæ agentibus latifundia extendere supervacuum. Neque vero testamenti factio adeo necessariò dominio adhaeret, quin uniformis quidam modus ex intestato succedendi à civitate introduci possit. Præferim cum illi genti mos fuerit, *agros pro numero cultorum ab universis per vicos occupari, quos ipsi mox inter se secundum dignationem partiebantur.* Suis autem ultima mandata dare, non statim testamentum facere est. Leges quoque circa successiones promulgavit deceptor Arabs in *Alcorano* cap.

cap. de Vxoribus. Cæterum ordo hic succedendi uti est simplicissimus, & naturali inclinationi maxime congruus; ita & idem facit ad servandam inter cives opum æqualitatem, facit ad tuendum justum civium numerum, prohibita fundorum combinatione, (vid. *Baco de Verulamio in Henrico VII.* p.m. 127.) ac ad conservandum familiarum censum, ac perpetuitatem. Creditum quoque est, propinquos hoc vinculo arctius ad mutuum amorem, ac mutua commoda promovenda obstringi, cum necessarios se sibi invicem hæredes nosset. Huc facit quoque locus ex *Platonis* l. XI. de LL. adductus à *Grotio d. l. §. 9.* & explicatus à *Bæclero ad d. l.* Item quod *Plinius Panegyry.* tantopere commendat vigesimam, hæredibus domesticis remissam; quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent destringi aliquid & abradere bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quæque nunquam ut aliena & speranda, sed ut sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. *Publius Syrus: Hæredem scire utilius est, quam querere.* Sapientius tamen, ut adparet, illi populi, qui de bonis quidem propria industria acquisitis liberam testandi facultatem concesserunt, bona paterna & avita ad proximos cognatos devolvi voluerunt. Hoc enim modo, quæ pro utraque parte adductæ sunt rationes egregie temperantur, & junguntur. Illud ab Europæorum moribus alienum est, quod *Iodoc. Schouten in descript. regni Siam* memorat, in eo regno divitias opulentorum plerumque in tres partes dividi, quarum unam capit rex; alteram sacerdotes, ex qua etiam sumtus funerum depromuntur, tertia liberis cedit. Nec minus quod apud *Æthiopas* in ora Guinææ liberi nihil ex hæreditate paterna aut materna percipiunt, sed omnia ad patris aut matris proximos cognatos devolvuntur.

§. 19. Illud autem tam qui ex testamento, quam qui ex intestato hæreditatem ad eunt, commune habent, quod defuncti æs alienum dissolvere debeant. Idque non tam quod ipsi ad hoc tacite sese obligaverint; (cui rationi nititur dispositio antiqui juris Romani l. 8. D. de acquir. vel omitt. hæred.) quam quia istud onus bona defuncti tanquam hypothecam tacitam sequitur. *Patrimonii enim in alium transituri ea ratio est, ut primum credito satisfiat. Quintilian. declam. 273.* Et iste est cujusque census, quantum debitis ex solutis superest. Add. quoque *Valer. Max. l. 7. c. 2. §. 11.* Inde etiam quam maxime æquitati naturali congruit, ut hæres ultra vires

hæreditatis non teneatur. Ad l. l. 5. D. de calumniatoribus. l. 14. §. 1. de religiosis. l. 7. §. 1. D. de positi. l. 11. D. de jure fisci. Lex Wisigothorum l. 7. tit. 2. c. 19. Sed nec illud omittendum est, quod tradit Gabr. Sionita de morib. Orientalium c. 16. Mossemannos, quando morte instante testamentum condunt, omnia qua furto rapinavè sunt ablata, creditoribus syngrapha solutionis data, juxta leges restituere teneri; & si nesciant, cui sint reddenda, eos summam pecuniæ adificiis publicis, puta, xenodochiis, moschais, & balneis, aut pauperibus & religiosis legare. Add. Luca XIX. 8. Apud Ferdinandum Pinto c. 21. eremita Chinenfis Antonio de Facia sacrilego ad salutem animæ suæ tria suadet, ut ablata restituat, cum lacrymis peccati veniam petat, & elemosynam pauperibus largiter distribuat. Add. Idem c. 60.

CAPUT XII. DE USUCAPIONE.

- | | |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Quid ab usucapione præscriptio differat. 2. Quid ll. Romanis usucapio, & ubi locum habeat. 3. Quatenus in usucapione requiratur bona fides. 4. Requiritur possessio continuata. 5. Rationes introductæ usucapionis. 6. An lex de usucapione sit pœnalis? 7. Multi ad jus civile usucapionem re- | <p>ferunt.</p> <ol style="list-style-type: none"> 8. An usucapio oriatur ex tacita domini derelictione? 9. Ea videtur nisi tacita conventionem gentium. 10. Quatenus usucapio noceat nondum natis. 11. Usucapio etiam inter diversas gentes locum habet. |
|--|--|

Videndum quoque est de illo acquirendi modo, quo is, qui rei aliene possessionem bona fide, & justo titulo est adeptus, & citra contradictionem per longum temporis spatium obtinuit, plenam ejusdem rei proprietatem nanciscitur, jure & actione prioris domini extincta. Vocatur is modus *usucapio*, quod res usu seu diuturna possessione capiatur, & acquiratur. Exceptio autem illa, qua prior dominus post usucapionem completam à possessore repellitur, *præscriptio* proprie dicitur. Quamquam ista duo frequentur soleant confundi. Operæ pretium autem fuerit, paucis præmittere, quid, & quibus ex rationibus jus Romanum hec constituerit. Sic enim facile patebit, quid positivum, quid naturalis juris in hac materia sit.

§. 2. Usucapionem *Modestinus* in l. 3. D. de usucap. definit, quod sit *adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Ubi quantum ad rem ipsam perinde putamus, siue quis legat *adjectio*, siue ex *Ulpiano* cum *Cujacio* & aliis *addeptio*. Nam qui possessionem alicujus rei bona fide partam continuaverit per tempus lege præscriptum, illi demum, quod deerat ad huc, adjicitur. Et ille quoque, cui lex quid adjicit, dici potest idem adeptus esse. Porro uti usucapere potest, quicumque alias ad dominium sibi acquirendum habilis est: ita per usucapionem acquiritur solet dominium rerum mobilium, & immobilium, nisi legibus sint exemptæ. Uti sunt homines liberi. Cum enim tam dulcis sit libertas, ut ejus recuperandæ occasionem nemo præsumatur negligere; recte judicatur, ex ignorantia sui status aliquem tamdiu in servitute hæsisse, & ad libertatem non proclamasse; non autem quod in servitutem suam tacite consenserit. Unde diuturna patientia magis ad misericordiam, quam ad detrimentum servienti valere debet. Excipiuntur quoque res sacræ & religiôsæ; item res pupillorum, quamdiu tales isti sunt. Nam propter tenebram ætatem neglectus vindicationis illis imputari nequit hætenus, ut propter illam re sua debeant excidere: & durum nimis erat, negligentiam tutorum ipsis nocere. Item res furtivæ, servi fugitivi, & quæ vi possessæ sunt, etiamsi tertius bona fide eorundem possessionem nactus sit. Sic enim in LL. XII. tabb. constitutum erat: *Rei furtiva aterna autoritas esto*. Nam ipsum quidem furem aut raptorem, ne usucapere posset, scelus suum impedit. Tertio autem possessori bonæ fidei obstat vitium furti aut rapinæ, quod ipsam rem velut comitari intelligitur. Etsi enim proprie loquendo in ipsa re per se non est vitium; quia tamen vitioso modo, & per scelus priori domino illa fuerat erepta, inde legibus æquum fuit visum, istius jus non extinguere; simulque cavere, ne alicui scelus suum lucri causam præbere posset. Cum enim res mobiles per triennium usucapiantur, ut proclivi erat furibus furtiva eo transferre, & alienare, ubi intra triennium à priori domino investigari non possent. Accedit, quod inter alias rationes legis de usucapionibus etiam est negligentia domini. Atqui res furtivæ caute solent occultari. Igitur ratio illa non cadebat in eos, quibus furto res erant subductæ. Nihilominus cum posteriores leges omnes actiones jugi triginta aut quadraginta annorum silentio voluerint extinguere, l. 3. & 4. C. de præscript. 30. annorum: isthæc quoque præscriptio

præscriptio longissimi temporis dominum post petentem repellat. Quod ut nonnullis æquitati videatur repugnare, quia diutina licentia & injuria quasi jure & æquo niti absurdum sit: tamen ex generali utilitate, quæ in publicum inde resultat, excusari potest: quia scilicet tranquillitatis publicæ interest, ut aliquando in infinitum grassaturæ lites extinguantur, ne vè dominia rerum perpetuo in incerto sint. Et quia intra XXX. annos genus humanum aliam fere faciem induit, inconueniens, visum ob qualecunque factum sequens seculum litibus posse inquietari. Et quis re per triginta annos caruerat, ejus desiderium bona fide digessisse non immerito credebatur; sic ut non opus esset tam diuturnam possessionem in ipsius gratiam turbari. Quæ ratio etiam ad præscriptionem criminum adplicari potest, quod nempe supervacuum videatur, ex alio fere seculo ad tribunal revocare facinora, quorum effectum ipse diuturni temporis tractus obliteravit, sic ut fines poenarum locum non amplius inueniant. Vid. *Ant. Matthæus de crimin.* ad l. 48. *D. tit. 19. c. 4. & tit. 20. c. 4. §. 14.*

§. 3. Ut autem usucapio procedat, requiritur, ut iusto quis titulo possessionem rei, cujus prior possessor verus dominus non erat, nactus sit, seu tali titulo, qui alias ad transferendum & adquirendum dominium idoneus habetur. Utque adeo in bona fide versetur, i. e. ut & idoneam rationem possit allegare, quare possideat, & persuasus sit, revera dominum in se fuisse translatum, & se dominum fuisse constitutum. *Libanius declam. 1. ἵνα ἐν τῷ λαβεῖν ἔσῃ τὸ δίκαιον κτήσασις, ἀλλὰ τῷ χωεῖς ἐγκληματῶν ἔχει.* Non ideo protinus jure quis possidet, quia rem nactus est, sed ita demum, si citra culpam. Inde diutinam licentiam & injuriam vocat *Tacitus A. XIV.* quod populo Romano relictes agros, qui quondam regis Apionis fuerant, proximus quisque possessor invaserat. Hæc bona fides ut saltem ab initio possessionis adfuerit, juxta leges Romanas sufficit, etsi quis postea resciscat, eum, abs quo rem accepit, non fuisse dominum. Jure autem Canonico etiam per omne tempus intermedium bona fides requiritur. c. 5. & 20. *X. de præscript.* adeo ut si quis interea resciscat, rem in se à non domino fuisse devolutam, per conscientiam obligari incipiat ad rem vero domino restituendam, & mala fide rem deinceps detineat, saltem si id agat, ut astute rem à veri domini notitia subtrahat. Quæ sententia magis ad sanctimoniam juris naturalis videtur accedere: quippe cum per introducta

ducta rerum dominia obligatio intelligatur omnibus hominibus injuncta, quantum in se est efficiendi, quo quisque re sua, quæ citra domini consensum apud ipsos est, iterum potiatur. Add. infra h. l. c. 13. §. 2. Jus autem Romanum satis habuit extrinsecam hominum innocentiam sanxisse; & possessori, qui citra culpam rem nactus est, quiete concessit possessioni suæ incumbere, cura rem investigandi & vindicandi domino relicta.

§. 4. Requiritur deinde possessio continuata, non interrupta vel naturaliter, i. e. ut aut ad verum interea dominum iterum pervenerit, aut pro derelicta aliquando jacuerit; vel civiliter, puta, si dominus super eadem re cum possessore litem contestetur, aut saltem per protestationes jus sibi suum salvum reservet. Add. *Bæcler. & Ziegler. ad Grotii l. 2. c. 4. §. 9.* Ubi tamen hoc observant, etiam tempus, quo autor possedit, successorijus prodesse, dummodo uterque bona fide, & justo titulo possidere cœperit. Alias enim nulla fiet conjunctio vel accessio temporis ex persona autoris; adeoque ubi auctor in mala fide fuerit, ejus possessio non accedit possessioni successoris, licet justæ. Idque obtinet tam in successore universali, qualis est hæres, quam particulari, qualis est emptor, donatarius, &c. Etsi autem autoris vitium non prodest huic successorij, ut is illius tempus sibi computare possit; si tamen hic in bona fide fuerit, eidem istud non nocet, sed ex propria possessione usucapionem potest complere. Secus autem est in successore universali, qui cum in omne jus defuncti succedit, eumque repræsentet, ignoratione sua, bonaque fide defuncti vitium non purgat. Sed & longius requiritur, spatium, ut quis contra absentem præscribere possit, quam contra præsentem. Breviori quoque tempore usucapiuntur res mobiles, quam immobiles. Quod ideo videtur constitutum, tum quia gravius judicatur immobilia amittere, quam mobilia, tum quia hæc quam illa frequentius in commercia veniunt, simulque facilius est alienorum mobilium, quam immobilium bona fide possessionem nancisci; adeoque ex his non tanta litium seges metuenda, quam ex illis. *Plato de LL. l. 12. super usucapione mobilium ita disponit: si quis in urbe aperte re illa utatur, post annum, sin in agro, post quinquennium ea sit usucapta. Sin in urbe domi utatur, triennio usucapio compleatur. In agris si occulte habeatur, usque ad decennium vindicatio datur ei, qui amisit. Sin extra regionem, semper, quando*

M m m n

cunq;

cunq̄ue invenerit, eam adprehendere potest. Usucapionem immobilium Platonice civitatis instituta ignorant.

§. 5. Causæ autem introductæ usucapionis ab interpretibus juris Romani hæ potissimum afferuntur, quod ad evitandas confusiones, & amputandas lites reip. expediat, dominia inter cives esse certa. Id quod fieri non posset, si negligentia priorum dominorum in perpetuum indulgeretur, & noviter in possessione constituti in perpetuo metu relinquerentur, ne res aliquando avocaretur. Nec subsistere aliter inter homines commercia possent. Quis enim cum altero contrahere, quis ab altero emere vellet, si nullius unquam rei esset immota possessio? Nec ab evictionis præstatione satis hæc remedi, quam ne post tantum temporis spatium præstare posset autor, infiniti casus poterant impedire. Et quam graves essent temp. agitaturæ turbæ, si tanto post tempore tot contractus rescindendi, tot successiones exinaniendæ, tot possessores expellendi? Add. *Bœcler. ad Grotii d. l. §. 8.* Ergo sufficere videbatur sat laxum spatium dominis indulgeri ad res suas recuperandas. Quod ubi per socordiam passi fuissent elabi, recte post seram ipsorum importunitatem amoliri poterat prætor. Et utut fortasse unus vel alter citra culpam, & quia possessorem investigare non poterat, rei suæ persecutionem invitus omiserit; tamen quod per ejusmodi statutum universale paucis damnnum emergit, utilitate publica rependitur. Bene tamen observandum, ut antiqui domini socordia possit præsumi, necessum esse, ut tempus ad agendum fuerit velut utile, & idoneum. Inde æquissimum est, ut ad præscriptionem non valeat illud tempus, quo civitas bellum intra sua viscera habuit. Sicuti Honorius legem tulit; *ne id tempus, quod Vandali Romano in solo morarentur, ad pariendam præscriptionem valeret quidquam.* *Procopius histor. Vandal. l. 1.*

§. 6. Non autem necessum est, ut cum *Hugone de Roy, de eo quod justum est. l. 3. tit. 3. 4.* circa explicandam legem civilium æquitatem in constituendo usucapionum jure confugiamus ad potestatem puniendi fontes, quæ imperantibus in civitatibus competit. Quasi scilicet ideo vindicationem rerum suarum omittentibus post certum tempus actiones denegentur, quod jure meritoque fontium numero possint adscribi, qui patiantur rem suam usucapi; & peccent negligendo rem suam non tantum in communem societatis perniciem, verum eo ipso contra naturam suam

suam, quæ bonum, & utilitatem publicam ubique circumfert. Inde uti quondam à Solone pœna in negligentes fuit constituta: ita heic negligentiam dominorum amissione domini rei multatam. Enimvero haut quidquam primarius scopus legis de usucapionibus est fontes multare, sed ut ne propter incerta, & in suspensio hærentia dominia civitates perturbentur. Etsi ex consequenti sit, ut, cui ob vindicationem diu neglectam actio deinceps denegatur, damnum aliquod patiatur. Deinde pœnæ proprie dictæ rationem non habet exclusio ab aliquo commodo, quod non nisi vigilantibus, & rerum suarum satagentibus expositum est. Nam non sine figura dicitur: ulciscuntur ignavos mores sui; & sordibus sat pœnæ esse, quod ab omni honore exclusi in obscuro vitam transire cogantur. Sed nec illud recte dicitur, in reip. peccare, qui res suas patiuntur usucapi. Nam hi quidem publico nocent, qui vel rebus suis abutuntur, vel dum iisdem adhuc velut domini incubant, per negligentiam eas inutiles fieri patiuntur. At quæ res usucapitur, illa utique ab aliquo curatur, sic ut in usus reip. sit habilis. Parum autem reip. interest, utrum fundus à Cajo, an à Sejo curetur, modo desertus non jaceat. Adde, quod ubi ex pœna in alium privatum derivatur commodum aliquod, necessum sit, ipsum à peccante insigniter fuisse læsum. At qui cui per usucapionem dominium adjicitur, hautquaquam per negligentiam domini læsus fuit. Non recte quoque huc adplicantur verba ex l. 31. D. *depositi, male meritis publicè, ut exemplo aliis ad deterrendam maleficia sit, etiam egestate laborare debet.* Cum igitur lex de usucapionibus pœnalis non sit, frustra disputatur, quare negligentia domini potissimum amissione rei, & non multa aliqua pecuniaria coërceatur. Etsi satis constet, per ejusmodi multam leges civiles non potuisse finem suum obtinere; qui erat, præscindere lites æternum pullulaturas, & diuturnos possessores, quorum favor magnus est, aliquando securos præstare. Nam & super vindicatione adeundum erat tribunal, in quo cognitio eò futura erat intricatior, quò diutius res in aliorum potestate fuerat; & possessione sua utique dimovendus erat possessor; cui titulus suus, & bona fides nihil proderat, si multa illa magistratui adplicaretur. Sin eadem ipsi possessori in solatium tribueretur, ne sic quidem omnis difficultas tollebatur. Nam si minor est multa, quam quanti intererat, rem à possessore non fuisse avocatum, huic non consulitur: sin æqualis aut major, domino antiquo

parum accedet. Ergo nulla heic ad tranquillitatem expeditior via, quam post usucapionem completam antiqui domini jus declarare extinguum.

§. 7. Cæterum quo jure usucapio sit introducta, non adeo inter eruditos convenit. Plerique juri civili ejusdem incunabula adscribunt, eamque inter modos acquirendi contradistinguunt illis, qui juris gentium vulgo dicuntur. Imò eousque progreditur *Cujacius ad l. 1. D. de usucap.* ut dicat, usucapionem pugnare cum jure gentium, quod ea dominium invito auferat; pugnare quoque cum æquitate naturali, etsi hoc fiat bono publico. Usucapionem enim damno esse dominis, reip. autem esse bono. Ad quod *Hugo de Royd. l. reponit*, dominum eo ipso, dum legibus civilibus se subjicit, quæ usucapionem stabiliunt, saltem implicite in eam dominii translationem consentire. Sed & illud ad jus gentium non quadrare arguit *Cujacius*, quod qui à non-domino possidet, jure gentium dominus non sit. Nam fieri jure gentium nullo modo posse, ut non-dominus alium dominum faciat. Enimvero jure civili eum, qui à non-domino traditum acceperit, dominum effici, si usuceperit. Ad quod *Hugo de Roy l. 3. tit. 4. §. 8. reposit*, in usucapione venditorem aliumvè non-dominum titulum tantum dare, & possessionem bonæ fidei: dominium autem à sola lege adjici, vel ab eo, cui legem ferendi, & dominia de uno in alterum transferendi ob justam boni publici causam etiam jure gentium legitima est potestas; annuente dominii translationem ipso quoque negligente domino; vel etiam præsumto ipsius consensu ex diuturno silentio. Quidam eo nomine usucapionem juris esse civilis ac positivi pronunciant, quod solum tempus non possit alicui jus dare, ubi quis illud sibi ab initio ex alia causa non pepererit; quippe cum tempus in se nullam habeat vim effectricem. Nihil enim fieri à tempore, etsi nihil non fiat in tempore. Ubi hoc quidem constat, ex mera determinatione juris civilis pendere, quare usucapio decimo potissimum, aut vicefimo anno, non nono aut decimo sexto compleatur: tamen quin consensus gentium, suadente pace generis humani, diuturno tempore aliquant vim motalem assignare potuerit, negari non potest, saltem hætenus, quod tractu temporis certæ præsumptiones, ac favores aliis ex causis provenisse censeantur, quibus possessoris jus muniatur. Licet enim sola ratio naturalis, & omnium gentiū consensus ab existentia puncti alicujus pro-

productionem juris cuiuspiam non suspendant; potuerunt tamen undē effectum tribuisse spatio temporis, insignem latitudinem complexo. Alij lubrice heic aut timide loqui maluerunt; scilicet cum tantam reip. utilitatem in lege usucapionis versari viderent, probabile quidem iudicarunt ex rei natura, & ante omnem legem positivam usucapionem habere vim transferendi dominium; cum naturalis ratio quam maxime ea fieri jubeat, quæ bono publico & paci conducunt. Quod tamen ita temperant, ut addant, lumen rationis dictare, hoc esse valde conveniens, & expedite, ut lege positiva statuatur; non tamen ita esse necessarium, ut ab ipsa lege naturali stabilitum sit. Multi præscriptionem juri naturali non repugnare, æquitatem naturalem secum habere, jure æquissimo, & quasi lege naturæ niti agnoscunt; eandem tamen juris esse naturalis diserte pronunciare detrectant. Add. *Grotius* l. 2. c. 4. §. 9. *Bæclerus & Ziegler*. ad *Grotii* d. l. §. 1.

§. 8. *Grotius* l. 2. c. 4. quo ostenderet, ad ipsum jus naturale usucapionem pertinere, adeoque eandem recte allegari inter eos, qui eo solo jure inter se reguntur, ipsius fundamentum statuit in tacita derelictione prioris domini. Ad quod demonstrandum præsupponit, naturale esse, ut jure suo se quis abdicare possit, ubi diutius id retinere non placuerit. Verum ut voluntas illa abdicandi effectum aliquem in ordine ad alios producat, necessum esse, ut eadem per certa signa se ostendat; cum naturæ humanæ non sit congruum, solis actibus internis aliquam efficientiam extrinsecam tribuere. Inter signa autem esse & verba, & facta. Et quidem ubi verbis voluntas fuit significata, usucapionis moras expectari non debere, cum statim in alterum jus transeat. Id quod & locum habet, ubi factio positivo voluntatem quis suam indicaverit, puta, si eandem abjecerit, aut deseruerit; nisi ea sit rei circumstantia, ut temporis causa abjecta, aut deserta censi debeat, cum animo eandem requirendi & repetendi. Add. l. 9. §. ult. *D. de A. R. D.* l. 8. *D. ad L. Rhodiam*. l. 43. §. 11. *D. de furtis*. l. 2. §. 1. *D. de pactis*. Sic & si rei dominus sciens cum possessore tanquam cum domino super ea re contrahat, jus suum merito remississe censetur, & quidem ut in ipso contractus completi momento id extinguatur. Ergo usucapionem in illis duntaxat rebus obtinere, quibus prior dominus sese neque verbis neque factio aliquo expresso abdicavit, sed ubi adeo ejusdem voluntas ex neglecta inquisitione & vindicatione

præsumitur. Nam etiam non facta, seu omissiones cum debitis circumstantiis consideratas, haberi moraliter pro factis, quæ silenti præjudicare queant. Vid. *Numer. XXX. §. 12. l. 17. §. 1. de Usuris. l. 44. D. de A. R. D.* Enimvero ut ex omissione præsumatur voluntas, necessum esse, ut ea non processerit ex simplici & inculpabili ignorantia. Ergo possessoribus rerum alienarum tacito consensu dominorum dominium adquiri, si sciverint, illos rem suam possidere, & tamen eandem vindicare omiserint, cum commodam ejus vindicationis occasionem haberent. Nam talis negligentia, ac silentii scientis & libere volentis, nullam aliam posse assignari causam, quam quia nulla amplius ejus rei cura tangatur, eamque inter suas habere non velit. Add. *Bacler. ad Grot. d. l. §. 5. & Zieglerus ad d. l.* Porro ut quis præsumatur sciens vindicationem rei suæ negligere, validam præbere conjecturam diuturnitatem temporis. Nam fieri vix posse, ut multo tempore non innotescat nobis, rem nostram ab alio detineri; aut ut non sit occasio vindicationem suscipiendi, vel saltem alterius possessionem denunciando ac protestando interrumpendi. Nec minus longo tempore expirare solere metum semel incussum, simulque media parari, ne à detentore rei nostræ metuere cogamur. Præsumptioni autem illi, quod nemo temere sua jactare credatur, opponit alteram, quod nemo credatur rem illam ad se velle pertinere, circa quam nullam curæ significationem longissimo tempore edit. Ist hæc omnia etsi plausibiliter dicantur, certum tamen est, diuturnum silentium non semper ad præsumptionem tacitæ derelictionis valere. Nam & contingere potest, ut quis per longissimum tempus jus suum ignoraverit, aut metu, impotentiaque vindicandi cohibitus fuerit, (vid. c. 13. 14. *caus. 16. quest. 3.* apud *Gratianum.*) Et ubi quis quamvis longo post tempore rem suam repetit, nunquam antea pro derelicta eandem habere potuit. Adeoque isthoc fundamentum præscriptionis non erit universale. Quod autem *Grotius* addit, ideo etiam ex diuturno silentio domini derelictionem præsumi, quod *non putandum sit, homines eo invicem animo esse, ut rei caduca causa aliquem velint perpetuo in peccato versari*; id nihil est. Nam præterquam quod de pietate mortalium tam prolixè sibi polliceri simplex videatur; (add. *Ziegler. ad Grot. d. l. §. 8.*) utique bonæ fidei possessor, qualem ad nanciscendum per usucapionem dominium aptum diximus, in nullo versatur peccato; quippe cum modus, quo in possessionem

nem

nem pervenit, non aliud ipsi persuadear, quam se jam tum cum possessione etiam dominium adquisivisse. Neque ad hoc quis videtur teneri, ut jus suum legitimo & probabili titulo fundatum ultro in dubium revocet. Quod si autem omnino in possessione rei alienæ peccatum aliquod hæreat, id purgandum fuerit non silentio domini, sed expressâ concessione, jurisque sui renunciatione, siquidem plene possessoris conscientia consulere cordi erat. Atqui hoc casu non ex usucapione, sed ex facto ipsius domini jus possessori nascetur.

§. 9. Inter hæc discrepantes sententias id quidum liquidum videtur, quemadmodum dominia rerum pacis causâ sunt introducta, ita & illud ex eodem fonte promanare, quod possessores bonæ fidei aliquando sint in tuto collocandi, nevé ipsis in perpetuum super sua possessione controversia queat moveri. Quantum autem sit illud spatium, intra quod possessio bonæ fidei in vim domini evalescat, præcisè neque naturali ratione, neque universali gentium consensu determinatum deprehenditur, sed arbitrato boni viri non citra aliquam latitudinem definiendum erit. Ita tamen ut latitudinem illam non cavillemur ad eum modum, uti fecit *Horatius* l. 2. *epist.* 1. *Si meliora dies, ut vina, poemata reddat, Scire vel impretium chartis quotus arroget annus? Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter Perfectos, veteresque referri debet? an inter Viles atque novos? excludat jurgia finis. Est vetus atque probus centum qui perficit annos. Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno. Inter quos referendus erit? veteres nè Poetas? An quos & præsens, & postera respuit atas? Iste quidem veteres inter ponetur honeste, Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno. Ut permissis, caudaque pilos ut equina Paulatim vello, & demo unum, domo etiam unum, &c.* Add. *Grotius in flor. spars.* ad l. 177. D. de verb. signif. In designando autem hoc tempore ratio habebitur & antiqui domini, & recentis possessoris. Illius quidem, ut ne mature nimis à persequenda & investiganda sua re excludatur. Ubi naturaliter æquum est, ut inter absentes non ita cito compleatur usucapio, quam inter præsentis. Possessoris autem, ne præter meritum detrimentum capiat, si eo tempore res auferatur, quando sibi per evictionem consulere amplius nequit, aut cum res ista velut in fundamentum fortunarum ipsius evaluat. Sic & cum res mobiles frequentius per commercia transeant ad alios, quam immobiles, & illarum autores ut plurimum difficiliter iterum queant inveniri, quam

quam harum; rationis utique est, longius indulgeri spatium vindicatoris res immobiles, quam mobiles. Præsertim cum hæc quam illæ usu citius deterantur. Nam parum erat interfuturum antiqui domini, tanto post rem suam deritam & corruptam recuperare. Ac licet lucroso titulo rem quis fuerit nactus; durum tamen est, & ad querelas patens, tanto post tempore avelli rem, quæ dudum cum patrimonio alicujus velut coaluit. Præsertim cum parum molestiæ credatur sentire, si quis in perpetuum carere cogatur re illa, qua per magnum vitæ spatium æquo animo caruit, ac intra quod de aliis rebus satis sibi potuit prospicere. Quo adplicare potest illud Ciceronis *Offic. 2.* *Quam habet æquitatem, ut agrum multis annis ante possessum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?* videatur *ibidem* latius de facto Arati Sicyonii. Sic ut consideratis hisce omnibus facile sit, in singulis casibus arbitrio boni viri invenire terminum usucapionis, æquitati naturali convenientem. Et si in civitatibus melius sit, in compendium mittendis litium ambagibus, in universum usucapionibus pro rerum conditione certos ac fatales terminos præfigere. Igitur nobis omnino videtur usucapionem, prout abstrahit à punctis temporum per leges civiles designatis, esse velut appendicem & consecrarium domini rerum. Adeoque cum dominia rerum introducerentur, id quoque pacis causâ placuisse, ut qui aliquid neque vi, neque clam, neque precario, suo nomine possideret, tantisper dominus præsumeretur, quoad ab altero contrarium probaretur; qui autem per longissimum temporis spatium, per quod nemo mediocriter diligens rem suam negligere creditur, quid bona fide possederit, serum petiorem plane posset repellere, quia non citius rem suam vindicatum iverit.

§. 10. His positis, & si ratio usucapionis non in sola antiqui domini derelictione collocetur, facilius expeditur quæstio sat intricata; an, & quomodo nondum natis per tacitam derelictionem parentum & majorum suorum possit jus deeedere? Quæ quæstio duplici modo potest intelligi; vel de usucapione completa, antequam isti nascerentur; vel quæ incepta duntaxat est patre vivo, eodem moriente nondum completa. Priori sensu si quæstionem negemus, id oritur difficultatis, quod hoc modo nihil proficiatur ad tranquillitatem imperiorum ac dominiorum; cum pleaque bona talia sint, ut in posteros transferri sint idonea; adeoque frustra pater repellatur, si filius actionem queat instaurare. Sin autem eandem

dem affirmemus, mirum videbitur, quomodo silentium, & negligentia nocere illis possit, qui loqui, aut actionem intendere non potuerunt, quippe qui nec existerent; aut quomodo aliorum factum aliis damno esse queat. Quem nondum ita solvit *Grotius* d. l. §. 10. quod uti rei non existentis nulla sunt accidentia; ita ejus, qui non est in rerum natura, nullum jus sit; adeoque nec ereptum quid eidem possit dici. *M. Seneca lib. 1. controu. 6. Quamdiu non sumus, natura nos regit, & in quemcunque vult casum nos mittit. Hinc sumus estimandi, cum sumus nostri.* Per eum autem, qui nondum est in rerum natura, intelligimus eum, qui nondum conceptus est, non qui jam in utero est. Qui in multis partibus juris in rebus humanis esse intelligitur. Vid. l. 7. *princ. D. de ventre in possess. mittendo. l. 7. D. de suis & legit. hæredibus. l. 231. D. de verb. signif.* Accedit, quod bona parentum tunc demum ad liberos pertinere incipiant, quando parentes eadem obtinent ad illud usque tempus, quo in liberos transire debent. Id quod paulo latius potest deduci. Scilicet illi, qui nondum est, non potest jus aliquod quæri, nisi mediate per alium jam existentem, per quem istud in deinceps nasciturum derivetur; ita tamen ut jus illud effectum non habeat in ordine ad nasciturum, nisi postquam ipse natus est. Idque contingit, quando aliquid alicui acquiritur vel traditur, cum hoc habendi modo obtinendum, ut illud ad successores quoque suos demittat. Ubi tamen discrimen aliquod deprehenditur. Quædam enim ita conferuntur in alterum, ut conferentis nihil intersit, utrum ad posteros alterius res illa perveniat, an non; etsi quantum ad ipsum, facultatem habeat is, cui quid confertur, id ad posteros transmittendi. Quædam autem ita conferuntur, ut conferens in modum habendi à se determinatum jus sibi aliquod retineat, ita ut iste citra ipsius consensum mutari nequeat. Utrovis modo possideatur aliquid ab nondum nati antecessore ad ipsum transmittendum, si quocunque modo intercipiatur, aut alienetur antequam is nascatur, deinceps nascituro hautquaquam injuria fit, nisi saltem prætenso ad id per modum hæreditatis ipsi relicta sit. Nam priori casu, quia res cum modo habendi plene est penes possessorem, siquidem ille eam alienaverit, aut quacunque ratione factum sit, ut ea non amplius sit ipsius, omne prorsus ejusdem jus extinguitur; adeoque non potest in nondum natum derivari, qui ad talia majorum suorum bona nullum potest jus prætere, nisi quod ipsi jam existenti ab iisdem velut de manu

N n n

in ma-

in manum traditur. Vid. l. 7. §. 1. de senator. Posteriori autem casu, cum penes eum, qui alteri rem aliquam contulit, potestas adhuc sit circa modum habendi, sane nihil agit possessor in præjudicium successorum, si rem istam alienet, aut quocunque modo subductam pro derelicta habeat, nisi conferens consentiat. Hæc quanquam ita sint; Pisistrato tamen secus visum, ex epistola ipsius ad Solonem adparet, dum inter alia ita scribit: *Neque mihi rem alienam usurpavi. Quippe genus à Cecrope duco. Id enim mihi meo jure vendico quod Athenienses olim quum jurejurando firmassent, Codro illiusque genti prabituros, postmodum abstulerant. Diogenes Laërt. in Solone.* Quæstio porro posteriori sensu accepta ab JCrts Romanis negatur, quod scilicet in usucapione cœpta tempus non currat, sed quiescat intra annos pupillares, & iis exactis demum iterum carrere incipiat. Putaverim tamen dari posse casus, ubi favor possessionis præponderet favori ætatis, v. g. si ad complendam usucapionem unus aut alter duntaxat mensis mihi deesset, & moraliter certum foret, intra id tempus antiquum dominum mihi litem super ea re non moturum; & vero contingeret istum decedere, hærede relicto filio recens genito. Hæc utiq; propter duos istos menses post annum vigesimum quintum lite demum me pulsari nimis durum foret. Præsertim si nunc evictio ab autore meo non amplius mihi possit præstari; quæ obtineri poterat, lite tunc mota, antequam in pupillum bona devolverentur. Hæc sane vir bonus arbiter captus, quique rationes æquitatis in usucapione non ex sola antiqui domini negligentia petendas noverit, pro me potius, quam pro altero sententiam feret. Neque adeo durum videtur, ut quod jus vivo adhuc patre jam velut animam agebat, sub filio pupillo penitus expiret. Præferim cum longe ægrius sit mortalibus, re diu possessa cedere, quam nondum parta excludi.

§. 11. Ex hisce adparet, eos quoque, qui solo jure naturæ & gentium utuntur, invicem posse opponere diuturnam, non interruptam, & bona fide partam possessionem. Idque eo magis, quo gravioribus motibus publicæ possessiones, quam privatorum inquietantur. Et si fatendum sit, in publicis controversiis, sæpe non adeo necessarium esse ad usucapionem provocare, cum possessoris jus ex aliis fundamentis longe solidius possit, saltem debeat, deduci. Et jam *Bæclerus ad Grotii d. l. §. 2. observavit, sæpe compendium loquendi eos sequi, qui in hoc usucapionis negotio*

*tio temporis tantum mentionem faciunt. Subintelligi enim debere, qua temporis conjuncta sunt; ut est omissio rei, seu animus omittendi, sive indicia omissi domini. Cumque in auribus vulgi, & in summam plausibile sit temporis nomen, (quasi scilicet continuatio temporis lucrifaciat alleganti ceteras probationes,) inter strategemata politica esse, rudiore Minerva in his nominibus versari, & tanquam generale temporis nomen jactare; explicationibus, & adjunctionibus, qua rei per se nihil efficienti robur aliquod circumponere queant, ultro vitatis; in locum earum exemplis argumentantium sine discrimine cumulatis, quo orationi species & copia accedat. Apud Tacitum A. VI. vaniloquentia dicitur, quod Artabanus veteres Persarum ac Macedonum terminos reposceret. Quod idem faciebat longo post tempore Saporex, apud Ammianum Marcellinum lib. XVII. c. 5. Cui reponebat Constantius, par pari referens; mirari se, oblitum illum esse, quod Persa Macedonibus servierint, quibus per Romanos subactis, illorum etiam servi Romanae ditionis facti sint; apud Zonaram tom. III. Vid. quoque Herodianus l. 6. c. 2. 4. Sic & Solymanus saepe solitus est dicere, Romae ac totius Occidentis imperium ad se spectare, propterea quod ipse Imperatoris Constantini, qui imperii sedem Byzantium transtulit, legitimus sit successor. Etsi in nobilissimis exemplis praeter diuturnitatem possessionis etiam titulum, dominium producere aptum, allegari videas. Vid. *Judic.* XL 15. *seqq.* Sic *Isocrates* sub persona *Archidami* initio probat, justo bello Lacedaemonios Messene potitos. Inde velut in subsidium vocatur diuturnitas possessionis: ἀλλο μὲν ἂν ἐκεῖνο ὑμᾶς λέλειπεν, ἔστι τὰς κτήσεις, καὶ τὰς ἰδίας καὶ κοινὰς, ἃν ἐπιγίγνηται πολὺς χρόνος. κυεῖας καὶ πατρῶας πάντες νομίζουσιν. Sed nec illud vos praeterit, possessiones sive privatas, sive publicas, praescriptione longi temporis & confirmari, & patrimonii loco habendas, persuasum esse omnibus. Adjungit, antea cum commoda esset occasio, super Messene nullam sibi controversiam motam. Add. *Alberic. Gentilis de jure belli* l. 1. c. 22. Et sane in isthoc causarum genere magnam adfert pro jure possessoris praesumptionem, quod nemini intra tantum temporis spatium in mentem venerit, juris quid eam ad rem praetendere. Tanti quippe plerunque sunt momenti negotia isthaec, tamque conspicua in luce geruntur; ut si cui tertio heic juris quid sit, neque id ipsum diu latere, neque eidem deesse occasio possit, saltem protestando jus suum conservandi. Ergo raris mihi possunt accidere casus, ut ab usucapione demum dominiū sit arcessendum, si pacifico titulo quis populus rem quampiā sit*

nactus. In illis autem, quæ bello adquiruntur, ad ufucapionem provocari vix necessum est. Nam quamdiu adhuc status belli durat, sola vituitur possessio eorum omnium, quæ hosti sunt erepta; & simul huic jus manet, quocumque modo sibi erepta recuperandi; saltem, ubi injustam habuerit causam, si satisfactionem præstare sit paratus. Adeoque cum vel ultra quinquaginta annos bellum queat durare, si cui locus quispiam sub initium belli sit ereptus, eundem vi recuperare poterit, antequam bellum pace fuerit compositum. Apud *Livium* l. 34. c. ult. Numidæ, super agro ad Emporia adversus Carthaginenses ufucapionem allegantes, ita differunt: *per opportunitates nunc illos, nunc reges Numidarum usurpassè jus: semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset.* Pace autem subsequuta, quid cuique relictum sit, facile adparet. Ubi ea, quibus hostis cessit, statim plene adquiruntur; neq; opus est ufucapionis moras expectare. Si cui tertio ad ista prætenso sit, mature id significabit; & quidem, si omnino fieri possit, in ipsis pacis tractatibus. Nam postea bellatores haut temere bello parta otiosis & quiescentibus restituent. Vid. *Grotius* l. 3. c. 6. §. 7.

CAPUT XIII.

DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ EX DOMINIO
RERUM PER SE ORIUNTUR.

- | | |
|---|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. <i>Quilibet tenetur ab alterius rebus sese abstinere.</i> 2. <i>Res alienæ apud nos extantes sunt restituendæ.</i> 3. <i>Quod probatur;</i> 4. <i>Et illustratur.</i> 5. <i>Ex illa obligatione contractus posteriores exceptionem admittunt.</i> 6. <i>Reddendum id, quod quis ex alieno est lucratus.</i> 7. <i>Bona fidei possessor ad restitutionem non tenetur, si res periit.</i> 8. <i>Idem tenetur ad restituendos fru-</i> | <p><i>ctus extantes:</i></p> <ol style="list-style-type: none"> 9. <i>Et consumptos, si alias tantundem consumpturus fuerat:</i> 10. <i>Non adeos, quos neglexit percipere.</i> 11. <i>Non tenetur qui rem donatam donavit, cum distinctione:</i> 12. <i>Nec si rem emtam vendiderit, similiter cum distinctione.</i> 13. <i>Quatenus pretium recuperare possit, qui rem alienam b. f. emit.</i> 14. <i>An res aliena emta restitui venditori possit?</i> |
|---|---|

15. *Qui*

15. *Qui rem alienam habet, cujus dominus ignoratur, recte eam potest retinere:*

16. *An turpiter datum sit restituendum?*

Postquam inquisivimus in originem & naturam dominii, simulque quibus modis illud constituatur, consequens est, ut videamus de obligationibus, quæ ex introducto rerum dominio immediate & per se in homines resultant. Inter hæc prima est, quod quilibet teneatur alterum non hostem pati de rebus suis disponere, iisdemque quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad sese trahere. Quo ipso furta, rapinæ, moti termini, & similia crimina ipso naturali jure interdicta esse adparet. *Euripides Helena.* *μισέειδός τὴν βίαν. τὰ κτήτ' ἀεὶ κτᾶδ' ἐκελεύει πάντα, καὶ ἐς ἀρπαγὰς. ἐπιτίθει ὁ πλούτος, ἀδίκος τις ὢν, κοινὸς γὰρ ἐστὶν ἕρπης πᾶσι βροτοῖς, καὶ γὰρ ἐν ἡ' χερσὶ δόματ' ἀναπληρωμένους ἄλλοτεία μὴ χεῖν μὲν ἀφαιρέσει βίαν.* *Odit Deus vim; & parta labore quemlibet possidere jubet, non raptu vivere. Repudianda injusta & turpis opulentia: Commune enim cunctis cælum mortalibus Et terra, in qua domos augere convenit, Non aliena possidere, neque per vim rapere.*

§. 2. Deinde, ubi res aliena ad aliquem pervenit sine suo crimine, (sub rerum nomine etiam heic venit jus in personas, quatenus nobis utile esse potest, uti est jus domini in servum,) ulterius videndum est, an illa res adhuc extet, an vero minus. Circa res extantes hæc obligatio nascitur; ut teneatur, qui rem nostram habet in sua potestate, efficere quantum in se est, ut illa in nostram potestatem iterum redeat. Quæ obligatio tunc demum vim suam actu exerit, quando possessori innotuerit, rem istam esse nostram. Additur *quantum in se*; neque enim tenetur, ubi impossibile fuerit rem restituere. Sed neque tenetur restituere suis impensis, & si quas eo nomine fecit, recte eas dominum reposcere, aut tantisper donec solvantur, rem retinere potest. Sed sufficit significasse, rem alienam penes se esse, nec per se staturum, quo minus dominus suum possit recipere. Vid. l. 1. §. 3. *D. de fugitivis.* (Semper heic sermo est de possessore bonæ fidei; nam ad quid teneatur, qui mala fide possidet, alio loco dicitur.) Atque hæc eousque valent, ut leges Romanæ *non probe iugiterque peti* dicant. Vid. l. 43. §. 9. *D. de furtis.* nisi ex pactione. l. 15. *D. praescript. verbis.* l. 4. §. 4. *D. de cond. ob turp. causam.* Eum autem, qui alienum quid jacens

lucri faciendi causâ sustulerint, furti obstringi, sive sciat, cujus sit, sive ignorarit. d. l. 43. §. 4. seqq. D. de furt. Ioseph. archæol. IV. 8. *Si quis aurum vel argentum per viam invenerit, querat eum, qui perdidit, præconemque mittens in quo eum loco invenit, restituat: & ex alio damno non bonam esse utilitatem judicet.* Quod si tamen justo titulo & bona fide rem quampiam nactus fuero, non teneor ipse jus meum in dubium vocare, & publice significare, talem rem à me possideri, ut si forte ad alium pertinuerit, eam vindicare queat. Nam ubi modus, quo possessionem nactus sum, nihil continuit vitiosi, suspecti, bona fides me omni crimine vacare facit, quod ex rei alienæ detentione oriri potest. Subintelligitur & isthæ restrictio, si modo, qui dominus fuit, adhuc habeat probabilem rationem rem repetendi; ut ne per hanc obligationem legem usucapionis tolli arbitremur. Conf. Grotius l. 2. c. 10.

§. 3. Istanc autem obligationem ex ipso dominio resultare satis patet. Cum enim variis casibus possit contingere, ut quis possessione rei suæ excidat, in lubrico valde ponerentur res nostræ, mobiles præferim, si ubi in alterius potestatem aberrarunt, abs illo occultari aut intercipi possent. Multoque magis, si aperte talem rem liceret retinere, & vindicare volentem repellere. Uti enim in rerum communium statu juris est, ut uni non minus quam alteri communibus rebus liceat frui: ita proprietate rerum introducta, cum reliqui omnes velut renunciarent juri in res, quæ alteri fuerant assignatæ, id inter dominos convenisse intelligitur, ut qui rem alienam haberet in potestate, postquam nosset alienam esse, ad dominum eandem redire faceret. Nam nimis debilis futura erat vis domini, & nimis sumtuosa atque anxiosa custodia, si non nisi tunc res foret reddenda, quando dominus eam repetit; cum illi sæpe non possit constare, quonam res sua pervenerit. Ut autem quis teneatur domino vindicante rem restituere, non interest, bona an mala fide rei possessionem sit nactus. Nam hæc obligatio restitutionis non oritur ex delicto aliquo, aut facto nostro, aut ex peculiari pacto, cum petitore rei domino inito, sed ex ipsa re, vel potius ex universali pacto, quod dominium rerum comitari intelligitur. Inde qui bona fide rem est nactus, simpliciter duntaxat ad rei restitutionem tenetur: qui autem mala fide, præter necessitatem restitutionis, etiam crimine se adstrinxit, cujus nomine pœnæ est obnoxius. Desinit autem bona fides, saltè in fo-
ro con-

ro conscientiæ, ubi alicui constiterit, rem esse alterius. Vid. l. 25. §. 3. D. de hered. petit. l. 1. §. ult. D. l. 2. l. 3. l. 4. depositi. Et si quæ ab initio adfuit bona fides, justusque titulus à poena saltem humana immunem præstent.

§. 4. Confirmantur atque illustrantur isthæc ipsa lege divina, Deuteron. XXII. 1. 2. 3. add. l. 43. §. 4. seqq. D. de furtis. Ac ne quis credat, isthoc officii soli amicitia deberi, Exod. XXII. 4. expressè additur, etiam inimici nostri rebus id præstandum. Eam legem Iosephus archaeolog. l. 4. ita exprimit: *Si quis aurum vel argentum per viam invenerit, querat eum, qui perdidit, praconemque mittens, in quo eum invenit loco restituat; & ex alieno damno non bonam utilitatem esse decernat. Similiter & de pecudibus quacumque in deserto errare compererit; non invento statim domino, penes se retineat, testem habens in his Deum, quod noluit aliena lucrari.* Et si gentis Judaicæ hostile adversus omnes alios odium hanc legem non naturalem, sed civilem & adversus populares suos duntaxat exercendam post statuerit. Vid. Selden. l. VI. c. 4. Et Grotius in annot. add. l. §. 1. Add. Polybius l. VI. cap. 31. princ. Insigne est exemplum Theophili Imperatoris, cui cum aliquando equo veheretur, occurrit foemina clamitans, equum illum suum esse, compertoque Eparchum eum equum muneris loco abductum Imperatori tanquam suum obtulisse, statim eundem foeminæ restituit. Sed quia alii tunc equi Imperatoris ad manum non erant, equo, quem forte nactus erat, iter absolvit. Exinde receptum, ut plures semper equi Imperatorem equitantes prosequerentur, ut si quid simile forte Imperatori accidisset, semper præsto essent, quibus veheretur. Ap. Curopalatem de off. Constant. & Cedrenum. Exemplum Spartanorum, qui Phœbidam propter Cadmæam occupatam damnarant, arce tamen retenta, (vid. Plutarch. & Cornel. Nepos in Pelopida,) huc proprie non quadrat. Nam ipsi possessores malæ fidei erant, adeoque ex alio principio ad restitutionem tenebantur. Sicut nec exemplum M. Crassi & Q. Hortensii apud Ciceronem Offic. 3. L. Minutii Basili locupletis hominis falsum testamentum quidam è Græcia Romanam attulerant, quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredès secum M. Crassum, & Q. Hortensium, homines potentissimos. Qui cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius conscii culpa essent, alieni facinoris manusculum non repudiaverunt. Quid ergo? Satis hoc est, ut non deliquisse videantur? mihi quidem non videtur. Sane enim injustus est, qui injuriam

non modo non repellit ab altero, sed etiam adjuvat. Nam quantum receptatores de furto, tantum illi de crimine falsi participabant; qui eo nomine scriptos se hæredes intelligebant, ut autoritate sua falsarios tutos præstarent. Cæterum ex eodem fonte iniquitatis quoque arguitur consuetudo, quæ bona naufragorum fisco addicit. Vid. *Grot.* l. 2. c. 7. §. 1. & *Bæclerus add.* l. *Iac. Godofredus de Imperio Maris* c. XI. Io. *Loccenius de jure maritimo.* l. 1. c. 7. §. 9. *Bodinus l. 1. de republ.* c. 10. *Gramondus hist. Gall.* l. XVI. & alii. Nec minus inde colligitur, absurdum plane esse, quod bona furto ablata alicubi non domino restituantur, sed fisco vindicentur. Vid. *Ant. Matthæus de crimin. tit. de furtis.* c. 4. §. 4.

§. 5. Cæterum cum hæc obligatio restituendi rem alienam oriatur ex conventionem universali inter homines, hinc fit, ut contractus singulares, circa rem vero domino quoquo modo subtractam in initio, inde exceptionem accipiant; adeoque si intelligatur eam alterius esse, vani sint contractus, qui de eadem in tertium transferenda sunt suscepti. Cui fundamento etiam innititur illud dictum Diogenis Cynici in duos fures, quorum unus alterum expilaverit: τὸν μὲν κελοφίνας, τὸν ὃ μὴ ἀπολωλικίνας, *alterum quidem furatum esse, alterum vero non perdidisse.* ap. *Diog. Laërt.* l. 6. Neque obstat l. 1. §. 7. *D. naut. caup. stab.* quam adducit *Ziegler. ad Grot.* d. 1. §. 1. ut ostenderet, contractum posteriorem ex dominio non semper exceptionem admittere. Nam & in dicto casu magis interest creditoris, ut pignus sit salvum, quam debitoris domini: & debitor vindicare pignus non potest, nisi solverit. Luculentum ejus assertionis exemplum extat in l. 31. §. 1. *D. depositi.* Verum in *d. l. princip.* nobis non satisfacit *Tryphoninus.* *Reus capitalis judicii,* inquit, *deposuit apud te centum; is deportatus est; bona ejus publicata sunt; queritur, utrum ista centum sint reddenda ei, qui deposuit, an in publicum deferenda? Si tantum jus naturale & gentium intueamur, ei qui deposuit restituenda sunt: si civile jus & legum ordinem, magis in publicum deferenda sunt.* Nam male meritis publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. Enimvero, cum & gentium jure imperantibus hæc potestas competat, ut delinquentes bonis multare possint: igitur ubi maleficio talis poena juste decernitur, juri naturæ utique conveniens est, omnia damnati bona fisco cedere. Etsi hoc juris sit positivi, quod huic crimini poena confiscationis bonorum sit constituta. Et consideratio quidem utilitatis ex poena resultaturæ faciebat ad ad-

ad adprobendam sanctionem illam pœnalem; non autem proprie ad prælationem fisci præ damnato in repetendo deposito. Nam ex sententia judiciaria dominium in bona damnato fuerat ademptum, & fisco adjudicatum; unde deposita quondam à damnato non huic, sed fisco erunt reddenda. Omne autem dominium sive ex jure civili, sive gentium oritur, hunc inter cætera habet effectum, ut quivis possessor eam rem vero, qui in præsens est, domino restituere teneatur. Quam tamen alias exceptionē lex de restituendo deposito ex certis circumstantiis habeat, passim traditur. Vid. *Cicero Offic.* 3. *Seneca de beneficiis* l. 4. c. 10. *Ambrosius de Off.* l. 1. c. ult. Quo loco addendum est, quod memorat *Polybius in excerpt. Peirescianis* p. 172. de Ariarathe, Cappadocum rege, qui recuperato ab Oropherne regno, XL. talenta, quæ hic apud Prienenses deposuerat, reposcit; cumque ipsi eadem Oropherni servarent, ferro flammaque in eos sæviit, uti *Polybius* judicat, *injuste*. Etsi Ariarathis factum defendi posset, si supponatur, ipsum per injuriam ab Oropherne regno expulsus fuisse. Eidem autem obligationi de restituenda re aliena non pauca superstruuntur à Jctis Romanis. Vid. l. 25. *D. de act. rerum amotarum*. l. 43. §. 4. *D. de furtis*. Eodem fundamento quoque nititur rei vindicatio, & cognatæ illi actiones; & aliquo modo etiam condictio indebiti, & condictio causa data, causa non secuta, & condictio sine causa. Etsi isthæc quoque quasi contractu niti dicantur. Cum enim non donandi causa datum sit, intelligitur ea conditione datum & acceptatum esse, ut nisi causa dationis adpareat, restituatur. Quod autem de restituenda re dicitur, id etiam ad fructus ejusdem est extendendum, qui adhuc extant; detractis tamen impensis, quæ in eisdem producendos, colligendos, aut asservandos factæ sunt.

§. 6. Circa res autem alienas, bona fide partas & consumtas, id videtur æquitati naturali maxime conveniens, ut non quidem totam ejus æstimationem, sed quantum inde locupletior est factus alter, qui consumsit, domino restituat; modò ea res aliunde ipsi non sit pensata. Nam si v. g. tibi res tua furto sit subtracta, quam ego bona fide acquisivi & consumsi: tu autem à fure jam ejusdem rei æstimationem receperis, me nihil poscere poteris, ut ego locupletior inde factus sim. Assertionis autem hujus ratio non tam hæc est, quod dominia sint introducta ad servandam

O o o o

dam

dam æqualitatem in eo scilicet, ut quisque suum haberet; quatenus autem alter ex re mea lucratus est, ille plus habet, cum ego minus habeam quam quia res, cujus dominium neque meo consensu, neque ex delicto aut jure belli amisi, ad me adhuc pertinet, uti & quicquid ex eadem provenit. Igitur ubi eadem in alterum incidit, & is ex ea consumpta lucrum cepit, bona quidem fides ipsum merito indemnem præstat: lucrum autem me reposcente nullo prætextu retinere potest; cum idem sit velut pars, aut fructus superstes rei ad me pertinentis. Inde nihil tritius ea sententia: nemo debet ex alterius damno lucrum capere, scil. ex tali damno, cui is neque consensu neque delicto suo causam dedit, & ut alteri non sit causa damni, seu ut alterius damnum ipsi non possit imputari (nam ex damno alterius, quod ipse non procuravi, occasionem emolumentum capere, nefas non est. Vid. *Mich. Montaigne* *essais* l. 1. c. 21.) *Cicero Off.* 3. *Contra naturam est, ex hominis incommodo suum augere commodum.* Id quod expressum est ex *Terent. Andria. act.* 4. *sc.* 1. *Hoc sine est credibile, aut memorabile, Tanta vecordiani nata cuiquam ut fiet, Ut malis gaudeant, atque ex incommodis alterius sua ut comparent commoda?* *Add.* l. 206. *D. de reg. juris.* l. 22. *D. de heredit. petit.* Sic & passim in libris juris Romani ex sciti hujus æquitate multa definiuntur, quæ alias ad apices juris non ita exacte quadrabant. *Vid.* l. 10. l. 17. §. 4. *D. de institor. act.* l. 7. *D. ad Sctum Vellejan.* (add. tamen *Ziegl. ad Grot. d. l. §. 2.*) l. 55. *D. de donat. inter. vir. & uxorem* l. 30. *vers. secundum qua* *D. de act. emt. & vendit.* l. 3. *princ.* *D. commodati.* l. 12. §. 1. *D. de distract. pign.* l. 32. *D. de rebus creditis.* Eidem quoque fundamento videtur præcipue inniti actio *de in rem verso.*

§. 7. Ex hisce dependet decisio plurimarum quæstionum, quæ ab Jctis & Moralistis agitari solent, quas ex *Grotii* d. l. huc transcribere placet. I. Possessor bonæ fidei (nam de hoc solo sermo est, cum malæ fidei possessor non solum ratione rei, sed & ex suo facto teneatur,) quamdiu valis, (conf. *Ziegl. ad Grot. d. l.*) non tenetur ad ullam restitutionem, si res perierit: quia nec res ipsa apud eum est, nec lucrum ex ea re. *Vid.* l. 40. *D. de hered. petit.* l. 12. 13. *D. de rei vindic.* Adde, non teneri eum, utut culpa ipsius res perierit. Nam bona fides tantisper erat ipsi instar domini. Domini autem si sua res etiam propria culpa perit, satis damni est rem amisisse, nec ulterius eo nomine tenetur. Aliud autem dicendum, si ultro rem perdidit, ubi rescivit eam alterius esse, eo sine, ne eam restituere cogatur.

§. 8. II. Bonæ fidei possessor tenetur ad restituendam non solum rem, sed & fructus adhuc extantes. Naturaliter enim ad quem res, ad eundem quoque fructus pertinent. Add. l. 20. l. 50. D. de rei vindicatione. Distingunt tamen inter fructus rei, & industriæ. Grotius quidem iudicat, solos fructus rei esse restituendos, industriæ non item: quia utut sine re non provenirent, rei tamen non debeantur. Alii tamen etiam industriæ fructus adhuc extantes arbitrantur restituendos, citantes l. 22. C. de rei vindic. Quæ sententia propius ad humanitatem videtur accedere; dummodo hoc addatur, b. f. possessorem detrahere omnes impensas in rem factas, ut & mercedem suæ industriæ. Vid. l. 36. §. 5. l. 38. 39. D. de hered. petit. l. 27. §. 4. l. 31. l. 48. l. 65. D. de rei vindic. Ac de molestis litibus occasio præbeat, dominum rem vindicantem non debere omne lucellum cum pulvisculo convertere. Hoc modo raro emerget casus, ut possessor b. f. multum de fructibus industriæ restituendum habeat.

§. 9. III. Possessor b. f. tenetur ad restitutionem rei, & fructuum consumptorum, si modò alias quoque tantundem consumpturus fuerat. Vid. l. 25. §. 8. 9. D. de heredit. petitione l. 52. D. de rei vindic. Nam in hoc locupletior censetur, dum consumptis rebus alienis suas servavit. Add. l. 47. §. 1. D. de solutione. Ubi tamen judicaverim, præter limitationes superiori definitioni additas, hoc quoque considerandum, an possessor b. f. possit recuperare id, quod sibi re evicta decedit, ab eo, abs quo rem oneroso titulo accepit. Nam si hoc fieri nequit, haut quidquam locupletior amplius est b. f. possessor, restituta re aliena, cujus pretium ab autore suo recuperare nequit. Circa exemplum autem Caligulæ, quod adducitur ex Suetonii Calig. c. 16. Si quibus regna restituit, adjecit & fructum omnem vectigaliorum & reddituum medii temporis; moneri potest; ipsum judicasse, injuria istis regna ademta, adeoque se esse hæredem possessoris malæ fidei. Aut si factum antecessoris non damnavit; dubium tamen adhuc est, an ex liberalitate mera, an vero velut ex obligatione illos fructus intermedii temporis restituerit. Inde verius putaverim, possessorem b. f. non teneri restituere æstimationem rei consumptæ, ubi ab autore suo evictio nisi præstari nequit. Nam hoc modo non potest censi factus locupletior. Et durius videtur, rei consumptæ æstimationem, quam rem ipsam adhuc extantem restituere.

§. 10. IV. B. f. possessor non tenetur ad sarcinendos fructus, quos per-

cipere neglexit: quia nec rem habet, nec quidquam rei loco successit. Et negligentia circa res proprias vel quasi versanti satis ipsi damni judicatur. Vid. l. 78. D. *de rei vindic.*

§. 11. V. Si possessor b. f. rem sibi donatam alii donaverit, non teneatur, nisi omnino etiam sine hac donaturus tantundem fuisset. Tunc enim lucrum erit rei suæ pepercisse. Quæ definitio videtur præsupponere distinctionem inter donationes ex aliquo officio, & ex mera liberalitate profectas; ut illæ tantum sint pensandæ, non item hæ. Cum regulariter nemo donare præsumatur, nisi ipse abunde habeat; adeoque donandi impetus ex consideratione rei istius alienæ, tanquam abundantis, conceptus judicetur. Obligatio autem illa, quæ in donatario ex donis & beneficiis resultat, haut quidquam inter ea censetur, quæ definito pretio possunt æstimari; adeoque qui *artibusque* expectat à donatario, haut quidquam videtur locupletior. Vid. l. 25. §. 8. D. *de heredit. petit. conf. Ziegl. ad Grot. d. l. §. 7.* Enimvero ulterius considerandum, an res donata apud donatarium adhuc extet, an minus. Si prius, ab hoc rem suam vindicabit dominus, intermedio donatario omisso. Nec minus posteriori casu illi erit incumbendum, qui vel rem tenet, vel ex ea factus est locupletior. Intermedius autem non nisi velut in subsidium tenebitur, in quantum ipse fortasse factus est locupletior. Add. *Struvius exercit. XI. §. 13.*

§. 12. VI. Si possessor b. f. rem alienam oneroso titulo partam quocunque modo alienaverit, non tenebitur, nisi quatenus ex ea lucrum fecit. Quod si lucroso titulo partam vendiderit, tunc demum ad pretium restituendum tenebitur, ubi dominus à possessore rem ipsam nequeat recuperare; nisi forte prodegerit pretium intuitu abundantia suæ, alias non prodaetur. Non autem lucrum facit, qui pro re quapiam tantundem recepit, quantum ipse dedit, cum suum duntaxat recuperasse censeatur. Neque heic in locum rei pretium successisse dici potest, nisi ubi forte quis dolo possidere desierit. Alias contra ultimum possessorem rei vindicatio instituenda. Allegatur l. 48. §. ult. D. *de furtis. Si furi pretium pro re furtiva acceptum dominus per vim extorsit, videri eum nummorum furtum fecisse; & vi bonorum raptorum actione itidem teneri. Quod enim ex re furtiva redigitur, furtivum non esse, nemini dubium est.* Quæ lex proprie ad civitates

vitates pertinet. Nam in naturali libertate viventibus æque vi licet invadere rem sibi furto subductam, quam ejus pretium.

§. 13. VII. Possessor b. f. etiam oneroso titulo partam rem alienam tenetur restituere, nec ipsum dominum id, quod derogatum est, reposcere potest, sed illum duntaxat, abs quo eam rem accepit. Alias enim in irritum caderet jus vindicandi, si pretium foret refundendum. Et qui rem quampiam comparat abs aliquo, in quem suspicio cadere poterat, ipsum forte dominum non esse, debebat sibi peculiariter circa evictionem cavere; quanquam & ea alias venditioni naturaliter insit. Huc quoque pertinet l. 22. D. de heredit. petit. l. 25. princ. & §. 1. D. eod. l. 23. D. de reb. creditis. l. 3. & 23. C. de rei vindicat. l. 16. D. de contrab. emt. l. 1. D. de eviction. l. 2. §. 3. D. de L. Rhodia. l. 16. C. de eviction. l. 2. C. de furtis. Ad denda tamen hæc exceptio; nisi quatenus dominus rei suæ possessionem recipere sine aliquo impendio probabiliter non potuit; puta, si res apud piratas aut latrones fuerit. Tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio, præsertim recuperatu difficilis, est aliquid æstimabile, & in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior. Unde frequens est, eos, qui aliquid amiserunt, inventori promittere *μίσθωσις*. Vid. *Moschus Idyll. 1.* Quam imitatus est *Apulejus Metam. l. VI.* Hinc etiam, cum rei suæ emtio ordinario jure non valeat, valere tamen eam ait *Jctus Paulus* in l. 34. §. 4. D. de contrab. emtion. si ab initio id convenit, ut possessio, quæ apud alterum est, ematur. Sed an is quoque poterit dominum reposcere pretium, qui emit eo fine, ut rem domino restitueret? quod aliqui negant eo argumento, quia per hujusmodi protestationem non possit tolli domino jus competens. Vid. l. 11. D. de reg. juris. Enimvero si emtor iste probabiliter prævidit, alia ratione dominum rem suam ægre recuperaturum, neque pretium, quod dedit, amplius est, quam quanti æstimari potest ista facti possessio, omnino id erit refundendum. An autem redemptori contra dominum detur actio negotiorum gestorum, Interpretum juris Romani est subtilius inquirere. Id quod definire *Grotius* ideo omittit, quod ista actio ex lege civili nascatur, cum non habeat ullum eorum fundamentorū, ex quib⁹ natura obligationē inducit. Enimvero licet juris naturæ non sit inquirere aut designare, ad quamnam speciem actionis, jure Romano defini-

tam, præfens casus possit aut debeat revocari: tamen quin ipsa actio negotiorum gestorum fun'amentum in naturali æquitate, inque pacto tacito habeat, negari nequit. Nam nullo prætextu postulare quis potest, ut ego benevola mea opera alterius rem servaverim aut meliorem reddiderim gratis, & impensa mihi non refundenda. Add. *Ziegl. ad Grotium* d. l. §. 9. Igitur simplicissimum fuerit, ut redemptori, & alii cuivis negotiorum gestori ea res, quæ redempta, aut cui opera sumtusvè impensi, tantisper oppignorata intelligatur, isque eandem tantisper retinere possit, donec sibi sit satisfactum. Si tamen nullum opus ejus operæ superfit, cui incumbi possit, & alter utilem operam inhumaniter pensare detrectet, non putaverim adhiberi posse illa media juris sui vindicandi, quibus id vindicatur, quod ex contractibus nascitur; sed istum velut ingratum, & omni benevolentia indignum detestationi duntaxat habendum. Vid. 1. *Samuel. XXV. 7. 15. 21.* Quanquam eo loco David injuriam verbalem potissimum videatur ulcisci voluisse. Cæterum æquitatem istius restitutionis in similibus quoque casibus consideravit jus Romanum. Vid. 1. 14. §. 13. *D. de religiof. & sumtibus funer. l. 6. §. 3. D. negot. gest. l. 1. D. de L. Rhodia.* Et in universum in simili causarum genere probe observandum illud *Terentii Heautontim. act. 4. sc. 5. Ius summum sape summa est malitia.*

§. 14. IIX. Ex mente *Grotii*, qui rem alienam emit, non potest eam restituere venditori, ut pretium servet; quia ex quo res in ejus fuit potestate, coepit obligatio restituendi. Ubi tamen diversum nobis videtur. Nam utique non tencor rem emere, quam novi alienam, ut dominus quidem rem recipiat, ego autem pretium meum amittam. Ergo si cognovero rem esse alienam, ac nolim eandem apud me evinci, vel ad declinandam litis molestiam, vel quia pretium me recuperaturum despero; putaverim me recte, quamdiu poenitentia locus est, ab isto contractu resilire, ne gratis lite implicer, ita tamen, ut indicare tencar domino requirenti, ubi sua res sit, quo eam vindicare queat. Vid. 1. 17. *prinç. D. de rei vindic. & Ziegler. ad Grot. d. l. §. 10.*

§. 15. IX. Is, qui rem bona fide habet, cujus dominus ignoratur, non tenetur eam naturaliter pauperibus dare; etsi hoc in civitatibus bene possit constitui. Ratio est, quia ex dominio nemo habet jus præter dominum. Non esse autem, & non adparere perpetuo, tantundem valet
apud

apud eum, cui non adparet. Igitur nemo heic erit, ad quem ejusmodi res propius pertineat, quam ad possessorem bonæ fidei.

§. 16. X. Quod *Grotius* asserit, naturaliter, quod ob turpem causam, aut honestam, sed ad quam quis gratis obligabatur, acceptum est, non esse restituendum; id admittimus, siquidem causa restitutionis unice sit petenda ex dominio rerum per se. Nam hoc nomine non potest teneri is, in quem res transit prioris domini consensu. Verum ubi in ipsa accipiendi causa fuerit vitium, puta extorsio, ex alio principio obligatio restituendi fuit. Sub extorsione autem comprehendi debent modi, licet non ita violenti, pecunia alios emungendi; puta, si iudex nolit justitiam administrare, nisi prius manus argento ipsi inungantur. Vid. I. *Samuel*. XII. 3. 4. Quo loco non videtur *Samuelem* voluisse peculiarem sanctimoniam ostentare, sed quod commune iudicum officium nullo modo transgressus fuerit protestatum esse, quodque adeo nullo suo delicto meritis sit, ut ipse munere suo dimoveretur, rege creato. Add. supra I. III. cap. 7. §. 9.



SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ ET GEN-
TIUM
LIBER QUINTVS.

CAPUT I.
DE PRETIO.

- | | | |
|--|---|---|
| <p>1. Post dominium introducenda fuit mensura rerum.</p> <p>2. Quantitas moralis rerum quid?</p> <p>3. Pretium quotuplex?</p> <p>4. Pretii vulgari fundamentum quod-</p> | } | <p>nam?</p> <p>5. Multa res utiles pretium non habent, & quare?</p> <p>6. Quare pretia rerum intendantur?</p> <p>7. De pretio affectionis</p> <p style="text-align: right;">8. De</p> |
|--|---|---|

8. *De pretio legitimo.*9. *De pretio communi.*10. *Causa, qua commune pretium intendunt vel remittunt.*11. *Pretium vulgare non sufficit vita humana:*12. *Inde constitutum pretium eminens in numo.*13. *Qui fere ex metallis constat.*14. *Numorum valorem quatenus determinare possint rectores civitatum?*15. *In eo quoque respectus est habendus ad fundos.*16. *Valor pecunia itidem mutationi obnoxius.*

Postquam res proprietati subjectæ disparis erant naturæ, nec eundem usum humanis necessitatibus præbebant; & vèro frequenter contingebat, ut aut eadem res ad plures inciperet pertinere, cuius partes sibi non per omnia forent similes, aut diversæ res naturæ mutuo essent transferendæ; inde necessum erat conventiono hominum rebus imponi aliquam affectionem, secundum quam res disparis naturæ invicem comparari atque exæquari possent. Cum autem res invicem comparentur, & exæquentur ratione quantitatum; quippe cum æqualitas sit quantitatum coincidentia: igitur de quantitate rerum, & actionum, in quantum hæ in vita humana sunt utiles, ejusdemque fundamentis, & communi mensura jam erit dispiciendum.

§. 2. Deprehendimus ergo in vita communi res invicem dici æquales, non solum quod coincident secundum tres dimensiones, sed & alio quodam respectu. Sic enim dignitates, operæ, merces, æquales invicem aut inæquales dicuntur alio intuitu, quam ob coincidentiam dimensionum. Inde necessum est dari aliquam quantitatem præter physicam & mathematicam, circa quam solam hæc Philosophi videntur solliciti fuisse. Id quod clarius adparebit, si attendamus, quantitatis universim sumptæ rationem formalem consistere non in extensione substantiæ, sed ut ita dicam, in æstimativitate; seu ideo primò res dicuntur quantæ, quatenus æstimari possunt, & consequenter inter se comparari, utrum æquales sint, an inæquales. Cum autem res æstimari queant non solum secundum substantiam suam physicam, sed etiam secundum considerationem quandam moralem; consequitur, præter quantitatem physicam dari etiam quantitatem moralem, secundum quam scilicet res æstimantur moraliter. Quanquam etiam ipsa quantitas physica facit ad æstimatio-

nem

nem rerum ejusdem naturæ & bonitatis , e. g. magnus adamas cæteris paribus est pretiosior parvo : non tamen eadem semper attenditur circa æstimationem rerum diversæ speciei, aut bonitatis. Sic non semper canis major est pretiosior minore, nec magna massa plumbi minore massa auri. Cæterum quomodo moraliter æstimentur personæ secundum existimationem , & actiones morales secundum vim producendi meritum & demeritum, suo loco dicitur. Heic agendum proprie de quantitate morali rerum, & actionum, quatenus aliquem usum in vita communi intelliguntur obtinere, atque invicem comparantur , quo in commercium venire aptæ sint. Ea quantitas rerum & actionum vocatur *pretium*. Quod est quantitas moralis seu valor rerum & actionum in commercium venientium, secundum quam illæ invicem comparari solent.

§. 3. Dividi pretium potest in *vulgare & eminent*. Illud spectatur in rebus, & actionibus seu operis, in commercium venientibus, quatenus usum aliquem & delectationem hominibus afferunt. Hoc autem spectatur in numo, & quicquid ejus vicem gerit, quatenus omnium rerum & operarum, pretia virtualiter continere, & communem earundem mensuram præbere intelligitur.

§. 4. Ad vulgaris pretii naturam recte percipiendam cum primis facit distinctim considerasse, tum ejus *fundamentum* in se, tum quare idem intendatur, vel remittatur. Fundamentum pretii in se est aptitudo rei vel actionis, qua aliquid mediate aut immediate conferre potest ad vitæ humanæ necessitates, aut ad eandem commodiorem & jucundiorem reddendam. Inde frequens est in vulgari sermone, ut res inutiles vœcentur nullius pretii; sicut & homines, inutilia terræ pondera, nullius pretii solemus dicere. Sic in fabula gallus margaritam inventam pro se quidem nullius pretii ducebat, quod sibi inutilis foret. *Grotius* l. 2. c. 12. §. 14. ait, *mensura ejus, quod res quæque valeat, maxime naturalis est indigentia*. Ubi si iste sensus est, quod fundamentum pretii in se sit indigentia, seu quod ideo res aliqua ab hominibus æstimetur, quia eadem indigent; id in universum verum non est. Nam hac ratione detraheretur pretium rebus superflue voluptati inservientibus, quibus tamen luxuria mortalium immensa sæpe pretia fecit. Indigere autem non nisi illis rebus dicimur, quibus citra grave incommodum carere nequimus. Vid.

Matth. IX. 12. Quod si autem sensus sit, ad intensiorem pretii facere indigentiam emtoris, fatemur quidem ita vulgo fieri; sed quod ea mensura pretii naturalis sit, ut quo quis majore indigentia premitur, eò amplius pretium ab ipso recte extorqueatur, id nemo cordatus admiserit. Neque facit ad rem locus *Aristotelis Nicom. l. V. c. 8.* à *Grotio* adductus. Nam *χρεία* illa, sive *indigentia*, ἢ πάντα τοῖς χρεῖαι, quæ omnia commercia quasi continet & alit, non est unicum fundamentum pretii, sed permutationis sive commerciorum. Si enim homines nulla rei indigerent, aut alia non magis quam sua, nulla essent commercia, nulla permutatio; sed quisque sua retineret, iisdemque frueretur. Sic enim expresse *Aristoteles* d. l. ὅτι δ' ἡ χρεία τοῖς χρεῖαι ὡς περὶ ἐν τι ὄν, δηλοῖ, ὅτι ἀν μὴ ἐν χρεῖαι ὡς ἑαυτῶν ἀλλήλων, ἢ ἀμοιβάται, ἢ ἕτερος, ἢ ἀλλήλωνται. *Indigentiam* vero quasi rem unam quandam esse, quæ contineat, illud declarat; quod cum mutua ope non indigerint, vel uterq; vel alter, permutationem non faciunt. Quò facit quoque illud *Ejusdem Polit. l. c. 6. (9.)* Est permutatio in omnibus, cæpta quidem ab initio ex eo, quod est secundum naturam, quod alii plura quam opus sit, alii pauciora habeant homines. Quoad enim ipsis sufficeret, necessarium erat permutationem facere.

§. 5. Observandum tamen est, dari quasdam res vitæ humanæ utilissimas, quibus nullum pretium intelligitur impositum, vel quia dominio sunt & debent esse vacuæ, vel quia à commerciis humanis sunt sepositæ, vel denique quia in commerciis nunquam aliter quam appendix alterius rei considerantur. Cum etiam lex multas actiones extra commercium removerit, eadem opera pretium iisdem detraxisse intelligitur. Sic cum superiores partes æris, æther, ac cœlestia corpora, vastusque Oceanus à dominio humano sint exempta, nemo recte iisdem pretium tribuerit, ut ut maxima inde in vitam humanam redundet utilitas. Sic eo ipso dum leges Romanæ à commerciis excluderunt res sacras & religiosas, pretium iisdem detraxerunt; ut ut aliàs multis earum ad pretium constituendum intrinsece nihil desit. Sic liberi capitis ideo nullum est pretium, quia contradictionem implicat, esse liberum, & esse in commercio; quamprimum enim aliquis venalis redditur, liber esse definit. Inde & hoc intuitu libertas dicitur res inæstimabilis; non ideo solum, quia commoda ejus tanta sunt, ut omnem æstimationem excedere videantur. Quo loco tamen notandum, quod tradit *Philo Iudæus de specialibus legibus*: Eorum, qui non solum bona sua, partem vè horum, sed & seipsos devoverunt,

runt. pretia constituta sunt, non juxta formam aut proceritatem, aut aliud simile, sed pro annorum numero, ratione tantum sexus etatisque habita. Presinit enim lex ab anno XX. ad LX. viri pretium CC. argenteos solidos, mulieris vero CXX. à quinto autem etatis anno ad XX. masculi LXXX. femina XL. ab infantia usq; quinquennium, masculi XX. femina XII. Eorum vero qui sexagesimum vitæ annum exceßerunt, senis LX. anus XL. solidos. Cur autem pariter omnes ejusdem etatis, & omnes ejusdem sexûs æstimati sint, tres cause afferuntur valde idoneæ. Una, quia par & similis est votorum dignitas, siue magnates siue humiles voveant. Altera vero, quia haut æquum videbatur vota facientes æstimari eisdem conditionibus, quibus mancipia venalia. In illis enim spectatur pulcritudo & bona habitudo corporis, vilescitibus si ista defuerint. Tertia causa est præcipua, quia apud nos imparitas honoratur, apud Deum paritas. Multis quoq; rebus ideo pretium censetur deesse, quatenus separatim teneri nequeunt; quæ tamen ejus rei, cui accedunt, pretium insigniter augment; sicut earundem defectus, aut eadem pravis qualitatibus affectæ idem non parum minuunt. Sic aprico folis lumini, liquido & puro aëri, amœnæ faciei terræ, quatenus oculos duntaxat pascit, vento, umbræ, & similibus rebus in se & seorsim non est pretium, cum mortales talibus sine usu terræ frui non possint. Ast eadem quantum momenti habent circa pretium regionum, fundorum, ac prædiorum, nemo non novit. Plin. N. H. l. 12. c. 1. de platano: iam ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbrâ pendunt. Sic in Belgio ab iis, qui molas alatas exercent, annuū tributū exigitur pro vento publico, uti prætexitur. Unde obiter patet, quomodo decidenda fuerit illa controversia, ab Demosthene olim iudicibus exposita, de umbra asini. Scilicet non poterat prohibere conductor asini, quò minus dominus asini eò se abjiceret, quò umbra bestię cadebat. Sed conductor statim umbram poterat eripere, asino in alium locum acto. Denique quas actiones leges divinæ aut humanæ vel gratis exercere præcipiunt, vel omnino obire vetant, adeoque extra commercium ponunt, iis nullum per homines pretium recte constitui posse, nec ob pretium eas invicem exerceri debere adparet. Quo ex genere sunt actiones illæ sacræ, queis effectus aliquis supernaturalis ex instituto divino est assignatus; puta, remissio peccatorum per absolutionem sacerdotalem, applicatio beneficiorum spiritualium per exhibitionem sacramentorum, & similia; quæ si quis pro pretio alteri

alteri præstet, simoniam committere dicitur. Et numo talia metiri impium & irreverens in divinum Numen habetur. Vid. *Actor. VIII. 20.* Quo pertinent & illi, qui officiis sacris indignos accepta pecunia præficiunt; cum talia in dignissimos gratis conferri par foret. Add. *decretum Gratiani caus. 1. quest. 1. 2. 3.* Sic nec præmia ac testimonia virtutis ac eruditionis immerentibus pro pecunia tribuenda; non solum quia ista hoc modo evilescent, sed & quia sæpe ambitiosum ob titulum tales muneribus publicis admoventur, magno cum reip. detrimento. Et sane erubescendum est ordini literario, alicubi talem sibi licentiam heic sumere nonnullos, qualem joco exprimebat Fabius Benevoglientes Jctus, apud *Ianum Nicium Erythraum Pinacotheca. 2. c. 29.* qui cum iret, ut non neminem Doctorem faceret, forte in via in asinum incidit, qui diducto rictu speciem quandam ridentis efficiebat. In quem intuens; *quid vides, inquit, inepte? Te quoque possumus, si numi veniant, in numerum atque ordinem Doctorum impellere.* Sed nimirum *Secum habet ingenium, quicum libet Accipe dicit.* *Ovidius de arte l. 2.* Aliter Chineses, de quorum examinibus & promotionibus, vid. *Neubof. in generali descript. Sinae c. 3.* Huc facit illud *Plinii N. H. l. XVI. c. 4.* *Corona civica militum virtutis insigne clarissimum: jam pridem vero & clementia Imperatorum, postquam civilium bellorum profano meritum caput videri civem non occidere. Omnes aternos, qui tanta opera honore solo donaverint, & cum reliquis coronas auro commendarent, salutem civium in pretio esse noluerint, clara professione, servari quidem hominem nefas esse lucricausâ.* Sic Judex, quam gratis administrare debet justitiam, pretio non recte potest vendere. *Ovidius Amorum l. 1. El. 10.* *Non bene conducti vendunt perjurii testes: Non bene selecti iudicis arca patet. Turpereos empta miseros defendere lingua. Quod faciat magnas turpe tribunal opes. Turpe tori reditu census augere paternos, Et faciem lucro prostituisse suam.* *Plutarchus Romulo* ubi de officio patronorum adversus clientes agit, addit: *τὸ λαμβάνειν χεῖματα τῆς δυνατῆς πρὸς τῶν ταπεινότερων, ἀχρὸν ἐνομιδῆν καὶ ἀντί.* *Mercedem accipere potentiores ab humilioribus turpe habitum, & sordidum.* Ex quo fonte post Ilex Cincia profluxit. *Seneca Hercule furente: Hic clamorosi rabiosi fori Iurgia vendens improbus, iras Et verba locat.* Conf. *Quintilianus Inst. Orat. l. 12. c. 9.* Sic in legibus Romanis indignum iudicatur numario pretio aestimare Philosophiam, & civilem sapientiam. Vid. l. 1. §. 4. 5. D. de extraordin. cognit. & *Grotius in flor. spars. adh. l. Add. Quintil. Inst.*

*til. Inff. Or. I. 12. c. 7. ubi disputat, an eloquentiæ debeat esse pretium. Ple-
raque hoc ipso, inter alia dicit, possunt videri vilia, quod pretium habent. Sic
non recte operam suam pretio locat tollendo homini sicarius aut vene-
ficus; stylum & eruditionem suam, qui mendacia in aliorum fraudem dis-
seminat; fidem suam, qui perjuriis aliorum injustas causas sublevatum, aut
justas subversum it, & hujus farinae alii.*

§. 6: Causæ autem, cur unius & ejusdem rei pretium intendatur,
vel remittatur, adeoque una res alteri præferatur, licet hæc æqualem aut
majorem usum in vita humana videatur obtinere, sunt variæ. Hæc enim
usque adco necessitas rei, aut nobilitas usus primas semper non tenent, ut
potius ea vilissima esse cernamus, quibus vita humana minime carere
potest; ideo quod non sine singulari Dei providentia uberem eorum pro-
ventum natura effundat. *Vitruvius de architect. l. 8. præfat: Divina mens,
qua proprie necessaria essent gentibus, non constituit difficilia & cara, uti sunt
margaritæ, aurum, argentum, cæteraque, quæ nec corpus, nec natura deside-
rat: sed sine quibus mortaliū vita non potest esse tuta, effudit ad manum præ-
parata per omnem mundum.* Ergo ad intensiōem pretii imprimis facit rari-
tas, quam ultro procurare inter arcana mercaturæ à nonnullis habetur.
*Strabo l. XVII. de Ægyptiis: non permittunt bibulum multis in locis nasci:
quo fit, ut penuria pretium imponentes, proventum quidem augeant, communem
verò usum atque commoditatem violent.* Sic Hollandi in multis partibus
Indiæ arbores caryophyllorum & nucum myristicarum extirpant, prohi-
bendæ aromatum istorum nimix copix. Raritas porro non parum com-
mendatur, ubi ex locis longe remotis res afferuntur. *Plato Euthydemo:
τὸ σπάνιον τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ ἰσπανότατον, ἀείρον δὲ. Quod rarum, id pretiosum,
aqua autem vilissimo pretio emitur, cum sit optima. Sextus Empiricus Pyrrhon-
hypotyp. l. I. c. 14. τὰ μὲν σπάνια τίμια εἶναι δοκεῖ τὰ δὲ εὐντροφα ἡμῖν καὶ ἔπι-
ρα ἰδαμῶς. Quæ rara sunt, habentur in pretio: at ea inter quæ vivimus, &
ea quæ sunt in medioposita, nequaquam. Nam si aquam rarò reperiri imagi-
nemur, quanto ea pretiosior esse nobis videatur omnibus, quæ in pretio habemus?
aut si imaginemur multum auri temere humi jacere projectum perinde atque
lapides, cui adeo pretiosum ipsum fore existimabimus, aut à quotam solícite in-
clusum & asseruatū iri? Msmertinus Paneg. Julian. Quasitissima dapes non
gastu, sed difficultatibus assimantur.* Addatur *Plinius l. VII. c. 12. de duo-
bus pueris, altero in Asia, in Gallia altero nato, mira similitudine: quos*

mango ideo supra omnem taxationem iudicavit; & Antonius non aliud in censu suo magis ex fortuna sua ducebat. Scilicet ambitio mortalium præcipue æstimat, quæ cum paucis est habitura communia; & contrà eisdem vile est, quicquid intra cuiusvis supellectilem cernitur. Imò & sæpe pervertis mortalium ideo aliqua res magni æstimatur, quod istius usus sit vetitus, interdicto curiositatem hominum irritante. Inde r. & e perstringuntur *Luciano in Nigrino illi, qui media etiam hieme opplentur rosis, raritatemque illarum & intempestivum amant: illud autem, quod suo tempore & secundum naturam sit, pro vili & abstracto fastidiunt.* Sicut & alias hominibus nihil fere pro bono habetur, in quo non sit possessori aliquid præcipui & eximii præ eo, quod possident cæteri, aut cuius se nomine non possit præ cæteris efferre. Quam ob causam etiam honores cum primis raritate commendantur. Vid. *Cornelius Nepos Miltiade. c. VI. Cicero de Invent. l. 2. Præmia virtutis & officii sancta & casta esse oportet: neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. Quæ enim rara & ardua sunt, ea ex præmio pulcra & jucunda hominibus videntur.* Et si hoc ipsum revera sit ex pravitate & malignitate ingenii humani, solida bona ex raritate aut copia possidentium æstimare; quippe cum possessio boni mei per hoc non reddatur deterior, quod & alii idem possident, nec præstantior, licet alii eo careant. Sicut v. g. valetudo mea non eò minoris est, quod & alii valeant, aut majoris, quod alii ægrotent. Sic cognitio veri non minoris est, quod & alii eam obtineant; nec sapientiæ pretium in se accrescit, quod alii stulti sint. Unde qui in eo se jactat, quod alii bono, quo ipse gaudet, careant, reverà alienis malis videtur gaudere. Contrà cui bonum suum minoris est, quia id alii quoque habent, invidiâ erga istos tangitur. Sed nimirum, uti in multis aliis, ita & heic à recta ratione communis hominum inclinatio abit. Vid. *Numerorum XI. 28. 29. Marci IX. 38. 39.* Inde ambitiosa hominum luxuria multis rebus, queis facillime vita humana carere poterat, enormia pretia imposuit. Quod aliqui ideo factum putant, ut possit aliquis magnarum & enormium divitiarum esse usus. Cui ignota sunt immania pretia unionum, quorum *dos omnis in candore, magnitudine, levore, pondere, haut promptis rebus, in tantum, ut nulli duo reperiantur indiscreti.* De quibus itidem *Plinius l. IX. c. 35. Principium culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent. Ea cum Romæ infrequentem, & promiscuum usum venissent, Alexandria in ditionem redacta,*

nce

nec multum ante Syllana tempora ibi cepissent, tantopere post fuere frequentata, ut etiam pauperes fœminæ istas affectaverint, dictitantes, licitorum fœminis in publico esse unionem. Gemmarum aliquas extra pretia ulla taxatione mœ opum humanarum arbitrantur, ut habet Idem lib. 37. proœm. & l. 32. cap. 2. Quantum apud nos Indicis margaritis pretium est, tantum apud Indos in corallo. Namque ista per suasione gentium constant. Add. Idem l. IX. c. 17. in fine. c. 34. l. X. c. 29. l. XII. c. 14. 17. 19. l. XIII. 15. l. XXXVII. c. 4. Idem l. 6. c. 17. de serico: Tam multiplici opere, tam longinquo Orbe petitur, ut in publico matrona transluceat. Quis stultitia hominum in eo præclarum quid esse autumat, si res quæpiam magno constiterit. Lampridius de Heliogabalo: Anabat sibi pretia majora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur, ore in convivio hanc esse asserens. Iuvenal. sat. XI. Magis illa juvant, quæ pluris emuntur. Curtius l. 8. c. 9. Æstimantur purgamenta æstuantis freti pretio, quod libido constituit. Seneca Consolat. ad Helviam c. 11. antiquis nominibus artificum argentum nobile, æ paucorum insania pretiosum. Hodie succino apud nos modicum, in Oriente ingens pretium. De tulipis memorat Janus Nicius Erythraus Pinacot. 3. c. 17. in vita Joannis Barclaji, qui earum fuerat studiosissimus; eas ante triginta abhinc annos (dum ista scriberet,) in summis Alpibus sine cultu, honoreque jacuisse; inde in urbem allatas; ob novitatem tantum illis ab hominum cupiditate pretium statim accessisse, ut bulbi earum quidam singuli centenis numis aureis, & amplius venierint. Post tamen cum se multiplicassent, ita earundem pretia concidisse, ut vix vilius quid illis haberetur. Add. Idem l. d. c. 24. Scilicet in talibus, qui est modus cupiditatis, idem est & æstimationis. Ac difficile est finem facere pretio, nisi libidini feceris. Cicero l. IV. in Verrem. Referendum quoque huc illud Plinii l. 33. proœm. Murrhina & crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuria gloria existimata est, habere quod possit statim totum perire. Seneca de beneficiis l. 7. c. 9. crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso quo fugare debet periculo crescit. Et est sane inter stoliditates gentis humanæ non minima, quam quondam miratus est Philosophus Ariston, quod eos, supervacua qui possident, potius ducant beatos, quam illos, qui abundant necessariis & utilibus, uti est apud Plutarchum in Catone Majore. Et recte Strabo l. 2. de lapillis, qui tanto pretio petuntur: Eorum inopibus nihilo deteriores, quam abundantibus esse vitam.

Unde

Unde & recte inter stolidas vulgi opiniones refertur, res æstimare vel ex novitate, vel ex raritate, vel ex difficultate, vel ex peregrinitate, nî eadem bonitate & utilitate commendentur. Vid. *Charron de la Sageſſe* l. 1. c. 39. n. 11. & l. 2. c. 10. n. 2. Facit quoque huc illud *Agatharchidis de mari rubro*. c. 49. de Alilæis & Casandrinis, copiosam auro regionem incolentibus. *Cum triplo ære aurum commutant: & pro ferro duplum reddunt, & argentum auri decuplum valet. Modus enim æstimationis comparatur ad rationem abundantia & raritatis. Quibus in rebus tota hominum vita non tam ad naturam rei, quam usus necessitatem respicit.* Res vero quotidiani usus, & quæ potissimum spectant victum, amictum, & arma, præcipuam pretii sui intensiorem nanciscuntur, quando raritas earundem conjungitur cum necessitate; uti solet fieri in annonæ caritate, & in obsidionibus aut lentis navigationibus, ubi fames sitisque quovis pretio deliniri, vitæque servari postulat. *Quintil. declam. 12. In magna inopia quicquid emi potest vile est.* *Plin. N. H. l. 8. c. 57.* memorat, venisse murem CC. numis, *Casilinum obsidente Annibale, eumque qui vendidit fame interiisse, emptorem vixisse.* Pretia rerum artificialium præter raritatem quam maxime solent intendi ex subtilitate & elegantia artis, quam præ se ferunt. Circa quam æstimandum adeo rudis fuit L. Mummius, *ut, capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros;* ap. *Vellej. Pat. c. l. 1. c. 13.* Nonnullis multum opinionis accedit à fama artificis. Nonnulla propter prioris possessoris præstantiam magni fiunt. Sicuti *Lucianus adversus indoctum* memorat, aliquem Epicteti lychnum fictilem trecentis denariis mercatum esse, *sperans, futurum scilicet, ut si noctu ad istam lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret.* Sic apud Peravianos quondam urbis Cusco tanta erat dignatio, ut etiam semina, quæ prope eandem provenerant, majoris æstimerentur, quam quæ alibi enata erant, ut ut de cætero bonitate non præcellerent. *Garcilassus de la Vega Comment. Reg. l. 3. c. 20.* Facit & huc operis difficultas, artificum aut operariorum frequentia, & raritas, & similia. *Cicero Bruto: Atheniensium plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minerva signum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabriuntignarium. Quare non quantum quisque possit, sed quanti quisque sit, ponderandum est, præsertim cum pauci pingere egregie possint,*

possint, aut fingere: operarii autem aut bajuli deesse non possint. Sic Nicias talento emisse servum dicitur, qui argentifodinis præficeret. Apud *Xenoph. Memor. l. 2.* Operarum denique & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas; agentium raritas, eminentia seu dignitas, libertas actionem intermittendi, & si quæ sunt alia. Huc spectat & illud *Aristotelis Polit. l. c. 7. (11.)* Εἰσὶ ὅ τεχνικώταται μὲν τῶν ἐργασίων, ὅπερ ἰσχυρὸν τύχης· βαναυσώταται δὲ, ἐν αἷς τὰ σώματα λωβώνται μάλιστα· δειλιώταται δὲ, ὅπερ τὸ σώματι πλείω χρήσις. ἀγνέσονται δὲ, ὅπερ ἰσχυρὸν προσδῶ ἀρετῆς. *Sunt operationes illæ artificiosissima, in quibus minimum fortuna est: illæ sordidissima, in quibus maxime inquinantur corpora: illæ servilissima, in quibus corporis est usus plurimum: illæ verò ignobilissima, in quibus minimum requiritur virtutis.* Idem *l. 8. polit. c. 2.* Vile autem exercitium putandum, & ars & disciplina, quæcunque corpus, aut animum, aut mentem liberi hominis ad opera & usum virtutis inutilem reddunt. Ad æstimationem autem operæ plurimum conditio artis facit. Circa nobiliores tamen operas observandum quoque illud *Seneca de benefic. l. VI. c. 15.* *Quædam pluris sunt, quam emuntur. Emis à medico rem inæstimabilem, vitam, ac valetudinem bonam: à bonarum artium præceptore studia liberalia & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ solvitur, quod de serviunt, quod à rebus suis advocati nobis vacant, mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt.* Add. *Quintilianus Inst. Or. l. 12. c. 7.*

§-7. Sed & illud contingere solet, ut certæ quædam res non communiter, sed à singulis magni æstimentur, ex peculiari aliquo affectu: id quod vocari solet pretium affectionis. Quò pertinet dictum cujusdam Arabis, quod refert *Leo Africanus l. 3.* *Quicquid charum, quamvis carum, si pulcrum, carum non est: neque nimio constituisse dicendum est, quod animo arripet.* *Libanius declam. 41.* δωρὰ πᾶσα τῆ τῆ λαμβάνοντ' ἢ δ' οὐκ κείντοι. *Omne donum pro accipientis voluptate æstimatur.* Atque hoc imprimis circa animantia evenit ex quadam quasi familiaritate, aut quia genio nostro sese aliquomodo adplicare norunt: aut quia eorum opæ magnum malum effugimus; aut quia insignis eventus monumentum sunt. Multas res quoque autor, abs quo in nos sunt translata, commendat, ut nolimus pro pluribus rebus, ejusdem cætera bonitatis, illas permutare. *Catullus: Mihi linteum remitte; quod me non movet æstimatione, Verum est munusculon mei sodalis.* *Ovidius Epist. Heroid. 16.* *Acceptissima semper Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.*

facit. Multi quoque res magni aestimant, quia à magnis illas aestimari vident, quibus præcipue ipsi placere volunt. Sic sæpe certo cibi aut vestimenti generi pretium accedit, quod Rex eo delectetur. Ubi tamen aliqui observant, in emtione venditione non debere pretium rei, intendi ex affectu emtoris: nisi aliæ causæ pretium intendentes concurrant. Sicuti nec pretium affectionis leges Romanæ attendi volunt in restitutione damni, sine dolo malo dati. Vid. l. 63. D. *ad L. Aquil.* Et si mercatoribus non infrequens sit, ex affectu & inclinatione emturientium pretium augere. Sic *Diodorus Siculus* l. V. cap. 26. *Multi ex Italia negotiatores pro familiari sibi avaritia temulentiam Gallorum in questum suum vertunt. Hi vinum ad eos devehunt, & inestimabile inde pretium reportant. Pro cado enim vini puerum recipiunt, potu ministrum permutantes.* Idem d. l. c. 17. a Balcaribus unam fœminam quaternis viris aestimatam refert, ob proclivitatem in Venerem. Potest tamen pretium intendi ex affectu venditoris, modo hunc emtori significet. Nam in emtoris gratiam desiderium rei sibi per dilectæ concoquere est utique aliquid aestimabile. Add. l. 62. §. 1. l. 63. D. *ad L. Falcidiam.* Aliquando denique pretia rerum aut operarum insigniter augentur ex vitio quodam animi; puta ex vana gloria, crudelitate & aliis. Quanti capita hostium veteribus Gallis aestimata sint, vid. apud *Diod. Siculum* l. 5. c. 29. & *Strabonem* l. 4.

§. 8. Et isthæc quidem in universam pretia rerum intendere solent; utiisdem contraria eadem remittunt. Enimvero in pretiis rerum singularium heic & nunc determinandis, & ad justam quantitatem redigendis alia quoque considerari solent. Et initio quidem observandum, inter eos, qui in naturali libertate vivunt, cuique licere rei suæ pretium pro lubitu statuere, quippe cum in eo statu quilibet suarum rerum atque actionum summus sit moderator. Nam si vel maxime alius rei meæ tunc pretium vellet ponere, penes me tamen erit ejusdem aestimationem admittere vel rejicere, adeoque revera ipse ejus rei ero aestimator. Aclinet rei meæ pretium forte infinitum ponam, nemo tamen super eo queri potest, cum nullius intersit, quantas mihi ipsi divitias fingam; ac aliis, quibus id pretium nimium videtur, nihil facilius sit, quam rem mihi meam relinquere. Ergo si quis utique rem meam velit habere necessum est, ut quantum mihi pretium fuerit visum afferat. Sicut contra, si ego meas merces extrudere velim, oportet ut accipiam, quantum emtori fastidioso dare

dare placuerit. Igitur non nisi tunc iusta querendi causa datur, quando quis per inhumanitatem aut ex odio invidiaq; indigenti res, quibus abundat, vel plane videri recusat, vel non nisi durissimis conditionib⁹ vendere vult. Ex quibus consequitur, in statu naturali quarumvis rerum pretia ex conventionem contrahentiū definiiri; nec contra mortem commerciorum peccasse quenquam argui, si modo inhumanitas in egenos absit, occasione data lucro suo non defuerit. Vid. *Gen. XLI. 49. XLVII. 13. seqq.* Enimvero in civitatibus pretia duplici modo definiuntur; uno modo per decretum superiorum, seu per legem; altero modo per communem hominum æstimationem & iudicium, accedente consensu eorum, qui inter se contrahunt. Prius aliqui solent vocare pretium legitimum, alterum commune seu naturale. Pretium legitimum regulariter cum iustitia & æquitate præsumitur congruere, nisi manifeste contrarium adpareat. Nam interdum & heic supina ignorantia, sæpius odium aut gratia adversus e- mentes aut vendentes, aliavè corruptio, vel etiam proprii amor lucris intervenire possunt. Consistit porro pretium legitimum fere in $\sigma\tau\mu\eta$ sive in puncto, nec latitudinem habet, sed quantumlocunque excessu iniustitia committitur. Et quidem, uti frequentius fit, quando in gratiam emtorum illud taxatur, venditori non licet ultra quid exigere; emtori tamen cum venditoris consensu minus licebit dare, dummodo saltem infimum gradum in pretio naturali attingat. Et venditori licebit minus accipere, modo id non tendat in fraudem aliorum mercatorum. Quod si autem idem sit taxatum in gratiam venditoris, tunc emtor non poterit recte urgere venditorem ad minus accipiendum; etsi hic, ubi velit, minus possit accipere, cum cuiusvis commodis suis renunciare liceat. Potest tamen venditor recte plus accipere, modo non excedat summum gradum in pretio naturali. Quanquam frequentius videatur, ut operæ in gratiam eorum, qui easdem locant, taxentur, quam merces in gratiam venditorum. Quo loco tamen observandum, alicubi subtiliori modo caveri, ne certarum rerum pretia nimis intendantur. Sicuti in civitatibus Græciæ receptum erat, ut venditores piscium non sedere deberent, sed stare; ut illi standi tædio, lassitudineq; confecti, quam recentissimos, & pretio æquo venderent.

§. 9. Ast pretium commune, quod per leges non est taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minusvè possit exigere & dari. De isto hoc pretio intelligendus est *Seneca de benefic. l. VI. c. 15. Quid inter*

est quanti sit, cum de pretio inter ementem & vendentem convenerit; Pretium cujusque rei pro tempore est. Cum bene ista laudaveris, tanti sunt, quanto pluris venire non possunt. Et l. 63. D. ad L. Falcidiam. Pretiarum non ex affectu nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur, i. e. tanti sunt, quanti omnibus valerent. Conf. l. 33. D. ad L. Aquiliam. Huc etiam facit locus Aristotelis Nicom. IX. 1. Quibusdam in locis leges sunt, ne de voluntariis commerciiis judicia fiant; eo quod oporteat cum eo, qui credidit, ita dissolvere, quemadmodum societatem iniit. Iustus enim esse putat, ut cui permissum est, is statuatur, quam qui permisit. Nam plerumque non æqui æstimant qui habent, & qui habere volunt: sua enim singulis, & qua dant digna multo pretio videntur. Sed retributio tamen tanta fit, quantam statuerunt illi, qui acceperunt. Oportet autem fortasse non tanti æstimare, quanti apparet alicui, cum habet; sed quanti æstimabat, antequam haberet. Cæterum propter dictam latitudinem tres quasi gradus communis pretii vulgo faciunt; infimum seu piuum, mediocre seu moderatum, & summum seu rigorosum. Intra quam latitudinem si subsistatur, carius aut vilius res aliqua emi vendique potest. Quanta autem sit illa latitudo, ita accurate in universum definiti non potest. Neque quidquam expeditius dixeris, quam illud esse justum pretium, quod communiter solent dare illi, qui & mercium & fori sunt satis gnari. Quo referre possis illud Varronis de ling. Latina l. 4. pretium est, quod æstimationis emtionisque causâ constituitur: dictum à peritis, quod hisolum possunt facere recte id. Quamvis eam derivationem Salmasius de usuris irrideat.

§. 10. Cæterum in communi illo pretio definiendo solet haberi ratio laborum & expensarum, quas mercatores faciunt in mercibus adportandis & tractandis. Nam hoc præcipuum est fundamentum, quare mercator carius possit merces vendere, quam emerat. Intelligendi autem sunt isti sumtus de his duntaxat, qui communiter solent fieri: casus extraordinarii huc nihil facere judicantur. Unde non audietur mercator, si ideo majoris velit æstimare suas merces, quod dum illas advehit, ipse crus fregerit, aut gravi morbo conflictatus sit; aut quod partem earum naufragio, aut furtis amiserit; nisi simul hoc casu raritas mercium provenerit. Multo minus, si istas quoque impensas minoribus velit imputare, quas ipse superflue, & præter leges prudentiæ mercatoriæ fecit. Omnino autem abs mercatoribus æstimari potest, quod ipsi tempus, cogitatio-

gitationes, & curas occupant in mercibus conquirendis, servandis, aut distrahendis. Item quod famulorum operas conducere necessum habent. Et valde inhumanum foret, simulque opprimendæ hominum industria idoneum, ex negotiatione, aut quovis alio vitæ genere non plus alicui lucri velle concedere, quam quantum ad parce ac duriter tolerandas ipsius necessitates sufficit. In æstimationem quoque venire potest difficultas, longitudo, ac periculositas itineris; item diversus pecuniæ & mercium valor in diversis locis. Præterea solet variari communis valor ex modo emendi aut vendendi. Qui enim vendunt merces minutatim, seu per mensuras minutiores, largiusculum possunt exigere pretium, quam qui magna in copia easdem simul distrahunt. Nam istis major molestia adhibetur; & lucrosius est simul ingentes pecuniæ summas accipere, quam minutatim modicas summas colligere. Sed & constat, quam subitas & frequentes mutationes forum recipiat ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ, & mercium. Nam paucitas ementium & pecuniæ, ex causa particulari emergens, & mercium abundantia pretium minuit. *Tacit. A. VI. copiam vendendi secuta vilitate.* Contra emturientium & pecuniæ copia, & mercium raritas earundem pretia intendit. *Vid. Socrates hist. Eccles. l. 3. c. 15. ab initio.* Sic quoque ad pretium minuendum facit, si venditor eas ultro rogando emtoribus offerat, seu quando merx quarit emtorem. Præsertim ubi observatur regula illa œconomica *Catonis Majoris*, quam refert *Plutarchus in ipsius vita*: *μηδὲν ἕυωνον εἶναι τῶν πικτιῶν, ἀλλ' ἔτις ἔδειται, καὶ ἀσσεῖς πιπρωσικται, πολλὴ νομιζειν.* *Nihil vilis esse pretii, quod superfluum sit; sed quo non indigeas, etiamsi vel asse veneat, carum ducere.* In proverbium quoque abiit: *merx ultro nea putet.* Ejus rei rationem hanc reddunt, quia in illo modo vendendi est raritas emturientium; quæ pretium minuit. Quo accedit, quod heicres, quæ venditur, sæpe parum sit necessaria ementi, ac talis, qualem non esset emturus, nisi hac occasione parvo emendi. Quin sæpe quis non tam in suam, quam venditoris gratiam tali in casu emit. Inde quoque est, quod in auctionibus, & quando res sub hasta veniunt, sæpe longo minoris addicantur res, quam quanti alias erant. Scilicet quia iste vendendi modus hanc legem habet, ut res addicatur plurimilicantanti. Etsi quandoque etiam fervor & æmulatio licitantium

supra commune pretium adscendat; quia & alias copia emtumentium pretium intendere solet. Denique & in commune pretium potest imputari damnum consequens, aut lucrum cessans, quod venditori per istam venditionem conciliatur; idque cum primis, quando emtor ultro se offert. Nam stultum foret rem meam alienare, nisi tali conditione, ut saltem ipse nullum inde damnum sentiam. Maxime autem potest & solet imputari illud lucrum cessans, aut crescens, quod ex pretii solutione dilata aut anticipata nascitur. Nam sane & dies est pars pretii, & plus est statim aliquid dare, quam post intervallum; quippe cum interim ex isto pretio aliud lucrum possit comparari. Vid. *Martialis* l. 6. ep. 30. Hinc *Polybius* in excerptis *Peiresciani* maximopere extollit liberalitatem Scipionis junioris, quod quam sororibus dotis nomine debebat pecuniam, annua bima trima die solvendam, statim solverit, & quidem Romæ, *qua in urbe nemo quidquam alteri sponte de suo donat, & ubi ne unum quidem talentum ante præstitutum diem quisquam solvat.* τοιαύτη τις ἐστὶ καὶ τῆδικαύτη ἔστι πάντας ἅμα μὴ ἀκρίβεια ἐστὶ τὸ διαφέρειν, ἅμα δὲ λυσίπλευρα ἐστὶ τὸ ἕξιον. tantam unusquisq; diligentiam in pecunia, utilitatem in tempore collocat. Add. *Grotius* l. 2. c. 12. §. 14. Addendum & hoc, quod Themistocles, fundum vendens, præconem indicare iusserit: *commodum ejus esse vicinum.* *Plutarch.* apoph. *Sadus Rosar.* *Persic.* 4. *Ædes, quæ tui instar,* (nequam Judæum significat,) *habent vicinum, decem drachmas argenti adulterini valent. Ast ista spe animus est erigendus, Te quondam defuncto mille drachmis eas aestimatum iri.* Ergo pretium fundi intendit bonus vicinus. Præsertim sicubi obtineat mos Spartanorum, de quo est apud *Eundem* institutis *Laconicis.* *Vicinorum servis, itemque canibus & equis, nisi domini usu eorum indigerent, uti licebat, tanquam propriis. Sed & rure, si quis aliqua re opus haberet, aperto vicini penu inde necessariis auferebat, penuque obsignatum relinquebat. Sed & rara, ac non parum ex crudelitate trahens causa augendi pretia mancipiorum refertur à *Iustino* l. XI. c. 4. *Thebanorum captivorum pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur.**

§. II. Enimvero postquam pleræque gentes à primæva simplicitate descivere, facile fuit deprehensum, solum illud vulgare pretium non sufficere expediendis negotiis hominum, & commerciis quotidie magis increbescensibus. Nam & sola permutatione commercia constabant, & ope-

& operæ aliorum aliter locari, quam mutua opera, aut re tradita non poterant. Atqui postquam tam multarum rerum indigentiam nostræ nobis cupiditates fecerunt, dum non contenti domi natis bonis, terrarum alio calentium sole deliciis inhiamus; haut sane cuivis in proclivi fuit ejusmodi res possidere, quas alter suis, à nobis desideratis, mutare veller; aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in civitatibus cultis, ubi cives variis statibus distinguuntur, complura hominum genera dari necessum est, quæ si simplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam omnino non tueri, aut ægre admodum queant. Sicuti constat, ab operosiore vitæ cultu alienas esse gentes, quæ numi usum ignorant. Vid. *Auger. Busbequius epist. 3.* ubi de Colchorum moribus agit, add. l. 1. *princ. D. de contrah. emtione.* Inde suaviter somniat *Maximus Tyrius dissert. 36.* quando ait: *Accibos quidem potumque & amictum, reliquaque corpori necessaria homines aris inter se ferrique commutatione comparant; & quæ majora habentur, auro argentoque. Vitio quidem illorum: sine ullo enim metallorum usu gratis inter se communicare poterant, mensura omnium æquissima: ut is, qui re aliqua egeat, quo necessitati sua consulat, rem à possidente mutuetur: is, qui eadem abundet, ea lege dimittat, ut ab eo vicissim expectet, quæ reddi sine reprehensione possunt.*

§. 12. Hinc visum fuit plerisque gentibus, quæis amplior vitæ cultura arridebat, conventionem quadam pretium aliquod *eminens* certæ rei imponere, ad quod cæterarum rerum pretia vulgaria mensurarentur, & in quo eadem eminenter continerentur. Adeo ut interveniente illa quis quamlibet rem venalem sibi comparare, & quævis commercia atque contractus commode posset exercere. Quam in rem ita differit *Aristoteles Nicom. V. c. 8.* cum indigentia induxisset rerum permutacionem, præsentem quidem indigentiam utcunque simplici rerum permutacione potuisse expleri. Sed quia ignoramus, quid & quantum in futurum simus desideraturi; igitur ut certi esse in antecessum possemus, nobis deinceps quoque facultatem fore res, quibus opus sit futurum, comparandi, νόμισμα seu numum fuisse introductum; qui est quasi ἰσχυτῆς, sponsor seu fidejussor, cuique adeo hominum conventionem ea vis imposita, ut ubi quis eum adferret, pro eodem quavis venalia posset accipere. (Ὅτι ἐκ τῆς μελλούσης ἀλλαγῆς, εἰ ἴδῃ μηδὲ δέεται, ὅτι ἔσται, ἰάν δὲ οὐδὲν τὸ νόμισμα διοῖ ἰσχυτῆς ἐστὶν ἡμῖν. δὲ γὰρ τὸ τοῦ φέροντι εἶναι λαβεῖν.) Hinc *Idem Nicom.*

Nicom. IX. I. πεπερεια κοινὸν μέτρον τὸ νόμισμα. πρὸς τὸτο δὲ πάντα ἰσθέρηται, ἔ τὸτω μετρεῖται. *Communis mensura numus comparatus est, ad quem omnia referuntur, quoque mensurantur omnia.* Idem Polit. l. c. 6. (9.) *Cum à remotioribus quareretur auxilium, importando illa quibus indigebant, & ex or' indo illa quibus abundabant, necessario numi introductus est usus. Non enim faciliter deferri possunt singula ad vitam necessaria. Quare ad permutationes faciendas tale quid composuerunt inter se dare & accipere, quod utilium quidpiam existens, haberet usum commutandi facilem ad vitam: ceu ferrum, & argentum, & si quid aliud tale, primo simpliciter definitum quantitate & pondere, post modum vero etiam signo impressum, quo à mensura liberi essent. Nam signum positum est ad quantitatem demonstrandam.* Idem Nicom. V. c. 8. *Omnia εα, quorum est permutatio, comparabilia esse quodam modo debent, ob quod numus in usum venit, qui quodam modo medium (μέτρον) efficitur; metitur enim omnia. Indigentia loco ex pacto quasi substituitur numus; unde etiam νόμισμα adpellatur, eo quod non natura, sed νόμος, id est, instituto & lege constet; in nobisque sit eum mutare atque inutilem reddere. Pretio cuncta aestimata esse oportet, ita enim semper erit permutatio: at sic a fuerit, societ. is (κοινωνία) quoque sit necesse. Numus igitur, utpote medium, commensurabiles inter se efficit res, atq. ita adæquat. Neque enim ulli esse societ. is potest, nisi sit permutatio; neque permutatio, nisi sit æqualitas; neque æqualit. is, nisi etiam commensuratio sit. Huc quoque facit locus Eiusdem magnorum Moral. l. 1. c. 34. Quoniam adificator suo opere plura meretur, quameo quod sutor prestat; difficile quoque er. at, ut adificator cum sutore faceret permutationem: neque enim pro calceis par fuerit domum capere. Hinc jam instituerunt, quo hæc omnia venalia sint, argento uti, quod nomisma vocant: ut pro aestimatione & pretio cuiuslibet fiat inter ipsos invicem contrahentes permutatio, quæ civilem communicationem contineat. Idem Rhetor. l. 2. c. 16. Ὁ πλῆτ' οἷον τιμὴ τίς ἐστὶ τῆς ἀξίας τῶν ἄλλων. διὸ φαίνονται πάντα ὄνια εἶναι ἄπλη. Pecunia est quasi aestimatio valoris aliarum rerum. Unde omnia ipsi venalia videantur.*

§. 13. Porro cum in finem plerisque gentibus commodissimum fuit visum adhibere metalla nobiliora, & non ita frequentia, puta aurum, (cui quare princeps tribuatur locus, docet Plinius N. H. l. 33. c. 3. circa finem;) argentum, & æs. Nam uti nemo fideiussorem accipit, nisi virum spectatæ fidei, & locupletem, in vili autem homine parum cautionis putatur: ita pro re ubique occurrente, puta, pro manipulo terræ aut arenæ,

arenæ, nemo rem suam erat permutaturus, quæ ipsi magno labore aut industria fuerat comparata. Ergo numum constare oportebat ex materia, quæ & ad custodiam esset habilis, & in quam propter raritatem multarum rerum pretia velut constipari possent. Adde, quod substantiam habeant valde compactam metalla, sicut usu non facile deterantur, & in minutas comminui particulas idonea sint. Quod utrumque ad rem, in commerciis hominum communis mensuræ vicem obituram, valde opportunum est. Cum tamen istud munus pecuniæ competat non ex necessitate aliqua naturæ, sed ex hominum impositione & conventionem (add. *Philostratus in vita Apollonii Thyanaei* l. 2. c. 3.) alias quoque materias per necessitatem aut ulro posse adhiberi, & quandoque adhibitas constat. Sic corium, charta, aut simile quid, certo signo impressum, numi vicem non semel subiit in magnis necessitatibus; quæ tamen hisce depulsis ordinariis numis iterum permutata sunt. Vid. *Polyanus strateg.* l. 3. de Timotheo & Demetrio. *Seneca de beneficiis* l. V. c. 14. *in fine*. Sic loco pecuniæ certo genere conchularum maritimarum utuntur incolæ regni Congo, & Tombutto in Africa, (teste *Leone Africano* lib. 7.) & multi populi Americæ septentrionalis; certo genere granorum alborum & nigrorum Apalachitæ, populus Floridæ, de quo vid. *Rochefort. descript. Antillarum part.* 2. c. 8. n. 8. Incolas provinciæ Caniclu massulis salis loco monetæ minutæ uti, refert M. *Paulus Venetus* l. 2. c. 38. Idem in regno Abyssinorum fit, teste *Franc. Alvarez.* c. 46. Quanquam ejusmodi res ad minuta duntaxat commercia expedienda idoneæ sint. Sic in regno Siam grandior moneta est ex argento puro, ac minoris monetæ loco utuntur certo genere conchularum. Vid. *lod. Schouten in descript. regni Siam.* Add. *Polydorus Virgil. de inventor. rer.* l. 2. c. 20. *Alexand. Neapolit.* l. 4. c. 15. *Budaus ad l. 1. D. de contrab. emtione.* Ubi & hoc obiter monendum, Congenses inter metalla præstantissimum judicasse ferrum; aurum, & argentum vilius duxisse: quod hæc exiguo sint usui, ex illo autem utilissima ad vitæ culturam instrumenta fieri queant. Apud Æthiopes quoque omnium rarissimum & pretiosissimum fuisse æs, refert *Herodotus Thaliam*. Et sane si usum pecuniæ removeas, facilius genus humanum auro & argento, quam ferro caruerit. Sic *Garcilassus comment. regii* l. 1. II. memorat: Peruvianos in magna felicitatis parte habuisse, quod Europæi ferrea instrumenta ipsis attulissent; ac unus exprimoribus ejus gentis non poterat

forfices, per Hispanos importatas, satis admirari, dicens: si Hispani nihil aliud fecissent, quam ut novaculas, forfices, pectines, & specula ipsis attulerint, hoc sufficere posse ad se obligandos, ut istis vicissim omne suum aurum & argentum ultro traderent. Nam antea capillos sibi cultris, è silice factis, secabant; non sine ingenti dolore. Idem aurum, argentum & gemmas regibus offerebant, tanquam dona, non tanquam tributum. Id. ibid. l. V. c. 7. Add. *Tb. Mori Utopia* l. 2. Sed & in certa Arabia regione æs ac ferrum aequali pondere auri permutatum fuisse, quod hoc metalli genere incolæ abundarint, illo caruerint; refert *Diodorus Siculus* l. 3. c. 45. add. *Strabo* l. XVI. Apud *Lucianum in Charonte* eo nomine ferrum auro pretiosius asseritur, quod hoc per illud defendatur. Et *Plinius* N. H. l. 34. c. 14. Cæterum metalla quondam adpendi moris erat. Vid. *Plinius* l. 33. c. 3. Unde etiam adhuc multas apud gentes vocabula ponderum in re numaria deprehenduntur. Sed cum hic modus incommodior videretur, inde passim receptum, ut cujusque reip. principes certæ quantitatis numos, publica nota insignitos, cuderent, ex qua eorum valor constaret. Et exinde *concisum argentum in titulos faciesque minutus*. *Juvenalis sat.* 14. Ubi & obiter notandum, quod de Alexandro Severo tradit *Lampridius*. *Formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi precepit, neque in usu cuiusquam versari, atque ex eo his materiae nomen inditum est; cum diceret, plus largiendi hanc Imperatori esse causam, si cum multis solidos minores dare possit, dans decem vel amplius una forma, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur.*

§. 14. Quanquam autem valor auri argenti que ac numorum ex impositione & conventionione hominum dependeat: penes rectores tamen civitatum non adeo vaga est istum valorem determinandi licentia, quin ad certas considerationes respicere debeant. Et primo quidem apud omnes, quas novimus, gentes jam receptum, ut æs ab argento, & hoc ab auro nobilitate vinceretur; utque argentum ad aurum certam proportionem haberet. Apud *Platonem in Hipparcho* est: *εάν τις χρυσίου σταθμὸν ἡμισυ ἀναλώσας, διπλάσιον λάβῃ ἀργύριον, ἢ τι δωδεκάσις διδάσιον αὐτῷ κερδίσεται τὸ χρυσίον.* *Si quis dimidiam auri libram erogans, duplum reportet argenti, pro duodecuplo duplum solummodo capit.* In fœdere Romanorum cum Ætolis concessum est hisce, ut pro decem minis argenti, unam auri darent,

rent, apud *Polybium excerpt. legat. 28. c. 5.* Add. *Bodinus de republ. l. VI. c. 3. p. m. 1071. seqq.* Deinde pecunia est instituta non solum ad commodius expedienda commercia inter cives, sed & inter hos atque externos. Igitur rector civitatis, si numis suis enorme pretium posuerit, eos ad commercia suorum civium cum exteris reddet inutiles. Nam circa cives invicem locum habet illud *Arriani Epict. l. 3. c. 3. Caesaris numum nec argentario, nec hortulano adprobare licet, sed ostenso eo, sive nolit, sive velit, mercem suam tradere necesse est.* Ubi vero in numis metalli quantitatem & bonitatem rite non temperat, saltem ut exterorum, quibuscum nobis commercium, moneta non sint inferiores, commercia civium cum exteris valde sufflamabit, non nisi permutatione mercium iisdem relicta. Per quam solam commercia haut quidquam sustinebuntur, nisi tantundem, aut plus à nobis exportetur, quam importetur, & illi ipsi, quorum mercibus non indigemus, nostris vicissim indigeant. Vid. quoque *Polybius l. VI. c. 47. in fine.* Et quia, ubi à bonis immobilibus fuit discessum, præcipuum census fundamentum consistit in pecunia: adparet hunc valde subrui, si numis, saltem grandioribus, tantum ex ignobiliori metallo admisceatur, ut suam tenuitatem ipsi erubescere cogantur. Inde quod apud *Polybium l. VI. refert de Leucone, ipsum pecunia indigentem jussisse cives omnes suos conferre numos, ut alia excusi forma valerent; inde iisdem signum impressisse, dupliciq; pretio valere unumquemque numum jussisse, & sic ipsum dimidiam partem lucratum citra civium injuriam: id per necessitatē quidem excusari poterit, eadem depulsa emendandum.* Add. *Bodinus de rep. l. VI. c. 3. Gregorius Tholosanus syntagm. jur. universi l. 36. c. 2.* Ast nullo colore admittit, quod *Zonaras* & alii de Nicephoro Phoca memorant, qui leviozem monetam præter ordinariam graviorem cudit, & quæ arario inferenda erant, in graviore moneta exegit; ipse autem solutionem in leviori fecit. Add. *Io Mariana hist. Hispan. l. 15. c. 9.* Etsi nonnulli legislatorum hac ratione avaritiam, luxuriam, & alia vitia exterminatum iverint, introducta vili moneta. Apud *Plutarchum Lycurgus Sparta monetam omnem auream & argenteam antiquavit, soli ferro auctoritatem tribuit: ejusque magno ponderi & moli exiguum assignavit pretium, ut occuparet decem minarum summa amplum in adibus armarium, & plaustrum duorum boum ad vehendum.* Hoc corollario multa scelerum forma Lacedamone sunt ejecta. Nam quis furari,

quis venalis muneribus esse, quis defraudare aut rapere sustineret id, quod non posset regi, cujus nemo possessione esset beator, sed nec conflatum ullum usum praestaret? Verum aceto (ut dicitur) candentis aciem ferri restringens, alium ejus usum refecit, reddiditque enervatum & inhabile. Eadem opera extinctæ artes vanæ, cum nullam ibi lucrandi invenirent occasionem. Et cum pecunia ferrea in reliqua Græcia contemneretur, inde nihil exoticarum deliciarum poterat importari. Quo ipso nervi luxuriæ succidebantur. Add. *Idem in Lysandro*, qui aurum & argentum iterum Spartam, & cum eo avaritiam invexit. Sed & apud alios homines ex usu pecuniæ avaritiam crevisse constat. Quamdiu enim opes tantum consistebant in frumento, pecore, & similibus, infinitum quærendi studium tandem listebatur mole istarum rerum, & difficultate tractandi atque custodiendi, & quod facile corrumpentur. Sed nunc, moneta aurea & argentea inventa, etiam milliones complecti avaritiæ facile est. Sic *Plato* quoque *de Legibus* l. V. ut in sua civitate cives à nimio quaestu avocet, vetat, ne quis privatus aurum aut argentum habeat: ut pecunia, qua cives invicem utuntur, à ceteris gentibus non aestimetur, sed apud ipsos solos valeat: ut civitas tamen numos possideat Græci communes, si quando bella gerenda, peregrinandum, aut legati mittendi: ut peregrinantes, quos peregrinos numos domum reportant, cum civitatis numis commutent, & civitati restituant, &c. Memorat quoque *M. Paulus Venetus* l. 2. c. 21. Magnum Cham in urbe Cambalu immensam vim pecuniæ cudisse ex corticibus arboris mori, impresso signo regio, quam nulli in suo regno sub capitis pœna licuerit recusare, aut aliam cudere, vel expendere. Exteros quoque in eo regno negotiaturos pro auro & argento, margaritisque & gemmis, quas adportarent, id genus monetæ sibi commutasse, ac iterum discessuros iisdem numis merces coëmitte, easque exportasse. Quo pacto illum principem immensam vim auri argentique cumulasse. Perlis moneta coriacea, quam quidam iniquus Rex civibus obtruserat, vocata fuit *Schebreva* q. d. *monetam regis arbitrio subditis obtrusam*. Hinc quoque illa remansit moneta istius memoria, ut cum regis alicujus iniquitatem notare volunt, cum coriaceam monetam subditis obtrudere dicant. *G. Gentius ad Sadi Rosarium Persicum* c. 3. Add. *Buchananus hist. Scotica* l. 12. p. m. 450. Ex adverso summo opere commendandum Senatûs Veneti in subditos studium. Cum enim immensa vis minoris monetæ adulteratæ irrepsisset, nec alia ratio-

neea

ne ea lues expurgari posset, SCto demum cautum fuit, ut certo præstituto tempore qui ad ærarium deferrent, tantundem pretii argento vel auro reciperent; quæ in rem ex ærario erogata sunt supra quingenta aureorum millia. *Andr. Maurocenus hist. Venet. l. 14. p. 641.* Obiter quoq; addendum, quod refert *Plinius N. H. l. 6. c. 22. Regem Taprobanes Romanorum justitiam vel maxime suspexisse, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversa imagines indicarent à pluribus factos.* Conf. *Solinus c. 66.*

§. 15. Cum autem numus sit mensura pretii aliarum rerum, facile patet, in valore numerorum non debere fieri mutationem, nisi summa recip. utilitas id suaferit; quæ tamen mutatio quo modestior fuerit, eo minus rationes civium perturbabit. Inde *Paulus in l. 1. D. de contrab. emt.* ad promovenda commercia dicit materiam electam, cujus publica & perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Add. *Mornacius add. l. 1.* Est nihilominus observandum circa perpetuam numerorum æstimationem, quod tradit *Grotius d. l. §. 17. pecuniam naturaliter functionem recipere non in materia sola, neque in speciali adpellatione aut forma, sed in genere magis communi, qua scilicet comparatur ad res aut omnes aut maxime necessarias.* Cujus loci sensus hic est: quod certus numus heic & nunc tantum valeat, certæque rei æquipolleat; (nam hæc est functio pecuniæ, ut non solum unus numus subire possit vicem numi alterius, ejusdem qualitatis & quantitatis, id quod aliæ quoq; res, quæ fungibiles vocantur, obtinent, sed ut etiam aliarum rerum pretia eminenter contineat) id non est ex sola materia, puta, quod sit aureus vel argenteus, neque ex speciali adpellatione, aut forma, puta, quod vocetur ducatus, coronatus, thalerus, florenus: aut quod certa imagine sit insignitus: (in *l. 1. D. de contrab. emt. pecunia usum præbet non tam ex substantia quam quantitate*, item *l. 94. §. 1. D. de solution. in pecunia non corpora cogitantur, sed quantitas*;) sed resultat illud ex comparatione ejusdem quoad raritatem & copiam cum aliis rebus, & imprimis illis, quæ ad vitam maxime necessariæ sunt. Tales autem sunt præcipue fundi, quippe cum ex hisce mediate aut immediate proveniant pleraque, queis mortalium vita sustinetur. Quorum & proventus cum sint satis æquabiles, unius anni sterilitatem alterius ubertate pensante, pretium naturale intelliguntur habere admodum stabile; ad quod fere pretia reliquarum rerum, saltem quibus luxuria aut stultitia hominum pretium non dedit, referuntur.

Nam ut pretia rerum, quæ ex fundis proveniunt, aut aluntur, ad ipsorum fundorum pretia in universum intendantur aut minuantur, conveniens utique est. Ergo cum hisce sæculis, quando jam ubique fere gentium agri in privatos sunt descripti, præcipuum fundamentum patrimoniorum sint fundi: par utique est, ut valor pecuniæ intendatur aut remittatur, prout in respectu ad fundos ista rara esse, aut copiosa deprehenditur. Nam cum in civitatibus gentium cultiorum duo potissimum sint genera hominum, unum quod excolendæ terræ, alterum quod variam per industriam vitæ commoditatibus promovendis sese applicat; siquidem in magna pecuniæ abundantia modicum esset pretium fundis, & inde dependentibus rebus, terræ cultores pessumdari necessum foret: sin pecunia rara ingens fundis pretium, alteri hominum generi egestate laborandum. Id quod contingere videmus, quando insignis annonæ proventus, & inde vilitas existit, opificum autem & reliquorum, quos sua industria alit, opera in eo permanent pretio, quod annis minus fertilibus in usu fuit. Tunc enim agricolas fundorum suorum exuberans proventus parum juvare deprehenditur. Atque idem incommodum premit opifices, quando in annonæ caritate ipsorum opera antiquum retinent pretium. Cum ergo mediocribus annis opificum & agricolarum commercia optime invicem comparata videantur, ac minimum querelarum inter eosdem audiatur; manifestum est, in assignando numis pretio ad fundos potissimum respiciendum; præsertim ubi regio aliqua non sola mercatura & navigatione, sed domesticis præcipue copiis subsistit.

§. 16. Ex quibus adparet, an æquum sit, v. g. fundum, qui ante ducentos & amplius annos fuit taxatus C. aureis, hodie quoque non pluris taxari, cæteris paribus? An quæ salaria ante totidem annos lauta facta fuerunt, hodie non sint justo tenuiora? Neic non sufficit reposuisse, modernos aureos pondere & metalli qualitate antiquis usque pares, idemque nomen & eandem figuram gerere. Sed & illud quam maxime est considerandum, per bina jam fere sæcula tantam vim auri atque argenti ex Africa, & Indiis in Europam invectam, ipsas quoque Europæ mineras tam ubertim argentum fudisse, ut paulatim numorum valor insigniter decreverit. Sic ut *Bodinus de rep.* l. VI. c. 2. p. m. 1028. tradat: pretiarum nunc decuplo majora esse, quam olim fuerint, propter auri argen-
tisque

tique copiam. Ergo ad eandem proportionem, cæteris paribus, & pretia antiqua fundorum, & salaria fuerint augenda. Add. quoque *Valer. Max.* l. 4. c. 3. §. 12. Nam ponamus, in aliquæ regione commercia tantum simplici permutatione peragi, in qua parum vini, multum autem frumenti proveniat; heic sane pro exigua vini portione multum frumenti quis accipiet. Sed si contingat, excultis ibidem vineis, vinum largius provenire, sine dubio plus vini pro eadem frumenti quantitate erit dandum, quam olim. Eodem modo, quando in universum pecuniæ raritas est in comparatione cæterarum rerum, multæ utique res pro exigua pecuniæ summa erunt danda. Gliscente contra pecunia pro iisdem rebus plus pecuniæ fuerit solvendum. Nam materia pecuniæ, cum æque ac alia merces secundum pretium vulgare in commercium venire possit & solcat, utique ejusdem pretii intensiorem & remissionem pro raritate aut abundantia recipiet. Atqui pretium vulgari metallorum necessario numorum pretium eminens sequitur; cum inconueniens sit, eandem quantitatem v. g. argenti longe dispar habere pretium apud eosdem, si consideretur ut merx, quam ubi numi vicem subit; adeoque eandem rem in mensuram sui adhibitam, seipsam superare, prout consideratur tanquam mensuratum. Quæ ratio quoque est, quare cum reliquarum pretia rerum fere omnia ab antiquo valore discesserint ob pecuniæ copiam; auro tamen atque argento idem quod olim pretium remansit, dum v. g. uncia argenti æque hodie, atque olim numo imperiali æstimatur. Nam si rudis quoque argenti pretium, uti aliarum rerum, foret v. g. quadruplicatum, pro una uncia rudis argenti quatuor imperiales forent dandi. Qua ratione parum credo lucri ex cudenda moneta proveniret. Igitur accurate est distinguendum, quando pretium unius & ejusdem rei mutatum dicitur, utrum proprie valor rei, an valor pecuniæ sit mutatus. Prius enim contingit, quando persistente eadem pecuniæ copia, ipsa res abundantius aut parcius solito incipit existere: posterius autem, quando persistente solito rerum proventu, pecunia universaliter crescit, aut minuitur. Hinc v. g. quod in ubertate annonæ modium tritici possim emere uno imperiali, in ejusdem raritate non nisi tribus, causa est, quod pretium tritici fuit mutatum, non pecunia. At quando fundus jam ducentos valet, qui ante seculum centum valebat, proprie non valor fundi, sed pecuniæ variatus est.

De Au-

De Augusto Suetonius 42. *Inveſta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam numaria rei effecit, ut ſenore deminuto plurimum (duplum dicit Oroſius) agrorum pretiis acceſſerit.* Add. *Ioſephus de bello Iudaico l. VI. c. 32. Franc. Lopez de Gomara hiſt. gen. Ind. c. 117.* Non eo minus tamen pecunia menſuræ vicem ſubire poteſt, quæ alias inſtabile quid eſſe non debet. Nam iſta mutatio in pecunia non eſt ita repentina, & quaſi præceps, uti aliarum rerum, quas incerta tempeſtatum, aut fortuita caſuum ſæpe enormiter afficiunt. Sed tacitis velut momentis ejus pretium minuitur, ita ut non decreſcere idem, ſed longo poſt tempore decreviſſe ſentiamus. Add. *Jac. Godofredi diſſert. de mutatione & augmento moneta aurea.*

CAPUT II

DE CONTRACTIBUS, QUI PRETIA RERUM
PRÆSUPPONUNT, IN GENERE.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Differentia inter pacta & contractus, juxta Hobbeſium:</i> | 5. <i>Contractus dividuntur in μονομελῆς & διπλευρῆς:</i> |
| 2. <i>Juxta Interpretes juris Romani;</i> | 6. <i>Reales, conſenſuales, verbales, literales;</i> |
| 3. <i>Circa quorum heic tradita aliquid monetur.</i> | 7. <i>Nominatos & innominatos: (rales;</i> |
| 4. <i>Noſtra circa id diſcrimen ſententia.</i> | 8. <i>Beneficos & oneroſos.</i> |
| | 9. <i>Enumeratio contractuum oneroſorum.</i> |
| | 19. <i>Contractus mixti. (rum.</i> |

Conſequens eſt, ut videamus de contractibus, qui ſine dominio rerum, earundemque pretio non intelliguntur. Ubi ab initio inquirendum in diſcrimen, quod eſſe putatur inter pacta ſimplicia, & contractus. *Hobbeſio de cive c. 2. §. 9. contractus vocatur actio duorum aut plurium mutuo ſua jura transferentium.* Sed cum in omni contractu vel uterque ſtatim præſtet id, de quo eſt conventum, ita ut alter alteri nihil credat; vel alter præſtet, alteri credatur; vel denique neuter ſtatim præſtet, ſed uterque alteri ſidem invicem habeat: prioris claſſis contractus ſolo generis nomine contentos eſſe jubet; illos autem, ubi vel alteri, vel utrique creditur, & ubi is, cui creditur, promittit ſe præſtiturum poſtea, pactorum nomine inſignandos putat. Enimvero iſthæc diſſerentia non concernit ipſam contractuum & pactorum indolem in ſe, ſed eorundem duntaxat executionem. Et à communi uſu abhorret, illam quidem v. g. emtionem, quæ Græca fide

fide peragitur, contractum; hanc autem, ubi in præsens quidem merx præstatur, pretium autem deinceps solvendum promittitur, pactum vocare.

§. 2. Interpretes juris Romani in hoc fere consentiunt, quod *pactum* generis locum adsignent, illudque in universum definiant consensum, vel conventionem duorum pluriumve in idem placitum. Dein pactum dividunt in *pactum specialiter sic dictum, & contractum*. Illud ipsis est *duorum pluriumve in idem placitum conventio, destituta & nomine & causa*; seu quod eodem putant recidere, *destituta vi intrinseca civiliter obligandi*. Idque iterum dividunt in *nudum, & non nudum*: quod posterius iterum subdividitur in *legitimum, & adjectum*. Ubi obiter monendum, cordatiores recte abstinere a vocabulo *pactorum vestitorum*. Non enim quia dicitur, v. g. ex nuda gratia, ex nuda benevolentia, etiam dicendum fuerit, ex gratia vestita. Uterius tradunt: conventiones excedere terminos nudi pacti vel secundum intrinsecam suam naturam; vel propter externam legis civilis confirmationem, seu extrinsecam ejus adstantiam; qua subnixæ conventiones dicantur specialiter pacta legitima. Intrinsecam porro illam naturam ex duplici ratione provenire. Quosdam quippe generali nomine conventionum non stare, sed transire in proprium nomen contractus. Quibusdam autem, etsi nomine proprio, & peculiari forma destitutis, subesse tamen causam, i. e. promissi implementum, seu dationem rei, vel facti præstationem. Et hos proprie vocari contractus; qui suapte vi obligationem efficacem producant, & ex quibus actionem dari justum & æquum visum sit. Addunt tamen, nudis pactis accedere vim producendi actionem per stipulationem; & pacta, quæ contractibus bonæ fidei adjiciuntur, de vi & natura contractuum participare.

§. 3. Enimvero cum productio actionis in foro civili sit pactis extrinseca, nostrum autem sit, quam ex sua natura eadem vim habent explicare, igitur eam divisionem ita presse sequi nobis heic non licet. Nam quod jus civile actionem in foro civili possit denegare etiam conventionibus cum causa, manifestum est. Sic enim *Strabon. l. 15. Inde nec commissi, nec depositi jura ulla habent, nec testibus indigent, nec sigillis, sed simpliciter credunt*. Et *Seneca de benefic. l. 3. c. 15. optat, ex credito nullam dari actionem, sed id sola fide stare*. Circa illud autem, quod jus Romanum tradit, *ex nudis pactis non dari actionem*, distinguendum est inter pacta affir-

• **mativa, & negativa.** Pactorum negativorum seu quibus convenitur de non petendo, in jure naturæ æque, ac civili, hæc est vis, ut non actionem, sed exceptionem duntaxat producant. Cum enim hæc tantum profint reo, ne quid ab ipso per alterum queat exigere; alium utique usum producere nequeunt, quam ut petitionem actoris repellant, i. e. ut exceptioni inserviant. Pactis autem nudis affirmativis in se hautquam vis pariendi obligationem deest; vid. *supra* l. 3. c. 5. §. 9. 10. 11. Verum his ideo potissimum vim actionis producendæ detraxerunt leges Romanae, ut vastam litium segetem in herba opprimerent. Præsertim cum judicarent, quædam ex animo parum considerato fuisse profecta; (alias enim facile erat solennia stipulationum adhibere) quædam autem nullius esse usus, utpote quæ destituantur causa, i. e. negotio, quod alteri commodum aliquod afferret. Eam enim significationem esse vocabuli *causa*, quod heic JCtis familiare est, patet ex *Plauti Asinaria act. 3. sc. 1. Solo ego in castris, Vbi quiesco, omnis familia causa consistit*, i. e. omne emolumentum, quod ex familia capis. Sic si quidam paciscantur, v. g. ne intra certum tempus manus lavent, aut caput peccant, indulgium vè mutent, (quod dissolutos quosdam fecisse percepimus,) quid opus est tali conventionione violata prætorem fatigari? Quamquam & naturali jure ejusmodi pactis parum sanctitatis insit.

§. 4. Nobis discrimen pactorum in specie, & contractuum ab objecto potissimum petere placet; sic ut contractus vocentur, qui versantur circa res & actiones in commercium venientes, adeoque dominia & pretia rerum præsupponunt; quæ circa alia incuntur conventiones, communi pactorum nomine censeantur. Hoc modo pacta præse dicta erunt omnes conventiones negativæ, quibus aliquid non facturos nos, aut non petituros paciscimur, quod facere vel petere poteramus. Item illæ conventiones, quæ pro objecto habent motus facultatum naturalium, quatenus isti nude tendunt ad mutuam utilitatem, aut commodum, & prout singuli per se considerantur, non autem cum aliis comparantur, aut ad eos sem æstimantur. Verbo, quando convenitur de præstanda opera non mercenaria. Et si non pauca dentur conventiones, circa res non versantes, quibus promiscue fere pactorum & contractuum nomen tribuitur: uti est illa, qua matrimonium initur.

§. 5. Contractus dividuntur in *μονοπλευρῆς unilateres*, & *διπλευρῆς bilat-*

Bilateres, & qui *media* videntur *natura*. Illi & ab initio ex uno tantum latere ad aliquid præstandum obligant, nec ex postfacto conditionem mutant; ut sunt mutuum, & stipulatio. Isti ultro citroque ad aliquid præstandum obligant, & in iis par utriusque contrahentis in obligatione constituenda est ratio; uti est emtio venditio, locatio conductio, societas. Intermediū generis sunt, commodatum, depositum, pignus. Hi natura comparati sunt ad unum duntaxat obligandum, cum nempe, qui accepit, uti ostendit finis principalis contrahentium; neque ab initio dantem similiter obligant. Fit tamen heic sæpe ex postfacto & accidenti, ut ille quoque, qui dedit, accipienti obligetur; puta, si accipiens in rem acceptam necessarias impensas fecerit, aut per rem illam damnum passus sit, quod domino possit imputari. Ubi impensas refundi, damnumque sarciri æquum fuerit.

§. 6. Familiaris quoque Jctis Romanis est divisio contractuum in *reales*, *consensuales*, *literales*, & *verbales*. *Reales* dicuntur, non ideo quia circa rem aliquam versantur, (cum & reliqui contractus id faciant;) sed quia, ut peti queat id, ex quo isti denominationem sunt sortiti, necessum est traditionem rei antecessisse. Vid. l. 17. D. *de pactis*. Sic, ut ex mutuo obligatus intelligar, necesse est, me rem fungibilem accepisse. Add. *Valerius Maximus* lib. 8. c. 2. §. 2. Sic depositum, & commodatum nemo me potest reposcere, antequam rem mihi tradiderit. Aliud autem est contractus mutui; aliud, pactum aut promissum de mutuo danda in posterum re fungibili. Aliud est commodatum, aut depositum; aliud promissum de commodando, aut recipiendo rem deponendam. *Consensuales* dicuntur, non quod reliqui contractus citra consensum perficiantur; sed quia statim obligationem dandi aut præstandi generant, quando utraq; pars consensum idoneis signis indicavit, neque necessum est, rem prius esse traditam, aut operam præstitam. Contractus *verbalis* seu stipulatio, quatenus certis & solennibus interrogandi ac respondendi formalis constat, juri naturæ est ignotus. Nec minus eidem juri adversatur, aliquem, qui rem non accepit, ex sola scriptura æque obligari, ac si eam rem accepisset. Juris tamen Romani heic ratio clara est. Cum enim judex non possit cognoscere de crediti veritate, nisi ex instrumentis, & aliis probationibus; igitur quando literæ extant, creditum fatentes, non potest non is pro ejusdem crediti veritate

præsumere, donec contrarium fuerit probatum. Et si hoc omnes contractus commune habeant, ut scriptura illis possit adhiberi. Id quod tamen fit duplici modo. Vel enim contractus in scripto fit, seu consensus omnino scripto declaratur; quo casu contractus demum perfectus fit, quando scriptura omnibus numeris fuerit perfecta. Quod in contractibus potissimum consensualibus, & quæ his similia sunt, pactis obtinet. Vel etiam scriptura est tantum monumentum contractus jam perfecti. Quorum posterius in dubio præsumitur. Vid. *Grot.* l. 2. c. 16. §. 10.

§. 7. Eorundem est divisio contractuum in *nominatos*, & *innominatos*. In priori classe censentur, qui ob usum frequentiore proprio & speciale nomen erant nati, & tale, quod ipsius negotii formam, & summam exprimeret, seu quo prolato statim intelligeretur, quid actum esset. (Nam etsi permutatio, quæ inter contractus innominatos rejicitur, nomine non videatur destitui; tamen id nomen est commune, & eo expressio non statim intelligitur, an contractus de ut des, an emptio venditio, aut similis contractus sit celebratus.) Quæ de causâ etiam in foro Romano certæ & perpetuæ de illis erant prodita actionum formulæ; cum in cæteris contractibus minus frequentibus hoc tantum inesset, quod expressè dictum erat: ac proinde non communis aliqua & usitata, sed accommodata ad ipsum factum datur formula. Unde quas illi producebant actiones *prescriptis verbis* nuncupabantur. Vid. *Grotius* lib. 2. c. 12. §. 3.

§. 8. Nostro proposito cum primis congruit distinctio contractuum in *beneficos*, & *onerosos*. Quorum illi alteri contractuum parti gratis commodum quodpiam asserunt; uti est commodatum, mandatum, depositum. Hi autem utramque partem ad æquale onus adstringunt. Hic enim eo sine præstatur, aut datur aliquid, ut tantumdem recipiatur. Huic distinctioni videtur inniti altera illa, qua alii contractus dicuntur *bonæ fidei*, alii *stricti juris*. Cujus in jure Romano hic erat effectus, ut illi quidem producerent actionem bonæ fidei; in qua judici liberior erat potestas ex æquo & bono rem arbitrandi & æstimandi; hi autem actionem stricti juris, ubi iudex ad certam formulam adstringebatur, à qua discedere non liceret. Ipsa tamen naturalis ratio ostendit, contractus onerosos esse bonæ fidei, seu laxiorem admittere interpretationem ex æquo & bono; ideo quod cum æqua in illis versetur obligatio, exinde neuter contra-

contrahentium gravetur. Contra autem benefici contractus stricti juris videntur, nec laxam ejusmodi interpretationem admittunt, aut ut quis ad quid amplius, quam quod expresse significavit, adstringatur; ne scilicet alicui benignitas sua nimis onerosa reddatur. Add. *Arnold. Vinnius ad §. 28. Instit. de actionibus.*

§. 9. Onerosi contractus ad quatuor hæc capita sat commodè revocantur; *do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des.* Ubi vocabulum facio ita late sumitur, ut etiam comprehendat admissionem actus alieni. *Grotius d. l. tria tantum facit capita, & omittit, do ut facias;* quod crederet, coincidere illud cum altero, facio ut des. Et sane non videtur inter duo ista reale discrimen esse, cum utrinque opera pro re, & res pro opera exhibeatur. Nisi quod in *do ut facias* contractus velut incipiat à traditione rei, quam præstatio operæ sequatur: in altero autem præstatio operæ præcedat, sequatur rei datio; adeoque in uno faciens sit velut autor contractus, in altero dans. Nam & quidam contractus *διπλευροί* hoc habent, ut licet æqualis utrinque sit obligatio, ab uno tamen velut autore contractus proficisci intelligatur. Sic regulariter contractus emtionis incipit ab emtore, locationis à conductore, &c. Ad primam porro classem pertinent illi contractus, in quibus datur res pro re; ut in permutatione pressè sic dicta. Ubi observandum discrimen sat subtile inter contractum *do ut des* generalem, & inter permutationem pressè dictam; quod nempe ille sit, quando datur incerta species pro incerta, ut aliquis bos pro aliquo mulo; aut incerta pro certa, ut aliquis equus pro hoc bove; aut certa pro incerta, ut oleum pro frumento in genere. Quando autem species certa datur pro certa, v. g. hic bos pro hoc equo, permutatio est. Vid. *Mornacius ad l. 5. D. præscriptis verbis.* Pertinet & huc ille contractus, quo datur pecunia pro pecunia, vel diversæ speciei, vel diversis in locis. Quod vocatur hodie cambium, Græce collybus. Aliquando autem datur pecunia pro pecunia, ita ut sit emtio venditio; uti *Plinius l. 33. c. 3.* memorat, quondam numum victoriatum, ex Illyrico advectum, mercis loco fuisse habitum. Quando datur res pro pecunia, dicitur emtio venditio. Datur & usus rei pro re; ut si alteri equum meum ad aliquot dies concedam, ut mihi det librum. Aut usus rei pro usu rei; ut si domum te meam patiar inhabitare, & ut agro meo tuo uti frui permittas. Aut usus rei pro pecunia; quæ proprie vo-

catur locatio conductio. Datur denique, ut interposito tempore tandem & genere idem detur in mutuo. *Alteram classis*, facio ut facias, innumeras potest habere species, prout est infinita varietas actionum, aliis hominibus utilium aut jucundarum, quæ invicem velut permutari, & hæc pro illis præstari possunt. *Ammiano Marcellino* l. XVI. c. 10. hocce genus contractus *pactum reddendæ vicissitudinis* dicitur. Apud *Apulejum* in *Apologia* est: *an ipse mutuaras operas cum vicinis tuis cambias?* Ad *tertiam classem*, do ut facias, spectat locatio conductio pro pecunia operarum aut factorum quotidianæ utilitatis. Item ille contractus, quo pro pecunia præstatur indemnitas aliis merces transvehentibus, qui vulgo dicitur *assuratio*, seu *aversio periculi*. Item si detur quæcunque res fungibilis aut non fungibilis, ut factum aliquod præstetur. Ad *quartam classem*, facio ut des, referuntur illi contractus, quibus factum quodcunque præstatur, ut ab altero detur res, aut usus rei. Et si qui sunt alii. Vid. t. t. D. *præscriptis verbis*. Potest & dari contractus, qui ad nullam harum classium referri queat, ideo quod disjunctionem complectatur; uti est contractus *æstimatorius*, de quo vid. l. 1. D. *de æstimatoria actione*. Add. *Plautus captiv.* act. 2. sc. 3. v. 18. seqq. Cui contractui vicina videtur donatio nuptialis apud *Moscovitas*, de qua ita tradit *Sigismud. Baro* in *Herberstein*. *Invitati ad nuptias munera sponsæ mittunt, quæ singula sponsus diligenter notata reponit. Finitis nuptiis deprompta rursus ordine conspicit: atque ex iis, si quæ placent, ea mittit ad forum, jubetque singula ab his, qui rebus pretia imponunt, æstimari; reliqua omnia donatoribus remittit cum gratiarum actione. Ea quæ servavit, in anni spatium juxta æstimationem pecunia, aut re æqualis valoris compensat. Si quis donum suum pluris fecerit, sponsus ad juratos æstimatores recurrit, illumque horum æstimatione stare cogit. Si sponsus post elapsum annum non satisfecerit, aut munus non restituerit, in duplum damnatur. Si donum juratis æstimandum dare neglexerit, ex arbitrio ejus, qui dedit, reponere cogitur. Atque hunc morem vulgus ipsum in omni liberalitate seu donationis genere observare solet. Idem circa xenia, quæ Persæ peregrinis offerre & dare liberaliter solent, refert *Petrus de Valle* l. in. part. 2. epist. 1. pro quibus, ni pretiosius donum reponatur, non queritur solum donator, sed & sæpe quod dedit, aut ejus pretium repetit. Habent autem hi contractus istud commune, quod ubi ex utraque parte impleti sunt, partibus*

tibus deinceps nihil, ex isto quidem capite, negotii intercedat. Quam ob causam *Grotius* d. l. vocatur *diremtorii*, & opponuntur contractibus *commutatoriis*, per quos partes aliqua communione junguntur; quorumque adeo impletio in hoc consistit, ut partibus inter se aliquid sit negotii. Uti est contractus societatis, quando duo pluresvè aut mera facta, aut meras res communicant, aut hinc facta, inde res, ad utilitatem communem. Atque hi, adjunctis beneficis, fere sunt contractus simplices.

§. 10. Sed & dantur quidam contractus mixti, & ex duobus negotiis velut compositi, v. g. si sciens rem majoris emam, & quod plus est in pretio venditori condonem; aut si sciens rem minoris vendam, & reliquum pretii emtori condonem, erit partim donatio, partim emtio venditio. Sicuti *Cæsar* Dictator *Serviliæ* amplissima prædia ex auctionibus hastæ numo addixit. *Suetonius Iulio* cap. 50. Si alicui salarium amplius constituam, quam quanti ipsius opera est, erit partim donatio, partim conductio. Id quod splendoris causâ interdum faciunt magnates, qui ex dignitate sua credunt, largius pensare operam alicujus, quam quanti revera est, contractui liberalitate admista. Add. *Matth.* XX. 9. l. 12. §. 3. *D. de administ. & peric. tutorum.* Pari modo se res habet, si pro parte duntaxat operæ meæ mercedem mihi solvi patiar, reliquum condonem. Add. *Valer. Max.* l. V. c. 2. §. 10. Si aurifabro pecuniam promittam, ut ex suo auro mihi annulos faciat, partim emtio erit, partim conductio. Ita quidem *Grotius* d. l. §. 5. Quanquam aliis ea emtio videatur; quippe cum in emtione pretium non materiæ soli, sed & artificio simul ponatur: ac parum referat, an species jam facta sit, an adhuc ab opifice conficienda. Nec potest esse locatio conductio, ubi corptis ipsum non datur ab eo, cui id conficitur. Vid. l. 20. *D. de contrab. emt.* §. 4. *Inst. de locat. conduct.* Sic & ipse contractus *emphyteuticus* mixtus videtur ex emtione venditione, & locatione conductione: etsi propriam ipsi speciem assignaverit lex *Zenonis*. Sic in contractu feudali concessio feudi est beneficium, quatenus feudum longe pluris est, quam militaris opera, quæ pro eo est præstanda: sed prout eadem opera militaris exigitur pro tutela, quam senior vasallo præstat, inde trahit aliquid ex contractu facio ut facias; & quod principale est in eo contractu pertinet ad do, ut facias. Quod si autem concessioni feudi acce-

accedat quoque onus certæ pensionis, eatenus miscetur cum emphyteu-
 si. Fœnus denique nauticum, quod communes alias usuras longe solet
 excedere, est aliquid mixtum ex contractu mutui, & averse periculi seu
 affecutionis. In societate autem, etsi contingat, ut alter pecuniam &
 operam, alter pecuniam tantum conferat, non tamen exinde mixtus fieri
 contractus videtur. Neque enim mixtio proprie ex diversis præstatio-
 nibus resultat, (v. g. si aliquem conduxero, ut & vineam fodiat, & agrum
 conferat, & hortum plantet, simplex tamen contractus locationis con-
 ductionis est;) sed inde quod una & eadem conventionem in plura negotia
 diversarum naturarum consentiatur. *Grotius* d. l. §. 6. mixtum quoque
 contractum oriri putat *ex accessione ad alium actum*, uti in fidejussione, &
 pignoris datione. Quod non satis accuratum videtur; cum ex mixtione
 proprie dicta tertia aliqua species resultet. Cautio autem cum principali
 contractu non miscetur, sed tantum cum eodem conjungitur tanquam
 extrinsecum aliquod firmamentum. Sic creditum non alteratur, acce-
 dente fidejussore & pignore; sed cavetur duntaxat creditori in eum ca-
 sum, si creditum à principali debitore exigi nequeat. In ipsa tamen fide-
 jussione accurate loquendo duo sunt contractus, qui unius tantum spe-
 ciem præ se ferunt, ideo quia eidem fidejussori cum utroque tam credito-
 re, quam debitore negotium est. Nam inter fidejussorem & credito-
 rem videtur quidem nuda duntaxat promissio intercedere: accurate ta-
 men loquendo promissio illa tantum est causa, cur hic debeat, non autem
 ob quam debet. Nam causa, ob quam debet, est principalis contractus, ex
 quo obligationem velut in subsidium per promissum in se derivavit fide-
 jussor. Adeoque promissio illa intelligitur induere naturam illius con-
 tractus, cui fidejussio accessit. Neque vero ista fidejussio in ordine ad
 creditorem habet naturam actus benefici; quippe cum hic ex fidejussore
 nihil lucretur; sed duntaxat idoneam viam nanciscatur suum obtinendi.
 In quo etsi ipsi consulatur, ob id tamen fidejussori haut quidquam creditor
 gratiam tenetur agere, sed debitor. Nam iste absque fidejussione ad con-
 trahendum non descendisset. Inter fidejussorem autem & debitorem, ubi
 solutio ab isto facta est, creditum videtur intervenire, cum fingatur, fide-
 jussorem pecuniam dedisse debitori, quam ipse deinceps creditori solvat.
 Etsi in effectu perinde sit, si fidejussori debitorem ex mandato ad restitu-
 endum id, quod solutum est, teneri dicamus. Sed neque pignoris datio
 in se

in se est actus aliquis liberalis; quippe cum per hoc alter, cui id datur, nihil lucretur, nec ob idem quidquam imputate creditori possit debitor, cum citra pignus iste huic non fuisset crediturus.

DE ÆQUALITATE IN CONTRACTIBUS ONEROSIS OBSERVANDA.

- | | |
|--|--|
| <p>1. In contractibus onerosis debet esse æqualitas.</p> <p>2. Ideo vitia rei indicanda sunt.</p> <p>3. Id quod requirit ipsa natura contractus.</p> <p>4. An quæ rem per se non contingunt indicanda?</p> <p>5. Nota utrinque vitia indicari necesse sum non est.</p> | <p>6. Ad contrahendum metu nemo adigendus.</p> <p>7. In contractibus beneficiis æqualitas locum non habet.</p> <p>8. In contractu oneroso nihil donari præsumitur. (rigenda?)</p> <p>9. In æqualitas emergens quatenus corrigitur?</p> <p>10. An circumventio in emtione naturaliter licita?</p> |
|--|--|

HAbent hoc omnes contractus onerosi, & quibus nihil benefici admixtum, qui præsertim incuntur, ubi lege aut usu fori definita rebus pretia sunt constituta, ut in illis versari debeat æqualitas, seu ut uterque tantundem nanciscatur; & ubi in æqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, jus nascatur ad postulandum, ut suppleatur, quod sibi deest. Id quod facile ex fine rebus contractuum adparet. Ideo enim isti incuntur, ut pro re vel opera mea aliquid æquipollens ab altero recipiam, quod certas ob causas possidere malo, quam rem meam retinere, aut opera mea supersedere. Quanquam nec accuratio demonstratio desit. Cum enim contractibus opus sit ad illa obtinenda, quæ ab altero jure exigere non poteram, adeoque in ipsius arbitrio sit eadem in me transferre; vel non; & vero præsupponatur, non velle aliquem gratis in me conferre, quod per contractum demum in me confert: ergo nemo censetur per contractum in alium quidquam transferre velle, quam quatenus pro re sua æquipollens recipere se judicat: & consequenter ex contractu non potest quis jus nancisci ad rem alterius, quam quantum illa ab ipso judicatur æquipollere rei, quam pro eadem accipit. Vid. *Deut. XXV.*

13. *seqq.* l. 52. §. 22. *de furtis.* l. 6. §. 1. 2. D. *de extraord. crimin.* l. 32. §. 1. D. *de falsis.*

§. 2. Porro ad isthanc æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium res ipsa, & qualitates rei, de qua contrahendum est, æque sint cognitæ. *Euripides Cyclope vers. 137. φῶς ἰμπολήμασι φρίπει. lux contractibus convenit.* *Ovidius de Arte l. 1. Consule de gemmis, de tincta murice lana, Consule de facie corporibusque diem.* Ex quo consequens est, quod is, qui per contractum rem in alterum est translaturus, indicare debeat non solum qualitates rei æstimabiles, sed & privationes earundem, sive vitia, quantum quidem ipsi constat. Citra hoc enim justum pretium liquido constitui non potest. Et huc pertinet l. 1. §. 1. D. *de act. emt. vend.* l. 43. §. 2. D. *de contrab. emt.* item totus titulus *de edilit. edicto*, ubi sigillatim recensentur vitia, quæ in jumentis & mancipiis venalibus sunt indicanda, & quæ dissimulata redhibitioni locum faciunt. Add. *Gellius* l. 4. c. 2. *Cicero Offic.* 3. *Ac de jure quidem prædiorum, inquit, sancitum est apud nos jure civili, ut his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam cum ex XII. tabulis satis esset cautum, ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui insciatus esset, dupli pœnam subiret; à Ictis etiam reticentia pœna est constituta. Quicquidem inest prædiorum vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere.* Add. exemplum, quod h. l. sequitur. *Ambrosius de Offic.* l. 3. c. 10. *In contractibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur; ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emtoris transcripserit, doli actione vacuantur.* (et si quod de doli actione dicit, ad leges Romanas non satis quadret.) *Lactantius* l. V. c. 17. *Qui vendentis errorem non redarguit, (puta, si viderit eum per errorem tradere mercem pretiosiore, quam de qua conventum erat,) ut parvo emat; aut qui non profitetur fugitivum servum, vel pestilentem se domum vendere, lucro & commodo suo consulens; non est ille sapiens, ut Carneades volebat, sed callidus & astutus.* *Plato de LL.* l. XI. *Quando quis servum vendidit, phrenesi, vel calculo, vel stranguria, vel eo morbo, quem sacrum adpellant, aut alia quavis plurimis occulta, & longa, & ægre sanabili corporis sive mentis ægritudine laborantem, si medicus aut gymnasticus emerit, reddere non liceat. Sed nec quando venditor emtoricuiusvis veritatem prædixerit. Sin autem artifex aliquis hujusmodi rerum peritus ignaro & rudi cuiquam aliquid vendidit, duplum pretii ejus, quo vendidit emtori, condemnatur.*

tus persolvat. Quod si imperitus imperito vendidit, reddibitio fiat, & simplex pretium restituatur. Eleganter quoque Idem d. l. ἰπάρθου δὲ τε ἀδὲ παρ-
 τὸς τῷ πωδύμην ἀπίς u. *Latus reicujlibet venalis & juramentum longe abst.*

§. 3. Necessitas autem vitia isthæc indicandi ex natura actus oritur, & quia citra id justum pretium statui nequit, non quod proprie per celebrationem contractuum vinculum illud humanitatis, quo omnes homines invicem ligantur, arctius adstringatur, aut quod societas aliqua inter contrahentes constituatur, ad alia quæpiam officia præterquam quæ ex natura contractûs requiruntur, adstringens. Neque enim, contractu utrinque completo, sentimus, nos alteri plus debere, quam cuivis homini; nisi quod sæpe per contractus ejusmodi ad amicitiam fiat transitus. Unde etiã imperite argumentum ducitur ab eo, quod salva communi humanitatis lege possumus omittere, ad id, quod in contractibus ineundis nobis licere possit. Adcoque non sequitur, quia nemo tenetur ex sola lege humanitatis cuivis rerum suarum conditionem pandere, aut omnem suam scientiam alteri communicare: ergo non teneri nos de rerum nostrarum defectibus alteri significare in contractu. Nam sane extra contractum constitutus recte possum multa alios celare; etsi ex eo silentio solus ego lucro aliquo fruar, quod cum altero communicaretur, si idem ipsi per me indicaretur, v.g. si in loco aliquo deserto, qui nullius est, gemmas inveniri sciam, non obligor, ut id alteri cuiquam indicem, quo & ipse in partem lucri mecum venire possit. Vid. *Matth. XIII. 44.* (heic enim si de thesauro indicasset emtor, tam parvo agrum non emisset.) Conf. *Grotius l. 2. cap. 8. §. 7.* Huc facit historia de Anica rustico, Samajedorum detectore, de quo est apud *Lundorpium in continuatione Sleidani ad annum 1607.* Et recte *Cicero Offic. 3. Nec tamen nostra nobis utilitates omittenda sunt, aliisque tradenda, cum his ipsi egcamus: sed sua cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa: qui stadium, inquit, currit, eniti & contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertinet ad usum, non iniquum est: alteri surripere jus non est.* Quem locum etiam expressit *Ambros. Off. l. 3. cap. 4.* Enimvero in contractibus obtinet illud *Valerii Maximi l. 8. c. 2. n. 1. Bonæ fidei venditorem nec commodorum*

spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. Huc quoque spectat illud Platonis de LL. l. XI. Quod venditori de rerum venalium pretio lex consuluit, id ipsum opifici quoque consulit. Caveat ergo, ne plurius, quam equum est, ipse suum taxet opus: sed quam simplicissime, & ut dignam est, taxatio fiat. Non enim ignorat opifex, quo pretio dignum opus suum sit. Nec debet in libera civitate artifex arte ipsa, qua aperta res est, & a mendacio longe remota, rudes decipere. Possit etiam huc adplicare, quod ex Aspasia sese audivisse dicit Socrates ap. Xenoph. Memor. l. 2. Bonas pronubas, qua cum veritate bona de aliis commemorant, plurimum ad conciliandam inter homines adfinitatem valere: quæ verò mentirentur, eas laudando nihil aliis prodesse. Fieri enim, ut qui decepti sunt, sese oderint mutuo, atque etiam conciliatrices ipsas.

§. 4. Cæterum uti de eo dubium non est, quin indicanda sint illa vitia, quæ proprie contingunt rem in contractum deducendam: ita an & alia, quæ extra rei substantiam posita sunt, & tamen ad æstimationem ejus facere quid valent, indicari, tam ex parte emtoris, quam venditoris necessum sit, jam inter antiquos disceptatum fuit. Quam in rem ita Cicero Off. 3. Si, inquit, vir bonus ab Alexandria profectus Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia & fame summaque annona caritate; si idem sciat, complures mercatores ab Alexandria solvisse, navesq; in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit; dicturus nè sit id Rhodis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Heic visum fuit Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, (ad rem subjectam ullo modo spectans) emtor ignoret. Diogeni Babylonio contra videbatur, venditorem quatenus jure civili constitutum sit, dicere oportere; cætera sine insidiis agere; & quoniam vendat, velle quam optime, (cum suo emolumento) vendere. Advexi, exposui; vendo meum non plurius quam ceteri; fortasse etiam minoris, cum major est copia. Heic opponit Antipater: quid ais? tu cum hominibus consulere debeas, & servire humana societati, eaque lege natus sis, ut utilitas tua communis utilitas sit, celabis homines, quid iis adsit & commoditatis, & utilitatis? Cui regerit Diogenes: aliud est celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura deorum sit, quis sit finis bonorum; quæ tibi plus prodesse cognita, quam tritici vilitas. Respondet iterum Antipater; imo vero necesse est; si quidem meministi inter homines natura conjunctam societatem. Diogenes contra; memini, sed num illa societas talis est, ut
nihil

nihil sit cuique suum? quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum. Heic Cicero ipse videtur in Antipatri sententiam propendere, dum eam mercatoris dissimulationem dicit esse *hominis non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni: sed versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri*. Et tamen ipse Cicero à doli mali crimine eundem videtur liberare, dum paulo post dolum malum esse dicit, *quando aliud est simulatum, aliud actum*. Id quod in præsentem casum non quadrat. Recte igitur dicitur, mercatorem injuste non fecisse dissimulantem de navibus subsequenibus. Nam iustitia hoc tantum requirit, ut ea indicentur, quæ rem subjectam per se contingunt, v. g. si domus sit pestilens, si à magistratu jam deijci iussa; quæ exempla eo loco Cicero subjicit. At heic nihil tale dissimulatum. Frumenti bonitas in propatulo adparebat; & tunc quando contractus inibat, reverà tanti erat, quanti vendebatur; etsi paulo post minoris esset futurum. Nec jus proprie dictum habebant Rhodii, ut ex mercatore hoc scirent; quippe quicum super ea re nunquam pacti erant. An autem contra legem beneficentiæ, & humanitatis fecerit, alia quæstio est, quam itidem non facile affirmarim. Ut enim ad beneficium alteri exhibendum per humanitatem teneor, requiritur, ut ipse eodem gratuito valde indigeat. Atqui Rhodii frumento indigebant, pecunia non indigebant; quippe fama opulentia apud antiquos celebres. Sed neque tunc dare beneficium teneor, quando id danti plus decedit, quam accipienti accedit. Atqui plus lucri decessurum erat mercatori, de classe ventura significanti, quam frumenti emtoribus erat accessurum. Nam si inter plures id fuit distractum, singulis parum decedebat soluto antiquo pretio: si unus aut alter omne coëmit, avaritiæ suæ imputet, dum itidem grandi lucro in tempeste inhiat. Et sane rigida nimis officiorum exactio in ejusmodi negotiis à vitæ communis consuetudine abhorret. Facile mercatoribus beneficentiæ necessitatem remittere possumus, modo per lucri cupidinem nos decipere nolint.

§. 5. At vero vitia rei, emtori jam nota, dici minime attinet; scientia enim utrinque par, pares quoque facit contrahentes. Sicut & ob vitia à venditore indicata emtio non potest rescindi; quippe cum in ista vel

consensisse emtorem manifestum sit. Quo facit illud *Ciceronis Off. 3.*

Gratidianus Sergio Orata vendiderat ades eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio serviebant: sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Ad hæc res in judicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat; quod vitii venditor non dixisset sciens, id præstari oportere: a quietatem Antonius: quoniam id vitium Sergio ignotum non fuisset, qui illas ades vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret. Scilicet uti Ulpianus ait l. 1. §. 1. D. de act. emt. non videtur esse celatus, qui scrivit; neque certiorari debuit, qui non ignoravit. Add. l. 43. §. 1. l. 57. §. 3. D. de contrah. emt. l. ult. D. de adilit. edicto. Huc pertinet illud Horatii 2. epist. 2. ubi inducit mangonem, qui mancipium erat alteri venditurus, cum post ejus enumeratas virtutes, hoc quoque addidisset: semel hic cessavit, & ut fit, In scalis latuit metuens pendentis habena. (add. l. 1. §. 33. D. de Scto Siliano l. 17. D. de adilit. edicto.) Des numos, excepta nihil te si fuga ladat. Ille feret pretium pæna securus, opinor, Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex. Eidem fundamento nititur sententia Marii apud Plutarchum Mario, & Valerium Maximum l. 8. c. 2. §. 3. Fannia in matrimonio fuerat cum Tinnio, qua cum divortio facta dotem, qua tanta erat, repetebat, ille adulterium ei objecit, ac causa ad Marium consulem delata est. Ea in judicio agitata, quum Fanniam constaret impudicam fuisse, & virum, qui talem sciret esse, eam duxisse, diuque cum ea in matrimonio vixisse, ambos improbat, virumque jussit dotem ei restituere, mulieri infamie damnata quatuor asses multam dixit. Conf. l. 13. §. 9. 10. D. ad L. Iuliam de adult.

§. 9. Præterea quod in omnibus pactis locum habet, id vel maxime etiam in contractibus obtinet, ut neuter contrahentium alteri ad contractum ineundum injustum metum incutiatur. Inde recte quondam Lacedæmonii judicarunt, rescindendam esse emtionem agri, quam Elei possessioribus metu extorserant, *γρόντες, μὴδὲν δίκαιοτερον εἶναι εἰς τὴν ἑμπίστατον, ἢ βία ἐφελκόμενος τῶν ἡπλοίων λαμβάνειν.* Arbitrati, nibilo justius esse infirmioribus per emtionis titulum, quam vi mæra rem extorquere. Xenoph. l. 3. rerum Græcar. Spectat quoque huc illud Ciceronis IV. in Verrem, ubi de signis & tabulis ab ipso ex Sicilia sublatis agit. Huic accusationi Verres uno se vocabulo satisfacturum putabat, dicens: *emi.* Sed Cicero reponit: *sapienter à moribus fuisse institutum, ut qui in provincias mitterentur, ab omnibus emtionibus removerentur.* Inde ipsis de publico datum fuisse argentum & vestem

vestem. Mancipia autem ideo non data publice, quod nemo esset Roma alicujus dignitatis, qui non aliquot eorum haberet. Sanxerunt tamen, ne quis in provincia emeret mancipium, nisi in demortui locum. Putabant enim ereptionem esse, non emtionem, cum venditori suo arbitrato vendere non liceret. In provincia intelligebant, si is, qui esset cum imperio & potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret, fore uti quod quisque vellet, siue esset venale, siue non esset, quanti vellet auferret. Add. l. 46. l. 62. D. de contrah. emt. l. penult. §. I. D. ad L. lul. repetund. l. 6. C. eod. l. II. C. de his, que vi metus & causa. Constitut. Sicularum l. I. tit. 88. §. I. Tacitus A. XIV. Merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert. Huc spectat, quod Dio Cassius l. 42. refert de Cæsare, qui post victum Pompejum mutui nomen ei pecunia, cui exigenda probabilis alia ratio non extabat, prætexit: quanquam vi alioquin eas non secus ac debitas sibi poscebat, neque redditurus unquam erat. Frequentius tamen contingit, ut subditi perpetui aut temporarii pro imperio ad contractus potissimum venditionis, aut conductionis adigantur; puta, quando mercatores compelluntur, ut vendant id, quo resp. maxime indiget; aut ut operas suas, vehicula, & naves locent. Id quod ubi utilitas aut necessitas publica requirit, & pretium mercêsque justa persolvitur, recte fieri potest. Non insolens quoque est in civitatibus, ut quod quis emere in certo genere vult, abs certo aliquo, & non ab alio emere teneatur.

§. 7. Satis autem clarum est, in contractibus beneficis isthanc æqualitatem locum non habere. Heic enim ubi æqualis operæ merces constituitur, in aliud negotii genus transitur. Vid. §. fin. *Instit. de mandato* l. I. §. 9. *D. de positi.* Ubi autem aliquid honorarii aut præmii vicem sustinens adjicitur, contractus mixturæ aliquid trahit ex locatione conductione. Hactenus tamen etiam in mandato & deposito, licet indirecte & per accidens, æqualitas observabitur, ut si quid præter operam summum in negotium aut rem alterius fuerit impensum, id exacte restituitur; quippe cum in his contractibus de opera duntaxat gratuita conventum fuerit; sumtus autem velut ex tacito contractu mutui erunt refundendi. Vid. l. 12. *princ. D. de positi.*

§. 8. Ast vero in contractibus onerosis usque eo ista æqualitas est observanda, ut quod quis heic amplius æ quo accepit, titulo præsumtæ donationis ne queat excusare. Neque enim hic solet esse aninus tales contractus in-

ctus ineuntium, ut quid alteri velint donare. Adeoque mixtura contractus cum donatione non præsumitur, nisi expresse hoc ab altero fuerit dictum; aut nisi adpareat, alterum scivisse, rem aut operam minoris esse. *Fremptum* est apud *Plinium* VII. ep. 14. In præcedente *epistola* XI. dixerat, *se se amicitia causa eos agros minoris vendidisse*. De cætero dignum laude est factum *Scævola* apud *Ciceronem* Off. 3. qui *cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emtor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit se pluris æstimare; addiditque decem millia*.

§. 9. Ex istis consequitur, etsi omnia rei vitia, quæ nota fuerant, sint exposita, nec plus exactum, quam deberi putabatur; tamen si post in re ipsa deprehendatur inæqualitas sine culpa contrahentium, (puta, quod vitium lateret, aut in pretio sit erratum,) ea quoque corrigenda sit, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Add. l. 13. *princ.* §. 1. 2. 3. 4. D. de act. emti. l. 1. §. 2. D. de adilit. edicto. Neq; de jure naturæ requiritur, ut illa inæqualitas dimidiam partem justii pretii excedat. Nam famosa illa l. 2. C. de rescindenda vendit. qua minus pretium, ob quod ad rescissionem contractus, aut ad supplementum justii pretii possit agi, definitur, *si nec dimidia pars veri pretii soluta sit*; est mere positiva; & nititur ea potissimum ratione, quod nulla tribunalia sint suffectura expediendis litibus, si ob quamcunque minutam læsionem prætor possit adiri. Et quia indoles fori requirit, ut qui nolit decipi, oculos aperiat. Præsertim cum, quanticunque venditor suas merces æstimet, tamen ultima demum pretii determinatio ex voluntate emtoris constituatur. Quo & adplicari potest illud *Ciceronis* Off. 3. *Leges civiles iniqua tollunt, quatenus teneri manu possunt, Philosophi, quatenus ratione & intelligentia*. Quanquam revera ista decisio sit justo crassior. Nam ut in exigui momenti negotiis prætor non sit fatigandus: tamen cur iste subsidium suum velit denegare, ubi quis graviter, etsi intra dimidium, fuerit læsus, ratio non est, v. g. si domum, quæ 900. erat, pro 600. vendiderim, cur ad 300. recuperanda omne mihi legis auxilium denegetur, cum ob longe minores summas actio detur? Inde uti & inter eos, qui solo naturæ & gentium jure reguntur, exigua læsio, quæ citra dolum contrahentium intervenit, rescissioni aut querelæ sat idoneam causam non præbet: ita ubi gravior illa fuerit, licet dimidium justii pretii non attingens, recte postulatur contractum vel rescindi, vel quod justo pretio deest suppleri.

Gravitas

Gravitas autem læsionis æstimatur vel ex ipsa pretii magnitudine, vel ex tenuibus læsi facultatibus, quas damnum opulentiori negligendum quandoque vehementer affligit. Imo etiam in civitatibus, ubi dicta lex observatur, salva conscientia emtor non potest subterfugere suppletionem læsionis enormis, infra dimidium adhuc subsistentis: quippe cum lex illa non tam lucrum cum detrimento alterius voluerit confirmare, quam prætores litium multitudine sublevare. Eadem tamen lex efficit, ne ex læsione ista adversus concivem jus aut actio detur. Recte autem autem Jcti, qui legis istius beneficium non venditori solum, sed & emtori adplicandum, nec minus ad alios quoque contractus extendendum docent. *Seldenus l. VI. c. 5. annotat: si quis Iudæus Iudæum in emtione & venditione, bona fide facta, sexta parte pretii fraudasset, sive emtor sive venditor, id eum debuisse restituere, non autem si minus sexta parte. Sed si sexta parte major foret læsio, licuisse emtori statim, seu quamdiu nondum finita esset negotiatio, contractum rescindere, & actione redhibitoria sibi integrum pretium vindicare. Venditori autem si in illius fuisset damnum, nunquam non licuisse rem suam postea repetere. Et idem quoque locum habebat in permutatione rerum fungibilium, puta, fructuum, seminum, & similium. Verum hujus legis beneficio Iudæus tantum si læsus fuisset, non autem Gentilis à Iudæo fraudatus fruebatur.*

§. 10. Cum hætenus traditis Interpretes juris Romani valde laborarunt, ut conciliarent l. 16. §. 4. D. de minoribus: in pretio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire. Add. l. 22. §. 3. D. locati. Nobis maxime arridet explicatio Grotii l. 2. c. 12. §. 26. ubi ostendit, licet & necessum esse non semper notare id, quod fas est, sed quod ita duntaxat permittitur, ut nullum contra sit proditum remedium in eum, qui se pacto velit defendere; seu qui adpellatus de iniquo pretio, respondere nihil aliud velit, quam ita inter ipsos convenisse: & qui non vult aperire oculos aperiat crumenam; quod vernaculo proverbio dicimus. Add. *Lex Bajuvariorum tit. 15. c. 9. §. 1. & Capitulare Caroli l. V. cap. 210.* Sicuti & apud *Xenophontem de dictis & factis Socratis l. 2.* hæc regula traditur: *οι αγαθοι οικονόμοι, όταν τὸ πολλὸν ἀξίον μικρὰ ἐξῆ ἀπράδος, τότε φασὶν δεῖν ἀρκεῖν. boni æconomi, cum liceat magni pretii rem parvo emere, tunc dicunt esse emendum.* Addatur facetum dictum Ciceronis apud *Gellium l. 12. cap. 12.*

Uuuu

Vid.

Vid. quoque *Seneca de beneficiis* l. VI. c. 38. ubi disputat, an recte *Demades Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnarit, cum probasset, magnum lucrum optasse; quod contingere illi sine multorum morte non poterat.* Add. *Capitulare Caroli* l. 1. c. 131. Circa factum tamen *Jacobi Genes.* XXX. 37. notari potest, solertiam istius eo magis esse favorabilem, quod ipsi negotium esset cum homine maligno, & qui omnibus modis istum circumscribere agitabat: quique duram legem ipsi imposuerat, ut pro custodia mercedem non aliam recipiens, quam foetuum partem, casus omnes praestaret. *Genes.* XXXI. 39. Sic & vox *naturaliter* non semper notat id, quod debet fieri, aut quod cum jure naturali congruit, sed & quod recepti moris est. Uti *1. Cor.* XI. 14. Etsi τὸ κομᾶν possit quoque accipi pro nimio studio capillos exornandi, quod foeminae velut suo jure sibi vindicant, & quod in viris effoeminati quid sapit, juxta illud: *Sint procul à nobis juvenes, ut femina, comiti.* Quanquam & revera naturalis ratio dicat, turpe esse viro illum usurpare habitum, quo ex inolita consuetudine sexus virilis à masculino distinguitur. Facit etiam huc *l. 8. C. de restind. vendit.* *Hac est emtionis & venditionis substantia, (i. e. perpetuus mos,) quod emtor viliore comparandi, venditor caviore distrabendi votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium.* Nec absurde *Anacharsis* apud *Diogenem* *Laërtium* forum vocat αἰετμίνοι τόποι εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν ἢ πλονεκταῖν locum ad fallendum invicem, atque ad dandas avaritiae manus destinatum, & ubi aequum creditur, quemque ad suum quaestum esse callidum. Add. tamen *l. 18. l. 19. D. de adilit. edicto.* Scilicet naturali habendi libidine homines ad quaestum suum augendum feruntur. Inde vix videbantur commercia etiam inter cives consistere posse, nisi solertia mercatoria locus relinqueretur. Vid. *l. 71. D. de contrab. emt.* Quin & ultro irridetur, qui imponi sibi passus est. *Plinius l. 1. epist. 24. Mala emtio semper ingrata est, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur.* *Horat. l. 1. Sat. 2. Antibi mavis Insidias fieri, pretiumque avellier ante, Quam mercem ostendi?* Accedere quoque videtur tacita contrahentium indulgentia, qui cum exactissimam a qualitatem scrutari vix queant, modicam ab exacta illa aqualitate defectionem sibi mutuo condonare videntur. Ergo in communem velut fori legem receptum, ut cuique liberum foret quam optima posset condi-

conditione emere aut vendere, modo fraus circa substantiam rei non intervenerit. Add. *Mich. Montaigne* *ess.* l. 1. c. 21. Alias enim locum habebit illud *Fulgentii Mytholog.* l. 1. qui Mercurium ideo & mercaturæ & furum præsidem tradit, quod nihil intersit inter negotiantis rapinam atque perjurium, furantisque dejectionem ac raptum. Obiter addendum, Ephoros adolescentem, quod fundum vilissimo pretio emisset, multasse; additâ ratione, quod cum juvenis esset, acerrimo lucri studio teneretur, apud *Ælianum* V. H. l. 14. c. 44. *Mornacius* add. l. inepte tò naturaliter explicat per *tuquæ dextre*. Nam id vocabuli non cum vocabulo *circumvenire*, sed cum *licet* cohæret.

CAPUT IV.

DE CONTRACTIBUS BENEFICIS IN
SPECIE.

- | | |
|---|--|
| 1. Mandatum quid? | præstari? |
| 2. Ejus singularis apud Romanos religio. | 5. An mandatum expleatur per aquipollens? |
| 3. Mandatarius debet adhibere summam diligentiam. | 6. De commodato; & in quo hoc differat à precario? |
| 4. Quatenus idem indemnus debeat | 7. De deposito. |

Proximum est, ut de præcipuis contractibus quædam specialius consideremus. De quibus licet ab Interpretibus juris Romani ubertim sit traditum: tamen cum pleraque ex jure naturæ & gentium desumpta sint; ea merito genuinæ suæ sedi vindicantur. Inter contractus igitur beneficos primum locum tribuimus *mandato*, quo quis gratis alterius negotia, eodem requirente & committente, expedienda suscipit. Etsi hic contractus directe & per se dominia, & pretia rerum non præsupponat, sed duntaxat ex accidente, quatenus à mandante refundendæ sunt impensæ, quas mandatarius in commissum negotium præter promissam gratis operam fecit. Quod si autem quis alterius ignorantis negotia suscepisset, eaque utiliter gessisset, Romanis legibus dabatur actio *negotiorum gestorum*; cujus fundamentum non incommode possumus vocare mandatum tacitum. Sicuti & illam obligationem, quæ

inter tutorem & pupillum versatur. Vid. l. 5. princ. §. 1. D. de obligat. & action.

§. 2. Mandati apud Romanos quondam singularis velut religio & sanctimonia censebatur, ideo quod ex humanitate & amicitia, qua maxime mortalium genus continent, ortum trahat; quarum obtentu aliquem; de ipsius probitate optime sentientem, in fraudem inducere merito detestabile habetur. Vid. l. 1. D. de his qui not. infam. l. 1. §. 4. D. mandati. Cicero pro Sexto Roscio. In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui questus aut commodi causa, verum etiam negligentius; eum majores summum admisisse dedecus aestimabant. Itaque mandati constitutum est iudicium non minus turpe quam furti, credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opere nostrae vicaria fides amicorum supponitur: quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, & quantum in ipso est, disturbat vitam societatem. Non enim possumus omnia per nos agere: alius in aliare est magis utilis. Idcirco amicitia comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipi mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officiis & obstas? Recede de medio: per alium transgam. Suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque mandat quisquam fere, nisi amico; neque credit ei, nisi quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. Plautus Mercatore act. 2. sc. 3. Rei mandata omnes sapientes primum pravorti decet.

§. 3. Eandem etiam ob rationem Romanis legibus exactissima diligentia in exsequendo mandato requiritur, ut ut solius mandantis causa illud fuerit susceptum. Vid. Iacob. Godofredus ad l. 23. D. de reg. juris. Qua in re tanquam perfectum exemplum Atticum ostentat Cornel. Nepos in ejus vita c. 15. Quicquid rogabatur religiose, i. e. magna cum cautione & circumspeditione, promittebat, quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri, quod praestare non posset. (confer Terent. Andria act. 4. sc. 1. v. 5. seqq.) Idem in nitendo, quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertaesum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quamquam

quam heic videtur considerandum; qualem de alicujus industria & diligentia ante gesta, & communis vitæ ipsius tenor præsumtionem generarit. Nam qui dissoluto homini sua negotia commisit, habet quod sibi imputet; nisi iste peculiariter sese ad talem diligentiam, quæ in accuratos homines cadit, obstrinxerit, modo ad ejusmodi diligentiam plane idoneus sit. Quo potest facere fabella apud *Sadamrosar. Persici c. 7.* Quidam oculis laborans mulomedicum accedit, remedium petiturus. Ille eo, quo jumenta solebat, istius quoque inunxit oculos unguento. Sed cæcus inde fit. Lite ad judicem delata, ita hic pronunciat: *In medicum nul- lam sarcienti damni habetis actionem: hic enim nisi asinus fuisset, mulomedi- cum nunquam adisset.*

§. 4. Ex adverso mandatarius indemnus debet præstari à sumtibus in rem sibi commissam factis. Nam de hisce recipiendis tacite pactus intelligitur, dum nihil nisi operam, industriam, & fidem gratis promisit. Ac incivile foret, studium alicui suum nimis onerosum reddere. Idem quoque dicendum videtur de damno, in quod quis ex *causa* rei mandatæ incidit: non tamen de illo, in quod tantum ex *occasione* ejusdem prolapsus est. Adeoque illa duntaxat damna erunt à mandante sarcienda, quæ proprie ex ipso negotio mandato profluxere: non autem, quæ velut transversim intercurrerunt, dum negotium istud obitur. Quo facit l. 26.

§. 6. D. *mandati.* Mandatarius non omnia, quæ impensurus non fuit, nisi istud mandatum fuisset, mandanti imputabit, veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio rem amiserit, vel languore suo suorumque adprehensus quedam erogaverit. Nam hæc magis casibus fortuitis, quam mandato imputari oportet. Scilicet ubi quis sponte, sola benevolentia motus, alterius negotia exsequenda suscipit, censetur suo periculo esse velle casus fortuitos, qui in vitam nostram improviso solent incurrere. Aliud tamen videtur pronuntiandum, si pro imperio quis alterum ad rem suam expediendam ablegaverit. Nam ibi jubenti major incumbit necessitas indemnem præstandi eum, qui jussum detrectare non potuit. Quod si quis suscipiat negotia cum periculo conjuncta, is, nisi aliud expresse actum sit, censetur in se quoque suscepisse communes casus, qui ejusmodi negotia comitari solent. Conf. *Mornacius ad d. l. 26. §. 6. mandati.* Facit quoque hucl. 52. §. 4. D. *pro socio.*

§. 5. Est & circa mandatum celebris quaestio, an illud possit expleri per æquipolientiam? Quam eleganter disceptatam invenimus apud *Gellium* l. 1. c. 13. *Quæri solet, inquit, an negotio tibi dato, & quid omnino faceres definito, contra quid facere debeas, si eo facto videri possit res eventura prosperius, exque utilitate ejus, qui tibi negotium mandavit? Qui negant, dicunt, esse non paucos, qui sententiam suam una in parte defixerint. Igitur re semel deliberata statutaque ab eo, cujus negotium id potissimum esset, nequaquam contra dictum ejus esse faciendum, etiã si repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur, ne, si spes sefellisset, culpa impatientie, & pœna indeprecabilis subeunda esset: si forte res melius vertisset, diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intromissum videtur, quo bene consulta consilia religionem mandati soluta corrumpentur. Alii contra existimaverunt, incommoda prius, quæ metuenda essent, si res aliter gesta foret, quam imperatum est, cum emolumento spei pensitanda esse: & si ea leviora, minoraque, utilitas autem contra gravior & amplior spe quantum potest firma ostenderetur: tum posse adversum mandata fieri censuerunt, ne oblata divinitus rei bene gerenda occasio amitteretur. Neque timendum exemplum non parendi crediderunt, si rationes hujusmodi duntaxat non adessent. Adjunguntur deinceps præcepta prudentiæ: imprimis esse respiciendum ingenium naturamque illius, cujus ea res præceptum vè esset, ne ferox, durus, indomitus, inexorabilisq. sit. Qualis erat Cn. Piso ap. *Senecam de Ira* l. 1. c. 16. Nam si tali præceptori sit reddenda ratio, tutissimum erit nihil facere, quam quod præceptum est. Additur exemplum de P. Crasso Mutiano, qui cum architectum misisset ad afferendum ex duobus malum majorem construendo arietem, hic minorem, quem commodiorem judicabat, attulit: quæ de causa virgis ipsum cecidit: *corrumpi atque dissolvi officium omne imperantis ratum, si quis ad id, quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat.* Pro architecto tamen dici posset, dum Crassus hominem peritum artis mittit, illique significat, cui usui malum vellet adhibere, in aliquam deliberationis partem ipsum admissum videri. Add. *Mich. Montaigne essai* l. 1. c. 26. Contra inter exempla lenitatis refertur à *Xiphilino* epit. *Dionis, & Zonara* tom. II. in Imperatore Adriano, quod eum aliquando, populo ferocius quid postulante, præconem jussisset proclamare, *tacete*: hic metuens vocis asperitatem & insolentiam, cum manu extensa silentium fecisset, ita pronuntiavit; *hoc ipsum vult Imperator.* Quo facto Imperator offensus non fuit.*

fuit. *Lampridius in Commodo: Cum hic tepidius forte lotus esset, balneatorem in fornacem conjici jussit, quando à pedagogo, cui hoc jussum fuerat, vervecina pellis in fornacem conjecta est, ut fidei pœna de factore nideris impleret. Grotius lib. 2. cap. 16. §. 21. putat mandatum expleri posse per æque utile, si constet, id, quod præscriptum erat, non præscriptum fuisse sub speciali sua forma, sed sub consideratione generali, seu intuitu utilitatis alicujus, quæ alio quoque modo æque possit obtineri. Scilicet ita se res habet. Aliquando in mandato solum negotium expediendum exprimitur, modus autem arbitrio & dexteritati mandatarii relinquitur. Quo collineat proverbium: *Mitte sapientem, & nihil ipsi dicas.* Interdum autem modus quidem exprimitur, sed magis in vicem consilii, & quod mandanti commodissime videatur rem ita posse confici; ut tamen mandatario non sit prohibitum sua uti dexteritate, si commodior adparuerit modus, ubi in rem præsentem fuerit perventum. Aliquando denique ea conditione modus præscribitur, ut ab eo omnino quis discedi nolit, utcunque res ceciderit. Hic satis adparet, non in tertio, sed secundo duntaxat casu per æquipollens mandato posse satisfieri. Allegatur eam in rem l. ult. §. 1. D. *mandati*, ubi talis casus proponitur: Mandavi tibi, ut fidejubes pro Titio apud Sempromium, tu non fidejussisti, sed mandasti Sempromio, ut crederet Titio. Si aliquid eo nomine præstiteris, an me convenire possis, quæritur? Id quod affirmatur. Nam obtinui finem meum, qui erat, uti crederetur pecunia Titio à Sempromio. Id sive tua fidejussione, sive mandato contigerit, mihi perinde est; cum æque ex illa, quam ex hoc tibi sim obstrictus restituere, quod ex ea causa expendisti. Enimvero, quod jam animadversum est *Bœclero dissertat. de religione mandati*, omnino distinguendum est inter mandatum imperantis, & mandatum committentis; seu quod eodem recidit, inter mandatum, quod per imperium superioris, & quod ex contractu ultronço suscipitur. Quæ duo diversissima sunt, & præter vocabulum nihil commune habent. Adeoque imperitum est, quæ JCI de contractu mandati inter privatos tradunt, illa ad jussu imperantium applicare. Nam in privatis negotiis facile est, ut modus expediendi negotium alteri præsumatur præscriptus duntaxat in vicem consilii, in quo immutando prudentiæ mandatarii locus est relictus.*

relictus. At vero qui pro imperio aliquid alteri mandat, non censetur ipsi nisi meram executionem injunxisse, adeoque non licebit à modo præscripto discedere, nisi hic per expressam clausulam, uti frequenter fit, licentiam acceperit supplendi, aut paulisper immutandi, quæ res & tempus postulant: aut nisi eo ducat interpretatio verborum, mandantis proposito, & mandati effectui congrua, juxta rectæ rationis normam, & communiter receptas apud sanos homines regulas instituta. Nam ea demum vera alicujus voluntas censetur, quam legitima interpretatio suggerit. Etsi huic præter necessitatem heic minime indulgendum; cum alias omnis imperii vis evanescat, & sæpe resp. in casum detur, si proprio ausu minister partes imperanti proprias sibi vindicare velit. Otho apud *Tacitum* H. I. c. 83. *si ubi jubeantur, quarere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit.* Et apud *Eundem* II. H. c. 39. *maligna laus est militis; qui interpretari jussa ducum malit, quam exequi.* Add. l. 3. §. 15. *D. de re militari;* & *Livius* l. 44. c. 34. Aliquando tamen magna autoritate præditi ministri imprudentia principum mandata recte negligunt. Vid. *2. Regum* XVIII. 14. XIX. 6. *Valer. Max.* l. 3. c. 8. §. 1. *Cornel. Nepos Epaminonda* c. 7. 8. *Brissieres hist. Franc.* l. XI. p. m. 391. de *Bavalano* imperatam sibi à *Duce Cliflonii* necem differente. Insignis quoque est in eam rem locus apud *Hieron. Oserium de gest. Emanuel.* l. XI. ubi *Prorex Indiae* urbem *Adenam* data occasione occupare negligit, quod mandatum regis obtaret; cum tamen quantivis esse debuerit ejus urbis adqulitio.

§. 6. *Commodatum*, quo rei nostræ usum alicui gratis concedimus, hisce fere legibus constat: ut quis eandem solicite servet, eaque cura, qua diligentissimi homines sua solent, amplectatur. l. 5. §. 5. *D. commodati.* De in res commodata non est ad alios usus adhibenda, aut ulterius, quam commodans concessit. Vid. *Valerius Maximus* l. 8. c. 2. §. 4. & *Gellius* l. 7. c. 15. l. 5. §. 8. *in fin. D. commodati.* l. 45. §. 1. *de furtis.* Ac demum eadem illa sa est restituenda, & prout accepta fuit; vid. l. 3. §. 1. *D. commodati.* nisi quantum per ordinarium usum eidem decessit; hoc quippe commodans gratis concessisse intelligitur. Add. l. ult. *D. d. t.* Quod si rem ad certum tempus concesserim, & interea eadem ipse valde indigere incipiam, ex casu aliquo tempore commodationis non præviso, repententi rem protinus citra tergiversationem alter restituere debet. Nam nemo res suas
gratis

gratis alteri concedere præsumitur, nisi quantum iisdem ipse commode potest carere. Commodare autem rem suam illud in tempus, quo ipse eo opus sit habiturus, non nisi dissoluti est, & qui aliis illudere velit. Igitur commodatum, cui certum tempus adjicitur, hanc habet tacitam exceptionem; nisi ipse interea ea re vehementer indigero. Extra hunc casum repetitio commodati intempestive fieri non debet. Vid. l. 17. §. 3. 4. *D. commodati*. Quo loco addendum erit, in quonam conveniat, & differat commodatum à precario. Conveniunt ergo respectu rerum & usus. Quæ enim res recipiunt commodatum, eadem quoque recipiunt precarium. Et utrobique res conceditur gratis utenda. Differunt autem, quod commodatum est contractus, precarium non est: illud est *διπλευρον*, utrinque obligatorium, hoc *μονόπλευρον* potius. Commodatò res ad certum tempus vel finem conceditur: precario quamdiu concedens patitur. Commodatarius omnem culpam præstat; is cui precario res concessa, dolum tantum & latam culpam. Vid. *W. Ssembach. ad D. disp. 24. §. 19.* Illud dubitatur, an commodatarius teneatur rei æstimationem, aut aliam ejusdem generis restituere, si quidem ea perierit casu fortuito, & quem avertisse ipsius non erat? Id quod communiter negant. Vid. l. 1. §. 4. *D. de oblig. & act.* Ego tamen putaverim distinguendum, an res omnino apud dominum fuisset peritura, si vel maxime commodato non foret data, an vero minus. Priori casu cessat restitutio. Posteriori autem eam fieri omnino suadere videtur æquitas; cum alias mea mihi benignitas nimio constaret, si præter usum gratuitum re quoque ipsa mihi sit carendum, quam non eram perditurus, absque altero si fuisset. Neque adparet, cur ipse magis, quam alter, infortunium præstare debeam, cum hic utique occasionem præbuerit, ut idem rem meam incurrere posset. In l. 21. l. 22. *commodati*, rei commodatæ furto sublata æstimatio solvenda dicitur. Atqui nonnulla furta etiam citra omnem culpam eorum, qui expilantur, fiunt. Et si ubi quis v. g. per incendium omnes res suas simul amiserit, & ad inopiam redactus fuerit, durum foret commodati pretium reposcere. Et ubi casus isti sat frequenter solent intercurrere, uti naufragium navigantibus, præsumi potest, commodantem istos suo periculo esse voluisse. Et in hunc modum putaverim limitandam l. 18. *princ. l. 5. §. 4. & 7. D. commodati*. Sicut nec probaverim l. 19. *D. d. t.* quicum etiam non satis videtur conspirare l. 12. §. 1. *D. d. t.* Multo magis autem tenebitur commodatarius, si cum ex

periculo v. g. incendii, naufragii, possit rem commodatam eripere, suam prætulit, ut ut pretiosorem. Nam licet vitio verti ipsi nequeat, quod maluerit rem vilio rem perire: tamen cum periculo ea possit eripi, eamq; compendii sui causa perire passus fuerit commodatarius, non est quare commodans illud damnum sentiat. l. 5. §. 4. D. *commodati*. Vid. quoq; *Exodi* XXII. 13. 14. 15. & l. 18. *princ.* D. *commodati*. l. 1. §. 35. E contrario non minus æquum est, ut si quid utilium aut necessariarum impensarum in rem commodatam factum sit extra cos, quæ alias usum rei ordinarie comitantur, à domino refundatur. Add. l. 18. §. 2. D. *commodati*.

• §. 7. In *deposito*, quo rem nostram, aut ad nos quocumque modo spectantem, alterius fidei committimus, ut eandem gratis custodiat, hoc imprimis requiritur, ut res concredita diligenter custodiatur, & quandoq; deponenti placuerit, eadem restituatur. Vid. l. 12. §. 3. D. *depositi*. Quanquam interdum propter certas circumstantias depositum reposcendi non statim sit restituendum. *Philo Ind. c. de plantatione Noë: Depositum quod accepisti à sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris. Num qui sic suscipit, ab eorum usu excluditur iniquitate temporis. Neque debitoribus aut servis reddendum est, quibus sanctiores insidiantur, & domini. Proditio enim est hæc, non redditio. Cicero Offic. 3. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insanians; reddere peccatum sit; non reddere officium. Quid si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddisne depositum? non credo, facies enim contra rem, quæ debet esse carissima. Seneca de benefic. l. IV. c. 10. Depositum reddere per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest, utrum inficiet, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo. Ambrosius Off. l. 1. c. ult. hæc exempla adfert: Si quis contra patriam opem barbaris ferens, pecuniam apertus hostis reposcat; aut si cui reddas, cum adsit, qui extorqueat; si furenti restituas, cum servare non queat; si insanienti gladium depositum non negas, nonne solvisse contra officium est? si furto quæ sita sciens suscipias, ut fraudetur, qui amiserat, nonne contra officium est? Quod si autem conventum fuerit, ut ad certum tempus restituatur, etiam ante elapsum id tempus repeti poterit, mutata voluntate. Vid. l. 1. §. 45. 46. D. *depositi*. Cui repugnare videtur il-*

tur illud apud *Quintil. declamat. 245. Deponitur aliquid, quod quando cunq; repetitur, reddendum est. Deponitur aliquid in tempus. Hoc quomodo depositum erat? ut acciperes, cum luxuriari desisses. Quo tempore repetebas, tunc luxuriabaris. Non debebatur ergo, nec potest videri inficiatum, quod eo tempore negavit, quo illi extorqueri non posset vel confitenti.* Ubi dicendum videtur, si is ipse, qui petebat, deposuit, non potuisse id negari. Sed si alius deposuerat, puta cujus hæres iste erat, tempore nondum elapso, ante exutam luxuriam depositarius ad restituendum non tenebatur. Add. *Valerius Maximus l. 7. c. 3. §. 5. inter externa.* De gradu porro diligentiae in deposito custodiendo adhibenda communiter traditur, sufficere vulgarem diligentiam, quæ dolum & latam culpam excludit; idque tum quia hic contractus deponentis tantum causatur, ejusque apud quem deponitur nulla hæc utilitas versatur; tum quia ipse culpa non vacat, qui homini dissoluto rem suam concedidit. Et ob posteriorem rationem in deposito à culpa excusatur, qui in eo custodiendo ad suum modum curam præstitit, seu eandem, quam in rebus suis solet, licet illa satis remissa sit. Vid. l. i. §. 5. *D. de obligat. & action.* Enimvero cum regulariter in deposito aliquid amicitiae intercurrat; (nemo enim fere deponit, nisi apud amicum, aut de cujus probitate bene judicat:) in universum judicaverim, in quovis deposito custodiendo adhibendam esse talem curam, qualem communiter diligentes homines circa proprias res solent adhibere. Imo & exactissima quandoque cura est adhibenda, non solum quando super ea expressè fuit conventum, sed & ubi rei depositæ conditio id requirit; puta, si sit pretiosissima, aut si ex ea omnes alicujus fortunæ dependeant. Add. *Ambrosius Offic. l. 2. c. 29.* Ista tamen diligentia non in eo consistit, ut quis noctu diuque eidem rei custos assideat; sed ut eam loco, quem habet, munitissimo recondat, & ubi minime corrumpi potest. Unde etsi legibus amicitiae satisfecerim, si res amici æque curem, ac proprias; neque ut meas alterius rebus posthabeam, si utræque paris sint pretii, quispiam salva fronte postulare queat: æquum tamen fuerit, ut quando utraque servari nequit, ego potius rem meam viliorem negligam, & pretiosorem depositam servem, v. g. incendio oborto, quis non judicaverit potius servandam esse cistam auro aut aliis pretiosis rebus, vel magni momenti instrumentis liberisque

plenam, quam vilem supellestem? Ita tamen ut deponens teneatur mihi restituere pretium earum rerum, quæ mihi perierunt, dum ipsius res præ meis servatum eo; non secus atque alias impensas in depositam rem factas, aut damna, quæ per illam accepi. Quod si tamen quis rem suam viliores deposito pretiosiori prætulit, ubi de tali diligentia & cura non fuit conventum, amicitia duntaxat & humanitatis jura violasse censetur, à præstanda rei perditæ æstimatione immunis. Nam neque inde factus est locupletior; & intermissa nudæ amicitia & humanitatis officia ad refusionem detrimenti inde orti non obligant. Ratio autem, quare leges Romanæ laxiorem diligentia gradum in deposito, quam in mandato requisiverint, est; quia mandatum per singularem nostrum actum expeditur, quemque adeo juxta singula velut momenta in nostro arbitrio dirigere est situm. Sed in deposito nemo me velit obligatum, ut ipse continuo ex somnis apud rem depositam excubias agam. Unde sufficit, si eandem in locum commodum incluserim, & non nisi quando peculiaris aliqua ratio suaserit inspiciam; sicut circa res proprias facere solemus, corruptionis periculo non obnoxias, quibus ad usus nostros non indigemus. Legi, quæ extat *Exodi XXII. 12.* *Grotius* hanc glossam addit: *si lata culpa ad fuerit, quæ à dolo non longe abest.* Sed & illud solet queri, an deposito depositarius queat uti? Id non licere, siquidem res ullo modo usu fiat deterior, citra deponentis consensum manifestum est. *Scævola* apud *Gellium* lib. VII. cap. 15. *Quod cui servandum datum est, si eo usus est, sive quod utendum acceperit ad aliam rem, atque acceperit, usus est, furti se obligavit.* Add. §. 6. *Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.* Quod si autem per usum rei nihil profus decedat, puta, si poculum argenteum disponatur in ornamentum conclavis, aut ut hospiti honoratiori propinetur, non video, quare hætenus non possit eo uti depositarius; dummodo non peculiariter domini intersit, ne ab aliis depositum conspiciatur; & depositarius sciat, sibi præstanda fore quævis pericula, in quæ res deposita ob eum usum incidit. Nullo tamen modo rem depositam licet exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus à domino fuit inclusa. Add. l. 1. §. 36. *D. depositi.* Imo licet res fungibilis, non inclusa aut ob signata, fuerit tradita, non poterit eandem consumere depositarius, nisi in promptu sit ipsi, quando cunque deponenti placuerit, ejusdem generis rem eadem quantita-

quantitate ac qualitate restituere: cum sæpe ejusmodi rebus tant opere indigeamus, ut alias res pro iisdem accipere nolimus. Denique & illud à legibus Romanis bene constitutum, ut in duplum condemnaretur, qui depositum miserabile, seu quod propter imminens periculum tumultus, incendii, ruinae, naufragii deponitur, inficiatus fuerit, aut dolose detrectaverit restituere; cum utique poenam mereatur inhumana improbitas eorum, qui ex hominum misericordia dignorum damno compendium flagitiosum quærere non verentur. Vid. l. 1. §. 1. 2. 4. D. *depositi*. *Quintil. decl.* 245. addit: *depositum hoc magis vindicandum, quod fere secreta sunt, citra probationem.* Add. *Exod. XXII. 7. 8. 9. Levit. VI. 2. seqq.* Imo crediderim turpius esse flagitium, depositum abnegare aut intercipere, quam furtum facere; cum heic solum jus domini & justitia, illic etiam amicitia & humanitas violetur. *Nicolaus Damascenus: Gravissimum apud Pisdas judicium depositi agitur, quod qui fraude invertere convictus fuerit, morte afficitur.* Nam illa ratio non satis valida videtur, quod deposito in alterius manus velut consignato, occasio præbeatur eandem intervertendi, quæ alias efficacem ad peccandum habet stimulum: fur autem occasionem res alienas involandi astute captet, ac præterea communem illam sanctionem, qua cuique sua domus tutissimum receptaculum habetur, infringat. Neque enim levius deliquisse judicatur tutor, qui pupillam, suæ fidei commissam, & in proprias ædes receptam ipse stupraverit. Addatur *Aristoteles problem. sect. 29. quest. 2. & 6.* Item l. 1. §. 2. l. 67. *princ. D. de furtis.* Illud planum est, cum in deposito custodia duntaxat gratis præstetur, refundi debere sumtus in depositum factos. Ex quo fundamento etiam recte l. 12. *princ. D. depositi* pronunciat: *Si in Asia depositum sit, ut Roma reddatur, videtur id actum, ut non impensa ejus id fiat, apud quem depositum sit, sed ejus, qui deposuit.*



DE CONTRACTIBUS ONEROSIS IN SPECIE,
ET PRIMO QUIDEM DE PERMUTATIONE, EMTIO-
NE ET VENDITIONE.

- | | | |
|--|---|--|
| 1. De permutatione. | } | 4. De pactis venditioni adjici solitis. |
| 2. Quando contractus emtionis venditionis sit perfectus? | | 5. Quid emtor venditori, & hic illi prestare debeat? |
| 3. De periculo & commodo rei vendita. | | 6. De emtione speci. |
| | | 7. De monopolis. |

INter contractus onerosos merito primus locus defertur permutationi, quia antiquissimis temporibus ante inventam pecuniam commercia per istam solam exercebantur. *Tacitus German. Interiores simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur.* Ubi tamen notandum, permutationem duplici modo fieri; uno cum res ipsa aestimantur pecunia, & loco velut pecuniæ invicem traduntur: altero, quando nude res invicem comparantur. Prior est velut reciproca emtio venditio, ubi utrinque res in pretium imputatur. Qui modus permutandi hodieque est utilissimus. Unde non est sufficienti argumento, Trojani belli tempore solam permutationem in usu fuisse, uti plerisque fuit persuasum, locus *Iliad. n. v. 482.* ἐνθεν ἀγ' ἐνίζοντο κερηκομόωντες ἀχαιοὶ, ἄλλοι μὲν χαλκῶ, ἄλλοι δ' ἀἰθῶπι σιδήρῳ, ἄλλοι ἧ ἱριόϊς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βέσσιν, ἄλλοι δ' ἀνδραπόδοις. Sic enim *Plinius l. 33. c. 1. Vin. um possēt è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi auctores dixerē, profcissim convitiis ab optimis quibusque, & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciorē ævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus f. & ita tum Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratiā inventa. Alios coriis boum, alios ferro, captivisque rebus emitasse tradit: quanquam & ipse miratus aurum aestimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutasse Glaucum diceret cum Diomedis armis novem boum. Ex qua consuetudine multa legum antiquarum pecore constat, etiam Romæ.* Enimvero hodie quoque nihil est frequentius, quam ut milites res prædando captas aliis rebus permutent; cum non semper pecunia in prædam cedat, & illi etiam alias res asportare non

non dedignentur. Adeoque non sequitur ex eo, quod milites pro rebus bello captis vinum sibi compararint, belli Trojani tempore nullum fuisse usum pecuniæ. Nam utique talentorum auri apud *Homerum* aliquoties fit mentio, v. g. *Iliad.* 1. pollicetur Agamemnon, se Achilli daturum δῖκα χρυσοῖο τάλαντα. *Odyss.* 9. singuli principum Phæacum Ulyssi donant χρυσοῖο τάλαντοντιμήντη. Et licet id aurum *Odyss.* 7. vocetur χρυσοῖο πολυδάδαλ, & talentum sit proprie vocabulum ponderis: tamen non probabile est, omne id aurum fuisse factum, aut tunc ad sola pocula, & similia vasa aurum adhibitum. Neque adparet, quomodo tantam τιμὴν auro tribuat *Homerus*, si nondum in id eminens pretium consensu gentium erat collatum. Et πολυδάδαλ, etiam significare potest rem, quæ idonea est, ut ex eadem multa affabre fiant. Quod autem *Homerus* arma Glauçi aurea vocat ἑκατόμωια, Diomedis ærea ἐνεάμωια, id sine dubio ideo fecit, quia antiquissimis temporibus maximæ divitiæ in pecoribus erant sitæ; inter quæ cum principem obtinerent locum boves, agriculturæ quoq; instrumentum maxime necessarium, moris erat ad eos aliarum pretia rerum referri. Idque in communem sermonem receptum tunc quoque non statim exolevit, quando jam numus res omnes metiri cœpit. Inde *Didymus ad d. l. Homeri Iliad.* 2. vers. 236. annotat, ab antiquis παρθένες ἀλφεισώϊας, q. d. boum quæstrices vocatas, quibus ob formositatem insignia dona nuptialia à sponis fuerint data. Ac si maxime tunc inter Græcos non fuit in usu numus signatus; potuit tamen in commerciis obtinere usus auri & argenti appensi. Cæterum ante Trojanum bellum compluribus populis usum pecuniæ receptum fuisse vel ex sacra historia satis constat. Sed & idem *Homeri* locus admonet de controversia, agitata quondam inter Sabinum, Cassiumque lib. 1. D. de *contrab. emt.* an sine numis hodieque post receptam pecuniam possit dici venditio, velut si ego tunicam dedi, ut togam acciperem. Id quod Sabinus affirmabat ex d. l. *Homeri*, quasi exercitus Græcorum ære, ferro, hominibusque vinam emerit. Enimvero ἐπιζῆξ non significat proprie vinum emere, sed quocunque modo vinum comparare; sicut apud Latinos pabulari, lignari, frumentari in genere significat talem materiam congerere, quocunque id fiat titulo. Quamquam contraria sententia visa potior, quod aliud sit emere, aliud vendere; alius emtor, alius venditor; aliud sit pretium, aliud merx, quod in permutatione

tatione discerni nequeat. Utrunque autem emtorem & venditorem fuisse, & utramque rem pretii & mercis nomine datam, absurdum videri. Hic ex eo, quod jamjam de duplici modo permutationis dicebamus, reponi potest; ubi res numo prius æstimata permutantur, reciprocam videri emtionem fieri, adeoque nihil absurdi esse, eundem diverso respectu emtoris & venditoris locum subire. Est & hoc observandum, voce permutationis venire interdum reciprocam donationem, quæ inter amicos valde frequens est; quæ cum contractus non sit, æqualitatem quoque non requirit. Quo referenda proprie est permutatio armorum inter Glaucum & Diomedem, ap. *Homerum Il. 3.* quæ propter inæqualitatem forte stultitiæ nomine ex parte Glauci, non tamen injustitiæ ex parte Diomedis argui potest: Sicuti & *Maximus Tyrius dissert. 23.* dicit, Glaucum *ἑμμετρέσας τῷ καιρῷ καὶ μὴ τῇ ἀξίᾳ τῶν ὀπλῶν τὴν ἀνταλλαγὴν; æstimasse occasione, non pretio permutationem armorum.* Et Idem *dissert. 24.* de eodem facto: *neque plus habuit, qui aurum accepit, neque minus, cui æs traditum est. Verum cum utroque præclare actum est: cum materia illa inæqualitas æqualitate propositi, quo alter dedit alteri, compensata est.* Add. *Isocrates ad Nicoclem in princip.* Apud Rusios forum est imaginum sanctarum, quas illi dicunt se non emere, sed pro pecunia permutare. *Olearius itin. Persic. lib. 1. cap. 1.*

§. 2. Enimvero post introductum pecuniæ usum, contractus emtionis venditionis coepit fieri longe frequentissimus; qua id agitur, ut pro certa pecuniæ rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus adquiratur. Ubi primo quaeritur, quando hic contractus ita sit perfectus, ut nihil amplius supersit, quam ut venditor vacuum rei possessionem tradat, & emtor eandem adprehendat? Juxta leges Romanas hic contractus perfectus censetur, statim atque in pretium rei venalis utrinque fuit pure consensus: & tunc statim nascitur actio, emtori quidem, ut venditor rem tradat; venditori autem; ut emtor rem accipiat, soluto pretio vel statim, vel eo, quo conventum est, tempore. Add. l. 19. l. 34. §. 5. 6. l. 35. §. 1. 5. 6. 7. D. de *contrab. emtione.* Imperfecta autem emtio, & ex qua nulla adhuc actio nascitur, censetur, vel ex generali, vel ex peculiari ratione. Prius contingit, ubi utriusque, emtoris & venditoris consensus nondum in unum convenit, sed adhuc de eodem in unum redigendo laboratur, seu quando adhuc intra terminos tractatus, uti vocant, versantur.

fantur. Ubi liberum est pœnitere, & tractatum abrumpere, obligatione nondum contracta; modo fraus aut propositum alterum illudendi abfuerit. Id quod circa omnes contractus obtinet. Posteriori autem ratione in pendentem erit efficacia obligatio, ubi contractui conditio fuerit addita, siue expressa, siue subintellecta; puta, si merx visu aut gustu prius sit exploranda. Heic enim censetur tacita subesse conditio; siquidem res ita deprehendatur, prout à venditore descripta fuerat, aut siquidem tunc eanobis arrideat. Nam & alias cognitio rei quam maxime est necessaria, ad rei pretium determinandum; & imprudentis habetur emere, quod non adspexeris, ubi de fide venditoris certus non sis. Ast mercis determinatio per pondus, mensuram, aut annumerationem proprie in se conditionem non habet, nisi forte ita res sit comparata, ut nisi sub certa quantitate mihi sit inutilis. Ad executionem autem contractus omnino pertinet assignatio per mensuram, numerum, aut pondus, cum non nisi hoc modo tales res quasi specificentur, & à reliquo acervo rerum homogenearum separentur. Sicuti & non nisi intercedente tali mensuratione traditio fieri, dominiumque transire intelligitur; cum citra hanc nesciam, quid ad me, quid ad venditorem pertineat. Nisi venditio facta fuerit ad corpus, & mensura, quantitasve alia demonstrationis, non taxationis causa fuerit adjecta. Tunc enim traditionem mensuratio non necessario antecedit. Aliud quippe est v. g. vendo tibi vinum in hoc dolio contentum, quod est X. amphorarum: & vendo tibi X. amphoras vini ex hoc dolio. Denique & imperfecta erit venditio, si inter partes specialiter sit conventum, ut consensus exprimatur per scripturam, & hæc nondum confecta fuerit. Aliud autem est, si memoriæ duntaxat aut testificationis causa venditio in scripturam redigatur. Quid apud Ebræos quondam circa hunc contractum observatum fuerit, curiose notavit *Seldenus* l. VI. c. 1. & 4. Add. locus *Theophrasti* apud *Stobæum* serm. XLII.

§. 3. Nobis ante omnia heic distinguendum videtur inter ipsum contractum, & ejus executionem. Ipse contractus perfectus erit, ubi pure super merce & pretio fuerit consensus citra aliquam conditionem, quæ obligationem suspendat, & si nihil sit additum, ex quo intelligatur pœnitentiæ locum esse. Executio autem contractus in hoc consistit, ut emtor actu tradat pretium, venditor mercem.

Y y y y

est,

est, ut contractu perfecto statim sequatur ejus executio, seu ut statim, ubi de pretio convenit, emtor, hoc tradito, mercem accipiat. Quod olim dicebatur, Græca fide mercari. Vid. *Plaut. Aſnar. act. l. sc. 6.* Sicuti & *Plato de LL. l. XI.* in sua civitate ita constituit: *Quæcunque emendo & vendendo commutantur, in statuto fori loco permulentur dando accipiendog, utroque rem, & rei pretium illico, nec alicubi alibi.* *μὴδ ἐν ἄλλοῦ πρῶτον μὴδ ἐν ἄλλοῦ πρῶτον, μὴδ ἐν ἄλλοῦ.* nulla vero emtio venditioque ad terminum fiat. Sed ubi inter contractum perfectum, & ejus executionem ex parte venditoris, i. e. rei traditionem, aliqua temporis intercapedo intercedit; solet quæri: ad quem interim periculum & commodum rei venditæ spectet, ad emtorem, an ad venditorem? Heic notum est, jus Romanum statim ac emtio perfecta est, periculum rei venditæ attribuere emtori, licet res nondum sit tradita, ac venditor adhuc dominus sit. Per periculum autem intelligitur casus fortuitus, qui in re vendita consingit, si illa pereat tota, aut ex parte, per vim extrinsecam, aut interno vitio, ex causis naturalibus proveniente, aut si illa injuste fuerit ab altero surrepta, Vid. t. t. *de peric. & commodo rei venditæ.* Ubi difficultas oritur, quomodo heic ad emtorem possit pertinere periculum rei, cujus ipse nondum est dominus; cum tamen alias res domino suo pereat, seu damna illa, quæ rem, ab alio detentam, incurrunt citra culpam detentoris, in dominum redundent. Ad quod aliqui respondent; tritum illud, *rem perire suo domino,* locum duntaxat habere in illis contractibus, ex quibus res contrahentis est apud alterum; non autem in illis, ex quibus res aliqua certa alteri debetur. Id quod aliqui sic efferunt: verum esse illud effatum, ubi dominus opponitur iis, qui simplicem habent rei usum & custodiam, non qui jus in re habent, & potestatem tanquam domini eam avocandi. Rationem ejus discriminis inter alias hanc afferunt, quod cum emtor statim potuerit ac debuerit rem avocare, & pretium solvere, quo facto, res apud ipsum periisset; igitur emtoris moram ac negligentiam venditori nocere non posse. Aliqui dicunt: periculum rei venditæ ante traditionem ad emtorem spectare, non quia dominus est, sed quia venditor post contractum perfectum respectu emtoris non tam ut dominus, quam ut debitor potius consideratur, & quidem certæ speciei, qua absque dolo illius & culpa perditæ, omnino ab obligatione liberatur. Verum ex hisce
nondum

nondum liquida adparet ratio, quare cum venditoris sit vacuam in emtorem transferre possessionem, antequam hoc suum debitum expleverit, non ipse potius, quam emtor periculum rei præstare debeat. Neque ad rem facit, quod promissor speciei ejus interitum non præstet, juxta l. 33. l. 83. §. 7. D. de verb. oblig. l. 30. §. 4. D. ad L. Falcid. l. 18. infra. D. de dolo malo. Nam promissarius rem erat adquisiturus titulo lucroso. Ubi absurdum & iniquum futurum erat, si cum promissor certam speciem promississet, ea perditâ, istius insuper æstimationem cogere præstare. Id quod negotii natura, quæ strictam requirit interpretationem, minime admittit. At quare heic emtor, cui nondum à venditore ex contractu debita exhibitio facta est, re carcat, & venditori pretium insuper solvat? Add. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 12. §. 15. Nobis ad eruendam heic naturalem æquitatem expeditissimum videtur, si distinguatur, utrum mora, quæ inter contractum perfectum & traditionem intercedit, sit necessaria ad rem in loco sistendam, aut ex mora venditoris proveniat, an verò per emtorem steterit, quo minus ipse non traditam possideat. Prior casus talis esse potest; si ego ab aliquo pecora, in pascuis remotis agentia, emissem, ea que dum ad me à venditore adducuntur, à latronibus, lupis, aut alio casu sint intercepta. Heic quin ratio jubcat damnum esse venditoris, dubium non est. Sic & venditoris erit damnum, si rem debitam justo tempore tradere neglexit. Ubi vero emtor in mora fuit, quo minus rem venditam acceperit, æquum fuerit ipsius periculo rem perire. Nam eo ipso momento, quo res ex contractu debebat tradi, & per venditorem non stetit, quo minus traditio fieret, dominium, quatenus merum jus & facultatem moralem notat, in emtorem transibat, resque ad ipsum solum pertinere incipiebat. (vid. supra l. 4. c. 9. §. 5) Ejus rei custodiam sibi ab emtore non commendatam ubi venditor ex humanitate receperit, impudens foret ab ipso etiam præstationem fortuitorum casuum requirere. Quod si autem emtor venditori tantisper rei venditæ custodiam commiserit, intelligitur res apud ipsum esse, non tanquam dominum, sed tanquam depositarium, abs quo præstatio casuum fortuitorum postulari nequit. Quo casu traditio facta censebitur per fictionem brevis manus, contrario modo, quam qui in donatione rei commodatæ aut locatæ occurrit. Illic enim per fictam traditionem ex re propria intelligitur fieri aliena; heic ex aliena propria.

Hæc porro quæ de periculo dicuntur, etiam ad commodum rei venditæ debent adplicari.

§. 4. Porro frequentissimum est, ut hic contractus variis pactis adjunctis temperetur, arbitrio contrahentium; aut ex dispositione legum civilium. Qua super re nihil aliud jure naturæ præcipitur, quam ut, quod contrahentibus placuit, ferretur; modo nihil absurdi aut iniqui contineat; & ut legibus civilibus se quisque civis conformem gerat, siquidem contractum suum in foro civili validum esse cupit. Sic nihil tritius, quam ut de pretio post intervallum demum à re tradita solvendo conveniatur. Nec minus conveniri solet, ut ad certum demum diem traditio rei fiat, dominio interim, sed & simul periculo & emolumento penes venditorem remanente. Usitata quoque est *addictio in diem*, qua res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab alio intra certum tempus oblatam, acceptare. Id quod tamen duplici modo potest fieri, vel ut perfecta sit emtio, sed sub conditione, ubi scilicet melior sit oblata occasio, resolvatur: vel si id fuerit actum, ut non adparente conditione, demum contractus perficiatur. l. 2. D. de in diem addict. Priori casu dominium transit in emtorem; posteriori remanet penes venditorem, quousque contractus fuerit completus. *Legem commissoriam* vocant, quando ita convenit, ut si ad certum diem pretium non solvatur, res sit inempta. Quanquam autem duplici modo contrahi possit, vel ut venditor rem statim tradat, & eandem, solutione non facta, cum omni causa recipiat; vid. l. 5. D. de lege commiss. vel ut solutione non facta, rem tradere non teneatur: adparet tamen, modum posteriorem longe tutiorem esse. Nam regulariter tale pactum in sui favorem ideo adjicere solet venditor, ne multum molestiæ in exigendo pretio suscipere necessum habeat; quæ arque suscipienda est, si à moroso solutore res semel tradita sit revocanda. Vid. l. 2. l. 3. D. d. t. Nec minus receptum est, venditioni vel ab ipsis contrahentibus, vel per leges civiles circa certa bona adjici pactum de retrovertendo, seu *retractu*. Id quod diversis modis contingit. Interdum ea lex venditioni dicitur, ut si pretium quandocunque, vel intra certum tempus offeratur, restituere rem emtam venditori ejusvè hæredibus teneatur emtor: Ubi iterum certum tempus diversa intentione exprimitur, vel ut terminus, ex quo redemptio sit licita; vel ut termi-

terminus, ultra quem illa non sit amplius concedenda. Ubi observandum, uti jus redimendi in se in favorem venditoris est introductum, qui interdum urgente necessitate cogitur alienare rem, qua in perpetuum carere minime velit: (apud *Fulium Capitolinum* Imperator Marcus, cum urgente pecuniæ penuria, supellectilem Imperatoriam vendidisset; *postea dedit potestatem emtoribus, ut si quis vellet emtor reddere, atque aurum recipe-re, sciret licere*:) ita quod ei juri certus terminus præfigitur, in favorem emtoris cedit, cui commodum est, si neque brevi nimis tempore cogatur realiqua carere, & aliquando demum de perpetua rei possessione certus fiat. Interdum etiam, quando quis in venditoris gratiam emit, convenitur, ut emtor quandoque libuerit, aut certo tempore venditori possit iterum rem offerre, & hic teneatur pretium restituere. Add. *Livius* l. 31, c. 13. Aliud genus retractus minus onerosum, quod etiam vocant jus *ἀποτιμήσεως*, est, quando pacto venditionis additur, ut si emtor rem ultro velit vendere, priori venditori potius, quam alteri eodem pretio, quod alius solveret, vendere debeat. Compluribus etiam in locis per leges certis personis jus retractus, seu *ἀποτιμήσεως* est indultum, puta dominis directis in re emphyteutica, creditoribus in bonis debitoris hæstæ subjectis, vicinis in prædio vicino vendito, sociis in re communi, & consanguineis in bonis propinquorum, qui peculiariter vocatur *retractus gentilitius*. Nec minus frequens est, ex prædiis venditis sibi aliquam particulam, aut ejus usum recipere. Sicut antiquitus prædigi venditis agris spatium ad sepulturam sibi solebant recipere. Unde multi explicandum putant illud *Maronis eclog. 3. Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas?* Sic *Menius* cum domum suam venderet *Catoni & Flacco censoribus*, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat sibi jus unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod tunc in foro dabatur. Unde *menianorum* nomen ejusmodi projectis adhæsisse creditur. *Ascon. Pedianus in divinat. Cicer. in Verrem.* Quid super retractu agrorum lex divina disposuerit, legi potest *Levit. 25. 14. seqq.* Cujus constitutionis ratio desumpta est à forma istius recip. per *Mosen* instituta. Scilicet debebat in ea æquabilis vigere libertas, cui maxime fini inservit, ne pauci ad se trahere queant agros, in qui-

bus præcipua opum fundamenta sunt sita, reliquosque patrimonio ex-
 tos sibi reddere obnoxios, & sic paulatim paucorum dominationem, &
 tyrannidem introducere. (Nam quæ à Grotio ad d. l. v. 29. affertur ratio,
quod facilius sit habitationem alicubi reperire, quam alimenta, mihi non sa-
 tisfacit.) Quem itidem finem sibi propositum habebat Lycurgus, univer-
 so Spartanorum agro in partes æquales tricies novies mille diviso, & illis
 partibus sorte assignatis, quas inter se augeri, minui, subdividi, venunda-
 ri vetuit. *Heraclides de politiis: πωλῶν γὰρ λακεδαιμονίαις ἀρχαῖς τινομένης τῆς*
ἀρχαίας μοίρας, ἔδῃ ἔξιςι. *Terram vendere apud Lacedæmonios de majorum*
vetusta hereditate turpe habebatur, nec licebat. Est quoque non infrequens
 genus emtionis, quod vocant *per aversionem*, quando multæ res disparis
 pretii non sigillatim æstimatæ, sed conjunctim & velut confuse taxatæ e-
 muntur. Denique & illud non inusitatum, ut res ad certum tempus e-
 matur, quo elapso, illa ad venditorem redeat, citra refusionem accepti
 pretii. Sicuti in Anglia Nobilibus solitum est areas suas vendere
 ad 30. aut 35. annos ea conditione, ut emtores ibi ædificia mo-
 do convento extruant. Qui contractus tamen emphyteusi cogna-
 tus est.

§. 5. Porro quid emtor & venditor sibi invicem debeant præstare,
 ex natura contractus, & pactis peculiariter adjectis facile innotescit. Em-
 toris scilicet est dare pretium conventum, convento tempore, & quidem
 ita, ut numos faciat accipientis, seu ut suam det pecuniam, non alienam.
 Quod si alienos numos dederit, iique fuerint vindicati, alios dabit, simul-
 que id, quod venditoris interfuit, istos non fuisse vindicatos. Vendito-
 ris autem est dare rem, de qua conventum est, iis cum qualitatibus, quæ
 ex communi contractus natura, aut peculiari conventionem requiruntur,
 idque tempore præfixo. Add. l. ii. §. i. seqq. D. de act. emti. Quod si
 post perfectam emtionem, antequam rem tradiderit, pœnitentia ductus
 pro ipsa re velit restituere pretium, & id quod interest, invitus emtor id
 non cogitur acceptare, sed eum omnino ad ipsam rem tradendam pote-
 rit adigere; nisi forte ratio humanitatis mitius agendum suaserit. Ubi
 autem traditio fieri nequit per dolum aut culpam venditoris, & pretium
 emtori erit restituendum, & id quod interest. Quid juris sit, si vendito-
 ris nulla versetur culpa; supra diximus. Quod si autem quis eandem rem
 duobus vendiderit, ubi eadem neutri adhuc erit tradita, sine dubio præ-
 valebit

valebit emtor, qui prior contractum inivit. Nec minus, si priori jam res fuerit tradita. Ita tamen ut fraudulentus venditor posteriori præstet id, quod intererat, sibi vano contractu non fuisse illufum. Enimvero ubi traditio fuit facta illi, qui posterius contraxit, hunc quidem priori contrahenti præferendum ex rationibus juris civilis clarum est; quia rem ex justo titulo à domino accepit. Ac priori isti contra hunc nulla competit actio, neque realis, quia nondum fuit dominus rei, neque personalis, quia nihil ipsi negotii cum isto intercessit. Sed nec venditori datur prætextus, ut rem ab eodem iterum revocet. Add. l. 9. §. 4. D. de publiciana in rem actione. Grotius quoque d. l. §. 15. eundem priori hanc ob rationem præferendum judicat, quia per præsentem dominii translationem, seu traditionem à venditore omnis facultas moralis in rem abeat; id autem non fieri per promissionem de vendendo. Ubi nescio, an *l. s.* satis sibi constet. Equidem *promissio de vendendo* venditio non est. *Ipsè* tamen d. l. asseruerat, dominii translationem fieri posse ipso contractus momento, etiam citra traditionem. Ergo tali venditione celebrata, nihil facultatis moralis circa eam rem remanet penes venditorem, quam quod tantummodo tendit ad curandum, ut res in manus emtoris perveniat. Et consequenter, si quos præterea actus circa eandem rem venditor exercuerit, nullo jure nitentur, adeoque fraudi esse ei non poterunt, qui prius jus in ea re quæsitum habuit. Quibus positis, valde dubium est, an favor possessionis contra jus traditæ priori emtori semper nocere queat. Porro quia jus in re nuda possessionis amissione non extinguitur, & vero contingere potest, ut quis rem alienam bona fide possideat; ideo dum ejusmodi possessor rem tertio vendit, domini jus non suffocat, nec plus in emtorem juris transferre potest, quam ipse habuit. Ego quamquam emtoris intentio sit dominium rei acquirere; tamen quia sæpe à sciente aut ignorante res aliena venditur, sufficit, si venditor emtori tradiderit vacuum rei istius possessionem, eumque constituerit in conditione usucapiendi; eique evictionem præstet, ubi res fuerit vindicata. Add. *Plantus Persa act.* IV. §. 4. & t. t. D. de evictionibus.

§. 6. Est & peculiare genus emtionis, qua non certa res, sed probabilis tantum spes emitur; cui ex conventionem contrahentium pretium constituitur. Neque vitiat talis emtio, ubi postea ipsa res pretium supera-

superaverit, aut multum infra fuerit. Sicuti & idem in emtionibus per averfionem, & in auctonibus obtinet; quod hujusmodi emtionibus & venditionibus aliquid aleæ sit admistum. Vid. l. 9. *princ. D. publicanis.* Add. tamen *Plinius* l. 8. *epist.* 2. Huc pertinet ludicra venditio, Augusto in conviviis usurpata, apud *Suetonium Augusto* c. 75. *in fine.* De jactu retis à piscatoribus emto vid. l. 8. §. 1. *D. de contrah. emt.* l. 11. §. ult. l. 12. *D. de act. emt.* Ex qua orta est quondam notissima illa lis inter piscatores Milesios, & jactus retis emtorem: (*Plutarchus Solone* habet, inter Coos piscatores, & hospitem Milesium: *Diogenes Laërt. Thalete*, inter Jonicos quosdam adolescentes, & piscatores Milesios:) qui extractam verriculo piscatorio mensam auream suam esse oportere ex lege emtionis contendebat; se enim omnia quæ extraherentur, seu fortunam jactus redemisse. Piscatores contra excipiebant, super sola piscium captura fuisse conventum. Et recte quidem. Nam in omni contractu interpretando oportet respicere mentem contrahentium. Atqui heic non utique de extrahendo auro, sed de piscibus fuerat cogitatum. Nec obstat, quod heic alea quædam versetur. Nam illa extenditur tantum ad quantitatem piscium extrahendorum; non autem ad quodvis genus rerum, quod inusitato casu in rete incidere potest. Ergo mensa illa sequebatur legem thesaurorum. Illa autem oraculi decisio, qua sapientissimo eandem adjudicabat, non obscure sacerdotum redolet astutam avaritiam; eaque sibi tam pulcræ prædam conciliatum ibant; juxta illud *Sophoclis Antigone*: τὸ μαρτυρὸν γὰρ πάντων φιλόργυρον γένεσθαι. *Vates omnes captant pecuniam.* Quis enim mortalium principis sapientiæ titulum velit agnoscere? vid. *Valer. Maximus* l. IV. cap. 1. §. 7. *inter externa.* *Mornacius* ad l. 12. *D. de action. emt.*

§. 7. Solet & hoc loco agi de monopolis, an illa omnia cum jure naturæ pugnent? Nam & inuisum est illud nomen, & leges multarum civitatum id graviter notant. Heic multa ex invidia monopoliorum eximenda, quæ talia revera non sunt. Nam sane id nullo jure est prohibitum, neque monopolii nomine venire potest, si unicus civis in aliqua urbe certum genus mercium solus norit conficere, aut si quis in agro suo certum genus fructuum solus habeat: aut si in sola aliqua

qua regione certa quædam res proveniat. *Diodorus Siculus* l. V. cap. 10. *Cum nullibi terrarum alumen proveniat, quod magnum tamen usum habet, non abs re monopolium habent Liparæi, auctisque pro arbitrio pretiis, incredibiles inde quasus faciunt.* Monopolium quippe hoc involvit, ut alii quoque potuerint habere facultatem istiusmodi merces vendendi, nisi quis soli sibi earundem vendendarum facultatem arripuisset. Sed nec ille monopolium exercet, qui ex remota aliqua regione solus merces quasdam advehit; modo reliquis non sit prohibitum, quo minus & ipsi illas eodem petant. Sic & hoc licite fieri potest; ut populus, cui peculiaris cujusdam mercis copia est, cum altero populo paciscatur, quod ipsi soli id genus mercium velit vendere. Nam utique cuilibet sua licet vendere, quando, & cui velit; nisi forte illa nobis supersint, alter autem iis carere nequeat. Quo casu lex humanitatis requirit, ne aliis tali pacto sua conditio reddatur deterior. At vero si quis citra tale pactum cum domino mercium proprio ausu vim sibi ad monopolium velit sternere, alios per vim aut clandestinas machinationes eodem accedere prohibendo, quo reliqui omnes ab ipso emere necessum habeant; hunc & in legem humanitatis peccare, & cæterorum libertatem protervè involare manifestum est. Circa monopolia autem, quæ exercentur adversus cives, observandum, non esse illicitum, si non cuivis quodvis negotiationis genus exercere conceditur; sed illis duntaxat, qui ad idem exercendum juxta instituta civitatis sibi jus quæserunt. Quemadmodum in plurimis rebusp. Europæis certa quædam præstitisse oportet eum, qui mercaturam aut opificium aliquod colere vult; nec sufficit ejus negotii solam obtinere scientiam. Sed & fieri potest, ut à summa potestate uni civi, aut societati mercatorum indulgeatur certum genus mercium ex certis locis advehere, exclusis reliquis; cujus privilegii concedendi variæ possunt esse causæ. Nam commercia, quæ ad loca remotissima instituantur, priusquam rite stabiliantur, magnos requirunt sumtus; & ancipiti eventui initio sunt obnoxia. Ergo autoribus talium commerciorum cavendum est, ne quod ab ipsis constitutum magno cum periculo & sumtu fuit, alii gratis intercipient. Ac præterea ejusmodi societates privilegiatæ opibus suis reip. exigente necessitate feliciter possunt

Zzzz.

possunt

possunt succurrere, quam singuli. Videntur etiam meliori fide commercia tractari, ac majorem copiam mercium hoc modo posse advehi: Neque de tot fraudibus, & compendiis cogitare necessum habent, quorum lucrum in commune velut ærarium redactum æqualibus portionibus distribuitur. Ast illud prudentiæ rectoriæ circa concedenda ejusmodi privilegia convenit, ut ea non dentur, nisi circa res, quæ ex remotissimis locis, & quæ cum periculo aditus patet, advehuntur; & quæ non tam ad necessitates vitæ, quam ad culturam ejus supervacuum spectant. Neque mercatoribus indulgendum, ut pro lubitu suo talium rerum pretia queant intendere. Sed & contra rationem est, paucis civibus occasionem præbere enormes corradendi opes ex fortunis cæterorum, quando ex istis in remp. nulla singularis utilitas redundat. Denique & illa monopoliorum genera vix videntur iniquitate carere posse, si quando opifices aut agricolæ merces, industria sua confectas, aut in fundis suis natas certis cogantur vendere, qui deinde easdem inter alios cives cum primis distrahant. Hoc modo enim opes civitatis in paucos confluere non sine oppressione cæterorum patet. Obiter & hoc observandum, à *Grotio* l. 2. c. 12. §. 16. pro monopolis non satis recte adduci exemplum de Josepho, Ægypti prorege. Nam neque rex prohibuerat, quo minus alii fertilibus annis possent frumentum colligere; & nemini interdicebatur vendere, si quid sibi superesset. Sicuti nec Alexandrinis apud *Strabonem* l. 17. *μονοπυλείαν* mercium Indicarum & Æthiopicarum privilegium aliquod, sed situs loci attribuit. Ast vero à privatis monopolium proprie dictum, quodque vim privilegii habeat, institui nequit. Quomodo enim privatus directe possit prohibere, ne alii quoque cives certum genus mercium tractent, cui neque imperii quid competit, neque vim adhibere licet? Igitur à privatis exerceri duntaxat possunt monopolia spuria, quæ vim juris aut privilegii non obtinent, sed clandestinis fere fraudibus, & conspirationibus constant. Puta, si qui astu prohibent, ne reliqui cives ad ea loca, unde ipsi suas merces petunt, accedant; aut ne alii in nostrum forum tales merces advehant; aut si qui coitione facta omnes ejus generis merces eodem, premuntque, ut sic raritate earundem procurata, iniquo illas pretio vendant. In hos quadrat illud Apollonii Thyanaei apud *Philostrophum* l. 1. c. 12. ἡ γὰρ πάσι τῶν μίτηρ. δικαία γδ. ὑμεῖς δὲ ἀδικοὶ ὄντες πεποιθεῖσθε αὐτὴν. αὐτῶν μόνων μίτηρ. Terra communis omnium mater est, quia justæ est.

vos autem iniusti existentes, eam vestram duntaxat matrem fecistis. Talium improbitas non minus coërcenda, atque illorum, qui, ut in Velabro olearii, de compacto id agunt, ut rerum pretia supra modum accendantur, dum clanculum inter se paciscuntur, ne quis infra conventum pretium merces vendat. Quam nequitiam operarii & opifices interdum imitantur. Add. *Plinius* l. 8. c. 37. *de erinaceo* l. un. C. *de monopol.* l. 6. D. *de extraord. crimin.* & *Cujacius* X. obs. 19. Minus vituperabilis solertia Thaletis circa conducenda omnia *λαμνεργεία*, olearia, cum ex astrologia magnam olei ubertatem futuro anno prævidisset. *Aristotel.* *Polit.* l. I. c. 7. (11.) *Dio-genes Laërt.* l. I.

CAPUT VI.

DE LOCATIONE CONDUCTIONE.

- | | |
|---|--|
| 1. Locationi cum emtione commu-
nia. | 3. Incertus regulariter damno con-
ductoris. |
| 2. Definitus rei usus interceptus est
damno locatoris: | 4. An eadem opera pluribus simul lo-
cari possit? |

Locatio conductio, qua pro mercede alteri usus rei aut opera addicitur, emtioni venditioni est vicina, iisdemque fere regulis consistit. Respondet enim pensio seu merces pretio; & dominium, quod emtione acquiritur, facultati rei utendi. Et uti emtio perfecta est, quando de pretio convenerit; sic & locatio, ubi de mercede. l. 2. D. *locati* Quæ tamen quomodo & tacite prorogetur, vid. l. 13. §. II. l. 14. D. h. t. Et uti si res in venditoris gratiam ematur, vilis, si in alterius gratiam vendatur, carius solet emi: ita & in locatione conductione, qui velut supervacuis con-ducitur modica mercede contentus esse cogitur; qui ultro ambitur, magni suam operam imputare potest. Denique sicut in emtione pre-tium indicare est regulariter penes venditorem, (*Plautus Persa: tua merx est, tua indicatio est.*) ultimum autem de eo statuit emtor: ita & in locatione contingit. Quo facit illud *Aristotelis Nicom.* IX. I. τὴν ἀξι-
αν ἢ ποτὶ τι τὰ ἕα ἰσθί, τὴν ποιομένην, ἢ τὴν πορὰ ἀβιτῶν, ὁ γὰρ πορῶν ἀβιτῶν ἔοικεν
ἰπιτρεπὲν λείπει. Dignitatem rei statuere utrius est? ejusne qui prius con-
tulit, an ejus qui prius accepit? ille enim qui confert, ei videtur per-
mittere. Id quod etiam ajunt *Protagoram* facere consuevisse; cum enim
qualiacunque docuisset, ei qui didicerat jubeat aestimare, quanti videren-

tur esse digna ea qua sciebat, & tantum accipiebat. Quanquam de Protagoræ more ita ipse apud *Platonem* in dialogo cognomine; *Exactionis* *meæ* hæc est conditio: postquam aliquis à me didicit, si vult ille quidem, retribuit quantum exigo argentum. Sin minus, ingressus templum jurejurando præstito æstimat, quanta mercede digna sibi mea documenta videantur, tantamq; exponit. Enimvero sicut qui merces emit, non prius constituto certo pretio, intelligitur se obligare ad dandum commune istarum pretium: ita & qui alteri operam suam accommodat, antequam merces fuerit determinata, æquitati conductoris id committit, ita tamen ut non minus detur, quam communiter solet dari. Vid. *Matth.* XX. 4. 7. Cavillatorius autem est modus solvendi operam delectabilem, cujus mentio fit apud *Aristotelem Nicom.* IX. c. 1. & *Plutarchum de auditione, & de fortuna Alexandri*: Citharædo quis quando melius caneret, tanto plura pollicitus fuerat: cum repeteret manç, quod fuerat ipsi promissum, voluptatem pro voluptate reddidisse se dixit. Sed recte *Aristoteles*: οὐκ ἔστιν ἄλλο τι μὴδὲν γίνεσθαι ἢ ἰσχυρὰ μὴ τρυχάνη. Perinde est ac si nihil fiat, cum id non consequitur quispiam, quod cupit. Rectius similem cavillationem adhibuit *Bocchoris* apud *Plutarchum Demetrio*. Quum quidam amaret *Thonidem* meretricem, poposcit illa ingentem pecunie summam. Adolescens inde, quum in somnis sibi visus esset cum illa concumbere, liberatus est libidine. Ob id mercedem ab illo institit *Thonis* judicio exigere. Cognita causa, iussit *Bocchoris* illi, quantum postulaverat *Thonis* argenti, in vase numeratum huc atque illuc manu jactare, ac meretricem umbra frui. Quanquam sententiam hanc arguit *Lamia* iniquitatis. Neque enim, inquit, ademit meretrici umbra pecunie cupiditatem, somnium vero amore adolescentem expedit. Illud quoque inest huic contractui, ut si quid detrimenti acciderit conductori, dum opus absolvere nititur, ipsius damno, non locatoris sit. Vid. lib. 2. §. 1. l. 6. D. de lege *Rhodia*. Est & notatu digna lex de architectis apud *Ephesios* quondam recepta, ubi si supra quartam partem sumtuum, quos architectus prædixerat, in opus foret impensum, de suo id iste præstare tenebatur. Apud *Vitruvium de Architect.* l. X. præfat.

§. 2. Illa hæc quæstio expedienda: num casus, qui intercipiunt usum rei, aut deteriolem reddunt, conductori, an locatori sint damno, ac de

ac de pensione possint detrahi? Alii paucis respondent, uti res domino perit; ita naturaliter & citra pacta adjecta sterilitatem, & alios casus, qui usum intercipiunt, esse damno conductoris; & locatorem jus habere à conductore pensionem conventam exigendi, etiamsi hic fortasse minus, quam quanta est pensio, ex re conducta fructuum perceperit. Locatorem quippe dedisse conductori facultatem utendi re sua, cujus fructuum spes eo tempore, quo contractus inibatur, tanti aestimabatur; adeoque cum iste suum præstiterit, hunc quoque pensionem, quam promisit, præstare æquum esse. Quanquam subtilius hæc quæstio videatur deducenda. Id igitur certum est, quando res citra conductoris culpam plane perit, non solum hunc non teneri ad eandem restituendam, sed & ex eo tempore pensionem cessare. Nam ut integra merces postulari queat, præsupponitur, rei existentiam per totum tempus contractus durare. Re ergo non amplius existente, contractus expirat. Vid. l. 9. §. 4. D. *locati*. Huc facit institutum Sesostris, regis Ægyptii, quo si cui de assignata agri portione vis fluminis quid abrasisset, pensio imposta proportionaliter minuebatur; ap. *Herodotum Euterpe*. Deinde distinguendum est inter res, quarum certum, & definitum usum locator præstare potest & debet: & inter eas, quarum usus, quoad quantitatem est incertus, & aliquid aleæ habet; adeoque in certa quantitate à locatore præstari non solet, nec debet. Prioris generis est v. g. domus ad inhabitandum conducta, cui usui ut sit idonea locator efficere debet. Inde si illa vi turbatum sit dejecta, aut ob vicinum incendium ruinis deformata, conductor de mercede detrahit, quantum usus domus ipsi factus fuit deterior. Nam pensio seu merces fuit determinata secundum istum usum, quem eo, qui in præsens erat, modo comparata domus per totum conductionis tempus exhibere poterat. Usu ergo citra conductoris culpam diminuto, pensionem quoque pro rata diminui par est; nisi in pristinam integritatem domus statim reparetur citra notabile incommodum & detrimentum conductoris. Vid. l. 15. §. 1. l. 30. D. h. t. Sic si inquilinus, aut colonus ex conducta domo, agrovè fuerit ejectus, itidem pensionem non deberi constat; quia hoc casu moraliter res domino perit, quousque hostes iterum sint expulsi. Fructus autem jam collecti, ubi ab hoste fuerint ablati, conductoris damno sunt. Circa conductionem autem ope-

rarum observandum; si quis momentaneam & velut transeuntem alicujus operam conduxit, ubi hic casu aliquo impeditus fuerit, quo minus conventam operam repræsentare posset, conductor mercedem solvere non tenetur. Verum si quis continuam alicujus operam conduxit, ubi hic ad modicum saltem tempus morbo aut alio casu ad opus faciendum inutilis fuerit redditus, humanum est, ipsum sua functione non ejicere, nec de mercede quid detrahere, præsertim ubi spes sit istam, quæ casu intercepta est, operam subsequuta diligentia pensari posse, aut ubi antegressa opera talem humanitatem merita sit.

§. 3. At vero circa illas res, quarum proventus incertus est, quales sunt agri, horti, vineæ, flumina ad piscandum, & similia, uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejusdem damno est; nec stricto jure de pensione ob sterilitatem quidquam detrahendum, præsertim cum unius anni sterilitas alterius ubertate soleat pensari. Non est enim boni patrisfamilias ejusmodi res ad unum duntaxat annum locare, aut conducere. Vid. l. 16. §. 4. D. *h. t.* Neque opponi potest heic tritum illud: cum damno alterius neminem fieri debere locupletiores. Nam idem posset occinere locator in ubertate insigni ad agendam pensionem; qui tamen non auditur. Et quia inæquales solent esse diversorum annorum proventus, ideo locator certum quid, & mediocre mavult habere, quam ab incerta annorum ubertate dependere. Contra conductor certum vult expendere, spe lucri incerti; quæ si ipsum sefellit, sibi debet imputare. Recte tamen adhibetur heic temperamentum propositum in l. 15. §. 2. D. *h. t.* ubi damno locatoris esse dicitur, *si fructus sint corrupti vi fluminum, graculorum, sturnorum, si incursum hostium fiat, si uredo fructum oleæ corruerit, aut solis fervore non adsueto id contigerit.* Ratio additur, *ne colonus supra damnum seminis amissi mercedes agri præjare, adeoque duplex damnum ferre cogatur. Si qua tamen vitis ex ipsa re oriantur, aut si nihil extra consuetudinem contigerit, damnum coloni esse.* Ubi adparet, temperamentum æquitatis consistere in divisione casuum, quæ fructus possunt intercipi, in frequentiores & rariores.

rariores. Jungatur l. 25. §. 6. D. *h. t.* ubi recte additur; *modicum damnum a quo animo debet ferre colonus, cui immodicum lucrum non auferitur.* Alioquin enim si ob quodvis damnum aliquid pensioni foret detrahendum, perplexarum litium magna seges esset pullulatura. Et ideo pensiones fundorum ad mediocrium annorum proventus determinantur, ne ex modico damno coloni querelas movendi causam habeant. Quantum tamen præcise debeat esse damnum, ob quod de pensione aliquid est remittendum, ex arbitrio boni viri, consideratis singulis rerum circumstantiis, quam ex universali aliqua regula, rectius definitur. Circa colonos & illud est observandum, fundos illis quandoque hac lege locari, ut loco pensionis exsolvant id, quod laborem in excolendis istis positum excedit. Ubi colonus, qui velut mercenarius est, pretium sui laboris primo loco detrahit. Et sic sterilitas plerumque est damno solius domini. Quod si autem conductor primus re conducta uti fuerit impeditus quocumque casu, & locator eandem rem alteri deinceps locaverit, aut quacumque ratione ex eadem usum, alias conductori debitum, perceperit; is quidquid consecutus inde fuerit, rependere debet primo conductori; aut pro pensione in solutum accipere, si modo hic pensionem solvere sit paratus. Cæterum quid conductor circa rem conductam, & locator circa operam locatam præstare debeat, docetur in l. 9. §. 2. 3. 5. l. 11. l. 12. l. 13. l. 25. §. 3. 4. 7. 8. l. 27. l. 30. §. 4. l. 38. l. 55. §. 1. 2. l. 60. §. 2. l. 61. *princ.* D. *h. t.* Huc quoque spectat lex Ægyptiorum de medicis, qui si ex præscripto codicis publici ægrotum curassent, eo mortuo, indemnes erant; sin contra præscriptum egissent, capitis iudicium subibant. *Diodor. Sicul.* l. 1. c. 82. Obiter quoque notari potest modus contrahendi cum medicis in regno Tunquin, quem refert *Alexand. de Rhodes Itiner. part. 2. c. 30.* ubi cum medico sub initio morbi super mercede convenitur; sed quam iste non accipit, nisi morbo curato: si æger moriatur, gratis operam insumsit medicus. Hac quippe ratione medici diligentiam putant intendi. Quo loco etiam memorat exemplum medici, qui ad curandum morbum accersitus, cum super mercede tractatur, dicebat: si ægrotus juvenis foret, se non minoris quam pro centum scutatis ipsum curaturum; sed cum idem ætate jam provec̄ta sit,

viginti

viginti se fore contentum. Nam vitam, quam ipsi daret, diu durare non posse.

§. 4. Illud quoque heic quæritur, an, si eadem opera mea, puta itineris susceptio, pluribus simul possit esse utilis, & ego eam uni pro justa & æquipollente mercede addixero, ab altero aut pluribus æqualem mercedem possim exigere? *Grotius* l. 2. cap. 12. §. 19. putat rectè id posse fieri, ubi lex civilis non obstat. Nam id esse extrinsecum contractui, quem cum primo inivi, quod opera mea alteri quoque est utilis; neque inde eandem primo illi fieri minoris. Enimvero vix videtur talem contractum æquitati & humanitati congruere, utut forte stricto juri non repugnet. Non quando alicui tantum solvitur ab uno, quanti opera ista in se est; respectu cæterorum, quibus eadem simul ita prodest, ut tamen non laboriosior existat, quam si uni duntaxat adhibeatur, tanquam res innoxie utilitatis æstimatur, quæ præstantem non gravat; alteri vero prodest. Quia tamen durum videtur, ut ille, qui mercedem solidam promisit, solus oneretur, cæteris immunibus, æquum erit, ut huic cæteri ratam partem mercedis contribuant. Inde frequens est, ut quando ego v. g. navem solus conduxì, me invito locator non possit alios recipere; ac si ego quosdam velim admittere; mihi commodo id cedat. In artificis tamen, quæ ex paucitate artificum, & raritate æstimationem capiunt, rectè quis abs singulis solidam mercedem stipulari poterit, etsi eadem opera plures informare queat. Nam ejusmodi artes pluribus communicatæ vilescunt. Ergo licet opera mea pluribus simul adplicata mihi non sit laboriosior; id tamen rectè imputare possum, quanti scientia mea pluribus communicata mihi deinceps minoris est. Quanquam sint, qui nolint esse locationem conductionem, quando quis pro informatione in artibus liberalibus salarium accipit; cum doctrina non sit numero æstimabilis: sed esse contractum innominatum, facio ut des. lib. 1. D. de extraord. cognit. conf. tamen *Seneca de benef.* l. VI. cap. 15. In isto qua ratione sæpe circumveniantur miseri magistri, docetur apud *Lucianum de mercede conductis*. Quicquid hujus sit, habet tamen id iste contractus commune cum locatione operæ, in qua fides tantum & industria, non

non autem eventus semper præstari potest, ut licet labor irritus perierit, merces tamen conventa peti possit. *Juvenalis sat. 7. Mercedem appellas? quid enim scio? culpa docentis Scilicet arguitur, quod levia in parte mamillæ Nil salis Arcadico juveni.* Aut quando adplicari ipsi potest illud *Plinii N. H. l. 8. c. 33. de tarando: cum libuit sui coloris esse, asini similis est.* Et bene *Euripides Hippol. Coron. Δειὸν ἄρα τὸν εἶπας, ὅτι εἰ εὖ φρονεῖν ἴσας μὴ φρονῶντας ἴσως ἰς ἀναγνώσκω.* Mirum doctorem dixeris, qui ut rectè sapiant amentes, possit mortales cogere. *Libanius declam. 29. ἔστι βραχύτερον καὶ μάλλον ἰσχυρόν μαθήσεως φθόνου.* Naturæ violentior ac valentior est disciplinâ. Et si quandoque non immerito reponi queantilla, quæ habentur apud *Lucianum in Hermotimotom. 2. p. m. 293.* Notatu quoque digna est oratio, quam *Magnus Mogol Aureng Zebe* ad præceptorem quondam suū habuit, apud *Bernier de rebus in regno Mogoris gestis. part. ult. p. m. 57.* Cæterum contrarium plane huic contractum inivit *Æschines*, quem *Diogenes Lærtius* scribit *ἡμετέρας ἀρχαίας εὐκροῖσθαι, auditores mercede sibi quasuisse.* Quod Romæ postea imitari sunt ambitiosi scriptores, qui precibus, numis, & sportulis ad recitationes suas auditores conquirebant. Neque insuper habendum est institutum *Socratis* apud *Xenophontem Apomnem. l. 1.* qui ab auditoribus suis pecuniam non exigebat. Admirabatur vero, si quis cum se profiteatur magistrum esse virtutis, pecuniam exigat, & non arbitretur maximum habiturus lucrum, si bonum adipiscatur amicum: sed timeat, ne is, qui bonus & honestus ab ipso est factus, non maximas gratias illi, qui ei benefecit, habeat.

CAPUT VII. DE MUTUO.

- | | |
|--|---|
| <p>1. <i>Quid mutuum: quid res fungibiles?</i></p> <p>2. <i>Harum rerum duplex usus.</i></p> <p>3. <i>Quibus rebus in creditum solemus ire?</i></p> <p>4. <i>De mutuo tacito.</i></p> <p>5. <i>An mutuum sit alienatio?</i></p> <p>6. <i>Quid si mutatio contigerit in bonitate mortæ intrinsecæ?</i></p> <p>7. <i>Aut in valore extrinsecæ?</i></p> | <p>8. <i>Ebraeorum super usuris tradita.</i></p> <p>9. <i>Usuram juri naturali non repugnare ostenditur.</i></p> <p>10. <i>Ad argumenta in contrarium respondetur.</i></p> <p>11. <i>Contractus usura equipollentes probantur.</i></p> <p>12. <i>Elusiones infamia usuraria passim inventa.</i></p> |
|--|---|

A a a a

In

IN mutuo datur alicui res fungibilis ea lege, ut is possit intervallum idem genus reddat in eadem quantitate & qualitate. l. 3. *D. de rebus credit.* Vocantur autem res, quæ mutuo dantur, fungibiles, seu quæ functionem in suo genere recipiunt ideo, quia quodlibet ex isto genere vice alterius ita fungitur, seu alterius vicem subit, ut qui ex eodem genere, eadem quantitate & quantitate receperit, idem recepisse censeatur. In quo mutuum differt à commodato & locato, quod heic ea ipsa species, quæ data fuit, restituenda sit, nec aliud pro alio invito creditori solvi possit. Idque non tantum, quia ejusmodi res plerunque sunt inæqualis valoris, sed & quia expresse hoc actum fuit, ut meam speciem recipiam. Contra si v.g. pro modio tritici, quem alteri mutuo dedi, alium modium pari bonitate recepero, meum me recepisse judicor. Dicuntur porro eadem res constare pondere, numero, & mensura, quippe quibus determinantur & specificantur; cum reliquæ ab ipsa natura determinatam habeant quantitatem. Quam ob causam & res fungibiles peculiariter vocantur *quantitates*; aliæ autem res, quibus in creditum non imus, *specierum* nomine veniunt. Ubi tamen observandum, non ideo v.g. boves esse res fungibiles, quia centum aut quinquaginta boves vendere possum, & quia etiam in vendendo numerantur. Nam illi non specificantur per numerum, sed numerus quantitatem specierum exprimit. Add. *Jacobi Godofredi dissert. de æqualitate & functione in mutuo.*

§. 2. Illæ porro res duplicem præbere possunt usum, ordinarium, & extraordinarium. Usus extraordinarius talium rerum potest esse hic, ut aliquis alteri dives rebusque istis ubertim instructus adpareat, v.g. quia senibus procis ad puellarum sibi amorem pignerandum opinio divitiarum multum prodest, ideo potest quis parum pecuniosus ab aliquo summam pecuniæ commodato accipere, quàm tantisper intra arcam suam ostendet, dum amasiam spectandis ædibus circumducit. Heic cum commodato tantum summi sint numi, hautquaquam accipientis facti sunt, & eadem corpora, seu species restitui debent. At verò ordinarius usus ejusmodi rerum in abusu consistit; seu tales res directe in usus meos adplicare nequeo, nisi easdem consumam, ita ut saltem mihi pereant, seu ex numero rerum mearum removeantur. De frumento, vino, aliisque rebus, quæ in alimenta corporis adhibentur, res plana est. Pecuniam autem ad comparandas res alias, aut dissolvenda debita adhibere

non possum, nisi ut eam à me abdicem ac removeam. Quo facto utur substantia numerorum apud alium duret; tamen quantum ad me illi consumti censentur. Quamobrem ubi istiusmodi res ob ordinarium usum in alium sunt transferendæ, non animo permutandi, sed ut idem recipiatur; quia species, quæ data fuit, est consumpta, igitur restitutio necessario in eodem genere est faciendâ.

§. 3. Sunt autem communissimæ res fungibiles, & quidem quæ numero determinantur, pecunia; quæ pondere, aurum & argentum runde, panis; quæ mensura, frumentum, sal, vinum, cerevisia, oleum, vid. l. 2. §. 1. D. de reb. cred. Et in genere omnia cibaria, v. g. carnes, ova, lac, imò & integra ac viva animalia, quatenus tanquam cibaria considerantur. Nam si mihi v. g. epulum sit instruendum, nec tanta domi copia, aut emendi facultas foret, potero utique à vicino mutuo sumere non solum ova, aliquot libras carniû, sed & pisces, canctos, lepores, gallinas, anseres, imò oves & vitulos, ea lege, ut deinceps talia in suo genere restituam. Add. Plinius N. H. l. 9. c. 55. Sub censum rerum fungibilium quandoque etiam venire potest charta pura, quæ usu consumitur, quatenus ubi semel conscribillata est, aliam scripturam non admittit. Imò quodvis genus mercium, certa mensura determinari aptum, quod æquali bonitate passim invenitur, quodque genuino ac principali adhibitum usui in priorem & integram formam revocari nequit. Istiusmodi enim res, etsi regulariter vendi soleant: tamen quandoque etiam usu venit, ut iis in creditum eamus, v. g. si ego certam quantitatem panni ad futuros usus meos comparassem, & vero amico repente tali panno opus sit, nec statim ejus emendi copia suppetat; possum utique pannum meum illi dare ea lege, ut alium ejusdem quantitatis & qualitatis restituat.

§. 4. Solet porro mutuum contrahi, non tantum expresse, sed etiam tacite, puta si alicui per errorem solvero, cui non debebam; vel si alicui dedi ob aliquam causam, quæ causa deinde secuta non est. Unde in jure Romano prodita est *condictio indebiti*, & *condictio causa data, causa non secuta*. Cum enim non animo donandi datum sit, sed vel quia deberi credebatur, vel ut æquipollens acquireretur; quod autem ita datum est, factum fuerit accipientis: igitur perinde habetur, ac si istæ res mutuo essent datæ, eodemque modo possunt repeti. Hinc fundamen-

damentum istarum conditionum non incommode vocari poterit mutuum tacitum; quod aliàs Jctis dicitur quasi-contractus. Apud *Paul. Warnefrid. de gest. Longobard.* Mauritius Imp. repetebat pecuniam, quam Childeberto Francorum regi pro expulsionem Longobardorum ex Italia dederat, postquam ille cum hisce pacem fecisset. *Etsi ille virium suarum potentia fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.* Obiter quoque heic notandum, quod refert *Plutarchus quasi. Grac.* *Cui apud Gnossios moris erat, ut mutuum fœnore pecuniam accipientes, eum raperent?* ἢ ὁμοῦ δὲ ἐπιβῆναι, ἢ ὁμοῦ τῆς βλάβης ὄντων, καὶ μὴ μόνον καὶ ἀλάτῳ; *an ut creditorem frustrantes, rei violenta actionis eò gravius punirentur.* Sic ut ea ratione fraus fieret legi de non accipiendis usuris, ut si alter, quod abstulerat, cum fœnore non redderet, rapinæ arcesseretur.

§. 5. Disceptatum fuit superioribus annis inter *Cl. Salmasium*, & nonnullos Jctos, *an mutuum sit alienatio?* Ubi id planum est, cum regularis usus rerum, quæ mutuo dantur, in abusu consistat, translationem à creditore in debitorem ea lege fieri debere, ut hic plenissimam ea de re disponendi accipiat facultatem, ipsumque adeo dominium, sine quo potestas rem consumendi intelligi nequit. Quia tamen iste ea lege dat, ut idem recipiat, & hic ea lege accipit, ut idem restituat; ideo neque illius patrimonium decrevisse, neque hujus auctum censetur, nisi quod isti in locum rei successit actio personalis, quæ ob molestiam & incertum eventum executionis minus quam ipsa res judicatur. Inde quemadmodum in patrimonio nomina quoque numerantur; ita tantum quisque habere intelligitur, quantum detracto ac dissoluto ære alieno est retenturus. Er qui plus debet, quam ipsius est patrimonium, illum minus nihilo habere non absurde dixeris. Hinc *Cæsaris apud Appianum de bello civili l. x. dictum: bis millies & quingentis HS. opus sibi esse, ut nihil habeat.* Inde æs quoque mutuo sumtum *alienum* dicitur, non quod quis ejus dominium non habet, sed quia id ab altero est acceptum sub lege tantundem restituendi. Contrà qui nullis gravatur debitis, dicere potest: *Meo sum dives in ære.* Verbo: qui pecuniam alteri credit, revera quidem numos alienat; sed ita, ut neque suo patrimonio quid detrudere, neque debitoris aliquid addere velit.

§. 6. Majoris momenti est illa quæstio: si in moneta mutatio contigerit eo tempore, quod mutui dationi, & solutioni interjicitur, utrum sit

fit respiciendus valor numerorum, qui tempore mutui contracti fuit, an vero qui est tempore solutionis? Plerisque heic videtur distinguendum inter bonitatem monetæ intrinsecam & extrinsecam; quarum illa consistit in certæ materiæ certa quantitate; hæc in publica taxatione, seu impositione valoris à magistratu facta. Si in illa mutatio contigerit, puta, si de materia aut pondere aliquid fuerit detractum, (nam fere mutatio circa monetam non fit nisi in deterius,) putant monetam ad eam, quæ fuit tempore contractus, bonitatem reducendam. Id enim in hoc contractu actum censetur, ut non solum eadem res in suo genere, sed & in eadem bonitate restituatur; aliàs enim non eadem quantitas restituitur. Inde v. g. si numis recens percussis quarta pars intrinsecæ bonitatis fuerit demta, pro 100. antiquo commate restituendi fuerint recentium 125. Similiter si alicui centum mutuo dederò, dimidia sui parte ære constantes, ubi post illa mixtura fuerit proscripita, & æris loco argentum surrogatum, 50. tantum erunt solvendi. Nam licet penes summum imperium sit, valorem numerorum ex eadem materia constantium intendere, aut remittere: tamen ubi iste extrinsecus valor ab interna numerorum bonitate multum discrepaverit, & quia exterorum quoque ratio habenda, nî commercia cum illis ad solam permutationem redigere velimus; prætià mercium magis ad intrinsecam bonitatem, quam valorem istum externum, & vocabula numerorum determinabuntur. Et sic detracta quarta materiæ parte, jam 125. erunt dandi pro ea merce, quam antea pro C. emere poterant. Unde si quis pro C. antiquæ notæ numis mihi jam totidem recentis commatis vellet restituere, reverà quarta parte minus daret.

§. 7. Quod si autem salva intrinseca bonitate externus valor numerorum sit mutatus in majus aut minus, tunc putant valorem numerorum considerandum, prout fuit tempore initi contractus. Sic ut augmentum & decrementum ejus valoris lucro & damno cedat debitori, v. g. si alicui mutuo dederò C. imperiales in specie, uti vocant, quorum valor eo tempore erat 48. nummorum alborum; post autem eorum valor ascenderit ad 52. albos; si solutio fiat numis albis, in singulos imperiales non plus posse imputari, quam 48. albos. Quod si autem solutio fiat imperialibus in specie, de singulis posse detrahi valorem 4. alborum, sic ut non plus quam 92. imperiales in specie sunt solvendi. Et vice versa, si eorum valor ad 44. albos decreverit,

rit, ac solutio fiat numis albis, in singulos imperiales 48. albos computandos. Sed si imperiales in specie solvantur, singulos supplendos esse 4. albis; sic ut 108. imperiales in specie jam sint solvendi. Enimvero ne sic quidem videtur res adeo liquida. Nam contra priorem casum potest excipere creditor, si ipse suos retinuisse imperiales, incrementum sibi fuisse cessurum; quo si jam carere cogatur, suo cum detrimento alterum lucrum facere. Parem querelam circa posteriorem casum debitor movebit. Ergo ulterius est inspiciendum, an certum genus numerorum, v. g. imperiales in specie dati sint, ut totidem in specie restituantur, & non in alia moneta: an verò iidem dati sint ad modum vulgaris & currentis, quam vocant, monetæ. Deinde an universa moneta mutationem subierit, an tantum unica illa species. Priori casu sine dubio totidem corpora reddenda. Secundo casu antedicta decisio locum habet: quam ob causam etiam in ejusmodi mutuo valor v. g. imperialium ad aliud monetæ genus solet referri, v. g. tot imperiales 48. numos albos valentes. Tertius casus, ubi mutatio in universa pecunia contigit, comparata ad res alias quantum ad raritatem aut copiam, decidendus est ex iis, quæ supra h. l. c. l. §. ult. tradidimus. Etsi communi usu hæcenus vix receptum, ut ista universalis mutatio monetæ in luendis antiquis debitis attendatur. Circa quartum casum observandum, quando unum monetæ genus, salva eadem bonitate intrinseca, valore agetur, reliquam monetam regulariter mutatam in deterius. Sic v. g. quando imperialium, persistente eorum bonitate intrinseca, valor, qui antea fuit 48. nummorum alborum, ad 52. ascenderit, indicio est, de horum intrinseca bonitate aliquid decessisse. Hæc ergo si dati fuerint imperiales in specie, & solutio sit facienda numis albis, in singulos illorum non 48. horum, sed 52. erunt computandi. Sed ubi vulgaris sive currens moneta fuerit mutuo data, mutatio verget in compendium debitoris; nisi magnitudo summæ aut enormitas mutationis aliud suaserit. Enimverò circa alias res fungibiles, modo tempore & loco convento restituantur, non attenditur, an ipsarum pretium interea creverit, an decreverit; sed & aucti pretii commodum, & deminuti incommodum ad creditorem pertinet; nisi secus conventum fuerit. Quod si autem debitor sit in mora, & interea rei pretium mutetur, anxie disquiritur ab

ab interpretibus juris Romani, ad l. *vinum*. 22. *de rebus creditis*, cujus tentoris & loci fieri debeat æstimatio. Ubi æquissimum videretur, ut æstimatio fiat pro tempore & loco solutionis; sed si interea, dum debitor moras necitat, pretium fuerit mutatum, id debitoris damno sit. Add. l. *ult.* D. *de condict. triticaria*. l. 3. D. *de eo, quod certo loco*.

§. 8. Circa mutuuum etiam operose disquiritur, anne usuræ, quas pro illo dari moris est, juri naturali & divino repugnent? Quod eo accuratius faciendum est, quia apud plurimos exolevit illa Persarum opinio, quam refert *Plutarchus de vitando aere alieno*: πῖσσα το ψύδασις διουτιρον ἢ τὸ ἀμαρτημάτων, πρῶτον ἦ, τὸ οφείλειν ὅτι καὶ τὸ ψύδασις τῆς ἐπαύσεως συμβαίνει πικρῆς. *Persæ secundum locum inter peccata adsignant mendacio, primum ari alieno, quia & debentibus saepe contingit, ut mentiantur.* Et si *Herodotus Clio*, mea sententia rectius, priori loco ponat *mentiri*, secundo loco, *as alienum debere*. Quomodo igitur legem divinam circa usuras, quæ extat *Exod. xxii. 25. Lev. xxv. 37. xix. 14. Deuter. xxiii. 19.* antiqui Ebræi explicarint, late docet *Seldenus de J. N. & G. l. VI. c. 9.* Scilicet eredeabant isti, non accipere solum usuras, sed & dare inter Ebræos esse illicitum, & quidem ut reatum quoque contraherent scribæ, actuarii, & testes, intervenientes contractui usurario, nec non proxenetæ. Pecunia tamen orphanorum licite collocari poterat viro locupleti hac lege, ut de lucro, quod inde faceret, daret orphano; damnum autem ipse solus tolleraret. Faciebant autem isti duo usuræ genera; una erat usura proprietæ, constituta & accepta tempore initi aut pendentis contractus: & hæc lege divina interdicta censebatur. Altera dicebatur pulvis usuræ, majorum duntaxat scitis illicitus. Usuræ proprietæ crimen admittebatur, non tantum si quis res fungibiles cum accessione reciperet; sed & si quis v. g. pro mutuo in alterius villa aut domo gratis habitaret, donec solveretur mutuuum; aut si minoris conduceret, quam aliàs usus villæ valebat: aut si ex pignore usus quidam mutui nomine caperet. Juxta illorum tamen mores ob usuram acceptam in foro nemo vapulabat, uti ob violatas alias leges divinas fieri sœverat; sed duntaxat ad eandem restituendam cogebatur. Mortuo autem illo, qui usuram acceperat, hæcres non adigebantur restituere pecuniam foenore lucrifactam, aut res fungibiles,

ibiles, sed tantum vasa, vestes, instrumenta, animalia adhuc extantia, usuræ nomine accepta, idque in honorem defuncti, & servandæ ejusdem famæ postumæ; & quidem si palàm erat, eum ob id poenituisse, & dubitasse, num ipse ante mortem idem restitueret. Secus nec hæredes ad restitutionem tenebantur. Interdictum quoque erat idiotis tempore mutui munusculum abs debitore accipere. Ast idem licebat jurisperitis; quia hi censebantur præceptum de usura non voluisse violare, sed id accepisse tanquam simplex donum, non in usuræ vicem. Per pulverem usuræ vetabantur accipere quodcunque commodum & beneficii agnitionem, quæ extra mutui contractum, seu extra ejusdem contracti tempus qualicunque mutui respectu creditori posset præter sortem intra diem solvendi obvenire. Hujus pulveris duas species faciebant; unam, quæ ad discrimen temporis attinet, quo incrementi aut commodi nomine quid à debitore præstatur: alteram, quæ ad contractus diversitatem respicit. Priorem iterum distinguebant in antecedentem, & consequentem. Per illam intelligebant, quidquid ab eo, cui in animo erat mutuum petere, donatum fuerit ei, à quo petierit, sub spe facilius in mutui dationem eum conciliandi. Per hanc, quidquid debitor post mutuum acceptum muneris nomine donaverit creditori, ut sibi dies solvendi antè præstitutus comperendinetur. Imò ne humanitatis quidem officia volebant creditori postmodum à debitore præstari, nisi ante mutui dationem inter eos in usu fuissent. Posterius genus pulveris usuræ putabatur spectari in tali modo contrahendi, v. g. ubi venditor dixerit, si hodie emeris, vendam tibi XC. siclis; si nolis ante diem crastinum emere, dabis C. In tali enim contractu adjectio moræ simul cum pretii incremento visa est innuere, decem velut usuræ nomine solvendos. Cæterum hic pulvis usuræ non erat restituendus, nec actio prodita, qua rite in foro peti posset. Etsi qui contra hæc majorum scita peccasset, plagis aut alio modo plesteretur. Sic non licebat ei, qui fundum pignore acceperat, illum fundum sub censu iterum domino locare; quippe cum census ille videretur usuram imitari. Et hæc duntaxat inter Ebræos in vicem valebant. Verum à gentili usuras exigere putabant licitum esse per *Deuteron. XXIII. 19.* imò præceptum id credebant; scilicet ut opibus exhaurirentur, & debilitarentur gentes, à Deo excidio aliàs destinata. Etsi *Leo Mutinensis de ritibus Hebraicis part. 2. c. 5.* tradit, dictum istud esse tantum

tantum intelligendum de septem populis, terræ Canaan incolis, non autem de aliis gentibus, à quibus itidem usuras capere nefas sit. Per miserias tamen longæ captivitatis, & ob negatam prædiorum possessionem, honestioremque rem quærendi facultatem, plerosque à legalitate Israëlitica degenerasse. Falsum tamen protestatur esse, quod aliqui disseminant, Judæos quotidie jurare, se Christianis decipiendis operam daturos; idque confictum tradit odiis in ipsos inflammandis.

§. 9. Hæc tam curiose ab Ebræis observata, an juris naturalis sint, an juris divini positivi, & quidem quod non peculiariter populo Judaico, sed universis gentibus fuerit latum, jam dispiciendum. Equidem de illis, quæ per Judæorum magistros fuerunt addita, liquidum est, ea esse juris positivi, ad præcludenda diverticula, eludendæ legi per homines male solertes inventa. Sed in universum de lege circa usuras arbitramur, siquidem illæ non contineant iniquam oppressionem & arrosionem egenorum, sed respondeant lucro, quod vel nos potuissimus interea facere, vel quod ex nostra pecunia debitor capit, ubi præsertim hic non tam necessitatis, quàm lucri faciendi causâ mutatus fuerit: istam non esse naturalem, neque juris divini, quod omnes gentes obligat, sed positivam, quæque populo Judaico fuerit peculiaris, rationibus fere politicis nixa. Id quod etiam, tradente *Seldeno*, l. c. communiter Rabbini senserunt, fœnus scil. naturali juri non repugnare, nec furtum eo committi, quippe cum nitatur consensu & contractu hominum libero. Sed ex ratione satis manifeste idem videtur evinci posse. Nam utut arctiori dilectionis gradu ex præcepto divino Ebræi inter se juncti erant; tamen cõmunia legis naturalis officia adversus quoslibet alios exercere utique tenebantur. Unde & *Jurvenali sat. 14.* non immerito perstringitur: *Non monstrare viam eadem nisi sacra colenti: Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.* Atqui si omnis usura repugnat legi naturæ, non video, quomodo sanctissimum Numen populo, quem peculiariter sanctum volebat, expressè indulserit, & velut eum monuerit violare aliquod præceptum juris naturæ in homines, qui nulla ipsos injuria lacefferant; siquidem d. l. *Deut. 23.* utique non de Cananæis duntaxat, sed quibusvis gentibus sit intelligendus. Ratio autem ejus legis videtur fuisse duplex; una petita ex genio populi,

puli, altera ex forma reip. ac conditione ejus seculi. Scilicet non minus olim atque hodie ardentissima habendi sitis eam nationem vexavit, ac opibus abundare summa felicitatis fuit. Igitur ne per illum lucrandi ardorem ab opulentioribus tenuiores opprimerentur, Deus ea lege præcavere voluit. Ne tamen ingenio ipsorum nimiam velut vim inferret, in extraneos omnem exercere solertiam permisit. Deinde satis adparet, Mosè voluisse instituire remp. popularem, (quam principatus heroicus non tollit,) cujus inter regulas hæc est ex præcipuis, ut quantum fieri potest, æqualitas opum inter cives servetur. Ei fini institutæ leges de anno jubilæo & remissionis. *Levit. xxv. 14. 31. Deuter. xv. 2.* & de non alienandis in perpetuum fundis. Add. *Numer. xxxvi.* cui similis lex Solonis, ut filia *ἰσικλῆς*, seu cui fundi in patrimonio, agnato teneretur nubere. Sed & conditio istorum temporum aliam ostendit rationem legis usuraria. Simplici modo rem tunc faciebat iste populus, ex pecuaria & agricultura, aut operis manuariiis. Mercatura itidem simplex, & modica, ignotis adhuc apud illos commerciorum arcanis, ac nulla navigatione. Talis ubi est civitatum status, nemo mutuum accipit, nisi inopia pressus. Unde *Deuter. xxviii. 12.* argumentum maxima felicitatis memoratur: *tu multis mutuo dabis, abs nemine accipies.* Add. *Deuter. xv. 7. 8.* Cum autem ibidem lucra non possint non esse satis tenuia, inde fit, ut quamvis modica usura debitores vehementer gravet. Et cum mutuo sumpta pecunia in necessitates corporis consumatur, difficillimum est sortem iterum acquirere; cum antea labore efficere non potueris, ne ad mutuo sumendum adigereris. Ob easdem rationes tantis olim turbis involuta fuit civitas Attica per fœnus, ut ei aliter succurri quàm per Solonis *ῥευσάχθεται* non posset. Vid. *Plutarchus Solone.* Quod malum quoque Roma adhuc modica sensit. *Grotius ad Lucam c. 6. v. 35.* Rationem legis *Deuter. 29. 13.* inter alias hanc affert: *potissimus Hebraei populi questus in agricultura & pecunia situs erat. Quare cum finitimi plerique Judæorum ex mercatura magnum questum facerent, fœnus in illos permitti in Ebraeos non permitti summa poscebat ratio. Nam & aliorum populorum odiosum est fœnus, quod in agricolas exercetur.* Addendum tamen & hoc est, Moysen ex iniam quoque caritatem in populo Judaico

ea lege sancire voluisse; cujus usus eo frequentior erat, quod tunc temporis non nisi modicæ summæ, & quidem ab hominibus tenuibus & cum egestate luctantibus mutuo sumi solerent. Sicuti & ad caritatem inter populares exercendam, avaritiæque sordidæ detestationem eandem legem refert *Philo Judæus libro de caritate*. Quam virtutem multis aliis legibus sancit summus legislator, v. g. *Exodi* XXI. 10. 11. XXII. 22. 23. 25. 26. 27. XXIII. 4. 5. 9. 11. 12. *Levit.* XIX. 9. 10. 13. 33. XXIII. 22. XXV. 6. 10. 11. 35. 36. 37. 39. *seqq.* *Deuteron.* XIV. 28. 29. XV. 2. 4. 7. 8. 9. 10. 11. XXIII. 24. 25. XXIV. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 19. 20. 21. XXVI. 12. 13. Enimvero alio sine hodie frequentissime pecunia mutuo sumitur; scilicet ut materia accipiatur rem suam insigniter augendi, aut ut aliquid comparatur, quod nobis lucrum adferre possit. Hoc sine pecunias mutuo sumentibus nulla est ratio, quare quis gratis credere debeat. Quin potius impudens foret, cum tu ex pecunia mea rem tuam egregie augeas, me in partem lucri non velle admittere. Nam ipse interea excludor ab illo lucro, quod pecunia mihi mea parare poterat, si eandem in proprios usus convertissem. Cumque minus sit habere actionem quam rem, omnino est aliquid æstimabile, & mædica usura pensandum, quod in locum rei actio personalis subeat, quæ nunquam sine molestia instituitur; postquam non omnes considerant illud *Martialis* II. *Epist.* 13. *Et judex petit, & patronus. Solvas cenſeo Sexte creditori.* Et ut fors mihi pereat, multi casus incidere possunt. *Pindar. Olymp. od.* 10. ἴκαθεν γὰρ ἐπειθῶν ὁ μίλλον ῥῆσιν ἀμὸν κατήχοντι βαδὺ ῥῆσιν, ὅμως ἢ λύσαι δυνατὸς ἐξείαν ἐπιμομφάν ὁ ἴκα ἀνδρῶν. Nam à longo intervallo superveniens tempus cunctans, meum dedecoravit magnum debitum; sed tamen solvere potest usura acutam reprehensionem hominum. Imò ne creditum pereat, aliquando debitor ambitiose colendus; ac nonnulli, ut alios sibi obnoxios haberent, pecuniis mutuo ab ipsis sumtis effecerunt. Vid. *Diodorus Siculus* l. 19. c. 24. *Plutarchus Eumene* p. m. 591. C. (edit. Franc. anno 1620.) Apud *Gramondum hist. Gall.* l. V. *Rupelaucus* ita rebellionem suam excusat: *Non Mayennium se, sed suam pecuniam sequi; malum nomen fore debitorem suum, nisi creditoris vestigio prematur.* Nec pauca dantur mala nomina, in quæ congruit illud *Martialis* I. *epigr.* 76. *Dimidium donare Lino, quam credere totum Qui mavult; mavult perdere dimidium.*

Non multum abs hisce abit sententia illorum, qui judicant, è republ. esse, ut sub usuris nemini pecunia locetur, nisi mercatoribus. Hoc modo enim pauperum industriam aliosque ad frugalitatem compelli, qui per æs alienum superfluos sunt tolerare non verentur. Pecuniosi autem, dum nolunt pecunias suas jacere steriles, aut ipsi mercaturæ sese addicent, aut eas mercatoribus locabunt; quo ipso commercia non sine magno emolumento reip. gliscent. Add. *Lud. Septalius de ratione status* l. 2. c. 15. Quod autem *Grotius ad Lucam* c. 6. v. 35. tradit, *quantitatem licitæ usura non esse metiendam ex eo, quantum lucri faciat, qui pecuniam sumpsit, sed quantum ei absit, qui alteri pecuniam numeravit. Sicut & in emtionibus & aliis contractibus nunquam facienda est æstimatione ex eo, quod interest accipientis, sed ex eo, quod desit danti. Absit autem tantum, quantum quisque pro vita suæ genere ex pecunia compendiosum facere solet ac potest, detracta æstimatione periculi, quod in aliis rebus majus, in aliis minus est: id hætenus tantum admittitur, quod super læsione queri nequeat, qui pecuniam locavit, si alter ex mutuatitia pecunia enorme aut improvium lucrum fecerit. Sed quin recte majores usuras stipulari possim ab eo, cui quæstiosa, quam cui sterilior negotiatio exercetur, dubitandum non est.*

§. 10. Ad argumenta in contrarium facilis est responsio. Frustra dicitur, mutuum ex sua natura gratuitum esse debere, quia commodatum est gratuitum. Quin potius uti rem meam duplici modo alteri utendam possum concedere gratis, & pacta certa mercede, quorum primum commodatum, alterum locatio est: ita quid prohibet, quo minus pecuniam alteri possum credere gratis, aut pro certa pensione. Quod si quis pertinaciter contendere velit, id solum proprie mutuum esse, quædo gratis pecunia creditur; hoc tantum efficiet, ut in aliud contractus nomen transeat, quando pro pecunia lucri quid stipulamur; non ut id fiat illicitum. Frustra quoque objicitur, quod numus sit res sterilis, (conf. *Matth. XXV. 24.*) neque ad usum vitæ quid faciens, uti vestis, ædificium, juramentum; igitur inconueniens esse pro usu ejus aliquid exigi. Et si enim numus non gignat alterum; tamen postquam in eundem pretium emittens fuit collatum, mediante industria hominum redditur utique fecundissimus, comparatis pro eo rebus, naturaliter & civiliter fructiferis. Unde usuræ non inter naturales, sed civiles fructus referuntur. De quibus

buis tamen sat acerbe Seneca de beneficiis l. VII. c. 10. *Video istic diplomata, & syngraphas, & cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam avaritia laborantis, per quas decipiant animum, inanum opinione gaudentem. Quid enim ista sunt? quid scenus, & Kalendarium, & usura, nisi humane cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Quid sunt ista tabulae, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolenta centesima? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subijci oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritia somnia. Aristoteles 1. polit. 7. (10.) sat iniquus quoque est usuris. Meritissimo odio, inquit, habetur ars foenerandi; (ἡ ὀβολιστικὴ) quia fit questus ex ipso numo, non ex eo, cuius gratia repertus est, permutationis namque gratia existit; scenus autem ipsum auget. Unde & nomen hoc accepit: genita enim similia sunt gignentibus ipsa: scenus autem fit numus numi, (ὁ ἕλκος γινεῖ) νόμισμα νομίμα-τος.) quare & maxime contra naturam est hic questus. Sed huic repom potest, in foeneratione non omnino contra usum suum adhiberi pecuniam. Nam saltem mutuo accipiens numos quaerit μεταβολῆς χάριν, propter permutationem. Et est primitus dominium inventum, ut sua cuique res immediate usum praerbet. Neque tamen contra naturam est, aliis suam rem locare. Illud paulo subtilius est, quod dicunt, in rebus fungibilibus, & quae usu statim consumuntur, dominium ab usu non distingui; adeoque non posse alicui ejusmodi rei usum ita concedi, ut non simul tradatur dominium, & vice versa frustra tradi dominium, nisi & usus simul concedatur. Nam ut v.g. substantia frumenti, carnis, vini destruitur, ubi in usus hominum fuerit adhibita: ita moraliter perit pecunia, quam in usus meos erogo; quippe quae ex patrimonio meo removeretur. Atqui arguunt, cum usus heic a re ipsa non possit distingui, inde pro usu recte nihil posse exigi, sed sufficere, si res ipsae in suo genere restituantur. Ubi respondetur, proprie quidem rerum fungibilium non esse usum fructum a substantia illarum distinctum. Vid. l. 1. & 2. D. de usufr. ear. rer. quae usu consumuntur. Ex eo tamen non sequitur, ergo jus consumendi rem fungibilem cum obligatione post intervallum eam in suo genere restituendi non est aliquid pretio aestimabile. Nam habet id omne mutuum, ut non nisi post intervallum sit restituendum. Atqui si ad tempus mihi pecunia conceditur, possum eandem interea aliis rebus fructuosas impendere, aut alio modo ex eadem lucrum quaerere. Sic si*

post intervallum mihi sint restituendæ res ad victum necessariæ, in eo commodum meum vertitur, quod non necessum sit mihi iniqua conditione res meas permutare aut vendere, v. g. ad frumentum comparandum, utque pecuniam huc impendendam interea lucrosiore modo collocare queam. Quo loco & hoc obiter observandum, quod refert *Aristoteles Oeconom.* l. 2. c. 1. *Cypselus cum omnia bona Corinthiorum diis vouisset, primo anno decimam partem, & sic per annos continuos decem exsolvit.* Hic sane stricto jure voto suo non satisfacit, nisi quod voti temeritatem qualicunque interpretatione sublevari favorable sit. Dicitur Catonis ap. *Ciceronem Off.* 2. qui foederationem latrocinio aut homicidio æquiparandam judicabat, intelligendum est de usura mordente, qua tenues cives ad incitas rediguntur, & insatiabili avaritiæ pabulum suggeritur. Ejusdem *Catonis de re rustica est: Majores nostri sic habuere, & ita in legibus posuere, furem dupli condemnari, feneratorum quadrupli.* Et si & ipse fœnus nauticum non sine astutia sat acriter exercebat; de quo est apud *Plutarchum Catone Majore.* Sic recte Augustus quosdam Equites Romanos notavit, quod pecunias levioribus usuris mutuati graviore fœnore collocassent. *Svetonius Augusto* c. 39. *Appianus Alex.* l. 1. *de bello civili* ait, Romanos priscos, & Græcos abhorruisse à fœnore, *ὡς καπηλιείην, καὶ βαρὺ τῶν πένουσι & δόσεις ἐν ἐκσπομοίῳν, ut negotiatione molesta pauperibus, & litium inimicitiarumque materia: Persas autem, ὡς ἀπατηλὸν ἴσιν καὶ φιλοφροσύνην, ut non aliena à fraude & mendacio.* Sed & Christiano indignum arbitramur, ob modicas summas usuræ nomine quid capere ab illis, quorum egestati succurrisse instar eleemosynæ habet. Vid. *Siracid.* 29. v. 1. 2. seqq. *Psal.* XV. Quin insignem commendationem meretur mos Græcorum sublevandi amicos pauperes, dum amici inter se sodalitates inibant, quibus communis erat arca, in quam quot mensibus certum quid à singulis pendebatur. Ex ea arca dabant summam aliquam citra usuram, si quis ex sodalitate adversa premebatur fortuna, ea lege, ut eam restitueret, ubi res magis secundæ arrisissent. Et ista stips collatitia vocabatur ἱστία. *

§. II. Isthæc ulterius confirmantur, quod & ab illis, qui usuras impugnant, nonnulli contractus adprobantur, qui in effectu cum usura coincidunt. Sic ponamus Cajum esse instructum pecunia ad emendum fun-

fundum. Eundem fundum Sejus cupit, sed à numis destituitur. Rogatu igitur Seji Cajus emit fundum, eumque Sejo locat. Nemo negat justum hunc esse contractum. At vero siquidem Cajus Sejo mutuo det pecuniam, ut eundem sibi emere possit, & quantum pensionis daturus fuerat pro locatione, tantundem det pro pecunia mutuo data: quid heic iniquitatis sit non adparet. Imò hic contractus magis in emolumentum cedit Sejo, quàm prior; quippe cum heic sibi proprietatem fundi adquisierit. Sic si quis pecuniam suam apud probum virum colloquet, ut sibi non certam summam usuræ nomine stipuletur, sed contentus sit æquam partem lucri, ex ea pecunia redacti, percipere; nemo in hoc contractu iniqui esse quid judicabit. Ast quantum ad æquitatem nihil interest, si quis pro incerto lucro certam sibi, eamque moderatam usuram stipuletur. Apud Muhammedanos usura quoque legibus Alcorani interdicta; Mauritanis tamen id pacti usitatum, ut qui ab altero pecuniam mutuo sumit negotiationis & lucri quarendi causâ, creditori dimidiam partem lucri det; ubi fors perierit, debitor præter sortem nihil restituere teneatur. Si pars tantum sortis perierit, ex lucro partis superstitis fors suppleatur. Sic nihil vitii habere judicatur antichresis, qua quis interea fructus ex pignore pro mutuo data pecunia percipit. Add. l. 8. D. *in quibus caus. pignus tacite contrah.* Quare ergo non liceat pro mutuo, cui pignus non accessit, accipere aliquid, quod fructibus pignoris respondeat? Apud Persas usura est vetita, sed antichresis licita, etiam sub lege commissoria. *Ad. Olearius itin. Pers. l. V. c. 36.* Sic & Grotius d. l. 21. vocabulum usuræ proscribit, rem ipsam retinet, dum tradit: *esse quadam, qua ad usuræ speciem accedant, ac vulgo usuræ videantur, cum tamen sint pacta alterius generis; ut de pensando damno, quod facit, qui pecuniam dat mutuam, eo quod diu pecunia careat: item de lucro ob mutui dationem cessante, deducto tamen incerto spei, seu quod idem lucrum speratum per varios casus possit intercipi aut minui, ut & labore, qui subeundus fuerat, si quis ipse eas pecunias tractaret. Sicut & usuram veram non esse, si quid exigitur pro impensis ejus, qui multis dat mutuam pecuniam, & in hoc partem habet; & pro periculo amittendæ sortis, ubi idoneè non cavetur.* Atqui moderatas usuras, quas stipulamur ob pecuniam creditam non egeno, sed tali, qui ex eadem lucrum est facturus, eo maxime nomine exigimus, quia per absentiam ejus pecuniæ lucrum nobis cessat; & quia

penfa-

penfatione aliqua dignum est, quod pro re jam actionem habeamus; utque veniamus in partem lucri, ex pecunia nostra quaesiti, quam alteri neque ex iustitia, neque ex humanitate tenebamur concedere. Quis ergo cordatus super vocabulis litem moverit? Et quis non rideat eos, qui usuras se non exigere restantur, sed tantum id quod interest? Praeterquam quod superstitiosa hæc subtilitas ad decreta jurisprudentiæ non quadrat, juxta quæ usuræ certæ sunt, quas in antecessum stipulamur: id autem quod interest solet inter alias causas exigi ob moram, seu quod res nobis debita justo tempore tradita non sit; ejusque mensura est damnum ætæ nobis datum, quantumcunque id fuerit: etsi quia difficulter demonstrari potest, quanti intersit, istud sæpe ad regulares usuras redigitur. Vid. l. 17. §. 3. D. de usuris. Atqui si licet exigere id quod interest ob moram, seu quia lucrum nobis cessat, & damnum emergit ob non solutam convento tempore pecuniam: quare non liceat in antecessum certi quid stipulari, idcirco quia pecunia nostra interea est penes alium, ubi id damnum facere aut lucrum negligere in alterius gratiam haut quidquam tenebamur. Add. Baco sermon. fidel. c. 39.

§. 12. Denique cum satis adpareret, non inveniri posse, qui tantam pecuniam gratis credere vellent, quantam communis vitæ ratio, & commerciarequirunt, prout ea nunc inter plerosque cultiores populos agitantur; varia passim diverticula inventa aut tolerata sunt, quibus decreta juris canonici super usuris elusa fuerunt. Quæ inter referenda est *emtio census annui*, ubi data pecunia ex re quadam immobili, pro census exsolutione mihi obligata, certam pensionem pecuniæ aut fructuum recipere queam; idque in perpetuam, vel ad tempus, certum aut incertum, seu ad vitam creditoris. Eorum censuum alii à debitore soluta sorte redimi possunt, alii non. Imò interdum quando res, qua pro censu cavebatur, perempta fuerit, obligatio censum exsolvendi personam debitoris sequitur. Sed emtionem hanc census annui non nisi vocabulo, & colore ab usura differre nemo non videt. Add. Franc. Hotoman. observat. l. 2. c. 1. §. 10. Labardeus hist. de reb. Gall. l. 6. p. 393. Imò animadversa modicorum usurarum utilitate ipsi Pontifices splendido sub nomine permisere *xiontes*, quos vocant, *pietatis*: quorum leges hæc fere sunt, ut ad tres scutatos pauperibus detur sine pignore & usura: pro amplioribus summis pignoribus caveatur, & in singulos menses modicum quid pendatur. Ubi
intra

intra annum pignus non reluitur, auctioni id subijcitur, & quod debitum excedit, domino restituitur. Etsi non minus pie usuras exercuit Alexander Severus, de quo apud *Lampridium*: *Fœnus publicum trientarium exercuit, ita ut pauperibus plerisque sine usuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus.* Similem fere naturam, (excepto quod nihil sine pignore & gratis datur) habent *Lombardia*; quod nomen inde deductum est, quia olim in Gallia, qui fœnus exercebant, plerique erant Longobardi & Judæi; quos postea publicum ob odium regno illo expulere. Vid. *Henr. Stephanus introduct. ad apolog. pro Herodoto* l. 1. c. 6. Eas post multam disceptationem demum tanquam rem utilem reip. & licitam in Belgio publice adprobarunt; easdem exercentibus etiam ad functionem presbyterorum admissis. Quantopere legi usurariæ à mercatoribus per *cambia*, quæ vocantur, *secca* illudum sit, periti artis mercatoriæ norunt. Quo refertur etiam ille contractus, quem Hispanico vocabulo vocant *mohatra*, quando quis egens pecunia emit summo pretio in diem solvendo à mercatore merces, & statim eidem pecunia numerata pretio infimo revendit. Vid. *Montaltius lit. provincial.* 8. & ad eam *Wendrok* not. 3. Magis tolerari potest ille contractus, quo merces magno emuntur, sed ita ut solutioni pretii laxum præfigatur spatium, & statim alicui tertio minoris venduntur pro præsentì pecunia. Qua pecunia quis vel iniquam versuram potest effugere, vel interea tantum lucri inde redigere, ut tempore elapso optima conditione debitum exsolvi possit. Quem contractum in Moscovia frequentem esse tradit *Ad. Olearius itin. Pers.* l. 3. c. 7. Omnino tamen commendandæ leges civiles, quæ usuras ad libidinem privatorum exerceri non concedunt, sed iisdem certum modum præscribunt: nisi quod non iniquum videatur, usuras paulò ampliores stipulari, ubi ad exiguum tantum tempus pecunia mutuo sumitur. Vid. *Leonis novella* 84. Quas inter referenda lex *Ægyptia* apud *Diodorum Siculum* l. 1. c. 79. quæ ultra duplum per usuram augere sortem vetabat, & usuras de facultatibus duntaxat obæeratorum exigere, sed corpus in nexum ducere nullo modo concedebat: bona illorum arbitrata esse, qui vel labore comparassent, vel alio justo titulo acquisivissent. Sed corpora civitatibus deberi, quibus ad congrua belli pacisque munia utantur.

LIBRI V.
CAPUT VIII.
DE SOCIETATE.

- | | |
|--|------------------------------------|
| 1. <i>Societas quot modis ineatur ?</i> | 3. <i>Societas irregularis.</i> |
| 2. <i>Collatio pecuniae cum opera diversi-
mode fit.</i> | 4. <i>Societas omnium bonorum.</i> |

Contractus societatis est, quo duo pluresvè inter se pecuniam, res, aut operas conferunt, eo fine, ut quod inde redit lucri inter singulos pro rata dividatur. Vid. l. 83. D. *pro socio*. Nec minus si quid proveniat damni, à singulis pro rata feratur. Vid. l. 52. §. 3. 4. l. 60. §. 1. D. *b. t.* Hicigitur si omnes æqualem pecuniam contulerint, singulorum partes in damno & lucro erunt æquales simpliciter: ubi inæqualem contulerint, quilibet pro rata ad leges proportionis Geometricæ partes feret. *Aristoteles Nicom.* l. 8. c. 16. *ἐν χρημάτων κοινωνίᾳ πλείω λαμβάνουσιν οἱ συμβαλλόμενοι πλείω.* in pecuniarum communicatione plura accipiunt, qui plura contulerunt. In eundem sensum est explicanda l. 29. D. *b. t.* *Si non fuerint partes societatis adjecta, aequas eas esse constat.* Idem obtinebit, si duo pluresvè operas duntaxat conferant æquales, aut inæquales: aut alter operam, alter pecuniam, aut utramque simul conferat.

§. 2. Cæterum societate soluta, si uterque pecuniam tantùm contulit, manifestum est, post divisum lucrum quemque recipere, quantum contulerat. Ast ubi pecunia cum opera confertur, dispiciendum est, qua ratione collatio sit facta. Nam ubi opera confertur cum solo usu pecuniæ, is qui pecuniam confert, haut quidquam in partem domini ejusdem pecuniæ socium admittit, sed duntaxat pro rata cum eo dividit lucrum, quod ex ea pecunia & adjuncta opera redit. Et hoc casu uti de de pecunia nihil accipit, qui operam tantum contulit, soluta societate; ita alteri soli tanquam domino fors ea salva est, peritque. In hujusmodi societate comparatur cum opera non fors, sed periculum amittendæ sortit, & lucrum, quod probabiliter ex ea sperari poterat. Adcoque quando partes lucri sunt distribuendæ, non instituenda est comparatio inter operam & sortem, ita v. g. qui contulit operam, quæ C. est, si alter contulerit sortem M. iste decimam duntaxat partem lucri ferat. Sed potius opera est comparanda cum eo, quanti est, pecuniam periculo exponere, &

& cum lucro, quod inde probabiliter sperabatur, quod ubi tantum C. valuerit, æquales uterque lucri partes feret. Etsi expeditissimum sit, id periculum, & eam spem lucri æstimare ad vulgares usuras, quæ pro pecunia mutua dari solent. Sic ponamus usuras dari semisses, heic ubi quis operam contulit, quæ est LX.; & alter pecuniam, quæ est M., uterque æquales lucri partes habebit. Alter autem modus est, quando opera confertur cum pecunia, sic ut qui operam contulit, ipsum quoque dominium pecuniæ ex parte nanciscatur. Ubi pretium operæ habetur quasi sorti adjectum, & pro eo, quod illa valet, operam conferens in ipsa sorte partem habere intelligitur; quippe cum pecunia & opera in unam velut massam coaluerit. Circa quem tamen modum præsupponitur, pecuniam fuisse impensam in merces rudes, quibus tractandis & concinnandis opera ab altero fuerit impensa, v. g. ponamus me textori dare C. pro quibus rudem lanam emit. Ex ea iste pannos conficit, ejusque opera itidem valet C. Constat pannos illos utrique ex æquis partibus communes, & ubi venditi fuerint, pecunia inde redacta æqualiter dividetur; neque ego potero pecuniam ab initio collatam prius detrahere, & reliquum duntaxat cum altero dividere. Conf. *Grotius* d. l. §. 24.

§. 3. Observandum & illud, posse citra injustitiam iniri talem societatem, ut sociorum aliquis sit particeps lucri, sed immunis damni. Vid. l. 29. §. 1. D. *h. t.* Verum erit ista societas irregularis, & contractus mixtus ex societate, & contractu periculi averse. In quo ita servabitur æqualitas, si tanto plus lucri ferat is, qui periculum in se solus recepit, quanti est ab incertis casuum alios socios in totum aut ex parte indemnes præstitisse. At vero ut quis damnum sentiat sine lucro, id vero à natura societatum abhorret; quippe quæ nisi ob utilitatem aliquam iniri non solent. Vid. l. 29. §. 2. D. *h. t.*

§. 4. Sed & contingit, ut aliqui universonum bonorum inter se societatem coëant. Hæc quamdiu durat, quilibet sociorum pro conditione sua, & quantum leges frugalis œconomix ferunt, ex communi massa sumere potest, quæ ad sui, suorumque honestam sustentationem requiruntur. Verum quia multi casus intervenire possunt, ut istis in societate diutius permanere displiciat; vid. l. 70. D. *h. t.* ab initio erit determinandum, quas lucri partes quilibet, societate soluta, accipere debeat. Ubi monet *Grotius* d. l. heic comparandum esse, non quod

hinc aut illinc actu obvenit, sed quod probabiliter sperari potuit; seu lucri partes ita solere designari, prout speratur ex cujuslibet bonis, aut eorundem accessionibus multum aut parum proventurum; non autem ita, ut quilibet bona ab initio collata, & quod inde provenit, in divisione auferat. Nam ea intentione plures bona sua conferunt, ut in partem lucri, quod ex alterius bonis provenit, vocentur. Cæterum etsi pacis interfit, ne quis invitus in societate manere cogatur; tamen cum inter socios eximius fidei gradus invicem requiratur, non debet aliquis intempestive, & in fraudem aliorum societatem abrumpere. Vid. l. 65. §. 3. seqq. D. h. t. Super fide inter socios adhibenda graviter differit Cicero pro Sex. Roscio: *In rebus etiam minoribus socium fallere turpissimum est: neque injuria; propterea quod auxilium sibi se putat adjunxisse, quicum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cum per ejus fidem laditur, cui se commiserit? Atqui ea sunt animadvertenda peccata maxime, qua difficillime prævenerunt. Tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est. Socium verò cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, jus officii ladimus. Recte igitur majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* Add. *Quintilian. de clamat. 320.*

CAPUT IX.

DE CONTRACTIBUS, QUI ALEAM
CONTINENT.

- | | |
|-------------------------------------|---------------------------------------|
| 1. <i>Pacta sorte mixta.</i> | 5. <i>Contractus ludii.</i> |
| 2. <i>Locum habent tam in pace,</i> | 6. <i>De contractu lotaria.</i> |
| 3. <i>Quam in bello.</i> | 7. <i>De olla fortuna.</i> |
| 4. <i>Contractus sponsonis.</i> | 8. <i>De contractu affeurationis.</i> |

Addendum demum est de illis contractibus, quibus super incerto eventu convenitur, & quæ ancipitem velut aleam continent, aut in quibus à partibus consentitur, & quasi compromittitur in casum incertum, cujus eventu sese utrinque staturas profitentur. Eorum licet aliqui etiam sine pretio possint intelligi: tamen quia plurimi super rebus pretio æstimatis ineuntur, omnes conjunctim huc referte visum.

§. 2. Talia ergo pacta, sorte seu alea mixta, publice & privatim
fre-

frequentantur. Publice quidem tam in bello, quam in pace. In pace quidem fors divisoria apud complures populos recepta, in iudiciis legendis, in provinciis assignandis, in officiis distribuendis, quando competitorum sunt æquales tam quoad jus, quam quoad qualitates seu artes ad officium gerendum necessarias. Alias enim si inæquali jure nitantur, iis quorum jus præstantius; si inæqualibus artibus præditi, reip. male consultitur. Nam, uti *Isocrates Areopagiticus* loquitur: ἐν τῇ κληρώσει ἡ ἴσχυς βραβεύει, sortitionis gubernatrix fortuna est. Et *Callimachus hymno in Jovem*: ἰσὶ ἰσῆς γδοίκε πῆλ' α.δ.ε.γ, de re enim æquali convenit sortem mittere. *Philostratus de vita Apollonis Thyas*. l. 3. c. 9. κληρῶσιν ὁμοίαι ἴσθ' ἐν, καὶ γδοίκε καὶ τῆς φωνολογίας ἵσ' αἰρεσεῖν ἰσὸς κληρῶσιν. Sors prudentiæ nihil habet, ita ut etiam pessimus quisque possit sorte eligi. Præsupponunt autem omnes ejusmodi sortitiones partem, seu compromissum, quod sine querela velint adquiæscere, prout fors ceciderit, siquidem ultro ad sortiendum fuerit descensum. Vid. *Iustinus* l. 1. c. 10. XVIII. c. 3. Sed ubi à superiore fors adhibetur circa id, quod pro imperio poterat injungere, ipse ultro se determinat ad sequendum id, quod fors ostenderit, ne aliquid affectibus dedisse videatur. Cæterum finis sortium non est aut esse debet extraordinario modo Dei voluntatem inquirere; nisi ubi ipse lege sua eas adhiberi præcepit. *Prov.* XVI. 33. sed ut tollantur lites & discordiæ; (vid. *Proverb.* XVIII. 18.) & ut qui alias pro imperio ambigentes dirimere poterat, invidiam alterutrius partis, quæ spe sua excidit, declinet, ac removendis querelis super iniquitate sententiæ, aut ambitione superioris. In ejusmodi tamen litibus, ex quibus partem victam poena manet, sortem aut forti quid mixtum adhibere, absurdum est; cum illa non nisi ex pravo facinore, eoque liquidis argumentis probato promanare debeat. Sors autem utcunque cadat efficere nequit, ut quod ab aliquo factum est, non sit factum, & vice versa; neque in se rei veritatem discernere apta est. Ast ut in æquali omnium crimine, ubi universos plecti inconueniens est, sorte designentur, qui poenas luant, nihil prohibet. In privatis quoque negotiis maximus sortis est usus in partibus hæreditatis assignandis: item si inter plures æquali jure aut obligatione præditos uni eorum bonum quoddam, aut onus indivisibile sit attribuendum. Add. *Numer.* XXXIV. 13. *Jos.* XIV. 2. *Psal.* XVI. 6.

§. 3. Nec minus in bello talia pacta adhibentur, non solum ubi totius belli finis in eventum pugnae integrorum exercituum, aut duorum pluriumve utrinque lectorum confertur; (vid. *Grotius* L. 3. c. 20. §. 42.) sed & ubi inter duces periculosa aliqua statio est assignanda, ad quam subeundam plures sunt idonei, nec alicui peculiaris excusatio suppetit. Vid. *Homerus Iliad.* v. v. 171. Imò omnia fere bella solennia, saltem in quæ rejecta utrinque pacifica compositione descensum est, ejusmodi conventionem supponere videntur, ut scilicet victo possit imponere, quicquid habitum fuerit, ille, à cujus partibus fortuna belli steterit. Et ea proprie causa est, quare pactis de pace non liceat opponere exceptionem metus. Nam qui in bellum cum altero descendere statuit, cum pacifica transactione controversiam posset componere, intelligitur ejusdem decisionem alex Martis commisisse; adeoque nequidquam deinde queri potest, quam illi-cunque conditionem ancipites belli vices dispensarint. Ex qua causa etiam est, quod moribus gentium in bello solenni utrinque belligerantes in compositione pacis quoad justitiam belli censeantur pro æqualibus, & quod quæ utrinque damna data sunt, condonentur, veluti ex conventionem hoc fieri licuerit. Similem conventionem ineunt, qui controversias eventui duellorum decidendas committunt. Quæ conventio inter alia efficit, ne occisor alterius uxori & liberis de damno, ex illa cade accepto, satisfacere teneatur. Idque quia uterque sponte & ex condicito in periculosam pugnam descenderat, cui talis lex dicta fuit, occidere aut occidi. Hæc tamen, ubi à privatis proprio ausu suscipiuntur, cum directe repugnent fini judiciorum civilium, merito gravissimis pœnis coercentur. Sed & absurde plane, & contra indolem civilium judiciorum quondam ejusmodi duella permisa, vel ad purgandum objectum crimen, vel ad jus suum, quod in dubium revocabatur, demonstrandum. Vid. *t. t. X. de purgatione vulgari.* Et passim *Codex legum antiqu. Lindenbrogii*, ejusque *Glossarium* in vocabulo *campio*, & *duellum*. Sic & quondam in Germania minus recte quæstio juris duello decidenda fuit commissa: patruus, an ex priori fratre defuncto nepos ad avi hereditatem prior sit. Apud *Sigibertum Gemblacensem* ad Annum 942.

§. 4. Ad contractus, quibus alea aut fors inest, etiam referuntur sponiones, quando vel futurum eventum, vel etiam præteriti eventus

non-

nondum notorii, saltem illis, qui inter se contendunt, aut alterius rei existentiam alter affirmat, alter negat, certo pignore utrinque deposito, quod illi cedat, cujus assertioni eventus aut res congruere deprehendatur. Videntur autem istæ sponſiones reciproca promissiones seu stipulationes conditionatæ; quibus ideo alea est admixta, quia ut eventus existat vel non, à contrahentibus non dependet. Ad ludum autem magis, quàm ad sponſionem videtur spectare ænigma à Samſone propositum *Judic. XI V. 12. seqq.* cum fuerit certamen ingenii, an hic obscurius posset rem proponere, an cæteri argutius resolvere. Ubi isti convivæ dolose egerant, quod non ex suo ingenio, sed prode Samsonis sponſa ænigma solvissent. Etſi hoc fortasse contra indolem talium certaminum fuit, quod ænigma formaretur super factò aliquo peculiari, non autem super re aut eventu aliquo communi; cum fere impossibile sit, ejusmodi facta particularia conjectando assequi.

§. 5. Huc spectant quælibet ludorum genera, in quibus aliquo pretio certatur; qui itidem involvunt conventionem, aleæ multum aut parum habentem. Et quidem minus aleæ habent ludi, qui certamen ingenii, dexteritatis, solertiæ, aut roboris continent; eatenus duntaxat accipiti subiecti eventui, quod quæ utrinque vires sint, quæve solertia, nondum liquido constat; & quia sæpe aliquid fortuiti casus solet intervenire; (vid. *Virgil. Æneid. V. v. 328.*) aut denique quia non pari semper vigore ingenium, viresque hominum sese exerunt. Plerique ex alea atque ingenio sunt mixti, ut est certamen chartarum lusoriarum, & similes. Alios denique nuda fere fors regit, uti est ludus tesserarum. Omnes isti in se naturaliter nihil continent iniqui. Nam & mutuo consensu ad eos descenditur, & uterque rem suam a quali periculo exponit, & versantur circa res proprias, de quibus utique disponere penes nos est. Enimvero quia reip. interest, ne quis re sua male utatur, & vero per ejusmodi conventiones ac ludos facile quis bonis everti potest, ubi magnis summis certatur, *neque oculis comitantibus itur ad casum tabulæ, posita sed luditur arca*; quia etiam *lusus Perdere rem caram tempora nostra solent. Ovidius Trist. 2.* & multa alia inde provenire mala possunt; igitur penes rectores civitatum est dispicere, quousque ludi permittendi sint, aut quantæ summæ deponi debeant. Vid. *tit. D. de aleatoribus, & ibi juris Romani interpretes, Photius nomocan. tit. XIII. cap. 29.*

Set-

Selden. de 7. N. & G. l. 6. c. 11. In genere tamen observandum, recte eo plus favoris habere ludos, quo minus aleæ, ac plus solertiæ continent, & vice versa. *Alcoranus cap. de mensa* una cum vino prohibet lusus aleam habentes, tanquam semina odiorum continentes. In quovis autem ludi atque certaminis genere valet illud *Ambrosii Offic. l. 3. c. 4.* *Qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari atque instrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat, cursuque quantum potest ad victoriam properet, supplantare autem alterum, aut manu dejicere non auset.* Quod expressum est ex dicto Chryssippi apud *Ciceronem Off. 3.*

§. 6. Est quoque non infrequens *lotaria*, quam vocant, quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, post sorte decernunt, cui soli ea tota cedere debeat. In qua duo contractus miscentur. Nam respectu ejus, qui rem suam ita sortientibus exponit, est species venditionis. Respectu autem eorum, qui sortiuntur, est contractus sortis divisoris, dum ita inter ipsos convenitur, ut cui fors favet, ille solus rem habeat, & reliqui suæ symbolæ dispendium faciant. Ejus contractus hæc est lex, ut tota summa collatitiæ pecuniæ simul adæquet, non excedat, valorem mercis, & ipsi sortientes omnes æqualiter utriusque fortunæ, lucris & amissionis, subjiciantur.

§. 7. *Ollam fortunæ* vocant, quando dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero, inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio præ se fert. Hic contractus proxime ad emtionem spei accedit, etsi affatim aleæ sit admixtum. Ejus lex est, ut pretium omnium simul schedularum non multum excedat pretium rerum ibi expositarum. *Non multum dico.* Nam & sumtus aliqui sunt faciendi; & contingere potest, ut pretiosissima quæque primo loco urna exeant, remanentibus plerisque schedulis inanibus, quo facto nemo amplius ad schedulas redimendas accedit. Aliquando etiam adhibentur tales ollæ, ad colligendam pecuniam publicis operibus insumendam, vel etiam sublevandæ aliorum egestati; ubi multo largius solet esse pretium schedularum junctim sumtarum, quam rerum, qui ibi expositæ sunt. Excessus autem iste rationem habet tributi cujusdam ultronci, aut eleemosynæ, hilari modo elicitiæ. Add. *Martinus Delrio disquisit. magic. l. IV. c. 4.* In universum autem ad æquitatem ludorum non id tantum requiritur, ut quæ utrinque peri-

periculo exponuntur, sint æqualia, sed ut etiam periculum amittendi, & spes lucrandi utrinque proportionem habeat ad rem, circa quam certatur, v. g. in ludo, qui dexteritate corporis aut ingenii constat, si unius dexteritas alterius dexteritatem duplo superaverit, par est, ut hic quoque duplum pretium deponat. Sic v. g. decem sunt, quorum singuli aureum deponunt, atque ea lege certant, ut qui plurimum jecerit, omnes auferat. Heic quidem iniquum videri possit, ut qui unius tantum aurei periculum fecit, novem lucretur. Sed illud simul cogitandum est, heic non cuplo majus esse periculum perdendi, quam spem lucrandi. Ex quo fundamento etiam aliqui dixerunt, inane esse metuere fulmina. Ex duobus enim millionibus hominum ne unum quidem fulmine interimi. Ergo non solum magnitudinem mali, sed & verisimilitudinem contingentiae spectandam esse.

§. 3. Affinis hisce contractibus est assicuratio sive contractus periculi avertendi, quo quis, accepta certa mercede, in se suscipit & præstat pericula, quæ subituræ sunt merces in alia loca potissimum mari transportandæ; ita ut si has interire contigerit, assicurator earundem pretium domino restituere teneatur. Hic contractus nullus est, si quidem assicurans rem, cui cavetur, salvam jam pervenisse, quo debebat, aut mercator eandem jam periisse noverit. Nam materia hujus contractus est damnum sub ratione incerti, seu periculum incertum. Atqui si assicurans sciverit, rem jam salvam in portum pervenisse, nullum præstat periculum. Ubi autem dominus mercis sciverat eam jam periisse, periculum præstari ab altero non potest; quia periculo res nisi existens subiecta non est. Quantum autem mercedis pro præstando ejusmodi periculo sit dandum, ex communi æstimatione, aut conventionione ipsorum contrahentium est petendum. Id manifestum est, eo ampliorem mercedem posse exigi, quo pluribus & gravioribus periculis aliqua res subicitur. Sic plus exigi potest, si mare hostibus aut piratis sit infestum, quam si tantum incerta tempestatum metuuntur; & intuitu harum plus hieme, quam æstate. Add. *Loccenius de jure maritimo* l. 2. c. 5. Hunc autem contractum ideo huc retulimus, quod in eo ex parte assicurantis maxime alia versetur. Exemplum assicurationis etsi gratuitæ est apud *Livium* l. 23. c. 49. ubi qui vestimenta & frumentum in Hispaniam devehenda conducunt, postulant: *ut qua in naves imposuissent, ab hostium, tempe-*
statu-

D d d d

statuque vi, publico periculo essent. Circa hanc quid fraudis interven-
rit, docet *Idem* l. 25. c. 3.

CAPUT X.

DE PACTIS ACCESSORIIS.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Pacta accessoria duplicis generis.</i> | 9. <i>Fidejussor non potest teneri in plus, quam principalis debitor.</i> |
| 2. <i>Pactorum adjectorum varietas.</i> | 10. <i>Potest tamen teneri arctius.</i> |
| 3. <i>Pactum adjectum si turpe sit, invalidum est.</i> | 11. <i>Qua fidejussori beneficia juris competant?</i> |
| 4. <i>Quandoque negotium facit irregularare.</i> | 12. <i>De vadibus.</i> |
| 5. <i>In continenti adjectum ceteris paribus est validum,</i> | 13. <i>Pignorum usus.</i> |
| 6. <i>Ex intervallo adjectum negativum parit exceptionem:</i> | 14. <i>Pignus est vel fructuosum vel sterile.</i> |
| 7. <i>Affirmativum quatenus valeat?</i> | 15. <i>Pignus an usucapiatur?</i> |
| 8. <i>De fiducia.</i> | 16. <i>Quid differat hypotheca à pignore?</i> |

Post contractus principales, & qui per se subsistunt, dispiciendum quoque est de pactis accessoriis, quæ per se & solitarie non inveniuntur, sed aliis duntaxat adjiciuntur. Illa in duas classes commodè possunt dispesci. Quædam enim aliis contractibus adjiciuntur, ut simplicem eorum naturam variis modis afficiant, addendo aliquid, quod alias non continebant, aut detrahendo, quod naturaliter ipsis inerat. Solentque à *J*Ctis vocari *pacta adjecta*. Alia autem contractibus jam determinatis & modificatis firmitatem aliquam, & securitatem afferunt.

§. 2. Circa pacta adjecta distinguere solent Interpretes juris Romani ad l. 7. §. 5. *D. de pactis*. inter ea, quæ ipsi contractui nondum absoluto, aut statim & in continenti adjiciuntur, ita ut cum contractu principali videantur velut coalescere; & inter ea, quæ ex intervallo demum adjiciuntur. Deinde iterum disquirunt, utrum sint adjecta contractibus bonæ fidei, an stricti juris. Et demum an afficiant contractus essentialia, an naturalia, an verò accidentalia. Quorum illa sunt, sine quibus contractus omnino intelligi nequit: ista regulariter contractum consequuntur, etiamsi non exprimantur, ita tamen

ut

ut salva essentia super iisdem aliter possit conveniri : hæc denique ex contractus essentia non fluunt , sed ex placito contrahentium adesse vel abesse possunt. Quin & interesse judicant, utrum sint adjecta augenda, an vero minuenda obligationis gratiâ.

§. 3. Super hisce omnibus sequentes formari possunt conclusiones. I. Pactum essentialia contractus ita afficiens, ut ille contra leges bonosque mores sit, invalidum est. Nam conventiones turpes non valere, jam supra ostensum est. Sic invalidum foret pactum, si sponsa contractui matrimoniali vellet adjicere, ut sibi liceat alios quoque viros admittere. Aut si œconomus hanc conductioni suæ legem velit addere, ut sibi liceat res domini sui fraudulenter dissipare. Sic absurdum foret, si qui pactum ineunt expresse profiteri vellent, se vi metuque injusto coactos contractum inivisse. Aut si quis in quocunque contractu protestari velit, sese dolum minime præstiturum. Add. l. 1. §. 7. 35. D. *depositi*.

§. 4. II. Si pactum essentialia contractus ita afficiat, ut in aliam plane negotii formam abeat, videndum est, quænam contrahentium mens fuerit. Si enim serio id voluerunt agere, quod verbis expresserunt, adparet, pactum esse nullum : quippe cum nemo simul possit velle, quæ sese invicem destruunt, simulque nequeunt consistere. Sic absurdi forent, si qui serio emtionem sese celebraturos profiterentur, & tamen eam legem contractui statim adjicerent, ne unquam emtor pretium solvere teneatur, aut venditor mercem : aut si locationem cum isthoc pacto inirent, ut conductor dominium rei locatæ habeat : aut si ita societatem aliqui inter sese inirent, ut tamen neque lucrum, neque damnum ex re communi ad ipsos perveniat. At vero si contrahentes serio quidem rem egerunt, sed aut in nomine duntaxat per imperitiam erraverunt, aut si certis ex adspectibus improprie loqui maluerunt, modo totum negotium legibus non repugnet, subsistet id, quod actum est, neque propter vocabuli improprietatem actus erit nullus. Huc spectat l. 80. §. ult. D. *de contrah. emtione*. l. 46. D. *prescriptis verbis*. l. 5. §. ult. pro socio. l. 1. §. 8. D. *depositi*. §. 2. in fin. *Instit. quibus mod. re contrah. obligatio*.

§. 5. III. Pacta, quæ in continenti quibusvis contractibus adjiciuntur, modo legibus non repugnent, sive sint præter essentiam contractus, sive circa naturalia aliquid disponant, sive accidentibus quibusdam contractum vestiant, valida sunt. Nam cum circa talia disponendi

facultas competat contrahentibus, quod supponitur, utique tenebuntur iidem ad id, in quod libere consenserunt. Huc pertinet l. 1. §. 6. l. 24. l. 26. §. 1. D. *depositi*. §. 1. 2. *Instit. de societate*. l. 7. §. 1. l. 79. D. *de contrab. emtione*. l. 11. §. 1. D. *de act. emti & venditi*. l. 7. §. 5. D. *de pactis*. Sic cum alias naturalis sit emtioni venditioni præstatio evictionis; de ea tamen secus à contrahentibus pacto adjecto conveniri potest. Sic & præstatio culpæ intendi vel minui potest præter id, quod alias communis cujusque contractus natura fert. Atque idem quoque obtinebit in contractibus consensualibus, si post contractum quidem perfectum, re tamen adhuc integra pactum adjiciatur; cum perinde hoc sit, ac si novus contractus inea- tur. Vid. l. 7. §. 6. *vers. quod cum est*. l. 58. D. *de pactis*. l. 72. D. *de contrab. emtione*. l. 2. l. 3. D. *de rescind. vendit.* l. 1. C. *quando lic. ab emt. discedere*. Cæterum de pactis in continenti adjectis circa naturalia contractuum, seu eorundem adminicula videri quoque potest l. 11. l. 13. C. *de pactis*. l. 6. §. 1. D. *de act. emti*. l. 2. C. *de pactis inter emtorem & vendit.* Quo pertinent integri tituli *de lege commissoria, de in diem additione*. Item pactum de retrovendendo l. 2. C. *de pact. int. emt. & vend.* Item ut res, si displicuerit, si in emta. l. 7. C. *ead.* Huc etiam referri potest illa species mutui, qua certa pecuniæ summa foenori locatur ea lege, ut certo homini usuræ inde solvantur, quamdiu is vivit, & hoc mortuo, fors maneat penceum, qui mutuum accepit; cum alias natura mutui sit, ut possit repeti ab eo, qui dedit, ejusvè heredibus.

§. 6. IV. Pacta ex intervallo adjecta quibuscunque contractibus, si sint negativa, & obligationi aliquid detrahentia, adeoque in favorem debitoris sive rei cedant, cæteris paribus sunt valida, reoque ad exceptionem profunt. Sic post mutuum re ipsa contractum ex intervallo conveniri potest inter creditorem & debitorem de differenda solutione, de mutando loco solutionis, de naturâ pecuniæ, de remittendis usuris, &c. l. 72. *de contrab. emtione*. l. 7. §. 5. D. *de pactis*.

§. 7. V. Naturali jure, quantum ex nudo pacto datur actio, etiam pacta ex intervallo contractibus adjecta, quæ obligationem augent, adeoque actori profunt, possunt esse valida. Nam rationem illam, ob quam hoc jus Romanum in *ll. proxime citatis* negat, ne nempe ex pacto nudo affirmativo detur actio, jus naturale ignorat.

Sic

Sic ponamus, me emisse quid certo tempore tradendum, si postea convenerit, ut traditio maturius fiat, nil impedit, quo minus ex posteriori pacto traditio petatur. Sic pone, me tibi ædes locasse ad biennium, si postea inter nos convenerit, ut post annum statim locatio expiret, sanè expleto anno ædibus erit cedendum: ita tamen ut alterius anni pensio exigi nequeat. Sic non video, quare pactum de constituta pecunia, uti tempus solutionis differre potest, ita & anticipare idem nequeat. Vid. l. 3. §. 2. D. de constituta pecunia. Imò licet non detrahatur, quantum interest debitoris solutionem esse maturius factam; injuria tamen illi non fiet, si libere ita pactus fuerit. Manifestum tamen est, invito debitore ejusdem obligationem augeri non posse; adeoque naturaliter quantum per subsequens pactum ipsi adjiciatur, tantundem alibi esse detrahendum. Sic si creditor velit, ut alio, quam quo conventum fuit, loco solvam, rectè vice versa exigere possum, ut de summa tantum mihi detrahere liceat, quanti interest, me priori loco solvisse. Sed & hoc patet, esse contra naturam contractuum onerosorum & permutatoriorum, ut illis ab initio aut post addatur pactum, quod augeat obligationem alterius, ita ut deinceps in illo contractu emergat inæqualitas. Sic si primum convenerit inter emptorem & venditorem de pretio mercis, tanquam eidem æquipollente, & post tamen convenerit, ut emptor plus solvat, quam quanti merx est; nisi mixtura fiat ex emptione & donatione non adparet, quomodo id superfluum tanquam ex vendito peti possit. Conf. Arnold. Vin-
nii tract. de pactis c. 9. seqq.

§. 8. Huc etiam commode referri posse judicaverim *fiduciam*, quam alicui rem quantiviam tanquam propriam mancipamus ea lege, ut istam nobis remancipet. Hanc ideo inter pacta adjecta potius, quam principales contractus retulerim, quod semper traditioni rei alteri factæ accedat. Ideo autem *fiduciæ* vocabulum ei pacto tributum videtur, quod cum alias, in quem dominium rei alicujus translatum fuit, de ea pro lubitu disponere, adeoque eandem sibi in perpetuum retinere, vel in quemcumque transferre queat; adjecto isthoc pacto tantam de ejus pudore ac fide fiduciam concipiamus, fore ut idem dominio suo non aliter, atque conven-
tum fuit, utatur, eoque lubenter iterum cedere nobis velit. Hinc ejus pacti apud Romanos solennis erat isthæc formula: *uti inter bonos bene agier*

oportet, & sine fraudatione; apud Ciceronem in *Topicis* & ad *famil. l. VII. ep. 12. & Off. 3.* Et quia tam exuberans velut fides heic interveniret, ideo legibus Romanis infamia sequebatur eum, qui fiduciae iudicio condemnatus fuisset. Cicero pro *Q. Roscio*: tria sunt privata iudicia summae estimationis, ac pane capitis, fiducia, tutela, societatis. Idem *Topicis*: Si tutor fidem praestare debet, si socius, si cui mandatus, si qui fiduciam accepit. Idem pro *Cacina*: qui per fiduciae rationem fraudavit quempiam, maturo iudicio condemnatur. Caeterum in quibus negotiis apud Romanos fiducia interposita fuerit, passim Romani juris interpretes docent. De fiduciario patre vid. *Cajus instit. l. 6.* Sic & fiducia contrahebatur in emancipatione liberorum circa successionem in horum bona. Vid. *§. ult. Instit. de legitima agnatorum successione. l. ult. C. de emancipat. liber.* De fiduciaria possessione vid. *Budaeus ad l. 2. D. de orig. juris. Greg. Tholosanus synt. juris l. xxiii. c. 5. §. 2.* De tutela fiduciaria vid. *Bachovius ad d. t. Instit.* De fiducia circa pignus contracta vid. *Isidorus etymol. l. 5. c. 25. Cujacius ad Pauli recept. sentent. l. 2. tit. 13.* Sic & in fidei commissis instar fiduciae intercedit. Vid. *princ. Instit. de fidei commissis.* & ibi *Bachovius*, aliique interpretes. Alia quoque exempla fiduciae passim extant. Apud *Livium l. 32. c. 38.* *Philippus cum acie decernendum videret, & undique ad se contrabendas vires, maxime de Achaia urbibus regionis abs se diversae, & magis tamen de Argis quam de Corintho sollicitus, optimum ratus Nabidi eam Lacedaemoniorum tyranno velut fiduciariam dare; ut victori sibi restitueret: si quid adversi accidisset, ipse haberet.* Sic apud *Paulum Warnefridum de gest. Langobard. l. 2. c. 7.* *Alboinus Pannoniam amicis suis Hunnis contribuit, eo scilicet ordine, ut si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent.* Apud *Curtium l. V. c. 9.* *Nabarzanes Dario svadet, ut ipse temporis gratia regnum in Bessum transferat. Compositis rebus, iusto Regi tibi fiduciarium restituet imperium,* Apud *Diodorum Siculum l. IV. 32.* *Hercules, Sparta vi subacta, Tyndarum, Dioscurorum patrem, in regnum reduxit, quod, ut hasta partem, hac conditione fidei ejus depositi loco permisit, ut Herculis illud liberis sartum tectumque conservaret.* *Boëtius in Topica Ciceronis* tale exemplum adfert: *si quis dubium tempus timens amico potentiori fundum mancipet, reddituro, cum tempus illud dubium praterierit.* Sic apud *Turcas*, si quis juraverit, sese uxorem suam dimissurum, licet mox poenituerit, utique tamen eam dimittere tenetur. Sed quo iterum eadem potiri queat,

queat, fiduciam cum amico suo contrahit, ut is eam ducat, & mox post consummatum matrimonium iterum dimittat. Alias enim nisi post divortium alteri dimissa nupserit, ad priorem maritum reverti non potest. *Monconys itiner. tom. 1. p. 465. Conf. Ad. Olearius itiner. Pers. l. 5. c. 23.* Non tamen licebit fiduciam interponere ad fraudem legi faciendam, v. g. si quis à vestigali immunis alterius bona sibi tantisper vellet mancipari, eludendis publicanis.

§. 9. Porro quod attinet pacta, quæ securitatem aut firmitatem aliis pactis jam determinatis & formatis adjiciunt; primo frequentissimum est, ut unus homo alterius obligationem velut in subsidium in se suscipiat, ita ut nisi principalis debitor eidem satisfaciatur, hic ipsius vices subeat. Solent autem alii pro aliis sese obligare triplicibus potissimum in negotiis. 1. In obligationibus circa præstandas res & actiones pretio æstimabiles, maxime inter privatos. 2. In criminibus, quod reus sententiam in se latam sit subiturus; qui proprio vocabulo dicuntur vades. 3. In obligationibus publicis, quibus cavetur per sponsores & obsoles. Ad naturam fidejussionis intelligendam jam supra quædam tradita sunt l. 5. c. 2. §. ult. Quibus heic addimus, nos per fidejussionem alterius obligationem velut in subsidium suscipere, ita ut siquidem ab illo non præstetur, quod ex qualicunq; negotio debetur, numo æstimabile, à nobismet ipsis impleatur: ita tamen, ut ad principalem debitorem habeamus regressum, ipsumque expensas, & damna reposcere queamus. Cum autem fidejussio sit tantum accessio alterius contractus, patet, naturaliter non posse fidejussorem in plus obligari, quam principalem debitorem. Adeoque si hic sub conditione debeat, non potest ille pure debere, antequam conditio extiterit. Sic nec loco nec tempore plus ille, quam hic debere potest. Par quoque est, ut exceptiones debitoris, ex ipso negotio fluentes, fidejussori profint. Vid. l. 6. D. si quis cautionibus l. 32. D. de pactis. l. 51. D. de procurator. l. 9. §. 3. de Scto Macedon. l. 4. l. 5. D. de compensat. Fidejussoribus æquipollent mandatores, seu qui alicui mandant, ut quis alteri credat; nam eo ipso fidem suam interponere intelliguntur. Ubi contingere potest, ut quis alicui mandet, quo tertio M. credat, qui tamen non nisi D. voluit accipere. Quo casu mandator in majorem summam creditori non tenebitur, quam quantam iste accepit. Sensus enim mandati hic est, mea fide potes illi credere ad M. usque. Hoc tamen nihil prohibet, ut fidejussor in minus obligetur,

getur, quam debitor principalis: puta si pro parte tantum debiti interve-
nerit, aut pro debito puro sub conditione fidejusserit, aut tempus solu-
tionis sibi prorogaverit, locumvè sibi commodiorem constituerit. Sed
& illud ex fine interpositæ fidejussionis colligitur, fidejussorem debere
esse virum locupletem ac fide dignum, & quicum creditor facile experiti
judicio queat; id quod ad probationem creditoris judicatur. Inde apud
Homerum Odyss. 8. Vulcanus, cum Neptunus sponsores se pro Marte of-
ferret: *δαιαί τι δαιῶν γε καὶ ἐγλύαι ἐγλύααδαι, misera pro miseris etiam spon-*
siones ad spondendum. Quo pacto ego te vincere possum inter immortales
deos, siquidem Mars abierit, debito & vinculis evitatis?

§. 10. Id tamen à ratione non abhorret, ut efficacius & velut
arctius obligari possit fidejussor, quam principalis debitor. Nam is
ad majorem securitatem principalis contractus ultro accessit, citra
quem alter in istum contractum non consensisset. Et sæpe quis ne-
cessitate urgente ad contrahendum descendit. Fidejussorem autem
sola animi liberalitas, & beneficentiæ ostentatio, opumque fiducia
alieno negotio immiscet. Unde non absurde creditores quandoque
acrius irascuntur fidejussoribus, quam principalibus debitoribus. Nam
illi in causa fuerunt, cur hisce crederent: & culpa non caret, qui citra
necessitatem onus in se derivat, cui sustinendo se parem non esse, nos-
se debebat. Sicuti & passim sapientiæ magistri à nimia fidejubendi
facilitate dehortantur, quibus mala non necessaria declinare cordi est.
Proverb. VI. 1. seqq. XI. 15. XVII. 18. XXII. 26. 27. XXVII. 13. *Sirac.*
XXIX. 24. 27. *Ἐγλύα, πύρα δ' ἄτη. sponde, sed nox apræstò est,* Chilonis di-
ctum est. Quin & benigne leges Romanæ foeminarum facilitati per
Stum Vellejanum ivere prospectum. Quo pertinet illud, quod juxta
leges Romanas debitori concedebatur per cessionem bonorum toto
se debito, licet bona illa excedente, exsolvere; quod beneficium fide-
jussoribus non indulgebatur: quippe cum & eo fine fidejussores sint
sumti, ut si debitor bonis esset eversus, creditor utique suum per il-
los consequeretur. Etsi alias modus hic per cessionem bonorum de-
bito sese exsolvendi juri naturali sit ignotus; nisi quod illud humani-
tas dicitur, ut si quis fatali calamitate, non per luxuriam aut socor-
diam solvendo esse defierit, sufficere debeat, si patrimonio suo exua-
tur, nec corpore quod restat lucre cogatur. Sed & arctior fit fidejuf-
foris,

foris, quam principalis debitoris obligatio, si quod hic simpliciter promisit, iste sub juramento, aut adjecta pœna in se receperit. Sic in quibusdam locis moris est, ut si convento tempore solutio non sit facta, fidejussores ad certum locum teneantur se sistere, neque inde discedere, donec creditori sit satisfactum; quod vocant obstagium. Quamquam ob abusus heic intervenientes alicubi istud pactum sit prohibitum.

§. II. Cæterum quia fidejussio est accessio alterius debiti, naturale utique est, ut primo loco conveniatur principalis debitor; & tunc demum, quando ab isto debitum non potest obtineri, ad fidejussorem eatur. *Quintilianus declamat. 273. Periculum sponsoris miserabile est: bonitate labitur, humanitate conturbat. Non aliter salvo pudore ad sponsorem venit creditor, quam si recipere à debitore non possit.* Leges Romanæ beneficium excussionis & ordinis vocant. Ubi autem fidejussori est solvendum, creditor in fidejussorem transferet omne suum jus, quod ipse adversus debitorem habuit, seu actiones suas fidejussori cedit; si forte hæ efficaciores aut favorabiliores sint, quam queis fidejussor contra istum agere suo nomine potest; inprimis si isti pignoribus quoque ex parte cautum. Nam & hæc in fidejussorem tunc transferenda. Sed & si plures conjunctim pro uno fidejusserint, neque singuli in solidum sese obstrinxerint, adparet, naturaliter ad divisionem eos posse provocare, & pro rata duntaxat conveniri; nisi forte quis eorum solvendo non sit. Tunc enim hujus portio reliquos onerabit; quippe cum eo maxime sine plures sint sumti, ut si forte unus vel alter deficiat, per cæteros creditori satis sit cautum. Add. quoque *Phædrus l. 1. fab. 17.* A fidejussoribus diversi sunt expromissores, qui alienam obligationem plane in se transferunt, eamque suo nomine implendam recipiunt. Unde & ab illo, cui quid debetur, tanquam principales debitores conveniuntur. An autem, & quomodo, quod sic erogatum est, isti ab altero recuperare queant, judicandum est ex eo negotio, quod ipsis cum eo intercessit, pro quo solverunt. Quod interdum est liberalis donatio, interdum mandatum, interdum mutuuum, interdum compensatio, aut simile quid. Solet etiam fieri, ut fidejussor sibi curet caveri per aliam fidejussorem, quod per hunc sit recuperaturus, quæ creditori solvit, ubi à principali debitore ea nequiverit: quem so-

E c c c

lent

lent vocare fidejussorem indemnitate. Hujus & erga priorem fidejussorem obligatio, & adversus principalem debitorem jus aut actio eadem est, quæ istius erga hunc & creditorem.

§. 12. Circa vades, qui pro aliorum delictis, & resultantibus inde obligationibus sese interponunt, observandum, veterum complures credidisse, eousque hominem vitæ suæ esse dominum, ut solo consensu suo eam pro alterius vita possit oppignorare, cum hoc effectu, ut pro alieno delicto capite quoque plecti possit. *Andocides orat. de mysteriis* tradit, Manthiteum, & Apsephionem juxta aram sedisse, ne torquerentur, suppliciter orantes, & ut datis vadibus judicarentur, vixque hoc petitos, postquam vades dederunt, consensu equis ad hostes transfugisse, *καταλιπόντας τὸς ἰσχυτάς, ἕς ἑδὴ τῶς αὐτοῖς ἐπιχειρῆς ἐν ὄσσειν ἕς ἠγούσαντο, vadibus relictiis, qui mala subire coacti fuerunt, quæ illi subituri erant, pro quibus sponderant.* De Damone & Pythia (qui *Phintias* dicitur à *Diodoro Siculo* in excerptis *Peirescianis* p. 244.) historia ex *Cicerone de amicitia* notissima est. In quos *Manilius Astron.* l. 2. dicit: *Et duo qui potuere sequi vadimonia sponsi: Optavitque rem sponsor non posse reverti, Sponsoremque reus timuit, ne solveret ipsum.* Gemina de Maro & Selinuntio referuntur ab *Hygino fabula* 257. Similis historia extat ap. *Martinium histor. Sin.* l. 4. c. 11. Add. *Quintiliani declam.* XVI. quæ inscribitur, *Amici vades.* Enimvero statem ad regulas justitiæ vindicativæ, inter homines invicem exercendæ, non quadrat, vades hoc sine dari, ut ex solo consensu possint subire poenam corporalem nocenti alias infligendam: nisi quis forte dolose se substituerit, ut alteri præberetur occasio judicium subterfugiendi. Tunc enim merito luit, quanti fuerat magistratui, nocentem poenæ non fuisse subtractum; quod aliquando morte taxari potest, præsertim ubi qui effugit, multa mala deinceps daturus est. Vid. 1. *Reg.* XX. 39. De cætero ejusmodi vicaria mors in foro civili illicita est, tum quia tanta potestas homini in propriam vitam nequidquam competit, ut ex nudo consensu, nullo bono publico, eandem abjiciat, ne alter, quod meritis est, patiat̃ur: tum quia hoc modo non obtinetur finis poenarum, qui est, delinquentem, aut alios emendare. Nam neque ipse vas deliquit, neque actu suo reatum delicti in se derivavit. Neque à peccando deterrebitur, qui videt pati innocentem: sed aut misericordia tangeretur, aut in admirationem amoris & constantiæ, mortem pro altero sub-

ire non remuentis, rapietur. Add. *Ant. Matthæus de crimin. ad l. 48. D. tit. 14. c. 2. §. 13. seqq.* Adparet igitur, hæcenus tantum vades in criminibus recte interponi, ut vel promittant judici, cui delicti est persecutio, se damnum delicto datum farturos, multamq; pecuniariam soluturos: vel caveant de reo sistendo, si absens sit, ne in absentem, & indefensum, tanquam convictum, aliquid statuatur; aut si præsens sit, & in carcerem coniectus, ne ex vinculis causam cogatur dicere. Ubi tamen convenientissimum fuerit; in antecessum dicturi à magistratu certam pecuniæ summam, quæ exsolvenda sit fideiuratori, si forte reus per fugam iudicium eluserit; ut possit iste deliberare, anne facultates suæ ferant, tantam summam ex rei fide suspendere. Obsidum obligatio, cum citra fœdera & imperium civile vix cognoscatur, infra commodius excutietur.

§. 13. Frequentissimum quoque est, ut creditori in securitatem debiti tradatur, aut assignetur certa quæpiam res, pignoris vel hypothecæ nomine, quousque istud fuerit exsolutum. Cujus finis est, non solum ut debitor ad exsolvendum debitum urgeatur desiderio possessionis rei suæ recuperandæ; vid. l. 35. §. 1. *de action. pignerat.* sed &, ubi debitum non exsolvitur, habeat, unde suum nanciscatur; utque creditor, dum pignori incumbit, molestia per actionem debitum extorquendi superfedere queat. Inde & pignus ordinarie pretium debiti æquare, aut superare suevit. Cum porro pignora inventa sint ob securitatem debitorum, quæ pretio vulgari aut eminenti constant, conveniens utique est pignora parem cum istis habere indolem. Sic ut probari non possit mos Ægyptiorum, qui parentum suorum condita cadavera oppignerare solebant; etsi eum, qui ista reluere neglexisset, maxima ignominia, & defunctum privatio sepulturæ consequeretur. *Diodor. Sicul. l. 1. c. 93.* Inde & ab humanitate alienum videtur, obæratos sepultura prohibere, eaque contumelia ipsorum conjunctos ad solutionem, ad quam alias non adstringebantur, adigere. Obiter quoque notandum, in regno Pegu creditoribus uxorem & liberos oppignerari posse. Sed ubi creditor cum ejusmodi oppignerata uxore aut filia concubuerit, credito suo excidit, & pignus restituere cogitur, nulli præterea poenæ obnoxius. *Caspar Balbi itiner.*

§. 14. Sunt autem res, quæ pignori opponuntur, vel fructuosæ, vel steriles. Circa priores frequens est, ut adjiciatur pactum *ἀντιρρητικός*, seu ut creditor loco usuræ fructus istius pignoris percipiat in solidum, aut pro rata, eo quod excedit domino restituito. At sterilibus pignoribus sæpe solet addi lex commissoria, ut nisi intra certum tempus re- huantur, cedant creditori. Id quod naturaliter non est iniquum; in- primis ubi pignus non iuris sit, quam debitum, & usuræ intermedii temporis: aut si quod credit domino restituatur. Et si legibus Ro- manis ea lex commissoria sit vetita, quod per avaritiam creditorum egeni ac necessitate pressi debitores rebus suis facile exui possint, dum pignori opponunt, quæ multo pluris quam debitum sunt. Recte quo- que ita conveniri potest, ut pecunia destinato die non soluta, pignus velut emptum esse debeat justo pretio, tunc arbitrio boni viri constitu- endo, aut antè constituto; vel etiam ut tunc pignus recte æstimatum in solutum detur. De cætero uti creditor pignus solutione facta de- bet restituere; ita interea non minorem quam propriis rebus illi cu- stodiam debet; & nisi pactum antichreticum accesserit, sitque talis res, quæ usu atteratur, invito domino eadem uti non potest. Unde si quid detrimenti id capiat, aut prorsus pereat per ipsius dolum, aut defectum diligentiaẽ saltem communis, ejusdem id periculo & damno contingit.

§. 15. Communiter traditur, pignora non posse usucapi. Ra- tio redditur, quod luitio pignoris sit talis actus, qui non habeat quo- tidianum exercitium, sed semel ubi commodum fuerit. Accedit quod usucapiones potissimum sint introductæ ad extinguendas lites infini- tum pulhulaturas, & ne dominia rerum sint in incerto. Id quod cir- ca pignora non est metuendum. Nam de illorum domino non pot- est oriri dubium, cum ea detineantur tanquam aliena. Et cum satis constet, quare dominus ista relinquat apud creditorem, non potest presumi, illum eadem pro derelictis habere. Nihilominus videtur casus dari, ut debitor à luitione pignoris recte excludatur. Qualem *Grotius* ponit l. 3. c. 20. §. *ult.* si quis cum luere veller, impeditus id si- lentio transmisisset tanto tempore, quod ad consensus conjecturam sufficere possit. Quin & si dilata in infinitum solutio creditori da- mnum sit allatura, non iniquum est, hunc pignus velut in solutum reti-

retinere , præsertim ubi per temporis diuturnitatem monetæ valor sit mutatus ; quo efficitur , ut creditor longe minus , quam dedit , recipiat , si relutio pignoris tanto post fiat , v. g. credidit quis alicui M. ante C. annos , opposito pignori fundo cum pacto antichretico , qui tantidem tunc erat. Interea temporis valor monetæ dimidio decrevit. Heic si tantum M. reddantur , creditor recipit summam , qua jam vix dimidium possit fundum comparare , cum tempore contractus initi integrum posset.

§. 16. Solet jus Romanum distinguere inter pignus specialiter sic dictum , & hypothecam ; quorum illud constituitur rei traditione , hæc autem constat nuda assignatione , boni alicujus potissimum immobilis , ex qua , solutione non facta , suum nancisci possit creditor. Nam res mobiles nuda hypotheca obligari inconueniens est , cum facile possint removeri , & sic creditori nequeant securitatem præstare. Circa hanc distinctionem notandum , illam utiliter locum posse habere inter cives ejusdem reip. Nam cum frequens urgeat necessitas mutuum sumere , cujus solutio sæpe in diem solet differri ; neque semper ea rerum mobilium copia sit , quæ sufficiens præstare pignus queant : inde durum nimis foret , statim ad traditionem rerum immobilium , puta ædium aut fundorum adigi : (conf. etiam *Exod. xxii. 26. 27. Deuter. xxiv. 6. Job. xxii. 6. xxiv. 3. Prov. xx. 16. l. 6. 7. D. de pignor. Diodor. Sicul. l. i. c. 79. l. 8. & authen. Agricultores C. qua res pign. oblig. poss.* igitur sufficiebat rem immobilem designari , qua creditori caveatur ; quæ neque auferri , & in quam per judicem immissio semper obtineri possit. Ast inter eos , qui in libertate naturali invicem vivunt , nudæ hypothecæ sunt inutiles. Nam ubi ultro debitor solvere renuerit , vi utique & armis erit invadenda possessio hypothecæ. Atqui etiam citra assignationem hypothecæ inter tales quælibet bonæ debitoris invadere licebat.

CAPUT XI.

QUIBUS MODIS SOLVANTUR OBLIGATIONES , QUÆ EX PACTIS ORIUNTUR.

1. *Modus maxime naturalis solvenda* 2. *Quid si quis pro ignorante solverit?*
obligationis est explere conventa. 1 rit?

Eeeee 3.

3: Cui

- | | |
|---|--|
| 3. Cui solvendum? | 10. Uti & mutatio status, in quo fundabatur obligatio. |
| 4. Quid solvendum? | 11. Quatenus tempore expiret obligatio. |
| 5. Compensatio adversus quem & à quo opponatur? | 12. Morte qua obligationes expirent. |
| 6. Ubi eadem locum habeat. | 13. De delegatione, |
| 7. Remissione solvitur debitum. | 14. Confusione, |
| 8. Mutuo dissensu quatenus solvatur obligatio. | 15. Et Novatione. |
| 9. Unius perfidia alterum obligatione solvit. | |

Restat ut videamus, quibus modis obligationes ex pactis oriundæ dissolvantur. Inter quos maxime naturalis est expletio ejus, de quo fuit conventum. Eo enim peracto, partibus nihil amplius invicem est negotii. Observandum autem est, quasdam obligationes ita personæ inhærere, ut ab alio recte expleri nequeant: alias vicariam admittere operam, ut nihil intersit ejus, cui quid debetur, per quemcunq; eadem expleatur. Quales ut plurimum sunt contractus, quibus convenitur de præstanda aliqua opera mercenaria, & vulgari, & quæ æque commode ab uno, quam ab altero obiri potest. Item, quibus convenitur de præstandis rebus fungibilibus, & quibuscunque aliis, quæ undecunque ad nos perveniant, nostra nihil interest. In talibus ergo etsi maxime naturale sit, ut ipsi debitores solvant, aut præstent conventum, aut illi, qui ab ipsis mandatam habent: creditorem tamen oportet adquiescere, si alius quivis debitoris nomine velit solvere, (*n. in quod quis suo nomine solvit, non debitoris, debitorem non liberat.* l. 3. D. de hered. petit.) & si istud acceperit, ab isthoc nihil amplius postulare poterit. Quo loco circa fidejussorem observandum: siquidem principalis debitor solverit, tam hunc, quam fidejussorem liberari. Ast si fidejussor solverit, principalem quidem debitorem à creditore liberari, sed fidejussori contra idem debere incipere, ut ut hic in scio debitor solverit.

§. 2. Quando autem quæritur, an & quatenus qui pro alio solvit, qui neque fidejussor est, neque mandatarius, id quod solvit repetere queat; distinguere solent, an pro invito & contradicente, an verò tantum pro ignorante sit solutum. Priori casu nullam ipsi repetitionem

com-

competere constat. Nam quomodo obligationem, quæ ex consensu oritur, mihi invito quis possit impingere? Quia tamen nemo temere præsumitur sua jactare, igitur ulterius videndum, an quis creditori id, quod solvit, donare voluerit, an vero minus. Priori casu debitori nihil accedit aut decedit. Posteriori casu nihil superest, quam ut ipsum hoc egisse dicamus, quo creditoris jus & actionem contra debitorem in se transferret. Et utut creditor forte ab initio nesciverit, eum qui solvit hoc agere, illudq; velut debitoris nomine solutum acceptum tulerit: tamen ubi hic ultro à debitore quod solvit recuperare nequit, æquitas dicitur, aut creditorem, quod accepit, huic debere restituere, salva sua in debitorem actione; aut eidem actionem suam in debitorem cedere. Præsertim cum is, qui pro altero solvit, præsumatur credidisse, solutionem suam debitori gratiam futuram. Quam ob rationem & huic leges Romanæ dederunt actionem negotiorum gestorum. l. 43. l. ult. D. de negot. gestis. Quatenus tamen debitor excipere potest, sibi gratum non fuisse, quod iste suo nomine solverit, seque nolle ipsi hoc beneficium debere; simplicissimum est, ut ei, qui pro ignorante solvit, creditor actionem suam cessisse intelligatur. Si autem quis alias in res ignorantis utiliter quid erogavit, aut operæ quid impendit, nō melioratio inde detrahi possit, recte rei tanquam pignori tamdiu incumbet, quousque quod impensum fuit sibi farciatur.

§. 3. Solutio porro, & quævis obligationis expletio debet fieri ei ipsi, cui debetur, aut quem hic delegaverit, ut ipsius nomine debitum recipiat. Quod si autem alteri per errorem fuerit solutum, haut quidquam ideo creditori iste debere desinit; verum illud tanquam indebitum qui solvit repetere poterit. Præsupponitur quoque eum, cui solvitur, & habere bonorum suorum administrationem, & intelligere, quid geratur. Alias enim potius temeraria effusio, quam solutio facta intelligetur, collato, quoad utilitatem procurandam erat destinatum in eum, qui ejusdem finem aut dissolute negligebat, aut plane ignorabat.

§. 4. Præterea solvendum est illud ipsum, de quo conventum fuit, non aliud ejus loco: (add. l. 99. D. de solution.) integrum, non mutilum, non pars duntaxat, non divisum: loco item & tempore convento, inprimis ubi illius, cui debetur, intersit, heic & non alibi, nunc
&

& non alio tempore solvi aut præstari. Nam & tempus pars pretii est. Vid. *Martialis* l. VI. ep. 30. Nisi tamen nova conventionē alia res pro re debita fuerit substituta, aut circa locum & tempus quid mutatum. In qualem substitutionem aut mutationem sæpe creditores consentire necessum habent; quando per impotentiam aut malitiam debitoris satius ducunt aliquid accipere, quam nihil; alio loco, quam nullibi, post intervallum, quam nunquam. Et si & æquitas sæpe requiratur, ut tempus vel prolongetur debitori, vel præstationes velut dividantur, quando solutio in præsens, aut simul fieri nequit. Sic cum Athenienses Dianæ votum fecissent, tot illi se capras immolatu- ros, quot hostes occidissent, ac totidem victimas ex toto agro comparare non potuissent, quotannis D. mactare decreverunt; apud *Xenophontem* *ἀναλόσις* τῆς κούρης. l. 3. Alias circa tempus solutionis observari etiam solet l. 105. D. h. t. Sæpe quoque, ubi iudex fuerit aditus, nulla alia patet via litem expediendi, quam ut rei conventæ loco ad quid æquipollens debitor condemnetur. Id quoque manifestum est, cum duntaxat, cui debetur, posse aliquid de debito remittere, aut super eo transigere; quod creditoris ministro aut dispensatori citra mandatum non competit. Verùm ubi debitoris minister cum creditore transfegerit, & minore summa, quam quæ revera debebatur, eidem satisfecerit, id lucro cedet non ministro, sed ipsius domino. Et speciem furti aut peculatus habet, si minister debitoris, qui in minorem summam cum creditore transfegit, integram in rationes referre velit, sibi- que reservare, quod minus solutum est. Sed & id pro solutione habetur, si pignus à creditore vel ipsum in solutum fuerit acceptum, vel ex lege adjecta in commissum ceciderit, vel si pretium ex eodem distracto redactum loco debiti in acceptis relatum fuerit. Quod si autem quis, multiplici debito obstrictus, partem solverit, favorable iudicatur, pro eo debito id esse solutum, quod odiosius videtur. Vid. l. 1. 3. 4. 5. 7. 8. D. l. 89. §. 2. l. 97. h. t. Ille tamen modus solutionis est plane irregularis, quo usus legitur Vitellius apud *Xiphilinum* epit. *Dionis*, cujus creditores, qui eum in Germaniam proficiscentem vix datis fidejussoribus dimiserant, eo mox Imperatore factò, Romamque reverso, sese occultarunt. Quibus requisitis ipse dicebat, se reddidisse salutem pro credita pecunia, tabulasque contractuum reposcebat.

§. 5. Est & usitatissimus modus tollendi obligationes per compensationem, quæ est crediti & debiti inter se contributio l. i. D. de compensat. seu quando ideo aliquid deberi desinit, quia eidem ipse creditor rem ejusdem generis, & quæ tantidena est, vicissim liquido debet. Cum enim inprimis in rebus fungibilibus tantundem sit idem, & vero, ubi mutuum est debitum, mihi statim tantundem esset reddendum, atque ipse accepi; igitur ad redigendas in compendium inutiles solutiones commodissimum est, utrumque suum retinendo solutione defungi. Præsertim cum omnem fere exactionem aliqua molestia comiterur; & valde imprudens sit, per solutionem non necessariam id efficere, ut alter in suo adversum me debito eo facilius possit tergiversari. Vid. l. 2. l. 3. D. h. t. Adparet autem, compensationem duntaxat locum habere inter eos, qui invicem sunt creditores & debitores; non autem si quid à tertio quopiam mihi debetur, id alteri invito velut in solutum obtrudere possum. Nisi forte talis inter quosdam sit societas, ut ipsorum obligationes & jura invicem sint communia. Sic si inter duos sit omnium bonorum societas, & eorum uni ego tantam summam pecuniæ debeam, quantam alter mihi, recte isti, debitum me poscenti, compensationem oppono. Nam horum bona pro uno matrimonio habentur. Imo si certæ duntaxat rei inter aliquos sit societas, compensatio locum habebit, si & creditum, & debitum ex eadem re, cujus inter eos societas fuit contracta, resultet; quia & hætenus isti velut pro uno stare intelliguntur. Sic & quod ego debitoris mei heredi debeo, compensatione tolli potest; & vice versa, quod mihi antecessoris mei creditor debet. Compensationem autem etiam invito creditori posse opponi patet; cum valde impudens sit, idem alterum poscere, quod ipsi præstare detrectes. Exinde etiam, qui compensatio locum non habet inter eos, qui sibi invicem non debent, deducitur; si quid ego alteri debeam, me non posse ipsi obtrudere creditum ejus, cujus ipse procurator sum, quamdiu illud in me non fuit translatum. Nam dum quis suis me negotiis præficit, non statim ipsius res inter meas numerare, & meis me debitis inde liberare possum; præsertim cum sæpe alterum, quam me, debitorem creditor malit habere. Nec si cui mea negotia committo, statim ipsius quoque onera & obligationes in me derivare volo. Sic

Fffff

v. g.

v.g. si mihi Cajus injunxisset, ut credita sua ipsi exigerem ab Sejo, cui ipse debeo: invito Cajo neque Sejus poterit debiti mei compensationem obijcere, & eo prætexto solutionem recusare; (quid enim Cajo cum meis debitis?) neque ipse me Cajo debitorem pro Sejo substituere possum. Sic debitor pupilli non potest in compensationem deducere creditum tutoris, nec tutor suo se debito exsolvere, offerendo creditori suo in compensationem creditum, quo hic pupillo tenetur. Vid. l. 23. D. *h. t.* Contra recte tradunt, fidejussorem, si à creditore ex causa fidejussionis convenitur, non solum in compensationem deducere posse, quod creditor ipsi, sed & quod principali debitori debet, etiam hoc inscio & invito. Nam siquidem ipse principalis debitor solvisset, compensationem sui debiti creditor tenebatur admittere; cur ergo fidejussori id non proffit? Et improbus foret debitor, si fidejussorem vellet prohibere, quo minus sui debiti compensatione defungatur; cum utique quod hic pro ipso solverit, restituere teneatur.

§. 6. Regulariter autem compensatio locum habet in rebus fungibilibus ejusdem generis, quorum solvendum tempus jam præsens, aut elapsum est. (non quæ in diem debentur. vid. l. 7. D. *h. t.*) Unde recte compensari nequeunt quantitates cum quantitatibus diversi generis, aut diversæ qualitatis; puta modius tritici, cum modio avenæ, amphora vini Rhenani cum amphora vini Hispanici. Neque diversæ species, puta hic equus cum hoc bove. Neque res diversi generis, puta ovis cum asino. Neque species cum genere, aut quantitate; puta Bucephalus cum quovis equo, aut amphora olei. Et si Interpretes juris Romani admittant compensationem inter corpora in genere debita, seu quando utrinque idem genus ejusdem qualitatis debetur, v.g. si tibi equum in genere promissem, ac tu illi, qui mihi in genere equum legavit, successisti, compensatio inter nos fiet. Contingit tamen etiam in istis, ut utriusque debitoris consensu diversæ res in suam æstimationem resolvantur, & sic dùmum utrinque compensatione tollantur. Quanquam etiam in reciprocis debitis frequens sit, ut non tam tollatur, quam suspendatur obligatio per retentionem, qua quod alteri debebam exhibere, tantisper penes me retinco, quoad alter, quod prius debebat, præstiterit. Minime autem compensari possunt operæ invicem debita, aut opera cum re, quando momentum illud temporis jam instat, quo illæ invicem sunt præstandæ.

standæ aut exhibendæ. Nam id repugnat scopo contractuum, eosque reddit plane inutiles. Quod si autem uterque alteri debitæ operæ aut rei præstationem remiserit, ex alio fundamento obligatio tollitur, nempe ex mutuo dissensu. Sicuti etiam, quod ego præstare non teneor, quando alter qui prior præstare debebat, id omisit, non ad compensationem est referendum; sed quia conditio, sub qua ego præstare tenebar, non extat. Quod si autem operæ tempore convento præstari sint neglectæ, adparet easdem in æstimationem suam posse resolvi, adeoque per compensationem tolli. Sed & debito opponere possum damnum æquipollens à creditore datum, ut & multam mihi exsolvendam, in quam ob injuriam mihi datam iudex creditorem condemnavit. Id quoque recte monet *Grotius* l. 3. c. 19. §. 19. si quid inter litigantes convenit, ei quod promissum est, opponi lite manente non posse aut actionem, de qua lis erat, aut litis damna & impensas, v. g. est mihi lis super aliquo de hæreditate: ea lite pendente ego ipsi domum vendo. Hæc sane in solutum iste mihi imputare nequit eam hæreditatem, aut sumtus in ejus petitionem factos; quippe cum nondum sit liquidum, an hæreditas illi debeat. Et negotii natura ostendit, convenisse inter nos, seposita ea lite: alias enim nihil actum fuisset. De eo genere compensationis, qua debitum gratiæ pro beneficio referendæ tollitur per sequentem injuriam ab eodem illatam, prolixè tradit *Seneca* *Epist.* 81. & *de benefic.* l. 6. c. 4. seqq. Sicuti & æquales utrinque injuriæ per compensationem recte tolluntur, salvo tamen eo, quod magistratus interest.

§. 7. Tollitur quoque obligatio condonatione ejus, cui quid debebatur, & cujus interest obligationem fuisse expletam. Nam jure suo posse aliquem cedere tralatitium est. Est quod ex obligatione in alterum translatum fuit jus, iterum ad nos redire per condonationem ab altero intelligitur. Et uti ab initio non contrahitur obligatio, si alter, cui quid offertur, id respuerit: ita nec illa me amplius stringit, quando alter vinculum, quo ipsi tenebar, ultro laxaverit. Addendum tamen est, nisi & tertii alicujus intersit, eam obligationem impleri. Tunc enim eandem remittere solus non potest, etiam in quem immediate ex obligatione quid confertur. Solet autem ejusmodi condonatio fieri vel expresse vel tacite. Ad priorem modum pertinebat ex legibus Romanorum *acceptilatio*, qua quis fatebatur se accepisse, quod revera

non acceperat. Item, *stipulatio Aquiliana*, qua per novationem quar-
dam quarumvis rerum obligatio in stipulatum deducebatur, ac deinde
per acceptilationem tollebatur. Quas quidem ambages jus naturæ
ignorat, in quo etiam re, aut quocunque modo contracta obligatio
nudo alterius consensu, rite significato, extinguitur. Signum quoque
condonatæ obligationis habetur, si sciens debitori tradam, (non ex
causa depositi, aut simili,) instrumenta aut chirographa, citra quæ in-
ter homines debita non possunt probari. l. 2. D. de pactis. Quod si au-
tem alia instrumenta extent, ex quibus debitum æque liquido possit
probari, unius duntaxat traditione debitum remissum non censetur.
Quod autem leges Romanæ docent, redditione chirographi judicari
tacitum pactum initum cum debitore de non petendo; ea subtilitas
itidem juri naturæ est ignota, quo etiam re contracta obligatio non
reali duntaxat solutione, sed & nuda condonatione potest aboleri.
Tacite autem condonata censetur obligatio, si quis impediatur, aut in
causa sit, quo minus, quod debetur, possit præstari. Sic & ubi cum
aliquo ita mihi convenerit, quod ipsum sim admoniturus, ubi opera
erit obeunda; admonitione à me omiſſa istam censebor remississe. Uti
etiam, quando alium, ejusdem vices obiturum, substituero.

§. 8. Uti autem priori modo solvuntur potissimum obligatio-
nes, quibus alter duntaxat contrahentium oneratur; ita quæ utriusq;
partis præstatione constant, re adhuc integra, mutuo dissensu solent
dissolvi. Nam id maxime naturale videtur, ut quod solum sufficit
ad obligationem contrahendam, ejus contrarium sufficiat ad eandem
dissolvendam, ubi aliud quid non intervenerit, quod obligationem
semel contractam abrupti vetet. Nam quin lege positiva in certo
negotiorum genere interdici possit, ne quod semel placuit, etiam re
integra displiceat, dubium non est. Quod si autem res non sit am-
plius integra, sed ab altera parte jam quid præstitum; tunc nudum
dissensum adparet non sufficere ad tollendam obligationem; (vid. l. 2.
l. 3. D. de rescind. vendit.) sed si alias obligatio sit solubilis, accedere o-
portet condonationem ejus, qui jam aliquid præstitit, & cui quid ex-
adversum erat præstandum; aut illud alia ratione sarcendum. Vid. l. 3.
D. de pactis.

§. 9. Præterea non tam solvitur, quam abrumptur obligatio alterius partis perfidia, adeoque quando unus non præstat, de quo convenit, neque alter tenetur id præstare, quod reciproce & intuitu præstationis alterius recipit. Cum enim qui ex pacto aliquid alteri promittit, non absolute & gratis, sed intuitu ejus, quod alter se præstiturum recipit, promiserit; inde præstationes utrinque sibi invicem insunt per modum conditionis; quasi dictum foret, præstabo, si tu præstiteris prius. Jam autem quæ conditioni superstruuntur, ea non adparente corrumpi constat. *Thucydides* l. 1. *Fœdera violant, non qui obviam injuriæ eunt, sed qui vim priores intentant.* Unde indebita, si modo non fabulosa est, religiositas illius Indi, cui cum alter mulierem contra jus omne fasque ei abstulisset, fœdera tamen violare noluit, quod tam sancte pieque jurasse se diceret, ut ne injuriam quidem passus, detrimenti quidpiam illi vellet asferre; apud *Philostat.* l. 3. de vita *Apollon. Thyænai.* Vid. *Grotius* l. 3. c. 19. §. 14. Hæc autem locum habent, si iste suum non præstiterit, qui priore loco præstare debebat, aut qui simul cum altero. Nam an & quatenus solus metus, ne, ubi ego meum præstitero, alter fallat, ab obligatione aliquem liberare queat, supra traditum fuit. Sed quid juris erit circa particulas rerum jam præstitarum, ubi contractus ante plenum complementum fuerit abruptus? Hæc de diversis casibus distincte erit pronunciandum. Si enim ipse quod priori loco debebam præstiterim, & alter mox tergiversari velit, mihi jus erit ipsum quovis modo licito ad contractum implendum adigendi. Quod si autem me ipsum, ubi aliquam obligationis partem implevi, in eadem implenda pergere tædeat, non possum alterum adigere, ut quod præstiti, ejusvè æstimationem iste restituat: sed nã ego, de quo præstando convenit, consummare velim, tuto licebit isti quocumque abs me accepit retinere. Neque hæc opponi poterit tritum illud: non debere aliquem cum damno alterius locupletari. Ejus quippe damni non habetur ratio, quod quis suo dolo sibi arcessivit. Et quoties per eum, cujus intererat conventa impleri, steterit, quo minus ea implentur, perinde habetur, ac si eadem fuerint impleta. Neque si postea poenitentia temeratae fidei ductus pactum continuare velim, alter id acceptare cogitur: cum pacti violatio semel facta penitus idem abrumperit, & alterum ab obligatione inde orta absolverit; quæ nisi nova

conventionem instaurari nequit. Sic v. g. si ego operam alicujus in annum conducam, mercede in antecessum soluta, post ante annum finitum citra ipsius culpam eundem expulero; non tenetur mihi de mercede restituere, quanti erat residui temporis opera. Quod si autem quæ utrinque præstita fuerunt, paria sint, ante conventum tamen terminum non licebit alterutri pactum abrumpere; sed alter ad idem implendum violatorem adigere poterit, aut extorquere id, quod intererat pactum ad amissum fuisse impletum.

§. 10. Expirant quoque obligationes, quando statum, in qua eadem unice fundabantur, mutaverit persona tam quæ præstare, quam cui præstari debebat. Sic magistratus defensionem subditorum promittens non amplius tenetur, si munere suo abierit. Sic qui magistratui obsequium promissit, non amplius tenetur, ubi subditus ipse esse, aut hic magistratus desierit. Ast vero vim tollendi obligationem non habet ejusmodi mutatio in subjecto, quæ quidem eandem quo minus susciperetur impediisset, siquidem eo, quo contrahebatur, tempore extitisset, ac in præsens subjecto non adeo exacte quadrat, dummodo non prorsus inhabile illud ad eandem implendam reddat. Nam nisi ejusmodi mutatio tanquam conditio pacto fuerit ab initio inserta, jus irrevocabiliter acquisitum firmum persistet, ut ut alteri fors molestia quædam inde creetur. Qui enim libere & ultro ad contrahendum accessit, sibi imputet, quod casus, qui probabiliter prævideri poterant, ab initio non præcaverit. Sic populus aliquis absolute se regi subjiiciens, etiam si post, ingenio mutato, in aliam reip. formam majori inclinatione feratur, haut quidquam regis ideo obsequium exuere potest. Sic multi, si antea matrimonii incommoda intellexissent, vitam calibem exacturi fuerant; quibus tamen, ubi semel eo se vinculo induerint, ut cunque fors tulerit, obdurandum est.

§. 11. Sed & ipso tempore expirant obligationes, quarum duratio à puncto aliquo temporis suspensa fuit. Quod si continuari easdem placuerit, nova conventionem opus est; quæ tamen non semper expresse, sed quandoque tacite facta intelligitur. Vid. l. 13. §. fin. l. 14. D. locati. Verum ut solo temporis tractu evanescat obligatio, ita ut non deberit intra eundem tractum vim suam exserere, id absurdum est. Inde nihil est obligatio; debebo tibi C. aureos per triennium, ita tamen

ut

ut neque interea temporis, neque elapso eodem spatio eos me poscere queas. Nam frustranea est obligatio, quæ nullum sortitur effectum, antequam expiret, neque post se ullum effectum relinquit. Aliud autem est, si ita dicam; nisi intra triennium petieris, nihil amplius debebo. Isthæc enim est conditio obligationi adposita, qua non adparente, illa evanescit. Sic & moris est, ut fidejussor ad certum diutaxat tempus sese obliget; eo nimirum sine, ut mature, & quamdiu adhuc solvendo est, debitorem creditor urgeat, ne in infinitum iste obstrictus hæreat.

§. 12. Morte denique solvuntur obligationes in persona alicujus radicatæ; subjecto quippe sublato accidentia quoque extinguuntur: necessum est: ac præstatio per naturam redditur impossibilis. Vid. tamen *Valerius Max.* l. 2. c. 6. §. 10. Et *Pomponius Mela* l. 3. c. 2. *negotiorum ratio, & exactio crediti differebatur ad inferos*, (de veteribus Gallis loquitur.) Sic in Japonia Bonzii persuadent hominibus, qui pecuniam ipsis hæc dederit, eum decuplum in altera vita recepturum; ac in id chirographa sua creditoribus dant, quæ isti diligenter asservant, secumque sepeliri jubent. Vid. *Bern. Varenius de religione Japon.* p. m. 35. Frequens tamen est, ut defunctorum obligationes communicabiles per superstites continuentur, utque hi in istorum locum subeant. Idque vel quia superstes ultro, ut defuncti famæ consulere, aut alias ob rationes istius obligationem explendam in se suscepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat satisfaciendum, quæ cum istis bonis, naturali velut hypotheca oneratis, in hæredem simul transeunt. Quod si quis moriatur, neque tantum in bonis relinquat, quantum debet, adversus istum creditoris actionem simul mortuam esse adparet. Quid enim exanimi cadaveri aliquis faciat? Quo spectat lex Solonis apud *Plutarchum Solone*, qua mortui contumeliis affici vetantur. Add. l. 1. §. 4. 6. l. 27. D. *de injuriis*. Etsi apud Ægyptios receptum, eorum qui solvendo non erant cadavera in creditorum ædibus condi; quæ postea hæredes opibus aucti redempta honorifica sepultura dignabantur. Apud quos itidem in usu, ut liberi parentum conditorum cadavera oppignorarent. Hæc qui non luissent, eos ignominia maxima, & post excessum è vita sepulturæ privatio consequeretur. Vid. *Diodor. Siculus* l. 1. c. 92. 93. *Lucianus de luctu. Herodotus Enterpe*.

§. 13.

§. 13. Per delegationem substituit quis creditori suo consentienti debitorem suum, ut hic loco ipsius debitum exsolvat, seu ut delegantis creditori solvat, quod deleganti debebat. Ubi creditoris quidem consensus requiritur, non autem tertii istius debitoris, quem etiam ignarum & invitum alteri delegare possum. Nam nihil interest, utri quis solvat; multum autem, à quo quis debitum exigit.

§. 14. De confusione non est quod multa addamus. Nam cum idem non possit esse suus creditor & debitor; adparet, si quis debitoris sui hæres fiat, actionem illam perire, cum objectum, erga quod sese exferat, invenire nequeat.

§. 15. Novatio autem juris civilis positivi propria esse videtur, nec ad jus naturæ & gentium spectare. Nam possunt quidem antiquæ obligationes conventionem partium reformari; puta, ut non amplius debeat præstari interitus rei propter moram, à debitore interpolitam; ut desinat deberi pœna aut usura ob moram; ut pignora remittantur, aut fidejussores liberentur, dum creditor sola debitoris fide deinceps sese contentum fore declarat, &c. Sed intra simplicitatem juris naturæ versantibus non opus est heic fingere, priori obligationi, quæ periit, aliam successisse. Cum revera nihil aliud heic actum sit, quam quod vel creditor partem sui juris remiserit, vel diversæ prætensiones in unam confusæ sint. Quod autem una actio præ altera privilegio quopiam gaudet, id juris positivi est; cum jure naturali, quæ æque efficaciter debentur, æque efficaciter quoque peti queant. Sed quod leges Romanæ tradunt de novatione, quæ per litis contestationem fit, (quam necessariam vocant, uti priorem illam voluntariam;) id aliquo modo ad jus naturale applicari potest. Nimirum ut in foro civili, qui judicio vicit, actionem judicati contra adversarium habet, qua id petit, quod judex addixit, quomodocunque sese prius jus habuerit: ita ubi super aliqua controversia bello disceptari cœpit, exigi potest non solum prima illa prætensio, ex qua bellum fuit ortum, sed quicquid, bello finito, in pace fuerit definitum.

DE INTERPRETATIONE.

- | | |
|---|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. <i>Ratio ordinis.</i> 2. <i>Recta interpretationis necessitas.</i> 3. <i>Verba regulariter intelligenda ex proprietate populari:</i> 4. <i>Verba artis ex arte.</i> 5. <i>Per conjecturas eruitur sensus, si verba sint ambigua:</i> 6. <i>Aut repugnent vel repugnare videantur.</i> 7. <i>Conjectura petuntur ex materia substrata:</i> 8. <i>Ex effectu:</i> 9. <i>Ex conjunctis, origine, aut etiam loco.</i> 10. <i>Quomodo ex ratione legis ejus sensus colligatur.</i> 11. <i>Quaedam vocabula habent significationem latam & strictam.</i> 12. <i>Res quadam sunt favorabiles, quadam odiosa.</i> 13. <i>Ex hisce distinctionibus regulae formantur.</i> | <ol style="list-style-type: none"> 14. <i>Exemplum in duobus, qui simul ad metam pervenerunt.</i> 15. <i>Quomodo interpretandum, ne quis injussu alterius bellum gerat.</i> 16. <i>De verbis; Carthaginem fore liberam.</i> 17. <i>Conjectura, propter quam legis fit extensio.</i> 18. <i>De his, qua in fraudem legis sunt.</i> 19. <i>Conjectura, propter quam legis fit restrictio, idque vel ex defectu voluntatis originario:</i> 20. <i>(Circum conjecturam hanc observatio.)</i> 21. <i>Vel ex casus emergentis repugnantia cum voluntate, ubi iste est vel illicitus,</i> 22. <i>Vel nimis gravis, habita ratione actus.</i> 23. <i>Quid si diversa leges casu aliquo inter se collidi videantur?</i> |
|---|--|

Post pacta in genere, & partim in specie, jam de eorundem interpretatione dispicimus. Cum enim in omnibus obligationibus, quæ ultro ab hominibus arcessuntur, certa adhibeantur signa, tum de animo contrahentium, tum de legibus & capitibus pactorum indicantia; & vero signa ista in diversos quandoque sensus possint accipi: maximopere est necessarium, nosse certas regulas, quibus genuinus eorundem sensus eruatur. Quanquam autem inferius demum sit agendum de illa pactorum specie, quæ imperium civile præsupponunt, & pleraque etiam ad leges pertineant: tamen cum neque

G g g g g

hanc

hanc materiam dividere, neque ad finem usque rejicere conveniens videatur, contra leges methodi non adeo peccasse judicabimur, si eandem hoc loco universam exposuerimus; secuti fere *κατὰ πρόθεσιν Grotium* I. 2. c. 16. qui in isthac materia exponenda subtiliter valde est verfatus.

§. 2. Si igitur spectemus, quo sine obligationes contrahantur, tenetur quilibet, qui ultro sese obstrinxit, ad id, in quod voluit, obligari. Præsupponitur enim ipsum ultro & libere obligationem suscepisse, & quidem circa rem, cujus præstandæ necessitas ei antea non incumbibat. Igitur non adparet, quomodo quis in plus possit teneri, quam quousque ipse voluit. In quem sensum accipiendum illud *Ciceronis Offic. 1. In fide quid senseris, non quid dixeris cogitandum.* Ea est porro natura hominis, ut interni ipsius actus per se alteri non sint spectabiles; iidemque ab exterioribus actibus, & signis discrepare possint. Et tamen liquido est decernendum, ad quid quisque teneatur, quidvè jure ab eodem queat exigi. Alias enim irrita reddetur obligatio, si quisque sensum, quem velit, sibi affingendo sese liberare possit, pertendendo suam sententiam diversam fuisse ab ea, quam alter arripuit. Igitur ratio dicitur, ut ei, cui promissum quid est, jus sit cogendi promissorem ad id, quod recta signorum interpretatio suggerit. Cogitatio quippe maxime propter hominem ipsum est, signa autem propter alios. Nam alioquin res exitum non reperiret, & in nihilum recideret; id quod in moralibus pro absurdo habetur. Quo pertinet antiqua in foederibus usurpari solita formula apud *Livium* l. 1. c. 24. *sine dolo malo, utique ea hæc hodie rectissime intellecta sunt.* Est autem interpretationis rectæ norma & mensura, collectio mentis ex signis maxime probabilibus. signa illa sunt duorum generum, verba, & aliæ conjecturæ; quæ considerantur aut seorsim, aut conjunctim.

§. 3. De verbis hæc est regula: Si nulla sit sufficiens conjectura, quæ ducat alio, verba intelligenda sunt in proprio suo, & famoso, ut loquuntur, significatu, quem ipsis imposuit non tam proprietatis aut analogia Grammatica, quam popularis usus, quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi. *Quintilian. Inst. Orat. l. 1. c. 6. Consuetudo certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut numo, cui præ-*
blica

blica forma est. Dio Cassius l. 59. Tiberius cum in edicto voce non Latina usus esset, Attejus Capito dicebat; tametsi nemo ante ipsum eo vocabulo usus fuisset, nunc nihilominus in gratiam Tiberii inter antiqua referendum. Ibi Marcellus quidam subdidit: hominibus Casarem civitatem Romanam dare posse, vocabulis non posse. Procopius Vandal. l. 1. cum dixisset, Imperatorem partim è suis, partim è foederatis militem scripsisse, addit: foederatorum nomine olim soli dicebantur barbari, qui non servilem in modum, neque enim armis victi, sed pari cum civibus jure sub imperium venerant, à foederibus, qua pepigerant, sic nominati. At nostra aetate in hocce nomen venire nemo vetatur, ut mos est temporis non in quo primum reperta sunt sensu vocabula servare, dum pro suo arbitratu res ipsas immutant homines, quibus ea primum vocibus nuncupata sint nihil solliciti. Themistius orat. 4. ἡ ἐνὸνματῶν ὡσαύτως νομίσματα ἢ μὲν ἰσχυρὰ ἢ δὲν ἰσχυρὰ κατὰ τὴν ὕψους ἕνεκα ἕνεκα. Vocabuli (Sophistæ) vis, sicut numi, mutata est posteriori tempore. Apud Polybium l. XII. c. 4. Locri in extremam Calabriae oram delati ex Græcia, regionem eam invenerunt à Siculo possessam. Hi improviso eorum adventu perterriti, eos receperunt, & in hæc verba foedus cum illis iniverunt: amicitiam cum Siculis Locrenses servaturos, & regionem hanc pro communi ambobus populis habituros, quamdiu terra huic pedibus suis insisterent & imposta humeris capita gestarent. Hæc cum ita convenissent, Locrenses ad præstandum juramentum accesserunt, postquam in calceamentorum sola terram injecissent, humeris autem aliorum capita ita supposuissent, ut non adparerent: deinde è calceis terram excusserunt, & capita aliorum abjecerunt; ac mox ubi primum data est occasio, Siculos regione expulerunt. Apud Thucydidem l. V. Bœotii cum Spartanis foedus icerant, in quo inter cætera cautum erat, ut Bœotii Spartanis traderent Panactum. Verum illi prius Panactum diruerunt, & tunc demum Spartanis tradiderunt. Sic Leucippus cum locum à Tarentinis in usum ad diem noctemque petitum repetentibus non redderet, interdium reposcentibus respondebat, si ad sequentem noctem repeterent, se redditurum: at noctu ad diem sequentem referebat. Strabo l. VI. Sic de Mahomete Turcarum Imperatore narrant, cum Eubœa capta alicui promisisset, caput ipsi fore incolume, mox medium eundem dissecuisset. Sic cum quidam regulus Indiæ ad regem Persarum confugisset, & rex Indorum istum sibi misso legato tradi

posceret, Persa, dum legatus admittitur, supplicem corbi impositum ex arbore tantisper suspendit; & dein negat, supplicem in sua terra esse. *Ad. Olearius itin. Pers. l. 4. c. 30.* Sic non nemo constanter negavit, se sacerdoti manus iniecisse; nam baculo verberaverat, & pedibus eum proculcaverat. Sic Jemures cum præsiidiariis urbis Sebastiaepigigit, ut dedita urbe, sanguis non effunderetur. Sed iste, elusa pacti formula, captivos defodi vivos imperavit. Verum ejusmodi cavillationes uti sunt nimis apertæ & frivolæ; ita illis *perjurium magis adstringi, quam dissolvi* recte pronunciat *Cicero Off. 3.*

§. 4. Circa vocabula artium propria, quæ vulgus vix capit, observandum est, ut illa explicentur secundum definitiones prudentum cujusque artis. *Cicero quest. Academ. l. 1. Dialectorum verba nulla sunt publica: suis utuntur, & id quidem commune est omnium fere artium.* Exemplum sit in vocabulo *exercitus*, v. g. si in foedere aliquo cautum sit, ne quis cum exercitu alterius fines transeat. Ubi dispiciendum, qualis militum manus eo nomine veniat. *Grotius* putat exercitum definiendum per talem militam multitudinem, quæ palam fines hosticos invadere ausit, vel etiam aperte hosti ingruenti sese objicere. Nam passim apud historicos opponitur id, quod justo fit cum exercitu, & quod furtim fit, ac more latrocinantium. In universum tamen non potest definiri, quanta manus ubique & semper exercitum constituat; sed respiciendæ sunt vires tum hostium, tum nostræ. Si tenuibus rebus. invicem sit negotium, modicæ copiæ exercitus instar habere possunt; quæ inter magna regna pro manipulo prædantium habebuntur. Hinc, quando *Vegetius de re militari l. 3. c. 1.* dicit, *exercitum esse tam legionum, quam auxiliorum, nec non & equitum ad gerendum bellum collectam multitudinem*; non describit exercitum in genere, sed qualis tunc apud Romanos censebatur. Nam dantur utique exercitus ex solis civibus, aut meris peregrinis sive sociis, item ex solo peditari, aut equitatu constantes. *Cicero in paradoxo 6.* refert dictum M. Crassi, qui negabat *divitem esse aliquem, nisi qui exercitum suis fructibus posset alere.* Exercitum autem definit *sex legionibus, & magnis sociorum auxiliis.* *Polybius l. VI.* Romanorum exercitum ait plerunque constitisse XVI. M. civium & XX. M. sociorum. Quanquam & minor numerus quandoque apud hos exercitus nomen implebat. In l. 2. §. 1. D. de his, qui not. infam. excr-

exercitui præesse dicitur, etiam qui unam legionem administrat. Sed & alia quæstio super hoc vocabulo moveri poterit; an foedus, quale dixi, violarit, qui magnam militum multitudinem per alterius fines traduxerit, non junctim, sed per manus. Hæc cum exercitum habere dicatur, & qui in uno loco eum congregatum habet, & qui copias ita disperdit, ut tamen eas brevi contrahere possit; ulterius considerandum, quo fine hæc conventio sit inita. Si enim hoc tantum spectatum fuit, ne nobis periculum creetur, adpareret, foedus non violari, ubi sparsim transeunt, nec intra fines nostros colliguntur. Verum si alterius vicini securitatem id spectat, ne iste per nostros fines invadatur, etiam sparsis concesso transitu foedus violabitur. Eadem ad *classem* quoque applicari possunt, si forte in aliquo foedere positum sit, ne quis in certa maris parte cum classe naviget, aut alterum navigare patiatur. Nam hæc non solus navium numerus consideratur, sed & earundem magnitudo, & vires maritimæ populorum, quorum interest. Huc pertinet illud *Flori* l. i. c. ii. *Extant & de Antio parta spolia, qua Manius in suggestu fori capta hostium classe suffixit; si tamen illa classis. Nam sex fuisse rostrata. Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit.* Add. *Alber. Gentilis de jure belli* l. 3. c. 20. Sic si quid de *arce* fuerit cautum, putane intra certum spatium ab alicujus finibus illa extruatur; sæpe arcem novimus accipi pro insigni juxta ac munitissimo ædificio: sæpe etiam pro loco munito, qui arcere hostilem exercitum possit, etsi vilibus ædificiis exulto. Ubi si conventionis scopus fuit, ne quis munitus locus nostris finibus immineat, manifestum est pactum violari, si munimentum duntaxat terreum, vilibus militum cum receptaculis fuerit extructum. Add. *Alber. Gentilis d. l. e. 21.* Quod si autem vocabula artium à diversis diversimode definiantur, expedit ad præscindendas lites, ut popularibus verbis exprimatur, in quonam significato ista voce loco capiatur.

§. 5. Ubi verba simplicia, aut verborum complexio plures significationes recipiunt, assumptis conjecturis opus est, ut genuinus sensus eruatur. Rhetores hunc locum vocant *ἰξ ἀμφιβολίας*, ex ambiguo: Dialectici subtilius, si in una voce plures sint sensus, *ἁμοσυμίαν*, si in complexione verborum, *ἀμφιβολίαν*. Prioris exemplum potest esse, quod *Tertullianus de velandis virginibus* c. 4. vocabulum *mulierum* in dicto *1. Cor. VII.*

ad virgines quoque extendendum docet. Etſi aliquando mulier virgini opponatur, v. g. in illo *Ciceronis : cras mulier erit*. Poſterioris exemplum à *Cicerone de Invent.* l. 2. ponitur. In teſtamento ſuo quidam tale legatum conſtituerat: *Hæres meus vaſorum argenteorum pondo centum noverca, qua volet, dato*. Hæc noverca magna & ſcite cæſata poſcebat; contra hæres prætere, ea tantum deberi, quæ ipſe dari vellet. Poterat evitari ambiguitas, addita voce *ipſe* vel *ipſa*. Etſi ex jure Romano conſtet, regulariter optionem eſſe penes legatarium. Id quod etiam naturali æquitati congruit. Nam ſi hæredis eſſe debebat optio, non opus erat, addere clauſulam, *qua volet*. Quæ enim abſolute mihi præſtanda injunguntur, ubi diverſis modis mea obligatione poſſum deſungi, electio penes me eſſe intelligitur. Sed ubi clauſula de optione eſt adjecta, præſumitur eam tendere in favorem ejus, qui aliquid eſt accepturus, ne alter vilem quampiam rem ipſi impingat. Add. *Autor ad Herennium* l. 1. *Quintilianus inſt. orat.* l. 7. c. 9. Sed quod attinet notiſſimam illam deciſionem, Ducis de Oſſuna, Proregis Neapolitani, qua totam hæreditatem filio addixit contra ſacerdotes, hæredes ea cum clauſula ſcriptos, ut filio darent, *qua ipſi vellet*: eam non tam apices juris, quam odium avaritiæ hominum alienis imminentium defendunt. Hinc pertinet quod Carolus V. legato Regis Franciſci Ducatum Mediolanenſem petenti reſpondit; & *prorſus idem mihi placet, quod fratri meo Regi Galliarum*. Id quod legatus præpropere domino ſuo reſcripſit, velut re obſenta. *Marfelaer Legato* l. 2. c. 39.

§. 6. Conjecturæ quoque adhibendæ ad genuinum ſenſum erudendum, quando occurrunt ἐναντιοφύερα, ſeu ſpecies repugnantia; ut quæ partes invicem pugnare videntur, concilientur, ſi modo id fieri poſſit. Nam ubi certa & manifeſta eſt repugnantia, quod poſterius inter contrahentes placuit, derogabit prioribus. l. 4. D. de conſtitut. princ. c. 3. X. de reſcriptis. *Livius* l. 9. c. 34. *Ubi dua contrarie leges ſunt, ſemper antiqua obrogat nova*. Quia nemo eodem tempore contraria potuit voluiſſe; & ea eſt natura actuum ex mero agentis arbitrio dependentium, ſeu quibus alteri nullum eſt jus quæſitum, ut novo voluntatis actu inde diſcedi poſſit. Etſi ut mutatio voluntatis ad actum aliquem tollendum valeat, interdum ea ex una duntaxat parte requiritur, puta, in legibus civilibus, in teſtamentis, & ſimilibus: interdum ex utraque parte adeſſe

adeffe debet, uti in pactis, quæ, ubi lex non obstiterit, non nisi utriusque pacifcentium consensu possunt dissolvi. Ex quibus etiam obiter patet, qua ratione Lycortas incogitantiam suam excusare potuerit, quod cum foedus Achæorum cum Ægypti rege ivisset renovatum, non expresse mentionem fecisset, quodnam ex pluribus, quæ extabant, foederibus renovaret. Nam dicere debuisset, omnia ea foedera fuisse renovata, in quantum consentirent. Sed circa ea, quæ discreparent, postremum repetitum. Vid. *Polybius excerpt. legat. 41.* Exemplum legum duarum, quæ sibi repugnare videntur, tale adfertur. Lex una est; *tyrannicida statua ponatur in gymnasio: altera, ne mulieri in gymnasio statua collocetur. At femina est, qua tyrannum occidit.* Judicaverim tamen pro muliere calculum ponendum. Nam prioris legis ratio est, ut juvenus, quæ in gymnasio virtuti præparatur, per ejusmodi honores ad similia accendatur: posterioris autem, quod propria mulieribus virtutes sint extra necessitatem aut decus virilis æmulationis. In hoc igitur casu quia mulier sexus sui audaciam excessit, eo magis in gymnasio statuam meretur, quo majores ad æmulandum stimulos viris ejus sexus imbecillitas potest injicere. Aliud est apud *Ciceronem de Invent. l. 2.* Lex est, qui tyrannum occiderit, *Olympionicarum præmium capito, & quam velit sibi rem à magistratu deposcito, & magistratus ei concedito.* Et altera lex, *tyranno occiso quinque ejus proximos cognatione magistratus necato.* *Alexandrum, qui apud Pheræos in Thessalia tyrannidem occupaverat, uxor sua Thebe noctu, cum simul cubaret, occidit. Hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi præmii loco deposcit.* Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Exemplum, quo duæ partes ejusdem legis collidi videntur, hoc adferunt: *Rapta raptoris mortem eligat, aut nuptias. Est qui duas rapuit, quarum altera mortem, altera nuptias elegit.* Hæc ratio legis viam decidendi monstrabit. Quod enim mortem raptoris optare permittitur raptæ, id non ideo factum, quod crederetur, multas puellas raptorum suorum mortem optaturas; sed misellæ consultum ibat legislator, ne in cælibatu degere perpetuo cogeretur, postquam & raptor, deflagrante primo amoris impetu, carnifastidire cœpisset, tanquam & alteri non adeo pertinaciter denegaturam, quod sibi contra leges indulgisset; nec facile invenendus erat, qui sciens ab altera defloratam vellet ducere.

Unde

Unde illa præferetur, quæ raptoris nuptias elegit. Nam hoc & ad scopum legis, quæ magis foeminarum commodum, quam raptoris pœnam spectat, quadrat; & eo modo saltem uni raptarum honesti matrimonii sit copia; cum ubi raptor morte fuerit affectus, utraque viduo jacere lecto cogatur. Et valet etiam heic, quod ubi pares sunt sententiæ, mitior pars debeat prævalere. Et si in contrariam sententiam videantur discedere plerique declamatores apud M. Senecam l. 1. *controvers.* 5. Ubi ejusdem legis verba in aliquo duntaxat casu secum pugnant, tale exemplum adferunt. Est lex; *vir fortis, quod volet poscito. At sunt jam duo viri fortes, qui eandem postulant virginem.* Cum uterque voti non possit fieri compos, quæritur, uter alteri præferendus? Heic respondendum, quod is debeat præferri, qui prior optavit: ubi simul optaverunt, res sorti erit committenda. Nam indefinita optandi libertas in lege ita est restringenda; siquidem viri fortis desiderio commodè satisfieri queat. Aliud exemplum proponitur apud *Philostratum de vitis Sophistarum* l. 1. in *Secundo*. Qui seditionem incepit, pœnas luat. Idem seditionem incepit ac finivit, & præmium petit. De quo casu ita nervose *Secundus: de quibus rebus male meritus es, da pœnas: de quibus vero bene meritus, si potes, præmium cape.* Et in hisce quidem casibus evidens verborum obscuritas ad conjecturas cogit recurrere. Enimvero interdum conjecturæ sunt ita evidentes, ut genuinus sensus sese ultro ingerat, etiam contra receptiorem & communiorem verborum significatum. Quem locum Rhetores vocant *ἡ ἐπιτύχη τῶν ὀνομαστικῶν, ἐκ τοῦ ἰσχυροῦς* & *sententia scripti*. In eam rem hæc lex frequentatur: *Peregrinus, qui moenia adscenderit, capite plectatur. Est qui in obsidione muros adscendit, & hostem subeuntem scalis dejecit.* Peregrino adversatur *ἡ ἐπιτύχη τῶν πατρινοῦν*, patrocinatur *ἡ ἰσοπείρα*, secundum quam sine dubio iudicium ferendum. Nam scopus legis hic erat, ne peregrinus moenia adscendens exploraret, qua parte facillimus in urbem esset adscensus, quæ ratio in præsentī casu cessat. Add. l. 15. D. *de publicanis*. Monendum ramen & hoc, aliquando haberi *ἀντινομίαν*, ubi revera nulla est; quando videlicet verba extra strictam significationem, in qua à proferente capta sunt, ab aliis trahuntur. Memorabile exemplum occurrit apud *Josephum archæol.* X. 10. ubi Zedechias rex Prophetis Jeremiæ & Ezechieli ideo fidem derogat, quod crederet ipsos sibi contradicere. Illum enim asseverare, quod

Babylonem sit abducendus; hunc autem negare, quod terram Babyloniam oculis suis sit visurus. Cum tamen isti optime sibi constarent; erat enim utique Babylonem abducendus, sed oculis prius erutis.

§. 7. Cæterum à Grotio tres loci constituuntur, ex quibus conjecturæ voluntatis promuntur, quando verba obscura sunt, aut ambigua: *ex subjecta materia, ex effectu, & ex conjunctis.* De illa passim jactatur à JCtis; *verba debere intelligi secundum substratam materiam.* Exempla afferunt ex l. 15. §. 4. D. locati. l. 43. D. damni infecti. l. 17. C. de act. emt. & vend. ubi licet venditor promiserit emtori, quod ipsum vellet defendere in remta contra quemcunque; non tamen intelligitur promisisse, se defensurum eundem à violentia extrajudiciali. Putaverim quoque isthanc regulam adplicari posse ad votum Jephthæ, *Judic. XI. 31.* & Agamemnonis apud Ciceronem *Off. 3. cum devovisset Diana, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius.* Nam qui de sacrificando loquitur, præsumitur supponere materiam sacrificio idoneam. Add. *Everhardi loc. legal. 40.* qui est *de materia subjecta.* Sic si induciæ factæ sint triginta dierum, intelligendum id est de diebus, qui definiuntur spatio 24. horarum æqualium, non qui mora solis supra horizontem. Unde frivola erat cavillatio Cleomenis, qui aliquot dierum inducias cum Argivis pactus, cum explorasset eos tertia nocte dormire, fretos induciis adortus partim necavit, partim cepit. Cur ei perjurium exprobraretur, negabat se una cum diebus noctes in e complexum fuisse. *Plutarch. apophth. Laconicis.* Simili commento contra Bœotios usos Thraces scribit *Strabo l. IX.* Frustra quoque conabatur Mycerinus Ægypti rex falsitatis convincere oraculum, quod sex tantum annos vitæ ipsi promiserat, dum accensis noctu lucernis noctu æque atque interdiu voluptatibus indulget, quasi hoc modo noctes ad dierum instar usurpans ex annis sex posset facere duodecim. *Herodotus Euterpe.* Sic vox *armorum*, quæ aliquando instrumenta bellica, aliquando milites armatos notat, pro substrata materia in hunc aut illum sensum est accipienda, v. g. si ita coventum sit, ne quis tertio alicui arma inferat, manifestum est, intelligi milites, & exercitum. Sin autem in deditioe alicujus præsidii conveniatur de tradendis armis, aut iisdem in loco relinquendis, militibus discedendi facultas conceditur, instrumentis bellicis relictis. Add. *Alber. Gentilis. d. l. c. 20.* Sic

Plataenses, cum promississent, se captivos Thebanos reddituros, male ipsos non vivos, sed mortuos reddiderunt. *Thucydides* l. 2. Nant agebatur de vivis hominibus, non de cadaveribus mortuorum. *Hæctor* erat tunc cum bello certaret, & idem *Tractus* ab *Amonio* non erat *Hæctor* equo. Sic *Pericles* cum quibusdam hostium ita pactus legitur, ut ipsi ferrum deponerent; postea eodem pacti violati insimulavit, argutus, eos non deposuisse fibulas ferreas, quas in laciniis vestimentorum gerebant. *Lex est*, qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. *Cum annulo ferreo inventum magistratus alligavit. Quintilian.* *Inst. Or.* l. 7. c. 6. Sic improbe lusit *Q. Fabius Labeo*, cui cum rex *Antiochus* ex fœdere partem navium dimidiam tradere deberet, omnes naves medias dissectuit, ut regem tota classe spoliaret. *Valer. Max.* l. 7. c. 3. quanquam *Livius* l. 38. c. 38. de sectione navium sileat. *Polynæus* l. VI. Campani fœdus cum hostibus pepigerunt ea lege, ut eis dimidiam armorum partem traderent, & dissectis armis dimidium eos recipere jusserunt. Apud *Xiphilinam epit. Dionis in Caracallo*, cum duo milites utrem vino plenum, quem inter prædandum rapuerant, jussi essent dividere, stricto gladio eum secuerunt. Sic *Rhadamistus* *Mithridati* jurat, nec veneno nec ferro vim ei allaturum; mox eum injecta multa veste necat. *Tacit. Ann.* XII.

§. 8. Sæpe quoque effectus & consequentia genuinam verborum sententiam ostendunt. Ubi enim verba crude & simpliciter accepta vel nullum, vel absurdum aliquem effectum post se essent tractura, à receptiore sensu paulisper deflectendum, ut evitetur nullitas aut absurditas l. 19. D. *de legibus*. Exemplum est apud *Guicciardin. hist.* l. V. p. m. 134. in fœdere, quo protectionem urbis Bononiæ, ejusdemque reguli *Benrivoglii* *Ludovicus XII.* Galliæ rex receperat, salvis Papæ juribus. Quod tamen paulo post alio modo cavillatur *Ludovicus ad modum rabula*, non *Regis*. *Ibid.* p. m. 146. Sic absurde negabant Athenienses apud *Thucydidem* l. 4. agrum esse Bœotum, quem ipsi cum exercitu insiderent. Pari cavillatione *Alexander* oblatas à *Dario* conditiones elusit. Obtulerat *Darius*, quicquid terrarum intra *Euphratem* ac *Hellespontum* jacet. *Alexander* respondet: *Quæ post Euphratum sunt liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphratem sum. Summum ergo dotis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam,*

sciam, vestrum esse, quod ceditis. Curtius l. 4. c. 11. Quasi vero idem sit castris locum aliquem premere, & pacifice, cumque prioris domini concessione eundem possidere. Sic convenerat Ludovicus XII. cum Legato Pontificis, ut Episcopatuum, qui morte Episcoporum vacaturi essent in Francia, collatio ad Regem spectaret. Contigit Episcopum quendam Gallum mori Romæ; in cuius locum Pontifex suffecit alterum, nec segnius Rex alterum. Quæ res gravi dissensionis ansam dedit. Ego non dubitem pro Rege pronunciare. Nam ut officium aliquod vacare dicatur, nihil interest, quo loco decessor mortuus sit. Et admissa ea cavillatione, jus Regis variis modis eludi poterat. Vid. *Marselaer Legato l. 1. c. 38. Conf. Everhard. ll. legal. 8. ab absurdo.* Ubi memorat Bononiæ fuisse statutum, ut quicumque in platea alteri sanguinem elicuerit, gravissimas poenas daret. Ex ea lege delatus aliquando fuit barbitonsor, qui alicui in platea venam secuerat. Qui inde in non mediocri periculo fuerat, quod in statuto esset additum; ea verba esse præcise, & citra omnem interpretationem intelligenda. Apud *Quintilianum declam. 332.* talis proponitur casus: *Pauper & dives amicerant. Dives testamento alium amicum bonorum instituit heredem: pauper iussit dari id, quod ille sibi testamento daret. Aperta sunt tabula pauperis: omnium bonorum instituerat heredem. Petit totam divitis hereditatem. Ille qui scriptuserat, vult dare tantum, quantum in censum habet pauper.* Heic pro hærede scripto id cum primis argumentum valere potest, quod alias ipsius institutio nullum esset habitura effectum. Quæ etiam inter præcipuas causas fuit, quare *lex Falcidia*, & *SCtum Pegasianum* hæredi utique dodrantem assignaverint. Sic enim utrique tam hæredi, quam legatario & fideicommissario consulitur. Sed & circa interpretationem legum civilium insigniter valet illud *Ciceronis de Invent. l. 1.* *Omnes leges ad commodum reip. referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, qua in literis est, interpretari. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublicæ.*

§. 9. Magnam quoque ad interpretationem obscurorum adfert lucem, si hæc cum aliis componantur, quæ affinitatem quandam cum iisdem habent; puta cum illis locis, ubi idem de simili agit materia, aut cum antecedentibus & consequentibus. Cum enim in dubio voluntas credatur sibi fuisse consentiens, igitur ubi quis uno in loco clare mentem suam circa rem quampiam expressit, alio quoque loco ac

tempore sibi constare præsumitur; nisi expresse mutatio adpareat. Cicero de inventione l. 2. *Qua in sententia scriptor fuerit, ex cæteris ejus scriptis, ex factis, dictis, animo, atque vita ejus sumi oportebit.* Ita si quis triticum dari sibi stipulatus sit sine adjectione mensuræ, hæc quidem stipulatio imperfecta est, l. 115. de Verb. obl. Sed si ex tractatu prius habito adpareat, de certi generis, certæque quantitatis tritico cogitatum & actum esse, id pro expresso etiam in ipsa stipulatione est habendum. l. 94. D. cod. Ziegler. ad Grot. d. l. §. 7. Illustre est exemplum apud Homerum Iliad. γ. & δ. circa certamen singulare Menelai cum Paride. Conventum fuerat, ut victori cederet Helena. Paris succumbens fuga sibi consulebat. Agamemnon victorem proclamabat Menelaum. Sicuti etiam hoc videtur iudicium Jovis Iliad. δ. v. 13. ἀλλ' ἄτοι νικῶ μὲν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ. Addi potest, potiorum esse orationem ejus, qui conditionem obtulit; qui vero oblatam accipiunt, jus addendi aliquid non habere. Conditio autem non de cæde & morte fuerat, sed de victoria. Debuit enim Helena esse præstantioris; is est autem qui vincit. Alias sæpe melior à deteriore interficitur. Contra disputatur, in decretis, legibus, foederibus, pactis semper posteriora prioribus plus valere. Posterior autem fuit conditio ab Agamemnone perhibita, mortem victi exprimens. κατὰ νίκην. Ita & eam acceperat Priamus: *Novit Jupiter hoc, & cætera numina cæli, Utrum Pærcarum tristi vis destinet Orco.* Prius quoque foedus in posteriore comprehendit. Qui enim interfecit, utiq; vicit: non statim interfecit, qui vicit. Et Agamemnonem conditionem ab Hectore propositam non abolivisse, sed explicasse; non mutavisse, sed adjecisse, quod erat potissimum, in necando victoriam ponens. Hæc enim est plena victoria, reliquæ adhuc controversiam habent. *Ut ergo in veris legum repugnantibus iudices id amplectuntur, quod nihil habet controversia, obscuriore repudiato: ita hæc id pactum censeamus potius esse, & plus valere, quod finem certaminis exprimit notum, & nulli obnoxium præscriptioni.* Plutarch. Sympos. l. IX. quest. 13.

§. 10. Præcipuam quoque vim hæc habet ratio legis, seu causa illa, & respectus, qui ad legem ferendam latorem movit. Quam qui cum mente legis confundunt, vehementer decipiuntur; cum hæc nihil aliud sit, quam sententia legis genuina, ad quam venandam ratio legis in subsidium adsumitur. Cæterum huic fini, validissima eadem est, si qui-

siquidem certo constat, aliqua ratione tanquam causa unica motam fuisse voluntatem. Id quod non minus in pactis, quam legibus obtinet. Et heic valet tritum illud: *cessante ratione legis, cessat ipsa lex*. Verum ubi legis plures fuerint rationes, non statim una earum cessante, reliquæ expirant, aut minus validæ sunt ad sustinendam legis efficaciam. Imo interdum generalis quæpiam ratio aliud suadere videtur, ubi tamen voluntas pro libertate suæ aliter sese determinat; adeoque subjectis pro ratione esse iubetur. In quo etiam si quandoque à legibus prudentiæ aberratur: tamen ad producendam obligationem sufficit istiusmodi voluntas clare significata. Porro ex hisce recte deducitur, donationem propter nuptias vim non habere, & jam factam posse revocari aut condiçi, quando nuptiæ non sunt secutæ, in primis culpa ejus, cui donatio est facta. Quamquam alias in donationibus inter vivos ratio donandi vim conditionis non habeat; ubi expresse id dictum non fuit, ut ea cessante donatio sit revocabilis. Sic non injuste Olynthii detrectabant restitutionem agrorum, quos Amyntas rex Macedoniæ ipsis donaverat, cum ab Illyriis victus spem regni defendendi abjecisset. Vid. *Diodorus Siculus* l. xv. c. 9. Et si certis in casibus conditionis vicem subire lex possit. Vid. tit. *C. de revoc. donat.* Sic *Cicero* orat. pro *A. Cæcinnâ* recte disputat ad interdictum, *unde vi*, in quo inter alia hæc verba erant; *unde tu, aut familia, aut procurator tuus*: etiam si unicus villicus non sit familia, tamen si is unicus me dejecisset, me esse restituendum ex ratione edicti satis adparere: neque interesse, utrum procurator, an alius meo nomine alterum dejecerit. Addit; *non alia est ratio juris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator dejecerit, is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, absitvè reip. causa, quasi quidam pene dominus, hoc est, alieni juris vicarius, aut tuus colonus, aut vicinus, aut cliens, aut libertus, aut qui vis, qui illam vim, dejectionemvè tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit.* Add. l. 12. *D. de legibus*. Ex ratione legis videtur quoque decidendus casus, qui proponitur ab *Autore ad Herennium* l. 1. *Lex est, qui propter tempestatem navim reliquerunt, omnia perdamt: eorum navis cæteraque sint, qui in navi remanserint. Magnitudine tempestatis omnes perterriti navim reliquerunt, & in scapham conscenderunt, præter unum agrotum, qui propter morbum exire & fugere non potuit. Casu navis in portum incolumis delata est. Illam agrotus possidet. Navim petit ille, cuius fuerat.* Heic sane ratio legis fuit, ut qui ob na-

Vitam servandam vitam suam periculo exposuit, aliquo premio gaudeat. Quod ærotus hic prætere non potest, qui neque eo sine in navi remansit, neque ad eam servandam quidquam contulit.

§. 11. Observandum præterea est, multa esse vocabula, quæ plures habeant significationes, alteram laxiorem, alteram strictiorem; id quod multis de causis evenit. Sæpe nomen generis peculiariter uni specierum adhæsit, ut in vocabulis adoptionis, & cognationis. In nominibus animalium, ubi defunt communia, masculina etiam notant foemina, & vice versa. Interdum etiam usus artis latius patet, quam usus populi; uti *moris* in jure Romano ad deportationem producitur, cum apud populum tantum separationem animæ à corpore significet. Huc etiam referre possis ambiguitatem, quæ inest vocabulo *mei & tui*. Quæ ludit *Martialis* l. 2. ep. 20. *Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus. Nam quod emas, possis dicere jure tuum. Idem* l. 6. ep. 12. *Jurat capillos esse, quos emit, suos Fabulla; nunquid, Paule, pejerat?*

§. 12. Est & hoc notandum; in promissis, pactisque, nec non in privilegiis alia esse favorabilia, alia odiosa, alia media seu mixta. Favorabilia sunt, quæ æqualitatem in se habent, seu in quibus utriusque æqualis est conditio, & utrique æque consulitur, quæque communem utilitatem spectant. Quæ utilitas quo major est, quoque latius patet, eo major est promissi favor. Favorabilia item sunt, quæ societates, & quoslibet actus conservant. Huc & facit illud *Quintiliani Inst. Or.* l. 7. c. 4. *Incommoda vitantis melior, quam commoda petentis est causa.* Sic & eorum, quæ ad pacem faciunt, major est favor, quam quæ ad bellum; & belli defensivi, quam offensivi. Odiosa contra sunt, quæ unam tantum partem, aut quæ unam magis, quam alteram gravant: item quæ pœnas in se continent, & quæ actus quosdam faciunt irritos, aut de prioribus constitutis aliquid immutant; item quæ amicitiam & societatem dirimunt. Quod si autem aliquid sit mixtum, puta, per quod priora quidem immutentur, sed tamen pacis causa, id pro magnitudine boni, aut mutationis modo odiosum, modo favorabile censebitur; ita tamen ut cæteris paribus favor potior censeatur.

§. 13. Hisce sequentes regulas superstruit *Grotius*. 1. In non odiosis sumenda sunt verba secundum totam proprietatem usus popularis; & si plures ejusdem vocis in populari usu sunt significationes, illa est sumenda,

da, quæ est latissima. Quale est, ut masculinum sumatur pro genere communi v. g. si duo vicini inter se conveniant, ut uterque in alterius agro venari quaslibet feras possit, ut tamen cervi excipiantur; sub iis cervas quoque comprehendi rationis est. In ejusmodi materia etiam locutio indefinita valebit pro universali v. g. si in pacificatione conventum sit, ut captivi utrinque restituantur, intelligendum hoc erit de omnibus & singulis. Sic Cicero pro *Cacina* disputat, in interdicto *unde vi*, verba, *unde quis dejectus est*, etiam extendenda esse ad eum, qui vi vetitus est ad suum accedere. Add. l. 3. §. 8. D. de vi & vi armata. Neque hic sensus naturæ vocabuli repugnat; & maxime favorable est aliquem in possessionem suam restitui. Deicere enim possessione est, efficere, ne quis possessionem coeptam deinceps continuare queat. Add. l. 3. §. 5. D. h. t. Ad possessionem autem retinendam non est necessarium, ut quis nullo momento pedem extra portam proferat. Igitur perinde est, sive me quis in fundo versantem extruserit, sive dum ad alia negotia paulisper egressus revertor, accedere prohibuerit. Add. l. 29. D. locati. Ex vi hujus regulæ quoque est, quod in dubio in materia favorabili annus inceptus habeatur pro completo, ubi jus alterius non læditur. Vid. *Bussieres hist. Franc.* l. 19. p. m. 39. Contra hanc regulam impingebat *Caligula* apud *Svetonium*, c. 38. dum negabat jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent. Neque enim intelligi debere posteros ultra hunc gradum. Addatur l. 4. D. de jure immunitatis. Nescio tamen, an non nimis laxè favore usa sit *Dido*, quæ emto loco, qui corio bovis tegi posset, corium in tenuissimas partes secari jubet, atque ita majus spatium, quam petierat, occupat. *Justin.* l. 18. c. 5. *Virgil. Æn.* l. v. 371. & *Cerda ad h. l.* Pari astu *Ivarus* tantum sibi arvi petiit, quantum equino tergo complecti posset, & post corio in exiles corrigias scisso, locum urbi condendæ capacem complexus est; apud *Saxonem Grammaticum* l. 9. Et *Polydor. Virgil. histor. Anglic.* l. V. II. In favorabilibus, si is, qui loquitur, juris sit peritus ipse, aut jurisperitorum consiliis utatur, verba laxius sunt sumenda, ita ut non solum significant id, quod in vulgari est usu, sed & includant significationem, quæ in disciplina juris habetur, aut quam lex civilis imposuit. III. Ad significationes vocis plane improprias non est recurrendum, nisi alioquin absurdum, aut inutilitas pacti, legis-

legisvè sequeretur. Quia natura talium negotiorum requirit, ut plane & perspicue sensa animi exprimantur, & hoc quilibet regulariter facere præsumitur. IV. Contra verba etiam strictius, quam alias ipsorum proprietas requirit, erunt intelligenda, siquidem id necessarium fuerit ad vitandam iniquitatem aut absurditatem. V. Si non necessarium est ob vitandam iniquitatem, ut verba intra proprietatem sumantur; nihilominus tamen manifesta sit utilitas in restrictione, subsistendum erit intra arctissimos terminos propriæ significationis, nisi circumstantiæ aliud suadeant. VI. In odiosis etiam sermo figuratus aliquantulum potest admitti, ut onus vitetur. Inde in donatione, & juris sui cessione verba quantumvis generalia restringi solent tantum ad ea, de quibus verisimile est fuisse cogitatum. Quo referri potest illud apud *Ciceronem in Topicis*. *Non si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt in arca positum sit argentum, an in tabulis teneatur. Sic Aurelianus eo tempore, quo proficiscebatur ad bellum Orientale bilibres coronas populo promisit, si victor rediret; & cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut possit, aut vellet; coronas fecit de panibus, qui nunc siliginei vocantur, & singulis quibusque donavit. Flavius Vopiscus in Aureliano.* Imo usu fori receptum, ut licet præmittatur particula universalis, & sequatur specialis enumeratio partium, non censeatur translatum, quod non specialiter fuerit expressum. Sic in foedere, quo una ranrum pars auxilia promisit, intelligendum est ea debere mitti impensis ejus, qui postulavit, nisi expresse aliter fuerit conventum. Sic foedus, quod initum est pro defensione ditionis, domino in possessione existente, non extenditur ad eandem recuperandam, postquam iste fuit ejectus. Vid. *Guicciardin. hist. LXV. p. m. 433. b.* Aliquando etiam odium personæ efficit, ut stricta, & cavillationi propior interpretatio excusetur. Exemplum potest esse in Tarpeja arcis Romanæ proditrice, quæ pacta sibi, quod in sinistris brachiis ferrent Sabini, armillas intelligens, scutis fuit oppressa. Vid. *Plutarch. Romulo.*

§. 14. Istarum regularum adplicationem uno atque altero exemplo proponit *Grotius*. Et quidem quæritur, an præmium propositum ei, qui primus ad metam pervenisset, debeatur utrique, si duo simul pervenerint, an neutri? Sane primus significat & eum, qui omnes antecedit, & eum, quem nemo, licet quandoque pares gradu habere queat. Dicimus igitur

igitur, si illi ipsi, qui cursu certant, præmium velut sponsione facta constituerint, ubi simul metam attigerint, neutrum ab altero quidquam posse perere. Sic & ubi duobus cursu certantibus spectatores, uti fieri suevit, sponsione certent, pro hujus aut illi⁹ victoria, ubi uterq; simul ad metam pervenerit, neutrius pignus est commissum. Enimvero ubi à tertio quodam præmium sit propositum ad excitandam certantium alacritatem, verius est, qui æquales fuerint, ad præmium concursuros, si modo restalis sit, quæ divisionem admittat, aut simul possideri queat. Alias sorti res committetur, aut denuo certabitur. Nam malignitate non caret, ideo utrumque præmio spoliare, quia neuter alteri potuit succumbere. Et præmia virtutis laxiorem postulant interpretationem. Liberalius tamen illi brabeutæ, qui solida præmia tribuerunt idem facinus simul perpetrantibus, cui ex ipsorum promissio aut per leges præmium aliquod debebatur. Vid. *Livius* l. 26. c. 48. Ex animi tamen magnitudine, non ex debito Augustus decies HS. exsolvit Coracotæ latroni, qui ubi cam pecuniæ summam in suum caput constitutam audierat, seipsum Cæsari obtulit, apud *Dionem* l. 56.

§. 15. In pace, qua bellum Punicum secundum componebatur, hæc erat clausula: *ne Carthaginenses bellum in Africa, neve extra Africam injussu populi Romani gererent.* *Livius* l. 30. c. 32. *Polybius* l. XV. c. 18. Qualis erat etiam in pace, quam Flaminius Philippo regi dederat, apud *Eundem* l. 33. c. 30. Quæritur heic an *bellum gerere* sit intelligendum de bello duntaxat offensivo, an defensivo quoque? Heic utique prius est affirmandum; quippe cum clausula illa sit odiosa, & cum diminutione summi imperii conjuncta. Ac durum nimis est, illam quoque naturalis libertatis partem alicui circumscribere, qua contra vim sibi illatam defensionem sui licet suscipere. Add. *Livius* l. 42. c. 41. *circa finem.* Suadet quoq; hanc interpretationem scopus Romanorum, qui non erat, Pœnos aut Macedonem vicinorum injuriis exponere, aut propriis virib⁹ iisdem securitatem præstare; sed tantum eos ita constringere, ne per bella fines suos dilatare, viresque augere possent. Add. *Livius* l. 42. c. 23. Foederi Romanorum cum rege Antiocho hæc clausula expresse inserta legitur: *Si quæ urbes aut gentes, adversus quas ne bellum gerat Antiochus, hoc foedere cautum est, ipsi ultro bellum inferent, bellandi jus esto Antiocho.* Apud *Polybium excerpt. legation.* 35. c. 4. & *Livium* l. 38. c. 38. ita habetur: *Si qui sociorum*

populi Romani ultro bellum inferrent Antiocho, vim vi arcendi jus esto: dum ne quam urbem aut belli jure teneat, aut in amicitiam accipiat.

§. 16. Promiserant Romani Pœnis, *Carthaginem fore liberam.* Mox postulabant, ut eadem diruta, novam sibi urbem, à mari disjunctam, extruerent: causati, non arcem, in qua urbs sita erat, Carthaginem esse. Vid. *Appianus Lybico.* Heic etsi libertas, quam Pœnis promiserant Romani, de plena libertate non posset intelligi, quippe quibus jam antea non parum de summa potestate foret delibatum; saltem tamen id libertatis relictum intelligebatur, ut ne alieno imperio tenerentur patriam propriis manibus excindere, alioque migrare. Equidem libertas seu *αὐτονομία* est attributum populi, non urbis, quatenus rectis & mœnibus constat, & uti Nicias loquitur apud *Thucydidem* I. VII. *viri civitas sunt, non mania, aut naues hominibus inanes:* Add. *Justinus* II. 12. 14. tamen quia dictum fuerat, *Carthago erit libera,* non Carthaginenses erunt liberi, (qua locutione forte magis suam fraudem colorare potuissent Romani,) sensus communis utique hoc insinuat; populum libertate fruiturum in urbe Carthagine, quæ tunc erat, adeoque ipsa urbis tecta salva esse debere. Quanquam *Polybius excerpt. legat.* 142. memoret, Senaturn Carthaginensibus promississe ἢ ἰλιουθίαν καὶ τὸ νόμος, ὅτι ἡ πῶ χάραν ἀπασαν, ἔϋ τ' ἄλλαν ὑπαρχόντων ἀνάσσει, ἐ κοινῶ, καὶ καὶ ἰδίαν. *Libertatem, leges & agrum insuper omnem, & omnium aliorum bonorum possessionem, qua ad remp. aut ad privatos pertineret.* Ubi statim Pœnis suspectum fuit visum, quare mentio *urbium* facta non esset. Sed sane, quod perfidiam plusquam Punicam tunc adhibuerint Romani, in aprico est.

§. 17. Dantur & aliæ conjecturæ, ortæ extra significationem eorum verborum, quibus promissio aut pactum continetur; quæ efficiunt, ut interpretatio quandoque sit extendenda, quandoque coarctanda. Ubi tamen observandum, facilius dari rationes, quæ svadeant interpretationem coarctari, quam extendi. Scilicet uti in omnibus rebus, ut effectus non sequatur, satis est unam causarum deesse; sed ut nascatur, omnes convenire oportet: ita in actibus obligationem producentibus, ut interpretatio restringatur, satis est unam causarum deficere; sed ut extendatur, omnes congruere necessum est. Ac multo difficilius heic extensio procedit, quam quando nuper dicebamus, in
mate-

materia favorabili verba interdum aliam significatione, etsi minus receptam, admittre. Nam cum verborum unicus sit usus, animi sensa exprimere, non improbabile est, illum verborum sensum animo loquentis fuisse observatum, qui ab usu communi non penitus abhorret. Verum heic quærentur tales conjecturæ, quæ evincant, loquentis eam fuisse mentem, quam verba nulla sui parte præ se ferunt; quas sane oportet esse quam certissimas. Neque sufficit extendendæ v. g. legi alicui, si in aliquem casum quadret ratio, similis illi, quæ in ista lege est; sed oportet, ut ratio sit eadem. Imò nec hoc semper satis est. Nam interdum sola voluntas pro lubitu sese determinat; id quod ad producendam obligationem sufficit. Ut ergo extensio talis in lege recte fiat, liquido debet constare, rationem, sub qua venit casus, esse causam unicam & efficacem, quæ legislatorem moverit, eamque rationem ab eo consideratam in sua generalitate, ita ut eandem ad præsentem quoque casum voluisset applicare, siquidem eum prævidisset, aut de eo cogitasset: idque quia alioquin lex futura fuisset inutilis, aut iniqua. Huc referenda sunt, quæ à Rhetoribus traduntur *ἡ δὲ συλλογισμῶν, de ratiocinatione*, quando res, de qua non est propria lege cautum, colligitur ex re simili, de qua statuum est lege propter identitatem rationis; seu uti *Quintilianus Inst. Orat. l. VII c. 8.* loquitur, *ubi ex scripto ducitur, quod scriptum non est.* Quo loco isthæc exempla ponuntur; *aratrum accipere pignori non licet; vomerem accepit. Lanæ vehere Tarento non licet; oves vexit. Qui patrem occiderit, culeo insuatur; matrem occidit. Ex domo in jus educere non liceat; tabernaculis eduxit.* Add. l. 7. §. 7. D. ad L. Aquil. Huc spectat casus à Luciano defensus in declamatione, quæ inscribitur *Tyrannicida. Lex est, tyrannicida præmio afficiatur. Est qui in arcem adscenderit, ut tyrannum necaret. Ast tyrannum non reperit, sed filium ejus, quem etiam interemit, relicto in vulnere gladio. Adveniēns mox tyrannus, ut filium vidit occisum, præ dolore animi eodem se gladio interfecit. Is, qui filium tyranni sustulerat, præmium petit tanquam tyrannicida.* Contradictentis partes defendit *Erasmus.* Svadet tamen ratio legis, ut præmium tribuatur non ei tantum, qui manu sua ipsum tyrannum interfecit, sed & qui id præstitit, ex quo proxime mors tyranni sit secuta. *Lucianus d. l. ἡ δὲ συλλογισμῶν, ἢ ἀντὶ τοῦ ἀντιλάειν, ἢ ἔδωκεν τὴν ἀτιαν; nunquid interest, utrum ipse interimas, an mortis causam ministres?* Cum dubium non sit, quin &

huic præmium legislator fuerit decreturus, siquidem de tali casu in mentem ipsi venisset. Lex est; qui uxorem occiderit morte plectitor. Aliquis in Gallia volens amoliri uxorem, mulæ per triduum potum non dedit; quarto die in campum progressus velut recreationis causa, uxorem sitibundæ mulæ imposuit. Quæ cum fluvio propinquasset magno cum impetu in eum irruit, & fœminam in aquas effudit, in queis illa periiit. Quo possis trahere illud *Seneca Hercule Oet. 20. Quicquid in mortem valet, telum est abunde.* Sic frustra credebant fratres Josephi, se minore peccato obstringi, si istum in foveam projicerent, fame moriturum, quam eodem trucidato, apud *Josephum archæolog. l. 2. c. 3.* Sic pactum est inter duos vicinos populos, ne intra certum spatium liceat locum nigris cingere, eo tempore, quo non erat aliud munimenti genus. Talis locus ne terreo quidem aggere cingi poterit, si satis constet, prohibendi muros unicam fuisse causam, ne iste locus ad vim illendam fieret idoneus. Sic aliquis in suo testamento ita disposuit: Titius hæres esto, si postumus meus sit mortuus; quem utique testator expectabat. Contingit illi testatori mortuo nullum postumum nasci. Etiam hoc casu Titius hæres erit: quia constat, voluntatem testatoris, ut Titium hæredem scriberet, motam fuisse sola consideratione non extituræ prolis: adeoque si præcisset, postumum sibi non nasciturum, citra conditionem ipsum hæredem fuerat scripturus. *Add. l. 28. D. de inoff. testam. M. Seneca l. 4. controverf. 27. In lege multa, quamvis non excipiantur, intelliguntur. Et scriptum legis angustum est, interpretatio diffusa est. quædam vero tam manifesta sunt, ut nullam cautionem desiderent. Cicero pro C. C. Quid? verbis satis hoc cautum erat? minime. Quæ res igitur valuit? voluntas; quæ si tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non uteremur: quia id non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. Idem de Invent. l. 2. Non omnia scriptis, sed quædam, quæ perspicua sunt, tacitis exceptionibus caventur. Lysias orat. 2. contra Theomnest. Nimis grave fuisset legislatori omnia ejusdem significationis vocabula lege comprehendere, sed quod de uno expressit, de reliquis intelligi voluit. Idem orat. 1. contra Theomn. Sic lex Exodi XXI. 33. recte extenditur ad quodvis animal mansuetum; & vocabulum putei ad quamcunque fossam. Quintil. declam. 331. Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut omnes species criminum complecterentur. Nam & semper caventes nequitia vicisset: & jus ita mul-*

multiplex atque diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum. Fecerunt ergo, ut rerum genera completerentur, & spectarent ipsam aequitatem. Multa ergo inveniuntur frequenter, quae legum verbis non teneantur, sed ipsa vi & potestate teneantur. Add. Li banius declam. 31.

§. 18. Insignem quoque usum habet interpretatio, extendens circa reprimendas fraudes, quae à male solertibus hominibus excogitari solent eludendis legibus; uti & circa diluendas quasvis cavillationes. l. 29. l. 30. D. de legibus. l. 19. D. ad exhibendum. l. 76. D. de condit. & demonstr. l. 33. §. 1. D. ad L. Juliam de adult. Fraudium ejusmodi quatuor faciunt species Interpretes juris Romani; dum aliam dicunt fieri commutatione rerum. l. 3. §. 3. & l. 7. §. 3. D. de SCo Macedon. aliam commutatione personarum. l. 5. D. de donat. inter vir. & ux. Add. Livius l. 35. c. 7. aliam commutatione contractuum. l. 5. §. 5. D. eod. aliam deniq; in modo contrahendi. l. 8. §. 14. D. ad SCo, Vellej. Notissimum est exemplum de Licinio Stolone, apud Valer. Max. l. 8. c. 6. qui cum lege sanxisset, ne quis amplius, quam quinquaginta agri jugera possideret, ipse mille comparavit, dissimulandique criminis gratiâ dimidiam partem filio emancipavit. Quam ob causam à M. Popilio Laenate accusatus primus sua lege cecidit; ac docuit, nihil aliud praecipere debere, nisi quod prius quisque sibi imperavit. Idem refert Plinius l. 18. c. 3. Apud Quintilianum argumentum declamationis 264. est, fraus legis Viconiae. Ne liceat mulieri nisi dimidiam partem bonorum dare. Quidam duas mulieres dimidiis partibus instituit haeredes. Testamentum cognati arguunt. Fraudem circa eludendam legem Papiam Poppæam memorat Svetonius Augusto c. 34. & Tiberio 35. in fine. Et Tacitus Ann. XV. 19. Quo sophismate Romani usi sint circa extinguenda sacra privata, cum hereditate alias in heredem transitura, docet Salmasius ad Plauti Bacchides act. 4. sc. 9. voce coëmptionalem senem. Apud Ammianum Marcellinum l. XXI. c. 16. refertur, insulam Pharon Rhodiorum vectigali obnoxiam fuisse. Id cum istorum publicani exactum venissent, regina eos interea sub specie feriarum detinuit, ac jactis molibus Pharon continenti junxit, ac postea Rhodios repulit, velut insularum, non continentis vectigalia exigentes. Sic apud Athenienses, cum meretrix quadam nomine Leana tyrannum occidisset; quia nefas erat, simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Lactantius de falsa religione c. 20. Sic Rhodii, quod nefas esset tropæa tollere, tropæum

ab Artemisia in ipsorum contumeliam erectum, ædificio texerunt. *Vitruvius* de architect. l. 2. c. 8. Non inficeta quoque est illa cavillatio apud *Plutarchum Pericle*, cum Spartani peterent aboleri decretum Atheniensium, quo Megarenses ipsorum emporiis arcebantur, Pericles legem obtendebat, καλύοντα καθελῶν τὸ πινάκιον, ἐν ᾧ τὸ ψήφισμα γεγραμμένοι ἐτύχαιον. *qua tabulam interdiceret, in quam plebiscitum esset relatum, revellere, ex-* cepit unus legatorum; ὅ ἢ μὴ καθίλης, ἀλλὰ ἐπίφοι εἶτω τὸ πινάκιον, ἢ γὰρ ἐστὶ νόμος ὁ καλύων. *Tu vero ne revulseris, sed converte tabulam intro, cum non sit hoc qua impediatur lex ulla.* Sic cum Rex Lusitanix certas ob causas vellet Clericis interdicare usum mulorum, & illi sua privilegia obtenderent, Rex omnibus fabris ferrariis sub pœna capitis interdixit, ne ulli mulo soleas ferreas adplicarent. Sic Clerici ultro mulos abdicarunt. Cavillationis quoq; exemplum memoratur ab *Autore ad Herennium* l. 2. *Sulpitius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur; idem posterius immutata voluntate cum eandem legem ferret, aliam sese ferre dicebat propter nominum commutationem; nam non exules, sed vi ejectos se reducere ajebat: perinde quasi id fuisset in controversia, quo illi nomine appellarentur à populo Romano; aut perinde quasi non omnes, quibus aqua & igni interdictum est, exules appellentur.* Addatur factum *Tiberii* apud *Tacitum Ann. V.* & *Sveton. Tiberio* c. 61. *quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiata prius à carnifice, dein strangulata.* Apud *Herodotum Erato*, Corinthii, cum dono dare naves lege prohiberentur, singulas Atheniensibus vendiderunt quinis drachmis. *Add. l. 54. D. de obligat. & action. Tacitus A. II. Quia vetere Senatus consulto questio in caput domini prohibebatur, callidus & novi juris repertor Tiberius mancipari singulos auctori publico jubet: scilicet ut in Libonem ex servis salvo Scto quaereretur.* Et si id commentum *Dio* l. LV. Augusto adscribat. Impudentiore cavillatione adversus Theramenem usus est Critias apud *Xenophontem rerum Græcarum* l. 2. Putida est illa fraus, qua aliqui infame legibus alcatorum nomen declinantes, tesserarum cupiebant adpellari; inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones; uti loquitur *Ammian. Marcellinus* l. 28. c. 9. Apud *Xiphilinum epit. Dionis* Tiridates à Nerone iussus gladium deponere, id quidem recusavit, sed gladium vaginæ clavis affixit. *Buchananus rer. Scotticarum* l. 14. *Sacerdotium Robertus Carnicu-*

nicrucius, homo pecuniosus, à Rege, tunc à pecunia inopi, redemit, novo genere fraudis elusa lege ambitus, qua sacerdotia venire vetat: sponse sci- licet victus, qua, magna pecunia deposita, contenderat, regem non cum proximo sacerdotio vacuo donaturum. Sic temporibus Philippi Augusti Regis Galliae in prælio contra Ottonem IV. Philippus, Bellovacensis Episcopus, ab ense abstinuit, & cruori ut parceret clava pugnavit, pluresque hostium ceu victimas mactans, excusavit Præsulem, an illust. Buffieres hist. Franc. l. 8.

§. 19. Ast ut verborum; quibus negotium exprimitur, interpretatio restringatur, id contingit aut ex defectu voluntatis originario, aut ex casus emergentis cum voluntate repugnantia. Scilicet interdum quidem verba generaliter sunt posita, quibus tamen aliqua exceptio seu limitatio est addenda, vel quia is, qui ea verba protulit, ab initio illa ad certos casus extendi noluit; vel quia casus, qui postea emergit, cum istius voluntate pugnat. Defectus voluntatis originarius intelligitur 1. ex absurdo, quod alioquin inde sequeretur. Nam nemo mentis compos absurda velle credendus est. Fallor, an ex hocce fundamento etiam est decidenda disceptatio illa notissima inter Protagoram & Euathlum apud *Gellium* l. V. c. 10. *Diogenem Laërt.* l. 9. *Apu- lejum Floridorum* l. 3. & *Sextum Empiricum adversus mathematicos* l. 2. Nam etsi in genere conventum fuisse videatur, ut magistro merces non debeat, quousque discipulus causam non obtinuerit: si tamen hie ea in actione à iudicibus ad solvendam mercedem fuisset condemna- tus, haut quidquam sese exceptione istius pacti tueri poterat. Quippe cum in eodem ineundo de hocce cogitatum non fuerit; & absurdum sit, aliquem suo pacto hoc egisse, ut illud ipsum obstet, quo minus obtineri possit, quod ex eodem debebatur. Geminum est, quod de Aristide narrant, qui denarium promiserat ei, qui veritatem ipsi dicturus esset. Cui Sophista dicebat: tu promissum denarium mihi non dabis. Dabitur, quid Aristidi faciendum. Si dat, dedit ei, qui veritatem non dixit: si non dat, veritatem iste dixit, & Aristides promissum non servat. Sicuti etiam huc pertinet illa *JCtorum* regula: *in generali sermone semper excipi personam loquentis.* Inde mendacii non poterit argui *Epimenides Cretensis*, ex proprio dicto, κρητικὸς ἀεὶ ψεύδεται, *Cretenses semper mendaces.* Neque probari potest illud *Lucretii* l. IV.

Deni-

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit, An sciri possit, cum se nil scire fatetur. Nam qui dicit, *nil sciri posse*, is utique profiteretur, se hoc unum scire, quod nihil sciatur. *Apulejus Apologia: Absurde facit, qui tacere se dicit, quod idem dicendo tacere sese, non tacet, & ipsa professione, quod profiteretur infirmat.* Add. *Lactantius* l. 3. c. 6. ubi addit, in scholis proponi solitum alystati generis exemplum: *somniaisse quendam, ne somniis crederet.* Nam quicumque illi genius hoc immiserat; huic saltem somnio eatenus credi volebat, ne deinceps ulli alii crederet. Sic in exemplo, quod proponitur apud *Gellium* l. IX. c. 16. ita facienda est restrictio, ut lex ipsis viris fortibus sua præmia non eripiat. 2. Defecisse quoque ab initio voluntas censetur, quando ratio cessat, quæ sola plene & efficaciter movit voluntatem. Cui enim rei in lege contentæ ratio additur, aut ubi de eadem satis jam constat, ea non amplius nude consideratur, sed quatenus sub ea ratione venit. Exemplum est in l. 6. §. 2. D. de jure patronatus, ubi patronus prohibetur adigere jurejurando libertum, ne uxorem ducat, aut liberos tollat, adjicitur; *quamvis in lege nulla persona excipiatur; tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt.* Itaque si castratum libertum quis jurejurando adegerit, dicendum est, non puniri patronum hac lege. Nam ratio legis erat, ne dum patronus avaritiæ suæ velificatur, sobolis multiplicatio impediretur; quæ à castrato nulla potest expectari. 3. Ex defectu materiæ. Nam materia, de qua agitur, semper intelligenda est obversari animo loquentis, etsi verba videantur latius patere, v. g. si feudum concessum sit alicui pro se & descendentibus masculis, non intelliguntur nepotes ex filia; quia natura ejusmodi feudi repugnat, quæ foeminas, & descendentes ex illis plane excludit.

§. 20. Monet tamen *Grotius* circa secundum membrum, *sub ratione comprehendi sepe quasdam res non secundum existentiam, sed secundum potentiam moraliter consideratam; quæ ubi locum habet, restrictio non est faciendæ.* Sensus est: conventio, in qua rationem aliquam respexerunt pacificentes, puta, ut periculum aut incommodum evitarent, non solum in iis casibus valet, quando istud revera erat secuturum; sed in illis quoque, ex quibus probabiliter, aut saltem non adeo difficulter existere posse creditur, v. g. si inter duos populos foedere cautum sit, ne exercitus aut classis intra certum locum deducatur; licet ratio conventionis fuerit,

fuerit, ut ne inde damnum actu alicui inferretur; haut quidquam tamen licebit classem aut exercitum deducere, ut ut animus nocendi abfuerit. Nam sufficit, quod alteri noxa facile queat inferri ab eo, qui intra illum locum versatur. Quippe cum hoc pacto non damnum modo, sed & probabilem damni metum evitari placuerit. Ita si lex sit, ne quis noctu cum facibus per plateas ambulet, non excusatur quis, si dicat, se ita circumspicere iisdem uti, ut nemini damnum inde proveniat. Solet & hoc disputari, an promissa in se habeant tacitam hanc conditionem, si res maneat eo, quo sunt loco? Id quod in genere est negandum. Nam cum hæc conditio sit odiosa, utpote irritum reddens promissum, non facile est præsumenda, ubi non fuerit addita. Nisi forte hoc apertissime pateat, statum rerum præsentem in unica illa, quam diximus, ratione esse inclusum. Sicut passim in historiis legimus, legatos à suscepto itinere domum rediisse, deserta legatione, quod apud eos, ad quos mittebantur, talis mutatio obtigisset, ut tota legationis causa expiraret. Vid. *Tacit. Hist. II. ab init.* ubi Titus occiso Galba regreditur.

§. 21. Quod autem casus, qui postea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid constituit, pugnet, id duplici modo deprehenditur, vel ex naturali ratione, vel ex aliquo signo voluntatis. Dijudicandæ voluntati ex naturali ratione *Aristoteles Nicom. V. c. 10.* propriam virtutem, seu peculiarem in intellectu habitum tribuit *ἡρώδης* seu *ἰσχυροσύνη*, q. d. æquiperudentiam seu intelligentiam æqui; in voluntate vero *ἐπιείκεια*, seu studium sectandi æquitatem. Cqñf. l. 61. §. 5. D. *de furtis*. Bene autem *Idem ad Nicom. l. V. c. 14.* (add. *Idem magnor. moral. l. 2. c. 1. 2.*) definit æquitatem per correctionem ejus, in quo lex deficit ob universalitatem; seu per dextram legis interpretationem, qua ex naturali ratione ostenditur, casum quendam peculiarem sub lege generali non comprehendi, eo quod alias absurdi quid inde sequeretur. Id quod ad testamenta quoque, & pacta suo modo referri debet. Ubi quoque non insuper illud notatum *Grotio ad Campanella Politica.* Æquitatem in lege naturali locum habere non posse; cum naturæ non loquatur universaliter, quam lex exigit. Ast legem natura non prout in se est, sed ut ab hominibus minus universaliter enunciatur, opus habere posse interpretatione *ἐπιείκεια*, v. g. suam cuique reddendum, intellige utenti ratione,

Kk k k k

&

& nisi ex jure superiore adsit impedimentum. *Seneca* l. 4. *controv.* 27. *In lege, inquis, nihil excipitur. Sed multa quamvis non excipiantur, intelliguntur; & scriptum legis angustum est, interpretatio diffusa: quaedam verotam manifesta sunt, ut nullam cautionem desiderent. Quintilianus declam.* 331. *Nulla tanta providentia potuit esse eorum, qui leges componebant, ut species criminum complecterentur. Nam & semper caventes nequitia vicisset; & jura ita multiplex & diffusum esset, ut pro incerto haberetur ignotum. Fecerunt ergo, ut rerum genera complecterentur, & spectarent ipsam aequitatem. Multa ergo inveniuntur frequenter, quae legum verbis non teneantur, sed ipsa vi & potestate teneantur. Nem quia potissimum in legibus nec praevideri omnes casus possunt, neque ob infinitam varietatem exprimi; (*Xenophon Hipparchico: πάντα ὅποια δὲ ποιεῖν, εἰδὲν μᾶλλον οὐκ ἔστιν, ἢ λέγειν πάντα εἰδέναι. Mandare literis quae facienda sunt omnia, non magis facile est, quam omnia futura scire:*) ideo illi, quibus incumbit generalia legum decreta ad speciales casus adplicare, opus habent aliqua libertate, per quam possint à lege eximere, & excipere illos casus, peculiaribus circumstantiis vestitos, quos excepturus fuerat ipse legislator, si praesens adesset, aut tales casus praevidisset. *Vi* l. 3. 4. 5. 6. 10. 11. 12. 13. *D. de legibus.* Exemplum est apud *Ciceronem de Invent.* 1. 2. *Lex est apud Rhodios, ut, si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. Cum magna in alto tempestas esset, vis ventorum invitis nautis Rhodiorum in portum navim coegit. Quaestor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere. Ibid. Cum lex aperiri portas noctu vetaret, aperuit quidam in bello, & auxilia in oppidum recepit, ne ab hostibus opprimerentur, si foris essent, quod prope muros hostes castra haberent. Quanquam non temere huc licebit decurrere, ne quis alieni sese actus arbitrum faciat; (quandoque enim stricte literae legis inhaerendum esse volunt legislatores. *juxta* l. 12. §. 1. *D. qui & à quib. manumissi; quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est; (Add. lex Wisigoth. l. 2. tit. 1. c. 12.)* sed sufficientia oportet indicia adsint. Inter quae certissimum est, si adpareat illicitum esse; i. e. repugnare legibus naturalibus & divinis, si quis literam legis praecise sequatur. Ad talia enim cum nemo possit obligari, nemo quoque rationis compos alium voluisse obligare praesumitur. *Grotius ad Esther.* c. 4. 16. *Sunt quaedam tam violenta & aspera, ut in iis legem servare velle sit in leges praecipuas peccare. Add. Valer. Max.***

l.3. c.7. n.1. c.8. n.6. Porro in alio sensu æquitas capitur, quando v.g. causa aliqua ex æquo & bono definiri dicitur, ubi nempe juri rigido aliquod temperamentum in gratiam rei adhibetur. Sicuti etiam privati æquitatem dicuntur adhibere, quando juri suo erga adversarios suos non ita rigide insistunt, sed aliquid remittunt. Aliquando denique ex æquo & bono definiri causæ dicuntur, quando lex civilis non extat, aut ejus *arbitria* non attenditur, sed ex arbitrio bonorum virorum sententia fertur.

§. 22. Alterum autem indicium, ob quod universalis aliqua lex sit restringenda, est, si non quidem per se & omnino illicitum sit verba expressa sequi; sed tamen rem humaniter æstimanti id nimis videatur grave & intolerabile; sive absolute spectetur communis conditio humanæ naturæ, sive comparetur persona & res, de qua agitur, cum ipso fine actus. Quædam enim omnibus hominibus intolerabilia videntur, quædam certis personis; quædam negotia talia sunt, ut propter ista magnam subire molestiam stolidum sit. Atque hæc eo magis valent, si non solum lex positiva sit, ac ejus materia non probabile reddat, legislatorem quantavis cum molestia, per accidens incidente, ejus observantiam exigere: sed & si neglectus legis in isto casu, quo ejus observantia durissima futura erat, in contumeliam & despectum legislatoris non vergat. Add. *Grotius ad Matth. c. 12. v. 3.* Hinc sine dubio stulta est religio Abyssinorum, qui tempore quadragesimæ tantopere sese jejuniis macerant, ut animi & corporis viribus defecti, hostibus, eo tempore incurrentibus, resistere non valeant. Unde aliqui id temporis impune ipsorum regiones percurrisse memorantur. *Franc. Alvarez de script. Æthiop. c. 13.* Sic qui rem ad dies aliquot commodavit, intra eos dies eandem repetere potest, si ipse valde egeat: quia actus tam benefici ea est natura, ut non credendus sit quispiam ad magnum suum incommodum sese voluisse obligare. Sic qui auxilium foederato promisit, excusabitur, quamdiu ipse domi periclitatur, iisque copiis ad sui defensionem opus habet. Nam cum quilibet Princeps primo omnium loco suam populum tueri teneatur, in omnibus promissis; quæ extraneis facit, hanc subintelligit conditionem; quantum salus propriæ reip. admittit. Sic concessio immunitatis, vectigalium, & tributorum intelligenda est de tributis quotidianis &

anniversariis, non autem de iis, quæ summâ & præsens necessitas extra ordinem requirit, & quibus carere non potest respublica. Inde nimis laxè videtur dixisse Cicero *Off. 1. promissa non esse servanda, quæ inutilia sint iis, quibus promiseris; nec si plus tibi noceant, quam prosint illi, cui promiseris.* Nam an res promissâ utilis sit futura ei, cui est promissâ, non semper est promissoris judicare; nisi forte hic in istum habeat imperium, ejusvè salutem procurandæ sit præpositus. Et ut promissum promissorem non obliget, non sufficit quodlibet nocumentum aut onus in promissorem redundans; (nam omnis præstatio promissi gratuiti cum onere est conjuncta:) sed tale ac tantum, quod pro natura actus credi debeat exceptum. Uti est in illo exemplo à Cicerone adducto d. l. *Si constituerite cuiquam advocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim graviter agrotare filius cæperit, non sit contra officium non facere, quæ dixerit.* Add. Seneca de benefic. l. IV. c. 35.

§. 23. Denique sunt & alia signa voluntatis, quæ ostendunt, certum casum à lege aut pacto universaliter concepto esse eximendum. Nempe si verba alio loco posita cum præsentem lege aut pacto non quidem directe pugnant, (nam hæc est ἀντινομία,) sed tamen per incidentem casum, peculiarem & velut insperato rerum eventu inter se committuntur. Seu quod eodem redit, quando duo pacta aut duæ leges diversæ extant, quæ invicem non pugnant, ac diverso tempore commode servari, & impleri possunt, ac debent; verum quibus satisfieri nequit, quando casu aliquo eorundem impletio in idem temporis momentum incidit. Conf. Charon de la Sageffe l. 1. c. 37. n. 5. Hæc ergo certæ sunt tenendæ regulæ, ut constet, quænam lex, aut quod pactum alteri cedat, si utrique simul nequeat satisfieri. Grotio istæ placent 1. *Illud quod tantum permittitur, cedit ei quod jubetur.* Autor ad Herennium l. 2. *Plus valet sanctio permissione.* Id enim, quod imperatur, necessarium, illud quod permittitur, voluntarium est. Uti Idem de Inventione l. 2. habet. *Quintilianus declam. 374. Semper potentior lex est, quæ vetat, quam quæ permittit. Hoc etiam in magistratum potestate servatur: & plus potest unus, qui vetat, quam omnes, qui jubent. In permittente enim libera potestas: in vetante pœna est.* Nam permissioni tantum inest libertas faciendi vel omittendi; jussum involvit necessitatem, faciendi & in præsentem casu libertatem omittendi tollit. 2. *Quod faciendum est certo tempore, præfertur ei, quod quovis*

tem-

tempore fieri potest. Seu, ubi in unum tempus incidit impletio duarum obligationum, quarum uni non nisi certo, eoque presenti tempore recte satisfieri potest, alteram autem quovis alio tempore impleri nihil interest; hac in aliud tempus, dilata ista stato tempore erit implenda. Ex quo tamen adparet, non esse uni & eidem injungenda, quæ neque simul expediri queunt, & quorum nullum dilationem fert. Quo facit, quod *Plutarchus quest. Rom.* disquirat, quare flaminibus dialibus non liceat magistratum gerere: *cum enim certa sint & ordine definita actiones sacerdotum, regum vero ordine carentes & infinita, fieri non poterat, ut qui rex simul, sacerdosque esset, diversi generis in eundem temporis articulum incidentibus negotiis utrumque procuraret; sed necesse erat futurum, ut utroque urgente alterum omitteret.* Nam istis sacerdotibus nondum innotuerat arcanum illud; honorem & lucrum ex sacerdotio capere, functionem, & labores in vicarios transcribere. 3. *Affirmativum præceptum cedit negativo:* seu quando alicui præcepto affirmativo non potest satisfieri, nisi per violationem alicujus præcepti negativi; tunc impletio præcepti affirmativi erit omittenda, aut differenda, quousque cum violatione negativi præcepti non concurrat. Ratio petenda est ex natura præceptorum affirmativorum, & negativorum, quod horum obligatio sit perpetuo uniformis, & æquabiliter efficax; illa autem occasionem præsupponant, quæ non adesse intelligitur, ubi quid citra legis violationem fieri nequit. Unde talia moraliter impossibilia rebus sic stantibus judicantur. Hinc nemo potest alterum injuria afficere, fidemvè fallere, ut suorum commodum promoveat, aut grati animi, & beneficiorum materiam nanciscatur. Præposterum genus pietatis corium furari, & calceos pauperibus eleemosynæ loco dare. *Cicero de Invent. l. 2. Lex sepe ea quæ vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, quæ jubet.* Sic & Muhammedes in *Alcorano* prohibet ex bonis male acquisitis dare eleemosynam. Nescio tamen quam recte Schach Abas, rex Persiæ, qui nullam pecuniam libentius in eleemosynam erogare voluit, quam tributum, ex lupanariibus collectum; quod hoc prompto, animo solutum diceret, cum reliqua gementibus fere subditis extorqueantur. Non decere autem, taliter expressam pecuniam pauperibus dare. *Ad. Olearius Itin. Pers. l. V. c. 31. Marius Victorinus in exposit. in 2. Rhetor. Cicer. Major est autoritas legis, quæ vetat, quam illa, quæ imperat, omnis enim lex quæ vetat, fortior*

propterea, quia corrigit illam, quæ aut permittit, aut imperat. Huc aliquo modo pertinet, quod tradit *Leo Mutinensis de ritibus Ebraicis part. V. c. 5. §. 1.* Fœminis prohibitum esse, quicquid maribus præcepto negativo interdictum: sed circa præcepta affirmativa declarasse Rabbinos, quod omnibus illis, quæ tempus certuræ præfixum habent, fœminæ non teneantur, ob imbecillitatem sexus, & quod imperio maritorum obnoxia degant. 4. *Inter conventiones legesque cetera æquales peculiaris præfertur generaliori, & quæ propius ad rem accedit.* Nam generalia per specialia ad certi quædam determinantur. *Cicero de Invent. 1. 2. Lex qua in partem aliquam, & qua in certam aliquam rem scripta est, promptius ad causam accedere videtur, & ad iudicium magis pertinere.* Quod autem *Grotius* subjungit, in prohibitionibus, quæ pœnam adjunctam habet, præferri illi, quæ pœna vacat; & quæ pœnam majorem minatur ei, quæ minorem: id non ita liquidum est. Nam nullius videtur momenti esse prohibitio, quæ nulla pœna, expressa aut arbitraria, sancitur. Et regula illa, ex duobus malis minus esse eligendum, ad mala moralia sive peccata proprie adplicari nequit. Igitur non video, quomodo ista regula subsistere possit, nisi forte in hunc sensum; quod ubi casus emergat, ut uni ex duabus prohibitionibus sit contraveniendum, illa tunc intelligatur permissa, quam violari minoris interest. Exemplum tale esse potest. Lex una est, ne quis die feriato cum armis in publico versetur. Altera, ne quis signo audito tumultus indice domi se contineat, sed cum armis magistratui in foro prætò sit. Tumultus die feriato oritur. Heic dicendum est, posteriorem legem habere instar exceptionis in ordine ad priorem legem hoc modo: ne quis die feriato cum armis in publico versetur, nisi tumultus causâ à magistratu evocetur. 5. *Inter duas præstationes certo temporis articulo invicem collatas, quarum una causis magis honestas aut utiles habet, quam altera, hanc isti cedere rationis est.* Nam inferiori velut obligationi hæc exceptio intelligitur addita; ut præstetur, si per majoris momenti obligationem fieri queat. 6. *Quando duo pacta, juratum & injuratum simul nequeunt impleri, illud huic cedit; nisi pacto jurato injuratum tanquam exceptio aut limitatio sit insertum.* Nam juramentum pacto accedens restrictiones & exceptiones tacitas, ex natura rei non necesse-

cessa-

Thebe nomen fuit, noctu cum simul cubaret, occidit. Hac filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi præmii loco deposcit. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in judicio est. Heic primum leges oportet contendere, considerando, utra ad majores, hoc est, ad utiliores, ad honestiores, ac magis necessarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut si leges dua, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possunt, quia discrepent inter se: ea maxima conservanda putetur, qua ad maximas res pertinere videatur. Deinde utra lex posterius lata sit. Nam postrema quaque gravissima est. Deinde utra lex jubeat aliquid, utra permittat. Nam id quod imperatur necessarium; illud quod permittitur voluntarium est. Deinde in utra lege, si non obtemperatum sit, pœna afficiatur, aut in utra major pœna statuatur. Nam maxime conservanda est ea, qua diligentissima & sancta est. Deinde utra lex jubeat, utra vetet. Nam saepe ea qua vetat, quasi exceptione quadam corrigere videtur illam, qua jubet. Deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam; utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem scripta videatur. Nam qua in partem aliquam, & qua in certam quandam rem scripta est, promptius ad causam accedere videtur, & ad judicium magis pertinere. Deinde ex lege utrum statim fieri necesse sit: utrum habeat aliquam moram; & sustentationem. Nam id quod statim faciendum sit, perfici prius oportet.

CAPUT XIII.

DE MODO LITIGANDI IN LIBERTATE NATURALI.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Quæ aliis debentur ultro sunt implenda.</i> | stricti juri. |
| 2. <i>In statu naturali judex non datur.</i> | 6. <i>Arbitris non sufficit pronunciasse super possessione:</i> |
| 3. <i>Controversia, qua colloquio inter partes expediri nequeunt, ad arbitros sunt deferenda.</i> | 7. <i>De mediatoribus pacis.</i> |
| 4. <i>Inter arbitrum & partes non intercedit pactum.</i> | 8. <i>Quid si instrumenta fuerint amissa?</i> |
| 5. <i>Arbitri in dubio intelliguntur ad-</i> | 9. <i>De testibus.</i> |
| | 10. <i>De executione rei judicata.</i> |

ID equidem lex naturalis requirit, ut homines ultro præstent, & exhibeant invicem ea, quæ quocunque nomine aliis debent; utque damnorum,

rum, si quæ aliis data sunt, reparationem ultro offerant. Ubi si damnum aut offensio ex dolo malo processit, insuper lex eadem jubet, ut lædens ostendat, sese facti seria poenitentia duci, fidemque det super omittendis deinceps offensis, colendaque amicitia. Qualis poenitentia non per violentiam expressa, sed ultro ex consideratione justitiæ orta, uti sufficienti potest esse indicio de emendato lædentis animo: ita ex adverso læsus, oblata damni reparatione, & sumpta cautione in futurum tempus, alteri veniam petenti & poenitenti lubenter ignoscere, & pacifice in posterum cum eodem agere debet. Quod qui per iracundiam aut vindictæ lubidinem adspersatur, penes illum abruptæ pacis, bellique temere moti culpa erit. Quam ad rem insigniter facit oratio C. Pontii apud *Livium* l. 9. c. 1. Inhumanum quippe & belluinum est, non nisi reposito lædenti dolore velle adquiescere, & susceptas semel inimicitias in æternum alere. Dira est vox Catonis Senioris apud *Plutarchum in ipsius vita*, cum in adolescentem, qui defuncti patris inimicum involverat infamia, in foro post judicium ambulantem incidisset, dextra data dixit: *ita parentibus esse parentandum; non agnis, non hadis, sed inimicorum lacrymis damnationibusque.*

§. 2. Enimvero præterquam quod non omnibus mortalibus ea est ingenii bonitas, ut officium ultro velint explere, aliquando etiam super certitudine ac quantitate debiti, taxatione damni dati, competentia, & exercitio certorum jurium, super regundis finibus, interpretatione factorum, aliisque prætensionibus controversiæ oriuntur. Heic igitur inter eos, qui in naturali libertate vivunt, judex non datur, qui lites exortas pro imperio definiat & componat. In quem sensum admitti potest illud *Thucydidis* l. 1. *quibus vi uti licet, judicio decertare nihil opus habent.* Equidem *Hobbes de cive* c. 1. §. 9. in statu naturali quemlibet negotiorum suorum *judicem* constituit. Verum id in hunc duntaxat sensum valet, quod qui non habet superiorem, à quo regatur, sua negotia proprio arbitrio administret, & de mediis ad sui conservationem spectantibus proprio ex judicio constituat. Nam si vel maxime alius de iisdem velit judicare; cum tamen sententiam suam pro imperio obtrudere mihi nequeat, ex meo judicio, atque arbitrio utique dependebit, an & quatenus istius consilium velim admittere, & sic ultimo mearum actionum gubernatio à meipso dependebit, ad legem tamen naturalem rite attemperanda. De cætero licet in illo statu penes quemque sit, negligere, an tueri suum jus,

missitare an exsequi injuriam velit: non tamen de suo negotio sententiam ferre potest, qua stare teneatur is, quicum ipsi controversia intercedit. Nam si vel maxime cupiat, idque vel juratus protestetur, se pronunciaturum, quod sibi justum fuerit visum: cum tamen alter pari dignatione suam sententiam aestimare queat, ubi eas contingat discrepare, propter æqualitatem, status naturalis comitem, nihil agetur. Accedit, quod juxta *Aristotelem Polit. l. 3. c. 6.* *ἡδὲν οἱ πλείστοι Φάυλοι κερταὶ εἰσι τῶν ἰσίων:* plerique fere mali sunt judices de suis rebus. *Salustius Catilin.* *Neque cuiquam mortalium injuria sua parva videntur: multi etiam eam gravius a quo habuere.*

§. 3. Haut quidquam tamen lege naturali concessum est, quod quisque suo ex judicio definivit jus statim armis asserere, controversiarumque suarum arbitrum Martem fumere, antequam molliora media fuerint tentata. *Cicero Off. I. cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* add. *Justinus l. 8. c. 1. n. 4. seqq.* Et ubi citra amicam disceptationem statim ad arma provolatur, ibi locum habet illud *Ovidii Trist. 5. el. 10.* *Injustum rigido jus dicitur ense.* Inde primo omnium conandum, an per amicam disceptationem, congressis inter se partibus, aut earundem mandatariis, controversia componi queat. Vid. *Grotius l. 2. c. 23. §. 7.* Quanquam & sæpissime, postquam armis fuit certatum, animorumque rigor belli malis est fractus, controversia per tractatus & transactionem componi solet. Ubi negotii natura, & partium facilitas fert, fors facillime liti finem dare potest. Vid. *Idem d. l. §. 9.* Enimvero ubi nec partium disceptatio exitum controversiæ invenire potest, neque sorti committere placet, quod solidis rationibus subnixum existimatur; proximum est, ut ad arbitrum eatur, cujus sententia quod utique stare velint, partes sese pacto invicem adstringant. Ubi recte monet *Grotius l. 2. c. 23. §. 11.* etsi in causa dubia pars utraque teneatur quærere conditiones, quibus bellum vitetur; magis tamen id teneri qui petit, quam qui possidet; cum etiam possessorem in ipso jure naturali favor prosequatur.

§. 4. Ex scopo autem, quare ad arbitrum eatur, facile colligitur, qualem hic sese debeat gerere. Scilicet sumitur iste, quia cujuslibet de

de sua causa iudicium suspectum habetur propter insitum illum amorem; quo quis in se suaque regulariter propendit. l. 10. D. de iurisdic. Plutarchus de adulat. & amic. discern. αὐτὸς αὐτῷ κλάζῃ ἵκασθαι. ἢ ἄλλῳ. καὶ μίγναι. quique sui ipsius assentator est primus atque maximus. Igitur id cum primis observabit arbiter, ut ne plus favoris adversus unum quam alterum ostendat, nisi quantum ex meritis causæ oritur; utque adeo jus gratiæ ne det. Id ubi fecit, non est quod iniquum odium curet ejus, qui causa cecidit. Et si eam ob rationem Bias dicebat: *malle se inter inimicos, quam inter amicos iudicare*: quippe ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum. Diogenes Laërtius l. 1. Add. Gellius l. 1. c. 3. Sed & ob id ipsum paret, neminem recte posse capi arbitrum in ea causa, cui commodi vel gloriæ peculiaris spes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; seu cuius peculiariter interest, unum quocunque modo causam obtinere. Alias enim indifferentiam illam, & velut medietatem ita accurate observare non poterit. Aristoteles Polit. l. 4. c. 12. πανταχῶ πιστότατος ὁ διατητής· διατητὴς δὲ ὁ μέσος. Ubique fide dignissimus est arbiter; medius autem est arbiter. Huic principio innititur quoque illud responsum Amasis regis Ægyptii, cum Elei circa ludos Olympicos occupati, missis legatis, ipsum consulissent, quo pacto iustissime illos administrarent; *Si Eliensium, inquit, nemo in certamen discederet.* Diodorus Siculus l. 1. 95. Huc spectat quoque flagitium illud populi Romani, cum in controversia Aricinorum & Ardeatium agrum sibi adjudicaret, apud Livium l. 3. c. 72. Add. Justinus l. 8. c. 3. n. 15. Ex quo etiam consequitur, nullum pactum aut promissum debere intercedere inter arbitrum, & partes, cuius vi iste teneatur præter merita causæ pronunciare in gratiam partis alterutrius. (conf. Hobbes de civ. cap. 3. §. 14.) Nec aliud sententia ipsius pretium esse debet, quam bene iudicasse. Plin. Paneg. Inde vanum erat compromissum Maximiliani, & Venetorum in Leonem X. Pontificem, dum singuli separatim & clam cum eo paciscuntur, ne laudum pronunciet, in quod ipsi non consenserint; apud Guicciardinum hist. XI. circa finem. Et l. XII. p. m. 345. Quin etiam si pactum inter litigantes & arbitrum in eatur super suscipiendo arbitrio, (nam uti non nisi in volentes arbitrium exercetur, ita nisi volens nemo fit arbiter:) ejus tamen pacti haut quidquam ea vis est, ut ex

eodem ducat originem obligatio arbitri, qua teneatur ad pronuncian-
 dum id, quod æquum sibi videtur. Cujus rei ratio non tam hæc est, quod
 alias per legem naturæ sit injunctum arbitro pronunciare, quod justum
 sibi visum fuerit; cujus legis obligationi nihil queat ex pacto accedere:
 quam quod hoc modo finis arbitri summi reddatur irritus, ac fiat progres-
 sus in infinitum. Pactum enim ejusmodi sic foret concipiendum, ut sta-
 re se velle judicio arbitri partes promittant, siquidem ipse æquam tulerit
 sententiam. Qui autem pactum ineunt, quo ex naturali libertate nihil
 delibatur, hætenus sunt æquales, ut invicem liceat inquirere, an pacto sit
 ab altero satisfactum. Quod si itaque post laudum alterutri partium ini-
 qvum videatur, aut revera iniquum sit, iterum oritura foret contro-
 versia circa istius æquitatem. Cujus decisio cum neque huic arbitro, ne-
 que partibus competere queat, ad alium necessario arbitrum erit decur-
 rendum. Quicum ubi simile pactum fuerit initum, & vero de hujus quo-
 que sententia dubium oriatur, alius rursus erit ad eundem; & sic
 in infinitum. Ex quo itidem patet, pactum quo partes in arbitrum com-
 promittunt, pure conceptum esse debere, quod velint stare ea
 sententia, quam arbiter pronunciaverit; non autem sub hac conditione,
 siquidem æquam iste sententiam pronunciaverit. Nam hoc modo, ubi
 super æquitate sententiæ alteruter litigantium dubium moveret, ad alium
 foret arbitrum eundem, qui super ista cognosceret. De cujus æquitate
 si iterum ambigeretur, alius esset constituendus arbiter; & sic in infinitum.
 Vid. l. 18. l. 32. §. 15. 16. D. de receptis. Et ex his quoque petenda est ratio il-
 lius ap. *Quintilian. declam. 372. Judicia judicium rescindi non possunt.* Cæ-
 terum id manifestum est, ab arbitris non posse provocari; cum nullus sit
 superior iudex, qui sententiam eorum corrigere queat. *Lucianus Abdi-
 cato, οἷς ἔξῃν μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐμμένον, εἰ ἴτερος τις αὐθαίρετος εἰλήτο, ἑτάρον δὲ δι-
 κῆρον ὅτις ἰγνώσμενος.* Si quis, quorum sententiis initio stare non cogebatur,
 hos sponte delegerit, jam æquum est boni consulere, quæ statuerint. *Plinius
 Nat. Hist. præfat. Adeo summum quisque causa sua judicem facit, quem-
 cunque elegit.* Id quod etiam in civitatibus obtinet, ubi partes ultro
 in arbitrum compromiserint; siquidem disceptetur super causa, quam
 quocumque modo componi rectorum civitatis nihil interfit. Quod
 si tamen alicubi ab hisce quoque licet provocare, id ex jure positivo
 est. Quanquam in civitatibus arbitratorum nomine quandoque veniunt
 judi-

judices extraordinarii, quibus aliqua causa presse, & citra ambages fori examinanda & decidenda delegatur. A quibus sane, quo minus ad superiorem liceat provocare, nihil prohibet. Quod autem dicitur, standum esse sententia arbitri, sive æquum, sive iniquum pronunciaverit, id cum grano salis est accipiendum. Nam uti ideo quidem à compromisso resilire non licet, quod contra nos fuerit pronunciatum, ut ut ipsi largius de nostra causa sperabamus: ita tunc sane arbitri sententia nos non stringet, si manifeste adpareat, ipsum cum altera parte colludere, aut ab eadem donis corruptum, aut pactum in fraudem nostram inivisse. Nam qui aperte ad alterutram sese partem adplicat, arbitri personam gerere amplius nequit. Vid. l. 76. seqq. D. pro socio. Sed & hoc patet, si plures uno arbitri sumantur, præstare, ut sint numero impari, ne si ipsis dissentientibus pares sint sententiæ, res non possit invenire exitum.

§. 5. Monet porro *Grotius* d. l. §. 47. in arbitri officio spectandum, an electus sit in vicem judicis, an vero cum laxiore aliqua potestate, quiq; sententiam suam non tam ad jus strictum, quam ad æquitatem & humanitatem attemperare queat. Scilicet aliquando utraque pars ad justitiam provocat; ubi arbiter æque ac judex momenta & merita causæ expendere debet. Aliquando autem ad arbitrum itur, quando una pars nititur jure stricto, altera autem ejusdem mitigationem & remissionem ex humanitate & misericordia postulat; seu ad æquitatem provocat. Quo loco *æquitas* non proprie significat dextram illam legum interpretationem, de qua *cap. antec.* dictum, quæ etiam ab inferiore judice adhibenda: sed rigidi juris mitigationem ex dictato virtutum humanitatis, caritatis, misericordiæ, & similibus: quam non nisi summo judici, aut arbitro in hanc legem adscito adhibere licet. In dubio tamen præsumitur arbitrum ad regulas judici sequendas obligatum, quippe cum ob defectum fori & judicis ille sumtus sit; & in dubio id, quod minimum est, sequamur. Facilius autem est, ut quis lædatur, si arbitro laxa, quam strictior facultas sit concessa. Et juris stricti relaxationem svadere illorum potissimum est, qui citra compromissum litigantibus tanquam communes amici sese interponunt. Cæterum illud manifestum est, uti qui inter cives jus dicit, regulariter sequitur leges civiles, quibus litigantes sunt subiecti: ita qui pronunciaturus est inter eos, qui communes leges civiles

non agnoscunt, jus naturale pro norma habebit. Nisi ipsæ partes actum suum ad certæ civitatis leges politivas attemperarint.

§. 6. *Idem* d. l. §. 48. quoque monet, arbitros lectos à summam potestatem habentibus de principali negotio pronunciare debere; non de possessione. Nam judicia possessoria esse juris civilis: jure gentium autem jus possidendi dominium sequi. Circa quod pronunciatum nobis ita videtur. Etsi jure naturæ & gentium non videatur necessarium, ut qui possessione sua dejectus est, statim in eam reducatur, antequam ulterior causæ cognitio suscipiatur, præsertim quando causæ decisio statim sequi possit: in multis tamen controversiis arbitro prius dispi-ciendum, uter possessor sit, ut intelligat, cuinam potissimum probandi onus incumbat. Quippe cum petitoris sit, suam intentionem liquido demonstrare; possessori autem sufficiat istius argumenta confutasse; nisi quod quandoque conveniens sit, saltem ex superabundanti, possessionis suæ titulum ostendisse. Ideo tamen arbitris non satis est super possessione duntaxat pronunciasse, quia non de hac, quæ in aprico fere est, ad arbitros soleat provocari, sed ut principali negotio finis demum imponatur, nec deinceps litis quid superfit. Ut autem cognitione durante nihil innovetur, & petitore non probante secundum possessorem pronuncietur, juris naturalis utique est.

§. 7. Arbitri tamen proprie dicti non sunt mediatores, quos vocant, qui litigantibus, bellumque parantibus aut jam gerentibus al-tro sese interponunt, eosque autoritate, rationibus, precibus ad pacifice transigendum, litesque sopiendas permovere nituntur. Vid. *Guicciardinus hist.* l. IV. ubi disceptatur, an Hercules Ferrariæ Dux arbitri, an mediatoris partes inter Venetos & Florentinos obire debeat. Hos cum tam sanctum propositum præ se ferant, præfractere rejicere summa inhumanitas foret; ne quidem ex eo solum prætextu, quod cum altera parte ipsis peculiaris quædam conjunctio videatur intercedere. Nam penes me utique est, quantum ea, quæ ab istis offeruntur, velim admittere: & amicorum solet hoc præcipuum esse munus, ut ubi ipsi mecum in litem descenderenolunt, ad amicam compositionem eandem deducere laborent. Sæpe enim aliorum multum interest, ne inter duos bellum geratur, quod vel ex vicino incendio aliquæ ad ipsos quoq; scin-tilla

tillæ transvolent, vel utrunque atteri, aut alterutrum opprimi iisdem periculoso sit. Hos, ut serio restinguendæ orienti flammæ incumbant, propriæ salutis cura subigit. Et tanto ardentius Christianos homines componendis aliorum litibus incumbere decet, quod & inficetus cætera *Alcoranus cap. de claustris* præcipiat, ut si duæ nationes & provinciæ Musulmanicæ inter se bello certent, reliquæ pacem inter ipsos componant, & eum, qui injuriam facit, compellant ad satisfactionem; qua præstita, eos ex æquo & bono in amicitiam redigant. Ubi & hoc certum est, posse plures, quorum præcipue interest litem sopiri, pactum inter se inire, super junctim suscipienda litigantium compositione, ac se mutuo obstringere, quousque singuli bello isti sese possint immiscere. Quo casu tamen requiritur, ut istorum nemo peculiari teneatur foedere, alterutri litigantium auxilia præstare, siquidem in bellum jam res eruperit. Nam quæ priori foedere promissa sunt, per posterius foedus cum tertio initum circumscribi nequeunt. Quin & hoc recte fieri videtur posse, ut duo pluresvè, quorum interest bellum cessare, expensa utriusque partis causa, conveniant, in quas leges pacem componi æquissimum ipsi judicent, casque bellantibus offerant hac cum denunciatione, ut contra eum, qui pacem in istas leges abnuerit, socia arma velint conjungere cum altero, qui easdem acceptaverit. Hoc enim modo quis sese arbitrum invito alteri haut quidquam obtrudit, aut ipsius litem pro imperio decidendam sumit; quorum neutrum libertas naturalis admittit. Neque vero partibus ejusmodi placitum offertur eo modo, quasi eodem stare omnino teneantur. Sed cum per jus naturale possit quis arma conjungere cum eo, cui injuriam fieri judicat, præsertim ubi ex illa injuria in ipsum quoque damnum sit redundaturum; tali modo animum æquitatis ac pacis cupidum aperte quis declarat, quod & ipse optet alios honestis conditionibus transigere, & non prius in bellum descendere velit, quam amica compositionis via ab altero sit repudiata. Add. *Livius* l. 44. c. 19. *in fine.* *Justinus* l. 6. c. 6. n. 1. Eo autem magis probandus est iste mediationis modus, quo facilius per eum extingui bella possunt, alias ad internecionem grassatura. Etsi ei, qui ejusmodi mediatorem sese ferre instituit, observandum sit illud *Velleji Patercali* l. 2. c. 50. *Massilia intempestivè principum armorum arbitria captans, quibus si se debent interponere, qui non parentem coercere possunt.* Add. *Livius* l. IX. c. 14.

§. 8. Formam & processum disceptationum coram arbitris institutarum ipsa communis ratio satis designat, perspecta cujusque negotii indole. Sic ut putidum foret multis præscribere, quo modo partes intentionem suam debeant proponere, quomodo status controversiæ formandus, quomodo post expensa utriusque partis argumenta sententia demum sit concipienda. Illud duntaxat monendum, ubi intentio alterutrius alia ratione, quam per instrumenta probari nequeat, & vero illa sint amissa, arbitro nihil superesse, quam ut uni partium cum consensu alterius juramentum deferat. *Cum consensu alterius*, dico. Nam in libertate naturali alias nemo videtur teneri, ut ex adversæ partis conscientia causam suam suspendat. Sicut & hoc penes partes est, aleam sortis, aut duelli tentare velint; quod quondam apud multos populos frequentatum. De cætero instrumentorum amissio per se jus non extinguunt; nisi quod in foro civili iudex frustra impleretur, ubi argumenta idonea desunt, quibus jus demonstraretur. Sed in libertate naturali sufficit ad persequendum meum jus, si de illo mihi ipsi liquido constet, ut ut alter id fortasse inficietur. Add. *Connestagius de unione Lusitan. l. 5. p. m. 222.* Quo facit illud apud *Quintilianum declamat. 312.* *Miseræ conditio mortalitatis, quando omnibus jam, quæ agimus, videtur opus esse teste: ita parum facit veritas, ita nullum nomen est fidei. Non satis videri potest probatum, quod duo sciunt.*

§. 9. Illud arbitri cum iudicibus habent commune, quod circa quæstiones facti adversus nudam & iniuriam assertionem partium æquales sese debeant præbere; i. e. cum contradictoria simul vera asseverent, neutri credere. Sed ubi signa, (vid. *Svetonius Galba c. 7.*) rationesque & incorrupta instrumenta in cognitionem veritatis haut perducunt, secundum effata testium sententia erit ferenda. Nam uti *Isaïus* loquitur *orat. 7.* *ἰσχυρία κριτῶν ἢ μαρτυριῶν ἔστιν. argumenta testimoniis sunt meliora.* Et *Idem orat. 3.* in primis in materia hæreditatum instrumenta testibus potiora ostendit. *Philo Judæus de decalogo: Quoties desunt argumenta aut probationes, quæ ex scripto fiunt, ad testes recidit controversia.* Add. *lex Wisigothor. l. 2. tit. 4. c. 3.* Testes porro erga alterutram partem non oportet ita esse affectos, ut probabile videri queat, gratiam ipsos aut odium, vindictæque libidinem, ante conscientiam habere. *Ovid. Trist. l. 3. el. 10.* *Cum sint premia falsi Nulla: ratam debet testis habere fidem.*
Add.

Add. *Lex Vvisigothorum l. 2. tit. 4. c. 12.* Huc facit, quod *Thuanus l. LL.* refert, olim in Britannia consuetudine receptum, ut Angli in Scotum, & Scoti in Anglum testimonium non valeret propter odium inter istas nationes. Id quod tamen *Cambdenus* ad annum 1555. tantum inter Anglos & Scotos limitaneos obtinuisse dicit, ut nullus nisi Scotus in Scotum, & Anglus in Anglum testis admittatur, adeo ut si singuli Angli, qui adfuissent, homicidiū factum suis oculis vidissent, eorum testimonium incassum caderet, nisi aliquis Scotus idem testaretur. Igitur uti adversarius meos necessarios, sic & ego profectos meos inimicos recte possum rejicere. Quanquam interdum per humanitatem à testimonio in causa necessarii sui excluduntur propinqui, ne vel affectus suos, vel conscientiam lædere cogantur. Hinc & apud Romanos testimonii adversus patronum clienti, vel patrono adversus clientem dicendi nulla legis, nulla magistratus coactio erat. *Plutarchus Romulo. Lex Vvisigothorum L. V. tit. 7. c. 11.* Quod autem apud eosdem non liceret de servis in dominum quæstiones habere, præter hanc rationem alia erat, quam adfert *Cicero pro rege Dejotaro: Vbi id quod intus est, atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare; fit in dominatu servitus, in servitute dominatus.* *Lucianus in Asino.* Δύλοι γὰρ τὰ δουροτῶν ἰνὴς ἀσλῆς καὶ καλὰ καὶ αἰσχροί. *Servi enim dominorum & honesta & turpia norunt.* Similis est locus apud *Lysiam orat. de sacro olivæ trunco.* Et inde servus iste applautum *Bacchid. act. 4. sc. 6.* Scio me esse servum, nescio etiam id quod scio. Non insuper quoque habendus apud *Isocratem trapeziticō* locus de fide quæstionum; & apud *Aristotelem Rhetor. ad Alex. c. 17.* Spectat quoque huc historia an fabula de *Avicenna ap. Gabriel. Sionitam de urbib. & moribus Oriental. c. 3.* Add. *Lex Vvisigoth. l. V. tit. 4. c. 14.* cui conferatur *Ibid. l. 3. tit. 4. c. 10. & l. 6. t. 4. c. 3.* *Capitulare Caroli l. 7. c. 280. Edictum Regis Theodorici c. 48. 49.* Abusum tamen ejus legis, quo aliqui alienos servos, scelerum suorum conscios emere solebant, ne contra se torqueri possent, prohibuit *Edictum Regis Theodorici c. 101.* Sic & recte *Aristoteles Polit. l. 2. c. 6. ἰνὴδν, stultam* vocat legem de cædibus apud *Cymæos, ἐν πλῆθὲς τι παρὰ χηλαὶ μαρτύρων ὁ δίκων τὸν φόνον τῶν ἀρετῶν συνηθῶν, ἵναχον εἶναι τῷ φόνο τῶν φευγόντων.* Si accusator testium multitudinem aliquam adducat de suis cognatis, accusatum cadis esse reum. Denique & id, quod constitutum est *Numer. 35. v. 30. Deuteron. 17. v. 6. c. 19. v. 15.* rationi optime congruit, ne unius testimonium

M m m m

nium

nium ad causæ cujuslibet decisionem valeat ; non solum, quia unus facilius decipi, corrumpi, aut mentiri potest, quam plures, & quia, uti *Plinius N. H. l. 8. c. 22.* loquitur, *nullum tam impudens mendacium est, ut sese careat*: sed etiam, quia à cordato iudice mendacia testium deprehendi possunt, si diversi interrogentur. vid. *historia Susanna v. 51. l. 20. D. de questionibus*; cum contra unus facile sibi constare possit. Ac licet hoc modo aliqua maleficia in foro humano maneant impunita, ac nonnulli iusta sua causa cadant, quia unico tantum teste res gesta fuit: hocce tamen incommodum minus est, quam quod, diverso more recepto, omnium saluti & fortunis ab unius hominis impudentia, & prava ad quævis fingenda solertia impendebat. Cum præstet paucos nocentes pœnas non dare, quam multos innocentes damnari. *Valer. Max. l. 4. c. 1. §. 10. 11.* Notat tamen *Seldenus de I. N. & G. l. 7. c. 6* contra Noachidam apud Iudæos suffecisse testimonium unius. Sic observat & *Grotius ad d. c. 19. v. 16. Deuter.* unum testem suffecisse non ad damnandum, sed ad inquirendum: & in pecuniariis ad deferendum reo Iuramentum purgatorium. Apud Mauros hodie sufficit testimonium duorum honestorum virorum; sed ubi testes suspecti fuerint, duodecim requiruntur; quod in duodecim qualibuscunque utique tantum inesse credant fidei, quam in duobus. Quæ præterea in testibus consideranda sint, traduntur in *l. 2. l. 3. princ. §. 1. 2. 3. 4. l. 4. 5. 9. 14. 21. 23. 24. D. de testibus.* Ex moribus Hebræorum testes oportebat esse bonæ famæ. Nec jus testimonii ferendi, habebant amentes, pueri ante 13. annum, fures etiam post restitutionem, qui de alea victitant, publicani qui plus æquo exigunt, caprarii, & si qui alii ea factitant, quæ verberibus digna sunt. Apud Turcas, qui Meccam peregrinati sunt, in testimoniis loco trium testium haberi solent, *Christ. Richeribus de moribus Turcarum.* Quibus addatur *Plantus Trucul. Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem. Lucianus de domo.* ὁ γὰρ τυγχάνει ἐν τῇ ἀπιστίῳ ὅρα ὀφθαλμῶν. *Aures minus fide existunt, quam oculi.* *Philo Iudæus de confusione linguarum: In optime constituta rep. lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus. Idem de iudice. Oculi rebus ipsis interveniunt, & contrectant quodammodo negotia, totaque percipiunt adjuvante luce, per quam illustrantur, deprehendunturque omnia. Aures autem minus fidei habent quam oculi, ut quibus non cum rebus ipsis sit commercium, sed cum sermonibus*

nibus rerum interpretibus non semper veritatem sectantibus. Inde nihil momenti habent asseverationes eorum, qui alterius fidem sequuntur. Ad dendum denique & hoc; etsi maximam pro veritate præsumptionem pariat juramentum testium; tamen jure naturali nihil obstat, quo minus etiam juratus testis mendacii possit argui. Quo convicto ruit sententia super falso istius testimonio fundata. Id quod & legibus Atticis receptum, ut post judicia daretur actio falsi testimonii; quod ex *Demosthenorat. in Evergum* ab init. & passim patet. Add. quoq; *Plato de LL. l. XI. circa finem.* Etsi hoc absurdum videatur, permittere, ut is, contra quem juratum fuit, contrario suo juramento istius testimonium possit facere irritum; cum non solum ad perjuriam hoc modo latissima aperiatur fenestra, sed & propter contradictionem juramentorum controversia æque ut antea maneat in obscuro. vid. *Ebra. VI. 16.* Inde pro solita sua stultitia *Alcoranus cap. de Lumine* improbe disponit: qui uxorem suam insimulat adulterii, nec testes suppetant, quater juret, quod veritatem dicat, & quinta vice maledictionem Dei in se imprecetur, si mentiatur. Contra foemina exempta erit, si & illa quater juret, quod maritus ipsius mentiatur, & quinta vice indignationem Dei in se imprecetur, si verum sit, quod maritus dicit.

§. 10. Circa executionem rei judicatæ non est quod multa addamus, cum in statu naturali, ubi ab altero non expletur ultro, quod debetur, sibi quisque suis, sociorumque viribus & armis executionem faciat; quæ quousque progredi possit, inferius, ubi de bello agemus, latius ostendetur. Illud dumtaxat heic monendum, in ejusmodi executione me non solum fieri dominum rei mihi adjudicatæ, postquam ejusdem possessionem quocunque modo adprehendi: sed etiam, si ista potiri nequeam, me aliam rem posse, quæ tantundem valet arripere, (computatis simul impensis in ipsam executionem factis,) cum hoc effectu, ut ejus rei fiam dominus. Nam, uti *Grotius l. 2. c. 7. §. 2. justitia expletur, quoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, quod moralis aestimatio est idem.* Quanquam & hoc dici possit, naturaliter res quasvis debitoris, qui vel ex contractu suo, vel ex ipsa re, vel etiam ex injuria sua tenetur, pro debitoracita quadam hypotheca affectas intelligi, ut deficiente expletione directi debiti in hujus locum arripi possint. Neque ei, cui quid debetur, sufficit nuda rei detentio; cum tæpe

hæc oneri magis quam commodo fit, ni plene de re possim disponere: neque jus meum expleatur, si loco rei, cujus dominium mihi erat tradendum, nudam rei alienæ custodiam accipiam: Est tamen significandum, qua intentione quis ejusmodi res adprehendat, utrum, ut earum detentione debitum eo citius extorqueat, an vero quod eos velut insolutum velit accipere. Imo æquum videtur quandoque, ut quis post rem in potestatem redactam debitori copiam faciat, an velit, re directe debita soluta, isthanc recipere. Cæterum hic executionis modus naturali libertati proprius est, & ab indole civilis status abhorret. Vid. §. D. de acquir. possess. l. 2. §. 18. D. vi bonor. raptor. l. 13. D. quod metus causa. l. 7. §. D. ad L. Juliam de vi privata.



SAMUELIS PUFFENDORFI
DE JURE NATURÆ & GENTIUM
LIBER SEXTUS.

CAPUT I.
DE MATRIMONIO.

- | | |
|---|--|
| <p>1. <i>Transitus.</i></p> <p>2. <i>Matrimonium generis humani seminarium.</i></p> <p>3. <i>An sit aliqua obligatio ad inveniendum matrimonium?</i></p> <p>4. <i>Vagabundo juri naturali repugnat.</i></p> <p>5. <i>Genus humanum non debet propagari citra leges connubii.</i></p> <p>6. <i>Obligatio ad inveniendum matrimonium qualis possit esse ex legibus civilibus.</i></p> <p>7. <i>Qualis illa sit ex lege naturali.</i></p> <p>8. <i>Quousque circa matrimonium lex civilis disponere possit.</i></p> <p>9. <i>Matrimonia irregularia Amazonica.</i></p> | <p>10. <i>Regularis matrimonii leges, & jura.</i></p> <p>11. <i>Vnde marito imperium in uxorem oriatur.</i></p> <p>12. <i>An illud immediate à Deo consecratur.</i></p> <p>13. <i>An necessario involvat jus vitæ & necis.</i></p> <p>14. <i>An consensus non concubitus faciat nuptias.</i></p> <p>15. <i>Unam pluribus simul habere, aut misceri nefas.</i></p> <p>16. <i>Polygamia multis populis in usu.</i></p> <p>17. 18. <i>An illa repugnet juri naturali.</i></p> |
|---|--|

- | | |
|--|---|
| 19. Perfectissima species conjugii, unam
uni jungi. | 27. Vni nupta alteri non recte nubis. |
| 20. Matrimonium temere dissolvere
nefas. | 28. Matrimonia inter consanguineos
quare vetita. |
| 21. Adulterium & malitiosa desertio
solvunt matrimonium. | 29. Pudor circa partes genitales un-
de? |
| 22. An intolerabiles mores sint causa
divortii. | 30. De nuditate. |
| 23. De sensu legis divinae circa di-
vortia nonnullorum senten-
tia; | 31. Origo pudoris naturalis. |
| 24. Inprimis Miltoni recensentur. | 32. Connubia inter parentes & liberos
nefaria. |
| 25. Ad matrimonium ineundum re-
quiritur habitus physica. | 33. Ebraorum super hac re senten-
tia. |
| 26. De errore circa matrimoni-
um. | 34. De connubiis fratrum & soro-
rum. |
| | 35. De reliquis gradibus prohibi-
tis. |
| | 36. De nuptiis minus solemnibus. |

Sequitur, ut investigemus tum originem & naturam imperii hu-
mani, tum quæ præcepta juris naturalis & gentium illud præ-
supponunt. Sed cum imperium non nisi inter plures possit intel-
ligi, & vero sacrarum literarum autoritate constet, abs DEO unum
duntaxat par hominum ab initio fuisse productum, ad quod quidquid
est mortalium suas refert origines; igitur prius quam de imperio civili
agamus, dispiciendum fuerit de matrimonio, ex quo familiæ pro-
veniunt, & unde imperiis & civitatibus constituendis velut materies
oritur. Nam quemadmodum corpus humanum ex diversis membris
componitur, quæ & ipsa in se considerata corporum instar præ se fe-
runt: ita & civitates ex minoribus societatibus constant; quarum
quædam vocantur simplices & primæ, cæteræ paulo magis compositæ,
& fere collegiorum nomine veniunt. Illarum tres sunt, *societas ma-
ritalis, paterna, & herilis*. Quæ ideo sic dicuntur, quia ex aliis minori-
bus societatibus non componuntur; non quia eas plures duabus perso-
nis non ingrediuntur, uti *Ioh. Frid. Hornius de civitate* l. I. c. I. §. 2. docet.
Nam quid prohibet, quo minus unus pater plures liberos, & unus domi-

nus plures servos habeat ; qui tamen inter se non minus simplicem societatem constituunt, quam si unus duntaxat filius uni patri, aut unus servus uni domino foret. Cæterum à matrimonio recte auspiciam sumi hujus tractationis docet etiam *Plato de LL. l. 4. ATHEN. Dic age per Deos quam legis conditor primam legem conscribet? An non secundum naturam primum generationis in civitate principium ante omnia legibus exornabit?* CLIN. *Plane. A. Principium autem generationis omnibus civitatibus nuptiarum conventus atque communio. C. Vtique. A. Quare si nuptiales primum leges ponantur, bene ad omnem civitatem recte constituendam posita videbuntur.*

§. 2. Postquam igitur morti obnoxium fuerat redditum genus humanum, ne aut nova semper stirps creando esset sufficiens, autram nobilis speciei duratio unius ætatis spatio extingueretur, sapientissimus Creator prospexerat discrimine sexus, & naturali facultate indita commixtis corporibus sese propagandi. Idque ne fortasse per incuriam, aut ob molestias partus aut educationis mortales omitterent, mutuum sexuum in se invicem propensionem, & arces stimulos, simul ardentissimum in prolem affectum insevit, ut libenter & jucunde obirent, citra quod mortalium genus perdurare non poterat; sic ut in *delectationibus animalium major sit voluptas generandi quam pascendi*: quod observatum *Baconi de Verulamio de Augm. Scient. l. 7. c. 2. Seneca Hippolyto v. 466. Providit ille maximus mundi parens, Cum tam rapaces cereret futuri manus, Vt damna semper sobole repararet nova, Cælibem vitam probet Sterilis juvenis, hos eris, quidquid vides, Vnius avi turba.*

§. 3. Circa matrimonium primo inquirendum, an ad illud ineundum, sobolemque generandam homines, cætera habiles, ulla obligatione teneantur? Nam non minus circa hoc, quam alia, ad quæ naturali adpetitu homo fertur, ut est conservatio sui ipsius, amor & educatio sobolis, quidam dubium movent, quasi isthæc lege naturali non sanciantur. Eo quippe opus non fuisse, cum jam antea instinctus, & adpetitus sensitivus in talia sat valide propellat. Enim vero usque adeo non sequitur, jus naturæ ista non præcipere, quia in eadem instinctus naturalis fertur; ut potius exinde adpareat, naturam ista quam accuratissime voluisse observari, utpote incolumitatem generis humani immediate conservantia: dum velut diffusa foli rationis dictamini eidem succenturiari

riari iussit instinctum ita vehementem, ut difficulter admodum homo in contrarium niti queat. Add. *Oppianus Cynaget. l. 3. v. 107. seqq. & Halicut. l. 1. v. 702. seqq.* Quotusquisque enim liberis operam daret, qui sæpe materiam dolendi, semper curarum & laborum præbent; ni super rationem etiam naturalis inclinatio eodem traheret? (vid. *Euripides Medea v. 1090. seqq. Et Hippol. Coron. v. 616. seqq.*) Intercedente cum primis actu non adeo gravi, & consortio mulierum, quod sapientis vile juxta ac tædiosum citra istas illecebras foret. Add. *Valer. Max. l. 7. c. 2. §. 1. ext. Mich. Montaigne essai l. 3. c. 5. p. m. 137. Cartesius de passion. art. XC.* Equidem novimus multum differre, instinctum naturalem, & dictamen rationis; in compluribus quoque ea in diversum tendere; & istum huic reluctanter esse compescendum; quod ipsum posse animi sit non degeneris. Enimvero quanquam solus instinctus per se non obligat; contingit tamen, ut ad aliquid obligemur, ad quod per instinctum quoque inclinabamur. Neque vero ideo mater à peccato in legem naturæ immunis est, quæ prolem occidit, infamiae vitandæ causa, licet instinctum erga prolem alio instinctu, nempe metu & fuga infamiae superet; uti arbitratur *Grasvvinckel ad Grot. l. 1. c. 1. §. II.* Nam non solo matris instinctu, sed & lege munita erat infantis vita. Et nosse debebat mater, minoris esse infamiam suam, quam mortem ejus, qui ex actu existit, in quem ipsa antea consenserat. Unde si famæ cura pluris ipsi erat, quam voluptas coitus, aut amor sobolis, ante admissum virum expendisse id debebat. Post haut quidquam proles mori meretur, ne parentem peccasse innotescat. Denique contracto matrimonio, cum fecunditatem præstare conjuges non possint, (vid. *Genes. XXX. 1. 2.*) æque legi naturæ satisfecit, qui paucorum, quam qui multorum parens liberorum factus est. Nec habet, quod peccatum metuat, cui sterilis uxor obtigit. *Seneca l. 2. controu. 13. Non respondet ad propositum, nec ad certum diem fecunditas; sui juris rerum natura est, nec ad leges humanas componitur: modo properat, modo vota præcurrit, modo lenta est, & demoratur. Non ex formula natura respondet, neque ad præscriptum casus obsequitur. Licet lex dies finiat, natura non recipit.*

§. 4. Sed ut distincte procedamus, illud primo satis constare arbitramur, juri naturali non congruere illas libidines quæ nullum alium finem præter obscenam titillationem habent. Quo acriores enim sunt
sti-

stimuli, queis in Venerem homines sollicitantur; eo magis legi naturali curæ est, ut ne per istos decorus ordo, pacificæ societati necessarius, turbetur, quin potius iidem ad combinandos hominum animos interviant. Inde damnatur flagitiosa illa fœditas, qua quidam in brutorum corpora, aut parem in sexum feruntur. Quod vitium tantopere quondam apud Græcos inoleverat, ut *Platon* l. 8. de *LL.* arduum videatur, in perfecta sua civitate Græcanica legibus id compescere. *Phocylides*: *Nec cum brutis animantibus sanctorum cubile intres, Neque infamia affice uxorem per turpes lectos. Nec transcendas natura concubitus Venere illicita. Ne ipsis quidem brutis mas consensit in concubitu. Neque etiam fœmina lectum virorum imitentur.* *Plinius* l. X. c. 63. *In hominum genere maribus diverticula Veneris excogitata, omnia scelere natura, fœminis vero abortus. Quantum in hac parte multo nocentiores quam fera sumus.* Add. *Aeschines* orat. in *Timarchum*. Scilicet uti *Critias* dicebat: *καλλιστὸν εἶδος ἐν τοῖς ἀππίοι τοῦ θῆλυ, ἐν δ' αὖ τοῖς θήλειοι τὸναντίον.* *Pulcherrima species inter mares quidem fœmina, inter fœminas autem è diverso.* *Dio Chrysostomus* orat. de *pulchritudine*. Ubi obiter monendum, quod cum legibus Turcarum mæscula venus detestabilis habeatur, illi bello captis pueris fæde soleant uti, jactantes; quod de rebus bello partis quisque pro lubitu disponere queat. Uti observat *Scipio Ammiratus* disc. l. V. c. 5. Contra apud Peruvianos tam detestabile id vitium habebatur, ut qui per rixam alterum eo vocabulo adpellaverat, per aliquot dies velut infamis esset, ob tam fœdæ rei nomen ore usurpatum. *Garcilass. dela Vega* *Comment. Reg.* l. 3. c. 13. Sed & regularem sexum commixtionem cum non voluptatis causa, sed ad propagandam sobolem natura fuerit commenta; utique intentioni hujus repugnant, qui nihil heic spectant aliud, quam ut pruritus istum demulceant. *Martialis* l. epigr. 91. *Commenta es dignum Thebano anigmate monstrum; Huic ubi vir non est, ut sit adulterium.* Equidem quibusdam persuasum est, complures gentes hanc partem naturalis libertatis censuisse, ut innupti innuptæque corporis sui copiam invicem commodandi haberent licentiam, etiam deliciarum duntaxat, & voluptatis causa, gratis, aut pacta mercede. Sic *Seldenus* l. V. c. 4. ex *Ebræorum* doctoribus ostendit, ante legem Mosaicam licuisse fœminæ innuptæ, ac nondum desponsatæ sui copiam corporis gratis aut pro mercede facere sine consensu in vitæ communionem. Sed ex lege Mosaica

ejus-

ejusmodi in nuptiarum concubitus primo Ebraeis interdictos fuisse, adeo
 ut dein nec mercedis, nec libidinis causa extra matrimonium circumci-
 sis inter se concubitus aliquis licitus haberetur. Et si circumcisi cum pa-
 gana in nupta concubitus in certis casibus illi non judicantur illicitum.
 Quo sine allegant *Deuter. XXIII. 18. Levit. XIX. 29. Genes. XXXVIII.*
14. Add. Grotius ad Genes. XX. 9. Rationem autem proscripitarum è
 sancto populo meretricum hanc adfert *Maimonides*, citante *Seldeno*;
 tum ut evitarentur contentionum, & simultatum mala, quæ ex ejusmo-
 di libidine, matrimonio non cohibita, oriri solent; tum ut bono illo frua-
 mur distinctionis ac certæ notitiæ familiarum. Ad paganorum testi-
 monia provocare nihil attinet. Vid. *Epicteti enchirid. c. 47. Plautus*
Curculione act. 1. sc. 1. PH. Quin leno hic habitat. PAL. nemo hic prohibet
nec vetat, Quin quod palam est venale, si argentum est, emas. Nemo ire quen-
quam publica prohibet via; Dum ne per fundum septum facias semitam, Dum te
abstineas nupta, vidua, virgine, juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.
 Ad impudentiam sibi nihil reliquit adolescens ille apud *Quintilianum*
declam. 14. qui non veretur accusare meretricem, quod sibi poculum o-
 dii dederit, ex quo desierit amare. Inter alia dicit, *Habui: amen, unde*
ad vita necessitates, concessa gaudia parca mediocritate sufficerent. Ideoque
meretrice tantum, & qua certissima est in voluptate frugalitas, una frui semper
eademque contentus. Enimvero satis patet, si in universum id recipere-
 tur ut omnes sibi membra generationi destinata soli libidini exercendæ
 data crederent, eique usui unice adplicarent, decoram inter homines,
 & tranquillam societatem subsistere non posse. Id quod sufficit ad pro-
 bandum, juri naturali eas libidines damnari. Nam, uti loquitur *Rich.*
Cumberland de leg. nat. c. 5. §. 46. nihil secundum rectam rationem sta-
tui potest, in quod omnes non possint consentire. Quanquam neque juris na-
 turalis dictamen, circa hanc rem, adeo exolevit etiam apud illos, ubi
 velut publica securitas isti vitio erat indulta, ut vagam libidinem
 probarent, ac ab omni turpitudinis nota absolverent. *Turpiter face-*
re meretricem, quod sit meretrix, Vlpiani pronunciatum est; & gra-
 vissimæ instar pœnæ habebatur, apud *Ædiles* licentiam stupri vulgan-
 do existimationis jacturam facere. *Tacitus A. II. Vistilia prætoria fami-*
lia genita licentiam stupri apud adiles vulgaverat; more inter veteres rece-
pto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant.

Utcunque tamen tolerata ista per conniventiam apud gentes in Venetiam proniores, ut matronarum atque virginum honestarum pudicitia paucioribus insidiis foret obnoxia. Et uti uxoris tantum suæ notitiam habuisse singularis sanctimonia apud honestos iudicatum fuit; ita alicubi solutas & vilioris fortis foeminas inerrasse, juvenilis quædam labe habita, lubrico ætatis apud mitiores non tam defensa, quam utcunque elevata. Vid. *Cicero pro Calio. Epicteti enclurid. c. 47.* Add. prolixus locus *Musonii* apud *Stobæum serm. VI.* Et in primis *Grotius ad Matth. c. V. 27.* Id quoque obiter notandum, apud Muhammedanos scortationem cum ancillis inter licita haberi. Indi tamen gentiles heic sanctiores, quibus & scortatio simplex grande peccatum ducitur, teste *Petro de Valle Itiner. part. 3.* Memorabile quoque est, quod *Plutarchus de virtutibus mulierum* tradit, apud Chios septingentorum annorum spatio neque adulterii ullius, neque virginitati extra matrimonium oblatis vitii mentionem ullam fuisse. Et tamen foeminis formosissimis ea insula celebris est.

§. 5. Id præterea conditionem humanæ naturæ penitus rimanti non obscure patet, haut quidquam congruere, genus humanum per concubitus vagos, ac lege solutos propagari, utut fortasse uterque concumbentium, aut alteruter intentionem habeat eo actu prolem excitandi. Qualem vitam antiqui Attici agitalle dicuntur ante Cecropem, pecorum ritu sine lege cohabitantes. Ex quo concubitu si qua prolem susceperat, eam offerebat, cui placeret ex illis, qui cum ipsa consueverant. Quam barbariem cum Cecrops abrogasset, introductis legibus matrimonialibus, dictus inde est biformis; quod cum antea nemo nisi matrem suam nosset, jam & patrem posset allegare: an quod vinculo matrimonii duos velut in unum corpus coalescere fecisset. *Athenæus l. 13. c. 1. Primus Cecrops Athenis unam uni conjunxit in matrimonium, cum turpes prius fierent congressus, minusque honeste communes nuptiæ. Quamobrem visus est nonnullis ancipitis naturæ, (διφύης) fuisse creditus, cum priores ob multitudinem patrem dignoscere non possent.* Sed quis non videt, quam parum ab armentis abfuturus erat homo, connubii legibus remotis? cujus tamen aliqua simulacra in non paucis brutis cernere licet. *Quintil. Inst. Or. l. 9. c. 2. Apud Virgilium IV. AEn. non licuit thalami expertem sine crimine vitam degere, more fera? quanquam de matrimo-*

mio queritur *Dido*, tamen huc erupit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. Quid enim rixarum fuisset oriturum inter mares circa formosas foeminarum? Qui eo frequentius quam tauri inter se forent committendi, quod his nulli in Venerem stimuli, nisi ubi vacca impleri desiderat; quæ semel per annos singulos marem admittit: cum homo sit animal semper in Venerem paratum. Quam porro ad propagandam speciem inepta ista plurium seminum confusio? Nam si qua uni sese soli fervaret, connubii instar foret. Magna insuper prægnantis foeminae imbecillitas, & alieni auxilii indigentia. Sed quis marium opem ferat, nisi ex se prægnantem norit; quod sine connubio sciri vix potest. Prolis humanæ educatio laboriosa simul & sumptuosa, cuique foemina unica vix sufficiat. Quis autem marium, nisi suæ prolis curam suscipiat; quam dignoscere in vaga illa licentia haut inproclivi est. Nam quod *Aristoteles Polit.* 1. 2 c. 2. refert, quibusdam Lybiæ populis, (qui fortasse iidem sunt, quos *Nicolaus Damascenus de moribus gent.* Limyrnios vocat,) uxores fuisse communes: τὰ μύητοι γυναικῶν τίνυα διαίρειναι, ἢ τὰς ὁμοιοῦντας; sed sobolem discerni ex similitudine formæ, fallax indicium est: Quanquam & *Theocritus Idy.* 17. adulteræ uxoris argumentum ponat τίνυα ἄπορ' ἰουδῆα πατρῆ. *Liberos patri dissimiles.* Contra *Horatius: Laudentur simili prole puerpera.* Deniq; cum sine legibus connubialibus familiæ, sine familiis civitates intelligi nequeant, iisque adeo omnis decorus ordo in vita humana constituendus innitatur; apertum est, citra connubia homines acturos fuisse vitam segregem, & paulo minus quam belluniam. Recte *Horatius carm.* 1. 3. *od.* 5. *Fœcunda culpe seculanuptias primum inquinavere, & genus, & domos. Hoc fonte derivata clades In patriam populumque fluxit.* Accedit, quod sine matrimoniis nullæ cognationes sat distinctæ, nulla quoque patrimonia possunt existere; quibus sublatis magna pars commodorum, queis vita humana sustentatur, aut exornatur, perit. Huc facit, quod *Iustinus* 1. 3. c. 4. memorat de Partheniis, qui metu inopiæ, quippe quorum nulli pater existeret, cujus in patrimonium successio speraretur, patria facessunt. Et si ea in narratione paulum variet *Servius ad 3. Aeneid.* v. 551. & *Lactantius de falsa religione*, c. 20. Huc accommodari quoque possunt pleraque, quæ contra communionem uxorum Platonicam passim disputantur. Addantur. *Stobæus serm.* LXV. Apud *Procopium hist. Pers.* 1. 1. c. 5. &

Agathiam l. 4. cum Cabades Persarum Rex lege scripta foeminarum usum jussisset promiscuum esse, & quemlibet etiam alteri nuptæ concumbere permisisset, à subditis rebellantibus regno dejectus est.

6. §. Cum igitur manifestum sit, propagationem humanæ speciei utique legibus connubiorum circumscribendam, siquidem decora, & rite composita inter homines societas debet existere; jam ulterius videndum, an & qualis sit obligatio ad matrimonium ineundum in ordine ad singulos homines, qui per ætatem, atque habitudinem corporis idonei sunt? Quid legibus multorum populorum heic constitutum sit, passim occurrit. Antiqui Ebræi, docente *Selden* l. V. c. 3. tradebant, præcepto illo divino, *crecite & multiplicamini*, omnes masculos teneri, ut ante expletum annum vigesimum uxorem ducant; nisi aut assiduo legis studio quis incumbat, acriori libidinis stimulo immunis, aut partium, quibus viri sumus, defectu generationi sit impar. Et hoc præceptum omnes Noachidas stringere. Addebant, qui uxori superstes prolem utriusque sexus, ejusque integri (nam spado aut filia plane sterilis prolis heic vicem non obtinebat,) non haberet, præcepto isti ne utriquam satisfecisse. Eum autem, cujus filius & filia mortui relinquerent liberos utriusque sexus, præcepto liberum fuisse, filiorum filiarumque locum nepotibus & neptibus suppleantibus. Aliter semper, ætate non effæta, teneri, ubi in prole sexus decesset alteruter. Nec sufficere, ut sterilem quis vetulam, aut quæ nondum viripotens est duceret, nisi & superinduceret foecundam. Addit *Leo Mutinensis de ritib. Hebraicis* part. IV. c. 2. etsi jam memorato præcepto divino satisfactum sit, si quis prolem masculam & fæmellam habeat; non minus tamen ætate & viribusabilem teneri ad habendam uxorem, evitando fornicationis periculo. (Nonnulla in similem sententiam tradit *Plato de LL.* l. XI. ubi etiam additur: *παιδῶν ἰκανότης ἀκροβύτις, ἀρῆται καὶ θήλειαι.* *Liberorum sufficiens minimum numerus, mas & fæmina.*) Cæterum an ad foeminas quoque id præceptum extenderetur, inter ipsos non satis conveniebat. Maxime probabile est dixisse, foeminas ad certum temporis terminum non obligari; cum in earum facultate non sit, quando velint nubere: conditione tamen commoda sese offerente, utique & ipsas teneri propagationi humanæ speciei operam dare. Occurrit denique apud eosdem hæc sententia: *quicumque negligit præceptum de multiplicatione*

ratione generis humani, habendum esse veluti homicidam. Et tamen apud
 Judæos Essenorum secta effloruit, quæ omnem fœminarum usum
 egeraverat, de qua vid. *Plinius l. V. c. 17. & Solinus c. 38.* Apud alias
 quoque gentes leges atque sententiæ in eundem fere sensum occur-
 runt. *Varro in lege Mœnia apud Nonium in eunuchare: si quis patriam,*
majorem parentem extinguit, in eo culpa est; quod facit pro sua parte is, qui
se eunuchat, aut aliqua liberos producit, id est, procreare differt. *Dieta*
Musonii, Heroclis, & Antipatri videantur apud *Stobæum serm. 65. Add.*
Arrianus in Epicæto l. 3. c. 7. circa medium. Pollux l. 3. cap. πειρ ἀγδμων,
τὰς δίκας τῆ ἀγαπῆ καὶ ὀφθαλμῶν, actiones calibatus & seri connubii Athe-
nis & Lacedæmone memorat. Plutarchus Lycurgo talem hujus legem
 recitat; ut cœlibes nudarum certantium spectaculo arcerentur; ut-
 que circa brumam edicto magistratum forum vestibibus spoliati obi-
 rent, cantilenam in se compositam concinentes, merito ita se puniri,
 quod non parerent legibus: præterea honoris ac observantiæ, quam
 præstabant senibus juvenes, expertes forent. Inde *Idem apophth. La-*
conicis narrat, *Dercyllidæ, præclaro alioquin imperatori, quen-*
dam juniorum sede non decessisse; neque enim, inquit, tu genuisti, qui
mihî olim cessurus sit, Phocylides. *Μὴ μείνης ἀγαμῶ, μήπις νότῆμ ὄληα*
δὲς τι φέσσει ἀπὸς, τίτι δ' ἔμπαισι ὡς ἰλοχούθης. *Ne maneat cœlebs, ne*
forte obscurus pereas: Da aliquid naturæ, & gigne vicissim, sicut genitus es.
Plato de LL. l. 4. Uxorem ducere debet quisque cum annos habet triginta,
cogitans, quod natura quadam humanum genus immortalitatem consequi-
tur; cujus rei quisque natura summo opere cupidus est. Nemo enim est, qui
non desideret perpetuum apud posteros nomen habere. Genus itaque homi-
num immortale hoc modo in sempiternum perdurat, quod filiorum filios relin-
quendo unum & idem semper per generationem immortalitatem adipiscit-
tur. Nefas autem est immortalitate se ipsum sponte privare. Hac vero ex
animo ille se privat, qui filios & uxorem negligit. *Add. Idem l. XI. de*
EL. Cicero quoque de Finib. l. 3. ad hoc ut homo e natura vivat, con-
sentaneum esse dicit, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos pro-
creare. De Benjanis refert Philipp. Baldani de Idololat. Indor. Gentil.
part. 2. c. 3. turpe apud ipsos haberi sterilem & improlem esse: Ta-
les enim, dicunt, digni non sunt, qui mane primi hominem adspiciant.
Sic Romæ Camillus, & Posthumius censores æra pœnæ nomine eos,
 Nnnnn 3; qui

qui ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt. *Valer. Max.* l. 2. c. 9. quod multæ genus vocabatur *uxorium* vid. *Festus in uxorium*, & ibi *Ioseph. Scaliger*. Istius facti meminit etiam *Plutarchus Camillo*. Elegans est locus ex oratione Metelli apud *Gellium* l. 1. c. 6. *Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit; saluti perpetua potius, quam brevi voluptati consulendum.* Huc quoque facit, quod *Posidonius Myfos*, sine mulieribus vitam ductitantes, *Abios* vocaverit; *vitam calibem ac sine conjugibus dimidiatam esse putans.* *Srabo* l. VII. De lege *Papia Poppæa* vid. *Lipsius ad 3. Ann. Taciti.* & *Iacob. Godofredus*. Quam legem Christiani Imperatores abrogarunt, uti probabile videtur sacerdotum suafu. vid. *tit. C. de infirmandis panis cælibatus.* & *Sozomenus trist. Eccles.* l. 1. c. 9. Memorabilis quoque est oratio *Augusti* apud *Dionem Cassium* l. 56. *Ælianus* V. H. l. VI. c. 6. recitat legem *Spartanorum*, ut qui tres filios reip. suppeditaret, is ab excubiis liber esset; qui vero quinque, ab omnibus publicis officiis & sumptibus immunitatem haberet. Add. quoque prolixus locus *Hieroclis* apud *Stobaum serm. 73.* Ex iisdem porro consequitur, nefas esse masculos saltem invitos evirare, eoque commendanda lex *Domitiani* de non castrandis maribus. vid. *Suetonius Domit.* c. 7. *Statius* IV. *sylvarum.* *Qui fortem vetat interire sexum.* Add. *Martialis* l. 6. *epig. 2.* Post quod editum solitam prius peti veniam à principe, vel præfide provinciæ, si quis vel se vel alium vellet evirare, docet *Casaubonus* add. l. *Suetonis ex Iustini Martyris apolog. 2.* Add. *Deuteron. XXIII. 1.* *Ioseph. archæol.* IV. 8. & l. 27. §. 29. *D. ad L. Aquil. Novell. 142.* & ibi *Dion. Godofr.* l. 4. §. 2. l. 5. *D. ad L. Cornel. de sicariis.* *Eusebius de præpar. Evangel.* l. 6. c. 8. *In Syria & Osroëne sunt etiam Galli, & in Phrygia matri demum multi abscindebantur. Deinde Rex Abgarus omnium quoque manus, qui id agebant, abscindi iussit, nec quisquam postea in Osroëne virilia sibi amputavit.* *Quintilian.* l. 5. c. 12. *Mihi naturam intuenti nemo non vir spadone formosior erit: nec tam aversa unquam videbitur ab opere suo providentia, ut debilitas inter optima inventa sit. Nec id ferro speciosum fieri putabo, quod si nasceretur monstrum erat. Libidinem juvet ipsum effemmati sexus mendacium; nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, ut si qua pretiosa fecit, fecerit & bona.* Quomodo *Hermotimus* ultus fuerit *Panioniū*, à quo exfectus fuerat, vid. ap. *Hero-*

Herodotum Vrania. Quare tamen reges Orientis potissimum inter ministeria sua adsciscere spadones amaverint, docet *Xenophon. Cyropad.* l. VII. Quibus accedit & hæc ratio, quod reges eo minore cum invidia in bona ipsorum succedere possint, cum liberis careant. *Heliodorus* quoque *Æthiop.* l. VIII. Περσῶν βασιλείας αὐλαῖς ὀφθαλμοὶ καὶ ἀκοαὶ τὸ ἐνέχων γίνονται, ἢ παιδῶν, ἢ συγγενείας, τὸ πιστὸν τῆς ἰστορίας μεταστώσης, ἀλλὰ μόνον τῷ πιστεύσαντι διαρτῶσης. *Persarum regis aulis oculi sunt & aures eunuchorum genus: qui cum neque liberos neque cognatos habeant, quibus eorum animi devincti esse possunt, pendens ex eo solo, qui se illis credidit.* *Claudianus in Eutropium* l. i. *Eunuchus nulla pietate movetur, Nec generi natisve cavet.* Sed quia eunuchi crudeliores credebantur, apud Iudæos judicare non permittebantur teste *Grosio ad Deuter.* 16. 18. Sicuti & in India commue est dicitur; bruta animalia castrata ferociam exuere, sed homines exsectos plerumque longe deteriores, superbioresque & magis intolerabiles fieri. Obiter quoque notari potest illud apud *Eundem* l. IX. Ἐχεται ἰλιότυπον τὸ ἐνέχων γένος, ὡν γὰρ ἀπιστοῦται. τέτων εἰς κάλυμα τοῖς ἄλλοις προβέβληται. *Habet quiddam zelotypum eunuchorum genus: quibus est enim ipsum privaturn, ad hæc aliis prohibenda objicitur.* Illud quoque à quibusdam observatum, quod virorum numerus major, aut certe par sit foeminarum numero, inde occasionem esse petitam faciendi eunuchos in regionibus illis, ubi foeminas una plures ducere est concessum. Alii tamen jure belli eunuchos primum introductos arbitrantur, dum victor, qui occidere victos poterat, radicem velut propriorum affectuum & necessitudinem captis adimit, ut eo securius rerum suorum custodiam illis credere possit.

§. 7. Merum autem jus naturale spectantibus adparet, cum socialis vitæ fundamentum sit matrimonium, homines quoque omnino ad id ineundum obligari, prout tenentur ad omnia, quæ ad eum finem necessario faciunt; per modum tamen præcepti affirmativi, indefiniti, & indeterminati, & quod non singulos necessario, & quovis tempore obligat. Præcepta quippe affirmativa ad sui impletionem requirunt occasionem. Matrimonii autem contrahendi occasio non ex sola ætate, aut generandi aptitudine intelligitur; sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem, & prolem nascituram; ac ut mas quoque sit idoneus ad gerendum partes patrisfamilias.

Plinius

Plinius l. i. epist. 14. Quum publicos mores, atque etiam leges civitatis intueor, quae vel in primis census hominum spectandos arbitrantur, ne de facultatibus quidem praetereundum arbitror. Et sane de posteris, & his plerumque cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Add. oratio M. Hortali apud Tacitum A. II. Legibus Islandorum extreme pauperibus matrimonium inire interdictum. vid. Arngrimus Iona de Islandia c. 8. Aliquando etiam praesentium temporum, & incumbentis functionis conditio de matrimonio cogitare non patitur. vid. i. Corinth. VII, 26. Igitur non modo non est necessarium, sed stultum insuper, juvenes animum ad uxores adplicare, qui sibi suisque nil nisi strenuam esuritionem possint polliceri, ac civitatem mendicabilis sint impleturi, aut qui ipsi supra pueros parum sapiant. Imo recte faciunt, qui matrimonium differunt, quo commodius per coelibatum animum excolant, ac ad praestanda egregia societatis humanae ministeria sese praeparant; id quod uxoris per mores civitatis, aut genium foeminarum non ita licebat. Praeterea matrimonio sit opus, tum ut per sobolem humanae species conservetur, tum ne vaga libido decus societatis humanae polluat; adparet, si quidem neuter horum finium detrimenti quid passurus sit, non reprehendendum illorum coelibatum, qui probabiliter praevident, sese in coelibate vita, ad quam per continentiam exigendam habiles sese deprehendunt, plus humano generi, aut civitati suae utilitatis posse praestare, quam uxoratos. Adeoque si quis sublimiori agatur genio, ut stimulos illos vel non sentiat, vel facile retundat, ἰσχυρὸς τὸ μὴ ἰσχεῖν, quibus ipsum amat, nihil amare, uti est apud Philostratum in vita Apollonii Tyanici l. VIII, c. 3 quique alio modo, quam per munus proletarii, bene merendo utilem sese civem universi praebere queat, haut quidquam putandus est per naturam obligari, ut omnino praeclearis suis conatibus per mulieres illecebras velut remoram injiciat. Add. Arrianus in Epicteto l. 3, c. 22. p. m. 311, 312. edit. Wolffii. & Cornelius Nepos Epaminonda c. X. Praesertim cum pauci admodum sint, in quos ista animi corporisque temperies cadit, ut desiderium posterorum, ac in sexum foemininum proclivitatem digerere, castitatemque impollutam servare queant. Multo minus autem reprehensio metuenda est illis, qui cum ex priori matrimonio liberos habeant, hisce praegravem novercam aut vitricum superinducere nolunt; ubi & in liberorum fraudem id tendit, & ipsis, matrimonii finem

rependentibus, conjuge deinceps carere in proclivi est. Et si nimis dura videatur lex Charondæ apud *Diodorum Siculum* l. XII, c. 12. qui è consilio civitatis removebat, si quis novercam liberis superinduxisset. *Nunquam enim fore existimabat, ut is bonum patria consilium daret, qui liberis ex se natis perperam consulisset. Nam quibus prima nuptia bene successerunt, iis hac felicitate perfunctis adquiescendum: qui vero infelix matrimonium experti, idem erratum denuo committerent, insipientibus merito accensendos esse.* Enimvero non semper male per secundas nuptias liberis prius genitis consulitur. Et qui felix matrimonium expertus est, parvis felicitatis est cupidus; qui infelix, post procellam placidos ventos sperat. Extat incertipœtæ epigramma *antholog.* l. I. c. 1. *Εἴτις ἀπὸς γήμας, πάλι δεύτερα λήτρα δώκει, ναυηγὸς πλώει δις θυδὸν ἀργαλίον.* Altera post unam conjux cui ducitur, audeat *Naufragus infidum rursus adire salum.* Cui ex adverso opposuit non minus argutum epigramma *Henricus Stephanus*: *Ὅστις ἀπὸς γήμας, πάλι δεύτερα λήτρα δώκει, οὐχ ἔτι μομφῆς ἀξιόδραμις. Ἐἰ κακὴ ἢ ἀφύτη, τάχα δεύτερα αἰ κακὴ ἔσται. Εἰ δ' ἀγαθὴ, ἀγαθὴν ἰλιπιδά καὶ τίτ' ἔχει.* Imo equidem uxorem ducit quis jure secundam, seu bona prima fuit, seu mala prima fuit. Si mala, non talia forsitan metuenda, secunda: sin bona, speretur non minus ista fore. Add. quoque *Chanon de la sageſſe* l. I. c. 46. n. 2. 3. & *Baca sermon. fidel.* c. 8. Vice versa tamen contingere potest, ut præter communem obligationem ad ineundum matrimonium aliquis peculiari in super causa subigatur. Puta, si familia regia ad unum redacta sit, iste unicus insigniter obligabitur generis sui propagationem legitimam querere, evitando periculo interregni, & quia in principales potissimum familias quadrat illud *Euripidis Iphig. in Tauris.* *ἑὸλοι αἰῶν ἰσοῖ παῖδες ἀρσενε.* *Columna familiarum sunt liberi masculi.* Atque hæc, quæ super obligatione ad ineundum matrimonium tradidimus, magis utique rerum naturæ conveniunt, quam quod nimis late *Cumberland de leg. nat.* c. 6. §. 9. dicit, liberum esse terra jam hominibus repleta in cælibatu aut conjugio vitam transigere.

§. 8. Ex hisce judicandum est, quidnam potestatis legibus civilibus competat circa adstringendam, aut tollendam matrimonii contrahendi necessitudinem. Igitur id extra controversiam est, posse legislatorem civilem ad ineundum matrimonium pro imperio adigere per statum & constitutionem corporis habiles, & queis facultas se, uxorem-

O o o o o

que

que & prolem alendi. Nam cogere aliquem, ut liberos procreet in spem esuriendi, inhumanum; inopi autem vulgo civitates implere, inconsultum est. Huc spectant leges jam antea citatæ. Et si mollius videatur, præmiis, aut subtractione commodorū quorundam, quam pœnis positivis heic uti. Quo pertinet apud Romanos jus trium liberorum. Item lex Spartanorum, quam refert *Aristoteles Polit.* l. 2. c. 7.

Τὸν μὲν γυνήσασθαι τρεῖς, οὐδὲν ἄφρονον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας, ἀτελεῖ πάντων. *Qui tres liberos procreavit, à custodiis sit immunis; qui vero quatuor, ab omnibus oneribus.* Sicut & reges Persarum quotannis præmia proposuerunt illis, qui plures filios sustulerint, *Strabo* l. 15. Nec minus id liquidum, non injustam modo, sed & stolidam fore legem, si quis omnibus civibus matrimonio velit interdiceret. Uti & si quis v. g. primogenitis duntaxat matrimonium vellet permittere, deinceps genitis omnibus promiscue cælibatum indicere. vid. l. 19. D. *de ritu nupt.* Nam ut omnes isti per naturam sint idonei sustinendo casto cælibatui, fieri non potest. Neque verò multo mollius id foret remedium reprimendæ civium exuberanti nimis multitudini, quam dirissimum quondam institutum, Exercitibus valde familiare, prolem recens natam exponendi; aut quod *Aristoteles Polit.* VII. c. 16. suadet, abortus procurandi. Quod si autem exploratum sit, munus aliquod in civitate longe commodius à cælibe, quam à conjugato obiri posse, nihil videtur obstare, quo minus per legem civilem cælibes tantum ad istud munus admittantur; aut si obistud uxore carere tanti non putent, eodem excidant. Modo tanta sit copia ejusmodi hominum, quibus castam agere vitam concessum sit, quam ad illud munus requiritur. Præsupponitur enim, neque vagis libidinibus ansam præberi, neque naturæ cujuspiam vim inferri: cum ad id munus suscipiendum memo adigatur, qui seipsum idoneum non judicavit: & demum, quod prolis copiam jam satis sit prospectum. Quemadmodum v. g. legato, aut duci vel militi potest interdici, ne peregre, aut in periculosam expeditionem uxorem secum ducat. vid. l. 4. §. 2. D. *de offic. procons.* *Tacitus Ann.* III. 33. 34. *Plinius* l. VI. c. 22. de incolis Taprobanes: *eligi regem, à populo senecta clementiaque, liberos non habentem, & si postea gignat abdicari, ne fiat hereditarium regnum.* Quem exscripsit *Solinus* c. 66. Sic & cum obligatio ad matrimonium ineundum sit indeterminata, & latitudine quapiam gaudens, licet legi civili tempus, ætatem-

etatemque connubio jungendorum definire. Qualiter in lege Papiæ Poppæa cavebatur : *sexagenario masculino quinquagenaria femina nuptias contrahere jus ne esto, necve viro sexagenario minori uxorem quinquagenariam ducere.* Id quod à Justiniano abrogatum l. 27. C. de nuptiis. Sic Plato de rep. l. V. mulieri ad pariendum tribuit tempus ab anno vigesimo ad XL. viris ad generandum à trigesimo ad LV. Add. *Aristoteles Polit.* VII. c. 16. & *Mich. Piccartus* ad d. l. *Tacitus Germ.* c. 20. Apud quosdam populos uxorem ducere non licet, nisi edito fortitudinis in hostes specimen. Sic apud Carmanios nemo uxorem ducebat, nisi prius hostis caput amputatum ad regem pertulerit. *Strabo* l. 15. Add. quoque *Abrah. Rogerius de Braminibus part.* I. c. II. Denique cum & illud naturalis libertatis sit, cui quisque velit connubio posse jungi, fas erit potestati civili, si ex rep. videbitur esse, disponere, v. g. ne civis peregrinam, nobilis plebejam ducat. Sicuti apud Indos legem fuisse tradit *Arrianus in Indis*, ne inter ordines, in quos populus erat divisus, conjugia promiscua fierent, utque adeo v. g. agricolæ non liceret ducere opificis filiam, nec vice versa. Paria habet *Hieron. Oforius de rebus gest. Emanuel.* l. 2. Sic etiam lege civili constitui potest, ut matrimonia non nisi interveniente publica autoritate contrahantur; præsertim inter eas, qui insigne aliquod in republ. momentum faciunt. Quarum & similium legum ea vis esse potest, ut quod contra easdem contrahitur connubium certis effectibus, per jus civile assignatis, destituatur, vel etiam omnino pro invalido, & quod rescissionem admittat, declaretur. Sic apud *Livium* l. 38. c. 36. Campani petunt, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret; & si qui prius duxissent, ut habere eas; & ante eam diem nati, ut justè sibi liberi heredesque essent. Apud *Dionysium Halicarn.* l. VI. Scitum memoratur, quo permittitur fœminis Latinis, quæ viris Romanis, & fœminis Romanis, quæ Latinis viris nuptæ erant, bello Latino imminente, apud maritos manere, an in suam utrinque patriam discedere, relicta maritis sobole mascula, secum adductis innuptis filiabus. Ubi additur, omnes pene Romanas desertis maritis Romam rediisse; sed Latinas in urbe nuptas, duabus exceptis, maritos prætulisse patriæ. *Seneca de benefic.* l. IV. c. 35. *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti: non est mihi cum externo consubium. Eadem res me defendit, quæ vetat.*

§. 9. Proximum est, ut inquiramus, quibusnam capitibus merito jure naturali pactum matrimonii absolvatur, simulque quidnam juris utrinque nascatur. Præsupponimus ergo heic initio, naturaliter omnes homines esse æqualis juris, ac nulli imperium in alterum competere nisi id suo vel alterius actu fuerit quæsitum. Licet enim fere sexus masculinus foeminarum superet viribus corporis & animi; illa tamen præstantia haut quidquam per se est idonea imperium illi in hunc producere. Ergo quidquid juris mas habet in foeminam, id tanquam in sibi æqualem ex ipsius consensu, aut per justum bellum erit quærendum. Et cum connubia per benevolentiam coalescere maxime sit naturale, prior modus ad uxores, posterior ad ancillas quærendas magis est adpositus. Ac si qui bello captis, & in servitium redactis jungi voluerunt, fere asperitatem herilis imperii adversus illos remittere sueverunt. Add. *Deuter. XXI. 10. seqq.* Si igitur homines in naturali æqualitate & libertate constitutos concipiamus, contingere potest, ut non minus foemina, quam mas, sibi peculiariter prolem cupiat quærere, in quam ipsa jus obtineat. Cui fini necessarium est, ut pactum inter marem & foeminam inçatur de præbendo invicem corpore. Hoc pactum si simplex duntaxat fuerit, solam sobolis procreationem respiciens, neque adjunctam habuerit conventionem circa continuam cohabitationem; neque uni in alterum imperium conferet, & neutri in alterum quidquam juris erit, præterquam ad præbendum corpus procreandæ sobolis gratia: quæ sub potestate matris erit, si in pacto fuerit expressum, istam sibi, non viro prolem quærere. Vocare possis tale matrimonium Amazonicum, ut ut satis irregulare & simplex illud sit; (si modo in universum vera sunt, quæ de Amazonibus jactantur. De quo dubitat *Arrianus de expeditione Alexandri l. VII. Procopius hist. Gothi. l. IV. & Palaphatus de fabula narrat. l. 1.*) Vid. *Jornandes de rebus Geticis c. 8. Instin. l. 2. c. 4.* Et si *Diodorus Siculus l. 2. c. 45.* ab istis mulieribus viros ad servilia fere aut ancillaria officia adactos memoret. Quale quid *Idem l. 3. c. 53. & 55.* de populo quodam Lybiæ memorat; qui ab Hercule sit deinde excisus, cui non patiendum videbatur, diutius superesse nationes muliebri imperio subjectas. Sic Thalestris apud *Curium l. VI. c. 5.* ex Alexandro, & regina Sabæ ex Salomone, (si verum est, quod aliqui tradunt,) non spuriam, sed quasi legitimam prolem quæsitum ibant. Sic & tradit *Eduard. Lopez. de regno Congo.*

Congol. 2. c. 9. (add. *Franc. Alvarez descript. Aethiop. c. 133.*) præcipuas regni Monomotapæ legiones constare ex mulieribus, quæ seorsim in agris à rege concessis habitent, certoque tempore viris utantur, quos pro suo desiderio eligant proli concipiendæ: natas inde scemellas sibi retinere in artibus bellicis informandas, filios patribus transmittere. Add. *Isaac Vossius de Nilo. c. 19.* Nescio, an huc referri debeat, quod tradit *Michael Glycas Annal. parte II.* Παρ ἀγίλας αἱ γυναῖκες αὐθιγτοῦσι τῶν ἀνδρῶν, καὶ πορνῶν αἰ βύλονται, μὴ ζήλου υπέρβουαι αὐτῶν τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν, γαρρῶν δὲ ἀγοικουδρῶν καὶ πάντων ἀνδρῶν ἀφάτησον. *Apud Agilaos fœmina sua viros in potestate habent, proq; lubitu Venerem exercent, citra ullam maritorum amulationem. Eadem agros colunt, ades exstruunt, omnes operas viriles obeunt.* Cæterum et si ista connubia barbarum quid ac prope belluinum redolent; patet tamen inter cultissimas quoque gentes dari matrimonia, ubi vel neutri conjugum in alterum imperium conteditur, vel ipse maritus summo uxoris imperio civili subicitur: scilicet quando fœminæ regnorum hæredes maritos adsciscunt; retenta in civitatem summa potestate. Vid. conditiones matrimonii inter Philippum II. & Mariam reginam Angliæ, apud *Thuanum l. XIII.* ad ann. 1553. & 1554. Item de Maria regina Scotiæ, apud *Eundem l. XX.* ad ann. 1558. & l. XXXVII. ab inis. Add. quoq; *Io. Mariana hist. Hispan. l. 24. c. 5.* *Diodorus Siculus l. 1. c. 27.* refert, in honorem Isis apud Ægyptios receptum esse, *ut plus potestatis & honoris sit penes reginam, quam regem, & in tabulis dotalitis inter privatos imperium fœmina in virum assignetur: ubi uxoris per omnia se obtemperaturos mariti profitentur.* Add. quoq; *Guisciardinus hist. l. V. p. m. 178.* ubi de administratione regni Castiliæ, à Ferdinãdo & Isabella comunitè facta tradit.

§. 10. Verum missis hisce connubiis irregularibus, de illis dispiendum, quæ ad humanæ conditionem naturæ exactius quadrant. Heic igitur sine dubio utriusque sexus indoli magis congruit, ut pactum connubiale à viro incipiat, adeoque vir quærat uxorem, non uxor virum. Et si enim alicubi non insolitum est, propinquos puellæ ultro juvenes ambire, hisque adeo eas sponfas afferre; id tamen non sit alio fine, quam ut hanc sibi potissimum uxorem velit adsciscere juvenis. Hoc posito sane patet virum sibi quærere solum propriam, non supposititiam, aut adulterinam. Igitur ante omnia fidem dare viro debet fœmina, quod nemini præterquam

ipſi corporis ſui uſuram velit concedere. Id igitur plane ab omni ratione, & communi hominum affectu abhorret, quod tradit *Aloſius Cadamuſtus navigat. c. 75*, de rege Calecuti: *Rex dicit inquit, habet conjuges, & quamlibet illarum ſacerdotes decem aſſiduo comitantur, easque comprimunt; & id in decem regis eximium fieri jaſtant, nullum alium honorationem titulum regi dantes, quam quod ejus conjuges à ſacerdotibus comprimantur, propterea eorum filii nunquam regno ſuccedunt, ſed ex ſore nepotes regnum capeſſunt.* Paria habet *Ludovicus Romanus navig. l. V. c. 7*. Quin & in univerſum apud iſtum populum mulieres fere communes eſſe ſtatuit *Petrus de Valle Itinerar. part. 3. ep. 7*. Unde etiam de patribus parum curæ eſt natis, & omnes hæreditates juxta deſcendentiam maternam apud eos deferuntur. Sat fœda quoque de Colchis memorat *Bunbequius epiſt. 3*. Sed & ſpurca lex Eveni III. regis Scotiæ, ut *Rex ante nuptias ſponſarum nobilium, nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam: ut plebejarum uxores cum nobilitate communes eſſent.* *Buchananus rer. Scotis. l. IV.* Sed poſt Milcolumbus III, uxoris Margaritæ precibus motus inſtituit, ut primam novæ nuptiæ noctem ſponſus dimidiata argenti inarca redimere poſſet: quam penſionem adhuc Marchetas mulierum vocant. *Idem l. VII. Polyd. Virgil. hiſt. Angl. l. X.* Conf. *Suetonius Caligula c. 40. in fine*, & quæ ibi notavit *Boxhornius*. Quin & hodie in regno Pegu & Aracam virginitas ſponſæ alicui ex convivis nuptialibus delibanda traditur. Sed alia vice apud eam deprehendi capitale eſt. *Ludov. di Barthema Itin. part. 2. c. 11*. De incolis provinciæ Caniclu vid. *M. Paulus Venetus l. 2. c. 38*. Dein & hoc apertum eſt, à decoro ordine nihil magis abhorrere, quam vitam vagam, ac deſultoriam, incerto lare, nulla fortunarum ſede; citra quæ vita civilis fere intelligi nequit. Sic ut recte *Xenophon. Cyropad. l. VII. ſocum adpellet, ἢ ἔτι ὀπιώτερον χωρίον ἐς ἀνδραποικίαν, ἢ τὴν ἰδίαν, ἢ τὴν διανοίτην ἴσθι ἴδιον.* Quoneque religioſior locus in hominibus eſt, neq; ſuavior, neq; familiarior quiſquam. Add. *Ariſtot. Oecon. l. I. c. 3*. Tum communis ſobolis educationem commodiſſime inſtitui conjunctis utriusque parentis operis, quorum animi iſto velut pignore in mutuum amorem arctius conſtringuntur. *Genes. 29, 32*. Apud *Lysiam orat. 1*. dicitur: *poſtquam infans mihi natus fuit, conſidebam tum ipſi, & omnia mea committebam, ἠγάμην ὅτι ταύτην διανοίτην μεγίστην εἶναι, exiſtimans hoc firmiſſimum conjunctionis noſtra eſſe vinculum.* *Seneca Herc. Oraz. Conciliat animos*

animos conjugum partus fere. Præterea cohabitationem continuam plurimum continere jucunditatis inter conjuges, bene compositos: ac per eandem certius confare posse marito de castitate uxoris, quam si ista fide duntaxat data seorsim habitet. Igitur matrimonium regulare & perfectum, ac naturali rationi, vitæque civilis usui aptissimum, præter pactum de præbendo corpore hoc quoque comprehendit, ut uxor viro continuo cohabitaret, adeoque in arctissimam vitæ societatem, eandemque familiam cum ipso coalescat, educandæ commodius soboli, & ad mutuam vitæ auxilium simul ac recreationem. *Demostrhenes in Neeram.*

Tὰς γυναῖκας ἔχομεν τῷ παιδοποιεῖν, γυνώσκουσιν, καὶ τῷ ἰδίῳ φίλῳ πικρῶν ἔχειν.
Uxores habemus propter ingenuos liberos suscipiendos, & fidellem rei familiaris custodiam. Add. *Xenophon Oeconomico, & Columella de re rustica. l. XII. præfat.*

Huc spectat, quod apud Chineses ideo credatur receptum, ut foeminae pedes arte colligent, ex quo sine magno doloris sensu incedere non possunt; ut non per publica loca vagari, sed domi manere discant. Conf. *Martinus hist. Sin. l. 3. c. 28. Plutarch. conjugabilibus præceptis.*

Sicut humores physici dicant totos totis permisceri; ita oportet matrimonium contrahentium corpora, opes, amicos, familiaresque invicem confundi. Etenim Romanus legislator lege caviss, ne conjugum alter donaret alteri quidquã: non ut nullius rei participes fierent, sed ut omnia communia judicarent. *Quintilian. declam. 249. Matrimonii scitis contineri civitatem, his populos, his liberos & successionem patrimoniorum, & gradum hereditatum, & securitatem domesticam.*

Quomodo enim peregrinabimur, quomodo ad colendos discedemus agros, qua nobis securitas dabitur suscipientibus legationes publicas, omnibus in militiam. *Seneca Octavia, juvenilis ardor impetu primo furit; Languescit idem facile, nec durat diu in venere turpi, ceu levis flamma vapor. Amor, perennis conjugis castæ, manet.*

Ex hisce porro facile colligitur, quare mariti sit de domicilio constituere; scilicet quia maritus uxorem in suam adscivit familiam, non vice versa; cujus ille utique caput & director existit. Etsi nemo temere ita durus fuerit, ut heic non & uxoris rationem habeat; præsertim si aliquam fortunarum partem ipsi debeat. Deinde & hoc inde patet, salvo pacto matrimoniali non posse uxorem invito marito peregre abire, aut secubare, aut ob causam non idoneam corporis sui usum ipsi denegare. Hinc denique fluit fundamentum præsumptionis illius, quare quisque habeatur filius

mariti

mariti suæ matris, seu quare filius civiliter sit, quem nuptiæ demon-
strant, nisi gravioribus argumentis ea præsumtio elidatur. Vid. *Gellius*
I. 3. c. 16. *Plinius N. H.* l. 7. c. 55. Et si feminis nimis faveant leges An-
golorum, quæ maritum etiam per aliquot annos absentem pro suo cogunt
agnoscere prolem, interea ab uxore sua genitam, modo ipse interea tem-
poris semper intra insulam fuerit. *Eduard. Chamberleins Notis. Angl. part.*
I. c. 16. Nempe quia & in hoc fidem dedit marito uxor, quam obser-
vare præsumitur; & isti competit potestas. *Uxoris integrita-*
tem. Suo autem jure, suaque potestate quemque rite uti creditur.
Gyges apud Herodotum Clis. *Τῆν ἐπιπέμειν τὰ ἰουρῶν. Quæ sua sint quem-*
que inspicere debere. Quo facit illud *Platonis Alcibiade I.* *Lacedæmonio-*
rum regum uxores publice observantur ab Ephoris, ut quoad fieri potest, Rex
non ex alio, quam Heraclidarum genere latenter oriatur. *Persarum vero*
Rex adeo excellit, ut nemo suspicetur, regem ex alio, quam ex ipso genitum
esse. Quamobrem regis uxor non ab alio, quam metu custoditur. Hinc
quoque non citra omnem rationem vulgo maritis ex uxorum impudici-
tia nonnulla labes ignominie adspergi judicatur; adeo quod ex impru-
dencia, aut per animi abjectionem potestate sua uti ignorarint. (*Add.*
Cartesius de passion. ars. 169.) Et recte Domitianus equitem Romanum
ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen in-
tenderat, judicum albo erasit. *Sueton. Domitiano, c. 8.* Ac lege Attica
infamis (*ἀτιμῶν*) erat, qui uxorem in adulterio deprehensam retinisset.
Apud Demosthenem in Nearam. add. l. 29. princ. l. 1. §. 6. D. ad L. Iuliam de
adulteris. *Apud Tacitum A. II. exactum à Labeone Vestilia marito, cur in*
uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset? qui prætendit, sexaginta
dies ad consultandum datos necdum præterisse. Quanquam sint, quæ ejus
contumeliæ causam inde derivent, quod opprobrio videatur carere ali-
quem iis dotibus, quæ amorem mereri, aut promissum conservare que-
ant. Et si qui eimalo commodum remedium afferre nequeant, aut si
gravia mala vindictam secutura sint tutissimi sequantur illud *Euripidis*
Hippol. Coron. *Ἐν τοφαῖσι τὰ δ' ἰστὶ θνητῶν, λανθάνον τὰ μὴ καλά. Id sapientia*
est mortalium latere parum honesta in abdito. *Add. Plutarch, de animi tran-*
quillitate. p. m. 467. E. F. Atque circa has tantum admitti potest, quod
Chanon de la sageffe l. 1. c. 39. n. 11. inter stolidas vulgi opiniones refert pro
grandi cõtumelia impudicitiam uxoris alicui exprobrare. Cur enim quis
alienum

CAPUT II.

87

alienum peccatum luat, cui remedium asserre penes ipsum non sit? Eiusmodi porro maritorum insignia, quæ vulgo per ludibriū jactantur, nova non esse, neq; solis Occidentalibus usurpata, adparet, ex *Niceta Acuminato* l. 2. *de imperia Andromachi*: ubi refert, illum imperatorem eximia cornuæ ceruorum, quos venatus erat, in porticibus fori suspendisse, per speciem ostentandæ magnitudinis ferarum, quas cepisset; cum revera mores civitatis, & uxorum lasciviam notaret. Cæterum uti adultera vocari nequit, quæ invita & reluctans alienæ libidini succubuit, (vid. *Gratianus* *caus. 32. quæst. 5. c. 2. seqq.*) ita talem retinuisse in se cum turpitudine conjunctum non videtur. Etsi utique probandum sit factum *Davidis 2. Samuelis XX 3.*

§. II. Illud ulterius investigandum, an mero jure naturæ ex principali pacto matrimonii perfecti necessario resultet imperium proprie dictum mariti in uxorem? Equidem in divinis literis uxoris voluntas marito subesse jubetur, & hic istius dominus expresse constituitur. Quia tamen id in pœnæ vicem fœminæ legitur injunctum, positivi duntaxat juris idem videri potest. Circa eruiendum ergo jus naturale heic erit primo observandum, non statim imperio alterius esse subjectum, qui in certo negotiorum genere alterius voluntatem sequi tenetur; quippe cum hoc etiam ex simplici pacto possit oriri. Dantur enim pacta, in primis ex eo genere, do ut facias, & facio ut facias, ubi ab initio quidem par utrinque libertas, pactum velint inire, vel non. Eodem tamen inito necessarium est, ut in eo negotio, super quo conventum fuit, una pars sequatur voluntatem alterius, non vice versa. Inde ut in negotiis matrimonio peculiaribus uxor ad voluntatem mariti sese componere tenetur, non tamen statim quoad alias quoque actiones imperium huic in illam necessario competit. Deinde matrimonii finis non, uti civitatum, est defensio & securitas hominum. Nam & inter pauciores homines ea societas subsistit, quam quarum vires conjunctæ mutuam præstare securitatem queant; (quantillum enim præsidii à conjunctione fœminæ accedere possit?) & propagationem generis humani pro fine ista habet. Inde uti civitates sine imperio nequeunt intelligi: ita matrimonium solo pacto, & amicitia citra imperium contineri posse videtur. Equidem habet & familia segrex cum primis civitatis instar, in quam dum recipitur uxor, ejusdem regimen subire

Pppp

debere

LIBRI VI.
bilis civiliter sit, quem nuptæ dicitur
pennis ea præsumtio elidatur. Vnde
Eclit heminus nuptæ dicitur
ex aliquor annos ablatum pro suo
uxore sua genitam, modo ipse intererit.
Eduard. Chamberlain Nov. 1671.
Eidem de die marito uxor, quam
rit potest
de potestate quemque nite
na exomium ad hunc.
ut illud Platonis Alcibiades. Latent
nunt ab Ephoris, ut quoad fieri potest
genere latenter oriantur. Pro
er, regem ex alio, quam ex ipse
b alio, quam mitem custoditur.
vulgo matris ex uxorum impo
ri judicatur; ideo quod ex
estate sua uti ignoravit. id
Domitianus equitem Romanos
ui similis adulteri crimine
uriam, c. 3. Ac lege
o deprehensam retinuit
l. 1. §. 1. D. ad l. in
one fœstia mariti, ut
præcedit, hinc
quom hinc, quod
deatur carcer
conteratur
equant, ut
illud Eclit
de animo
ri potest, quod
ones referent
Cur eodem
aliter

debere videtur; cum & in hac irregularis valde sit status biceps, aut ut in ea existat aliquis, ejusdem capiti non subjectus. Sed reponi potest, familias, numerofo præsertim servitio florentes, posse habere duplicem finem, alium cum civitatibus communem, alium peculiarem. Communis finis spectatur in defensione & securitate, ex conjunctione plurimum resultans. Hæc etsi imperium sit necessarium; cum tamen uxor ad eundem finem vix momenti quid afferat, sufficere ad unitatem familiæ potest, si ipsa simplici pacto, ac per modum amicitiaë viro sit conjuncta. Sic Abrahamus in cæteros suos familiares imperium utique exercuit; Saram tamen non aliter quam fororia æqualitate videtur habuisse. vid. *Genes. XVI. 2. 5. 6. XXI. 10. 11. 12.* Quamquam insigniter in sacris literis commendetur ipsius erga maritum observantia, quod *dominum* ipsum vocaverit. *1. Petr. III. v. 6.* Finis autem matrimonio peculiaris itidem videtur sat commode obtineri posse, etsi unus conjugum alterum non habeat imperium proprie dictum, & quod jus vitæ ac necis, ac graviolem coercionem complectatur; sed amicitia duntaxat & pactum conjuges contineat. Quod pactum tamen, quia mariti conditio in eo est melior, accedente etiam sexus præstantia, naturam fœderis inæqualis æmulatur; in quo uxor marito observantiam maxime, hic illi protectionem debeat. *Martialis l. 8. ep. 12. Inferior matrona suo sit, Prisce, marito: Non aliter fuerint femina, virque pares. Plin. paneg. Multis ne maximi cives haberentur, hoc effecit, quod mariti minores erant.* Neque tamen jure naturali quidquam obstat, quo minus uxor etiam proprie dictum imperium mariti subeat. Nam sese haud quidquam invicem destruunt metus imperii, & amicitia conjugalis; non magis quam imperium in principe amorem civium per se extinguit. Idque imperium non solum singuli sibi mariti querere possunt, per pactum matrimoniali conventioni adjectum; sed & apud integros populos publica lege id fieri suevit. De Gallis *Cæsar de B. G. l. VI.* tradit, ipsos habuisse in uxores sicut & in liberos *jus vitæ & necis.* Apud Germanos maritis adulterii poena fuit permilla. *Tacit. German. c. 19.* Et quidem velut pro imperio sumenda, non quod ipsorum iracundiæ aliquid indulgeretur; sicut de servis *Idem d. l.* ait: *occidere solent servum, non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune.* *Gellius l. X. cap. 23.* ex oratione Catonis; *Vir, nisi cum divortium fecit, mulieri iudex, & pro censore est; Imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse*

satis.

*satreque factum est à muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro
 probri quid fecit, condemnatur. Item: In adulterio uxorem tuam si depre-
 hendisses, sine iudicio impune necares, illa te, si adulterares, digiso non aude-
 ret contingere, neque jus est. Tacitus Ann. XIII. 32. Pomponia Gracina,
 superstitianus externa rea, mariti iudicio permissa. Isque prisco instituto, pro-
 pinquis coram, de capite famaue conjugis cognovit. Add. quoque Euripi-
 des Medea v. 230. seqq. Et de Japonionum Moribus Bernhard. Varenius
 delerisp. Japon. c. 13. lex Wisigothorum l. 4. tit. 4. c. 3. Memorabile est,
 quod de Sacis refert Aelianus V. H. l. XII. c. 38. Si quis puellam uxorem
 ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: & si illa superior sit, captivum abdu-
 cit, atque imperium in eum tenet: sin inferior, regitur ab ipso. Certant au-
 tem non de vita, sed de victoria. Porro quantum marito potestatis in
 bona uxoris competat, itidem ex ipsorum conventionione, aut legibus ci-
 vilibus dependet. His enim utique standum, siquidem definerint, an
 foeminae cum dote sint elocandae, an bonorum inter conjuges de-
 beat esse confusio, an maritus plenam aut restrictam facultatem circa
 bona dotalia disponendi habeat, & quae sunt similia. Apud Japonios
 dotem viris nullam afferunt uxores: opulentiores quidem parentes so-
 lent interdum cum filiabus suis ipso nuptiarum die certam pecuniae
 summam ad sponsum mittere: verum eam hic cum ceremoniis remit-
 tunt. Nolunt enim quidquam admittere, ex quo uxor occasionem su-
 perbiae capiat. Proverbium quoque crebro in ore habent, foeminam
 toto vitae tempore propria carere habitatione. Puellam enim in pa-
 rentum aedibus, nuptam in mariti, viduam in liberorum domibus age-
 re. Bern. Varenius descr. Japon. c. 12. Obiter quoque notandus mos ve-
 terum Thracum, apud Solinum c. 15. Nuptura non parentum arbitratu tran-
 seunt ad maritos, sed qua praeteris specie valent, subhastari volunt, & li-
 centia taxationis admissa non moribus nubunt, sed pramiis. Quas forme
 premit dedecus dotibus emunt, qui conjugantur. Sic apud Xenophontem
 Anab. l. 7. Seuthes: si tibi filia est, eam Thracio more mihi emam. Add. Hera-
 clides de politiis & Melal. 2. c. 2. Sic Assyrii quoq; Virgines publice Venum
 exponebant. Aelian. V. H. l. 4. c. 1. Herodotus Clio. Addantur, quae super
 prohibitis donationibus inter virum & uxorem disponunt leges Rom. l. 1.
 2. 3. princ. D. de donat. int. virum & uxore. Ubi leges civiles nihil heic con-
 stituunt, aut ubi in naturali vivitur libertate, circa ista pro lubitu pacifici
 inter se conjugibus licet.*

§. 12. Ad isthæc illustranda facit expendisse, quæ *Iob. Frid. Hir-
nius de civitate* l. 1. c. 1. tradit. Ubi primo rejicit eos, qui imperium ma-
riti in uxorem à natura esse dicunt. Quod probantur, siquidem hoc al-
feratur; per ipsam naturam citra interveniens pactum, & ultra nec mu-
xorem subjectionem, marito imperium competere; Id quippe repugnat
naturali hominum æqualitati; & sola aptitudo imperium non confert.
Inde contendit: *nullum imperium siue publicum siue privatum homini in-
hominem competere; absque expressissima constitutione Dei; ejusdemque præ-
sentissimo interventu.* Heic observandum; quando origo imperii inve-
stigatur, proprie quæri causam proximam, immediatam, & secundam:
primam autem, & universalem causam semper præsupponi. Unde si-
cet Dei mandatam, super introducendo aliquo ordine inter homines:
extet; adhuc tamen quæstio superest, quibus pactis intervenientibus:
factum sit; ut homines ad præscriptum Dei sese componerent. Nam:
valde imperitum est credere; quando Deus alicujus rei moralis autor
dicitur; eodem modo hanc ab ipso productam, sicut cælum & terra:
sine interventu ullius creaturæ ab ipso creata sunt. Neque etiam licet:
Deus jussit tabernaculum fieri; ideo, qui operi manum admoventur,
non proxima & immediata causa ejusdem vocari queunt. Unde licet:
Deus præceperit; ut mulier viro pareat; tamen ut hujus imperium actu:
existat, illa pacto huic sese subicere debet; quo ipso idem actu & imme-
diatè istius dominus constituitur. Sicuti venatione: utique opus est,
ut ut Deus dixerit; dominamini bestiis terræ. Vanum quoque est ar-
gumentum; *uxor non habet potestatem marisalem; ergo non potest eam in ma-
ritum conferre.* Quasi vero per conventiones hominum non possit pro-
duci qualitas moralis, quæ antea formaliter non extabat. Nam ut im-
perium constituatur; non est necessum; ut illud in uno jam formaliter
existat; & in alterum transferatur: (sicut si substantiæ physice ab uno
in alterum sint transferendæ; oportet ut prius existant;) sed illud
oritur; quando quis sese abdicat adversus alterum facultate resistan-
di; quam alias per naturalem libertatem habebat; suamque volunta-
tem, fide in hoc data; istius voluntati subicit. Porro licet in factis fi-
teris Evæ subjectio in poenam seducti mariti injuncta dicatur: tamen
ex hoc non sequitur; imperium maritale post lapsum non habere se-
cundam; & proximam causam conventionem inter maritum & uxorem.

Nam

Nam cum non omnis obsequii necessitas infelicitatem habeat conjunctam, (sicuti beatissimus Angelorum status non minuitur, quod ipsi DEO addictissime pareant;) id jam pœnæ vicem in subjectione mulieris habet; quod invita & stimulante semper dominandi libidine jugum ferat.

hæc non repugnant: imperium maritale naturaliter ex consensu mulieris oritur; & Deus in vicem pœnæ mulieribus illud imperium fecit molestum. Illa enim inanis est subtilitas; *quicquid nunc voluntatis, & voluntarij pacti in muliere occurrit, id ad contrahendum matrimonium pertinet; & consequenter interpretandum est ad assensum & approbationem, qua in secuturo certi maris imperio fœmina acquiescit.* Quasi diceret, imperium maritale consensu uxoris non producit; sed illud jussu Dei jam constitutum uxor consensu suo subit. Sicut viator diversorium non extruit; sed illud jam extructum ultro intrat. Sed probe notandum, imperium hominis in hominem tanquam ens morale non existere sine actu humano; neque citra obsequium intelligi. Nulla quippe fœminæ ad obsequium existit obligatio, antequam consensu suo viro se subdiderit. Quod ipsum ut fiat, etsi voluntati divinæ sit congruum; id tamen non impedit, quo minus ipsius pactum, & id comitata subjectio, immediata & proxima sit causa imperii maritalis productiva.

§. 13. Sed nec illud *Eidem d. 1.* concedimus, marito præter imperium in rebus conjugij & familiæ; omnino competere *jus vite & necis*, & in hoc jure *summam imperii maritalis consistere.* Quæ tamen potestas intelligatur, quatenus ab imperio civili nondum fuerit restricta; & quæ non consistat in licentia aliqua, excusante crudelitatem parricidij; sed in legitima facultate capitalia scelera condigne puniendi. Enimvero quod *omne imperium, quatenus in subiecto proprio est, nec precario habetur ab aliquo homine, aut à superiore non est circumscriptum, importet jus vite & necis;* gratis vix crediderim. Sane ad finem matrimonij tanto imperio non est opus. Etsi quis credat, quævis atrocis delicta in forum humanum trahi debere, quis in familia segrege patrem familias, quis in civitate regem puniet? Quod si intolerabilia perpetret uxor, poterit tanquam hostis familia ejici, & velut jure belli occidi. Jam ante tamen admisimus, naturæ matrimonij ejusmodi imperium non repugnare.

§. 14. Hoc loco etiam est explicandum vulgatum Jctorum dicitur; *consensus non concubitus facit matrimonium*. l. 15. D. de condit. & demonstrat. Aut uti *Quintilianus declamat*. 247. loquitur; *coitus atque congressus citra jus non efficit uxorem*, vid. c. 5. *caus.* 27. *quest.* 2. Cujus duplex esse sensus potest; vel quod non statim, qui inter se consueverunt, conjuges sint, nisi in matrimonium consenserint: *Virgil. Aeneid.* 4. *Nec conjugis unquam prætendi tædas, aut hac infœdera veni*. Vel quod statim atque utrinque consensus fuerit, contractus matrimonialis perfectus censetur, etiam ante concubitum. Ubi tamen judicaverim, quemadmodum ad plenum rei dominium transferendum requiritur, ut res sub alicujus potestate ita constituatur, quo de ea quando cunque placuerit disponere queat: ita ut aliqua proprie alterius uxor dici queat, necessum videtur ita ipsam velut in manus viri convenisse, ut ea tanquam uxore possit uti. Id quod tamen ut à concubitu incipiat, haut quidemquam requiritur. Sic Isaac uxore fiebat Rebecca, postquam eam deduxisset in tabernaculum matris suæ, *Genes.* XXV. *ult.* Sic dubito an adulteram vocare possimus, quæ alicui absentis desponsata, tertio interea, antequam domum deducatur, conjungitur; ut ut per mandatarium dicis causa nuptiæ sint consummatæ. Contra absurdum foret, Saram Tobie junioris uxorem velle negare primo trinoctio, vid. *Tobie* VI. 19. Aut hodie nostris moribus post copulam sacerdotalem, antequam Hesperus hymenæum exciverit. Ex mente Ebræorum, uti tradit *Seldenus* l. V. c. 4. ad matrimonium ante legem Mosaicam requirebatur præter consensus etiam concubitus. Sic ut istis seculis matrimonium esset corporalis viri, & fœminæ conjunctio, præcunte in vitæ & lecti societatem consensu. Sed Ebræorum jure civili solus consensus nuptias faciebat. *Deuter.* XXII. 23. 24. Add. l. 8. C. de incestis & inutil. nuptiis. Quo loco addendum, quod notavit *Grotius ad Matth.* c. 1. v. 13. apud Ebræos sponas intactas fuisse, donec convocato cætu matrimonium solenni prece initiaretur: quod non tam lege præceptum, quam ab antiquissimis patribus traditum Judæi ut olim, ita nunc quoque observant, à quibus ad Christianos id institutum honestatis plenissimum manavit. Itaque etsi virginalis pudicitæ custodiam in se recepisset sponsus, manebat tamen sponsa ad nuptiarum diem *ἐν τῇ θυγατρικῆτιδι* à sponso sequestrata, perinde quasi in alia domo ageret, conf. *Genes.* 24. 67. *Deut.* 21. 13.

§. 15. Consequens est ut inquiremus, num jure naturali matrimonia non possint esse, nisi inter unum marem, & unam foeminam; seu quod idem est, num eodem jure polygamia sit licita? Est autem polygamia duplex, una, qua plures viri uni foeminæ promiscue junguntur, aut una foemina pluribus viris simul nubit: altera, qua unus vir plures simul habet uxores. Ad priorem speciem possis referre communionem uxorum Platoniceam tantopere exagitatam; de qua *Plato* l. V. de rep. & in ejus libri *prafatione* *Marsilius Ficinus*. Cui non absimilem *Taprobannen* sibus tribuit *Diodorus Siculus* l. 2. c. 59. *Mulieres nuptum haut ducunt, sed promiscue communes habent: & natos inde filios, ut omniam communes, pari complectuntur amore, nutriuntque. A natricibus pueri adhuc infantes saepe commutantur, ut nec matres suas agnoscere queant.* Add. *Idem* l. 3. c. 15. de *Ichthyophagis*; & l. 3. c. 24. de *Hylophagis*. & l. 3. cap. 32. de *Nomadibus*, quorum mentionem etiam facit *Strabo* l. 7. De foedis moribus *Garamantum* vid. *Plinius* N. H. l. 5. c. 8. & *Solinus* c. 43. & *Troglo-dytarum* *Agatharchides* c. 30. & *Pompon. Mela* l. 1. c. 9. & *Agathyrforum* *Herodotus Melpomene*, & *Gindanorum* atque *Nomadum* *Idem Melpomene*. De incolis *Tlules* nescio qua fide *Solinus* c. 35. *Vtuntur foeminis vulgo, certum matrimonium nulli.* Item, quod *Cæsar* l. V. de B. G. de antiquis *Britannis* tradit: *Uxores habent deni duodenique inter se communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Sed si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primum virgines quæque ductæ sunt.* Ubi manifestum est, *Cæsar*is mentem non esse hanc, quasi una foemina denis duodenisque simul nupserit; quod ipse quoque *Seldemus* l. V. c. 11. credidit: sed quod deni quidem, duodenique, ubi suam quisque uxorem duxisset, eas deinceps inter se communes habuerint, ut qui cum cuique placeret concumberet. Meminit ejus moris, sed minus distincte, *Xiphilinus* *epit. Dionis in Nerone*, in oratione *Bundoicæ* & in *Severo*. Non absimilia de *Sabæis* refert *Strabo* l. XVI. *Qua possident, omnibus consanguineis sunt communia, sed natu grandior dominus est. Una omnibus uxor est, qui prior ingreditur, posito ante januam baculo cum ea congregitur: ea tamen cum grandiore pernoctat: quapropter omnes omnium sunt fratres. Adulter capite plectitur. Adulter vero ex alio genere est.* Add. quæ *Idem* l. XI. de *Massagetis* & *Fapyris* tradit. De quibusdam incolis regni *Calecuti* *Ludovicus Romanus* *av. sig.* l. V. c. 8. *Fœmina septenis nubit viris, qui in concubitu noctes alternant.*

vbi

Vbi autem pepererint mulieres prolem, delegant ad quemcumque ex septem conjugibus voluerint, à quarum assertione nulla est provocatio. Paria habet *Petrus de Vallo Itiner. part. 3. epist. 7.* Huc referre possis, quod ex *Aenea Sylvio de Lithuanis* tradit *Ioh. Boëmus de morib. gent. l. 3. c. 7.* Inter se matrona palam concubinos habent virorum permisso, quos *connubii* vocant adjuutores: contra pellicatus viris probro datur. Sic è rep. Spartana *Lycurgus*, referente *Plutarcho in ejus vita*, conatus est ejicere τὸν κέραιον καὶ γυναικῶν ζυλωρῶν, inanem & muliebrem zelotypiam, permitta contra liberorum, eorumque procreationis communicatione inter honestos: deidens eos, qui hac velut seclusa & abstracta à communi usu cadibus & bellis exsequuntur. Nam viro natu grandiori, cui florens aetate erat conjux, si quem probum & prudentem adolescentem charum haberet, probaretque, jus erat eam huic jungere, & cum impleta esset egregio semine, sibi vindicare partum. E diverso liberum erat bono viro, si qua es casta mulier, qua elegantes pueros ederet, alteri nuptia cordi esset, agere cum viro, ut copiam sibi ejus faceret, atque ita tanquam frugiferum arvum conferere, & gignere liberos probos, qui proborum futuri consanguinei, & propinqui essent. Ante omnia enim non duxit privatos parentum filios *Lycurgus*, sed communes civitatis. Quare noluit ex surmalibus, sed ex praestantissimis generari cives. Deinde reliquos notavit legislatores oppido insulsos & vanos fuisse, qui canes & equos ad optimos admissarios agant, idque pretio vel gratia contendant à dominis: conjuges vero inclusas, quas ex solis volunt ipsis parere, custodia sepiant, si ve amentes sint, si ve decrepiti, si ve valetudinarii. Quasi vero filii, si ex pravus editi sint, non ipsis praecipue, in quorum sunt potestate, & auctoribus sint pravi; & contra probi, eam si originem nacti fuerint. Et isthæc acta judicat *Φυσικὰ καὶ πολιτικὰ*, naturali & civilitationi convenienter. Mentionem quoque ejus legis facit *Xenophon de reb. & legibus Lacedamoniorum.* Stoici quoque apud *Diogenem Laërtium in Zenone* tradebant; uxores apud sapientes communes esse debere, ut quilibet illi congregiatur, quæ sibi prior occurrit. Fore enim sic, ut omnes patrum instar æqua caritate sobolem diligant, utque tollatur adulterii suspicio & zelotypia. Add. quoque *Thomas Campanella de Civitate Solis.* Neque apud Romanos inusitatum, uxorem alteri velut commodare, ut ex ea liberos tolleret, eamque si vellet, iterum recipere, vid. *Plutarchus Nama.* Uti *Marciam* suam *Q. Hortensio* commodavit *Cato.* vid. *Idem Catone Minore, & Lucanus l. 2. v. 326.* Sic lege *Solonis* per-

permissum erat, ut puella *invidua*, quam impotens cognatus vindicaverat, ipsius cognatis sese posset substernere. vid. *Plutarchus Solone*. Enimvero quin hæc omnia iuræ naturalis repugnent, dubitare fas non est. Conf. *Matth. XXII. 25. seqq.* Nam naturalis & regularis matrimonii finis est, certam sibi, & suam prolem quærere. Ad quid in ista confusione suum quis posset agnoscere? Et cum non nisi ex uno eodem tempore foetus queat concipi, nil nisi ut libidini satisfiat, heic quæritur. Adparet quoque dulcissima necessitudinum vocabula hoc modo confundi aut velut aboleri. Nam quod *Plato l. V. de republ.* non vocabula tantum cognationis, puta patris, matris, filii, filix, fratris, sororis, sed & officia istis necessitudinibus debita per legem imponere, & ætate superiores pro parentibus, minores pro liberis, æquales pro fratribus haberi vult, id frustra est. Nam nullum patrem habet, qui certum non habet. Bene *Lactant. div. instit. l. 3. c. 20.* *Si omnes omnium liberi sint, quis amare liberos, tanquam suos poteris, cum suos esse aut ignores, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferet, cum, unde natus sit, nesciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno &c.* Et recte quidam miranti, quod apud Lacedæmonios adulteria non audirentur, dixit: ipsa matrimonia adulteria esse, innuens foedum istum morem commodandarum uxorum. Præterea in eo maxime differunt connubia hominum à commixtionibus brutorum, quod uxores maritis fidem dant, de corpore solis ipsis præbendo. Quam fidem si quis maritus ultro uxori remiserit, admittendo adjuutores & vicarios, viri ac mariti nomine indignus est, & decori ordinis in societate humana perturbator foedissimus. Quod si autem legislatori non ferendum videbatur, per vetuli mariti imbelliam foecundum arvam steriles cere; longe commodius erat medium illi damno avertendo, prohibere inter inerves senes, & juvenculas matrimonium. Zelotypia porro, quæ nulla ob suspecta uxoris facinora animum laacinat, uti stolidissimus juxta & miserimus est morbus: (vid. *Oppianus Cynoget. l. 3. v. 237. seqq.*) ita studium servandi integritatem uxoris, abhorrentiamque subseffores thori admittendi, honestati ac rationi repugnare, nemo sanus dixerit: (vid. *Seneca Herc. Octav. v. 233.*) adeoque ista uxorum communicatione neque vitiosa Zelotypia tolli poterat, neque honesta debebat. Non etiam crediderim, hac ratione maxima concordia cives ligatum iri, si quilibet de

LIBRI VI
 prolem, delegamus ad quemcumque ex ipsa
 Tertione nulla est provocatio. Panam
 7. Huc referre possis, quod etiam
 Soemus de morib. gent. l. 3. c. 7. *Aut si
 irorum permissu, quos concubii viciis
 robro dicitur.* Sic rep. Spartanalis
 ita, comatus est ejicere. *non
 em zelotypiam, permissa contra liberta
 nicatione inter bonos: desiderant
 omni in sa cadibus & bellis exsequuntur.
 etate erat conjux, si quem probum & pro
 es, probaretque, jus erat eam habere
 sibi vindicare partem. Ederent
 ter, quæ elegantes pueros daret, aut
 sam sibi ejus faceret, atque ita tanquam
 nere liberos probos, qui proborum
 Ante omnia enim no. duxit præcipue
 eritatis. Quare noluit excusare
 Deinde reliquos non acie legis
 nes & equos ad optimos admi
 dominis: conjuges vero incl
 ans, si ve amentes sint, sive detest
 x præcis edixi sint, non ipsi præ
 prævis & contra probi, eam
 at quomodo præcipue, natura
 nem quoque ejus legis fact
 Stoici quoque apud Diogenem
 pud sapientes communes esse
 e sibi prior occurrit. Fore et
 e sobolem diligent, utque
 l. quoque *Thomas Campanell
 s inusitatum, uxorem alter
 eamque si vellet, iterum re
 tuam Q. Hortensio comm
 anus l. 2. v. 326. Sic lege**

quolibet dicere queat; hoc meum est. Civitates egregiis hominibus potius, quam mancis aut morbidis impleri sine dubio melius est; & fortes creari fortibus, quam languidis frequentius habetur. Sed si vel maxime semper patris robora proles referret; tanti tamen id non erat, ut ideo matrimonii sanctimonia, omnis boni ordinis fundamentum, convelli debeat. Nam huc adferre similitudinem ab admistrariis equis desumptam, fuerit est, quam ut refelli mereatur. Addantur, quæ contra Platonem disputat *Aristoteles Polit.* l. 2. c. 2. Optime *Idem Polit.* l. 7. c. 16. (21.) Πιεὶ δὲ τῆς πρὸς ἄλλοις ὀμιλίας, ἴσῳ μὲν ἀπλῶς μὴ καλὸν, ἀπὸ βίῃ φαίνεσθαι μὴ ἀμὴ μὴ ἀμῶς, ὅταν ἢ καὶ προσγορευθῆ πύσις. *Cum alio vero vel alia consuetudinem habere, dum conjuges erunt & vocabuntur, in rebus turpissimis habeatur.*

§. 16. Altera polygamiae species, & quæ proprie sic dicitur, quæ plures uxores uni viro simul junguntur; & olim & nunc plurimis populis fuit usitata. Quid apud Ebræos receptum fuerit, apertissimum est. vid. *Deuter.* XXI. 15. XVII. 16. 17. & locus *Ambrosii* apud *Gratianum caus.* 32. *quest.* 4. c. 3. 7. Sic 2. *Samuel.* XII. 8. Deus Davidi tanquam insigne beneficium imputat, quod ei complures uxores, & quidem illustres dederit. Et prout tradit *Seldenus de uxore Ebraica* l. 1. c. 9. putabant Ebræi, tot uxores ducere cuique licere, quot vellet; modo ei suppetat, quo singulis victum, vestitum, ac debitum conjugale præstare possit. Ad vitanda tamen incommoda, ex multitudine uxorum provenientia, sapientes ejus populi monebant, quaternarium numerum à nemine, excepto rege, excedendum. Qui contra faciebat, imprudens, & majorum institutis inobediens habebatur. Pontifici autem non nisi unam eodem tempore habendam credebant; etsi priore dimissa aut mortua alteram ducere non prohibebatur. Ast regi ob præceptum *Deuter.* XVII. 17. putabant interdictum supra XVIII. ducere. Quod si autem degerent in loco, ubi monogamia tantum in usu esset, etiam ipsis Ebræis non nisi unam ducendam volebant. Sicut & Judæis sub ditione Romana de gentibus interdicta est polygamia l. 8. C. *de Judæis & cæcicis* Add. idem *Seldenus de I. N. & G.* l. 5. c. 6. De hodiernis Judæis testatur *Leo Mutinensis in historia rituum Ebraicorum part.* IV. c. 2. §. 2. eos, qui in oriente habitant, plures ducere adhuc uxores; id quod in Germania non permissum, nec in usu sit. In Italia autem rarissime, &

in

in eo tantum casu, ubi quis cum priore multos annos sine prole vixit. Ubi monet Seldenus d. l. in prima editione fuisse subjuncta illa verba; *indultu tamen Romani Pontificis impetrato*; quæ verba in edit. Parisina anno 1637. sunt omissa. De antiquis Germanis Tseisus. *Prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Sic Ariovisto duæ fuerunt uxores, Sueva una, altera Norica, memorante Casare l. 1. de B. G. Græci utut regulariter essent monogami; tamen apud Athenienses extabat plebiscitum *ἵνα τὸ λοιπαρῶν, ξυναυξῆσαι τε τὸ πλῆθος, γαμῶν μὲν ἀσὴν ἡλίαν, παιδοποιῶν δὲ καὶ ἕτερας*: ut propter defectum virorum, & ut multitudo hominum gliscat, ducere liceat civem, liberos autem tollere etiam ex alia. Diogenes Laertius Socrate. Unde & Athenaus l. XIII. c. 1. cum ob institutum Cecropis dixisset, non probabile videri, quod quidam scripserant, Socrati duas simul fuisse uxores Xantippen & Myrto; præfertim cum Comici poetæ, in ipsum alias dicacissimi, de eare sileant, demum addit: *nisi forte peculiare aliquod decretum tum ob hominum paucitatem fuerit factum.* Apud Gellium l. XV. c. 2. *αισογονίας*, quæ in Euripide deprehenditur, hæc quoque causa allegatur, quod duas simul uxores habuerit, cum id decreto ab Atheniensibus facto jus esset, quorum matrimonii pertædebat. Apud Spartanos cum Anaxandrides Rex uxorem sterilem nollet repudiare, jussu Ephorum aliam fœcundam isti superinducere adactus fuit. Herodotus Terpsichore. Romanos monogamos fuisse notissimum est, vid. l. 2. C. de incest. nupt. l. 19. C. ad L. Jul. de adult. Et tamen de Julio Cæsare refert Suetonius c. 52. eum legem voluisse ferre, *ut uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot vellet, ducere liceret.* Sic & de Imperatore Valentiniano memorat Socrates hist. Eccles. l. IV. c. 26. eum Severæ uxori superinduxisse Justinam, forma præstantissimam, legemque tulisse, & in omnibus civitatibus promulgasse, qua cuique permillum *ἴνα τοιμίως ἔχειν γυναῖκας*, *Duas legitimas habere uxores.* Idem refert Paulus Diaconus l. XI. Etsi Zonaras de binis tantum ipsius uxoribus mentionem facit, de lege silet. Quia tamen reliqui historici, Ammianus, Zosimus, Orosius, Patres item Christiani, qui de re connubiali toties disputant, de isthoc facto silent; inde & bigamiam illam, & legem Valentiniani pro fabula habet Baronius tom. IV. ad ann. Christi 370. §. 125. Machometes quoq; in nova sua lege polygamiam

Q9999 2

LIBRI VI
 mecum est. Civitates egressi sunt
 orbibus impleri sine dubio mecum est:
 quibus frequenter habentur. Deinde
 proles referret; tanti tamen id nos ca.
 omnis boni ordinis summa
 similitudinem ab ambulatione
 crederet mercatur. Adhuc, quæ
 Palis, l. 2. c. 2. Operante
 is, is mihi dicitur, in talibus, his
 Cam autem
 ut nos admittit, in rebus, quæ
 & quæ proprie dicitur
 & olim & nunc futuris
 otum fuerit, sperantur
 ocus Ambrasi apud Graecos
 XII. 8. Deus Davidi
 plures uxores, & quidem
 e uxore Ebrucal. l. 1. c. 5.
 ce, quot vellet; modo
 debitum conjugale præ
 x multitudine uxorum
 quaternarium numerum
 contra faciebat, impositum
 Pontifici autem dicitur
 ant; etiam priore dimittit
 r. At regi ob præceptum
 supra XVIII. ducere.
 na tantum in usu esset, et
 lebant. Sicut & Judæi
 & polygamiam l. 8. C. de
 G. l. 5. c. 6. De hominibus
 um Ebrucorum præ IV. c. 2.
 ere adhuc uxores: id quod
 In Italia autem manebat

giam permittit, astutissime sese accommodans ad ingenium populorum, quos deceptum ibat. Nam Soli propiores plerique in Venerem fervidi: scemina; autem vel naturali indole, vel ob educationem imperio maritali ita obnoxia;, ut ipsarum zelotypia pacem domesticam non magnopere soleat perturbare. Et si opulentiores apud istos populos singulas uxores singulis ædibus soleant habere inclusas, alii etiam oppidum suas uxores habeant, ad vitanda ista jurgia. *Richerius de moribus Turcarum.* Ratio autem hujus instituti, quam tradit *Boccalinus relat. ex Parnasso cent. II. c. 68.* quod ista inserviat disponendis ad dominatus asperitatem tolerandam hominibus, dum inter plures liberos dispersæ opes familias reddunt debiliores, subtilis quidem est, sed de qua Machometes cogitare non potuit, tanto temporis spatio post ipsius obitum imperio Turcico exorto. Sic quod in India complures reges doctrinam Christianam adspernati sint, præcipua causa memoratur, quod deinceps una uxore contenti esse juberentur. *Add. Abr. Rogerius de Bramin, part. I. c. 13. & Alexand. de Rhodes itiner. part. 2. c. II.*

§. 17. Hæc species polygamia; utrum juri naturali repugnet, necne, inter eruditos non satis convenit. Nos quæ in utramque partem jactantur argumenta proponemus, judicio penes lectorem relicto. Qui igitur polygamiam in se juri naturali non repugnare contendunt, ita differunt; finem regularis matrimonii, certitudinem sobolis & mutuum adjutorium, non minus in polygamia, quam monogamia obtineri posse. Quod enim aliqui clamitant; *hoc modo non recipiari fidem inter conjuges;* id quod tamen ratio dicitur, *cum aliter constare nequeas nisi pacti, & reparatione fidei;* id inane esse. Nam mutuum fidem non in eo consistere, ut præstationes invicem sint æquales. Neque finem matrimonii regularis requirere, ut quemadmodum uxor nemini corporis sui copiam debet facere, præterquam uni marito; sic & maritus non possit alteri scemina; sese impertiri, præterquam unicæ uxori. Nam certitudinem sobolis, quæ unam sceminam pluribus simul viris misceri prohibet, in viro locum non habere. Neque minus tamen fidem uxori maritum exhibere teneri, quæ spectatur in exhibitione adjutorii, & debiti quod vocant conjugalis. Circa quod posterius cum multas apud nationes viris id roboris sit, ut pluribus sceminis sufficere possint, non querelam posse movere plures, unius viri uxores. Imo si primarium
matri-

matrimonii scopum spectemus, qui est generatio sobolis, etiam apud fedatæ Veneris nationes id officii apud plures fœminas uni viro implere non adeo supra vires esse; præsertim si fœminæ velint imitari Zenobiam Palmyrenorum reginam, quæ *ne virum suum quidem sciebat, nisi tentatis conceptionibus*, uti loquitur *Trebellius Pollio*. Ergo ex intemperantia profuere, quod adeo polygamiam oderint mulieres. Quod si uxor à marito sibi soli corporis ipsius usum fuerit stipulata, sicuti Labanus à Jacobo stipulabatur, ne suis filiabus alias uxores superinduceret, id pactum utique esse servandum; add. l. 12. §. 1. D. de verb. oblig. Ubi id factum non fuerit, sufficere uxori pro rata parte corpus viri possedisse; vid. *Genes. XXX. 15. 16. Herodotus Thalia: ἐν μετρώσῃ γυναικὶ φάρμακον τοῖσι ἀπρονῶσι. Uxores Persarum per vices in orbem apud illos pergunt.* Neque injuriam accipere uxorem, si aliis quoque suis uxoribus sese impertiat maritus; quia illa nihil juris habet in corpus mariti, nisi quantum ex pacto connubiali sit quæsitum. Atqui heic ipsam non in integrum velut corpus, sed pro rata duntaxat jus accepisse; & ipsam in tale connubium ultro consensisse. Ergo non nisi tunc justam adesse querendi causam, quando maritus *fundum alienum arat, incultum familiarem deserit. Plautus Asinar. act. V. sc. 2.* add. l. 13. §. 5. D. ad L. Jul. de adul. & quæ ad eam notat *Grotius in flor. spars.* Nam fere ita honoris avidæ non sunt mulieres, ut æquo animo velint acquiescere illa excusatione, quam *Ælius Verus* apud *Spartianum* adhibebat uxori, de extraneis istius voluptatibus conquerenti: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Add. *Plautus Mercatore act. 4. sc. ult. & Græcianus caus. 32. qu. 6. c. 2. seqq.* Addunt præterea, hoc modo nequidquam ad fervilem conditionem redigi uxores: neque in eo flagitium esse, si præ viris inferioris sint conditionis fœminæ. Cum ipsa sexus imbecillitas eas sub tutela velut marium vivere suadeat. *Euripides supplicibus. παρά δὲ ἀγέτων γυναικῶν ἀπίστον εἶδος, αἰτίας σοφοί. Omnia per viros agere deoet mulieres, quæ quidem sapiunt.* Rationes quæ afferuntur de zelotypia, de discordiis domesticis, de odiis novercalibus in ipsa prole continuandis, non efficere, jure naturali polygamiam esse illicitam; sed incommoda quædam domestica eandem comitari, quibus tamen neque ipsum matrimonium, neque secundæ nuptiæ destituuntur, quas nemo idcirco illicitas dixerit. Neque verò hæc incommoda ubique locorum æque depre-

hendi, sed duntaxat apud illas nationes, ubi erecta nimis sunt foeminarum ingenia, aut ubi obnoxii nimis uxoribus mariti vivunt. Apud multos populos naturali indole, an propter educationem, foeminas maritis addictius parere; (vid. *Benzo. hist. novi orbis part. I. c. 37.*) nec cordato viro inter plus quoque uxores domesticam pacem servare difficile esse. *Diomysii Godofredi ad l. 7. C. de Iudaeis & Galiculis rationes* qui expenderit, sat leves deprehendet.

§. 18. Ex altera parte urgetur praecipuum decalogi de non moechando, quod nemo unquam dixit aut dicet ad foeminas tantum pertinere. Si ergo ad utrosque conjuges pertinet, maritis committet adulterium, quotiens fidem matrimonii dederit alteri, aut in thorum receperit alteram foeminam, invita ea, cui potestatem in suum corpus fide interposita primum dedit. *Gratianus caus. 32. quast. 5. c. 15. 16. 23.* Vid. *Baeler. ad Gros. l. 2. c. 5. §. 9.* His reponit nonnulla *Hobbes de cive c. VI. §. 16. & c. XIV. §. 9.* quae alio loco à nobis excutientur. *Anton. Mathaeus de Criminibus ad L. Jul. de adult. cap. 1. §. 13.* negat per polygamiam committi adulterium. (§. 12. negaverat, adulterium à marito committi cum innupta.) Adulterium quippe committi cum nupta alteri. l. 6. §. 1. D. h. t. Neque omnem violationem fidei conjugalis esse adulterium. Nam & qui malitiose deserit, qui debitum non reddit, qui non alit uxorem, contra fidem conjugalem facit; nec tamen ideo adulter cluet. Ad dicit, licet iniquum sit, virum ab uxore exigere pudicitiam, quam ipse non exhibeat; non tamen inde effici, æquale utriusque peccatum esse. Quem enim nescire, majorem licitiae rationem uxoribus constare debere, qua propter sexus verewardiam, qua propter fædam seminum confusio-nem, & adulterinorum suppositionem, qua propter dedecus familiae, totiusque civitatis. Etenim si dedecori habitum, altero parente cive, altero peregrino natum esse, hybridæque olim tales appellati: quanto grandius dedecus, & totius quidem civitatis, si incertum sit, ex adulterio, an legitimo matrimonio cives concepti sint? Sic *Levitic. 18. v. 20. & XX. 10.* adulterium definiri per accessionem ad uxorem alterius, aut violationem uxoris alterius. Nec probabile videri, quomodo lex de non moechando, quæ lata est populo polygamo, ad polygamiam possit pertinere, ut illa non expressis verbis foret prohibenda. Dicta sacrarum literarum, ubi etiam alicujus uxorem concupiisse adulterium vocatur, qui-

quibus innituntur plurima dicta Patrum, allegata *Gratiano* c. 3. 4. & 1. *quest. 4. causa 32. & c. 5. quest. 6. causa eadem. c. 4. X. de eo qui cognovit consanguin. uxoris sue.* Perinde esse habenda, atque illa, quibus homicida vocatur, qui fratrem suum odit. Alii ita adversum differunt; dictum præceptum sine dubio viros æque atque fœminas stringere. Non minus quemcunque virum alterius mariti thorum violare non debere, quam uxorem proprii mariti thorum. Sed in polygamia non esse violationem thori. Deinde in aprico esse, eum, qui in solidum uxori corpus suum addixit, fidem violare, si vel scortetur, vel aliam uxorem priori superinducat. At quomodo fidem violasse videbitur, qui uxorem ducendo facultatem sibi reservavit aliam quoque adsciscendi? Neque debitum conjugale subtrahere, qui non nisi partialem velut usum sui corporis addixit. Heic reponitur; *non esse quod credatur unquam hoc futurum, ut fœmina consentiat suæ injuriæ; nisi vi meturve adacta, aut imbecillitate ac defectu judicii mota, neutro autem ex fonte jus ori posse.* Verum in hoc aliqui injuriam non agnoscunt. Nam quod jus uni homini in corpus alterius competat, illud ex consensu alterius, & pacto fuisse quæsitum. Igitur si præstetur, quantum pacto fuit promissum, non esse causam super injuria querendi. Neque sequi; si viro in fœminam jus est querendum tanquam in uxorem, per naturam justî matrimonii non nisi in solidum id quæri potest; igitur vice versa mulieri quoque non nisi in integrum virum jus quæri debere. Sed nec æqualitatem hominum naturalem hoc pacto infringi. Illam enim haut quidquam requirere, ut præstationes mutux inter homines semper sint æquales. Alias enim juri naturali repugnaret, alios, post antegressum factum humanum, etiam alienum, ipsa nascendi sorte imperio, alios obsequio destinari. Ac in ipso matrimonio neminem sanum æqualitatem hominum eo usque extendere, ut imperium domesticum alteri gerendum velit asserere. Sic circa procreationem sobolis quam facili opera perfungi patrem? Quantos contra dolores, quantas molestias matri exhauriri? In civitatibus ultro irrideri mulieres, si & ipsæ in partem regiminis publici velint admitti: abs quo ipsas haut quidquam per injuriam aut tyrannidem, viro- rum excludi quis dixerit. Sic si quis populus eo sit ingenio, ut additior vellet imperio regi; (quod iniquiores vocant servili modo haberi,) stultè & contra prudentiam regnatricem facere, suavissimam utique juris

juris naturalis fororem, qui plus quam par est fræna eidem velit laxare. Ergo non minus ineptum esse, conditionem foeminarum Asiaticarum miserari, quam rusticorum, aut opificum, quod his durius ævum, quam nobilibus exigatur. Quod maritus non possit honeste consentire in adjuutores thori, aliam esse rationem. Igitur non esse, quod uxor suæ conscientiaæ metuat, si in ejusmodi matrimonium, ubi id publice receptum est, consentiat. Præsertim cum moraliter sit impossibile, à solis mulieribus publico more firmatam aboleri, si vel maxime vitiosi quid illa haberet; quippe quæ & viribus destituuntur, & à repub. excluduntur, & inter quas non defuturae sint, quæ in parte amicitiaæ hæerere velint. *tes.*

IV. I. Acticet Ethnicorum & Muhammedanorum, (apud quos permillum est quaternas ducere uxores, & tot concubinas, insuper, quot quis possit alere,) exempla eludi queant eo nomine, quod istos in multa capita legis naturalis impingere constat: ingenue tamen illos facere, qui objectionem ex polygamia Patrum veteris foederis insolubilem fatentur, Denique circa dictum Apostoli. i. *Corinth.* VII. 4. monent, ibi non agi de primario sine & usu conjugii, sed secundo & indirecto, (*ἡγάτας πορνεύσας*; scilicet vitandas.) quo sine cum æque mulieres atque viri opus habeant, humanitatis utique & æquitatis esse, ut non viro solum, sed & uxori consulatur: quo intuitu virum non posse uxori corpus suum denegare. Ex quo tamen non sequi; ergo non nisi uni uxori sese vir potest impertire.

§ 19. Quidquid hujus sit, id sane patet, optimum, & maxime decorum, simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse, unum una vivere contentum; adeoque hoc matrimonii genus sine dubio perfectissimum habendum; cujus leges non minus marito, quam uxori sanctissime observandæ. *Euripides Andromache*: ἕδι ποτ' ἀνδρῶν λείπτετα ἰπαιτίσω βροτῶν, ἕδι ἀμφιμάτερας κύριος, ἕεν μὲν οἶκον, διμυθεῖς τι λέπας. Τὴν μίαν μοι εἰργάτω πόσις γάμοις ἀκοινώνητον ἑνὴν ἀνδρῶς. *Numquam geminos lectos laudabo mortalium, neque liberos, qui habent diversas matres, litem adium, & tristes dolores. Maritus in nuptiis mihi sit contentus uno lecto viri non communicato. Socrates Nicocle*. Non potui non vehementer accusare illos, qui ductis uxoribus, & in ita totius vite societate, pactis & conveniis non starent: sed dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent, à quibus ipsi nullare offendi se vellet: cum in aliis contractibus æquitatem colerent, solas

solas conventiones cum uxoribus factas violarent: qua eo sanctius custodienda erant, quanto sunt alii interiores & majores. *Plautus Mercatore*: Nam uxor contenta est, qua bona est, uno viro: *Qui minus vir una uxore contentus fiet?* Accommodari quoque huc possunt, quæ tradit *Plutarchus conjugal. præceptis*. *Felem* a iuncto unguentorum odore ad insaniam redigi. Eodem modo si unguentis mulieres afficerentur, flagitium utique esset, non abstinere unguentis viros, sed exigua voluptatis causa tantum pati illis evenire miseriam. Quando igitur mulieres ad insaniam adigit non unguenti usus, sed maritorum cum meretricibus coitus, profecto injustum est, voluptatis gratia parva tantum doloris ac perturbationis uxori inferre: ac non potius purum in actumque ab omnibus aliis mulieribus ad uxorem accedere. *Clytæmnōstra* apud *Euripidem Electra*.
Ἄνθρωποι μὲν ἔν γυναικί, καὶ ἄλλως δίω. Ὅταν δ' ὑπὸν τῶν ἀμαρτανῶν πέσει. Τὰνδ' ὅν παρῶσαι ἀνθρώπων, μιμνήσθαι δὲ τῆς γυναικὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἄνθρωπον κτῆσθαι φίλον.
Stulta quidem sumus mulieres, non aliter dico. Cum autem hoc stultitiæ vitium mulieri subest & maritus peccat, Domesticum repellens lectum, & imitari vult *Mulier virum, & alterum sibi querere amicum*. Sed & illud constat, inter complures uxores fere contingere, ut una eximie diligatur. *Genes. XXIX. Deut. XXI. 15. Esther II. 17. Cantic. VI. 7. 8.* Ergo in ipsa multitudine natura quasi ultro ad unitatem ducit. Huc quoque facit illud *Salustii Jugurth*. *Ea necessitudo (generi) apud Numidas Maurosque levis ducitur: quia singuli pro opibus quisque quam plurimas uxores, demas alii, alii plures habent: sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur: nullam pro sociâ obtinet; pariter omnes viles sunt.* De *Parthis* in eundem sensum *Ammianus Marcellinus* l. 23. c. 12. *per libidines anxias charitas dispersator pescit. Apud Procopium hist. Vandal. l. 2. Pro libetis anxii estote, quos unius uxoris necessitas devincta tenet. Nobis quibus vel quinquaginta si opus sit, patent conjugia, nunquam posteri deerunt. Claudianus de bello Gildonico. Connubia mille. Non illis generis nexus, non pignora cura; sed numero languet pietas. Grotius de ver. Rel. Christ. l. 2. n. 13. monogamiæ inter Christianos receptæ has affert rationes, ut animus ab uxore in solidum marito datus, æquali retributione pensetur, rectiusque procedat sub una prælide regimen domesticum, neu diversæ matres discordiam liberis inferant. Accedit etiam ratio politica, apud plerosque populòs cultiores post genus humanum tantopere multiplicatum valens contra polygamiam; quod per liberorum multitudinem nobiles familiae ad egestatem, modice*

R r r r

ad

LIBRI VII.

qui plus quam par est fræna eidem rebus
 in esse, conditionem femininarum Ab
 um, aut op. sicum, quod his dicitur
 no d. marceus non possit honeste con
 fationem. Legitur non esse, quod un
 medi matrimonium, ubi d. public
 cum moraliter sicur possit, a
 aboleri, si vel maxime vitiosi
 s delituuntur, & à repub. exci
 quæ in parte amicis hæret
 & *Muliamæ* edanorum, (apud
 ores, & tot concubinas, imp
 queant eonome, quod dicitur
 onstet: ingenue tamen illos
 veteris tæderis in iolubium
Corinth. VII. 4. monent, ibi
 d. secundario & indirecto.
 n. æque mulieres atque vir
 tatis esse, ut non viro solum
 m non posse uxori corpus
 ergo non nisi uni uxori
 sane patet, optimum, & ne
 esticam accommodatissimam
 ue hoc matrimonii genus
 us leges non minus man
pides Andromache: ἔτι τῶν
 κέρως, ἔτι μὲν οὖν, & ἔτι
 ἰσχυρῶν ἰσχυρῶν ἰσχυρῶν
 liberos, qui habent dicitur
 n. n. p. r. i. s. m. i. b. i. s. i. t. c. o. n. t. e. n. t. u. r.
 . Nam potius non vobis
 as visa societate, p. a. r. t. i. s.
 indulgerent, eas offendit
 is contractibus equitatis

ad mendicitatem sint redigendæ, ac nimia multitudine tenuis plebeculæ Civitas opplenda, quæ ubi commode evacuari nequit, (cujus rei non semper occasio est,) mole sua temp. sit pessumdata. Nam horridus nimis est modus, quo exundans hominum multitudo, ex polygamia proveniens, minuitur in Angolæ regno; ut in America opusfacturi vendantur. Imo ne apud Turcas quidem polygamiam tradunt tantopere ut olim frequentari, & intra licentiam lege ipsorum concessam: cuius res causa non tam videtur inolitum apud istos sodomix vitium, quam incommoda polygamiam comitantia.

§. 20. Nec minus acriter disceptatur hæc quæstio, an jure naturali matrimonium sit societas solubilis, adeoque an eodem jure divortia sint licita? Ubi itidem, quid in utramque partem jactari soleat, afferemus, judicio penes eos relicto, qui rationum momenta expendere norunt. Ab initio igitur præsupponitur, id habere quodvis pactum, ut una pars ab eodem non possit discedere, nisi alterius consensu, aut pacto ab altera parte violato. Ergo hoc utique juri naturali repugnabit, si unus conjugum ab altero invito discedat, ubi ab hoc nullum caput pacti matrimonialis fuerit violatum; tantum ut meliorem sibi conditionem pareret, aut quia sic placet. Nec trahi huc debet l. 14. D. *pro socio*. Nam præterquam quod conjugum, qui vel quæ sic destituitur, sine dubio damnum infertur; etiam longe facilius dirimitur societas, quæ rei augendæ causa fuit inita, quam arctissima illa inter conjuges conjunctio. Nam in matrimonio utriusque conjugum in alterius corpus jus fuit quæsitum, quod invito auferri non debet. Deinde ut consensu mutuo matrimonia dissolvantur citra gravissimam aliquam causam, indecens utique & noxium est; cum per ejusmodi divortiorum licentiam non possint non & familiaræ, & publicus civitatum decor gravissime convelli. vid. *Valer. Max.* l. 2. c. 9. §. 2. Id quod etiam extenditur ad sponsalia, ut nec illa nudo dissensu pacifcentium re licet integra rescindantur, nisi gravissima causa incidere, aut si deficient conditiones, ex quarum existentia validitas pacti suspensa fuerat. Add. *Gellius* l. 4. c. 4. Hinc *Dionysius Halicarn.* l. 2. insigniter commendat institutum Romuli, quo matrimonii per confarreationem contracti vinculum jussit insolubile esse. *Ita lex hæc, inquit, mulieres nuptas, quippe quæ non haberent aliud, quo se converterent refugium, cogebat solius mariti se attemperare moribus: viros item sic habere uxorem, ut rem*
necess.

necessariam, nulloque diuulendam modo. Ac merito inter præcipuam morum Romanorum corruptelam numeraveris, quod ita levibus aut nullis de causis divortia passim frequentata. *Seneca de benefic. l. III. c. 6. Numquid jam ulla repudiis erubescit, postquam illustres quadam, ac nobiles femina non consulum numero, sed maritorum annos suos computant, & exeunt, matrimonii causa, nubunt repudiis.* Sicut & reliqua Saracenorum barbarie dignum; quod uxores illis mercenaria conducta ad tempus exacto: atq; ut sit species matrimonii, dotis nomine futura conjux hastam & tabernaculum offert marito, post statim diem, sic id elegerit discessura, apud *Ammian. Marcellianum offert l. XIX. c. 3.* Similia connubia Belgæ in Japonia contrahere, solent, dissolvenda ubi discesserint. *Bern. Varenus Japonia, c. 13.* Id quod in aliis quoq; locis Indiæ fieri fœvit. Inter Persas quoq; talia connubia frequentari scribit: *Ad. Olearius itin. Pers. l. 5. c. 22. & Petrus de Valle Itin. part. 2. ep. 17.* Improbe quoque fit illud, quod perstringit *Iuvenalis sat. VI. Cur desiderio Bibula Sertorius ardet? Si verum excutias, facies, non uxor amatur. Tres ruga subeant, & se cutis arida laxet, Fiant obscuri dentes, oculique minores: Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi: Iam gravis es nobis, & sepe emungeris, exi Ocyus & propera, sicco venit altera naso.* Nam femina cum senuit retinet connubia partu, uxorisque decus matris reverentia pensat, *Claudian, in Eutropium l. 1.* Add. *Martialis l. X. epigr. XLI.* Et lex Charondæ apud *Diodor. Siculum l. XII. c. 18.* qua viris & fœminis post divortium ad secundas transire nuptias conceditur, modo non adsciscatur conjux ætate junior, quam abs quo vel qua discessum fuit, Quid quod & insignis contumelia habetur matrimonio aliquam ejicere; quam, nisi gravissima subegerit causa, honestæ intulisse indignum fuerit. Quod etiam ad repudia extendi debet. Apud *Procopium hist. Goth. l. IV.* cum Radigis sponsæ, virgini Brittæ, repudium citra causam in ipsa hærentem renunciasset, ipsa contumelia intolerans in ultionem tota ferebatur. Tanto enim honore pudicitia apud Barbaros colitur, ut femina, de cujus nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integro, pro corrupta habeatur. Apud *Tacitum A. II.* in sacerdotio prælata est *Pollionis filia,* non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio manebat, nam *Agrippa* dissidio domum imminuerat. *Publius Syrus: Habent locum maledicti crebra nuptia. Mulier, qua nubit multis, multis non placet.*

§. 21. Ulterius igitur dispiciendum, num & in matrimonium cadat, quod omnibus aliis pactis est commune, ut ubi istius capitas, saltem primaria, ab altero fuerint violata, pars læsa nanciscatur facultatem matrimonio discedendi. Id quod de essentialibus capitibus tuto videtur affirmari. Scilicet initur illud ad sobolem procreandam, cui finis necessaria est mutua corporum præbitio. Inde saltem ex merito jure naturali, alter conjugum vinculo liberabitur propter malitiosam alterius desertionem, ut & pertinacem atque ultroneam debiti conjugalis denegationem. Quo posteriori nomine quondam apud Judæos erat actio debiti conjugalis, uti docet *Seldenus de Uxoribus Ebrae* l. 3. c. 6. 7. *Lactantius div. instit.* l. VI. c. 23. *Nec aliam ob causam Deus, cum ceteras animantes, suscepto factus, maribus repugnare voluisset, solam omnium mulserem patientem viri fecit: scilicet ne feminis repugnantibus libida cogeret viros aliud adpetere; eoque facto castitatis gloriam non tenerent.* Add. *Gratianus caus.* 33. *quæst.* 5. c. 1. *sequitur* Cui addi potest *Plutarchus amatorio.* Τὸν Σόλωνα μαρτυρεῖ γαγονταί τῶν γαμικῶν ἐμπειροτάτῃ τομοδίτῃ, κελύσαντα μὴ ἔλαττον, ἢ τρεῖς καὶ μῆνα τῆ γαμικῆ πλυσίαζεν. ἐν ἡδονῆς ἰσκα, ἀλλ' ὡσπερ αἱ πόλεις δεξ. χθόνε ὑποστάς ἀνανεύεται πρὸς ἀλλήλας, ἕτως ἀρα βελόμην ὁ ἀνανεύει τὸν γάμον ἐν τῷ ἐκασοτι συλλιγομένων χρημάτων ἐν τῇ θιάτῃ φιλοφροσύνη. *Et Idem in Solone.* Εἰς τῷσ' οὐτελεῖ τὸ τρεῖς ἐκάστῃ μῆνος ἐτυγχάνει πάντως τῇ ἑπικλήρῃ τὸν λαβόντα, καὶ γὰρ εἰ μὴ γίγνοιτο παῖδες, ἀλλὰ σιμὴ τις ἀνδρὸς αὐτῆ πρὸς ὁσφρονα γυναῖκα, καὶ φιλοφροσύνη, πολλὰ τῶν συλλιγομένων ἐκάστοτι συγγρηῶν ἀφειρέσα, καὶ ταῖς διαφοραῖς ἐν ἰῶσα παντάπασι δεπσραφῆται. Add. *Mich. Montaigne essai.* l. 3. c. 5. p. m. 102. 103. Sic ap. *Diog. Laërtium in Pythagora* refertur; hunc, cum ad inferos descendisset, vidisse cruciari τὰς μὴ θίλονταῖς συνείηταις αὐτῶν γυναῖξί. *Qui suis uxoribus congrredi nollent.* *Aristoteles Oeconom.* l. 1. c. 4. ἀδικία ἀνδρὸς αἱ θύραξαι συνουσία γινώσκειν. *Injuriam facit maritus in conversatione cum extraneis.* Deinde conjugium initur; ut suam quisque prolem tollat; non adulterinam, non supposititiam. *Iosephus archæol.* III. 10. *Adulterium Moses omnino prohibuit; felicissimum esse credens; viros circa thorum esse securos; & civitatibus simul ac domibus expedire, filios nasci genuinos.* Quin & extra procreationem sobolis honesti viri suam sibi seorsim volunt habere uxorem; ac ne nave quidem onerata ab eadem vectores recipi decorum judicant. Saue nobis tantū non est urbanitatis laus, ut metua-

mus illud convitium *Ovidii Amorum* 3. & 4. *Rūsticus est nimium, quem
 ledit adultera conjux, Et notos mores non satis urbis habet.* *Martialis*
 VI. *epigr.* 90. *Machum Gellia non habet, nisi unum: Turpe est hoc ma-
 gis, uxor est duorum.* Add. *Abr. Rogerius de Braminibus part.* I. c. 13.
 Ergo divortii iusta causa erit, si uxor alteri corporis sui copiam faciat,
 & quidem ultro. Nam quibus invitis vis illata, eas adulterii nemo
 jure infimulaverit. vid. *Valerius Max.* l. VI. cap. 1. §. 2. *int; externa.*
Livius l. 38. cap. 24. *Xenophon in Hierone* p. m. 578. l. 13. §. 7. l. 39. *prins.*
D. ad L. Iuliam de adult. *Aelian.* V. H. l. 12. cap. 47. Et si enim gra-
 vius delictum videatur, per violentiam, quam blanditiis & persua-
 sionibus pudorem expugnare: tamen violento stupro major injuria
 infertur sceminae, per ultronem marito. l. 1. §. 3. *D. de servo corrupto:*
persuadere plus est, quam compellere atque cogere. Unde adparet, quod
 adulterium & malitiosa desertio ad divortium sufficere judicentur, id
 non provenire ex peculiari lege divina positiva; quasi istae duae ex-
 ceptiones insolubilitati matrimonii fuerint additae: sed quia commu-
 nis pactorum natura est, ut quando una pars conventis non stetit,
 neque altera amplius teneatur. Et hactenus quidem; ut non solum
 laesa pars cum perfida conjuge non amplius teneatur cohabitare; sed
 & laesae parti transire ad secunda vota liceat. Quicquid in contra-
 rium jus Canonicum nugeretur. Nec tamen difficile est istis sacerdo-
 tibus alia via sua decreta eludere; si cui heic gratificari placeat; de-
 clarato, matrimonium ab initio fuisse nullum; cujus rei varios obten-
 tus idem jus suggerere potest. Ceterum etsi liberorum quarendo-
 rum causa potissimum matrimonium ineatur; non tamen videtur so-
 lam sterilitatem aut infœcunditatem alterutrius, qui alias ad copulam
 idoneus est; sufficere ad divortium; cum foecunditatem praestare pe-
 nes hominem non sit. Quamquam qui primus Romae uxorem dimisit
Sp. Carvilius Ruga anno A. U. C. 523. eo mortis juramento dicitur,
 quod apud Censores singuli cogebantur profiteri, se habere uxorem
 liberorum quarendorum causa. vid. *Gellius* l. IV. c. 3. *Valer. Max.* l. 2. c. 1.
Spartae autem cum *Anaxandrides Rex*, postulantis Ephoris, sterilem
 uxorem repudiare nollet, eorundem consilio alteram foecundam ista
 superinduxit, apud *Herodotum Terpsichore*.

§. 22. Enimvero circa hoc potissimum controvertitur; cum regulariter uxor in continuam cum marito cohabitationē consentiat, pro suis viribus auxilio juxta & conversationis amœnitate marito subvenitura, simulque familiarem istius directionem subeat; in cujus compensationem maritus vicissim uxori defensionem, honestam tractationem, & quæ sunt alia, debet: (*Homer. Il. I. ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέσθων τὴν αὐτῆ φιλίην καὶ κήδεται.* *Quisquis probus & cordatus est suam amat & curat.*) an hujus quoque præstationis violatio enormis sufficientem divortio causam præbeat. Id quod non pauci, si merum jus naturale spectetur, affirmare non dubitant. Cum enim immorigerum filium patri fas sit abdicare, qui saltem naturaliter patri videtur magis conjunctus, quam uxor: cur non possit uxor moribus intolerabilibus, emendationisque impatiens tanquam rebelle familiæ membrum domo ejici? Præsertim cum nimis quam verum sit illud *Fulgentii Mythol. l. I. Conjux quantum jure conjunctior, tantum est aut morum dulcedine mellea, aut felle malitia toxica: est quippe aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum. Simonides, Γυναικὸς ἔστιν χρῆμα ἀνὴρ λήζειται. Εὐδελῆς ἀμεινον, ἔσθ' εἰς ἴσον κακῆς. Vir bona uxore nihil possidet melius, nec mala pejus. Euripides Oreste. Τάμοι δ' ὅσοι μὲν ἐν καδίς ἄσι, βιοτῶν μακάρειον αἰῶν, οἷς δὲ μὴ πίπτουσιν ἐν, τὰτ' ἔνδρον εἰσι τὰτι δύνεαζι δυσσοχεῖς.* *Nuptia quibus bene constituta sunt, iis Felix exigitur avum: quibus autem non cadunt bene Illi pariter domi & foris sunt miseri.* Contra si sævis modis justam rationem uxorem tractet maritus, neque ipsi, quæ matronæ debentur, exhibeat, sic ut non tam comparem, quam importunum sese hostem ferat; omnino æquū videri, ut ista sibi divortio consulere possit. Add. lex Theodosii l. 9. C. de repudiis. Ubi tamen scrupulus oritur, an jure naturali propter intolerabiles mores sævamque tractationem fas sit vinculum conjugale plane abrumpere? & annon reliqua officia matrimonii possint continuari, puta propagatio sobolis, utut cohabitatione continua & familiari abrupta? cum prius pactum, ad propagationem sobolis tendens, videatur essentialia, alterum adjectum duntaxat. Ubi hoc patet, posse inter eosdem plura iniri pacta hac lege, ut licet unum fuerit violatum, reliquis tamen adhuc stetur. Quin & iniri potest pactum, pluribus capitibus constans, hac addita clausula, ut licet ab uno capite fuerit discessum, in cæteris tamen explendis pergatur. Hoc modo si matrimonium fuerit initum, fieri vide-

tur

turposse, ut, licet uxor ad cohabitationem continuam importunis moribus seipsam reddiderit ineptam, præstationem tamen ejus debiti, quod ad prolem procreandam pertinet, continuet. Sed quia non est probabile, ad hocce debitum sese sat commodam præbituram, cujus conservatio fuit intolerabilis; aut aliquem non penitus averaturum corpus, in quo tam tetricus hospes stabulatur, cum vix quispiam optet prolem tollere ex ea, quam odit: inde regulariter uno eodemque pacto, & de præbendo corpore, & de conversatione familiari inter conjuges convenitur; & sic hæc ita mutuo velut implicita sunt, ut cum uno alterum quoque simul abrumpi videatur. Inde juri naturali repugnat, ob mores inferabiles, & nimiam sævitiam conjuges separare à consortio mensæ thoricæ salvo tamen vinculo matrimonii, quo de alia conditione sibi prospicere prohibeantur. Nisi forte ad tempus & in vicem castigationis ea separatio sit injuncta, frangendæ pertinaciæ, & ut penitus exploretur, an aliqua morum emendandorum spes sit. Absurdum quippe est dicere; vinculum pacti adhuc subsistit; & tamen nulla pars ejus debiti, quod ex eo pacto fluit, præstari potest aut debet. Et licet daremus, partem illam, penes quam culpa diffidii hæret, fortasse hoc modo recte plecti: partitamen innocenti fit injuria, quæ alienum luere peccatum cogitur, & ad cælibatum sibi fors molestissimum aut intolerabilem adstringitur. Et hæctenus naturaliter utriusque conjugis conditio par esse videtur. Inde *Plutarchus in Romulo* legem hujus σφοδρῶν *duram* vocat, quæ mulieri à viro vetat divertere, aut viro permittit illam repudiare ἢ τὴν Φαρμακείαν τίνων, ἢ κλειδῶν ὑποβολήν, καὶ μοιχευθεῖσαν, *propter veneno sublatos liberos aut suppositionem clavium*, (et si *Xylander* legere malit παίδων) *aut propter adulterium*. *Euripides Andromach.* Idem tamen ius habet vir, & mulier injuria affecta à viro: sic etiam vir cum habet in adibus mulierem impudicam. Et huic quidem viro magnum robur est in manibus. Huic vero mulieri in parentibus & amicis res sunt posite. Sicut apud Athenienses lege *Solonis* tam vir uxori, quam uxor viro nuncium poterat remittere, quam in rem etiam diversa erant vocabula prodita. Si enim vir repudiaret uxorem, vocabatur ἀπομομή; si mulier à viro discederet, dicebatur ἀπόλειψις. Scilicet sponsa deducebatur in domum viri, unde ipsa non poterat ἀποπέμπειν τὸν ἀνδρα, & adibus

ædibus eum ejicere: poterat tamen eundem *ἄλλοιόν*, & alio ab eodem discedere. Id tamen monendum, quamcunque ob causam divortia in aliqua civitate tolerentur, præstare illa, fieri causa judici ad probata, quam ut soli conjugum conscientia res tanti momenti permittatur. Ratio enim, quam *Bodinus de republ.* l. 1. c. 3. in contrarium adfert, quod hoc modo alterutrius conjugum existimatio lædatur, satis valida non videtur. Add. quoque *Plato de LL.* l. XI, p. m. 974. & *Charxon de la Sageſſe* l. 1. c. 46. n. 12. & *Seldenus de I. N. & G.* l. 5. c. 7.

§. 23. Sed circa legem divinam, primævam aut per Christum repetitam, major est difficultas. Ubi illud constat, Judæos credidisse divortia lege divina *Deuter.* 24. non permittenda solum, sed & præcepta fuisse, ubi marito uxor displicuerit. Quin & ob sterilitatem utique debuissent aliquem uxorem dimittere, colligi potest ex *Philone Judæo de specialibus legibus*: *Qui puellas duxerunt incerti de futura fecunditate, si sterilitate tandem deprehensa non eis renunciant, & res suas sibi habere agereque sinunt, merentur veniam, quia victi diuturna consuetudine, amoreque mutuo non valent vim inferre suis affectibus, impressis jam dudum in animum. Qui autem feminas comperta sterilitatis expetunt ad conjugium, suum bicorumque more quærentes solam venerem, in impiorum album adscribantur, ut Deo repugnantes, cui hominum generura cura est.* Neque dubitari debet, eadem isti genti frequentata fuisse, ut in historia ejusdem sacra & profana per annos plusquam DCC, nulla aut rarissima ejus rei exempla memorentur. Nam in annales non solent referri facta communibus moribus congruentia, sed tantum quæ singulare quid videntur continere. Imo apud *Isai.* l. 1. & *Jerem.* III, 1. 6. in taxandis populi peccatis adhibentur similitudines à divortio petita, tanquam ab actu in vulgus notissimo. Inde & *Josephus archæol.* l. XV. c. 9. tanquam inusitatum, & à communi jure discrepans annotat, quod Salome libellum repudii miserit Costobaro marito suo, Idumææ & Gazæ præfecto; cum alias moribus Judæorum non liceret mulieri sponte à viro divertere, nisi ab eo dimissa: excepto, si quis uxorem à se in primo concubitu virginem non deprehensam fuisset calumniatus. Huic enim liberum erat abire an manere apud virum mallet; etsi marito, si ipsa vellet, eam retinere utique necessarium erat, teste *Philone Judæo de specialibus legibus*. Idem *Joseph.* l. XVIII. c. 7. narrat de Herodiade Aristobuli filia; quam re-

prehendit Joannes Baptista *Matth. XIV. Marci VI.* Verum isthanc divortiorum licentiam à Salvatore nostro penitus sublatam plerique Theologi asserunt ex *Matth. V. 32. XIX. 8. Marc. X. 4.* Ubi *Grotius L. 2. c. 5. §. 9.* addit, semper quidem ab initio DEO placuisse, ut matrimonium esset perpetuum: sub veteri tamen fœdere homines non fuisse ad hoc obligatos. Verum sub novo fœdere Christum id, quod ante erat convenientissimum, Deoque gratissimum, expressa lege sanxisse. *Seldenus tamen de uxore Ebræa l. 3. cap. 22.* dictum Christi sic explicat: eo seculo inter Judæos fuisse duas sectas, unam Sammæanorum, Hillelianorum alteram. Priorem putasse, non licere ab uxore divertere, nisi in ea fuerit deprehensa aliqua fœditas: hos autem statuisse, ob quamcumque displicentiam licite uxorem dimitti. Christum igitur inter dissidentes sectas velut arbitrum captum pro Sammæanis pronunciaisse: fas scilicet non esse ita temere abrumpere societatem ab ipso Deo institutam, nisi turpis aliqua causa, quam Ebrææ linguæ genio *τροπή* vocari solenne est, subigat. Vid. *Valerius Maximus l. 9. c. 2.* Addit, ne inter antiquissimos quidem Christianos divortia penitus fuisse illicita extra causam adulterii, id quod constat ex *l. 8. C. de repudiis*, ab Imperatore religiosissimo lata. Donec Pontificum superstitione, & iniquitate connubii vinculum utroque vivo insolubile declaratum fuerit. *Buxtorfius de Sponsal. & Divortis* contra Judæos plerosque ostendit, in verbis Moyſis *Deuter. XXIV. 1. 2. 3. 4.* unicum tantum contineri præceptum, nempe ne quis, quam semel repudiavit mulierem, in thorum denuo recipiat. Ipsum autem morem uxores dimittendi eo loco à Mose neque adprobatum, neque diserte improbatum, sed velut in medio relictum. Quem dum Salvator noster ob duritiam cordis illis indultum pronunciat, satis patere, eam permissionem Mosaicam non significare adprobationem, sed nudam tolerantiam & conniventiam, à pœna in foro humano duntaxat liberantem. Addantur omnino, quæ prolixè disputantur à *Grotio ad Matth. cap. V. v. 31. 32.*

§. 24. In primis valde sùdat, domestica fortasse calamitate irritatus, *Joannes Miltonus*, peculiariter libro *de divortis*, ut probet, etiam per principia religionis Christianæ mores intolerabiles, ac disparitatem & *repentiam* animorum inter conjuges sufficientem esse divortii causam:

Ssss

imo

imo si qui tam male comparati deprehendantur, omnino separari debere. Cujus præcipuas rationes recensere dividæ non erit. Initio igitur præsupponit, *ex verbis instituti divinitus matrimonii adparere, nobilissimum scopum, quem Deus ob oculos habuerit; fuisse commodam & amicabilem conversationem viri cum muliere, medendis vitæ molestiis: propagationem generis, cujus in sequentibus demum verbis mentio fit, finem esse matrimonii, qui priori dignitate cedat.* Quæ quidem hypothesis nobis falsa videtur. Neque enim separati sunt fines, quando Deus Adamo vult creare & adungere adjutorium, & dein crescere ipsos & multiplicari jubet: sed per posteriora verba fructus potissimus, secundante benedictione divina ex adjutorio illo mutuo proveniens, describitur. Et sane si jucunda conversatio primarius Dei fuerat scopus, quid opus erat diversitate sexus? Nam si removeas procreationem sobolis, & quam isti promovendæ diversorum sexuum conjunctioni natura velut adspersit jucunditatem; melius viris inter se erat conventurum, & præstabilius inter se adjutorium iidem exhibere poterant. Inde pueri, antequam stimulos venereos sentiant, & senes emeritorum stipendiorum magis conversatione sui sexus, quam scæminini capiuntur. Et nescio quas delicias conversationis somniat *Miltonus*, sibi que ipse deformat ideam mulieris, viri sapientis, & literati genio potissimum congruentis, quæ studiorum se se consortem ferre queat, aut meditationibus festum argutis jocis recreet, curisque ac tristitia correptum eleganti oratione erigat. Enimvero uti voluptatem animi corporis titillatione infinitis modis potiozem nemo sapientum abnuerit; ita cum tam paucæ dentur scæminæ, in quas sublimior ista sapientia cadit, pauca invenies matrimonia virorum sapientum, quæ ex ea causa non possint dissolvi. Quin si quis eo sit animo, ut procreationem sobolis in postremis ducat, & nullos sentiat stimulos, qui non nisi per scæminas demulceri possunt, illi autor fuerim, ut à ducenda uxore omnino se absteineat. Nam vulgo scæminis ejusmodi hominum sapientia est invisissima; quas & vicissim enervibus istis, & morosis parum esse amabiles haut quidquam mirum est. Denique quicquid dissimulent isti homines, quare scæminæ potius, quam viri amici conversationem in vitæ solatium institutam arbitrentur, nullam possunt afferre rationem, quam quia singulari inclinatione, ex differentia sexus resultante, mares ac scæminas invicem

cem natura conciliavit. Satius ergo fuerit, minus alto philosophari; & communi mulierum genio considerato, pro fat commoda compare habere foeminam, quæ in generanda & educanda sobole, simulque capeffenda curæ domesticæ parte viro operam præstat; utut de cætero circa meditantam sapientiam parum adjumenti queat afferre. Nec plane de nihilo est, quod *Juvenalis sat. VI.* dicit: *Non habeat matrona, tibi que juncta recumbit Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torquent enthy-mema, nec historias sciat omnes. Sed quædam ex libris & non intelligat. odi Hanc ego quæ repetit, voluit que Palamonis artem, Servata semper lege & ratione loquendi. Solacium liceat dixisse marito.* De Brachinanibus refert *Strabo l. 15.* eos cum uxoribus non philosophari, ne si improba sint, aliquid quod efferri nefas sit, in profanos efferant: sin proba viras relinquunt. Nam qui voluptatem ac dolorem, vitam ac mortem aque contemnit, subditum se esse non patitur. *Euripides Hippol. Coron.* Μὴ ἐν ἰμοῖς δόμοις εἶν φρονεῖσα πλείον, ἢ γυναῖκα ἄν. *Ne talis domi mea sit, qua ultra quam decent mulierem sapit.* Circa *Ipsius* porro argumenta in universum est observandum, illa nihil efficere, siquidem liquido constat, Christum nullam præter adulterium causam ad divortium voluisse sufficere. Heic enim obtinebit illud vulgare: durum quidem, sed ita lex scripta est. Sicuti nec humanæ leges statim abrogantur, quæ in universam reip. salutare deprehenduntur, licet uni vel alteri incommodi quid inde proveniat; quod pro fatali calamitate est habendum. Ergo hoc tantum efficit *Miltonus*, ut, siquidem dictum Salvatoris aliam ferat interpretationem, mansuetudini doctrinæ Evangelicæ convenientius videatur, molliorem, quam qui vulgo receptus est, sensum sequi. Huc autem fere redeunt *Ipsius* argumenta. Disparitatem animorum, pervicaciam ingenii, societati cum certo aliquo homine colendæ ineptam, & corrigi nesciam, quæque præcipuum matrimonii bonum, adjutorium & recreationem intercipit, longe graviolem esse causam divortii, quam est naturalis defectus, aut morbus, aut corporis aliqua fœditas, ob quam tamen Judæis divortia quondam permilla. *Deuter. 24.* Nullam præterea societatem ligare socios, contra primarium scopum institutæ societatis, aut contra intentionem, & spem utriusque, aut alterutrius societatem ineuntium. Jam autem Deum voluisse viro adungere adjutorium, non domesticum tortorem, subsidio futurum

non in solâ procreatione sobolis, sed & in ejusdem educatione, & totius vitæ consortio; quem finem utique intolerabilis ingenii morumque asperitas perimit. Absurdum videri, quod, cum jus Canonicum frigiditatem ad matrimonium dissolvendum citra scrupulum declaraverit sufficientem, morum adeo nullam rationem habuerit: præsertim cum illa statim possit deprehendi; hi vero ad tempus alta dissimulatione obtegi soleant, quousque miser in casses sese perrumpi nescias induerit. Esse contra legem caritatis, esse plenû inhumanitatis, ullo modo adstringere hominem miseris non nisi morte finiendis; quibus citra duram illâ legem positivam facillime adhiberi poterat remedium; cum ipse Deus in ferendis suis legibus imbecillitati humanæ sese videatur accommodasse. Sacras literas inter alias rationes matrimonium suadere propter declinandas tentationes, ex incontinentia vitæ provenientes. Ast qui in matrimonio suo nihil invenit, in quo animus possit adquiescere; cui per uxorem perpetua tædia moventur, illum longe gravioribus agitaritentionibus, quam si in cælibatu substitisset. Nam & animo semper male esse; & quia uxor displicet, alibi libidines prorumpere gesticire. *Maimonidem* inter rationes legis de divortiis hanc quoque ponere, ut in singulis domibus pax & tranquillitas eò melius conservetur: Sicuti & *Bodinus de rep.* l. I. c. 3. lege illa divina de divortiis nullam sanctiorem esse, ait, posse sive ad fœminarum superbiam, sive ad maritorum iracundiam coercendam. Quæ ratio cum æque jam in Christianos, quam olim in Judæos cadat; non videri verosimile, Deum illos, quam hos, duriori jugo voluisse adstringere. (Sic de Japoniis refert *Bern. Varenius descr. Japon.* c. 12. Divortia in ea gente esse frequentissima, etsi nobiles fastiditam uxorem in ædibus retineant, & de necessariis rebus eidem prospiciant. Atque hinc fœminæ annuntur omni studio maritorum suorum mores cognoscere, quo hisce cognitis ea faciant, quæ grata & jucunda illis sint, nihilque eorum omittant, quæ ad animos istorum sibi divinciendos possint facere. Quin & alienatis abs se non querelas movere, & dolorem dissimulare, quo dulcedine conversationis & inserviendi promptitudine amorem ejus sibi rursus concilient.) Mandari nobis in sacris literis, ut removeamus à nobis omnia impedimenta pietatis; inter quæ vel præcipuum est morositas socii, quem nullo modo queas corrigere, aut amoliri. Naturæ repugnare, animos

animos invicem conciliari nescios insolubili vinculo copulare. Insidias vitæ structas ad divortium sufficere Imperatores Christianos judicare. Atqui quam multis perpetuas illas offensas vitam abruptis? Denique matrimonium esse societatem inter homines. Atqui societates humanas, cum vinculo morali contineantur, utique magis animorum, quam corporum combinatione constare. Alias enim nihil restare, nisi corporum commixtionem plusquam belluinam; cum in multis quoque brutis aliquid instar benevolentiae inter compares cernatur. Quando igitur animus debitam conjunctionem quam in matrimonio quaerit, non invenit, tam male comparatum par potius in carcere, quam in societate humana vivere. Et cum vota etiam juramento sancita, in praeterea, aut in praedivortium tertia tendentia solvi possint; quare non & foedus connubiale? Frustra regeri; infauista matrimonia à Deo imponi exercendae virorum patientiae. Nam & morbos & alias calamitates divinitus immitti, quibus tamen ut humanis remediis resistatur, non esse interdictum. Multa deinde disputat de permissione divortii apud Judæos. Si enim, infert, in sua natura adulterium sit, repudiatam iterum alii viro nubere, aut post repudium aliam uxorem ducere, sequi; Moysen adulterium velut sancita lege autorasse. Id quod tamen de ista lege, quæ Deum autorem habet, cogitare absurdum esse, atque impium. Arguit quoque eos, qui dispensationem divinam circa Judæos intervenisse arbitrantur. Ubi monet, dispensationem dici vel proprie, vel improprie. Hanc esse singularem & exceptivam legem, qua à generali quis lege ob justam & æquam causam eximitur, qualis est *Numer. IX. 6. seqq.* Item lex de ducenda fratris sine prole defuncti uxore. Proprie dictam dispensationem duntaxat locum habere in casibus peculiaribus, & raro contingentibus, quique ideo in lege exprimi non solent, sed caritati & prudentiae judicium relinquuntur. v.g. quod Davidi licuerit vesci panibus propositionis, urgente fame. Sic ut hæc dispensatio nihil sit aliud, quam interpretatio legis ex æquitate. (Ubi patet, confundi ab Ipso dispensationem cum æquitate, quæ multum differunt.) Quod si quis tamen in divortii Judæorum dispensationem intervenisse velit defendere, ei probandum fuerit, tunc extitisse generalem legem circa insolubilitatem matrimonii ex causa morum; quam legem vel

naturalem fuisse oportet, vel divinam positivam. Nam circa verba illa, *Et erunt duo in una carne*, nonnulli monent; indicari quidem arctissimam societatem, & quam temere dissolvi neque decorum humano generi, neque utile fuerit. Inde tamen non sequi, eam societatem non posse dissolvi ex causis matrimonii naturam & finem subvertentibus. Sicuti non sequitur: Deus conjuges conjungit; ergo non est in arbitrio hominum, quis cui conjungi velit, aut non debet pactum inter conjungendos intercedere. Sed potius ita inferri posse: Deus conjungit conjuges interveniente pacto; igitur ipsos non vult dirimi, nisi pactum illud fuerit violatum. Hinc inquit *Idem* in sententiam eorum, qui dicunt; divortia lege divina permessa duntaxat, non adprobata. Id quod ille putat in Deum irreverens esse; cum signum sit infirmitatis in rectore, si subjectis quid permittat, quod ipse non probat. Et quare, cum tam multæ nationes Christianæ à multis seculis huic se legi potuerunt accommodare, sola Judæorum *εκληροκαρδία* non potuerit? Ad verba illa, *ab initio non erat sic*, aliqui sic disserunt; in statu innocentiae mores hominum fuisse commodiores, quam ut tantis diffidiis occasio posset præberi. Igitur signum esse imperfectionis humanæ, quod ad remedium divortii inter conjuges sit decurrendum. Denique illorum taxat sententiam, qui divortia Judæis permessa assierunt, quod in Ægypto illis adsueverint. Nam tunc maxime oportunum tempus fuisse Judæos ista dedocendi, cum sensus jugi Ægyptiaci adhuc recens esset. Et ideo tam accuratas circa vitandam idololatriam leges latis, quod eandem inter Ægyptios quotidie vidissent exerceri. Sed ista quidem nos in medio relinquimus.

§. 25. Inter illos porro, qui recte inter se matrimonium sunt contracturi, jure naturali requiritur & aptitudo physica, & habilitas moralis. Per illam intelligimus ejusmodi constitutionem corporis, per quam idoneus quis sit assequendum primarium matrimonii finem, qui est sobolis procreatio. *Zosimus* l. V. *παρ ἡλικίας εἰς μίξιν ἐκδέναι, φύσεως ἀδίκων, καὶ ἄδεν ἕτερον εἶναι*: *immaturam maritali consuetudini tradere nihil aliud, quam naturam injuriam facere*, dicit. Unde frustra ad matrimonium aspirant, qui impotentia perpetua & incurabili laborant, spadones præterea, & similes. Nam sine dubio legi naturali repugnat, quod spadones in Ægypto conjuges sumere solebant, ut non omnis voluptatis

tis in venere expertes; quod tradit *Grotius ad Deuter. c. 23. v. 2.* argumento *Genes. 39. v. 1.* Quo loco quaeri posset, num matrimonium proprie vocari queat, quando elumbis senex vetulam effœtam ducit? Equidem Dionysius apud *Plutarch. in apoph.* matri effœtæ, cum maritum sibi dari peteret, respondit: τὸς μὴ τῆς πόλεως βίασαδὲς νόμος δὲ νόμος. τὸς δὲ τῆς φύσεως μὴ δὲ νόμος. *Se quidem vim inferre legibus civitatis posse, legibus natura non posse.* Adplicari huc etiam potest illud *Quintiliani declam. 306. Est quadam & nubendi impudicitia.* Apud multos quoque obtinet illud *Ejusdem declam. 2. Genus infirmissima servitutis est senex maritus, & uxoriam caritatis ardorem flagrantius frigidis concipimus affectibus.* Conf. *Valer. Max. l. 7. c. 7. §. 4.* In plerisque tamen civitatibus ejusmodi senum matrimonia tolerantur, cum saltem alter finis, nempe adjutorium mutuum utcunque heic obtineri queat. vid. l. 27. *C. de nuptiis.* Quæ fortasse non incommode vocare possis honoraria: eo sensu, quo honorarii quandoque dicuntur, quibus titulus muneris sine functione datur. Apud *Suetonium Nerone c. 35. uxoriam ornamenta* vocantur, eo sensu, quo *triumphalia ornamenta* dici sueverunt. Quo referre possis cohabitationem *Abisagis cum Davide I. Regum I.* Etsi pro vero matrimonio id habuisse videatur *Salomo*, qui *Adoniam* ejus nuptias petentem occidit, velut ducta regis vidua plusquam civilia agitaret; & quod moribus ejus populi nefas esset viduas regum ducere. *Grot. ad I. Reg. II. 17.*

§. 26. Istud ex natura pactorum in universonum circa matrimonium quoque præsupponitur, quod, dum id contrahitur, sufficiens usus rationis adesse, nec minus abesse debeat error, substantiam ejusdem tangens, & metus injustè incussus. Circa hunc in legibus *Ebræorum* civilibus id peculiare erat, quod si sponsa vi aut metu coacta fuisset, irrita forent sponsalia: non item si sponsus coactum se diceret; quoniam neque de vi eidem illata, neque de ipsius metu æque præsumebatur. Et repudiare eandem pro arbitrio poterat, si conditio displiceret. *Selden. de uxoro Ebræa l. 2. c. 4.* Sic si error versetur circa objectum consensus, seu personam, aut circa qualitatem, quæ vel ipsum matrimonium spectat, vel cui tanquam conditioni consensus fuit superstructus, præsertim ubi ab altera parte fraus intervenerit, irritum esse contractum matrimoniale patet. Unde si quæ pro virgine se gerebat, post deflorata fuerit deprehensa, etiam jure divino non tantum licite repudiabatur, sed & pœnæ insuper erat

erat obnoxia. Etſi de flore virginitatis multis antiquorum barbarorum exigua cura. Videatur de moribus *Babyloniæ Diodorus Siculus l. V. c. 18.* Armeniorum & Lydorum *Strabol. XI.* Babyloniorum *Herodotus Clio.* Thracum *Idem Terpsichore.* Adyrmachidarum & Naſamonum *Idem Melpomene.* Sordide quoque Ariſtippus apud *Diogenem Laërtium l. 2.* Addantur, quæ *Boxhornius* commentatur ad *Suetonii Caligulam c. 40* in fine. *Iuſtinus l. 18. c. 5. n. 4. M. Paulus Venetus l. 2. c. 37.* de incolarum provinciæ Tebeth, & *d. l. c. 39.* provinciæ Caraiam moribus. Similem foeditatem apud Phœnices abrogavit *Constantinus Magnus. Sozomenus hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 8. & l. V. c. 9.* Siſi quis pacto connubiali hanc clauſulam expreſſe inſeruerit; ea lege ſibi aliquam fore uxorem, ſi nobili ſit genere, ſi tantum dotis attulerit; utique non prius ad matrimonium conſummandum tenebitur, quam illa conditio adpareat. Quod ſi quis tamen, neglecta inquisitione in conditionis iſtius exiſtentiam, matrimonium conſummaverit, videbitur tacite iſti conditioni renunciſſe; adeoque ſi quæ ſperabantur, deinceps non repræſententur, haut quidquam ſufficiens divortio præbetur cauſa. Nam non ita fuerat contractum; repudiabo te, ſi tantum dotis mihi non attuleris: ſed ita; non ducam te. Quæ diverſa plane ſunt. Adeoque ſi cui circa matrimonium ineundum præcipua dotis cura eſt, ſtulte facit, ſi nuptias conſummaverit, antequam ſuper eadem ſibi ſatis cautum ſit. Præſertim cum multi, qui nuptias conciliant, exprimant illud *Libanii progymn. ὁ δὲ πολλὰ καὶ καλὰς μελετήσας λόγους, καὶ τὰ ὄντα ἄρας, καὶ τὰ ἐν ὄντι προθεὶς ῥᾶσιν ἐπιπέττει τὸ γένν.* *Meditatus adveniens cum multis elegantibus verbis, quæque adſunt auferens, quæque abſunt addens, facile gentes conciliat.* Multo minus vel diſſolvere nuptias licebit, vel earum rite pactarum conſummationem detrectare, ſi quis non expreſſe de certa dote convenit, ſed tacita duntaxat ſpe ſponſæ ſuæ opes non inſtigatas devoravit. Inde recte *Ephori* multarunt eum, qui ſuperſtitis adhuc *Lyſandri* filix fidem conjugii dederat, poſt cum ille mortuus pauper inveniretur, eam ducere recuſavit. apud *Aelianum V. H. l. VI. c. 4.* Et hæc quidem jure naturali obtinent. Nam leges civiles prohibere poſſant, ne ejuſmodi clauſulæ, ad matrimonium directe non facientes, ejuſdem conſummationem ſuſpendant.

§. 27. *Moralis habilitas matrimonium contrahendi deficit illas, quæ*

quæ jam alteri viro sunt nuptæ. Nam, jus mariti prioris in eam fœminam tamdiu durat, quamdiu eidem non renunciauerit. Unde non illicitum solum, sed & irritum matrimonium est cum nupta, & à priori viro nondum rite soluta, quia & potestas novum in eundem matrimonium deest fœminæ adhuc alteri marito adstrictæ, & tota cohabitatio instar continui adulterii habet. Sic & ubi polygamia est prohibita, vitiose matrimonium contrahit vir, uxori jam alteri alligatus. In lege Ebraica nefas quoque erat in matrimonium denuo adsciscere eam, cum qua quis semel divortium fecerat. *Deuteron. XXIV. 4.* Cujus ratio sine dubio fuit, ne divortia temere & ob quamcunque offensam frequententur, si nulla spes semel domo ejectam recipiendi, ubi iræ impetus defueruisset. *Grotius ad d. l.* hanc rationem affert; *quia speciem habet uxoris alteri in usum datae; omniaque leocinia eo velo obtegit potuissent.* Alii tamen putant, licuisse reducere dimissam, antequam alteri denuo nupsisset, ex *Ierem. III. 12.* In *Alcorano* licet reducere etiam ter dimissam, sed ita, ut ter repudiatam recipere non liceat, nisi alius eam duxerit & repudiaverit. Quod tamen parum honorificum esse, colligitur ex responso, quod Amurathes Temiri dedit: *si non veniat, quemadmodum minitatur, precor uxorem suam ter repudiatam recipiat.* apud *Laonicum Chalcocondilam* l. 3. Alias quoque in *Alcorano* præcipitur, ut dimissurus uxorem, certum tempus existuat, intra quod non debeat alteri nubere; quasi intra quod deliberaturi sint, an illas reducere velint. Notanda quoque illa lex Ebraica, quam refert *Iosephus archæol. IV. 8.* *Qui virginem ducturus nax est, ei non jungatur, quam discedere suasis ab alio, neque contristet priorem maritum ejus.* Sed & ratio constat canonibus, quibus interdictum, ne quis uxorem ducat eam, quam prius adulterio polluerat. apud *Gratianum caus. 31. quæst. 1. c. 1. 2. seqq.* Præsertim cum fere obtineat illud *Euripidis Electra.* ἴσω δ' ὅτ' τις διολίτας δάμαρτά τε ἀρπυταῖσι ἀναίε, εἴτ' ἀναγκάδ' ἴλαβ' ἔν, δὲ σμός ἴσιν, εἰ δοκεῖ, τὸ σωφρονεῖν ἐν αἰ μὴ αὐτὴν ἴχειν. πᾶρ δ' ἴχειν. *Scias, quisquis alterius corruperit conjugem furtivo connubitu si postea eam ducere coactus fuerit, se infelicem esse, si puerat eam, quæ prius fuerit istic impudica; servaturam apud se pudicitiam.*

§. 28. Censentur quoque impuras nuptias contrahere personæ certis gradibus consanguinitatis junctæ, aut affinitatis nexu (vid. l. 4. §. 3. 4. 5. D. de gradibus & affinibus.) copulatæ; sic ut non solum ab initio

tale matrimonium contrahere sit vetitum, sed & idem contractum perpetuo vitio laboret. Hoc licet apud omnes gentes queis aliqua morum est cultura, communi persuasione receptum deprehendatur; ejus rei tamen solidam rationem, & quæ ex sociali hominis natura, ut reliqua præcepta, liquido fluat, assignare oppido quam difficile est. Nonnulli heic simpliciter ad abhorrentiam affectuum humanorum confugiunt, quasi omnes, qui per pravam educationem aut vitiosum habitum non sunt corrupti, in ipsis sensibus deprehendant aliquid, tali commixtioni repugnans; id quod elaro sit indicio, eandem naturali jure prohiberi. Enimvero neque ista affectuum repugnantia apud omnes mortales, etiam quibus cultura sui cordi est, æqualiter deprehenditur; & eandem jaçantibus reponi non absurde potest, ipsam non tam ex congenito principio, quam ex diuturnis moribus, qui naturæ indolem mentiantur, provenire. Neque verò circa jus naturæ eruendum adeo tutum est solum judicium sensuum atque affectuum consulere; cum ex adverso concludi posset, illa quoque jure naturali præcipi, in quæ sensus & affectus acerrime feruntur, quorum tamen pluraque isti juri adversari manifestum est. *Plutarchus quæst. Roman. 108.* postquam quæsit, quare Romani cognatas suas non ducant uxores, pro more suo dubitabundus has rationes proponit, *An ut conjugis angeant necessitudines, multosque sibi parent cognatos, aliis dando, ab aliis accipiendos mulieres? An metuentes sibi à discordiis conjugalibus, quæ exorta inter cognatos, præter conjugum debitum amorem etiam natura jura essent abolitura?* (v. g. quia valde frequentia sunt socruum & nuruum odia, igitur non debuisse aliquem ducere talem, quæ ipsius matri naturaliter reverentiam debebat, id est, sororem.) *Aut videntes mulieribus ob imbecillitatem opus esse multis defensoribus, noluerunt cognatas ducere, ut ipsis auxilio esse possent, si à maritis injuria afficerentur?* Quæ posterior ratio videtur expressa ex *Euripidis Andromachi v. 674.* *Ἄνδρα μὲν ἰσχυρὸν ἐν χερσὶν ἔχει, γυναικὸς δὲ ἐν γυναικὶ καὶ φίλοις τὰ ἀνδράμακα.* *Virò magnum robur in manibus est, uxor autem in parentibus & amicis rerum fiduciam habet.* Priorem rationem de latius spargendis amicitis per affinitates etiam probat *Augustinus de civit. Dei l. XV. cap. 16,* quem citat *Gratianus caus. 35. qu. 1. c. 1,* Cui conspirat *Rich. Cumberland de leg. nat. cap. 8. §. 9.* Ubi præterquam quod minus utile non statim sit illicitum, etiam illud utile non semper hoc modo obtinetur, cum contingere queat, ut ex contrario.

trario major utilitas proveniat; puta, dum conjunctis invicem cognatis prohibetur, ne opes in aliam familiam transferantur. Inde lex divina *Numer. 36.* foeminis, bonorum immobilium dominis, ex sua duntaxat cognatione maritos adsciscere præcipit, ne agri de tribu in tribum devolverentur. Poterant tamen cuivis Hebræo nubere, si hæreditatem sibi delatam repudiarent. Quare nec Leviticæ gentis virgines ea lege non tenebantur, quippe quæ rerum solæ capaces non essent, vid. *Grotius ad Matth. c. 1. v. 16.* Apud Peruvianos sub imperio Uncarum lege cautum erat, ut quilibet uxores ducerent, ex sua urbe & ex sua familia; contra ibidem novis nuptis communitas civium domum exstruebat, proximi cognatorum eam supellectile instruebant. *Garcilassius de la Vega Comment. Reg. 1. 4. c. 8.* Sic lege Attica virgines *ἐπικληροί,* seu quæ solæ suis parentibus erant hæredes, à proximis cognatis duci jubebantur, ut avitæ opes in familia conservarentur. Circa quales virgines cum sæpe inter procos controversiæ existerent, per judices definiendæ, hinc eadem *ἐπίδικος* vocari solebant. Erat tamen Athenis alia lex in istius velut compensationem, ut siquidē virgo *ἐπικληροί* in re tenuisset, itidem proximus agnatus eandem ducere, aut pro dignitate dotare teneretur. Par *Charondæ* lex extat apud *Diodorum Siculum* l. 12. c. 18.

§. 29. In primis autem hoc loco considerandum, quare, utut in se nobile sit opus tam eximium animal propagasse, apud cultiores tamen gentes tum membris generationi destinatis, tum ipsi generationis actui tam tenera adhæreat verecundia, ut eam superare non possint, nisi quibus per longam vitiorum adfuetudinem frons plane obduruit. Quam in rem memorabile est, quod *Plutarchus de virtutibus mulierum* & *Polyanus strateg. l. 8.* tradit de virginibus Milesiis; cum incertum qua de causa eas furor corripuisset certatim sese suspendio necandi, isque nulla ratione sisti posset; tandem legem latam esse, quæ juberet omnes, quæ sibi suspendio mortem conscivissent, nudas per forum efferrī. Sic quas mors non poterat, metus ignominix postumæ ad sanitatem revocavit. Quod si apud aliquas gentes nuditas, aut apertus concubitus in usu fuit, illæ à reliquis fœdæ barbarici nota fuerunt damnatæ. Sicut de Mossynis notat *Mela* l. 1. c. 19. *promiscue concumbunt, & palam.* Et de iisdem *Apollonius Rhodius* l. 2. *Argonaut.* *Diversum autem jus atque fas istis existit. Quæ enim palam agere fas, aut in populo, aut foro, ea omnia in adibus exercent. Quæ autem nos domi patramus, ea foras impune mediis*

mediis in plateis agunt; Neque t hori pudor communis, sed porci tanquam Aliales, ne minimum quidem veriti presentes. Miscetur humi communi amore mulierum. Idem tradit *Diodorus Siculus* l. XIV. c. 31. Et *Xenophon.* & *Arabis.* l. V. & de *Massagetis Herodotus* *Clio* sub finem. & de *Nasaronibus Idem Melpomene.* Istius porro ratio non ita in proparulo est. Nam neque membra ista peculiari aliqua deformitate aut absurda figura laborant; & propagationi humani generis, nobilissimo utique actui, inserviunt. Quo nomine genitalia apud *Aegyptios*, & *Athenienses* in mysteriorum ritibus religiose habebantur. vid. *Diodorus Siculus* l. I. c. 88. Quin & ipse actus generationis in se naturæ est conformis, ac necessarius, aptusque tantæ dignationis animal producere. Quo coram aliis exercendo cur magis quis erubescere debeat, quam dum edit aut bibit; cum citra istum actum non magis species humana servari possit, quam citra hæc individua. Nec rem conficit illud *Plutarchi in convivio VII. sapientum.* *Nulla est corpori alia, qua innocentiùs frui possit, quam ab alimento voluptas, quod omnibus est compertum hominibus. Mens enim in medioproposita communicant carnis, rei venera tenebras pratexunt densas. Quia hujus voluptatis communicationem bellinam impudentemque judicant, perinde atque illius abstinentiam.* Et si apud *Niphilinum* episcopi, *Dionis in Severo*, uxor *Argetocoxi Caledonii*, cum *Julia Augusta* ipsi illuderet, quod ejus nationis fœminæ impudenter cum maribus versarentur, sat argute reposuerit: *nos multis melius explemus ea, qua natura postulat necessitas, quam vos Romana.* Nam aperte cum optimis viris habemus consuetudinem: vos autem occulte pessimis homines constuprant. Add. *Montaigne: essai* l. 2. c. 12. p. m. 398. & *Charron de la sagesse* l. 1. c. 22. Nec plane satisfaciunt rei, qui heic ad divinas confugiunt literas, isthæc verecundia statim post lapsum sese exseruisse memoratur. Nam nihilominus quæstio remanet, cur his potissimum in partibus pudor velut sedem fixerit; cum manus, ac lingua hominis in turbidarum aut pravaram ministeria cupiditatum præsto sint. Imo cum edendo primitus homo deliquerit, ista opinio turpitudinis ori & manducationi potissimum adhærere debere videbatur.

S. 30. Super nuditate, & qui eam comitatur pudore; philosophans *Autor de principiis justis & decori*, p. m. 59. seqq. initio ponit, *non omne, quod pudorem incutit, peccatum esse, & naturalis legis dictamine prohiberi.*

Veri. Id quod exemplis aliquot probat, v. g. pauperitatis, sordidarum vestium, erroris etiam innoxii, deformitatis, & similibus, quibus erubescimus, cum tamen in iisdem nihil sit moralis turpitudinis. Causam autem, quare ista defugiamus, esse, quia infirmitatem aliquam & imperfectionem arguunt, quam quisque à se longissime abesse optat. Ipsa porro nuditas, atque revelatio membrorum genitalium licet in se peccatum non sit; non tamen licere cuivis in conspectu hominum ea detegere, nisi in ea detectione nihil sit, quod honestati naturali repugnet. Id quod aliquando contingat. Tunc enim iuste aliquem pudere, cum tales imperfectiones possidet, vel quas possidet ita pròdit, ut proximus iure meritoque cum idèo minoris facere, seu contemnere possit; ideo quod istæ non conveniant cum dignitate personæ, quam gerit. Hinc aliquid nescire in se turpe non esse in eo, qui nulla unquam usus est disciplina: sed qui diu studiis sese dedit, nullisque profectus fecit, ei ignorantia sua rubori est. Sic rusticum horridi mores non deformant; sed qui civis inter moratiores est enutritus, non sine vitio rigidus est. Ita qui eas corporis partes detegit, quas consuetudo gentis tectas esse vult, is in honestatem naturalem peccat, si eas conspectui patere faciat. Uti apud *Herodotum Clío* dicitur: *ἄμα νιδῶνι ἐνδύομεθα στυνδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυρή.* *Mulier exuta tunica; & verecundiam pariter exuit.* Quas tamen alius alibi terrarum, ubi nudi incedere homines solent, v. g. inter *Caraybes*, sine peccato aut petulantia nota detectas habet. Et in quibusdam partibus regni *Abyssinorum plebeia formina* omibus partibus nudæ incedunt. Quibus tamen visis mares non magis moveri solent, quam si manus pedes nudos conspicerent: teste *Franc. Alvarez descripsit, Aethiop. c. 32.* Add. *Jo. Lerijs histor. Americ. c. 8.* & *Rochefort descripsit, Antillarum part. 2. c. 9.* Imo apud *Indos* quosdam pœna, ni fallor, adulterii fuit, tectis genitalibus incedere. Sic inter minus notos, aut honoratiores impudens habetur aliqua citra præfationem venia agere, quæ inter familiares libere exercentur. Et quod in solitudine pudorem non affert, inter honestos viros, aut in convivio honeste non emiseris, nisi forte *Claudius edictum suum diu meditarum demum promulget*; de quo est apud *Suetonium Claudio. c. 32.* Add. *Diogen. Laërtium l. VI. in vita Metrolis.* Sic qui anatomiam docet palam exponit oculis, quæ eidem extra eam rationem constituto ne nominare quidem decorum esset.

Idem igitur dicendum de genitalium detectione. Licet enim illam gentem admodum à morum modestia descivisse oporteat, quæ vitio non vertit ista nuda habere, cum cultas inter gentes honestis etiam curæ sit *ἰσχυρῶς μοῖον, decenter cadere, Euripides Hecciba v. 568.* neque sine gravi peccato majores talium gentium ad illum impudentiæ gradum pervenerint; postquam tamen consuetudo invaluit, ut ex communi gentis sensu nota turpitudinis sit ablata à tali vivendi modo, totam gentem extra peccati labem genitalia detecta habere, quia nullam imperfectionem aut infirmitatem erubescendam homini in ea re inesse agnoscunt: non magis quam nos in detectione vultus matronarum, quæ in publicum prodeunt; id quod tamen apud alias gentes matronis vitio vertitur. *Platoni apud Diogenem Laërtium l. 3. legis ἀγρῶς, & quæ ab usu proficiscitur, (πρὸ ἰδῆ γυμνασίου) exemplum est, πρὸ μὴ γυμνῶν πορεύεσθαι ἐκ τῆς ἀγορᾶς, nudum in forum non ambulare.* Sed & inter populos, ubi nuditas proscripta est, ea membra aliquando citra peccatum detegi, puta cum medicatrici manui sunt committenda, aut cum tempus aut copiam rerum ad tegendum non concedit necessitas, aut cum infantes fasciis involvuntur. Scilicet quia in hisce casibus impudentiæ nota adesse desinit, ideo quod tunc ea membra patent absq; protervia & ostentatione. Quia igitur apud quosdam barbaros infirmitatis aut imperfectionis nota non habetur nuditas genitalium, inde & citra impudicitæ crimen eadem apud illos deteguntur; nec eo nomine apud eosdem in contemptum quis incurrit; quod tamen maxime apud nos contingit. Sicut apud Pygmæos, *ubi tota cohors pede non est altior uno*, brevitatis illa staturæ rubori non est, quæ tamen apud alios ludibrio patet. Quin & apud Cafares foeminae, si quid ipsis dono datum fuerit, pudenda detegunt; quod apud ipsas instar civilitatis habetur; apud *Herbert. Itiner. Pers. & Indico p. m. 21. Idem p. 240.* ista fere reperit; revelationem genitalium in se turpem non esse, sed tantum propter circumstantias, quæ petuntur vel à libidine proximi, vel ejus dignitate, vel ab æstimatione propria, in qua unusquisque tueri se debet. Cum autem notæ externæ, quibus proximo reverentiam & honorem exhibemus, variant, multa apud gentem unam cum proximi aut sui ipsius probro fieri, quæ mutatis circumstantiis hoc vitio carent. Inde *Joann. XXI. 7.* Petrus, adventante Domino, properat amiculo se cingere, cum inter piscandum nudus cum sodalibus

Bus versari non erubisset. Quia dignitas Christi, cui honorem debebat Petrus, requirebat, ut ipsi conversaretur cum modestia & gravitate, quæ à nuditate ex opinione gentium vestitarum abest. Inde Romæ: *cum parentibus puberes filii, cum socero generi non lavabantur.* Escero *Offic. l. Val. Max. l. 2. c. 1. §. 7.* Sic apud *Livium l. 3. cap. 26.* legati L. Quintium *senatus mandata rogatum audire jubent.* Sicut obsoleta veste domi versari non erubescimus, quibus tamen ad nuptias aut solennem conventum accedere indecorum habetur. *Matth. XXII. 12.* Ita & in secreto aliqua commode agi, quæ si palam fierent, in turpissimis haberentur; imo nec turpe habetur, si alii intelligant, quo sine secretum petamus. Denique & multa fieri à viris sine probro, quæ si virgines committerent, perfrixtæ frontis putarentur. Ulterius ex 2. *Corinth. XI. 17. 19.* colligit; cum post præfationem veniæ ex concessione alterius recte quid dicatur, vel agatur, quod citra eam turpe erat; istud turpitudinem habere non in se, sed tantum ex circumstantiis, quæ si auferantur, jam amplius eo nomine improbari non posse. Quia alter remittit vel reverentiam, quæ ipsi alias debebatur. Ubi tamen recte isthæc limitatio additur; modo per consuetudinem totius gentis liceat singulis sibi circa talia veniam indulgere. Hoc enim nisi sit, nequidquam singulos impudicitæ notam effugere, si reverentiam illam sibi mutuo remittant. Sicut reprehensionem non effugiunt a loti, si mutuo consensu nudi inter se versari velint in gente, ubi vestium usus publice receptus. Denique concludit, protoplastos ante commissum peccatum instar puerorum fuisse quoad pudoris affectum: peccato perpetrato, pudoris affectum animam eorum occupasse, ex quo pudore intelligebant indecens esse, genitalibus nudis incedere; sicut idem iudicium formamus crescentibus annis. Ex illis omnibus concludit, nullos gradus circa ineundum matrimonium prohiberi lege naturæ; sed honestati tamen naturali admodum congruere à quibusdam abstineri. Confer quoque *Montaigne. essais l. 1. c. 39. & Charron de la sagesse l. 1. c. 6.*

§. 31. Isthæc quanquam non plane de nihilo esse videantur: nobis tamen ejus pudoris circa partes genitales, actumque generationis causam assignare potissimum duplicem placet. Primo quia homo est animal superbum, gloriæ, decorisque cupidum, & ab ista destruentibus abhorrens. Jam vero per istas, vicinasque partes retributa cibi potusque natura.

natura eijcit; quæ non ob fœditatem tantum suam homo averfatur, ſed & quia ipſi conditionem ſuam exprobrare videntur, quod intra corpus humanum ſapidiffimæ res in tam tetram materiam mutantur. Inde ne iſta imbecillitatis indicia ullatenus pateant, ſolicite ſuperba hominis indoles cavere ſolet. Quo facit illud *I. Corinth. XII. 23. 24. Cicero Off. I. Natura corporis noſtri magnam videtur habuiſſe rationem; qua formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu: qua autem partes corporis, ad natura neceſſitatem, aſpectum eſſent deformem habitura, atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc natura tam diligenter fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ deſunt a videntur ex Xenophont. apomnem. l. 1. Add. Ambroſius Offic. l. 1. c. 15. Herodotus Euterpe de Ægyptiis: domi ventrem exonerant, foris in viis comedunt, reddens rationem, qua ſunt turpia, ſed neceſſaria, ea in occulto fieri debere; palam vero, qua non ſunt turpia. Etſi (ut hoc obiter addam) iidem irridébantur, quod lutum manibus; panem pedibus ſubigerent. Sic in roſario Perſico Sadi, c. 8. hæc ratio adfertur, quare ſiniſtra manus, dextra utique minus digna, annulo exornetur; quia dextra manus ſummum decus ipſa dexteritas. Inde & incolæ inſulæ Borneo dicuntur ſiniſtra manu podicem abſtergere, quia dextra, inquiunt, eſt pro ore. Huc etiam facit, quod de Azenagis, incolis regni Senegæ refert Aloyſtus Cadamuſtus in navigat. ſua. c. 10. ipſos pudere oris aque ut inguinum, idque circumferre ſectum ut rem pudendam, argumento, quod velut ſentina quæ apiam halitum tetrum ſemper emittat: nec detegere, niſi ſumendi cibi gratia. Simile refert Leo Africanus l. 1. cui iſti homines dicuntur Zenagates. Deinde quia affectibus per lapſum corruptis, prava libido per eas partes magno velut cum impetu erumpere ardet; & vero cardo quaſi omnis decori ordinis in ſocietate humana in hos vertitur, ut propagatio ſobolis ianctis legibus circumſcribatur; igitur dignitati ſuæ conſervandæ ſimulq; præſcindendis illicitæ aut intempetiivæ Veneris occaſionibus ſtudent natura iſtum pudorem commenta eſt, quo & ſolicite iſta membra tegerentur, ne oculis ſemper expoſita irritarent libidinem quovis tempore paratam; & eo magis Venere illicita abſtineretur, quod & legitimam non niſi teçte & remotis arbitris obire pudoris teneritas ſubigeret. Inde protoplaſti poſt depravatam affectuum harmoniam, cum illis partibus inordinatam libidinem ſibi velut portam ſtruere animadverterent,*

meri-

merito pudore suffundebantur, tanta in se imperfectione jam deprehensa, cui utcumque à tegumentis nonnihil remediū arcessitum ibant. Sed quod multas apud gentes iste nuditatis pudor exoleverit, id initium sumisse crediderim ab egestate, dum in regiones incultas delati homines, detritis quas habebant vestibus, materiam aliis tegumentis non invenirent, nec per temperiem cœli valde desiderarent. Inde cum vestibus pudor hisce paulatim periit; cujus vestigia tamen retinuerunt, qui exiguo velamento pudenda obtexerunt; unde ad plenam nuditatem facilis est transitus. Iste porro pudor insigniter intenditur adversus illas personas, cui natura reverentiam quandam debemus, aut adversus quas gravitatem quandam præ nobis ferre debemus, quales præcipue sunt parentes & liberi: ita ut qui per eundem non reprimatur, quo minus in familiarem istam corporum commixtionem descendere non vereatur, effronti prorsus ingenio, & qui nullum aliud facinus sit formidaturus, judicetur: quique adeo *maximo inter homines morbo* laboret *impudentia*, uti eam vocat *Euripides Medea* v. 471. Aliam rationem pudoris istius adfert *Huartus scrutin. ingen. c. 10. ab init.* quam ad obrusam revocare, jam non vacat.

§. 32. Hic igitur pudor non postrema causa videtur, quare ipso jure naturæ inter ascendentes & descendentes in recta linea connubia censeantur prohibita; præsertim cum nullus unquam casus extiterit, nec probabiliter existere possit, ut servando generi humano eorum admittendorum necessitas foret. Nam festina minus erat sollicitudo filiarum *Lothi Genes. XIX. 31.* Et si *Grotius ad d. l.* putat, illas credidisse id licitum, quod ab Arabibus vicinis fieri quotidie intelligebat, quibus ut & Persis mos iste fuerit. Et in hunc sensum capienda quoque est illa ratio *Grotii d. l.* quod nec filius, lege matrimonii superior, eam reverentiam possit præstare matri uxori, quam natura exigit, nec patri filia, quæ quamvis lege matrimonii inferior, tamen ob familiarem illam consuetudinem istius necessitudinis reverentiam exhibere prohibeatur. Alias enim, si pudor ille, quem diximus, removeatur, non adeo absurdum erat, matrem cum filio sui juris jungi; cum non repugnet, maritum uxori ob virtutem, sapientiam, aut nobilitatem reverentiam exhibere. Sicut de soceris suis *Tacitus Agricola* dicit: *vixerunt mira concordia, per mutuam caritatem, & invicem se anteponendo.* Multo ma-

Uuuu

gis

gis cum obsequio conjugali etiam filialem reverentiam patri marito filia
 uxor exhibere posset, ni pudor iste obstaret. Quod autem Socrates
 commiscitur apud *Xenophontem* l. 4. de dictis & factis Socratis. Oppido
 quam jejunum est; quasi in conjugis parentum & liberorum nihil aliud
 sit culpandum præter ætatis disparitatem, unde sequatur aut sterilitas,
 aut male conformata soboles. Quasi vero non sæpius occurrant ma-
 trimonia inter tales, quorum ætas plena pubertate, seu tot annis distat,
 quot annis parentes liberos possunt præcedere. Cæterum laudanda
 hæc legum Romanarum castimonia, quæ ob solam paterni nominis re-
 verentiam illicitas declarabant nuptias inter patrem & filiam adopti-
 vam, etiam postquam per emancipationem adoptionis jura fuerant so-
 luta. vid. l. 55. D. de ritu nuptiarum. Et non pro cætera stoliditate
 Claudius, cum fœmina quædam filium suum agnoscere nollet, dubia
 utrinque argumentorum fide, ad confessionem eam compulsa, dum
 ipsi matrimonium juvenis indixit. *Sueton. Claudio* c. XV. Ostendere
 quoque ejusmodi conjunctionum fœditatem exinde quidam voluc-
 runt, quod per eam diversa plane necessitudinem vocabula confun-
 dantur. Apud *Ovidium metamorph.* X. ita Myrrha: *Nec quod confun-
 das & jura & nomina sentis? Tunc eris & matris pellex, & adultera patris?
 Tunc soror nati? genetrixque vocabere fratris?* Apud *Senecam Phœnissis*
 Oedipus: *Avi gener, patrisque rivalis sui, Frater suorum liberorum, &
 fratrum parens; Vno avia liberos peperit viro, Ac sibi nepotes.* Apud *Eun-
 dem Agamemnon.* Thyestes: *Versa est natura retro, Avopaventem, patri vi-
 rum, natis nepotes miscui.* *Ibid.* *Per scelera natus, nomen ambiguum suis.
 Idem sororis gnatus, & patris nepos.* *Vetus epitaphium.* *Hersilus hic jaceo,
 mecum Marulla quiescit, Quæ soror & genetrix, quæ mihi sponsa fuit. Vera
 negas, frontemque trahis, ænigmata sphingis Credis? sunt Pythio vera magis
 tripode. Me pater è nata genuit, mihi jungitur illa; Sic soror & conjux, sic
 fuit illa parens.* *Philo Iudæus de specialibus legibus,* dum invehitur in Per-
 sas, connubia cum matribus admittentes, addit: *quæ nihil excogitari potest
 magis impium, conspurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debeba-
 tur religio, matri exhiberi nullam reverentiam, filium eundem & mari-
 tum fieri, matrem vicissim uxoris nomen assumere, communes liberos pa-
 tris quidem fratres, matris vero nepotes censeri.* Hanc prolis suæ matrem
 simul esse ac aviam, illum filiorum patrem & fratrem uterinum. Non mi-

mus detestabile est, quod de incolis insulæ Zeylon referunt, patrem ibi nubentis filix virginitatem dolibare, addita ratione oppido quam inficeta: æquum esse, ut ex arbore, quam ipse plantavit, primos fructus carpat. Quem sædum colorem etiam incesto suo prætexuit Chach-Jean apud *Bernier de reb. in regno Mogolis*.

§. 33. Cæterum Ebrzi heic non tam ad naturalem rationem, quam ad interdictum Dei primævum confugiebant. Tradebant enim ab initio mundi sex genera concubitus fuisse à Deo prohibita: cum matre sua, cum noverca, cum uxore aliena, cum sorore uterina, cum masculino, & cum bestia. Idque deducunt ex verbis *Gen. II. 24. Et deseret homo cubile patris sui* (id est, abstinabit ab uxore patris, seu noverca,) *Et matris sue,* (id est, abstinabit à matre sua) *& conglutinabitur uxori sue,* (non alienæ uxori, non puero) *& erunt dua in carnem unam,* (ergo à bestia abstinendum, quia cum hac homo in unam carnem non potest coalescere.) *Seldenus l. V. c. 1. 2.* Mirum tamen, quod *Idem* refert d. l. c. 18. ipsos credidisse, quanto gentilis fiebat profelytus justitiæ, omnem cognationem, qua ipse erat antea constrictus hominibus gentilibus per sanguinem aut affinitatem, evanescere. Imo si qui antea consanguinei erant, v. g. mater, filius, soror, simul in judaismum coaptarentur, inter eos itidem tradebant jus cognationis expirare, sic ut deinceps inter se tanquam alieni essent. Ita enim religionis Judaicæ receptione putabant aliquem penitus regenerari, & velut infantem recens natum fieri. Id quod obscurius videtur innuere *Tacitus Hist. V. 5. Transgressi in marem eorum idem usurpant, nec qui dquam prius imbuuntur, quam constomnere Deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Unde profelyto jam nec mater erat, nec noverca, sororque, adeo ut nomine naturalis cognationis nulla ei vetita foret: idque propter vim regenerationis, per quam alter plane velut novus homo constituebatur, extinctis omnibus juribus, quæ ex vetere & gentili nativitate resultarent. Idque ex lege divina procedere arbitrabantur. Et si ex traditionibus sapientum veterum erat profelyto matrem suam, aut filiam, aut sororem itidem profelytam ducere. Et si quis adhuc gentilis matrem, novercam, aut sororem suam duxisset, profelytus factus eam dimittere cogebatur. Pariratione apud eosdem servus in judaismum receptus cum conditione servili; nullam intelligebatur habere cognationem, aut jus sanguinis. Unde

Uuuuu 2

non

non nefas habebatur talem contubernio jungi cum matre, filia, aut sorore sua, licet id non minus gentilibus, quam Judæis ingenuis esset interdictum. Nam servus pro nullo habebatur. Quemadmodum & ipsorum matrimonia solo dominorum arbitrio stabant, aut dissolvebantur. Romanorum tamen legibus serviles cognationes heic non minus, quam ingenuorum observabantur. vid. L. 2. §. 1. D. *unde cognati*, l. 8. l. 14. §. 2. 3. D. *de ritu nuptiarum*. l. 32. *de rog. juris*. Selden. l. V. cap. 16. Obiter quoque notandum, quod de Chinesibus referunt, eos ab istis foeminis ducendis abstinere, quæ eadem cum ipsis cognomina habent, et si de cætero sanguine se non contingant. Et modo diversa habeant cognomina, parum ipsos curare, quam propinquo sanguine sponsus cum sponsa jungatur; adeo ut filia ex sororibus avunculis nubere non vereantur. vid. *Martinius hist. Sinica*. l. 1.

§. 34. Videndum porro est de aliis gradibus consanguinitatis in limite transverso, nec non de affinitate. Ac ibi quidem proxime sibi invicem sunt juncti fratres & sorores. Inter quos itidem insignis quædam verecundia deprehenditur, sic ut fratres & sorores, qui sunt frontis tenerioris, non lubenter simul intersint consortiis, in quibus blandimenta amatorum vel admittere, vel deferre contingit. Imo ipsi quoque fratres de rebus venereis petulantius inter se joculari fere abhorrent. Cujus rei causam assignat Plato de LL. l. VIII. *quod nemo aliter predicat, sed statim ab ineunte ætate & joco simul, & serio dicta, & sapius in tragædiis hæc eadem audiuntur, quando vel Thyestes, vel Oedipodas, vel Mucareos quosdam, qui rem cum sororibus furtim habuerant, conspectos continuo mortem sibi, debitam sceleris pœnam, consciuisse narrant.* Et *Simplicius ad Epictetum* c. 47. *Iam cum lex & consuetudo sororis & fratris consuetudine interdicit: appetitiones non secus ac ipsius naturæ imperio suppressæ iraprosus sunt immobiles; nisi forte aliquos furoris intemperie, & dira scelerum ultrices agitarint.* Conf. *Charron de la sagesse* l. 2. c. 8. m. 6. Quo minus tamen horum connubia per se contra jus naturæ esse dicamus, id maxime scrupulum movet, quod, prout origines humani generis sacræ nos literæ docent, inter protoplastorum liberos, fratres utique ac sorores, necessario matrimonium fuerit contrahendum. Non autem vero fit simile, Deum ejusmodi casum procurasse, ut omnino vis legi naturæ esset inferenda; dum speciem humanam propagari jubet, & tamen non aliud ad eam rem præbet

præbet medium; quam isthæc connubia. Præsertim cum nulla necessitas Deum subigeret; unum duntaxat mortalium par create. Nec video, quare nonnulli hanc rationem tanto cum supercilio petulantia arguant; præsertim cum, quas ipsi in contrarium afferunt rationes, graviores non sint. Dicunt; Deum voluisse, ut ex una stirpe totum genus humanum originem duceret, sicque cognationem inter eos constitueret. Atqui uti prius pro nobis est; ita sat cognationis erat, eundem Creatorem, eandemque naturam habere, & qui ex horum mixtis invicem connubiis generati fuissent; non minus cognati invicem futuri erant. Neque magis bella tunc ipso mundo capissent, & mundus inter initia sua extinctus esset; cum nunc primorum fratrum unus alterum occiderit. Igitur utique ex positiva lege interdictum istiusmodi connubiorum videtur descendisse. Add. Rich. Cumberland de leg. nat. c. 8. §. 9. & Seldenus de I. N. & G. l. V. c. 8. Cui ansam videtur dedisse tum qui inter fratres & sorores deprehenditur pudor; tum quod eorum convictus quotidianus & inobservatus stupris & adultæriis occasione tam valde pronam esset daturus, si amores tales nuptiis possent conglutinari. vid. Ovidius metamorph. IX. v. 458. 535. 558. seqq. Quo loco adducitur sententia veterum Ebræorum ex Seldeno l. V. c. 1. qui inter sex genera concubitus, à Deo primitus interdicta, referebant quidem connubia cum sorore uterina. Sed addebant; id præceptum tunc demum vim suam exseruisse, postquam multiplicato genere humano aliarum, præter sorores, foeminarum copia foret. Est autem apud orientales antiqua traditio, præter Sethum omnes Adami liberos fuisse gemellos. Cum igitur necessarium foret, fratres ducere suas sorores, id eos observasse, ut non sibi gemellam ducerent, sed alio partu genitam; à gemellis refugisse. Credebant porro Ebræi arctiore vinculo connexam fratri sororem uterinam, quam consanguineam duntaxat. vid. Deut. 13. v. 6. ubi frater ex matre poni videtur ut conjunctior. Unde & illo præcepto primævo putabant interdictas sorores tantum uterinas, non autem consanguineas: quod majus videatur intra eadem viscera coaluisse, quam eodem patre satum esse. Ad eoque ex eorum mente soror non uterina, sed consanguinea recte conjungebatur Noëchidæ, seu gentili, qui tantum jure naturæ & gentium regitur. Hinc & ante legem Moyfis Abrahamum duxisse sororem consanguineam Saram. Nam ne quis credat, sororis vocabulum ibi pro quavis cognata sumi,

diserte dicit ipse; *revera est soror mea, filia patris mei, non autem filia matris meae. Genes. XX. 12.* Add. *Grotius ad d. l.* Et si apud vicinas gentes eam conjunctionem inusitatam fuisse, indicio est, quod Abrahamus crediderit, se non habitum iri Saræ maritum, si eandem sororem suam ferret. Ni dicere malimus, sororis vocabulum in famoso significato pro sorore germana accipi. Occurrit porro heic scrupulus 2. *Samuel. XIII. 13.* ubi Thamar Ammoni, fratri consanguineo, stuprum ipsi intentanti dicit; *loquere super me ducenda cum rege, ille me tibi non denegabat.* Neque enim probabile est, ipsam ignorasse legem divinam, qua expresse connubium fratris cum sorore consanguinea vetatur. Et frustra erat hoc modo vim fratris declinare velle, si salva lege divina isti jungi non poterant; quod tamen arbitratur *Iosephus archæol. VII. 7.* Heic ita respondent Ebræi; Maacam matrem Thamaris & Absalonis captam fuisse à Davide in bello contra regem Gessuris, & cum nondum profelyta esset facta, ex Davide suscepisse Thamarem; post factam profelytam genuisse Absalonem. Quia igitur credebant, quando quis ex gentilismo in Judaismum transfret, omnem cognationem, quam antea habebat, extingui: & vero proles Israelitæ ex muliere gentili suscepta matrem, non patrem sequebatur, gentilisque & ipsa habebatur; Thamar porro & ipsa post profelyta esset facta; extinctam fuisse omnem cognationem, quam antea adhuc gentilis habuerat cum Ammone, ex eodem cum ipsa patre suscepto. Adeoque ipsam revera credidisse, cum per regenerationem omnis cognatio foret extincta, per legem divinam sese rite Ammonipotuisse nubere. Aliarum gentium mores quod attinet, apud *Ovidium l. 9. metamorph.* Biblis queritur, humanis legibus ista connubia interdita, quibus tamen ipsi Dii fuerint usi. *Dis suas habere sorores, ut Saturnus Opim junctam sibi sanguine junxit, Oceanus Theetyn, Junonem rector Olympi.* Apud *Homerum Odyss. x.* Æoli filix cum ejusdem filiis maritata traduntur. *Theocritus Idyll. 17.* de uxore Ptolomæi regis: *Εν θυμῷ σίρησα κασιγνητῶν τε πόσι τε. Ἦδὲ καὶ ἀθανάτων ἰερὸς γάμος ἰζητοῖσιν.* Ex animo diligens fratrem atque maritum. Sic & deorum sacra connubia contracta sunt. Sic Artemisia Mausoli soror & conjux erat. *Lucianus in dial. Diogenis & Mausoli.* Sic Hidrieus Adan sororem *Carum lege* sibi uxorem conjunxisse dicitur apud *Arrianum de exped. Alex. l. 1.* Apud Peruvianos quondam Uncis folis connubia cum sororibus erant recepta, inter alios prohibita.

Tale est omne barbaricum genus. Pater filia, & filius matri miscetur, Sororque fratri, & horum nihil prohibes lex. Quin eorum usum posterioribus plane exolevisse, colligitur ex *Sexti Empirici Pyrrhon. hypotyph.* l. I. c. 14. παρ Διγυπτιου τὰς ἀδελφὰς γαμῖσιν, ἃ παρ ἡμῖν ἀπίστατα εἴσιν. Apud *Aegyptias* cum sororibus contrahunt nuptias, quod apud nos lege interdictum est. *Idem* l. 3. c. 24. ἀδελφῶν τὴν ἑστὴν παρ ἡμῖν κτήρια, ἢ ἀδελφῶν ἰδίας γαμῖν. Nefas est apud nos, matrem aut sororem ducere in uxorem. Add. *Seldenus de l. N. & G. l. V. c. 11.* De Persarum nuptiis cum matribus & sororibus: *Sextus Empiricus* d. l. *Strabol.* XV. *Diogenes Laert.* in proaemio. *Curius* l. 8. c. 2. *Lucianus de sacrificiis* testantur. Etsi quid cordatiores super talibus censuerint, colligi potest ex responso judicum regionum *Cambysi* dato, apud *Herodotum Thalia*. Add. quæ de *Thruscis*, incolis montis *Libani* nescio qua fide scribit *Leon. Rauchvolf. itiner. orient.* l. 2. c. 15. in fine. Id quoque heic admonendum, *Ebræos* antiquos in connubiis prohibitis fratrum & sororum nihil putasse interesse, utrum soror illa forte ex adulterio fuerit concepta, an ex legitimo concubitu. Adeoque quantum ad prohibitionem matrimonii pro sorore habebatur, quæ ex alicujus noverca & adulterogenita erat. Add. l. 54. D. *de ritu nupt.* Ut ut iidem alias statuerint, incestum tantum committi per matrimonium, non autem per stuprum aut adulterium. Unde juxta illos incestus non fuit, si quis cum matre, & post cum filia stupri consuetudinem habuisset: cum tamen incestus foret, si quis matrem, & post filiam in uxorem duceret. Sic poterat quis eam ducere, quam ejus pater, frater, aut patruus ante stupraverat; cum tamen alias citra incestum non liceret ducere novercam, patruum viduam, aut uxorem fratris extra specialem casum, quando frater sine prole erat defunctus. Conf. l. 1. §. 3. D. *de concubin.* l. 4. §. 8. D. *de gradibus & affin.* Sic juxta eodem matrimonio sibi quis poterat jungere *Sejam*, etsi antea ejus matrem, sororem, aviam, materteram, filiam, aut neptem stuprasset. Ex traditionibus tamen magistrorum tale quoque matrimonium habebatur pro illicito: jam autem contractum non reddebatur irritum, sed qui contraxerat verberibus plectebatur. Unde colligitur, ipsos statuisse, affinitatem non per simplicem corporum commixtionem, sed per matrimonium contrahi. *Seldenus* d. l. Apud *Nicetam Acominatum* cum *Andronicus Commenus* matrimonio jungere vellet *Alexium & Irenem*, ex *Theodora*

dora incesto utrumque concubitu genitos, & super eo connubio iudices interrogaret, quidam horum *eas personas inter se cognatas negabant; propterea quod ex illicitis nuptiis procreata, nihil cum jure cognationis commune haberent, ac alienissimæ putarentur.* Et si Autor eos iudices vocet *homines avaros, & qui res divinas cauponari sint soliti, ac suffragia disvixum convivis condonare.*

§. 35. Circa reliquos gradus, qui prohibentur *Levitic. XVIII.* difficilior adhuc fuerit rationem invenire, quare iidem ipso quoque naturali jure nuptias impedire debeant. Et si ejusmodi nuptiæ multis quoque gentilibus detestabiles habitæ sint. De noverca effato Apostoli *1. Cor. V. 1.* conspirat *Phocylides. μητρὸς μὴ γαυγὶ δεύτερα λάτρεα γονῆ.* Μητέρα δ' ὡς τιμὰ τὴν μητέρα ἔχοντα βῆσαν. *Noverca ne attinge secundos parentis tui lectos. Sed ut matrem cole, matris insistentem vestigiis.* Notissima est historia de Stratonice, quam Seleucus pater filio Antiochō perditæ amanti concessit, apud *Plutarchum Demetrio;* ubi tamen Seleucus pater dixisse legitur: *Εἰ δ' ἡ γυνὴ τῆ μὴ νομομισμένη δυσκολαίνοι, ἡδὲ καλεῖν τὴν φίλος, ὅπως διδάσκων αὐτὴν καὶ ποίῳσι, καλὰ καὶ δίκαια τὰ δοκῶντα βασιλεῖ μετὰ τῶ συμφέροντι ἡγείσθαι.* *Quod si uxor sua ab re inusitata abhorreat, orare amicos, ut doceant & inducant eam, ut omnia, quæ regi videantur, & sint ex usu publico, recta habeat & justa.* *Appianus quoque in Syriacis amorem Antiochi vocat ἀδμισίαν πατρὸς, nefarium affectum.* Add. *Seneca excerpt. controuv. l. VI. declam. 7. Valer. Max. l. 5. c. 7. §. 1. ext.* Sic Cicero pro Cluentio nuptias focrus cum genero graviter detestatur: *O mulieris scelus in credibile, & præter hanc in omni vita inauditum.* Apud *Andocidem orat. 1. καὶ συνφύει ὁ πάντων χιτλιώτατος ἀνδρῶν τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρὶ.* *Omniumque hominum scelestissimus cum matre & filia concubuit.* Add. *l. 5. §. 1. D. de condict. sine causa. l. 12. §. 1. 2. 3. l. 15. l. 39. D. de ritu nupt.* Et si apud Tartaros solenne sit, filium defuncto patre novercam in uxorem ducere, teste *Haythono de Tartaris, c. 48. & M. Paulo Veneto l. 1. c. 55.* Ebræi veteres, teste *Grotio d. l.* duas heic potissimum rationes allegant; unam defunctam à naturali pudore, qui non sinat autores ortus, seu parentes cum sua sobole aut in seipsis, aut etiam per personas sanguine aut nuptiali comixtione proxime coherentes misceri. Quæ ratio uti inter ascendentes & descendentes valet; ita cum illè pudor inter collaterales, saltem ultra secundum gradum disjunctos, valde evanescat, ad conficiendū aliquod

naturale jus sufficere non potest. Etsi civilibus legibus ratio constet, quæ prohibitionem graduum latius extenderunt, objiciendæ velut septis, qui ipso naturali ac divino jure interdicti habentur. Alteram rationem inde deducunt, ne quarundam personarum convictus quotidianus & inobservatus stupris atque adulteriis ansam daret; si tales amores nuptiis possent conglutinari. Quæ itidem legi positivæ occasionem dare potest, jus naturale non evincit. Eadem tamen non absurde videntur uti Ebraei, quare *Levit.* 18. interdictum sit matrimonium amitæ; non autem filie fratris, cum tamen utraque pari videatur gradu distare. Nam dicunt isti, viros juvenes assidue frequentare domos avorum & aviarum, aut etiam in iisdem simul cum amitis habitare; ad domos vero fratrum minus frequentem ipsis esse aditum, nec ibi tandundem habere juris. Idem tamen gradus moribus Romanorum erat illicitus, quod adparet exemplo Claudii, Agrippinam ducere volentis: vid. *Tacitus Ann.* XII. Quanquam plurimi d. l. *Levit.* non personas, sed gradus prohibitos esse asserant; quorum rationibus tamen fortasse non deest, quod reponi possit. Cæterum qui omnes & singulos gradus *Levitici* d. l. expressos juri naturali repugnare statuunt, urgent verba v. 27. Cum enim transgressio præsupponat legem, oportet ut tales nuptias contrahendogentiles isti violarint vel legem aliquam naturalem, vel divinam positivam, omnes gentes stringentem. Quarum hanc liquido demonstrare arduum fuerit. *Seldenus* l. V. c. 11. respondet, vocabula ista esse duntaxat capienda de iis peccatis, quæ in gentiles quoque cadere poterant. Argumento esse, quod ibidem prohibitum legatur, ne quis duas sorores simul ducat, id quod tamen fecit Jacobus vir sanctissimus. Quanquam non absurde potest dici, æmulationem inter illas sorores inter ejusdem legis rationes fuisse. Sic & Amram pater Moysis duxit amitam suam Jochabedam, qui gradus tamen eodem capite expresse veratur. De gradibus consanguinitatis apud Indos memorabilia quædam habet *Abr. Rogerius de Braminibus part.* 1. c. 12. In *Alcorano* cap. de uxoribus harum personarum nuptiæ prohibentur: matris, novercæ, filie, sororis, amitæ, neptis, nutricis, sororis collactancæ, locrus, privignæ, nurus, duarum sororum, filie ejus, quam quis cognovit, fœminæ alteri jam nuptæ; nisi bello sit capta. Add. *Seldenus de I. N. & G.* l. V. c. 11. circa finem. Id quoque obiter notandum, vim affinitatis apud multos credi expirare, quando mo-

ritur persona, in qua illa fundata erat, & qui ex eadem nascēbantur. *Euripides Medea*: παλαιά καινῶν λείπεται ανδρῶν. *Veteres novis cedunt affinitatibus*. *Isocrates in Aeginetico*: Tantopere patris mei amicitia delectatus est, ut cum amita mea sine liberis decessisset, rursus patris consobrinam duxerit, quo necessitudo inter nos, & affinitas permaneret. *Cicero pro Quintio*: affinitas liberis istius vivis divelli nullo modo poterat. *Idem Philippica XI. de Dolabella, suo olim genero*: & hic, dii immortales, aliquando fuit meus amicus. *Florus l. 4. c. 2. Morte Juliae Caesaris filiae, qua nupta Pompejo, generi socerig, concordiam matrimonii facere tenebat, statim amulatio erupit. Philo Judaeus de legatione ad Cajum*: Connubia familiis externis sunt pro vinculo, quo soluto solvitur & affinitas. *Contra de Tartaris refert M. Paulus Venerius l. 1. c. 8.* Parentes defunctos filios cælibes, ac filias innuptas connubio inter se jungere, ac ejusmodi postumo contractu credere, inter istorum superstites parentes atque consanguineos affinitatem contractam, non sesus ac si ab illis viventibus nuptiæ forent celebratæ.

§. 36. Addendum denique est aliquid de uxoribus velut secundariis, quæ multis populis in usu fuerunt. Tales nimirum, quæ revera fidem conjugalem viro dant, & in artissimam societatem cum eodem coalescunt: ita tamen ut vel propter inæqualitatem conditionis, generisque, vel alias ob rationes injustæ matris familias dignationem non adsciscantur, nec earundē proli omne jus sit, quod alias filiis familias communiter competit. *Vid. Seldenus de l. N. & G. l. V. c. 7.* Ex quo patet, ejusmodi uxorum discrimen à justis uxoribus per jus duntaxat positivum, aut pactis singulorum esse introductum. Nam discrimina generis jure positivo sunt constituta; & principali pacto matrimonii à sponsis pro arbitrio adjici possunt, quæ ejusdem naturam non evertunt. Patet autem illud potissimum introductum ob conservationem illustrium familiarū, aut in favorem priorum liberorum, (*Apud Iulium Capitolinum Imper. Marcus Faustina mortua concubinam sibi adscivit procuratoris uxoris suæ filiam, ne tot liberis superduceret novercam.*) vel denique ob melius tolerandos sumtus, qui ex moribus civitatum alias injustas uxores erant faciendi. Nam ad conservationem illustrium familiarum etiam illud facit, si ex iisdem oriundæ in paris dignationis domos adsciscantur. Quod ut fieret, alicubi leges civiles sanxerunt, ut si quis inferiori formine

jungeretur, illud matrimonium non haberet omnes effectus, qui alias iustum matrimonium in ea civitate consequuntur. Easdem quoque insigniter debilitat patrimonii divisio; cui prohihendæ conducit ad discere uxores secundarias, ne si ex iusta matre familias natis minores portiones assignarentur, ipsi iustam querendi causam acciperent. Et stolidus est, qui uxorem ducit, cujus sumptibus ad mendicitatem sit redigendus. Unde patet, injuriam fieri ejusmodi uxoribus secundariis, si vile concubinarum nomen ipsis imponatur. Hæ enim proprie sunt, quæ cum aliquo solam stupri consuetudinem habent, citra datam fidem conjugalem; quæ à meretricibus gradu duntaxat differunt. Nec ab isto censu eximuntur, si vel maxime aliqua paciscatur, quod ad certum tempus uni soli se velit servare. (vid. *Aelian.* V. H. l. X. c. 18.) Nam in fide conjugali longe sanctius & amplius quid est, quam solius mercedis aut mutæ libidinis intuitu alicui soli corpus servare. Et si & aliquando concubinæ vocabulum ignominia videatur carere. vid. l. 49. § 4. D. de legatis. Et l. 3. C. de natural. liberis quidam concubinatus in aequale conjugium vocatur. Add. *Godofredus* ad d. l. De Imperatoribus Turcarum refert *Busbequius epist.* 1. post Bajazetem nullum eorum in matrimonio iustam habuisse uxorem. Nam cum ille prælio victus in Tamberlanis potestatem una cum uxore venisset, nihil visum fuit indignius, quam ludibria & contumelia, quibus in ejus oculis uxor afficiebatur. Cujus rei memoria sequentes Imperatores à ducendis uxoribus se abstinerunt, tantumque liberos ex servilis conditionis mulieribus, in quas minus injuria cadere, quam in istas uxores videbatur, susceperunt. Neque vero minus honoris Turca æferunt natis ex concubinis aut pellicibus, quam ex uxoribus; neque illi minus in bona paterna juris habent. Et si aliam rationem ei contumeliæ declinandæ inveniat Rex Persarum Abbas, qui cum gynæceum suum in expeditionem secum duxisset, Eunuchis in mandatis dederat, uxores Regis capite truncare, si prælio ipse victus foret. *Petrus de Valle Itin. part. 2. epist. 5.* Apud Chineses, ubi ex iusta uxore proles desperatur, concubinæ superinducuntur; quippe apud quos miserimum habetur, absque liberis esse, qui defunctum luctus & sepulturæ honore prosequantur. *Martinius hist. sin. l. VI. c. 1. p. m. 201.* Denique & hoc observandum, uti leges civiles alios quoque contractus certis solennibus ac ritibus vestire solent, qui ubi abfuerint, iidem in foro civili pro invalidis censentur;

ita & matrimonio talia quædam in civitatibus nonnullis deprehendi adjuncta, ut si illa abfuerint, pro legitimo idem non habeatur, aut saltem quibusdam effectibus in foro civili careat. vid. *Constitut. Sicula* l. 3. tit. 20. Illa solennia etsi à jure naturali ignorentur, tamen cum idem jus leges civiles observari jubeat ab illis, qui iisdem subjiciuntur, indifferentiam juris naturalis heic nequidquam allegant, qui potestatem ferendi, aut abrogandi leges civiles non habent.

CAPUT II.

DE POTESTATE PATRIA.

- | | |
|--|--|
| <p>1. De origine imperii patris sententia communis.</p> <p>2. Ex mente Hobbesii prima va potestas in prolem est penes matrem;</p> <p>3. Quæ ab hac deinde in alios derivatur.</p> <p>4. Quibus rationibus imperium paternum nitatur.</p> <p>5. Quatenus patris jus potius, quam matris.</p> <p>6. Quanta potestas in prolem competat patri ut tali;</p> <p>7. Et quidem tempore infantia: ac pueritia.</p> | <p>8. Hoc tempore quatenus liberi sint capaces domini.</p> <p>9. An filium possit vendere pater.</p> <p>10. De obligatione liberorum emancipatorum.</p> <p>11. Quid patribus competat potestatis in adultos filios extra civitates;</p> <p>12. Quid in civitatibus.</p> <p>13. Quomodo hac potestas dissolvatur.</p> <p>14. An liberis consensus parentum sit necessarius ad incundum matrimonium.</p> |
|--|--|

EX matrimonio provenit proles, in quam constituta est potestas patria, antiquissimum juxta ac sanctissimum genus imperii; quo parentum jussa venerari, eorundemque præ se eminentiam agnoscere liberi tenentur. Circa cujus originem *Grotius* l. 2. c. 5. §. 1. & plerique tradunt, idem oriri ex generatione, qua parentes quodammodo Deum referant, dum eum, qui nondum fuit, existere faciunt. Sed cum ad eandem uterq; parentum æque concurrat, originarie utriusque simul in prolem jus quaeritur: quod si tamen inter se imperium contendant, nec utriusque simul queat satisfieri, præferendum esse imperium patris, non solum ob præstantiam sexus, sed & quia imperium ipse in matrem obtinet.

§. 2. Ejusdem imperii originem ita investigare instituit *Hobbes de civ. c. 9.* Etsi fortasse vera sit hæc consequentia, hic est pater, ergo est & dominus filii; non esse tamen eam ita manifestam, ut statim per se ejusdem necessitas elucescat; quemadmodum sunt illa, quorum unus terminus continetur in definitione alterius; sed aliis probationibus ipsam esse adstruendam. Præterea cum summum imperium sit indivisibile, quamdiu regularis forma eidem constare debet, sic ut nemo duobus dominis non subordinatis simul servire queat; ad generationem autem duæ personæ concurrant; non videri sola generatione imperium adquiri. Igitur hanc rem ex statu naturali ita deducendam. In illo quippe cum omnia in omnes liceant, quatenus quisque ad sui conservationem facere judicat, victorem fieri dominum victi. Ex quo sequi, jure naturæ dominum infantis ad istum primo pertinere, qui eundem primus in sua potestate habuerit. Manifestum autem esse, eum, qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusvis alterius. Quæ si eundem decreverit educare, id quod utique facere tenetur, ea lege id facere intelligetur, ut ne adultus hostis fiat, id est, ut ipsi obediat. Nam ex *Ipsius* hypothesei hostes invicem sunt, qui inter se non imperant & parent, aut communem dominum non agnoscunt. Non enim præsumi, quenquam ita alicui dedisse vitam, ut possit simul & ætate vires acquirere, & jure hostis esse. Hoc modo igitur in statu naturæ omnem puerperam simul & matrem fieri, & dominam. Præstantiam autem sexus non efficere, ut patri potius præ matre jus in prolem sit. Nam inæqualitatem virium inter marem & foeminam minorem esse, quam ut ille statim citra reluctantiam in hanc possit imperium nancisci, adeoque bello quoque opus fore ad eandem subjugandam. Accedere, quod si non nobiliorem, saltem magis laboriosam & molestam operam ad proles generationem foemina præ mare contulit; quippe quæ eandem intra corpus suum diu gestavit, & ex sua substantia aluit. *Quintilian. declam. 338.* *Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes, quos liberis suis extra posita voluptates conciliant. Aliter amant quæ pepererunt, quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes afferunt.* *Medea apud Ennium: Ter sub armis malim vitam cernere, quam semel modo parere.* Quod expressum ex illo ap. *Euripidem Medea:* ὡς ἄρα τῶν ἀπαιδῶν ἑὴναι δίλαι μὲν ἢ μῦλλον, ἢ πατρὶν ἀπαρ. De foemi-

fœminis tamen in regione Patia in America memorant, illas absq; omni dolore parere, nec debilitatem aliquam sentire, sed statim à partu ad consuetum opus redire. Idem fere de fœminis regionis Chili traditur. Ac Hispanicæ fœminæ, si ibi diu habitent, pari modo indurantur. Et si Orestes apud *Euripidem* causæ suæ serviens pro patri calculum videatur ponere. Πάτερ μὲν ἐφύτισέ με, ἐν δ' ἔτιπτε παῖς, τὸ σπέρμ' ἀρούρα πῶδ' ἀλαβῆσ' ἄλλου πάρα. Ἄντ' δ' πατρὸς τέκνον ἐν εἰν ποτ' ἄν, Ἐλογισάμην ἔν, πῶ γένος ἀρχηγίτη μάλλον μ' ἀμύναί, τῆς ὑποσείδου τροφῆς. *Pater quidem plantavit me, sua autem peperit filia, semen ceu terra ab alio suscipiens: Absq; patre vero haut unquam esse queat filius. Existimavi igitur non potius auctori generis Opem ferre debuisse, quam ei qua præbuis alimantiam.* Quid quod in statu mere naturali, ubi nullæ civitates, aut familiæ, quibus uterque subiectus foret, intelliguntur, sciri nequeat, cujus patris sit filius, nisi indicio matris. Ejus igitur esse, quem mater vult, & proinde matris esse. Inde & jure Romano constitutum, ut qui extra matrimonium concipitur partus, ventrem seu matrem sequatur. Lex quoque erat apud Lycios; *si qua ingenua servonupsere, liberi, qui ex his suscipiuntur ingenui ac nobiles existimantur: sin autem vir vel inter cives primarius uxorem duxerit externam, aut pellicem, suscepti ex his liberi putantur non ingenui.* Apud quos etiam se de nominibus natrum appellabant, non patrum. *Herodotus Clio.*

§. 3. A matre porro in alios jus diversis modis ex mentē *Hobbesii* transit. 1. Si mater jus suum dereliquerit, sive abjecerit filium exponendo. Is igitur qui expositum educaverit, idem habebit dominium, quod habebat mater. Quam enim vitam mater proli alendo dederat, eandem, quantum in se, exponendo iterum tollit. Ergo & obligatio proli erga matrem, quæ orta erat ex vitæ donatione; per expositionem est sublata. Et autem, qui ipsum alendo conservavit, omnia debet conservatus, & nomine alumni, tanquam matri, & nomine servi, tanquam domino. Quo adplicari potest illud *Admeti* apud *Euripidem Alcestide*. Τίθνηνα γὰρ δὴ τὸ πῖσ', εἰ δ' ἄλλο τυχάν σωτῆρ', αὐγὰς εἰσορῶ, αἶψα λθῶ καὶ παῖδα μ' εἶναι, καὶ φίλον γρηγορέειν. *Mortuus enim sum, quantum in te est: si vero nactus alium servatorem, lucem aspicio, hujus dico te filium me esse, & charum senectutis alumnum.* *Libanus Orat. 13.* ὅστις ἂν θῶρον ποτὲ μὲν ῥύμης ἐξήρασε, πατῆρ' ἂν ἐκείνου εἶναι τὸ σεσωσμένον δοκῆν. *Quisquis hominem à fluminis actu eripit, merito pater ejus, qui servatus est, videriqueat.*
Hic

Hic licet forte concedamus, ejusmodi prolem animum habere debere observantiam adversus matrem exhibendi, secuta que ipsius poenitentia necessitudinem naturalem velut instaurandi: id tamen aliter fieri non poterit, nisi consensu & cessione educatoris, cui alimenta, & si quid præterea impendit, sunt refundenda. Atque hic solus videtur casus, quo imperium in hominem per occupationem adquiratur. 2. Si mater bello capta est, natus ex ea, ubi simul captus fuerit, etiam est capientis: propterea quod qui dominium habet in personam, dominium etiam habet in omnia, quæ sunt ejus, & sic quoque in filium. Ubi tamen monendum, hoc casu à victore diversum potestatis genus in prolem captam adquiri, quam mater habuerat. 3. Si mater sit civis cujuscunque civitatis, is qui in ea civitate summum habet imperium, dominium quoque habebit ejus, qui ex eo nascitur. Ubi tamen itidem observandum, diversam potestatem esse, quam civitas habet ab ea, quæ parentibus competit. Neque extingui statim potestatem matris per imperium civile, sed alicubi certis limitibus circumscribi, alicubi etiam satis illibatam relinqui. 4. Si mulier viro se tradiderit in vitæ societatem, ea lege, ut imperium apud virum sit, qui nascitur ex ambobus patris est, propter imperium in matrem. Sed si fœmina imperium habens filios ex subdito susceperit, suscepti matris sunt. Aliter enim salvo imperio mulier filios habere non potest. Et in univèrsum, si maris & fœminæ societas talis sit unio, ut alter alterius imperio subiciatur, liberi sunt imperantis. Cæterum in statu naturali, si quidem mas & fœmina societatem cohabitandi contrahant, ita ut alter alterius imperio non subsit, nati ex iis matris sunt, nisi aliter fuerit inter ipsos conventum. Nam pactis de jure suo potest disponere mater, prout velit. Uti factum ab Amazonibus quidam tradunt, quod suscepta ex vicinis prole, mares quidem illis remiserint, fœmellis sibi servatis. In civitatibus vero, si contractus sit inter marem & fœminam ad cohabitationem, liberi sunt patris; quia in omnibus civitatibus, utpote constitutis à patribus familias, imperium domesticum viri est. Qualis contractus si fiat secundum leges civiles, & solenniter, vocatur matrimonium. Si vero contrahant concubinatum duntaxat, aut cohabitationem minus solennem, filii erunt vel patris vel matris, prout legibus civilibus dispositum fuerit.

§. 4. Nos heic, ut in aliis similibus rebus, universalem causam, Deum O. M. præsupponimus. Nec minus tamen fas arbitrâmur, causas secundas & proximas investigare. Quod enim aliqui jactant, *omne imperium, quod homini in hominem competit, isti à Deo communicari per quamdam commissionem divinam; & hominem non habere nisi potestatem delegatam*; id nobis in Deum contumeliosum videtur, ut ut, qui similes sententias in ore habent, eximium pietatis studium præ se ferant. Qui enim delegatam potestatem exerceat, eandem utique cum eo, qui delegavit, habet; nisi quod hic eam, ut propriam, ille ut alienam possidet. Atqui abjecte valde de infinita Dei majestate sentit, qui idem specie imperium, quod in DEO est, in homunciones cadere arbitratur. vid. *Matth. X. 28.* His præmissis illud primo extra dubium ponendum videtur, generationem præbere occasionem jus aliquod in prolem acquirendi; quod non tantum valeat adversus alios non parentes, (ut quemadmodum dominus est fructuum, qui est dominus rei; ita proximum habeat gradum ad imperium in prolem quærendum, qui est dominus corporis, ex quo illa fuit generata:) sed etiam quod adversus ipsam prolem vim obtineat. Dico *occasionem*. Nobis quippe sola generatio non videtur sufficere ad titulum imperii, in sobolem humanam constituendi. Etsi enim ex substantia nostra excitetur proles: tamen quia abit in personam nobis similem, & quæ quantum ad jura hominibus naturaliter competentia nobis est æqualis; inde ut nobis fiat inæqualis, seu ut nostro imperio subjiciatur, alio utique titulo videtur opus esse. Præsertim cum illa tali actu exerceatur, quem fere nostræ delectationis causa suscipimus, quemque adeo tanti imputare proli non possumus, ut ea nolens volens nobis subesse teneatur. *Lactantius div. instit. l. V. c. 18. Qui filium generat. non habet potestatem ut concipiatur, ut nascatur, ut vivat. Vnde apparet, non (tam) esse illum patrem, sed tantummodo (quam) generandi ministrum.* Duplici igitur titulo jus parentum in liberos fundatur, primo, quia ipsa lex naturæ, dum sociabilem esse hominem jussit, parentibus curam liberorum injunxit; quæ ut eo minus negligeret, tenerrimum simul affectum in prolem iisdem implantavit. Ni enim prolem à parentibus educari ponas, vita socialis plane intelligi nequit. Non potest autem illa cura recte exerceri, nisi potestatem habuerint parentes liberorum actiones dirigendi ad horum salutem, quam ipsi propter judicii defectum nondū intelligunt. vid. *Sirac. VII. 25. XXX. 1. seqq.* Igitur eo

Yyyyy

ipso

ipso à natura injungitur parentibus, ut imperium utique in liberos exer-
ceant, quantum ad istum finē sufficit. Nam qui obligat aliquem ad finē,
censetur eidem quoq; simul contulisse potestatem usurpandi media, sine
quibus iste obtineri nequit. Hæc porro potestas parentum, ex injuncta
ipsis cura liberorum resultans, necessario in liberis ponit obligationem
submitteendi sese parentum directioni; cum hæc citra illam sit frustranea.
Deinde parentum imperium ipsorum quoq; liberorum præsumto con-
sensu, adeoq; pacto tacito niti videtur. Quemadmodum enim parens eo
ipso, quod infantem tollit, declarat, sese obligationem à natura injunctā
impleturum, infantemq; quantum in se bene educaturum: ita contra in-
fans, etsi propter latentē adhuc rationis usum reciproca officia, paren-
tum obligationi ex adversum respondentia, expresse nequeat promitte-
re; ex ipsa tamen parentum opera obligationem erga eosdem contrahit,
non minus, quam si expressus ipsius consensus accessisset. *Add. l. 2. D. de
negot. gestis.* Ea; obligatio sese exserit, quamprimum quid à parentibus
erga ipsum sit gestum, potest intelligere. Præsumitur enim, si usum ra-
tionis eo, quo sublatus est, tempore habuisset, ac perspexisset, vitam sese
citra parētum curam, junctumq; illi imperium servare non posse, luben-
ter ipsum in idem consensurum, commodamq; sibi educationē ab iisdem
vicissim fuisse stipulaturum. Qui consensus cum ratione præsumtus pro
expresso valet. (*Conf. Seneca consol. ad Marciam c. 18.*) Non secus atq; is,
cujus absentis & ignorantis negotia alter gessit, obligationem velut ex
contractu tacito contraxisse intelligitur isti pensandi, quod in ipsius uti-
litatem impendit. Unde patet, imperium in prolem parentia actu consti-
tui, quando illam tollit, nutritque, & in commodum humanæ societatis
membrum eandem formandā pro virili suscipit. Neq; obstat, quod non
nemini videtur, obligationem inter parentes & liberos nullo modo ex
consensu & pacto tacito derivari posse, *ideo quod consensus quocunq; titulo
veniat, locum habere proprie non possit, nisi in actionibus anse consensum libe-
ris. Atqui nec patri liberum esse, nec filio educationis illa jura cum annexo cuiq;
debito declinare.* Nam hæc sibi non repugnant, aliquid oriri ex præcepto
legis naturalis, & oriri ex consensu tacito. Sane enim homini non est li-
berum Deo non parere, & tamen Deus à fidelibus obsequium fœdere
stipulari voluit. Sic civis utiq; munia militaria reipublicæ debet, & tamē
dum miles scribitur, consensus ejus accedit, & sacramētum. Sic quare di-
ci non possit, infantis consensum tacitum intelligi, dum parens actu ejus
educa-

educationem suscipit: cujus hic sit effectus, ne querendi causam habeat, quasi imperium paternum invito sibi, & frustra sit impositum.

§. 5. Quando autem ulterius quæritur, utrius parentum jus in prolem sit potius, distinctione præmissa res est expedienda. Vel enim vivitur in civitate, vel extra eandem; inter eos autem, qui genuerunt, pactum intercessit, vel non. Extra civitatem in naturali libertate, si generantes citra pactum aliquod duraturum mixti fuerunt, proles matris est. Nam in eo statu pater nisi indicio matris cognosci non potest, saltem tali certitudine, qua res facti solent probari; cum in eo statu alios quoque mares mater potuerit admittere. Conf. §. 31. 32. *Inst. de rerum divis.* & l. 7. v. 13. *D. adquir. rer. dom.* Eam ob rationem ex legibus Romanis vulgo quæsitæ sunt matris. Et si in contrarium erat institutum veterum Ægyptiorum, apud *Diodorum Siculum* l. 1. c. 80. qui *nullum filiorum pro spurio habebant, etiam si ex ancilla emittia sit procreatus. Solum enim patrem procreationis autorem esse, matremq; alimenta tantum & locum infanti præbere arbitrantur. Arbores etiam quæ fructum edunt, mares, sed quæ non ferunt, fœminas, contra quæ Græci, nominant.* Similis sententia occurrit apud *Theagem Pythagoricum de virtutibus: Pater animum gignit, mater duntaxat materiam gignendo suppeditat.* Ubi vero pactum inter marem & fœminam antecessit, in quo super prole dispositum, ex eodem satis constabit, utri in prolem imperium competat. Nam ut summum imperium in eundem duo indivisim obtineant, irregulare est. Istud igitur pactum vel nude tendit ad quærendam sobolem, vel involvit etiam imperium in fœminam, adeoque justum matrimonium continet: ubi sine dubio imperium in prolem est penes patrem. In prioris autem generis pactis etsi regulare sit, ut illa incipiant à mare, & hic sibi, non fœminæ prolem quærat, utque adeo & hic in prolem sibi imperium fuerit pactus: tamen præter ordinem contingere potest, ut mulier sibi adsiscat virum; non vir mulierem. Id quod quondam inter *Amazones* factum; & hodieque contingere necessum est circa fœminas, summum imperium in civitate habentes, ubi eodem salvo maritis junguntur; qui proprie loquendo non tam reges, quam mariti reginarum fiunt. Neque vero eo nomine talia pacta juri naturæ repugnant, quod alteruter conjugum abs se videatur remove curam liberorum, quam tamen natura indistincte parentibus injunxit. Nam illud utiq; non ita præcisè requirit natura, ut uterq; parentum per se & immediate educandæ proli operam navet; sed sufficere potest, ut alterutri eadem per pactum præ-

cipue committatur. Sicuti mater non præcise tenetur propria ubera proli præbere, sed eandem nutrice alendam committere potest. (Etsi contrarium suadeat *Plutarchus de educ. liber. & Favorinus* apud *Gellium* l. XII. c. I. Add. *Ferdin. Pinto itin.* c. 54. ubi refert, quam religiose observetur apud Javanenses, ut matres propriis uberibus prolem suam alant. In *Alcorano* præcipitur, ut fœminæ integros duos annos prolem suam lactent.) Quomodo & patres ingenium, & mores filiorum formandos aliis idoneis viris recte credunt. Ast vero in civitatibus per viros constitutis, uti regulariter viri sunt capita familiæ; ita privatum inter liberos imperium est penes patres; sic ut matrum iussa in se consiliorum ferè vim habeant; plenam autem vim obligandi ex communicata abs patre potestate mutantur. Nam uti uxores in administrationis domesticæ partem utiliter admittuntur: ita imperium patris curam matris circa prolem non excludit. Etsi per leges civiles peculiariter heic possit disponi. Sic *Petrus de Valle Itin. part. 1. ep. 17.* memorat, apud *Babylonias* supremam potestatem in filios quidem esse penes patrem, sed in filias penes matrem. Patre autem defuncto, si penes matrem maneat gubernatio familiæ, par quoque est potestatem patris in liberos eidem accrescere. *Conf. Genes. XXI. 21. cum XXIV. 4.* Et ubi alter ipsius maritus in curam educandi privignos succedit, in reverentiam quoque genitori debitam admittetur. De *Chinensibus* tamen referunt, si uxor post mariti mortem ad secundas nuptias transeat, eam unica tantum cum veste à suis liberis discedere; quod apud ipsos liberi nullum vitricum tolerare, multo minus eidem obtemperare velint. *Neuhof. in Legat. p. 281.*

§. 6. Proximum est, ut disquiramus, quanta sit parentum in liberos potestas. Heic distinguendum est inter patres familias adhuc extra civitates constitutos, & illos, qui civitates jam subierunt: tum inter potestatem, quam habet pater, qua talis, & qua est caput familiæ segrægis. Potestas, quæ patri ut tali competit, cum sit necessaria ad explendam obligationem adversus liberos à natura inunctam, tanta quoque esse intelligitur, quanta ad eum finem obtinendum sufficit. Officium porro parentis ut talis in eo potissimum vertitur, ut liberos commode educet, id est, nutriat & gubernet, quousque sibi ipsis prospicere, & suas actiones pro modo ingenii temperare ipsi queant, utque in commoda humanæ societatis membra evadant. Nam generatio non est pars officii paterni, sed ejusdem occasio. Illud autem officium eo diligen-

diligentius parentibus est obeundum, quo verius est, quod *Plutarchus de*
educat. liber. dicit: *πρὸς τῆς βίβης καλοῦσθαι τὴν νομίμην τοῦ παιδείας; fons*
& radix probitatis est, decentem sortiri institutionem. Præsertim cum ut-
 plurimum obtineat illud *Platonis de republ.* l. 6. *Animi præstantissimo*
ingenio præditi, si male fuerint educati, pessimi fiunt. An putas infanda
scelera, & extremam nequitiam, ex ignavo potius ingenio, quam generoso
educatione corrupto procedere? Imbecillum vero naturam ingentium vel bo-
norum vel malorum quandoque causam fore? Idem quoque de LL. l. 7.
puerum vocat *δυσμιτῶναιεστῶν πάντων θνητῶν, intractabiliorem quamvis be-*
stia. Libanius declam. XX. *μῆτα ταῖς ψυχαῖς ἢ παιδευσις ἀγαθὴ. Magnum*
animabus bonum institutio. Horat. l. 4. ode 4. *Doctrina sed vim promovet*
insitam, Rectique cultus pectora roborant: Viscunque defecere mores, dede-
corant bene nata culpa. Anonymus Poeta: *Γράμματῶ μαθεῖν δεῖ, καὶ μα-*
θῆναι τῶν ἔχων. ὡς ἴδεν ἢ μάθουσιν, ἢ μὴ τῶν μαθῆναι. Add. *Stobæus serm.* 81. Ex
 quo patet, haut quidquam potestatem patriam se cousque extendere,
 ut prolem vel intra materna viscera hærentem queat elidere, (vid. l. 4.
D. de extraord. crimin. l. 8. *D. ad L. Cornel. de sicariis.* l. 38. §. 5. *D. de pæ-*
nis, nisi ubi matri alias prolique simul foret pereundum, vid. *Ant. Mat-*
thæus de crimin. ad l. 47. *D. c. 5. §. 5.* Et *Grotius in flor. spars.* ad l. 39. *D. de pæ-*
nis.) vel recens editam abjicere, aut necare, multoque minus, si jam
 vivendo aliquo usque processerit. Nam utut ex substantia parentum
 excitetur soboles; in æqualem tamen cum illis conditionem statim col-
 locatur, saltem hæctenus, ut injuriæ abs quovis capax sit. *Plinius* l. 9.
epist. 12. *Ita hoc quod es pater utere, ut memineris & te hominem esse, & ho-*
minis patrem. Vid. *Phil. Iudæus de specialibus legibus, & Lactantius divin.*
insti. l. VI. c. 20. & *Diodorus Siculus* l. 1. c. 77. Add. *Grotius ad Exod.*
c. XXI. 22. lex VV. isgothorum l. 6. tit. 3. c. 7. *Seldenus de I. N. & G.* l. IV.
 c. 1. Absurdissimus est Formosanorum mas, apud quos turpe habetur
 à scemina prolem ante annum ætatis trigessimum quintum aut sextum
 conspici. Quod si ante istud tempus prægnantes fiant foetum tundendo,
 verberando & comprimendo, non sine maximis doloribus elidunt.
 Unde damnandum est dogma *Aristotelis Polit.* l. 7. c. 16. (21.) *De exponen-*
dis autem & alendis fœtibus esto lex, ut nihil alatur mancum, & membris orba-
rum. Determinanda est procreandorum liberorum multitudo. Sed si quibus
fuerit aliquid præterea genitum, abortionem ante sensum & vitam facere con-
veniet. Quatenus enim fas sit, progrediq. liceat, sensu & vita terminabitur.

num est imperfecti iudicii, & quando abest plena *απαίτηση*; secundum perfecti iudicii, sed dū filius adhuc manet pars familiæ paternæ, neq; suas res sibi scorsim gerit; tertium, postquam ex familia excessit, sive ipse propriam familiam sibi constituerit, sive alterius familiæ factus, sit accessio. Quæ distinctio quare *Zieglero ad Grotii* d. l. displiceat, nōdum satis causæ dispicere possum. Nam licet sacræ literæ indistinctim liberis obsequium erga parentes inculcent; *Eph. VI. 1. Col. III. 20.* nequidquam tamen eadē prohibent, quo minus diverso modo tractetur tener pulio, & plena ætate juvenis. Sicuti nec eadēdem requirunt, ut nunquam vivis parentibus adultus filius paterna familia excedat. In primo igitur tempore, ex mente *Illius*, omnes liberorum actiones directioni parentum subjacent; cum æquum sit, ut qui seipsum regere non potest, aliunde regatur; naturaliter autem inveniri nequeat, cui propius competat regimen, quam parentes.

§. 8. Heic quæritur, an isthoc tempore proles jure naturali sit capax dominii, adversus ipsum patrem valituri? Ubi distinguendum videtur inter bona per propriam industriam parta, & quæ aliorum liberalitate, puta per testamentū aut donationem transferuntur. In ista ætate quantillum est, quod propria industria possit acquirere puer? Saltem non majus idē erit, quam quod à parente in ipsius educationem impenditur, aut impensum fuit. Unde recte pater in pensationem suorum laborum ac sumptuum id sibi vindicat. Quanquam enim jure naturali ad alendam sobolem adstringebatur; non tamen ipsi erat vetitum, si quem posset ex ea educatione fructum percipere. Non magis quam parentibus est interdictum ex sua prole voluptatem capere; quæ sæpe tanta est, ut quantivis eam redimere velint. vid *Seneca consol. ad Marciam* c. 12. Unde & impudens foret filius, si in ea ætate mercedem laboris, quem patri præstitit, postulare velit. *Sophocles Oedipo Colon.* Τοις τεκνῶσι, ἂν εἰ ποτεῖ τις θεῖ πόνου μνήμην ἔχεν. *Parentum causa etsi quis laborat, laborum tamen meminisse non debet.* Apud Peruanos filii ad annum ætatis vigesimum quintum parentibus ministeria præstare tenebantur. *Garcilass. de la Vcya Comm. Reg. I. 4. c. 19.* Quando autem ex aliorum liberalitate in filium quid est transferendum, eo quidem nomine translatio illa non videtur valida, quod heic requiratur acceptatio; quæ citra consensum deliberatum, adeoq; usum rationis fieri nequit. Quia tamen valde durum foret, propter ætatis teneritatem, quæ maxime aliorum auxilio indiget, ad ejusmodi comoda capeffenda viam ipsis intercludi; ideo æquissimum est, ut alius talium nomine acceptationem

nem faciat, simulq; bona illa administret, quousq; ipsi rebus suis superesse queant. Quam ad rem patre nemo est propior. Ex quo adparet, naturale hautquidquam esse, ut patri adquiratur dominium eorum bonorum, quæ tali modo in filium transferuntur: id tamen æquitati non repugnare, ut saltem tantisper, quousq; filius eorundem administrationem ipse suscipiat, pater illis uti frui possit, & ex iisdem filium alere. Unde & illud adparet, æquissima ratione niti illa, quæ leges Romanæ super peculio filiorum familias profectio & adventio, simulque castrensi tradunt.

§. 9. Hoc loco & illud quæri potest, an imperium & officium paternum à patre avelli, & in alium transferri queat? Ubi sciendum, et si actus personalis, qui ab uno in alterum transire nequit, officio & imperio paterno dederit ansam; (*Libanus declam. XX. ε̄ τὸ παρ̄ ἑμῶν ἢ γυνοῖσσι δὲναται λυθῆναι νόμῳ.* Non quod ex lege genitus sis, lege solus potest:) id tamen non obstare, quo minus, utilitate proles aut nec essitate id exigente, ejusdem administratio alteri delegetur & commendetur. Ut tamen observetur illud *Plutarchi de lib. educat. Culpandi sunt parentes nonnulli, qui postquam filios suos pedagogis magistrisque commenda verunt, ipsi quid discatur neque inspiciunt unquam, neque inaudiunt: magno sane cum errore. oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum subinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarii voluntate omnem spem collocare. Qui & ipse majorem diligentiam pueris instituendis erat impensurus, si idem sibi munus sui rationem sibi reddendam fore sentiret.* De cætero neque id juri naturali repugnat, suam prolem bono viro adoptandam concedere, si quidem exinde aliquod emolumentum in eandem est redundaturum. Add. *Gellius l. 5. c. 19. Euripides Ione. ἡ δ' ἄν φιλοφιλοῦσιν τὸν αὐτῆ παιδα διαπέτην δέμων.* Amicus amico sane dederit filium suum heredem domus. Sed ut pater filium oppignorare, aut etiam vendere possit, id nullo casu natura videtur permittere, nisi ubi alia ratio eum alendi non suppetat. Heic enim præstat filium in servitutem tolerabilem tradi, ex qua emergendi iterum aliqua spes est, quam fame extingui. Huc spectat lex Thebanorum apud *Aelianum V. H. l. 2. c. 7. Ne cui Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto. Verum si extrema mendicitate pater laboret, si ve mas sit, si ve fœmina infans, jubet lex eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre: qui accepto levi pretio alicui tradis, cum quo pactum & conditiones intercedunt, ut bona fide infantem alas, & adultum servi aut serva loco habeat, receptis ejusdem operis*

operis in mercedem educationis. Quæ lex inde defenditur, quod natura ipsa censeatur jus dare ad omne id, sine quo obtineri nequit, quod ipsa imperat. Si Imperator Constantinus in l. 2. C. de patribus, qui fil. suos distrax. permittit patri propter nimiam egestatem paupertatemque victus causa (pueri scil. non patris) filium filiamve sanguinolentos vendere; ita tamen ut si pretium domino offeratur, abs quolibet iterum ingenuitati possint restitui, cap. 94. & 95. in Edicto Theodorici, & Lex VVigothorum lib. V. tit. 4. c. 12. vendere liberos alimentorum gratia vetans, intelligenda videtur de alimentis, in usum parentum cedentibus. Plus justo tamen indulgisse parentibus videtur institutum Romuli, qui patri concessit terna filii venditione pecuniam quærere; majorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. Servus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus, in posterum sui juris est. Filius vero à patre venditus, si liber fieret, rursus sub patris potestatem redigebatur. Iterum quoque venundatus & liberatus, servus ut ante patris erat. Post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate Dionys. Halicarn. l. 2. Quam legem paulisper mitigavit Numa, dum à venditione exceptit eos, qui in matrimonio essent, si nuptias patris jussu, aut consensu contraxissent. Plutarch. Numa. Neque tamen Decemviri eandem penitus abolere ausi sunt; etsi ipsa paulatim in defuetudinem abierit, demum plane interdicta, l. 1. C. d. r. Ex prisco autem more retentum, ut in emancipationibus filiorum emancipandus filius ter imaginariè venderetur. Id quod à Justiniano sublatum in l. ult. C. de adoptionibus. Ex Plutarcho in Solone quoque patet, Athenis saltem ante Solonis tempora filium potuisse vendi, quo pater æs alienum dissolveret. Conf. Matth. XVIII. 25. 2. Reg. IV. 1. Philostratus in vita Apollonii Thyanei l. 8. Phrygibus familiare est, proprios etiã filios vendere; & si captivi in servitutem ducantur, ne ad eos quidem respicientes se convertunt. Add. Plutarchus Lucullo. Apud Moscovitas filiũ à patre quater posse vendi, & post quartam demũ venditionem nihil amplius in ipsum juris competere patri, tradit Sigism. Baro in Herberstein. Add. Ad. Olearius Itin. Persic. l. 3. c. 6. Chinesibus quoque in usu est, ut liberos vendant, quos sese alere posse non confidunt; ut tamen cuilibet concedatur iterum in libertatem se vendicare, ex soluto pretio, pro quo fuit emtus.

§. 10. In tertio tempore, quando filius familia paterna excessit, patriaque potestate solutus est, in omnibus durius, sui que juris est; manente tamen semper pietatis & observantiz debito; cujus causa est

Zzzz

per-

perpetua; orta quippe ex antegressis parentum meritis. Quam in rem graviter Plato de LL. l. 4. Parentibus fas est prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum, persolvere: Putare enim quisq; debet, omnia quae possidet eorum esse, qui genuerunt & educarunt; ita ut illis hac omnia pro viribus ministrare debeant; primum quidem externa bona, deinde etiam corporis, postremo quae ad animum pertinent; hac omnia videlicet mutuo data persolvens, & pro curis doloribusque praevisis parentum, in senectute recentes reddens, quando maxime indigent: In verbis quae etiam per totam vitam parentes venerari maxime decet: Oportet itaque iratis; animumque explentibus cedere, seu verbis, sive rebus id faciant, non ignorantes, patrem iure admodum filio valde succensere, si quando injuriantur ab eo sibi fieri arbitretur. (Conf. l. II. §. 1. D. de accusati & inscripsi.) Addit: demum de monumento convenientemortuis extruendo, rocolendaq; eorum memoria. Vid. Idem l. XI. de LL. p. m. 975. Arriani Epictetum l. 2. c. 10. Memento te esse filium, cujus professio sit existimare, patria bona omnia sua esse; omnibus in rebus dicto ei esse audientem, nunquam cum apud quemquam vituperare: neque vel dicere, vel facere quidquam, quod ei incommodet. atque etiam cedere illi in omnibus, & dare locum, pro virili adjuvantem. Oppianus Halium. l. 5. πατρί δὲ γυμνασίου τοῦ πατρὸς οὐκ ἔστιν ἀδελφὸς οὐδὲν. Patri senescentis novum robur sunt filii. Apud Chineses si cui parentes moriantur, statim quod in aula gerit munus non militare ad triennium abdicare cogitur, domumque proficisci, ac per triennium istos lugere: Nam & primi tres anni maximam molestiam in educatione liberorum parentibus pepererunt. Nebofin Legatione. Plura luctus signa recitat Martinius hist. Sinica l. 1. in octavo Imperatore. Apud eosdem filius humilior quam pater sella, & nunquam ex adverso, sed ad latus eidem sedet. Et sane liberis cum parentum meritis, paria facere non posse tralatitium est. Arist. Nicom. VIII. c. 16. τοῖς γονεῦσιν οὐδὲν τὴν ἀξίαν τοῦ ἀποδοῦναι εἰς δὲ βίαν οὐδὲν δὲ δὲ πατρὸς ἰσχυρὸν εἶναι δεῖν. Parentibus nemo dignam gratiam retulerit; sed qui pro viribus colit, is esse probus videtur. Add. Xenophon memorabil. l. 2. & Stobaeum serm. 77. Quanquam filium quandoque parentis beneficia vincere posse prolixè disputet Seneca de benefic. l. III. c. 29. 30. seqq. Recitat quoque dictum Alexandri Arriani l. VII. βαρὺ δὲ τὸ ἐπιτιμῶν τῷ δίκῃ μισθῶν εἰσπρατῆσι δὲ αὐτῷ τὴν μισθῶν Grave decem mensium habitationis pretium à matre exigi. Et quantumcunque sit illud meritum, ad scelus tamen impetrandum valere non potest. Inde Idem argenti matri; ut occideret quendam insonem; & dillicitanti; eum se per novem menses utero portasse pregnantem, respondit: Aliam parens optima posce mercedem; hominis enim salus beneficio nullo pensatur. Ammian. Marcellinus l. XIV. c. 10. Atld. Gellius l. 2. c. 7. Hobbes de Civitate, IX. §. 8. debitum illud reverentiae non ex sola de grato animo lege derivandum arbitratur; sed exacto quoque tacito, quod nempe non praesumatur, qui alterum, ex sua potestate dimittit, eum ita sibi voluisse aequare, ut ne beneficii quidem reus esset: sed semper esse intelligendum, eum, qui subiectione liberatur, promittere saltem externa signa, quibus superiores ab inferioribus solent honorari. Illa tamen nimia est superstitio, quam refert Constantinus L. Empereur in Babakama c. 8. §. 3. Judaeos non permisisse; exterrere, ne filius patrem sanguinem effunderet, filium patri venam secare, imo spinam educere, aut

ulcus

vulcus aperire, ne forte sanguis sequatur. Add. *Seldenus de I. N. & G. l. 7. c. 2.* Inter eos tamen, qui in civitatibus degunt, contingere potest, ut propter officium publicum pater filio reverentiam exhibere debeat, salva tamen patris inter privatos respectus prerogativa. Sic ipse pater *Fabius Cunctator* probavit factum filii consulis, quod ipsum sibi obvium equo descendere jussisset. *Plutarchus Fabio, & in apophth. Valer. Max. l. 2. c. 2. §. 4. Gellius l. II. c. 2. l. 13 §. ult. l. 14. princ. D. ad S. C. um. Trebell. Add. Boetius ad Grot. d. l. §. 6.* Enimvero an illa obligatio liberorum perpetua, quae etiam soluto imperio paterno durat, magis ex actu generationis, an ex fidei & laboriosa educatione oriatur, inter quosdam eruditos non convenit. Alii quippe generationi favent; per hanc etiam parentem vitam dare, bonum utique praestantissimum & caeterorum omnium occasionem; accigendo parentes quoddammodo Deum referre. Alii malunt pro educatione calculum ponere, per quam demum quis hominis dignationem implere discit, & quae magna ac diuturna cura pari labore ac sumtu consistat. Idque alii hoc modo illustrent, quod inter brutas, qui genuit, nullo fere affectu erga sobolem tangi deprehendatur; mater autem eousque duntaxat, quoad se prolem alere ipsa queat: hominum autem, ἄρα ἄρα perpetuo duret. Id quod indicio sit, & affectum parentum, & ei respondentem filiorum obligationem non, saltem praecipue, provenire ex illis, quae hominum generatio cum brutis habet communia, sed quod liberi per parentes ad vitam socialem formentur. Equidem *Aristoteles Nicom. VIII. c. 13. ὁ πατήρ αἰτίον τῆ εἰσῆς, δοκῶν ὅτι μάλιστα εἰσῆς, καὶ τοῦ θεοῦ, καὶ παιδείας.* Pater autor est existendi, quod maximum videtur esse, & nutritionis, & educationis. Idem d. l. c. 14. Est amicitia filii erga parentes, & hominibus erga Deos tanquam ergo bonum quoddam, atque excellens. Beneficia enim maxima contulere, quippe cum sint in causa, ut & sint, & nutriti atque educati fuerint, posteaque in lucem venerint. Ubi priori quidem loco ponitur generatio & vita, ut tamen cum educatione expresse non comparetur. *Philo Iudaeus l. 2. allegor.* Ne parentibus quidem dignam referre valemus gratiam, quando quidem non possumus eis gignendi vicem reddere. *Quintilian. declam. V. In hunc de divinorum humanorumque conspectum de nostra protulimus anima.* *Maria terraeque, & infatigabiles siderum cursus, & cuncta sacro fulgore lucentia nos, ut fruereris, ostendimus.* Nihilominus nobis verius iudicatur, plus obligatione ex educatione, quam nuda generatione resultare. Sicut etiam eodem inclinare videtur *Plato in Critone ἢ ἔστιν ποιοῦναι παιδείαν, ἢ εὐνοῖα τῆ λαμπροῦς καὶ περιφωτῆ καὶ παιδευοῦσα.* Oportebat non genuisse filios; aut in eis educandis erudiendisque laborem non recusare. Apud *Eunidem in Theage Demodocus dicit: ἡμοὶ ἢ τῆ σίτησις, ἢ εἰς φύτεραν, εἰς παιδοποιεῖαν, εἰς αὐτῶν ἰομαζεν, πάντων βέλτερον. ἢ δὲ πορὸν δύσκαλός τε καὶ αἰεὶ ἐν φόβῳ, καὶ αὐτὸ δειδῶς.* Haec mihi mei filii sive plantatio, seu generatio appellanda sit, omnium facillima existit: educatio autem difficilis, & plenae timoris semper, maximum metum ipsius causa subeunti, fuit. Et ibidem *Socrates: ποῖόνδε ὑπὲρ οὗτο ἂν τις τῶν ἔχων μάλλον ἀπεδείξει, ἢ ὑπὲρ ἧσιν αὐτῶν, ὅπως αἰεὶ βέλτερος ἔσται.* Non video ubi majore diligentia opus sit, si quis mentem modo habeat, quam ut filium optimum reddat. Nam uti est apud *Euripidem Hecuba: ἔχει τὸ σπευδῆναι, καλῶς δὲ δάξιν ἑδλῶ.*

Habet recta educatio doctrinam boni. Apud *Quintilianum* declamat. 285. ita pater: *Non iam imputo illa vulgaria, lucem, & ius libertatis, & usum vitæ. Hoc imputo: quod fortiter existis, roboris & corporis mei, meum est: animus iste ad contemnendum periculum paratus ex meo fluxit. Ego te diu præceptis feci virum fortem: proxime quidem etiam exemplo.* Add. *Idem* declamat. 278, & *Phædrus* l. 3. fab. 16. Scilicet non crediderim, parentem generando tam magnum dedisse beneficium proli, si eam in lucem editam abiciat, aut nutritam citra culturam animi adolecere patiatur pecudis in morem, ut vitam agat sibi erubescendam, aliis inutilem: ac si *res nulla minoris constet patri quam filius Iuvenalis* sat. 7. Quo spectat *lex Solonis* apud *Plutarchum* *Solone*, qua ad alendos parentes non adstringebantur ex meretricibus procreati. Quippe nuptiarum decus qui prætereat, proficitur, sed non liberorum gratia, sed voluptatis adsciscere mulierem; habetque mercedem suam, neque locum sibi querendi reliquit de genitis, quibus ipsam reddidit probrosam nativitatem. Add. *Vitruvius* de archit. præfat. l. VI. *Iuvenalis* sat. 14. *Gratum est, quod patria civem populoque dedisti: si facis, ut patria sit idoneus, utilis agris, utilis & bellorum, & pacis rebus agendis: Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu moribus instituas.* *Aristoteles* apud *Diogenem Laertium*: parentes qui liberos erudiendos curassent, longe honorabiliores esse iis, qui solum genuissent: eos enim vivendi tantum, illos etiam bene beateque vivendi autores esse. Quo nomine etiam quantum: venerationis præceptorum, qui Sancti parentis est loco, à discipulis deferatur apud *Sinenses*, tradit *Martinus hist. Sinica* l. 4. c. 2. *Idem* l. 6. c. r. p. 212. memorat, apud eosdem usitatum esse, ut filius nunquam ad altiore dignitatis gradum, quam pater, adscendat. Unde si suis in reip. meritis honores filius adipiscatur, queis patri fungi non obtingit, ii defuncto quoque patri postuma velut promotione communicantur. Apud eosdem quippe obsequium & reverentia erga parentes maxima & prima virtus habetur. Deinde sequi non videtur; vita est maximum bonum: ergo actus parentis, quæ eam dat, est maxime aptus ad excitandam in prole obligationem. Nam si factum aliquid meum alteri magnopere velim imputare, necessum est ut sciam, cui dem, & an ad ipsum meum beneficium sit perventurum. Nec illud parum ad rem facit confiderasse, an intentionem habeam alterum beneficio mihi obstringendi; quanti factum illud mihi constet; an id susceperim magis ut alteri prodessem; quam ut mihi utilitatem aliquam aut delectationem pararem: num ad idem suscipiendum ratione aut deliberato animi proposito, an vero affectuum stimulis, aut sensuum illecebris sim impulsus; an denique id, quod dedi, ullo modo alteri prodesse queat, nisi alia quæpiam accesserint. Ita qui pressius consideraverit, facile iudicabit, actum educationis longe efficaciorum esse ad producendam obligationem, quam generationis. Et si hautquamquam omnia probaverim, quæ circa hanc rem disputat *Seneca de beneficiis* l. 3; c. 30. seqq. Nam illud sine dubio tolerari non potest, quod vitam hominis, cui Deus unam mortalem animam dedit, vocet rem, quæ cum feris, & animalibus quibusdam minimis, quibusdã etiam fœdissimis communis est: item, muscarum ac vermium bonum. Reliqua tamen non adeo sensuam cordatorum metuant. Illud quod natus sum, per se intueri quale sit: animadvertere exiguum, & incertum, & boni mali que communem materiam, sine dubio primum ad omnia gradum.

sed non ideo majorem omnibus, qua primum. Nec enim ideo prima maximorum instar sunt, quia sine primis maxima esse non possunt. Item: Ad bene vivendum minima portio est vivere. Puta me vitam pro vita reddidisse. Sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim sentienti, cum sentiens me dare, cum vitam tibi non voluptatis mea causa, aut certe per voluptatem dederim. Vis scire, quam non sit magnum beneficium, vitam sic dare? exposuisses: nempe injuria oras genuisse. Quo quidem colligo minimum esse beneficium patris matrisque concubium, nisi accesserint alia, que prosequerentur hoc inisium muneris & alius officii ratum facerent. Idem paulo post generandi beneficium vocat vulgare; paternum munus & simplex & facile, & in quo (saltem vulgus patrum) spectat omnia potius, quam eum, cui dabitur.

§. 11. Enimvero ut intelligatur, quid potestatis patri in filium in secundo tempore competat, observandum est, patres quoque obtinere aliquod imperium, quatenus sunt capita suarum familiarum. Quod tamen aliud est in iis, qui extra civitates vivunt, aliud in iis, qui civitatibus sese adjunxerunt. Sane enim familiae segreges uti aliquod instar civitatum habent; ita earundem capita aliquid analogum imperio regio obtinent. Nam quo minus illas cum Hobbesio civitates vocemus, causa est; quod diversus familiarum, ac civitatum finis, ac proinde multae partes imperii regii in familias non cadant. Quin & ipse Hobbes Leviath. c. 20. fatetur, familiam proprie civitatem non esse, nisi tantae sit potentiae, vel per numerum suum, vel per alias opportunitates, ut subjici sine bello non possit. Idcum tamen in illis habet jus vitae, & necis, ex delicto exercendum aliquod instar potestatis legislativae, nec non jus armorum, & foederum faciendorum. Constituitur autem isthoc imperium patris in liberos jam adultos ex pacto tacito, dum pater jussa sua extendit etiam ad talia, quae educationem filii non spectant; filius autem obsequium capeffit. Id quod & lex aequitatis, gratique animi suadet, ut filius illi potissimum vires suas accomoderet, per quem ipse habet, quod talis jam est; donec ipsius patris consensu isthoc imperio solvatur.

§. 12. Ast postquam in civitates fuit discessum, patribus familias alia quidem jura sunt ademta, alia circumscripta. Ubiq; tamen fere relictum, quantum ad educationem liberorum sufficit; nisi quod Plato in sua republica etiam potestatem patrum ut talium valde accisam reddiderit. Neque multum relictum patribus apud veteres Persas, si ex veritate historica sunt scripta, quae apud Xenophontem de educ. Cyril. 1. habentur. Alibi patrum de potestate patrum familias detractum. Sicuti Romae jus vitae & necis patribus in liberos competeat; quod exercebant fere ad modum judicii cujusdam, vocatis in consilium cognatis & amicis, atq; ex eorum

Zzzzz 3

sen-

LIBRI VI

Apud Quirinum declamatio de vita
libertate, & usum tunc. Hic est quod
animus iste ad contentum est, quod in
ferrem: proxime quidem etiam dicitur de
Scilicet non credide, nam, patrum
si eam in lucem editum dicitur, quod
ent pecudis in motem, quod non agitur
minorem conficit patri quam sua. Inter
sione qua ad aliunde: patrum est aliunde
satis qui praterest profertur, quod non
que mercedem suam, neque hanc in an
n matris tatem. Add. Patrum dicitur
tra eorum populo que dicitur, si scilicet in
acis rebus agatur. Patrum dicitur
s. Aristoteles apud Digenem Laertium
oralibiores esse in, quod hanc generum
endis auctores esse. Quo nomine eorum
parentis est loco, à dicitur dicitur
c. 2. Idem l. 6. c. 1. p. 212. memoret
orem dignitatis gradum, quam patrum
ores filius ad pueatur, quod patrum
na velut promotione commoneatur
na erga parentes maxima & prima
t maximum bonum: ergo ad hunc
n in prole obligationem. Nam
putare, necessum est ut sciam, ca
rum. Nec illud parum ad rem hanc
beneficio mihi obstruendo; quod
s ut alteri prodessem; quam ut
num ad idem faciendum educatur
nam ita stimulis, aut scilicet illi
odo alteri prodesse queat, ubi hanc
rit, facile judicabitur ad hanc
tionem, quam generationis. Et hanc
rem disputat. Seneca de beneficiis
quod vitam hominis, cui Deus
sunt alibi quibusdam mitem
miu bonu. Rel qua tamen non
per se sentit quae sit: anima
m. Sicut dicitur primum ad hanc

sententia supplicio irrogato. vid. *Valerius Max.* l. 5. c. 8. §. 2. 3. 5. & *Tenebra de clemential.* l. 1. c. 15. Apud *Livium* l. 1. c. 50. Turnus dicit: *nullam breviorē esse cognitionem, quam inter patrem & filium, paucisq; verbis transigi posse; nīpareat patri, habiturum infortunium esse.* Circa quod jus, quale alios non habere profitetur *Iustinianus* §. 2. *Instit. de patr. potestate*, dicam ipsi scribit *Bodinus de rep.* l. 1. c. 4. ubi ostendit, *Perfas* quoque, & antiquos Gallos apud *Casarem* l. 6. de B. G. jus vitæ & necis in liberos habuisse. (Cujus moris vestigia adhuc circa Annum Christi 1301. apud *Burdegales* extabant, quorum legibus constitutum erat, ut patres haberent jus vitæ & necis in liberos, & mariti in uxores. Et vir uxorem ex ira aut doloris impatientia occidens, modo solenni juramento pœnitentiam declararet, omni pœna erat exemptus.) Eamque potestatem sublatam multis malis apud Romanos causam dedisse. Cui ad stipulatur *Franciscus Connanus comment. jur. civil.* l. 2. c. 13. sicuti & illa insigniter commendatur à *Dionysio Halicarn.* l. 2. Alii contra sollicitè defendunt Imperatorem *Byzantinum*, jactantes, nullibi patres tam strictam habuisse potestatem in liberos, quam Romæ; quippe quæ nec finē nec modum habuerit. Pro qua sententia videtur facere *Dionys. Halicarn.* l. 2. Alii dicunt Imperatorem eo respexisse, quod patria potestas certa quædam attributa apud Romanos habuerit, quæ alibi non fuerint; puta quod eadem sublata fuerit minima capitis diminutione & deportatione, qua tamen non amittantur ea, quæ sunt juris gentium. Et cum justæ nuptiæ sint juris civilis, patriam quoq; potestatem, quæ illarum consequens est, talem fore. Quæ est sententia *Mastertii* l. 1. de *Iustitia Rom.* l. c. 27. Fortassis simplicissime dicitur, in imperio Romano nemini, qui civis Romanus non esset, licuisse jus vitæ & necis in liberos exercere. Cæterum qui hoc jus patribus intra civitates degentibus reliquerunt, id habere rationis, quod reverentia liberorum erga istos hoc modo vehementer intendatur; simul patribus optime posse constare de delictis per illos patris, qui sub ipsorum oculis degerent: nec ob teneritudinem paterni affectus ad crudelitatem quenquam eadem potestate abusurum, cum tenera illa ætas magis clementia, quam sævitia opus habet. Sic *Phinxus* apud *Diodorum Siculum* l. 4. c. 45. *Nullum patrem esse, inquit, qui severioris pœnæ exemplum in filios statuatur, nisi delictorum magnitudine naturalem erga liberos amorem superarint.* *Sopater* de lege, quæ patri permittit liberos interficere: ὁ νόμος τῶν εἰδωλῶν ἡς εἰδικέναις γίνονται αἱ δίκαις ὁ πατήρ, τῶν ἁπο-
1671.

Lex ita disposuit, quod nosset, quam sincerus pater sit iudex. Add. *Aelianus*. V. H. l. i. c. 34. Contra qui ademerunt, ea forte ratione moti sunt, quod quosdam patres illa abusos cernerent; cum sæpe tenerrimus affectus, ubi supra modum irritatus fuerit; in truculentas efferetur. *Libanius declam.* 33: *Ne putetis satis firmum esse natura vinculum; pollet enim ut plurimum: sed quando animi agrotationes validiores factæ sunt, discinditur; proinde qui pater est, aliud quid esse adparet; animi perturbatione cogente.* Μὴ ἰκανὸν οὐδὲ δύσμιον ἀναγνώφουσιν· ἀλλὰ πατέρ' ἄρ' ὡς τὰ πολλὰ, ὅταν εἴ τὰ ἰουήματα τῆς ψυχῆς ἰππομυθίαια γίνονται, διακοπτεταί, καὶ ὁ πατήρ' ἄλλο τι φάσινταί, τὸ τῆς ψυχῆς ἀναγνώφουσιν ὅτι πᾶσι. Supervacua quoque eadem videbatur; cum delicta morte digna facile à magistratibus vindicari queant; durumque sit; paterni affectus mollitiem eo adigere, ut in nocentem, filium tamen, capitalem sententiam ipse cogatur pronunciare. vid. *Aelianus* V. H. l. i. c. 34. *Valer. Max.* l. 5. c. 9. §. 4. Add. *Chanfon de la Sageffe*. l. i. c. 47. *Libanius declam.* 35: τὸ εἶναι ἄρ' παίδων τὴν ἑαυτῶν ἑστὶ καὶ πατέρων. *In liberis aliquid facere, idem atque pati est.* Nihil tamen ad rem facit, quod vulgo afferunt ex l. 5. D. ad L. Pompej. de parricid. quod patria potestas in pietate, non in atrocitate consistat. Nam *Adrianus* patrem in insulam deportaverat, qui filium cum noverca adulterio pollutum in venatione occiderat. Ubi recte reprehenditur; quod latronis in morem; & velut per infidias nocentem interceptisset; cum per modum iudicii domestici capite ipsum plectere potuisset; adhibitis in consilium amicis. Ni dicere malimus, verba illa emblema *Triboniani* sapere: Jure *Ebraico* pars potestatis paternæ erat, posse filii filiaque familias vota declarare irrita. Cujus ratio non hæc solum fuit, ne imprudens ætas, inconsulta pietatis specie mota, seipsam nimia fovendo fortunis everteret; sed etiam ne vel paterna bona votis ejusmodi onerarentur; vel operæ debitæ interciperentur. Sic ut isthæc potestas hæctenus non ex lege positiva, sed naturali ratione proficiat; cum nemo, qui alteri subjectus est, valide disponere queat circa eas res; in quibus alterius potestati subjacet. Legem *Deuter.* XXI. 18. seqq. *Grotius* ad d. l. duram vocat, quæ ideo strictam receperit interpretationem. Eam quippe non extensam ad filiam; excludi quoque ætatem nondum doli capacem; & cum qui plenioris est ætatis, & seorsim à patre res suas agit: De quantitate vero esculentorum & potulentorum; quam opus sit pro ductum; ut legi locus sit, variant interpretes. Requirit etiam volunt, ut pa-

ter:

LIBRI VI

vid. *Valer. Max.* l. 5. c. 9. §. 4. Add. *Chanfon de la Sageffe*. l. i. c. 47. *Libanius declam.* 35: τὸ εἶναι ἄρ' παίδων τὴν ἑαυτῶν ἑστὶ καὶ πατέρων. *In liberis aliquid facere, idem atque pati est.* Nihil tamen ad rem facit, quod vulgo afferunt ex l. 5. D. ad L. Pompej. de parricid. quod patria potestas in pietate, non in atrocitate consistat. Nam *Adrianus* patrem in insulam deportaverat, qui filium cum noverca adulterio pollutum in venatione occiderat. Ubi recte reprehenditur; quod latronis in morem; & velut per infidias nocentem interceptisset; cum per modum iudicii domestici capite ipsum plectere potuisset; adhibitis in consilium amicis. Ni dicere malimus, verba illa emblema *Triboniani* sapere: Jure *Ebraico* pars potestatis paternæ erat, posse filii filiaque familias vota declarare irrita. Cujus ratio non hæc solum fuit, ne imprudens ætas, inconsulta pietatis specie mota, seipsam nimia fovendo fortunis everteret; sed etiam ne vel paterna bona votis ejusmodi onerarentur; vel operæ debitæ interciperentur. Sic ut isthæc potestas hæctenus non ex lege positiva, sed naturali ratione proficiat; cum nemo, qui alteri subjectus est, valide disponere queat circa eas res; in quibus alterius potestati subjacet. Legem *Deuter.* XXI. 18. seqq. *Grotius* ad d. l. duram vocat, quæ ideo strictam receperit interpretationem. Eam quippe non extensam ad filiam; excludi quoque ætatem nondum doli capacem; & cum qui plenioris est ætatis, & seorsim à patre res suas agit: De quantitate vero esculentorum & potulentorum; quam opus sit pro ductum; ut legi locus sit, variant interpretes. Requirit etiam volunt, ut pa-

ter & mater vivant; quia patre aut matre qui orbus est, plerunque habet bona aliqua, unde damnum sarciri possit. Hodie apud Japonios rigidissimum jus vitæ & necis parentibus in liberos competit. Ex hisce & illud adparet, quando Grotius d.l. tradit: *In secundo tempore, cum jam iudicium ætate maturuit, subesse parentū imperiis non alias actiones, quam quæ ad familiæ paternæ aut maternæ statū aliquid momenti habent; cum æquum sit, ut pars conveniat cum ratione integri: in cæteris autem actionibus habere liberos iugiar seu facultatem moralem agendi, ita tamen ut teneantur semper curare, quo parentibus placeant; non tamen ideo irritas esse eorundem actiones, si quid contra fecerint:* isthæc capienda esse de potestate patrum familias, prout illa jam in plerisq; civitatibus Christianis sese habet. Ubi imperium paternū circa ea potissimum occupatur, quæ educationem liberorū concernunt. Sicuti & id æquum est, ut si quidem liberi velint paternis bonis sustentari, inque illa deinceps succedere, voluntati patris obtemperent, quatenus illa nihil absurdi aut incongrui continet. Cui si citra sufficientes causas reluctati fuerint, deprecari non poterunt, quo minus parentes officio educationis nihil præterea superaddant, eosq; ex hæredes esse jubent. Quanquam & heic, ne parentes forte stolidæ magis pertinaciæ, quam rationi obtemperantes hæreditate liberos inhumaniter excluderent, leges civiles prudenter caverunt. Sicuti & Plato de LL. l. XI. abdicationem filii non vult à patre suscipi sine consensu propinquorum. Add. Seneca controv. I, & 9. Quintilianus declamat. 9. Et in universum, uti alia privatorum jura ad commodum & decus publicum attemperari è recivitatium fuit; ita ne parentes autoritate sua in liberos abutantur in fraudem boni publici, aut iniquam eorundum oppressionem, legislatores civiles providere solent. Sic in genere pater pro suis facultatibus tenetur liberos formare, ut idonea civilis societatis membra fiant. Quo spectat lex Solonis, ne filius patrem, qui nullam artem ipsum docuisset, alere cogeretur. Plutarch. Solone. Sed cum in civitatibus diversi sint status, ac diversa vivendi genera, recte quidem in illis deligendis autoritatē patrum sequuntur liberi, si quidem ad nihil absurdi aut turpis ducant; præsertim ubi ad istos fines à parentibus sumtus præbeantur. Stolidum tamē simul, & iniquum, invitos liberos compellere ad genus vitæ, à quo ipsorum genius abhorret: nefarium, eosdem adigere ad vitæ genus turpe, quale est meretricium; aut communi hominum indoli intolerabile; uti est cælibatus, citra donum continentiæ, & vita monastica.

§. 13. Denique uti pater prolem familia ejicere non debet citra gravissimas causas: ita & proles non nisi bona cum venia patris in aliam familiam transibit. Quod si autem liberi justam habeant migrandi causam, nec tamen parens per animi duritiam antuere velit; putaverim, eosdem non obligari, quo minus rebus suis, etiam ringente duro patre, prospiciant; imprimis ubi paternam hæreditatem negligere velint. Nam leges civiles uti auctoritatem parentum recte fulciunt; ita morositatem ineptam haut temere obfirmabunt. Quin nec capita familiarum segregum invitos liberos videntur retinere posse, ubi justam semigrandi causam habuerint; cum nec in justis civitatibus hominibus liberis facile migratio denegetur, si nullo alio, quam communi civium vinculo stringantur.

§. 14. Huc quoque pertinet quæstio: An liberis liceat nuptias contrahere invitis parentibus? Circa quam putamus distincte considerandum esse, quid requirat officium pietatis; quid obsequium imperio respondens; quid juris sit patribus ut talibus, quid ut capitibus familiarum. Potestatem patriam, ut talem, diximus naturaliter tantam esse, quanta opus est ad liberorum educationem & gubernationem, quousque ipsi rebus suis commode queant prospicere. Ergo illa non videtur eousque se extendere, ut matrimonia liberorum possit declarare irrita; quiq; quæ præsupponuntur iniri abs talibus, qui jam plenum rationis usum obtinent. Equidem officium pietatis ac reverentiæ requirit, ut & consilium parentum heic adhibeant liberi, nec ipsorum voluntati reluctentur. *Catullus: Non æquum est pugnare, pater quos tradidit ipse, Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est. Virginitas non tota tua, ex parte parentum est. Tertia pars matridata, pars data tertia patri; Tertia sola tua est; noli pugnare duobus, Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.* Apud Euripidem in *Andromache* Hermione: *Νυμφουμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς μετεμνήσκει, καὶ ἐμὸν γένειον ἴσθει.* Desponsationis quidem mæa pater meus curam habebit, & non est meum statuere hoc. Sic & Cyrum absque parentum consensu noluisse matrimonium contrahere apud *Xenophontem* l. 8. habetur. Non tamen statim irritum est & nullum, quod contra officium istud fuit admissum. Nam obligatio audiendi & reverendi alterius consilium non statim potestatem de re sua disponendi adimit. Accedit & illud apud *Quintilianum* declam. 256. *Nusquam libertas tam necessaria, quam in matri-*

Aaaaa

monio

monio est. Quis enim amare alieno animo potest? Add. l. 21. l. 22. l. 25. *De ritunupt.* Sed quid dicemus de potestate patrum, quam habent, ut capita familiarum? Equidem in multis civitatibus facultatem matrimonia contrahendi leges civiles varie circumferunt. Sicut alicubi regio sanguine certis, inconsulto rege, matrimonium contrahere non licet; cum notum sit, quantum per ejusmodi connubia saepe è republica petatur. Sic & apud Japonios magnatibus uxorem, ex qua procreandi sunt successores, ipse Cæsar attribuit, conjugiumque ratum esse jubet. *Bern. Varenius descr. Japonia c. 12.* Add. *Constitut. Sicula l. 3. tit. 21.* Alicubi inter civem, & peregrinam, inter illustrem & plebejam quæ contrahuntur nuptia pro justis non habentur. Enimvero uti in civitatibus libera matrimoniorum inter quoscunque facultas, ut & migrandi licentia, intelligitur, ubi in contrarium expressa non extat lex, aut legi æquipollens consuetudo: ita cum in familiis segregibus pleræque rationes legum civilium circa matrimonia, inter certas personas contrahenda, cessent; haut quidquam patri familias jus videtur esse prohibendi aut rescindendi matrimonia suorum liberorum, quæ nullo alias vitio laborant; si modo isti parati sint familia paterna facillere. Nam ut in visam sibi nurum in domo sua toleret pater familias, nemo ab ipso postulaverit. *Genes. XXVI. 34. 35.* Quod si tamen suam auctoritatem à liberis citra gravissimas rationes (vid. l. 12. §. 1. *de sponsal.*) spretam viderit pater, poenæ loco familia & hæreditate excludere immorigeros non prohibetur. Vid. *Lex Wisigothorum l. 3. tit. 2. c. 8. Lex Burgundionum tit. 12. c. 5.* Quid juris heic competat patribus familias, qui in civitatibus degunt, ex singularum legibus est cognoscendum. Apud Japonios omnia matrimonia per utriusque partis parentes contrahuntur, quod si parentes jam defuncti sint, proximis consanguineis hoc officium incumbit. *B. Varen. de script. Japon. c. 12.* Sic apud Peruanos quondam sub imperio Yncarum matrimonia à liberis citra parentum consensum contracta habebantur illegitima, & proles inde nata spuria, nisi deinceps parentes consensissent. *Garcilassus de la Vega Comment. Reg. l. VI. c. 36.* Ubi certum est, quemadmodum leges civiles efficere possunt, ut invalide incantur contractus quidam, vel quia solennibus quibusdam destituuntur, vel quia certis personis eosdem inire interdicitur: ita posse easdem validitatem matrimonii, inter filios familias iniri, à parentum consensu suspendere, ut illo non accedente matrimo-

nium

nium civiliter pro nullo habeatur, ac rescindi queat. Vid. l. 2. D. de ritu nupt. l. 7. D. ad L. Iuliam de adulteriis. Nam copula carnalis, & consensus cohabitantium, ubi leges civitatis obstant, non magis validum reddunt matrimonium, quam per contractum pupulli, & traditionem, citra auctoritatem tutoris factam, valide & irrevocabiliter dominium rei pupillaris transfertur. Quanquam recte cordatiores monent, parentes, etiam ubi talis potestas ipsis indulgetur, circa ejusdem exercitium circumspetos, nec rigidos nimis esse debere. Add. *Bœcler. & Ziegler. ad Grot. d. l. §. 10.*

CAPUT III.

DE POTESTATE HERILI.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Societas herilis quæ?</i>
 2. <i>Servitus actu ab ipsa natura non constituitur.</i>
 3. <i>Neque immediate à Deo.</i>
 4. <i>Servitutis primæ va origo videtur ex contractu.</i>
 5. <i>Servorum dein numerus bello valde auctus.</i></p> | <p>6. <i>Bello captorum unde obligatio erga dominos.</i>
 7. <i>Iidem rebus certo modo equiparantur.</i>
 8. <i>Potest tamen illis fieri injuria.</i>
 9. <i>De prole servili.</i>
 10. <i>Incommoda servitutis.</i>
 11. <i>Quibus modis servitus tollatur?</i></p> |
|--|--|

Quemadmodum familiæ ex marito & uxore tanquam primariis partibus constant, quorum conjunctione soboles excitatur: ita secundario iisdem accedunt servi, quorum opera in obeundis ministeriis capita familiarum utuntur. His cum rigidius fere soleat imperari, quam liberis; inde asperioris cujusdam regiminis speciem in societate herili volunt exprimi, quam in paterna, ubi liberi fere indulgentius solent haberi. Isthanc autem societatem minus proprie civitatem ab *Hobbeso* vocari arbitramur, tum quia fere ex paucioribus personis constat, quam quæ ad securitatem præstandam in naturali libertate viventibus facere possint: vid. *Genes. XXXII. 7. seqq. XXXIV. 30.* tum quia dominus sibi ad jungit servos non tam propter mutuam defensionem; quam ut rem domesticam commodius atque copiosius eorum opera curet.

§. 2. Circa hujus societatis originem rejicienda est sententia eorum, quæ imperium herile & servitium actu à natura constitutum auctumant.

Equidem maximam ingeniorum diversitatem inter homines deprehendimus. Ut alia prætereamus, sane adparet, quosdam & ea esse mentis perspicacia; ut per se cernant, quid rebus suis expediat; & ea alacritate, ut quod sibi est utile, proprio impulsu citra aliorum coactionem suscipiant. Aliis contra ingenium est ita hebes, ut quid ex usu sit, citra aliorum ductum parum perspiciant, magisque sint idonei ad talia, quæ viribus corporis constant, obeunda, quam ad quæ subtilitas aliqua mentis requiritur. Tanta insuper sôcordia, ut nisi coacti recte non faciant, nec parva commode servare, aut dispensare norint. Quorum posteriores natura servos *Aristoteles* vocat, non quod dominus & servus actu per naturam constituatur, citra interveniens factum humanum; sed quia ejusmodi hominibus, quos tali ingenio natura finxit, commodius est aliis servire, quam proprio Marte rem gerere. Quo spectat, quod *Agésilaut* dixit; *τὲς τὴν Ἀσίαν κατοικῶντας, ἰλιυθίους μὲν κακούς, δὲ ἄλλους δὲ ἀγαθούς ἄρα.* *Asiam incolentes liberos quidem pravos, servos autem bonos esse.* *Plutarch. apophth. Læconicis.* Quod in *Caligulam* accommodavit *Passienus*: *neque meliorem unquam servum, neque deteriolem dominum fuisse.* *Tacit. Ann. VI.*

§. 3. *Io. Frid. Hornius de civitate* l. 1. c. 3. solita sibi chorda oberrat; dum communi *J*ctorum sententiæ contradicit, à jure gentium originem servitutis repetentium. Nam *modum* duntaxat constituendi servitutum: populos diversos invicem accepisse; seu communem morem invaluisse captos bello in servitutem redigendi. Imperium tamen herile neque à consuetudine, neque à jure gentium arcessendum; sed semper causam *societatis*, à causa *imperii* distinguendam. Adeoque Deum causam herilis imperii constituendum. Cum enim victoria sit à Deo, hostisque divinitus in manum victoris sit traditus, id consecutum victorem, ut hostem possit interimere. Cum vero humanitatis interesset, ne inermem & prostratum semper occideret, cum sui esse possit, hanc potestatem retinisse superiorem in caput victum. Enimvero uti homines partim ob sui defensionem, partim ad vindicanda sua jura bellum sumere: ita parva victoria, cum victis donare vitam placeret, in ipsorum arbitrio fuit eosdem in servitium redigere, aut in custodiam tantisper dare, quoad pacto, aut dato lytro dimitterentur. Quæ omnia, ut & potestatem in tales, quatenus cum recta ratione congruunt, Deus non immediate constituit, sed ab hominibus constituta adprobavit. Id quoque minus re-
ctab

Ab ipso dicitur; *jus vitæ & necis in captum hostem, quod semel habuit, victorem retinere*; adeoque illud jus, quod victor habet in victum, antequam ipsum in fidem recipiat, idem esse cum eo jure, quo post ipsi tanquam dominus imperat. Nam isthæc plane diversa sunt. Victor in victum jure belli quæcunque placuerint potest statuere; occidere, aut vitam relinquere; quam tamen licentiam, quantum nobis constat, nemo jus vitæ & necis hæcenus dixit. Sed jus vitæ & necis, quod dominus in servum habere dicitur; notat potestatem legitimam ob antegressum delictum capitale supplicium infligendi. Denique quod *Idem d. l. §. 5.* tradit, omne imperium; quaecunque sit, inferre potestatem in caput; ergo nullam differentiam esse quærendam in ipsa potestate, sed tantum in exercitio potestatis; adeoque par esse imperium mariti in uxorem, patris in prolem, Regis in cives, quam domini in servum; nisi quod illi fere mollius, hic asperius habeatur: id quidem ut credam, à me nondum impetrare potui.

§. 4. Nobis super origine servitutis ita videtur. Ab initio cum homines à prima vivendi simplicitate discederent, vitamque operosius excolere, ac rei augendæ incumbere cœpissent, valde probabile est, à solertioribus & paulo locupletioribus hebetiores & tenuiores ad operas sibi locandas fuisse invitatos. Mox cum utrique illud commodum experirentur, paulatim hosce adductos, ut istorum sese familiis perpetuo adjungerent, iis sub legibus, ut hi quidem alimenta, & quæ alia vitæ necessaria sunt, illi autem eorundem ministeria circa rem domesticam, ex ipsorum præscripto curandam, sibi stipularentur. Adeoque primam originem servituti dedisse ultroneum consensum hominum tenuiorum, & contractum, do ut facias; do alimenta perpetua, ut præstes operas perpetuas. In ejusmodi servos quantum imperii domino naturaliter competat, facile ex fine hujus societatis colligitur. Scilicet potest dominus tali servo operas, quascunque velit, injungere, habita ratione virium & dexteritatis ipsius. Potest quoque negligentiam & socordiam servi asperioribus remediis, prout indoles ejusdem exigit, coercere; etsi hoc nomine ad mortem procedi nequeat. Sic ut summi instar supplicii ejusmodi sit servo, familia expulsam suæ socordiae relinquere. Neque videntur tales servi inviti potuisse aliis vendi; sed ubi domino displicerent, vel familia erant expellendi, vel non nisi ipsorum consensu in aliam fami-

liam transferendi. Cum revera non nisi perpetui sint mercenarii, qui durante isto statu omnia domino acquirerent. Denique si atrox aliquod delictum admiserint in alios extra familiam, siquidem intra illos contaxat terminos, quos diximus, eorum subjectio constiterit, non videtur dominis jus vitæ & necis competere. Sed ne ipsorum injuriam defendendo lite se implicet dominus, noxios domo expellere potest & debet; id quod instar deditiois habet. Sed si in ipsum dominum ejusque familiam atrociter delinquant, morte quidem affici possunt, non tamen velut ex vi imperii, sed jure belli tanquam hostes. Dispari tamen modo, qui in apu *Tacitum de moribus German. est. Occidere solent* (servos Germani) *non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune.* Et ad istum fere modum conditio servorum, nec non potestas herilis describitur *Exod. XXI. 2. seqq. Levit. XXV. 39. seqq. Deuteron. XV. 12. seqq. Exodi XXI. 26. 27. 32. Sirac. XXXIII. 25. seqq.*

§. 5. Enimvero postea deprehensa commoditate suos labores per alios expediendi, (quo nomine *Aristoteli polit. l. 3. servus* ὄργανον πρὸς ὀργάνων dicitur,) cum bella passim increbescerent, paulatim receptum, bello captis ea conditione vitam & libertatem corporalem relinquere, ut perpetuo captoribus servirent. De cujus moris origine *Plinius l. 7. c. 56. Servitium invenere Lacedæmonii*; quod tamen admitti non potest nisi hoc sensu, quod vel isti inter Græcos hoc primum introduxerint, vel quod isti Græcos quoque bello captos in servitutem redegerint. Quamquam prior ratione facit, quod *Herodotus Erato sub finem*, ubi Lemnum à Pelasgis occupatam memorat, addit: *nulladum aut eis aut ullis Græcis per id tempus incipia erant.* Sic Sesostris ad labores neminem Ægyptiorum admovit, sed captivorum opera cuncta perfecit. Ideo templis abs se extructis adscripsit: *Indigenarum nemo huc laborem impendit. Diodor. Sicul. l. 1. c. 56. Add. Bæbequius epist. 3. p. m. 120. & Christoph. Richerius de morib. Orientalium p. m. 101.* In istos porro captos bello durius fere actum, quod hostilis adhuc iræ in ipsos aliquid superesset. Et excusari quoque credebatur servitia, in eos exercita, qui vitæ fortunisque nostris immi- nuerant, & paria nobis intentaverant; eoque procedente licentia, ut tales occidere per iracundiam, aut ob quodvis delictum, impune haberetur. Add. *Grot. l. 3. c. 7. §. 2.* Quæ licentia semel introducta etiam ad illos, etsi minore prætextu, extensa est, qui ex istis nati, aut per commercia traditi fuerunt,

fuerunt. Etsi eadem in quibusdam civitatibus deinceps restricta, alicubi plane sublata. Igitur servitutis primæva origo est ex ultronco consensu, non ex bello, etsi occasione belli servorum numerus vehementer auctus, eorumq; conditio durior fuerit reddita. Add. *Bæcl. ad Grot. l. 2. c. V. §. 27.*

§. 6. Videamus, quemodo potestatem herilem, & servorum conditionem, prout illa ex bello oritur, deducat *Hobbesius de Cive c. 8.* Ubi id ab initio rejiciendum, quod ex solo statu naturali, quem ille bellum omnium in omnes vocat, oriri putet jus aliquem invadendi; & viribus superatum in servitium redigendi. Sed illud recte se habet, quod uti jure belli justi vita hosti potest eripi; ita si quis in eodem viribus aliquem superaverit, eidem possit vitam condonare, hac lege, si alter promiserit, se ipsi servitutum, i. e. omnia facturum, quæ imperabit. In quo pacto bonum quidem, quod victus accipit, est vitæ condonatio, quæ jure belli poterat tolli; bonum autem quod idem promittit, est ministerium & obedientia, & quidem, quantum fieri potest, absoluta. Nam qui mandatis cujusquam obedire ante obligatur, quam sciat, quid iste sit imperaturus, ad omnia mandata simpliciter & sine restrictione tenetur. Etsi quod heic temperamentum lex humanitatis adhibere jubeat, docet *Grotius l. III. c. XIV.* Cæterum, quod recte *Hobbesius* monet, non omnis bello captus, cujus vitæ parcitum est, pacisci cum victore intelligitur. Nam quorundam mors duntaxat differtur, arbitrio victorum, quando cunque placuerit, exigenda; uti Romæ fiebat illis, qui triumpho aut spectaculis servabantur; Et non cuivis ita creditur, ut relinquatur ei tantum libertatis naturalis, quo vel aufugere, vel ministerium detrectare, vel machinari domino malum aliquod, aut damnum, si cupiat, possit. Nam talis servit quidem, seu operas præstat, sed citra fidem mutuo intervenientem, vinculis tantum naturalibus coërcitus, ergastulis, compedibus, aut acri custodia; eodem modo, quo bruta nobis serviunt. Igitur obligatio servi, bello parti, adversus dominum non nascitur ex simplici vitæ condonatione, aut necis dilatione, sed ex eo, quod ipsum non in carceratum aut vinctum teneat. Quippe cum isthæ obligatio, mutua præstatione constans, ex pacto oriatur; in omni autem pacto mutua versari fides debeat. Cum beneficio ergo condonata vitæ conjuncta est fiducia, qua dominus cum in libertate corporali relinquit, ita ut nisi intervenissent obligatio & vincula pactitia seu moralia, non modo aufuge-

aufugere, sed & dominum conservatorem vitæ, vita spoliare possit; durante utique adhuc inter ipsos statu belli. Ex quo consequitur, servos, qui carceribus, ergastulis, aut vinculis coercantur, ab illis, qui pacto cum domino jungantur, diversos esse; qui serviunt illi non pacto, sed ne vapulent. Ideoque si aufugerint, aut dominum occiderint, nihil facere contra leges naturales. Nam vinculis ligare corporalibus signum est, illum qui ligat supponere, ligatum nulla obligatione seu vinculo morali satis teneri. Illud tamen falsum est, non minus juris habere dominum in servum non vinctum, quam in vinctum: summum enim habere in utrumque. Nam licentia bellica, quam sibi in vinctum reservavit dominus, diversum quid est ab imperio. Per illam enim vita tolli potest, quandoque victori placuerit, obtentu status bellici, cui vinctus nondum videtur exemptus. Sed quantumvis summum imperium directe jus non dat in vitam, nisi ex delicto.

§. 7. Cæterum etsi imperium, quod proprie est jus regendi alterius personam, ubi subiecti consensu ultroneo est constitutum, citra eisdem consensum regulariter in alium transferri nequeat; cum peculiare esse soleant rationes, quare quis sese huic & non alteri subjecerit: in illis tamen imperiis, quæ à vi coeperunt, receptum, ut eadem solius imperantis arbitrio alienari possent. Quamdiu tamen subiectis aliquid libertatis superest, proprie non ipsi homines, sed jus eosdem regendi alienari dicitur, in quantum illud est cum aliquo emolumento conjunctum. Licet enim quilibet imperans de subdito suo dicere queat, *hic meus est*; ea tamen proprietas diversa plane est ab ea, qua quis *rem* aliquam suam dicit. Priori enim locutione hoc tantum significatur; mihi & non alteri competit jus hunc hominem regendi, sic tamen, ut & mihi adversus eundem aliqua sit obligatio, nec in infinitum illud jus exerceri queat. Ast proprietas, quæ rei tribuitur, involvit jus ista re utendi, ab utendique, eamque consumendi ex meo commodo aut libitu; sic ut qualitercunque eandem tractavero, injuriæ non sim reus; sed ad excusationem sufficiat dixisse: hæc res mea est. Quanquam autem lex humanitatis non ferat, ut etiam adversus qualitercunque de nobis meritum omnia primæ æqualitatis vestigia extinguantur, postquam in pacem nobiscum rediit; utque ad bruti instar aut rei inanimæ possit tractari, adversus quam nulla nobis est obligatio: immanitas tamen multarum gentium eo processit, ut inter

res

numerarentur servii, ique non tam per imperium, quam velut ex vi domini tractarentur. Sic ut eodem fere modo, quo quis de jumento suo dicit, hoc meum est, etiam de servo diceretur, hic meus est. Inde & apud *Quintilianum declam.* 6. qui captus servitium subierat, dicit: *me ipse perdidit.* Et in jure Romano fugitivi *furtum sui facere* dicuntur. l. 60. D. de *furtis* l. 1. C. de *serv. fugit.* Et quæ servo à domino præstabantur, non tam in istius, quam hujus commodū præstarentur, ne servo percunte dominus damnum pateretur; utque adeo ipsum pretium duntaxat sui miserabilem faceret. Add. tamen *Dio Chrysostomus orat. XV. de servitute. p. 241. seqq. edit. Morelli.* Non tamen inde recte inferitur; quidquid servi erat ante servitutum, id postea esse domini. Nam hoc tantum sensu id admittitur; quicquid servi poterat esse ante captivitatem ex suis operis, id deinceps domini est. Ubi enim ultro quis in servitutum sese tradit, potest quidem se & reculas suas domino simul tradere. Id tamen non semper necessarium est. Quin probabile videtur, eos, qui ipsi sese venderunt, tam pretium sui, quam res suas retinuisse, saltem per modum peculii, aut tradidisse illis, quos antea tenebantur alere, puta liberis, aut parentibus senio confectis. Quanquam Ebræi statuebant, non posse aliquem recte seipsum vendere, nisi nihil prorsus superesset, unde se aleret. Vid. *Selden. l. VI. c. 7.* Quod autem in jure Romano in verum servitutum redigebatur, qui ad pretium participandum sese venundari passus fuerat, id ita se habebat. Fingebat Cajus, Sejum sibi servum esse, qui tamen liber erat. Sejus itidem servum se simulabat, in ita fiducia partem sibi pretii pactus. Ubi deinde Sejus venditus fuerat, subornabatur tertius, qui liberali causa venditum assereret. Hoc modo perdebat emtor & servum, & pretium, postquam Cajus astute se subduxisset. Exemplum est apud *Plautum Persa act. IV. sc. 4. & 9.* Quod si quis jure belli in servitutum fuerit raptus, bona quidem capti, quæ simul cum ipso adprehendit victor, ipsius erunt. Sed quæ iste non simul cepit, perinde erunt, atque si captus naturaliter fuisset mortuus, saltem quousque libertatem recuperaverit. Illud autem liquidum est, quod quidquid in servitutum adquisierit servus, domino adquiratur. Ad quem enim ipsa persona plene pertinet, ad eundem quoque pertinebunt omnia, quæ per istam personam proveniunt. Adeoque nihil erit, quod servus ut *suum* possit retinere contra dominum. Etsi quod dominus ipsi peculiariter assignaverit

B b b b b

ad usum

ad usum, vel administrationem, retinere, & defendere possit contra conseruum: ut sunt cibaria, vestimenta, cella, peculium. Add. *Plinius l. 8. epist. 14.*

§. 8. Quod autem *Idem* negat seruo posse fieri injuriam, id cum grano salis est capiendum. Nam ratio ab ipso subjuncta, quod voluntatem suam seruus voluntati domini subjecerit, adeoque quicquid hic fecerit illo volente fiat; volenti autem injuria non fiat; hoc tantum efficit, non posse queri seruum, qualiscunque opera, modo intra ipsius vires ea sit, à domino sibi injungatur, licet forte eadem ipsi ad palatum non sit. Quem admodum civis non potest queri, si rex absolutus ex suo judicio compgerat, ut ut civi ista administratio displiceat. Non hætenus duntaxat illam voluntatis subjectionem valere alibi ostendemus. De cætero quis neget seruo injuriam fieri, si ab ipso exigatur opera vires excedens, si citra causam, aut quia impossibilia non præstitit, verberibus in eum sæviatur, si victus denegetur. *Theano epist. 3. ad διουάν χροῖν, justum usum seruorum requirit, ἵνα μήτε διὰ τὸν κόπον κάμνωσι, μήτε ἀδυνατίωσι διὰ τὴν ἔνδειαν. ne propter laborem deficient, ne propter indigentiam viribus frangantur.* Quo loco notanda Judæorum dira inhumanitas, qua credebant se vestitum victumque minime cogi præstare seruo è gentilibus; tametsi operas omnigena sævitia exigere nefas non haberetur, teste *Seldeno l. VI. c. 8.* Forte quia ipsi paria in Ægypto tolerauerant. *Exod. V. 13. 14.* Nam illud *Leuit. XXV. 43.* ad seruos ex Ebrais tantum pertinere tradebant. Benigniores hæc leges Romana. Vid. l. 1. §. 2. l. 2. D. de his, qui sui, vel al. jur. sunt. l. 1. §. 3. C. de Latin. lib. toll. Quo spectat, quod Cato apud *Plutarchum* in ejus vita dicere solebat: αἰχίσαν διὰ γαστέρα τοῖς δούλοις ζυγομαχῶν. feditissimum esse cum seruis ventris causam iurari. Et si alias idem fatis duriter seruos, ubi consenuissent, venundandos putabat, nec alendos inutiles. Id quod recte *Plutarchus* d. l. reprehendit, quod beneficentia nonnunquam porrigatur & ad bruta animalia. *Plautus Menach. Quem seruum tu asservare recte, ne astringat, volēs, esciatque potione vinciri decet. Apud mensam plenam homini rostrum deliges.* Contra perstringitur *Iuuenali sat. 14.* herus, qui *Seruum ventres modio castigat iniquo.* Commendandum quoque decretum *Clavdii* apud *Suetonium cap. 25.* Cum quidam agræ & affecta mancipia in insulam Æsculapii tadio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberōs esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, cædis crimine teneri. *Idem* narrat *Dio Cassius l. LX.* Re-
æquo-

Et quoque *Aristot. Nicom. VIII. c. 13. Erga servum, quæ homo est, amicitia est.* *Ἐστὶ δὲ εἶναι τὴν φιλίαν παντὶ ἀνθρώπῳ ὡς πρὸς πάντα τὸν δυνάμενον κοινωνῆσαι νόμῳ καὶ ἐπιθυμῶν καὶ φιλίας δὴ κατὰ ὅσον ἀνθρώπων.* Quippe cum unicuique homini jus quoddam esse videatur erga unumquemque, qui cum ipso legis ac fœderis esse participes potest, & amicitia igitur erit, quatenus homo est. Add. *Idem Oeconom. l. 1. c. 5. Seneca de Ira l. 3. c. 4. & de Clementia l. 1. c. 18. & epistola 47. Arriani Epictetus l. 1. c. 13. Stobæus serm. LX.* Cæterum uti alia jura patrum familias per leges civiles temperata aut restricta sunt; ita & huic potestati herili contigit, quæ alibi magis, alibi minus circumscripta deprehenditur. Verum ubi illa absoluta & illimitata remansit, à lege civili non constituta, sed præterita debet intelligi, & relicta, prout à patribus familias extra civitates potuit exerceri. Quanquam in quibusdam civitatibus leges dominorum sævitiam in servos foveant, ac duriora in ipsos statuunt, quam jus naturæ etiam absoluto imperio tribuit. Quo spectat mos Romanorum, ex quo familiam omnem, quæ sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oportebat, interfecto domino. Quem C. Cassius quidem argumentis quibusdam ab utili petitis defendere satagit, apud *Tacitum Ann. XIV.* Eum post aliquantulum mitigavit Hadrianus apud *Spartianum*, ut non de omnibus servis quæstio haberetur, si dominus in domo interemtus esset, sed de his, qui per vicinitatem poterant sentire. Add. *tit. D. de Scto Siliano.* Conf. tamen *1. Samuel. XXVI. 16.* Scythas quoque servis suis oculos cruisse, memorat *Herodotus Melpomene* in principio.

§. 9. Circa prolem ex servis natam disquiritur, tum an illa necessario matrem sequatur, tum an æquum sit & ipsæ in servitio premi. De priore Romanæ leges sciscunt, ut & in brutis, & in servilis conditionis hominibus partus ventrem sequatur. *l. 24. D. de statu hominum.* Id quod *Grotius l. 2. c. 5. §. 29.* juri naturali non satis congruere judicat, ubi pater aliqua sufficienti ratione queat cognosci. Nam cum in brutis quibusdam animantibus patres non minus quam matres foetuum curam gerant, hoc ipso ostendi, foetum utriusque esse communem; adeoque si lex civilis hac in parte tacuisset, partum non minus patrem quam matrem secuturum. Vid. *Edictum Regis Theodorici cap. 67.* Enimvero nobis secus videtur. Nam supra ostensum fuit, originarie prolem ad matrem pertinere, sed patrem sibi ex pacto matrimoniali jus in prolem quærere. Verum cum servi, & quæcunque ex illis proveniant, ad dominos ipsorum spectent, proles servilis in eorundem erit potestate; postquam ser-

vitus eoque extensa fuit, ut non operæ tantum, sed & ipsum corpus
 servi ad dominum pertinere intelligeretur. *Add. Grotius ad Exod. XXI.*
 4. ubi ostendit, etiam serviles nuptias ex arbitrio domini solutas. Quo
 facit etiam illud *Xenophontis Oeconom.* ubi inter præcepta œconomicare-
 fertur, ne servi injussu domini liberos procreent; addita ratione: *nam*
boni ex eo plerunque fideiiores atque amantiiores fiunt; improbi vero cum uxore
conjuncti proniores ad dolum evadunt. Quare autem potior heic sit do-
 minus ancillæ, quam dominus servi genitoris, non hæc sola ratio est,
 quod connubia servorum non satis certa custodia essent circumscripta.
Vid. Plautus Casina. Sed etiam, quia corpus ancillæ ad dominum
 pertinet, quod per imprægnationem ad operas obeundas red-
 ditur aliquandiu inhabile, servi non item. Cui & illa ratio favet, quod
 imphantata solo cedant. Quod si autem ipse dominus ex ancilla prolem
 ferat, illa talis erit, qualem ipse dominus, aut leges civitatis volent. Sicut
 & ex his potissimum erit statuendum, quid de tali prole sit futurum, quam
 serva mater concepit, libera in lucem edidit, aut vice versa. Et si huma-
 nitas semper libertati prolis faveat. *Plato de LL. l. XI.* super prole servili
 ita disponit: *Serva si servo, aut libero, aut liberto conjuncta peperit, serva*
domino natus detur; sin ex servo libera peperit, servi dominus nati similiter
dominus esto. *Quod si quispiam ex serva sua natum susceperit, aut quepiam*
ex servo peperit proprio, idque pateat, natum quidem ex serva & libero mulie-
res in aliam regionem cum patre simul emittant. *Natum vero ex libera &*
servo legum custodes una cum matre extra fines expellant. Cæterum ipsi
 proli, quæ ex servili ventre nascitur, injuram non facit dominus, si &
 ipsam servili esse conditione velit. Nam cum ipsius parens nihil habe-
 ret proprii, nulla ratio eandem alendi supererat, nisi ex bonis herilibus.
 Cum autem dominus ejusmodi proli alimenta, & quæ alia ad vitam sunt
 necessaria, cogatur præbere diu ante, quam ipsius opera utilis esse queat,
 & sequentes operæ sui temporis alimenta, saltem initio, non multum ex-
 cedant; effugere eidem servitutem invito domino non licebit. Idque
 non solum, quatenus adhuc in ære velut domini esse intelligitur; sed &
 quia ea conditione alendam dominus susceperat, ut perpetuo servire; in
 eam conditionem ipsa tacite præsumitur consensisse: cum præsertim
 illa plane nascitura non fuerat, si licentia sua dominus uti voluisset, occi-
 sis jure belli parentibus. Libertas autem naturaliter omnibus homini-
 bus.

bus competere intelligitur, quatenus nullum factum nostrum aut alienum antecessit, quod inæquales nos alteri reddere idoneum sit. Atque hæc quidem de prole eorum, qui occasione belli in servitutem redacti sunt, satis manifesta videntur. Circa eos, qui ultro sese alteri in servitutem addicunt, ubi lex aut pactum expressum non extat, æquitas & favor libertatis suadere videtur, ut prolis deinceps nascituræ alimenta sub alimentis parentum, quæ à domino debentur, contineri intelligantur, eoque nomine proles servituti non sit obnoxia. Conf. *Bæcler. ad Grot. dict. loc.*

§. 10. Videndum porro est, quidnam incommodi in sese contineat servitus, quæ apud plerosque nihil miserius habetur, & quæ etiam morte sit effugienda. *Sadi Rosarium Persicum c. 1. Propriopane vesci & sedere melius est, quam aureo cingulo accinctum servitio adstare.* Habet igitur servitus personalis hoc, ut quis perpetuas operas debeat pro alimentis & aliis, quæ vitæ necessitas exigit. Id quod si accipiatur in terminis naturalibus, citra quorundam dominorum inhumanam sævitiam aut legum civilium rigorem, nihil habet in se nimix acerbatis. Nam perpetua illa obligatio compensatur perpetua alimentorum certitudine, quam sæpe non habent, qui diurnas operas locant, defectu conductorum, aut ipsorum socordia non nisi fustibus expellenda. Vid. *Arrianus in Epicteto l. 3. c. 26. p. m. 257. Lucanus l. 3. Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit egestas.* Add. *Grotius l. 2. c. 5. §. 27.* Nec absurde quidam judicant, sublatam apud plerosque Christianorum servitutem inter causas esse, quare tanta colluvies furum vagabundorum, & validorum mendicorum passim occurrat. Cui tamen malo quædam civitates obviam ivere, extructis publice ergastulis, in quibus ignavis nebulonibus laborandi necessitas afferretur. Add. *Bodin. de rep. l. 1. c. 4. & Busbequius epist. 3. p. m. 118. Hobbes de cive c. IX. §. 9.* circa discrimina servitutis & libertatis ita philosophatur: Libertas, inquit, nihil est aliud, quam absentia impedimentorum motus. Quæ impedimenta sunt vel naturalia & externa, vel moralia sive arbitraria. Secundum illa est cuique libertas major aut minor, prout plus vel minus spatii est, in quo versatur; ut majorem habeat libertatem, qui in amplo carcere, quam qui in angusto custoditur. Sic potest esse homo liber versus unam partem, nec tamen versus alteram; ut qui iter faciens sepibus & maceris hinc & inde coercetur, ne vineas & seges

tes vicinas conterat. Isthæ libertatis species corporalis & physica dici potest; quo sensu omnes *servi & subditi liberi sunt*, qui non sunt vincti, vel in carcerati. Impedimenta porro moralia absolute motum non impediunt, sed per accidens, nempe per electionem nostram, quatenus melius judicamus motu abstinere, quam eundem exercere. Sic qui in navi est, non impeditur, quin sese in mare præcipitare possit, modo velle possit. Sed si sapit, melius judicabit in navi manere, quam in undis suffocari. Sic quantæcunque pœnæ sint propositæ, poterit tamen contra fieri ab eo, qui istud periculum subire non formidat. Atque hæc est voluntatis libertas intrinseca, ab eadem separari nescia, quæ æque *servi*, atque quivis alii subditi gaudent. Ergo alibi istud discrimen est quærendum. Ac primo quidem, licet vix ullus dominus sit tam durus, qui *servum* prohibeat, quo minus faciat, quæ ad vitam & sanitatem tuendam sunt necessaria, circa quæ præcipue curæ humanæ occupantur: fere tamen liberis heic conceditur mollius & copiosius sibi consulere, quam *servis*, quorum valitudinem asperior visus, & intempestivi labores quandoque non parum affligunt. Quo spectat & illud *Ciceronis de Oratore l. 1. Milii liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.* Deinde liberi homines præ *servis* hoc habent eximium, quod illi ministeria civitatis, aut familiæ obeant honoratiora, & plus possideant rerum superfluarum. Quorum utrunque indoli hominum erectioris ingenii adprime convenit. Nam laboris molestiam ejusdem nobilitas solatur; & rebus affluere dulce habetur, vel quia in futurum nobis provisum videtur, vel ad mollius instruendam vitam, vel ut materiam habeamus de multis bene merendi. Quod autem maximum est, liberi soli civitati, legibusque generalibus parere debent, nec pœnam, nisi quæ in illis definitur, metuunt: ac de cætero voluntati suæ obtemperare in dulcissimis habent. *Servi* autem & concivi serviunt, ejusque jussis peculiaribus, pœnæque, & coercitioni privatae sunt obnoxii, ejusdemque morositatem ferre coguntur; quæ eo molestior est, quo frequentius & propius *servis* cum domino versandum. Id quod eo durius est, quia raro leges publicæ *servis* contra dominos subsidium ferunt, nisi ubi ad immanem savitiam horum asperitas proruperit. Quæ teneritimas quasque animas maxime afficiunt. Quanquam plurimum referat, cui quis *serviat*. Apud *Terentium Funnicho* ex *servo* conjectura fit, dominum esse pauperem & miserum: contra *maxima* quæque domus *servis* est plena *superbis*. *Inven. sat. V.*

sat. V. Addi quoque potest, servitutis molestiam non parum exasperari, per superbiam humani ingenii, quo nemo non dignum se imperio putat; eoque cum servus æque aut magis aptum se ad imperandum, quam herum, putet, à fortunà injuriam sibi fieri judicat, & conditionem suam quavis ratione mutare cupit. Apud *Xenophontem Cyropæd. l. 8.* Chryfantas tale discrimen libertatis & servitutis tradere videtur: *Quemadmodum ipsi dignum esse existimatis vestris subditis imperare; ita etiam nos pareamus, quibus decet. Tantum autem inter nos decet, servosque interesse, quantum servi ipsi inviti heic ministrant. Nos autem ultro optima quæque facere convenit. Huc pertinet quoque Dionis Chrysostomi orat. XIV. de servitute.*

§. 11. Liberatur servus variis modis. 1. Si dominus cum libertate donaverit. Nam quod jus in se servus in dominum transtulit, idem potest dominus servo reddere. Et si in multis civitatibus receptum, ut manumissus manumittenti reverentiam præstet. *Vi. l. Lex Wisigothorum l. 5. tit. 6. c. 17. & 21.* Quod si tamen dominus superiorem habuerit, servo non aliter libertatem dare potest, quam salvo semper istius superioris jure, legibusque civilibus super manumissione constitutis. 2. Si dominus à se servum abigat; id quod in civitate exilium habetur. Neque differt à manumissione quoad effectum, sed tantum quoad modum. Utrunque enim potestati herili renunciatur; sed libertas heic in pœnam, illic in gratiam conceditur. Esse autem pœnam, commodum & locupletem dominum amittere, etiam ministri liberi intelligunt. 3. Servus si captus sit, servitute veterem nova abolet; idque sive ipse solus, sive dominus cum ipso fuerit captus. Sed si solus dominus fuerit captus, servus in eum recidit statum, quo futurus erat, si dominus naturali morte obiisset, saltem quousque dominus priori libertati postliminiò fuerit restitutus. 4. Liberatur servus ignoracione successoris; puta, si dominus moriatur, nec jus suum in alium transtulerit; quia nulla ipsi adversus quemvis ad serviendum obligatio superest. Nemo enim obligari intelligitur, nisi scire possit, cui præstandum sit, quod debetur. An vero in civitate quoque pro libero ac civitate talis se possit gerere, ex legibus civilibus erit judicandum. Sicut aliqui referunt, apud Turcas manumissionem servorum prodesse duntaxat contra veterem dominum, non autem contra alios, abs quibus iste manumissus denuo in servitium abstrahi queat. Porro contingit istud,

istud, ut servus ignoracione successoris liberetur, si nullus domino hæres extiterit, naturaliter aut civiliter mortuo. Non enim, quemadmodum bona reliqua pro derelictis habita cedunt occupanti; ita ejusmodi quoque servus quasi pro derelicto habitus abs quovis in servitutem potest abstrahi. Nam ceteræ res nullo muniuntur jure, quo minus quivis eas sibi possit vindicare, nisi jam alteri in easdem jus fuerit quæsitum. In hominem autem nullum sibi jus asserere quis potest, nisi quantum ex ipsius consensu, aut antegresso facto, quod ipsum spectat, oriatur. Extincto itaque illo jure, quod victor ex bello peculiariter in servum quæsierat, redit naturalis libertas, etiamsi fors ingenio ipsius servitium magis congruat. Inclinatio enim & aptitudo ingenii in se nemini jus dat, invitum in servitutem rapiendi; nec quod alteri fors utile est, id statim mihi licet per vim ipsi imponere. 5. Ubi servus non ex præcedente delicto, neque per modum pœnæ in vincula conjicitur, aut quovis modo libertate corporali privatur, obligatione illa ex pacto nata liberatur, qua ipsum dominus adstringere amplius nolle censetur, dum physica eidem vincula injicit. Neque enim existit pactum, nisi ubi pacifcenti creditur; neque violari potest fides, quæ non est habita. Inde ejusmodi servo auferere nefas non erit.



SAMUELIS PUFENDORFII
DE
JURE NATURÆ ET GEN-
TIUM
LIBER SEPTIMVS.

CAPUT I.
DE CAUSA IMPULSIVA CONSTITUENDÆ
CIVITATIS.

1. *Ingressus.*

2. *Homo natura magis amat se, quam societatem.*

3. *Ex appetitu tamen societatis non statim se-*

- tim sequitur appetitus civitatis.*
4. In homine multa sunt vitia, civilem societatem perturbantia.
 5. An civitas per consecutionem naturalem producta?
 6. An indigentia fuerit causa constituta civitatis? (sa.)
 7. Genuina civitatis constituende causa.
 8. Sola legis natura reverentia pacem generis humani non continet.
 9. Neque salii arbitri; neque pacta.
 10. Discrepantia judiciorum pacem generis humani turbat.
 11. Coercendis hominibus acriori frano quam sola lege naturali opus est.

Post societates, quas vocant, primas agendum jam de civitate, quæ perfectissima habetur societas, & qua incolumitas humani generis post ipsius multiplicationem maxime continetur. Hanc quare instituerint homines, antea per familias segreges dispersi, manifeste adparebit, si & indolem societatis civilis, humanique inclinationes ingenii paulo curatius per vestigaverimus. Ad quod illustrandum non parum proderit excussisse, quæ vulgo super hac re traduntur.

§. 2. Plerique igitur ad naturam hominis heic confugiunt, quæ ita ad societatem civilem rapiatur, ut citra eam nec velit, nec possit vivere. Cui fini allegantur argumenta illa, quæ supra pro sociali hominis natura l. 2. c. 4. adducta sunt; desumpta potissimum à solitaria vitæ miseris, à tædio solitudinis, à sermone, qui citra societatem homini frustra datus esset, ab appetitu conversandi cum hominibus, ab utilitate ex conjunctione cum aliis resultante, & si quæ sunt alia. Ex adversum *Hobbes de Cive* c. 1. ostendere conatur, revera hominem esse animal, quod seipsum, suamque utilitatem quam maxime & principaliter amat; (*Isæus orat. 2. ὁ δὲ εἰς ἄλλους πλεῖονας ἑαυτὸν ποιεῖται. nemo pluris facit alios, quam seipsum. Euripides Medea. τίς δ' ἐχὶ θνητῶν ἀρτι γινώσκει τίθδ' Ὅτι πᾶς τις αὐτὸν τὸ πῖ- λας μᾶλλον φιλεῖ; Quis vero mortalium jam non novit hoc, Quod quisque seipsum magis quam proximum amet? Isocrates de pace: ἰμοὶ δόκουν ἀπαντες μὲν ἐπιθυμεῖν τὸ συμφέρον, καὶ τὸ πλεον ἔχειν τῶν ἄλλων. Mea sententia universi mortales utilitatis suæ studiosi sunt, & in eo elaborant, ut plus possint aliis:)* societatem autem & alios secundario duntaxat, & quatenus in ipsam aliqua inde voluptas aut utilitas redundare potest. Idque inde ostendit, quod ut quis alterius societatem affectet, non sufficiat id solum, quod homo sit; sed quod apud hunc potius quam alterum honorem aut utili-

Cccccc

lita-

litatem obrenturum sese speret. Idemque inductione à singulis societatis perita illustrat. Qui commerciorum causa coeunt, lucrum suum spectant, quod adsumtis sociis melius sese obtenturos sperant, quam si seorsim sua negotia gererent. Ea spes si ipsos deceperit, vecordes habebuntur, in damnosae societati quantocyus renunciaverint. Illi, quos officii publici rationes jungunt, forensam quandam amicitiam ineunt, plus mutui metus, quam amoris habentem, & cui potius exteriorum signorum fallax adparatus, quam sincera animorum conjunctio adest. Sic ut inter tales quandoque factio, junctis viribus in privatum nitens commodum, vix unquam liquida benevolentia existat. Et qui propriis confidit opibus, de adsciscendis sociis parum sollicitus est. Ubi hilaritatis, aut fallendi otii causa coitur, quisque sibi maxime perplacet, si aliis aut sibi risum possit movere. Ast ille provenire non solet, nisi ostensa aliorum turpitudine, aut indecentia; cum recte quis in alio ridere non possit, quod in seipso deprehendit. Juxta illud *Juvenalis sat. 2. Loripedem re-ctus derideat, Æthiopam albus*. Igitur qui alios rident, non possunt non eosdem præ se despiciere, & ex comparatione alienae stoliditatis gloriolam sibi quaerere. Et quanquam risus interdum capitur citra offensam, & per joculos edentulos; patet tamen heic quoque aliquem magis voluptate sua, quam societate duci. Imo qui id ex professore agunt, ut alios exhilarent, hoc præcipue spectant, ut per festivi ostentationem ingenii gratiam aut commodum aliquod aucupentur. Quin plerisque hominum est natura insitus maximus pruritus aliorum dicta aut facta examinandi, judicandi, condemnandi atque exagitandi; quem si ubertim exserere queant, jucundissimum sibi vitæ condimentum accessisse putant. Idemque ægre per disciplinam aut castigationes reprimitur, aut extinguitur. Denique si coeatur philosophandi causa inter eruditos, qui præ cæteris sese profitentur sapere, tot volunt magistri haberi, quot convenerunt; & qui sapientiam suam ab aliis repudiatam videt, non modo eis non favet, sed & acerrime indignatur. Quo facit illud *Arriani in Epicteto. l. 3. c. 2. Quod si quis tibi dixerit, orta disputatione de præstantissimo philosopho, quendam dixisse, anum illum esse philosophum: animula tua, qua antea digiti longitudine erat, nunc duos cubitos excedit. Si quis autem alius dicat, Nihil agis, non est opera pretium illum audire; quid enim scit? prima principia percepit. Præterea*

terea vero nihil tenet, statim velut attonitus adstas, palles, vociferaris. Ego ei demonstrabo, qui vir sim, quantus Philosophus. Add. Charron de la Sageſſe l. I. c. 36. n. 6. Ex quibus liquido adparet, quod congressus omnis spontaneus concilietur vel ob indigentiam, vel captandæ gloriæ; unde referre student congressi vel commodum aliquod, vel existimationem & gloriam apud socios, vel denique voluptatem. Idem alio argumento demonstratur, ex ipsis definitionibus *Voluntatis, Boni, Honoris & Vitæ*. Societates ab hominibus ineuntur voluntario. Ubi autem voluntas, ibi quoque est ipsius objectum, nempe bonum. In quod bonum autem appetitus singulorum fertur, nisi quod quisque sibi tale esse judicaverit? Nam ut maxime res aliqua naturaliter bona sit, tamen nisi ea ad nos respectum habeat, fere circa illud adpetendum & æstimandum torpere solemus. Si enim vel maxime regi Persarum bene sit, ego tamen id mihi bonum nun duco. Bonum autem, semper comitatur aliqua jucunditas, quæ vel ad animum solum, vel ad corpus quoque pertinet. Animi voluptas omnis vel gloria est, vel ad hanc ultimo refertur. Quæ corpus afficiunt, commodorum nomine veniunt. Ergo omnis societas, vel commodi causa, vel gloriæ, i. e. sui, non sociorum causa contrahitur. Enim vero gloriæ studio nulla iniri neque multorum hominum, neque diu duratura societas potest; propterea quod gloriatio, sicut & honor, si omnibus adsit, nulli adest; quippe quæ præcellentia, & comparatione constat: neque ut quis causam gloriandi in se habeat, adjumentum ullum accedit ex aliorum societate; nisi quod conjungi cum hominibus notoriæ virtutis, paris aut æmulæ præstantiæ argumentum habeatur. Alias enim tanti quisque est, quantum sine aliorum ope ipse potest. Commoda autem hujus vitæ manifestum est augeri posse mutua ope. Longe tamen mollius & commodius foret, si solo jussu alios in nostra ministeria liceret disponere. Prout etiam inter reliqua vitæ instrumenta tanto gratius quodque habetur, quo plura adfert emolumenta, minorique impensa aut labore paratur, atque conservatur. Unde sine dubio homines magis ferrentur ad imperium, quam ad societatem, i. e. mallent aliis imperare, ipsi immunes, quam in mutua operam conspirare; nisi metu aliquo retraherentur, seu nisi prospicerent, omnia pro imperio agere volentibus malum aliquod imminere. Conspirat *Arrianus Epicteto* l. 2. cap. 22. *Nullum animal alteri ita*

conciliatum est, ut sua utilitati; cui quidquid ob stare videtur, siue frater sit, siue pater, siue filius, siue amicus, siue amator; odit, averseatur, execratur. Ita enim natura comparata est, ut nihil perinde amet, atque utilitatem suam. Hac pater, hac frater est, & cognatus, & patria, & Deus. Quapropter si quis eodem conferat utilitatem, & sanctitatem, & honestatem, & patriam, & parentes, & amicos; salva sunt haec omnia. Sin alibi utilitatem, alibi amicos, patriam, cognatos, & ipsam adeo justitiam collocavit; intereunt haec omnia, preponderante utilitate. Ὅπου γὰρ ἂν τὸ ἰσὺν, καὶ τὸ ἰμὸν, ἐκείνῳ ἀνάγκη βέβαιον τὸ ζῆν. Ubi enim Ego, & Meum est, eo inclinare necessum est animal. Idem supra dixerat: Catellos non aliquando vidisti ab blandientes invicem, & inter se colludentes, ut dicas; nihil illis esse amantius? Sed ut videas, quis iste sit amor, carnem illis objicito; & cognosces. Cicero Offic. 3. Sibi ut quisque malit, quod ad usum vita pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura.

§. 3. Quamquam autem supra d. l. ostenderimus, ex hisce haut quidquam consequi, hominem non esse animal sociabile, aut à natura non destinari, ut in societate sui similibus vivat: posito tamen adpetitu societatis in homine, non inde statim sequitur, hominem natura ferri ad societatem civilem. Non magis quam hoc sequitur: homo per naturam desiderat aliquam occupationem, ergo natura fertur ad studia literarum. Quippe cum ille adpetitus per societates primas, junctaque cum æqualibus amicitia, impleri possit. Quo facit illud Aristotelis Nicom. l. VIII. c. 14. ἀνθρώπος τῆ φύσιν συνδυαστικὸν μᾶλλον, ἢ πολιτικόν, καὶ ὅσω πρότερον καὶ ἀναγκαϊότερον δίκια πόλις, καὶ τεκνοποιία κοινότερον ζῶσις. Homo conjugale magis quam civile animal est; quanto prior, magisq, necessaria est familia, quam civitas, & filiorum quoque procreatio animalibus communior. Add. Renelmus Digby de origine mundi c. IX. §. 8. seqq. Cæterum, quod diximus, ita probat Hobbes d. l. societates civiles non meros esse congressus, sed foedera, quibus invidis fides & pacta sint necessaria. Horum ab infantibus quidem & indoctis vim; ab iis, quidam norum ex earum defectu ortorum sunt in experti, utilitatem ignorari. Unde fieri, ut illi, quia quid sit societas civilis non intelligunt, eam inire non possint; hi autem, quia nesciunt quid eadem prosit, non curent; aut saltem in ea ita vivant, ut ejusdem præstantiam non æstiment. Ergo omnes homines, cum sint nati infantes, ad societatem civilem ineptos natos esse; plurimos per omnem vitam tales

tales manere : disciplina autem, non natura, hominem ad eam societatem aptum fieri. Neque vero isthæc destruuntur autoritate *Aristotelis*, qui hominem φύσις, aut φυσικῶς dicit ζῶν πολιτικόν, *natura*, aut *aptum naturæ animalis politicum*. Nam per illam locutionem quandoque notatur, aliquid actu inesse rei cuiuspiam per naturam, circa omne antegressum ipsius aut alterius factum; quo sensu v. g. piscis aptus natus est, ut natet, avis ut volet, quercus ut glandes ferat. Interdum autem notatur, alicui rei inesse aptitudinem seu habilitatē recipiendi perfectionem quampiam per culturam & disciplinam, quæ ut ipsi insit, natura intendit, aut saltem tanquam sibi congruum & non repugnans adprobat. Quo sensu naturæ aptus est v. g. equus, ut gressus superbos glomeret, id quod asino negatum; psittacus ut garriat, ager ut frumentum, collis ut vitem ferat; ipse homo ut fermocinetur, ut varias artes & scientias addiscat. Quo sensu & eundem animal politicum esse, mox demonstrabimus, non obstante, quod omnes homines nascantur infantes; quippe cum homines adulta ætate, & rationis usu gaudentes supponere soleamus, quando inquiritur, quid homini natura competat, aut non competat. Add. *Rich. Cumberland. de leg. nat. cap. 2. §. 2.* Deinde circa dicta *Aristotelis* observandum, ipsum voce ζῶν πολιτικῶν latius uti, pro animali sociabili, non presse protali, quod ad societatem civilem feratur, aut ad eandem aptum sit. Sic *Idem Polit. 3. c. 4. (6.)* φύσει μὲν ἐστὶν ἀνθρώπος ζῶν πολιτικόν. διὸ καὶ μὲν δὲ νόμοι τῆς παρ' ἀλλήλων βοουθείας, ἐκ ἡλαττον ὀρεγόνται τῷ συζῆν. *Homo natura est animal civile. Quare etsi nihil aliorum auxilio egeret, nihilominus convictum expeteret.* Atqui ex ὀρεξῆ τῷ συζῆν, ex adpetitu convictus non statim sequitur, hominem ferri ad ipsam civitatem; cum isti adpetitui per societates priinas, & familiarem cum aliis conversationem satisfieri queat; quæ etiam sine civitate intelliguntur. Sic *Idem Polit. I. 1. c. 2.* hominem esse animal politicum demonstrare inde vult, quod alias sermo illi frustra esset datus. Atqui sermonis usus etiam alibi quam in civitate potest esse; & homines utique inter se fermocinati sunt diu, antequam civitates instituerentur. Pari modo accipitur ea vox *Nicom. I. 1. c. 5.* *Perfectum bonum esse sufficiens adparet. Sufficiens autem dicimus, non ipsi soli, qui vitam solitariam agit, sed parentibus, sed filiis, sed uxori, amicis denique ac civibus: ἵνα εὖ φύσει πολιτικόν ἀνθρώπος, quandoquidem homo civilis natura est.* Atqui etiam extra civitatem parentes, liberi, uxores, & amici existere possunt.

CCCCC 3

§. 4. Cla

§. 4. Clarius fiet, si consideretur, quænam conditio ex constitutis civitatibus apud homines proveniat; quidnam requiratur, ut aliquis vere dici queat animal politicum, i. e. bonus civis, quid denique sit in natura hominis huic ipsi, ut ita dicam, civilitati repugnans. Civitatem qui subit, naturalis libertatis jacturam facit, ac imperio se subjicit, quod præter alia jus vitæ & necis in ipsum complectitur, & cujus jussu plurima facienda, abs quibus quis alias abhorrebat, & omittenda, quæ vehementer adpetebat; sic ut pleræque actiones ad bonum societatis referendæ sint, quod sæpe à bono singulorum videtur discrepare. Atqui ad hoc naturaliter fertur homo, ut nemini subjectus esse, ut omnia suo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit. Isthæ dulcissimas sane inclinationes uti vinceret, graves causas, & necessitatis vim habentes adfuisse oportuit: adcoque hominem in civitates non ultroneus quasi naturæ ductus, sed graviorum malorum evitatio compulit. Deinde animal vere politicum, i. e. bonum civem illum dicimus, qui jussis imperantium prompte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, idque lubenter ante privatum bonum habet; imò qui nihil sibi bonum credit, nisi idem tale quoque publico sit; qui denique adversus alios cives commodum sese præbet. *Arrianus Epicteto* l. 2. c. 10. *Quæ est igitur civis professio? Ne quid privatim utile ducat, & nulla re tanquam emancipatus deliberet: sed ita ut manus aut pes, si ratione uterentur, & naturalem ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter, nec desiderarent quidquam, nisi ratione habita universi.* Quo facit mos Persarum, apud quos sacrificans non pro se solo privatimque vota nuncupat, sed communiter universis Persis bene precatur, in primis autem regi. *Herodotus Clio.* Ast quam maligne maximæ partis hominum ingenia ad huncce finem sint attemperata, nemo tam imperitus est, quin intelligat. Paucis datum est, omnes boni civis numeros explere; maxima pars metu pœnæ utcunque continetur; plurimi per totam vitam pravi cives & animalia non politica manent. Quin potius nullum hominem animal ferocius aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pacem societatis perturbare apta, sit proclive. Pleraque animalium brutorum ad pabulum abjecta, cujus aviditas quandoque eadem inter se committit. Illius si affatim sit, non temere quid litigii movebunt. Nonnulla per Venerem quoque efferantur, in quam tamen certa duntaxat anni parte solent incallescere.

calefcere. Et quantacunque fit eorundem feritas, in genus tamen suum raro sævire solent. *Indicatigris agit rabida cum tigride pacem Perpetuam, sævis inter se convenit ursis. Parcit cognatis maculis fera.* Ast vero homines non solum cibi potusque desiderium, & Veneris stimuli, nullo non anni tempore promti, invicem collidunt; sed & alia vitia, brutis ignota, & sæpe sibi invicem advèrsa. Quæ inter primum locum occupant supervacuorum rerum insatiabilis cupido, & sævissimum malorum ambitio; cujus sensum uti solus homo videtur habere, ita eodem quoque tenerrimo utitur; cum contra bruta nihil afficiat, nisi quod corpori ipsorum aliquam noxam infert. *Salustius Catilin. Pecunia, dein imperii cupido materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit: pro huius superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalium falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo asstimare, magisque vultum quam ingenium bonum habere.* Accedit vivacillima injuriarum memoria, & vindictæ ardor, quod malum rarius & sæpius inter bruta deprehenditur. Et quod miserrimum est, eo furore in proprium genus sævire homo gaudet, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipso homine proficiscatur. Nec absurde quis dixerit, per Creatoris providentiam ideo tam tardis incrementis hominem adolefcere, secus ac bruta, quo ingenii humani ferocia & asperitas per longas moras utcunq; frangi, & in harmoniam cum aliis disparibus ingeniis queat temperari. Nam subito in plenas vires adultus homo quavis bestia intractabilior erat futurus. Vid. *Proverb. XIII. 24. XXIII. 13. 14. Sirac. XXX. 1. seqq. 12.* Huc etiam pertinent, quæ traduntur ab *Hobbesso Leviath. l. XI.* morem omnium hominum esse, ut perpetuo & indefinenter potentiam unam post alteram persequantur; non quod quis majorem semper spiret, quam qua jam fruitur, neque quod modica potentia contentus esse non possit: sed quod potentiam & bene vivendi facultates præsentis conservare non possit, nisi acquirendo plura; quippe quæ absumentur, nisi subinde suppleveris. Etiam quando hoc bene successit, cupiditas oritur alia nova, aut famæ aut voluptatum novarum. Porro divitiarum, honorum, imperii, vel potentia: cujuscunque cupiditas disponit hominem ad contentione, inimicitias, & bellum. Competitorum enim interficere, aut quocunq; modo

modo repellere competitori alteri ad obtinendum quod cupit via est. Accedit & hoc, quod in quovis genere brutorum inclinacionum & adperitus fere est similitudo; ast inter homines quot capita, tot sensus, & in plerisque magna pervicacia studium suum extollendi. Quod vel solum sufficere potest ad perturbandam hominum multitudinem, quæ in unum coctum est jungenda. Euripides *Phanissis* v. 502. *Si omnibus idem esset pulcrum, egregiumque simul, Non esset ambigua dissensio inter homines: Nunc vero nihil simile, nihil aequale hominibus est, Præter nomina; res vero non est eadem.* Ergo tantum abest, ut homo natura sit animal politicum, seu ut statim per nativitatem sit idoneus ad gerendas partes boni civis; ut potius vix longam per disciplinam aliqui ad illud utcunque excolantur. Huc spectat illud *Platonis de LL.* l. VI. ἀνθρωπῶν δὲ, ὡς φασί, ἡμετέρον. ὄρα μὴ παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχόν καὶ φύσεως εὐτυχῆς, θεοτάτων, ἡμερώτατων τῶν ζῴων γίγνεται φιλεῖ. καὶ ἰκανῶς ᾗ, ἢ μὴ καλῶς τραφῆν, ἀχειρώτατων ὁπόσα φύει γῆ. *Hominem mansuetum animal esse dicimus.* Porro si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit affectus, indivinissimum, mansuetissimumque animal solet evadere: si vero non satis aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal redditur. *Arist. Pol.* l. 1. c. 2. ὡς περὶ τῶν ζῴων εἰσιτιςον τῶν ζῴων ἀνθρώπος ἴσιν ἔτα καὶ χωριζέν νόμῳ καὶ δίκῃ, χεῖρισον πάντων. *Vitæ perfectione suscepta optimum cunctorum animalium est homo; ita si alienus fiat à lege & à iudiciis, pessimum est omnium animalium.* Mox eundem vocat ἀνοσιώτατον καὶ ἀχειρώτατον ἀνευ ἀρετῆς, impiissimum & immanissimum sine virtute. *Idem Nicom.* II. c. 1. Non parum refert, sic ne an sic ab adolescentia consuescat aliquis, sed quam plurimum; imo totum in eo penitus consistit. *Idem Nicom.* VII. 7. μωροπλάσια γὰρ ἂν ποιήσειν ἄνθρωπος κακὸς θνητῷ. *millies plura mala homo quam bestia perpetraret.* Add. *Seneca epist.* CIII. *Polybius* l. 17. c. 13. τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος ἴσκειν πανεργότατον εἶναι τῶν ζῴων, πολλὸν ἔχει λόγον τὸ φαυλότατον ὑπάρχειν. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ζῶα ταῖς τῷ σώματος ἐπιθυμίαις αὐταῖς δουλοῦντας διὰ μόνας ταύτας σφάλλεται. τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσιδοῦσιν ἰσχυρῶς, ἐκ ἧτιον διὰ τὴν ἀλογισίαν ἢ διὰ τὴν φύσιν ἀμαρτάνει. *Hominum genus cum vefsutia & calliditate cetera animalia superare videatur, multa tamen dici possunt, cur deterrimum habeatur.* Nam cetera animantes, qua solis corporis cupiditatibus serviunt, per has duntaxat in fraudem labuntur; at humanum genus variis præterea opinionibus inductum, non pauciora per imprudentiam peccat, quam natura vitio. *Lactantius de ira Dei* c. 12. *Quid erit homine*

truculentius, quid immitius, si de meto metu superiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Plutarchus Cicerone, ἐδὲν ἀνθρώπου θρασύτης ἢ ἀπειροσύνης, ἢ ἐλευθερίας πρὸς τὸν νόμον. Nullum animalest homine feruus, si libidini licentiam habeat conjunctam. Ne nunc addamus, quæ passim de vitiis vulgi, quæ maxima generis humani pars est, jactantur. Add. *Mornæus de Veritate rel. Christ. c. 16.* Sic ut malitiam & fraudes hominum nosse, eo fine, ut caveri & eludi possint, magna civilis prudentiæ pars sit. Vid. *Baco de Verulamio de augm. scient. l. 7. cap. 2.* Ex hisce igitur satis patet, quo demum sensu homo natura animal politicum dici queat, nempe non quod omnibus & singulis per naturam insit aptitudo gerendi personam boni civis; sed quod per disciplinam factam aliqua pars hominum ad illud fingi queat; & quod multiplicati generis humani salus & incolumitas nisi per societates civiles seruari nequeat. Ad quas natura, sui conservandi studiosissima, incundas utique homines impellit. Sicuti & hic societatis civilis vel præcipuus est fructus, ut in ea homines ad vitam civilem decen- tur agendam adsuefiant.

§. 5. *Jo. Frid. Hornius de civit. l. 1. c. 4. §. 6.* civitatem opus naturæ vocat, quæ naturali ordine ac consecutione sit producta. Scilicet primum pars mortalium, ex quo totum genus humanum fuit propagatum, amore conjugali fuisse conjunctum; natos quoque cum parentibus tenerimo affectu fuisse copulatos. Inde familiam ortam: quæ multitudine sobolis abundans, & quotidianis auctibus crescens magna colonia deduxerit, donec civitati sufficeret. Idque omne præstitisse ingenitum societatis amorem, qui consanguineorum cohabitatione ingenitum ceperit. Homines autem unquam in sylvas & solitudines præpersos fecerisse, & ad ferarum instar vagam degisse vitam, velut commentum esse explodendum. Enimvero per naturalem hanc consecutionem causas impellentes, & pacta humana circa civitates constituendas excludere velle, perinde est, ac si quis dixerit: & semine crescit arbor, ex arbore fiunt tabulæ & trabes, hæ inter se rite compactæ navem constituunt; ergo naturali consecutione atque ordine navis facta est; neque aut peculiarem id genus ædificii habet causam, aut nullæ fabricorum operæ intervenerunt. Igitur agnoscimus quidem, fabulosum esse, magnam hominum multitudinem initio congregatam, dein per sylvas ac solitudines dispersam, postea

D d d d d

denovo

denuo in civitates collectam. Nec minus tamen & illud gratis fingitur; ex uno hominum pari, aut post diluvium è quaternis familiis ita repente civitates coaluisse, nulla peculiari causa impellente, aut nullis pactis intervenientibus. Nam utut liberos intra familiam paternam cura patris continuit, quousque ad virilem ætatem ipsi pervenirent; tamen cum præcis illis seculis sola agricultura & pecuaria fere viveretur, nulla ratio erat, quare pater filios uxoratos diutius penes se vellet retinere. Quia potius ex historia sacra colligitur, filios, imprimis plures unius patris, co-usque provectos, ut patrum familias vices ipsi obire possent, in diversa solitos discedere, peculiare sibi sedes posituros; præsertim cum vacuæ passim terræ, & arridens regionum aliarum facies in diffusa interdum allicerent. Vid. *Genes.* XIII. 5. 6. 9. Neque antiquissimis seculis sola Sicilia incolæ tales habuit, quales describit *Homerus Odyss.* I. Τοῖσιν δ' ἄτ' ἀγορῆ ἐν λιπέροι ἄτε θύισσις, Ἄλλ' οἷον ὑφ' ἡλῶν ἐρίων ναύσι κέρηνα Ἐν σπῆσσι γλαφυραῖσι δὲ μισθῶν ἡ ἕκαστ' Παιδῶν ἢ δ' ἀλόχων ἢ δ' ἀλλήλων ἀλιγυσι. *Nec fora conciliis fervent, nec iudice: tantum Antra colunt umbrosa: altis in montibus ades Quisq; suas regit, uxorem, natoque: nec ulli In commune vacat socias extendere curas.* Et est quidem inter fratres amor, sed ut malint tamen invicem æquales d' gere, quam unus alterius imperio subesse; & constantius diligant, si rem familiarem invicem implicitam non habeant. Sic ut primordia generis humani sese multiplicantis magis ad id separandum, & per diversa terrarum dispergendum, quam ad idem in magnos cœtus colligendum valuerint. Verum cum cordatiores animadverterent, incommoda illa, quæ familias segreges comitabantur, tolli posse, si plures in eundem cœtum coalescerent, civitate constituta; inde non pacto solum & imperio easdem combinare placuit, sed & majoris securitatis & commoditatis gratia in eundem locum dispersa antehac per campos ac sylvas domicilia contrahi cœpta. Et in hunc sensum interpretandi sunt illi, qui à primis civitatum conditoribus homines per sylvas dispersos in unum collectos tradiderunt.

§. 6. Multi arbitrantur, homines, ut in civitates coirent, per irrogentiam fuisse motos, atque ut vitam redderent cultiorem juxta arduos, et piofiozem, quæ solitaria non potest non & inculta, & egena existere. Ubi illud quidem certum est, vix miserius fore animal homine, si singuli solis sibi relinquuntur citra ullam ab aliis hominibus accedentem opem. Sed nec

nec illud negari potest, ad delicias usque vitam humanam excoli cœpiã, postquam in civitates fuit concessum. *Lactantius de Opificio Dei. c. 4. Homo si haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret; quæ societas esset? quæ reverentia inter se? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid esse deterius homine? quid effratius? quid immanius? sed quoniam imbecillus est, nec per se potest sine homine vivere, societatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat, & tutior.* Nihilominus indubium nobis videtur, indigentiam haut quidquam solam, aut præcipuam causam civitatum constituendarum fuisse; ut in eam sententiam quoque inclinet *Plato de rep. l. 2.* Nam & jam antea, quando adhuc in familias segrege dispersi agebant homines, satis consultum erat necessitatibus vitæ, inventa agricultura, & pecuaria, vini cultura, vestiaria, aliisque artibus. *Vid. Genes. XIII. 2. XXIV. 35.* Et sanè ponamus patrem familias, cui affatim agri, pecorisque, ac servorum; quid huic deesse possit ad tolerandam hanc vitam? Aut si quid deficit, per commercia id supplere poterit. *Vid. Cornel. Nepos Attico c. 13.* Sicut multæ hodie civitates dantur, quæ merces, necessitati aut voluptati inservientes, ab exteris petunt; nec tamen ideo cum illis in unam civitatem coalescere necessum habent. Vice versa non pauci dantur populi, per multa jam secula vitam civilem degentes, haut quidquam splendidioram aut copiosioram, quam præsci quondam patres familias visitabant. *Quique adeo jactent illud apud Valerium Flaccum lib. 5. Nec mœnia nobis Vestra placent: feror Arctois nam liber in arvum. Cuncta tenens mecum: omnis amor jacturaque plaustrum sola; nec hac longum victor potiere rapina. Ast epula quodcumque pecus, quodcumque ferarum.* Sic ut deliciae illæ, quibus jam multarum vita gentium scatet, non tam civitatibus, quam magnis urbibus originem debeat. Urbanum quippe vulgus, cui ex agro & pecore nullus proventus, ad varias artes excolendas sese convertit, parando victum. Accessit inter urbanos ætatio cultus; inde in luxuriam itum, cui multis in locis non pauciora artificia, quam necessitati inserviunt. Quibus tamen carere vita civilis facile poterat.

§. 7. Genuina igitur, & princeps causa, quare patres familias, deserta naturali libertate, ad civitates constituendas descenderint, fuit, ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine im-

minent. Nam uti post Deum O. M. homo homini plurimum *prodesse*; ita & non minus *obesse* potest; ut late deducit Cicero *Offic. II.* Scilicet cum variis malis genus mortalium infesteretur, adversus singula aliquid remedii ejusdem solertia machinata est. Contra vim morborum artes medicorum inventæ. Injuriis aëris tecta, vestes, ignis resistunt. Famen exculta per industriam hominum terra propulsat. Ferociam bestiarum arma, aut insidiæ coërcent. Enimvero contra illa mala, quæ pravitas humanæ indolis sibi invicem gaudet intentare; efficacissima ex homine ipso medicina petenda fuit, conjunctis in civitates hominibus summoque imperio constituto. Atque id ipsum demonstratum vivere Persæ, apud quos cum rex è vita excessisset, quinque deinceps dies absque lege vitam agebant: *ut re ipsa discant*, ἡλίον ναυὸν ἔστιν ἢ ἀνομία, σφραγὶς τοῦ ἀπειθαρχεῖν καὶ ἐν τῇ χειρὶ ἔστιν, ἐπάγους, *quantum malum afferat defectus legum & imperii, cedes, rapinas, & si quid deterius introducens, ut sint regum custodes fideliores*, apud Sextum Empiricum advers. *Mathemat. l. 2.* Possunt quoque huc applicari aliqua ex iis, quæ Herodotus *Clio* memorat super caulis, ob quas Medi, antehac vicatim habitantes, Deiocem sibi regem elegerint. Postquam autem ita dispositi fuere homines, ut à mutuis lésionibus securi esse possent, facile consecutum deinde fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta sunt. Conspirant nobiscum, qui causam civitatum *metum* statuunt; per quem hautquidquam intelligitur perturbatio trepidantis & consternati animi, sed quævis præcautio futuri mali. De qua recte pronunciat Aristophanes *Avibus*: ἡ ὑλάθεια σώζει πάντα, *cautio servat omnia.* Quo ipso eluditur quorundam argumentum; qui objecerunt: tantum abesse, ut metus causam civitatibus constituendis dederit, ut potius, si homines mutuo se metuissent, ne conspectum quidem mutuum potuissent ferre; sed dum unus hac, alius alia sese proripit, perperuo separati mansissent. Quasi vero metuere significet solam fugam, ac non etiam diffidere, suspicari, cavere. Imo & hoc est metuentis, providere, ne probabilem metus causam habeas. Unde qui dormitum eunt, fores claudunt, quia metunt fures; clausis foribus, non amplius metuunt. Qui iter faciunt, cum telo sunt, quia latrones metuunt; bene armati, eosdem non amplius metunt. Quo spectat, quod *Thucydides l. I.* tradit, morem gestandi ferrum, plerisque barbarorum receptum, quibusdam Græciæ populis adhæsisse ex antiquorum temporum conditione, ubi nec munimento tuti

habita.

habitabant, nec invicem sine metu congrederentur. Notatu dignum quoque est illud dictum Pyrrhi apud *Plutarchum in ejus vita*; cum Athenas ingressus in arcem ascendisset, & sacra fecisset Minervæ, descendissetque eodem die, gratam ait sibi esse populi erga se benevolentiam, & quam sibi haberent fidem; *sed caverent, ne ullum post hac regem, si saperent, admitterent in urbem, aut portas ei aperirent.* Civitates fines præsidii, urbes munimentis firmant, armamentaria adparatu bellico complent, etiam in altissima pace: quod inutile esset, nisi vicinas civitates metuerunt. Eadem tamen bene instructæ non amplius metunt. Sic ut metus media comminisci soleat, quibus ipse expellatur. Pariratione homines, quia se invicem metuebant, abs se ipsis præsidia sunt mutuati, constituta civili societate. Cujus vim illi demum penitus intellexerunt, quid dicunt: *nisi judicia essent, unus homo alterum devoraret.* Conf. *Hobbes de civitate c. 1. §. 2.* Quod autem homines affatim causæ habeant, quare abs se invicem sibi metuant, caveantque, satis supra l. 2. c. 2. §. 6. 12. fuit expolitum. Contra quæ nequidquam ab *Hornio d. f.* opponitur: *Æquales vixisse familiarum patres multis seculis sine metu fictitiæ invasionis. Ambitionem sero invasisse genus hominum, & post civitates demum constitutas, quæ honoribus & distinctis dignitatibus originem præbuerit.* Quasi vero funestam inter primos fratres eadem ambitio non produxerit, dum Cæinus indignatur, fratrem majori apud Deum esse dignatione. Deinde non sola ambitio causa mutui metus statuitur, sed & perversitas hominum, & concursus circa eandem rem; quarum illa simplicissimis seculis barbariem giganteam, hic etiam inter conjunctissimos rixa produxit. Vid. *Genes. XIII. 7. XXVI. 15. 20. 21.* Et sane acioribus stimulis regum pectora ambitio agitat, ac majori generis humani clade desævit; sed ita ut ne pastorum quidem aut rusticorum animi ab isto malo penitus sint immunes. Vid. *Virg. eclog. 3. v. 25. seqq. it. eclog. 7. Theocritus idyll. 5. & 8.* Subjungit: *laceessere alios maledictis, & ferro, non pessimi tantum, sed & stolidissimi fuisse. Lacesstos quippe potuisse invasori meritam inferre mortem; præterquam, quod nulla fuerit præda expectanda inter inopes, aut qui fructus duntaxat haberent collectos, quos ubique terra exponit, nullo aut exiguo labore, & citra periculum parandos.* Quasi non modici spes lucri ad suscipienda scelera pravis hominibus sufficiat; aut quasi non olim hodieque frequententur latrocinia & furta inter populos, quicquid solus ex agricultura, & pecuaria qua-

Ddddd 3;

stus

stus. Quin nec solus latrociniorum metus homines in civitates compul-
lit; sed ne quibusvis injuriis, quas mortales varias invicem inferre & re-
cipere apti sunt, obnoxii forent. Ideo quidem fatemur, quod subjun-
git: *ut ut justa diffidentia fuisset, nullo tamen jure ob incertum metum alterum
occurrere fuisse indultum.* Verum jus illud in omnes & omnia, quod juxta
Hobbesium statum naturalem comitatur, non ultra est extendendum,
quam recta ratio admiserit, in hunc fere sensum: homo in naturali liber-
tate constitutus jus habet utendi omnibus mediis, quæ sana ratio ad ipsi-
us conservationem necessaria dicitur, adversus omnes, abs quibus ipsi
periculum imminere itidem sana ratio suggerit. Igitur si quis cautionem
suam ulterius, quam ratio sana admittit, extenderit, sine dubio in legem
naturæ peccabit. Adeoque si alterum occidere ob incertum metum
occupaverit, quem commodius licebat declinare, haut quidquam ali-
quid fecisse censendus est, quod natura permittit. Unde & sine dubio
prave sentiunt, qui ex eodem fundamento rapinas & latrocinia adversus
hostes non profectos defendi putant. Nam rapina & latrocinium in se
denotat tale medium, quod ad conservationem hominis sana ratio ne-
cessarium dicitur haut quidquam potest; sed quod potius ob superflu-
am avaritiam, & crudelitatem suscipitur. Haut sane enim latro viatores
spoliatur ideo, quod sibi ab illis periculum imminebat. Illud autem satis
inepte dicitur: *si vel maxime odium & diffidentia inter homines versatur, id
tamen civitatis causa fieri haut dicitur.* Non enim inter se oderunt & dif-
fidunt homines, ut civitates constituent: sed ideo civitatem constituerunt,
quia sibi diffidebant: Et si vel maxime unus paucos aliquos oderit, sibi di-
splicentes, alios contra amore prosequatur, cæteris faveat, aut saltem non
irascatur: tamen si singuli vel singulos duntaxat inimicos habuerint, to-
tum genus humanum odiis, & inimicitiis scatebit. Sicut frustra contem-
datur, omnino *cohabitatione, & naturali multiplicatione civitates capisse.*
Dedit hæc materiam civitatibus; illa occasionem fortasse, ut vi-
cini potissimum in eandem civitatem congregarentur. Sed cau-
sam, quæ homines ad civitates constituendas impulerit, ista in se non
continent.

§. 8. Neque est, quod aliquis credat, solam reverentiam legis na-
turalis, quæ utique omnes injurias prohibet, efficere potuisse, ut quid-
quid est mortalium in naturali libertate securi invicem viverent. Equi-
dem

dem dantur homines, queis decus, honestum, innocentia, fides quam maxime cordi est, quæ ne præstita quidem impunitate violare velint. Dantur etiam non pauci, in quos castrum illud *Aristot. Nic. IV. 8. οἱ δὲ διὰ φόβον ἀπέχονται τῶν ἀλλοτρίων, ὡς ἔβραδιον, τὸ αὐτὸν μὲν τὰ ἐπίκουρα λαμβάνειν, τὰ δὲ αὐτῷ ἐπίκουρα μὴ ἀρέσκειν ἢ οὐτοῖς τὸ μῆτε λαμβάνειν, μῆτε δίδουαι*, qui ob timorem ab alienis abstinent, propterea quod facile minime est, ut si aliquis aliena acceperit, alii ab eo quidquam non accipiant: atque idcirco neque accipere, neque dare ipsis his placet. Eo ingenio si omnes essent, non adeo civitatibus opus fuisse videtur. Sed quanta ex adverso eorum turba est, quibus omnia sancta vilia sunt, quotiens spes lucri arriserit, & fiducia propriarum virium, aut solertiarum, qua repellere, aut eludere læsos sese posse sperent. Talibus non diffidere, est ipsorum malitiarum & ludibrio sese ultro exponere. *Salustius Jugurth. Parum tutam per se ipsa probitas est.* Cæterum uti abs pravus mortalium cavere, ac idonea sibi præsidia mature circumferre rationis est: ita durum nimis est illud *Hobbessi de Civitate c. V. §. 1. pax unicuique securitatis, conservationisque suæ in eo sita esse, ut viribus, artibusque propriis proximum suum vel palam, vel ex insidiis præoccupare possit.* Equidem ea est apud plurimos perversitas, ut quotiens majus bonum sibi videtur profecturum à violatione legum, quam ab earundem observatione, volentes easdem violent. Sicut & *Plato de republ. l. 2. ait: ubicunque injuste agere quisque se posse confidit, agit protinus: prodesse enim quisque privatim multo magis existimat injustitiam, quam justitiam.* Universum tamen genus hominum istius perversitatis damnare, nimium fuerit. Quin, fatente ipso *Hobbesso*, dantur quoque ingenia modesta, quæ sibi plus non arrogant, quam aliis relinquunt, quibusque adeo ob oculos obversetur illud: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ad hosce opprimendos quomodo quis obtentu securitatis suæ ruere possit, ego non video. Nec sana ratio hoc unquam probabit, ut alteram, de cujus voluntate & conatu in meam perniciem nondum peculiariter constat, oppressum eam; cum longe aptiora sint remedia, pacem cum ipso firmandi. Nam sola illa communis hominum malitia, quæ utique gradus suos habet, non statim hominem homini professum hostem facit. Igitur fatemur quidem in statu naturæ tantam non haberi securitatem, quanta in civitatibus habetur, quod ab aliis officia legis naturalis adversus me sint exercenda: non tamen usque adeo nulla est, ut hostilem in modum adversus omnes

omnes sit agendum. Sane enim ubi video vires meas alterius viribus pares esse aut majores, ubi alter voluntatem pacifice mecum vivendi verbis & pactis contestatus est, & per edita quædam specimina confirmavit; quare hunc tanquam hostem habeam? Aut quomodo sola suspicio, ne amicitiam adversus me simulet, aut animum suum mutet, probabilem mihi causam præbeat eundem occupandi? Id quod multo clarius adhuc cernitur in integris civitatibus, quæ invicem in statu naturali vivunt. Nam heic sane omnium confessione nefas habetur, si una civitas alteram, neque beneficio neque injuria cognitam, nedum amicitiam adversus istam foedere & opere contestatam, vi aut insidiis occupare velis; ideo tantum, quia communem cum eadem dominum non habet, abs quo compesci possit, si ipsam aliqua læserit. Ex quibus adparet, haut quidquam in statu naturali *silere leges naturales*, quod *Hobbes* vult; et si longe major sit securitas easdem exercendi in civitatibus, ubi officiis pacis mihi non respondentem per magistratum compellere possum. His omnibus tamen non obstantibus, prudentia utique dicitur, ut non solum contra professam improborum malitiam mature nos muniamus, sed & quæ apud reliquos sese exferit, probitatem mutabilem esse cogitemus. Atqui heic in universum convenientius præsidium, quam societas civilis, inveniri nequit.

§. 9. Porro licet jus naturale dicitur, ut si quid controversiæ oriatur, id vel amice componatur, vel arbitris decidendum devolvatur; tamen ne sic quidem paci satis cautum erit. Quam facile namque est homini in alias naturæ leges peccare; tam facile quoque est, præteritis arbitris, protinus ad arma convolare. Quin & cum per solum pactum in arbitrum fuerit à partibus compromissum, ubi sententia displicuerit, idem quoque proculcare non difficile fuerit illi, cui virium suarum fiducia impunitatem inter homines promiserit: præsertim cum arbiter pro imperio partes adigere non possit, ut sententia ab ipso pronunciata utiq; stent. Hinc & prudentia omnino suadet, ut ne in naturali libertate nudis pactis, fideique aliorum nimis confidamus; sed illa foedera credamus sanctissime servatum iri, quæ mutua utilitate sanciantur, quæque adeo violasse utriusque damnosum fuerit; aut ubi alter vi ad servanda promissa facile adigi potest. Ubi perfidiæ lucrum & impunitas est propolitur, emerarium habetur credere, salutem suam solius pacti vocabulo satis muniri. Atque

Atque id ipsum satis ostendit praxis populorum, qui postquam cum una civitate foedus abruperunt, aliorum populorum foedere se muniunt; quo ipso non statim damnant perfidiam suam, quod in aliorum fidem se recipiunt; sed quia civitates solent foedera cum primis utilitate propria metiri, abdicato foedere inutili aut pernicioso utiliori sese applicant. Et in hunc sensum emolliendum est dogma *Hobbesii de Cive* cap. 2. §. 11. *pacta mutua fidei in statu natura esse invalida*. Scilicet licet speciose jactetur ap. *Livium* l. 22. c. 22. *Vult sibi quisque credi, & habita fides ipsam plerumque obligat fidem*: in statu tamen naturali longe tutius fuerit cogitare tritum istud: *fiso res perit, diffiso salva remansit*. *πισει χημαλ' ολεσσα, απισιη δ' εσασα*. *Theognis*.

§. 10. Accedit & alia causa, quare sola lex naturæ pacem humani generis continere non possit. Scilicet habet hoc naturalis libertas, ut quemadmodum propriis viribus sua cuique salus defenditur; sic & circa obtinendum istum finem, & in regendis suis actionibus proprio quilibet iudicio utatur. Quod quantopere apud diversos discreper, quis est, qui ignoret? Paucissimis ea est ingenii felicitas, ut quid generi humano singulisque ad diurnitatem conducatur, proprio Marte possint perspicere, & perspectum constanter sequi velint. Plurimis præ ingenii hebetudine foedus error pro ratione imponit. Plerique inconsulto affectuum impetu feruntur, quo libido, aut fallacis species utilitatis subegerit. In tanta opinionum atque studiorum discrepantia, quæ fida pax, aut concordia potest esse? Dum stolido æque ac sapienti sententia sua videtur pulcherrima, nec iste magis hujus, quam hic istius ductum sequi dignatur. Cum autem sola ratio, prout in singulis hominibus deprehenditur, tantam discrepantiam componere nequeat; alia sane via qualiscunque sententiarum conspiratio est obtinenda.

§. 12. Denique etsi non solum res ipsa satis ostendat, quantum felicitati suæ, ope aliorum hominum promovendæ officiant, quantaq; mala ac pericula sibi arcessant legis naturalis violatores; sed etiam ipsa lex naturalis conscientia hominum satis insinuet, non impune laturos, qui contra ipsius scita alios petulanter læserint: (*Claudianus de IV. Cons. Honorii: Extruite immanes scopulos, attollite turres, Cingite vos fluvius, vastas opponite silvas. Non dabitis murum sceleri;*) ac licet utilitas, quæ observationem legis naturalis, malumque quod ejusdem violationem circa

E e e e e

promo-

promovendam aut impediendam cujusque felicitatem sequitur, manifeste ostendat, præstare, ut sociales sese homines, quam diverso modo, gerant: ne isthoc tamen intuitu ea sat valida est ad procurandam generis humani tranquillitatem. Idque quia multitudo non ratione, sed impetu vivit, ac libidinem pro ratione habet, educationis fere & consuetudinis vitio, qua vis rationis velut obsurdescit. Tum quod magna pars mortalium præsentibus tantum imminet, futuri parum curiosa, ac illis fere movetur, quæ in sensus incurrunt, ad sublimiora ægre adsurgat. Inde est, quod apud plurimos longe major poenæ humanæ metus, quam divini Numinis, quo tamen nihil magis metendum. Scilicet quia lento fere pede divina vindicta solet incedere, & sæpe per occultas sese vias explicat. *Casar de B. G. l. 1. Consueisse Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* Id quod pravis mortalium ansam præbet ad alias causas impiorum mala referendi; (Add. *Ecclesiast. 8. v. 11.*) præfertim cum etiam improbissimis sæpe affatim adsit, quibus vulgus felicitatem metiri suevit, & contra probi sæpe multis calamitatibus premantur, ex quibus improbi & stolidi inefficaciam virtutis ad felicitatem colligere amant. Quò faciunt illa apud *Plutarchum de sera Numinis vindicta: Vltionem maleficio quam proxime adjunctam statim viam intercludere iis, qui quamplurimum malitia bonos habente successus utuntur. Nihil enim aliud perinde, atque dilatio justa vindictæ, injuria affectorum spes enervat, animosque eorum dejicit, contra improbos ferocia & audasia augens. Et hoc ipso mali sese ad capeffenda flagitia exhortantur atque excitant; quod malitia fructum statim maturum, & ante oculos situm præbeat, poena autem sero demum, & longe post fruitionem subsequatur. Accedit & hoc, quod stimuli conscientiæ, quæ facinus antecedunt, non ita validi videntur, quam qui idem subsequuntur, quando factum non amplius infectum fieri potest. Curtius l. VIII. c. 2. Male humanis ingenii natura consuevit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Et quod rationis dictamen flagrans ante factum cupiditas obtundebat; id hacce defervescente demum validissime animum percellit. Plutarchus d. l. Vbi homo aut ob avaritiam, aut gloria potentiaque civilis invidiam, aut Venerea voluptatis causa facinus injustum atque atrox commisit: ac deinde furiosa siti libidinis sua dissipata, summo tempore perspicit, reliquos mansisse fædos & hor-*

& horrendos flagitii impetus, utile autem, necessarium, aut conducibile nihil il-
 lis partum: nonne in eam saepenumero incidat cogitationem necesse est, se vana
 gloria, aut illiberalis ingrataque voluptatis causa, perverfis pulcerrimis & ma-
 ximis inter homines juribus, vitam turpitudine, tumultibusque implevisse?
 Scilicet uti Idem d. l. ait: quemadmodum malefici cum ad supplicium educun-
 tur, quisque suam effert crucem; sic vitiositas ad singula peccata ex sese fabri-
 catur singula tormenta; solertissima opifex vita miserabilis: & in qua prater
 turpitudinem terrores multi, animique motus graves, pœnitentia, tumultusque
 continent insint. Verum quia isthæc interna tormenta in aliorum sen-
 sus non incurunt; ideo eo minorem habent efficaciam ad aliorum ma-
 litiam reprimendam. Equidem recte Hobbesius Leviathane c. 31. Nulla
 fere est actio humana, qua initium non sit catena cujusdam consequentiarum
 adeo longa, ut ad finem ejus prospicere providentia humana nulla possit. Concate-
 nantur autem accidentia jucunda & molesta adeo insolubiliter, ut qui jucun-
 dum sumit, molestum quod adhaeret, quanquam improvisum, necessario etiam
 accipiat. Quemadmodum vim inferentes punit vis aliena: intemperantiam
 puniunt morbi, &c. & tales sunt, quas voco pœnas naturales. Stoliditas ta-
 men plethorumque hominum, & affectuum vehementia facit, ut ista om-
 nia paucissimis pro dignitate considerentur. Igitur frænandæ homi-
 num pravitati efficacius remedium non supererat, quam quod civitates
 jam constitutæ suppeditant. Sic ut Plutarchus adversus Colotem ista Co-
 lotis verba haut recte reprehendat. Qui vitam, qui leges composuerunt, atque
 jura, utque regerentur urbes & imperio magistratuum parerent, instituerunt,
 si in tranquillo admodum & tuto nos collocaverunt, tumultibusque liberaverunt.
 Ista si quis aboleret, ferarum porro vitam victuri essemus, & quisque obvium
 quemque tantum non devoraturus. Nam valde superfunctorie indolem
 mortalium Plutarchus inspexit, si credidit; sublatis legibus civilibus, per
 decreta Parmenidea, Socratica, Platonica, Heraclitea, decus ac pacem huma-
 ni generis stare posse. Et si vel maxime verum esset illud Aristippi apud
 Hefychium Illustrum, τὸ πλεον ἔχουσι οἱ φιλόσοφοι, qua re ceteros antestarent
 philosophi; respondit, ἀν πάντας οἱ νόμοι ἀταξιδῶσιν ὁμοίως βιάσομεν, si omnes
 leges sublatae essent, similiter viveremus: quid tamen fiet maximæ parti mor-
 talium, qui sibi relictis affectibus & libidinibus suis obtemperant? Quin
 potius ergo, qui ratione traduci ad meliora non possunt metu continentur.
 Quintilian. l. XII c. 7.

Eeeee 2

CA-

DE INTERNA CIVITATUM STRUCTURA.

- | | |
|---|---|
| <p>1. <i>Contra malitiam hominum ab ipsis hominibus remedium est petendum.</i></p> <p>2. <i>Ad hunc finem multi sese conjungere debent.</i></p> <p>3. <i>Illi multi consentire debent.</i></p> <p>4. <i>Quid cœtus apum à civitate differat.</i></p> <p>5. <i>Ad civitatum requiritur unio voluntatum, & virium.</i></p> <p>6. <i>Unio illa fit intervenientibus pactis.</i></p> <p>7. <i>Pactum primum, & illud subsequens decre.</i></p> <p>8. <i>Pactum alterum, & incrementum civitati afferens.</i></p> <p>9. <i>Causa, quare libere unus tantum pactum agnoscat.</i></p> <p>10. <i>Ea est insuffici.</i></p> <p>11. 12. <i>Ejus rationibus respondetur.</i></p> <p>13. <i>Quid sit civitas?</i></p> | <p>14. <i>In monarchia quod vult rex, id vult civitas.</i></p> <p>15. <i>In aliis formis regulariter major pars concludit.</i></p> <p>16. <i>Quod limitatur.</i></p> <p>17. <i>De paritate sententiarum.</i></p> <p>18. <i>De conjungendis & dividendis sententiis.</i></p> <p>19. <i>Quot homines minimum ad concilium requirantur.</i></p> <p>20. <i>Quis sit civis.</i></p> <p>21. <i>Quotuplicia sint corpora subordinata?</i></p> <p>22. <i>Quid juris istis corporibus competat?</i></p> <p>23. <i>De corporibus illegitimis, & factionis.</i></p> <p>24. <i>De peculiaribus functionibus civium.</i></p> |
|---|---|

CONsequitur jam, ut civitatum intrinsicam structuram curatius rimemur. Ut igitur securitatem sibi homines, quanta quidem in ipsorum conditionem cadit, contra malitiam aliorum hominum pararent, nihil aliud excogitari potuit, quam ut unusquisque sibi auxilia idonea circumponeret, quibus invasio alterius in alterum ita periculosa redderetur, ut fatius sibi esse putaret manus cohibere, quam conferere; pacem agitare, quam bello alterum laceffere. Malitia quippe ingenii humani, & ad lædendos alios proclivitas nulla re efficacius reprimi potest, quam ostentato cominus præsentaneo malo, quod mansurum sit cum, qui alterum aggressus fuerit, ab sublata spe impunitatis. Tale porro auxilium haut quidquam præbere potest locus aliquis, natura aut arte munitus. Nam in tali

in tali solum hærere, carceris instar habet; neque solus quis eundem facile defendat. Receptis autem sociis, ab his ipsis periculum imminet, n̄ alio præsidio contra eosdem te munias. Equidem ab armis aliquid auxilii potest accedere; sed non tantum, ut unus homo sibi diuturnam securitatem etiam contra multos inde queat polliceri. Sic & quod ex animantibus brutis accedere præsidium potest, exiguum est, aut anceps, nec repellendis istis periculis idoneum. Sicut unius & alterius canis, qui stipendia contra Americanos fecit, meminit *Gomara hist. gen. Ind. occid. c. 44. & 65.* Et Imperator in insulæ Zeylon in regia sua Candy habere dicitur satellitium velut centum elephantorum, qui noctu per urbem vigilias obeunt, & circa necandos fontes carnificum vice funguntur. Sed ut ad hunc usum idonei fiant, auxilio multorum hominum opus est. Igitur contra pericula ab homine imminencia nulla commodius remedium peti potuit, quam ab ipso homine, junctis invicem viribus, mutuoque implicita salute, & periculis communi conspiratione propulsatis. Conf. *Hobbes de Cive c. VI.*

§. 2. Manifestum est autem, quod duorum vel trium consensus tantam securitatem minime possit præstare; propterea quod ex altera parte, quæ istos est in vasura, additio unius vel paucorum hominum ad certam & indubiam victoriam sufficit, ac adversariis fiduciam dat ad aggrediendum, successumque & impunitatem spondet. Igitur necessarium est ad securitatem, quam quærimus, obtinendam, ut numerus eorum, qui in mutuam opem conspirant, tantus sit, ut paucorum hominum ad hostes accessio non sit ipsis conspicui momenti ad victoriam; adeoque ut insignis aliqua hominum multitudo sese jungat. Inde & *Plato de LL. l. V.* tantum civium numerum ad civitatem requirit, ut injuriantes vicinos possint depellere, & iisdem injuriam patientibus auxilia ferre. Ex quibus & hoc colligitur, justam civitatis magnitudinem ad vicinorum vires esse referendam. Inde quæ olim, cum mortalium genus in magnam civitatum multitudinem distingueretur, magnæ erant civitates, post exortis magnis im- justo minores sunt. Nam *corpora quamlibet ardua & excelsa procerioribus admoda decrescunt. Plin. panegyrico.*

§. 3. Deinde inter multos istos, qui hoc fine coeunt, oportet ut sit consensus circa adhibenda media, ad eundem finem idonea. Quantuscunque enim alias istorum sit numerus, n̄ tamen consentiant de optima

- nam ab ipsis
m est peccen-
conjunge-
ent.
tate disse-
unio volum-
pactis.
quis
ci-
tam-
ictur.
14. In monarchia quædam
culti erant.
 15. In aliis formis regum
partes concludebat.
 16. Quod limitatur.
 17. De paritate sententiarum.
 18. De conjugentibus
centis.
 19. Quos homines minime
hominum repantant.
 20. Quis sit eras.
 21. Quis solutio sint corpora
nata?
 22. Quid jura istis corporibus
sint?
 23. De corporibus
sint.
 24. De peculiaribus
vitiis.

civitatum intrinsicam structuram
urritatem sibi homines, quanta quædam
nter a malitiam aliorum hominum
quam ut unusquisque sibi auxilium
o alterius in alterum ita periculosa
nus cohibere, quam conferere, potest
ñere. Malitia quippe ingenii humani
nulla re efficacius reprimi potest, quam
malo, quod manentur sit cum, &
compunitatis. Tale porro aut
us aliquis, natura aut arte munus

ratione, qua communis defensio sit instituenda, sed si quisque ex proprio iudicio suis viribus uti velit, nihil efficietur. Nam distracti sententiis, & in diversa tendentes impedimento invicem erunt. Aut si maxime aliquando in unam actionem spe victoriæ, prædæ, aut vindictæ, imperu vel consilio sic satis consentiant; (id quod quandoque in plebe furibunda quoque cernitur, vid. *Tacit. Ann.* L. c. 32. v. 6. 7.) postea ramen diversitate ingeniorum, consiliorumque, vel æmulatione aut invidia, quibus naturaliter homines inter se contendunt: vel levitate & per inconstantiam, ita divellentur, ut deinceps neque mutuam opem ferre, neque pacem inter se habere velint. (Conferantur, quæ super vitiiis reipubl. Atheniensis differit *Polybius* L. 6. c. 45.) Adeoque ejusmodi coitiones multorum hominum minime omnium ad diuturnitatem valebunt, nisi communi aliquo metu coërceantur, ne ab eo, quod semel placuit, postea pro lubitu discedere iterum queant. Unde consequitur, nudam consensionem plurimum, etiam pacto firmatam, non præstare illam, quam quærimus, securitatem; seu non sufficere, ut plures inter se societatem mutui auxilii ineant, mutuoque promittant, quod actiones suas, viresque ad eundem finem, bonumque commune sint directuri. Sed oportet ut quid amplius accedat, ut qui semel ad pacem & mutuam auxilium causa communis boni consenserint, metu prohibeantur, ne postea, cum bonum suum privatum à communi discrepare visum fuerit, iterum dissentiant.

§. 4. Ad hocce illustrandum *Hobbes* pressè examinat naturam quorundam brutorum, quæ & ipsa aliquo modo socialia videntur, uti sunt potissimum apes, & formicæ. Hæc enim, ut ratione destituantur, per quam pacta facere, & regimini se submittere possunt; tamen consentiendo, i. e. eadem cupiendo, & eadem fugiendo ita actiones suas dirigunt ad finem communem, ut cætus eorum nullis seditionibus sint obnoxii. Id quare inter homines secus sit, & quare magna hominum multitudo diu concorditer cohabitare sine imperio nequeat, operæ pretium erit dispicere. Causa igitur, quare providentissima natura istas bestiolas in cætus junxerit, hæc videtur, quod illæ per hyemem quoque perdurent, ciboque alantur; cum reliqua insecta fere sub hyemem moriantur, aut citra assumptum extrinsecus cibum degant. Longe commodius autem istorum cibus comportari, & asservari potest, si plures operam jungant, quam si singulæ seorsim laborent. Ex quo istud patet, illarum bestiarum cætus finem habere à civitatibus diversum, sed in iisdem aliquod instar existeret

fere Societatis omnium bonorum, dum in commune laboratur, & ex communi omnes aluntur. Affert & aliam rationem ejus discriminis *Hobbes*, quod istarum bestiarum regimen sit tantum consensus, sive multæ voluntates ad unum objectum, non una voluntas, qualis in civitatibus est: seu quod istorum insectorum singula seorsim ad opus cum aliis faciendum, cibariaque in unum congerenda conspirent; non autem omnium voluntates in unam voluntatem coaluerint, prout in civitatibus fieri suevit, ut pro omnium voluntate habeatur, quod vel unus, vel concilium aliquod constituit. Causæ autem, quare in creaturis illis, solo sensu & adpetitu viventibus, nuda consensus animorum sit ita durabilis, ut ad eam nulla re alia præterea opus sit, hæc fere sunt. 1. Inter homines certamen est honoris & dignitatis; inter bestias non est: unde, quæ ex hoc fonte inter homines promanat invidia, æmulatio, & odium, inter bestias non deprehenditur. 2. Adpetitus apum naturalis, & sensuale velut iudicium conformia sunt, & ad commune bonum fêruntur, quod inter illas à privato non differt. τὸ τῶ σμάνει μὴ συμφέρον, ὑδὲ τῆ μάλιστα συμφέρον. *Quod examini non conducit, nec api conducit. Marcus Antoninus* l. 6. §. 54. Unicum desiderium est plena habere alvearia. Inter homines autem quot capita, tot sensus; & nihil fere pro bono habetur, in quo possessori non sit aliquid præcipui & eximii præ cæteris. 3. Animantia ratione destituta nullum defectum vident, aut videre se putant in administratione suorum coetuum; quippe quos non iudicio, sed solo naturæ instinctu constituerunt, nec cum aliis comparare norunt. Nec ulli apum libido subit cellulas alia, quam sexangulari figura formandi. Sed in coetu hominum plurimi sunt, qui præ cæteris sapere se existimantes præsentem statum fastidiunt, & res novare instituunt. Ob diversitatem autem iudiciorum diversi novatores diversis modis novant; ex quo distractio civitatis, & demum bellum civile oritur. 4. Animalia bruta, utcunque possint vocis suæ aliquem habere usum, ad significandum inter se affectus suos saltem concitiores; carent tamen arte illa verborum lenociniis res fucandi, quæ necessario ad perturbationes animi concitandas requiritur; qua nempe bonum melius aut vilius, malum pejus aut levius, aut utrumque diversa plane facie, quam revera est, repræsentatur. Verum hominis lingua quædam belli & seditionis tuba quandoque esse solet; quæ non solum falsas vivendi & agendi regulas potest

potest promulgare, sed etiam illas multo cum verborum lenocinio aliis
 insinuare & commendare, animosque eorum pacificæ societatis indoli
 reddere infestissimos. Nec immerito quondam Pericles à Comico di-
 ctus fuit tenuisse, fulgurasse, & confudisse totam Græciam. 5. Non di-
 stinguunt bruta contumeliam aut contentum à damno; vel potius nul-
 lum contentus habent sensum. Igitur dum ipsa necessitates corporis
 sui inveniunt, de sociis ultra nihil querelarum movent. Verum illi ho-
 mines maxime reipublicæ molesti sunt, quibus maxime licet esse otiosis.
 Neque antea super existimatione, aut dignitate certant, quam de fame &
 injuriis aëris victoriam reportaverint. 6. Denique consensus creatura-
 rum illarum brutarum naturalis est, hominum pactitia tantum, i. e. artifi-
 ciosa, seu moralis potius, vinculis moralibus duntaxat contenta, quæ na-
 turalem ingeniorum diversitatem atque asperitatem, & in contrarium
 tendendi facultatem haut quidquam extinguunt. Addi posset & hoc, in
 coetu apum imperium proprie non esse; ideo enim rex apum aculeo ca-
 ret; cum tamen illud velut anima sit civitatis. Etsi hoc sane ingens na-
 turæ miraculum sit; quod *rege in columi mens omnibus una est: Amisso ru-
 pere fidem.* Add. *Xenophon Cyrop.* l. V. Probe tamen observandum, isthanc
 comparisonem inter multitudinem hominum & apes eo tantum sine
 adduci, ut ostendatur, quare in magno coetu hominum diuturna conspi-
 ratio & concordia speranda non sit, ubi imperium abfuerit. Nequaquam
 autem hoc volumus, quasi hæ inclinationes, quæ discordiæ semina conti-
 nent, apud singulos homines æque efficaces deprehendantur, aut quasi
 non sana ratio ex ipsa natura hominis talia suggerat argumenta, quæ ho-
 minem magis, ac ullum aliud animal ad concordiam & mutuam benevo-
 lentiam inclinare jubeant. Unde nostrum scopum haut quidquam inter-
 vertit *Rich. Cumberl. de leg. nat.* c. 2. §. 22. qui sex istas rationes *Hobbes.* re-
 torquere instituit, ostendendo, ab homine amari honorem, qui è benefi-
 centia naturaliter provenit; eundem publici boni vim ad tutandum bo-
 num ipsius privatum perfectius intelligere; ratione uti, quæ & ad obedi-
 entiam & ad imperandum, prout fors tulerit, ipsum pariter disponit; ver-
 bis aptissimis rationis suæ vim acuere nosse atque exornare; legem nosse,
 cujus vi injuriam à damno citra injuriam illato distinguit; denique con-
 sensione inter homines semel factæ non tantum à natura accedere con-
 stantiam, sed & artem naturæ auxiliatricem varias cautelas adversus casus
 minus inopinatos & durationem ultra ætatem hominis per scripturam
 impertire.

impertire. Enimvero nihil agit, antequam ostenderit, magnam multitudinem hominum, nullo imperio contentam, à paucis quoque non posse perturbari, & omnes homines sapere, ac dictata sanæ rationis liquidissime intelligere, omnesque affectus & pravas libidines plane enervasse. Et sane ruinosa valde civitatibus fundamenta substernit, qui modestiæ mortalium nimium tribuit, ac de probitate sui animi alios omnes, & præcipue fecem vulgi metitur.

§. 5. Cæterum quid sit illud, quod consensum multorum diu continere aptum sit, humani indolem ingenii penitus rimanti facile adparebit. In quo duo occurrunt vitia, quæ potissimum impediunt, quo minus multi diu in communem aliquem finem possint conspirare. Unum est diversitas inclinationum & iudicii circa discernendum, quod ad finem communem est utilissimum: cui in plurimis conjuncta est hebetudo ad dispiciendum, quod ex pluribus sit utilissimum; & pervicacia mordicus defendendi, quod semel utcunque arriserit. Alterum est torpor, & averfatio ultro faciendi, quod utile est, ubi desit aliqua necessitas, quæ tergiversantes velint nolint ad officium faciendum subigat. Priori malo remedium sit, unitis in perpetuum voluntatibus omnium, seu ut deinceps una sit omnium voluntas circa ea, quæ ad finem societatis faciunt. Posteriori autem; si constituatur aliqua potestas, quæ præsens, & in sensus incurrens malum infligere possit communi utilitati reluctans. Quo spectat illud Ciceronis *Tusc. Quæst. l. 4. Ipsam agritudinem non sine magna utilitate à natura dicunt constitutam; ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominii affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui & ignominiam & infamiam ferunt sine dolore.* Unio voluntatum hoc sane modo fieri nequit, ut naturaliter omnium voluntates in unum confundantur, aut ut unus tantum velle incipiat, reliqui omnes velle desinant: aut ut naturalis voluntatum discrepantia, & in diversa inclinatio ullo modo plane tollatur, & in perpetuam harmoniam combinetur. Sed hoc demum modo multæ voluntates unitæ intelliguntur, si unusquisque voluntatem suam voluntati unius hominis, aut unius concilii subiciat, ut pro voluntate omnium & singulorum habendum sit, quicquid de rebus ad securitatem communem necessariis ille voluerit. Nam & illud quisque velle censetur, quod in alium

contulit, si ipse velit. Ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὴν αὐτῆ γνώμην τίταχε τῶ δημοκράτη
 τὰ ἄλλα. καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολῖται τῶ νόμῳ τῆς πόλεως. *Vir bonus suum animum
 gubernatori universitatis submittit: quemadmodum boni cives legi civitatis.
 Arriani Epictetus l. 1. c. 12.* Pari ratione talis potentia, quæ omnibus metu-
 enda sit, constitui non potest, ut omnes & singuli suas vires naturaliter in
 unum transfundant, ipsi deinde plane enerves. Sed hoc duntaxat modo
 unus omnium vires possidere intelligitur, si omnes & singuli sese obliga-
 verint, quod eo modo vires suas adplicaturi sint, sicut ille voluerit. Istæ hæc
 voluntatum atque virium unio ubi facta fuerit, una demum civitas, vali-
 dissima societatum & personarum moralium, inde emergit. Distinctius
 ista intelligentur, si cogitemus, per submissionem voluntatum apud sub-
 ditos non extingui naturalem libertatem voluntatis, per quam de facto
 velut retrahere possunt, quod semel dederunt, & detrectare obsequium,
 quod polliciti sunt, neque vires & facultates subditorum naturaliter in
 imperantem transfundi, ita ut v. g. robur, quod fuit in lacertis omnium
 subditorum transeat in lacertos imperantis: igitur duplici velut pondere
 librari voluntates, viresque subditorum, ut ad nutum voluntatis imperan-
 tium se componant. Quorum prius positum est in ipso pacto, quo isti
 sese hisce submiserunt, cui maximam addit vim præceptum Divini Nu-
 minis, & religio jurisjurandi, quibus tanto major efficacia inest flecten-
 dis hominum animis, quo magis hi bonam disciplinam à puero sortiti
 sunt, & necessitatem atque utilitatem imperii civilis perspectam habent.
 Qui autem per animi pravitatem pressionem huius ponderis renitentur,
 dum vel imperium stolide æstimant velut rem paucorum libidini, cæte-
 rorum vexationi repertam, vel torpent & averfantur ultro facere id,
 quod officium requirit: isti altero pondere ad capeffenda imperantium
 iussa adiguntur, nempe metu poenæ & extrinseca coactione. Cum au-
 tem qui alterum coactus est, robustior ipso esse debeat, & vero id ro-
 bur, quo imperantes singulorum hominum robur excedunt, inde fit,
 quod cives ad nutum ipsorum vires suas adplicent: inde quod pravos
 cives cogere & coërcere possint imperantes, ab obsequio bonorum civi-
 um est. Cæterum ut major virium pars in civitate in manu imperantis
 sit, illi, cui imperium legitime partum, & qui vel mediocre studium circa
 officium suum præstandum ostendit, in proclivi est efficere. Nam &
 semper sperare potest, majorem partem civium divini præcepti, fideique
 data:

datæ & juramenti memorem fore; & nunquam non majoris & melioris partis ex populo interest civitatem tranquillam & salvam esse, ac legitimis Imperantibus autoritatem suam constare. Sed & in promptu sunt a quot velut machinæ, quibus imperantium potentia insigniter augetur, uti sunt loca bene munita, miles perpetuus singularibus vinculis imperanti obstrictus; per quæ quantumvis magna multitudo coerceri potest, inermis præsertim & per lata terrarum spatia diffusa; & ubi caute ab imperantibus prospiciatur, ne in factionem cives conjungantur.

§. 6. Ut autem isthæc unio penitus intelligatur, sciendum est, quod plures personæ physicæ, quamdiu in unam personam moralem non coaluerunt, quicquid agunt, aut quascunque obligationes contrahunt; tanquam singuli agant & contrahant, adeo ut tot numero sint actiones & obligationes, quot sunt personæ physicæ. Et quanquam sæpe multi homines vocabulo *multitudinis*, quod unitatem videtur notare, soleant exprimi; tamen si quis accuratius consideret, multitudo non est vox aliqua collectiva, seu quæ notat unum ex pluribus constans, uti est v.g. exercitus, classis, concio, senatus, &c. Sed revera nil nisi multas res notat, abstrahendo an homogeneæ illæ sint, an heterogeneæ, collectæ, an dispersæ. Adeoque multitudo hominum revera non est unum aliquid, sed plures homines, quorum unusquisque suam sibi habet voluntatem, & suum circa omnia proponenda iudicium. Et proinde multitudini, prout contradistinguitur singulis, una & separata à singulis actio, aut peculiare jus tribui non potest. Unde etiamsi quis in aliqua multitudine extiterit, seu multos circa se homines habuerit, in unum corpus non conjunctos, quorum plerique aut cæteri omnes aliquid agant, aut contrahant, nec tamen ipse in id consenserit, aut alio modo de isto actu participaverit, idem actus ad ipsum nullo modo pertinebit. Enimvero ut multitudo aliqua, seu multi homines una fiant persona, cui una actio queat tribui, & cui certa jura competant, quatenus singulis opponitur, & quæ jura sibi singuli tribuere non possint, necessarium est, ut voluntates viresque suas univerint intervenientibus pactis, sine quibus plurium natura æqualium conjunctio nequit intelligi.

§. 7. Pacta illa, quibus intervenientibus civitas coalescit, quot & qualia sint, hoc modo investigatur. Si igitur animo concipiamus mul-

itudinem hominum, naturali libertate & æqualitate gaudentium, qui ultro civitatem novam constitutum eunt; necessum est, ut futuri cives primo omnium inter se singuli cum singulis pactum iniant, quod in unum & perpetuum cœtum coire velint, suæque salutis, ac securitatis rationes communi consilio ductuque administrare. (Quanquam in isthoc pacto ut plurimum singuli sibi licentiam emigrationis reservent.) Pactum hocce initur vel pure, vel sub conditione. Prius fit, quando quis sese obstringit adhærere isti cœtui, quæcunque demum regiminis forma pluribus ariserit. Posterius, quando hanc conditionem adjecit; siquidem introducatur forma regiminis ipsi probata. Hoc porro pactum quando initur, necessum est, ut omnes & singuli consentiant. Qui non consenserit, ut in eodem cum cæteris loco tantisper versetur, extra futuram civitatem manet, neque per reliquorum consensum, quanquam plures isti sint, adstringitur, ut omnino cœtui sese isti adjungat: sed in libertate sua naturali persistit, in qua ipsi licebit de sua salute proprio ex iudicio statuere. Postquam autem ejusmodi cœtus, rudimenta & primordia civitatis præ se ferens, memorato pacto coaluit, necessum ulterius est, ut decretum fiat, qualis forma regiminis sit introducenda. De hac enim antequam constitutum sit, nihil constanter poterit expediri, quod ad communem salutem faciat. Heic illi, qui absolute sese isti cœtui adjunxerunt, per consensum plurium tenebuntur ad quiescere formæ regiminis, quæ pluribus placuit, licet ipsi aliam maluissent, siquidem velint in loco, quem cœtus iste insedit, persistere. Dum enim in pacto nihil exceperunt, intelliguntur sese hac saltem in parte submisisse voluntati plurium; cum nulla ratione postulare queant, ut reliqui omnes pauciorum iudicium suo antehabent. Qui autem cum conditione ei cœtui sese adjunxerit, nisi expresse in formam regiminis introducendam consenserit, membrum futuræ civitatis non fiet, neque majoris partis consensu obligabitur.

§. 8. Post decretum circa formam regiminis novo pacto opus erit, quando constituuntur ille, vel illi, in quem vel quos regimen cœtus confertur; quo hi quidem ad curam communis securitatis & salutis, reliqui ad obsequium his præstandum sese obstringunt; cui simul subjectio illa & unio voluntatum inest, per quam civitas una persona intelligitur. Ex quodum pacto perfecta civitas resultat. Cæterum ubi democratia fuit instituta, non ita liquido posterius hocce pactum adparet; quippe cum iisdem diverso respectu sint imperantes & parentes: in pacto autem duæ distin-

. & ex per-

etæ personæ requirantur, neque videatur sufficere diversus respectus, v. g. unus & idem Titius diverso respectu potest esse pater, & filius, & maritus, & gener, & socer, & mercator, &c. ubi sane nullum erit pactum, si Titius qua mercator aliquid promiserit eidem Titio, qua est pater. Enimvero sciendum est, in rep. populari singulos cives, & concilium, penes quod est summa rerum, non nudo duntaxat respectu differre, sed esse vera diversas personas, (etsi diversi generis) quibus distincta voluntas, distinctæ actiones, & jura competant. Quod enim singuli cives volunt, id non statim vult populus. Et quod singuli cives agunt, non statim habetur pro actione populi, & vice versa. Neque singuli habent summum imperium, aut aliquam ejus partem, sed populus illud habet. Aliud quippe est, habere partem imperii; aliud, habere jus ferendi suffragium in concilio, penes quod summum imperium est. Ut hactenus nihil videatur obstare, quo minus inter concilium populi & singulos cives pactum intercedat. Illud fortasse non inepte urgeri posset; inutile fore tale pactum inter populum imperantem, & cives parentes, quod eo ipso, dum quis in formam democraticam consentit, suam quoque voluntatem voluntati majoris partis intelligatur subjecisse; simulque jam cuivis per amorem sui rerumque suarum sat necessitatis videatur injunctum, bono publico pro virili invigilandi, cui ipsius quoque salus est innexa. Nihilominus etsi fortasse in democratiis non ita necessarium est, uti in aliis rerum publ. formis, illud pactum, seu mutuam promissionem circa exercendum officium imperantis & subjecti expresse fieri: omnino tamen saltem tacite illud intervenisse est intelligendum. Nam sive decretum illud de introducenda democratia concipiatur per modum nudi placiti multarum voluntatum in unum conspirantium, sive per modum pacti singulorum cum singulis; submittam voluntatem meam concilio universorum, si & tu idem feceris: tamen ex hoc presse considerato nulla alia resultat obligatio, quam ut singuli teneantur adquiescere in illa reip. forma, quamdiu ab universis eadem non fuerit mutata. Atqui in democratiis plus utique obligationis in civibus reperitur. Nam & singuli tenentur stare decretis & jussis, à concilio universorum profectis; & simul in singulis est obligatio curam reip. pro virili capessendi, & privatum commodum post publicum bonum habendi. Quo enim prætextu alias reprehendi aut multari posset civis, ideo quod in concilio infrequens deprehenda-

tur? Adparente autem obligatione, necessum est ejus quoque originem existere; quæ nulla alia est præter pactum, quod innuimus. Sic apud *Thucydidem* l. 2. civis democraticus, status reip. ignarus, *inutilis civis* judicatur. Add. quæ cum Charmide disputat Socrates apud *Xenophontem memorabilium* l. 3. p. m. 486. Ast vero ubi aristocratiam aut monarchiam constitui placuerit, longe liquidius posteriori isthoc pactum cernitur. Designatis enim optimatibus aut rege, fides utique mutuo datur & accipitur, mutuaque præstationes utrinque oriuntur. Imperio quippe delato & acceptato non minus rex & optimates, quam cives, ad munia antehac indebita adstringuntur. Ante istud pactum non magis cives ad parendum uni aut paucis tenebantur, quam iste aut hi ad salutem civitatis curandam. Mutua autem fides, & ad munia antea indebita obligatio unde nisi ex pacto ortum traxerit? Quæ hæcenus de duobus pactis, & uno decreto diximus, illustrari possunt per illa, quæ circa constitutionem regni Romani memorat *Dionysius Halicarn.* l. 2. *sub init.* Ibi enim primo multitudo hominum struendæ novæ sedis causa confluit; inter quos utique pactum saltem tacitum intervenit. Inde deliberatur super forma reip., & cum regnum placeret, Romulo demum summa potestas defertur. Sic & interregno emergente, per quod primo duntaxat pacto cœtus continetur, sæpe super forma reip. deliberari solet. Vid. deliberatio principum Persarum apud *Herodotum Thalia.* Bruti & sociorum apud *Dionys. Halicarn.* l. IV. Est tamen probe notandum, isthunc modum generandi civitatem, intervenientibus duobus pactis & uno decreto, esse maxime naturalem; & omnibus formis rerump. communem. Fieri tamen potest, ut monarchia constituatur per unicum duntaxat pactum, si nempe multi citra antegressam inter ipsos conventionem quisque pro se, simul aut diverso tempore, quæ sese subjecerint; ad eum fere modum, quo exercitus ex convenis & mercenariis constantes colliguntur. Sicuti & illis, qui civitati jam constitutæ postea accedunt, unica tantum conventionem opus est, qua ipsi quidem recipi in civitatem petunt, qui autem civitatis personam gerunt, eisdem, obsequium stipulati, recipiunt. Cæterum non est, quod quis fingi isthæc de pactis civitatem generantibus à nobis existimet, ideo quod plerarumque civitatum origines primæ ignorantur, aut saltem non ita liquido constet, illas hoc modo coaluisse. Nam id certum est, omnem civitatem aliquando suam habuisse origi-

originem. Ante constitutionem autem civitatis, necessum erat, ut illi, ex quibus civitas constat, ejusmodi vinculo inter se non connecterentur, quo post civitatem institutam connectuntur. Urque iidem nondum sese subjecerint illis, quibus postea sunt subjecti. Cum autem conjunctio illa & subjectio citra antedictas pactiones facta intelligi nequeat, necessum est, in coalitione civitatum easdem saltem tacite intervenisse. Nihil autem obstat, quo minus alicujus rei origines ratiocinando investigari possint, ut ut de iisdem nulla literarum monumenta extent.

§. 9. Hoc loco fuerit operæ pretium, sententiam *Hobbesii* paulo pressius expendisse; qui in generatione civitatum unum duntaxat agnoscit pactum singulorum cum singulis; ac passim inculcat, inter regem optimatesvè, & cives nullum pactum intercederè. Equidem quid causæ istum ad talia adferenda moverit, satis colligitur ex scopo librorum ipsius politicorum, quem in *Leviathane* non obscure præ se fert. Scilicet oppugnatum it potissimum seditiosos illos homines, qui superioribus lustris potestatem regiam in ordinem redigere, subjectisque subdicere, vel potius penitus extinguere laborabant. Quibus ut isthoc rebellionis prætextum eriperet, fidem inter regem & cives esse reciprocam; ubi ille, quæ pacto promiserit, non servarit, hos quòque obsequio liberari: ne vè turbulenti cives quævis regis facta ipsis displicentia in crimen violatæ fidei trahere possent; negare instituit, ullum pactum inter regem & subjectos existere. Et cum in animum induxisset, omnibus regibus vere talibus absolutam & illimitatam potestatem adstruere; consequens erat omne pactum hinc exterminare, quippe quod præcipuum videbatur limitandæ potestatis instrumentum. Enimvero quanquam potestatem regiam sacrosanctam præstari, & ab importunorum hominum vellitionibus vindicari generis humani quam maxime intersit; non tamen ideo necessarium fuerit ea, quæ in manifesta luce sunt posita, abnegare, & pactum nolle agnoscere, ubi extat mutua promissio circa præstanda ea, quæ antea erant indebita. Dum ultro principime subjicio, obsequium ipsi promitto, defensionem mihi stipulor. Princeps dum me civem recipit, defensionem mihi promittit, obsequium à me stipulatur. Ante eam promissionem neque ego ipsi obsequi, neque iste me defendere, saltem ex obligatione perfecta, tenebatur.

Quis

Quis ejusmodi actum ex classe pactorum velit excludere? Neque ideo tale pactum redditur supervacuum, quod inter eos, qui ultro sibi regem imponunt, prius conventio videatur extare de hoc vel illo in folium vehendo. Nam uti nuda electio citra electi acceptationem huic in eligentes nihil potestatis confert: ita ex negotii natura satis intelligitur, eos, qui alteri ultro in se potestatem conferunt, velle, ut hicce in ejus exercitio tendat ad finem isti potestati præfixum: & hunc quod delatum fuit ea lege suscepisse, ut ne per ipsum sine suo eligentes excidant. Igitur qui alicui imperium deferant, ut ipsi simul promittunt, quæ natura subjectionis requirit; ita sibi contra stipulantur ab ipso procuranda ea, propter quæ imperia civilia constituuntur. Quod quid aliud est, quam pactum inire?

§. 10. Neque vero, admisso pacto inter regem & cives, illa incommoda, quæ *Hobbesius* videtur ob oculos habuisse, necessario consequuntur. Equidem id habent omnia pacta, ut ad certi quid præstandum necessitatem aliquam afferant. Verum quam maxime differunt illa pacta, quibus quis sese alteri simul subicit, ab istis, per quæ neuter in alterum imperium accipit. Pacto utique constituitur jus domini in servum, saltem qui ultro servitio succedit; potestas patria in eum, qui sese arrogandum præbet; imperium ducis in milites mercenarios. Et tamen hoc non obstat, quo minus illis imperandi facultas competat, his obsequii necessitas incumbat; neque his statim licet frænum excutere, si iusta imperantium parum arriserint. *Xiphilinus epitom. Dionis in vita Neronis: πάσα ἰχὺς αὐταρχος παρ' ἰδιώτῃ δοθεῖσα τῷ τῷ τι δόντος αὐτῇ ἰουδῆς ἀπαρχαίλαι, καὶ τῷ λαβόντι καὶ ἐκείνῃ ἀποσχιδαί.* summum imperium, postquam est à privato alicui delatum, statim transit ab eo qui delulit, & illi, qui accepit, contra eum qui dedit, accedit. Scilicet in pactis, à quibus submissio voluntatis & virium abest, certæ & definitæ præstationes designantur, invicem exhibendæ ex intrinseco conscientiæ impulsu: & ubi quis ultro istas implere detrectaverit, nil nisi bellum, aut communis utriusque domini coactio superest. Sed in pactis, ubi unus alteri subicitur, penes hunc est definire, quid ab illo debeat præstari; simulque facultas in eundem collata nolentem ad ista compellendi; qualis facultas haut quidquam reciproce illi in hunc competit. Unde imperans violati pacti nequit argui, nisi aut omnem reip. curam abdicaverit, aut hostilem in
suos

suos animum induerit, aut manifeste à regulis gubernandi, abs quarum observatione tanquam à conditione cives obsequium suum suspendunt, dolo malo discesserit. Quæ cuius imperanti in perpetuum evitare facillimum est, modo cogitare velit, ne summos quidem mortalium humanæ sortis legibus esse solutos; *neque unquam deceptum esse principem, nisi qui prius ipse decepit. Plin. paneg.* Denique aut deterrimum aut solidissimum oportet esse principem, qui id non possit efficere, ut majoris aut validioris partis de populo intersit, ipsius statum salvum esse. Ad quod obtinendum ut omnibus viribus connitatur princeps, movere ipsum debet illud apud *Livium* l. 3. c. 21. *An credi posse ullum populum, aut hominem denique in ea conditione, cujus ei impæniteat, diutius quam necesse sit, mansurum?* Si porro majoris partis populi intersit, principis statum salvum esse, quod non potest non contingere, si justitiam & prudentiam in consilium adhibuerit, ejus fortuna sat firmo nixa stat talo. Si quis istud obtinere nequeat, is cuius potius negotio, quam imperio idoneus existit.

§. 11. Examinemus paulo curatius rationes, quibus assertionem suam *Hobb.* superstruit. Ubi initio quidem arbitramur inconueniens esse, quod obligationē civium adversus imperantes derivatum sit ex tali pacto, quo unusquisque unicuique ceterorum sese obliget ad non resistendum voluntati illius hominis, cui se submisserit; de *Cive* cap. V. §. 8. Equidem qui inter se convenerunt de conferendo in aliquem imperio, intelliguntur quoque in id consensisse, ut omnes suam voluntatem isti subiciant, seu ut istius voluntas voluntatem omnium in gerenda republ. repræsentet. Nec infrequens est ejusmodi consensum de conferendo in aliquem imperio, ut & leges, sub quibus imperium alicui deferretur, mutuis populi pactis, & juramentis stabiliri. Distincta tamen utique sunt, inter se conspirare de imperio in Cajum conferendo, & imperium Cajo deferre fide data acceptaque. Porro quo minus cives quoque mutuo inter se fidem dent de obsequio regi præstando, nihil repugnat. Sicuti & talia pacta dantur, ubi omnes pro uno, & unus pro omnibus sese obligant. Ut tamen illud omnino fiat non est necessarium, neque usu adeo frequentatum. Qui in civitatem recens recipitur, regi ipsi fidem dat: nullibi quantum nobis constat, exigitur, ut cum reliquis civibus super obsequio regi præstando paciscatur. Denique & valde periculosum videtur, ex ejusmodi pacto cum quolibet concive obligationem erga regem derivare; jus meum

in tuam gratiam in regem transfero, ut & tu jus tuum in eundem transferas in meam gratiam. Nam hoc modo quilibet civis obsequii sui necessitatem videbitur suspendisse ab obsequio cujuslibet civis; & consequenter, altero non præstante obsequium, & reliqui liberi forent. Atqui vel eam ob causam necessarium est, quemlibet civem pro se, & citra conditionem obsequii alieni summo imperanti obstringi, ut si maxime unus vel alter frantum mordeat, imperans cæterorum viribus uti queat, ad refractarium istum in ordinem redigendum. Neque minus incongruum est, quod *Idem cap. VI. §. 13.* tradit: *obligationem ad præstandam summo imperio civili obedientiam non immediate nasci ex eo pacto, in quo cives omne jus suum ad civitatem transtulerunt; sed mediate, nempe ex eo, quod sine obedientia jus imperii frustra esset, & per consequens civitas omnino constituta non fuisset.* Sed quid ambagibus opus, ubi recta & plana via licet incedere? Nam quæ ipsum movisse videtur ratio inanis est. Scilicet tacite præsupponit; de quibus pacto fuit conventum, illa non posse jure detrectari. Atqui postea à rege aliqua jure juberi, quæ civis jure possit detrectare, e. g. si rex jubeat, ut me, aut ipsum regem, aut patrem condemnatum interficiam. Ergo ex alio fonte, quam ex pacto cum rege, obsequium civium derivandum. Enimvero nos examussum sibi invicem respondere asserimus potestatem regis legitimam, & officium civium; adeoque pernegamus à rege jure quid posse imperari, quod subjectus jure possit detrectare. Neque enim rex plura jure juberi potest, quam quæ cum fine societatis civilis institutæ congruunt, aut congruere judicantur. Si quid contra hujus finem dolo aut per vesaniam jussit, haut quidquam jure id facere censetur. Verum an quibusvis ejusmodi jussis subjecti possint resistere, alia quaestio est, quam alio loco excutiemus. Quæ exempli causa adferuntur, ad rem nihil faciunt. Sane si contingeret, ut rex alicui talia jure possit injungere, i. e. ut tale quid à cive patrari ad salutem reip. facere videri queat, subditus jure jussa non detrectabit. Vid. *Judic. IX. 54. I. Samuel. XXXI. 4. Zonaras p. art. 3.* memorat, cum Theophilus Imp. timore tanquam compedibus vincitus staret, Manuel stricto ense; nisi me, inquit, secutus fueris, te perimam. Præstat enim, te mori, quam ab hostibus captum Romanæ Reip. tantum imprimere dedecus. Quibus minis ægre soluto stupore, eum secutus evasit. Quin & βασιλεῖσιν ἀμεινον τεθρόμεν ἐν πολέμῳ, ἢ χεῖρον ἀμεινον πολέμῳ, regibus satius est in bello occumbere, quàm vilioribus servitutem servire.

Quintus

LIBRI VII.

Quintus Calaber 1.13. Ubi autem talia jussa ratione destituuntur, & ob ea recusata civis interfectus fuit, nemo sanus puto jure istum casum dixerit. Quod porro *Idem* c. VI. §. ult. jus in regem à civibus collatum dicitur per modum *donationis*, id ne ad ipsius quidem tradita congruit. Donatio est, cum ex una duntaxat parte jus in alterum transfertur. vid. *Idem* c. 2. §. 3. 9. Atqui quando in regem confertur imperium, est mutua juris translatio, seu reciproca promissio. Cives spondent obsequium, rex procuracionem reipublicæ; ad quæ ante istum actum neuter tenebatur. Uti enim ante collationem imperii licebat civibus resistere jussis *Caji*, quem postea regem constituerunt; ita *Cajus* iisdem defensionem aut curam sui postulantis itidem poterat resistere, seu eandem ipsis tanquam indebitam denegare. conf. *Lucæ* XII. 13. 14.

§. 12. Neque major efficacia ad tollenda pacta inter imperantes & subjectos inest illis rationibus, quæ adducuntur c. 7. §. 7. seqq. Ubi probare primo vult, democratiam non constitui per pacta singulorum cum populo, sed mutuis pactis singulorum cum singulis. Argumento utitur, quia in omni pacto prius debent existere personæ paciscentes, quam ipsum pactum. Atqui ante constitutam civitatem populus non existit, utpote ubi non erat una persona moralis, sed multitudo personarum singularium. Igitur ante civitatem constitutam non potuisse pactum iniri inter populum & cives. Post constitutam autem civitatem tale pactum iniri fuisse inutile; quia populus voluntate sua voluntatem civis illius, cui supponitur obligari, complectitur, ideoque se potest liberare arbitrio suo, & consequenter actu liber est. Enimvero patet, tertium adhuc dari. Ante constitutam civitatem multi homines non sunt populus, i. e. cætus democraticus. Ergo non potest cum ipso, ut tali, pactum iniri. Post civitatem constitutam frustra est iniri pactum, hoc sensu, ut unus vel alter civis velit peculiariter pacisci cum populo circa administrationem reipublicæ. Nam cui democratia forma probatur, is intelligitur eo ipso sese obligasse ad parendum decretis, à majori parte populi profectis; cui obligationi per peculiare pactum derogaretur. Ast vero in ipsa constitutione civitatis democraticæ potuit iniri, & est revera in initum pactum mutuum inter populum, & singulos; quod quale sit jam fuit expositum. Pari modo nihil aget,

Gggggg 2

qui

transfere, ut & tu jus tuum in manu
 in hoc modo qualibet civis obsequium
 ab obsequio cuiuslibet civis
 obsequium, & reliqua
 est, quemlibet civem pro
 imperanti obsequium, ut
 imperans ceterorum virtus unquam
 redigendum. Neque minus
 obligacionem ad imperantem
 ex parte imperantis, in qua
 si mediate, nempe ex causa
 imperantis, ut in omni
 recta & plana via licet in
 manis est. Scilicet tacite
 illa non posse jure detractam
 civis jure possit detractam
 patrem condemnare inter
 cum rege, obsequium civem
 sibi invicem respondere
 civium: adeoque per
 subiectus jure possit detractam
 quam quæ cum sine locutione
 re iudicantur. Si quid com
 hant quidquam jure id facere
 subiecti possint resistere
 Quæ exempli causa ad
 ut rex alicui talia jure possit
 reip. facere videtur
 IX. 4. 1. *Somnium* XXXI
 Imp. timore tanquam
 niti me, inquit, recurus
 ab hostibus caprum Roman
 us minus egre soluto
 bere quæ illic ut se ferunt

qui si colligit; maritus cum uxore nullum potuit inire pactum: quia ante nuptias illa nondum fuit uxor; post nuptias pacisci frustra est, ut jam suam voluntatem subjecit voluntati mariti. Potuit quippe pactum iniri eo ipso, dum uxor fit vel designatur. Non multum dispari sophismate quondam ludebat Epicurus: *Quando nos sumus, mors non est, quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. Quam argute nos sefellit. Quasi vero transacta mors timeatur, quia jam sensus ereptus est; ac non ipsum mori, quo sensus eripitur. Est enim tempus aliquod, quo & nos jam non sumus, & mors tamen nondum est. Idque ipsum videtur miserum esse, cum & mors esse incipit, & nos esse desinimus.* Lactantius div. instit. l. 3. cap. 17. Deinde si vel maxime quis in democratia tale pactum non possit animo concipere, aut inutile id arbitretur, tamen exinde non licebit idem excludere ab aliis rerum. formis, ubi qui regunt, & qui reguntur, tanquam personæ naturales differunt. Nam heic utique pactum requiritur, quo illi obstringantur curam reip. capeffere, & salutem populi pro summa lege habere: hi vero obsequium iisdem promittant. Inde constat, quid sentiendum sit de illa thesi *Hobbesii de cive c. 7. §. 9. Quoniam cives non paciscentes cum populo, sed mutuis inter se pactis tenebantur ad omnia, quæ populus faceret, tenebantur inde ad factum populi transferentis jus civitatis in optimates aut regem.* Neque enim sequitur: si concilio populi placuit summam rerum transferre in optimates aut regem, singuli eo decreto stare tenentur; ergo inter populum transferentem imperium, & optimates aut regem, in quos idem transfertur, nullum pactum intercedit. Sed nec validius est alterum *Ejusdem* argumentum: regem quamquam à populo electum non potuisse ad quidquam ab eo obligari; nam eo electo, *populum* simul dissolvi, perireque rationem illam, quam habebat ut *persons*; quare perire quoque unà & dissolvi, quæ ad personam facta erat, obligationem. Enimvero quod fundamenti loco heic substernitur, sublata persona, tolli quæ adversus illam erat obligationem; intelligendum est de illis casibus, quando persona naturali morte extinguitur, aut quando qualitas illa, super qua obligatio unice fundabatur, expirat. Atqui quando populus liber in regem transfert imperium, neque ipse populus naturali morte extinguitur, neque obligatio regis est fundata in ea qualitate populi, qua liber intelligitur, sed qua deinceps erit cœrus civium unius imperio. subjectus. Quemadmodum procius paciscens cum virgine post consum-

consummatum matrimonium non potest excipere, obligationem adversus eam periisse, quod non amplius virgo sit, qualis erat cum pactum ini-
retur. Nam obligatio proci non fundabatur super qualitate virginita-
tis, sed contrahit cum virgine, quæ deinceps conditionem uxoris est subi-
tura. Et rege constituto, populus dissolvitur hæcenus tantum, quod
summum imperium non amplius sit penes concilium, ex universis con-
stans; haut quidquam autem dissolvitur in multitudinem nullo vinculo
connexam, sed manet unus coetus, quem unum imperium, simulq; pri-
mogenium illud pactum continet. Scilicet imponit *Hobbesius* simplicio-
ribus ambigua significatione vocabuli *populus*. In democratiis populus
notat universitatem civium, quæ diverso respectu simul regit, & regitur:
in aristocratiis & regnis notat universitatem civium, quæ regitur.
Vid. *Idem de civitate* cap. 13. §. 3. Atqui quis negare velit, adversus ejusmodi
populum, monarchiæ aut optimatibus subjectum, posse subsistere obli-
gationem, etsi contracta fuerit eo tempore, quo ille adhuc liber erat, sed
in eventum & intuitu futurae subjectionis? Denique ipse *Hobbes. Leviath.*
conclus. expresse dicit, Deum Judæorum regem fuisse factum vi pacti inter
ipsum & hos initi. Quare igitur pactum inter regem hominem & cives
negare velit? Et paulo ante tradiderat; quando quis sese victori submittit?
is necessariò tanquam verus subditus obligatus tenetur; nam *contractus*
legitime initus recte violari abruptivè nequit.

§. 13. Per isthæc igitur pacta hominum multitudo unita civitatem
constituit, quæ ad modum unius personæ concipitur, intelligentis & vo-
lentis, aliasque actiones peculiare à singulorum actionibus separatas e-
dentis. Unoque nomine ab omnibus hominibus particularibus distin-
guitur atque dignoscitur; (*Statius Achilleid.* l. 1. *Sparsa ac dissona moles In
corpus vultumque coit, & rege sub uno Disposita est.*) nec minus peculiaria
jura habet, ac res proprias, quæ neque singuli, neque multi, neque adeo om-
nes simul, remoto eo, qui summum habet imperium, asserere possint;
ab qua itidem peculiare actiones proficiunt, quæ singuli haut quid-
quam sibi tribuere aut arrogare queant. l. 6. §. 1. *D. de divis. rerum.* l. 10.
§. 4. *D. de in jus vocando.* l. 7. §. 1. *D. quod cujusque univers. nom.* l. 1. §. 7.
D. de questionibus. Add. *Seneca de beneficiis* l. VI. c. 19. 20. Unde civitatis
hæc commodissima videtur definitio, quod sit persona moralis cõposita,
cujus voluntas, ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omniũ

habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit. Illa enim definitio, quæ extat apud *Dionem Prusæum in Borysthenica*: πόλις ἐστὶ πλῆθος ἀνθρώπων ἐν ταυτῇ κατοικούντων, ὑπὸ νόμοις διοικεμένων, ex Græcicæ politicæ principiis extracta, alio fortasse loco à nobis discutietur. Qua non multo melior est definitio civitatis Platonicæ tanquam perfectissimæ apud *Apulejum de philosophia*: civitas est conjunctio inter se hominum plurimorum, in quibus sunt regentes, alii ceteriores, conjuncti inter se concordia, & invicem sibi opem atque auxilium deferentes, iisdem legibus, rectis tamen, officia sua temperantes, unamque civitatem, iisdem manibus illam futuram, & eadem velle atque eadem nolle incolarum mentes assueverunt. Civitatem porro, tanquam hominem aliquem artificialem, ingeniose delineavit *Hobbesius in proæmio Leviathanis*, in quo is qui summam habet potestatem est pro anima, totum corpus vivificante & movente: magistratus & præfecti, artificiales artus sunt: pœna & præmia, summæ potestati appensa, & à quibus membra ad suum cujusque opus perficiendum incitantur nervi; qui idem faciunt in corpore naturali: divitiæ singularium hominum, pro robore: salus populi pro negotio: consilarii, per quos ea, quæ cognitu necessaria illi sunt, suggeruntur, pro memoria: æquitas legesque pro artificiali ratione. Concordia, sanitas est, seditio morbus, bellum civile, mors. Denique pacta, quibus partes corporis hujus politici conglutinantur, imitantur divinum illud verbum fiat seu faciamus homines, à Deo prolatum in principio, cum crearet mundum. Unde & obiter adparet, *Isocratem in Areopagitico*, & *Panathenaico non recte formam reip. pro civitatis anima vendit. ire, cujus ea vis sit, quæ mentis in corpore*. Cum forma reip. potius sit in civitate idem, quod in corpore humano est structura & dispositio omnium membrorum & partium.

§. 14. Cæterum voluntas civitatis exserit sese vel per unam personam simplicem, vel per unum concilium, prout in illam, aut hoc summa rerum fuit collata. Ubi penes unum hominem est imperium, civitas velle intelligitur, quodcumque isti homini, (cui sanam rationem constare præsupponitur,) placuerit, & quidem circa negotia, quæ ad finem civitatum spectant; non item circa alia. Sic v.g. si rex bellum decernat, si pacem faciat, si sædus ineat, civitas hoc voluisse & fecisse dicitur, non item, si edat aut bibat, si dormiat, si uxorem ducat, si vitia patret. *Enripides Supplicibus*: τὸνδε δ' ὀμνύμαι χερῶς Ἀδραστον. ἔτος κύριος τύραννος ὢν, πάσης ὑπὲρ γῆς ἀναϊδῶν ὀρκωμείει. *Iurare convenit Adrastum. Is Dominus & rex existens jurabit*

rabit nomine universa terra Danaidum. Unde & inter voluntatem Monarchæ publicam, quæ voluntatem civitatis repræsentat, & ejusdem voluntatem privatam, qua velut quisvis alius homo circa negotia non-publica utitur, distingui potest. Ubi quæstio oritur, quid sit ille, penes quem voluntas civitatis est, secus velit, quam debebat, adeoque in exercitio voluntatis publicæ peccet, num & quæ abs ejusmodi depravata voluntate prodit actio pro actione civitatis habenda sit? Nam qui voluntatem suam Principis voluntati submittit, idem fecisse intelligitur ea intentione, ut ille nihil velit, nisi quod è re civitatis, justumque sit. Hæc dicendum videtur, actionem ex abusu ac pravitate voluntatis publicæ procedentem, in se quidem esse actionem publicam, & civitatis; quia ab imperante suscipitur, ut tali. Sic si Monarcha aut Senatus malas leges ferat, male jus dicat, ineptos magistratus constituat, injusta bella moveat, actus utique publicos exercet. Si auriga currum evertat, aurigæ illa actio est, sed imperiti aut negligentis. Enimvero in foro divino de tali actione nemo tenetur, nisi qui consensu suo positivo & efficaci ad eam influxit. Unde de publico delicto rei non sunt subditi, aut qui ex concilio imperante disenserunt, & à majore parte victi sunt. Quæ tamen incommoda in cives immerentes ex ejusmodi delictis publicis redundant, inter illa mala sunt referenda, quibus humana conditio in hac mortalitate obnoxia est, quæque adeo ut sterilitas, aut nimii imbres, & cætera naturæ mala toleranda sunt. Quanquam ad ista incommoda præcavenda non exiguam habere efficaciam deprehenduntur leges fundamentales, bona disciplina, & cum primis religio. Ex adverso autem consequens est, quidquid vel singuli cives, vel multi, vel etiam omnes, excluso rege, aut citra vel contra ejus auctoritatem & jussum voluerint aut egerint, non solum circa posterioris, sed & circa prioris generis negotia, id haut quidquam pro voluntate aut actione civitatis esse habendum; sed pro voluntate & actione privata: imò tot erunt voluntates, tot actiones, quot numero sunt homines, qui aliquid voluisse aut egisse dicuntur. Idem quoque censendum est, si quid à singulis aut multis fiat privato auso citra auctoritatem & jussum ejus concilii, penes quod summa rerum est. Unde inter seditiosas opiniones, & quæ ad internam civitatis compagem solvendam faciunt, in monarchia cum primis, ab *Hobbefo de cive* c. XII. §. 8. refertur, quod vulgò non satis distinguant inter civitatem sive *populum*, & *multitudinem*.

Nan

Nam *populus* sive *civitas* est unum quid, unam habens voluntatem, & cui una actio tribui possit. Quorum nullum de multitudine subditorum, imperium habenti homini aut concilio contradistincta, dici potest. Etsi quod *d. l.* sequitur: *populus in omni civitate regnat*, affectatione argutarum inane evadat. Nam *populus* vel notat totam civitatem, vel multitudinem subditorum. Priori sensu resultat inepta locutio; *populus i. e. civitas in omni civitate regnat*: posteriori falsa: *populus, i. e. cives regni contradistincti in omni civitate regnant*. Pro eo autem, quod sequitur; *in monarchiis populus imperat*; vult enim *populus per voluntatem unius hominis*; planius dicendum fuerat; in civitate monarchica id voluisse censetur citas, quod voluit monarcha. Nec in alium sensum explicandum illud paradoxum; *Rex est populus*. Cætera satis recte sese habent; quod nempe vulgus de magno hominum numero semper loquatur tanquam de populo seu civitate, dicatque, rebellasse civitatem contra regem, quod est impossibile: & populum seu civitatem velle & nolle, quod volunt & nolunt molesti & mussitantes cives, sub prætextu populi cives contra civitatem, subditos contra imperantem animantes.

§. 15. Ast ubi summa rerum est collata in concilium, ex pluribus hominibus constans, quorum quisque suam sibi retinet voluntatem; definiendum prius est, quota pars in unum conspirans voluntatem totius concilii, adeoque & civitatis repræsentet. Nam alias, uti nemo tenetur alterius potius, quam suam sententiam sequi, nisi voluntatem suam istius voluntati subjecerit; ita licet quis societatem cum aliis inierit circa negotia communi consilio tractanda, si tamen sibi expresse reservaverit, quod ad nihil velit teneri, in quod non ipse consenserit, haut quidquam ipsum stringet, quod à pluribus fuit decretum. Hinc & collegia dantur, ubi unius dissensus cæterorum omnium consensum reddere irritum potest. Etsi, ubi quis rationem plane audire nolit, & per solam pertinaciam cæteris recte sentientibus obnitatur, tanquam incommodus societate ejici, aut quandoque etiam malo coerceri queat. Quanquam enim hic non teneatur ex suo consensu ad sequendam majoris partis sententiam; tenetur tamen ex generali lege, ut cæteris sese commodum præbeat, & ut pars sese conformet ad bonum totius. Quo loco & addi potest, quod apud *Petrum Suarum hist. Concil. Trident. l. 4. p. m. 788.* disputatur, Gallos decretis

cretis Concilii non teneri, quod contra id protestati essent; ubi Parliamenti Parisiensis sententia quoque adducitur: *Totius universitatis auctoritatem ad majorem partem transferri, cum causa omnium est communis, & singulos non attingit: verum quando tota causa ad omnes spectat, & sua singulis pars debetur, hoc casu uniuscujusque assensum esse necessarium, & prohibentis conditionem potiore, atque absentes nisi suffragantes minime obligari.* Ex hoc genere esse cœtus Ecclesiasticos, in quibus quantumvis frequens sit Concilium, Ecclesias qua non adsint, minime ad ejus decreta obligari, nisi ipsis recipiendum videatur. Fatendum tamen est in ejusmodi conciliis, imprimis ubi ea ex multis hominibus constiterint, difficillime negotia expediri; sæpe & illa exitum omnino reperire non posse, ob discrepantiam judiciorum, & nonnullorum pervicacia inexpugnabili. Et regulariter ubi quis absolute & citra exceptionem sese alicui cœtui aut concilio adjunxerit, cum non possit postulare, ut reliqui omnes ipsius sententiam sequantur, aut propter unius dissentium intermittant, quod sibi utile aut necessarium videtur; præsumitur sese obligasse ad sequendum & ratihabendum, in quod maxima pars sociorum conspiraverit. Nam si hoc grave videbatur, debuerat id ab initio, quando in societatem se conferebat, excepisse. Nunc ambitiosum nimis & importunum est, suam cæteris omnibus præferre sapientiam. Quod si cui molestum sit, quod suam sententiam reliquis invitis obtrudere nequeat, cœtum istum deserere licebit. Nequaquam autem fas est, ubi numero sententiarum fueris superatus, imitari id, quod est apud Agathiam l. 4. *Vnusquisque agre ferens suam sententiam non valuisse, negligentius segniusque ad rem gerendam accedebat, & sinistris eventibus magis gaudebat, ut in posterum gloriari, liberiusque apud suos jactare, nullamque aliam sinistri eventus causam fuisse demonstrare posset, quam quod privatam suam consilium secuti non essent.* Inde regulariter in omnibus conciliis plurium suffragia vim habent universorum; non quod naturaliter ita fieri necessum sit, sed quia vix alia via est ibi negotia expediendi. Vid. l. 7. §. ult. l. 8. D. de pactis. l. 19. D. ad municipalem. Plinius l. 2. epist. 12. *Numerantur sententia, non ponderantur; nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inaequale, quam aequalitas ipsa; nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.* Idem l. 6. ep. 13. *singulos, re integra, dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuit, cunctis tuendum.* Sicuti & de eo, quod regulariter fit, capiendum est illud *Aristotelis Polit. IV. cap. 8. Hoc*

Hhh hhh

autem

autem, quod pluribus probatum fuit, in omnibus reperitur. Nam & in oligarchia, & in democratia, & in populis, quod majorum, qui reip. sunt participes, parti visum fuerit, hoc est ratum. Quanquam aliquando contingat, ut pauciorum sententia, reip. magis proficua aut decora, numero superetur. Scilicet in constitutionibus ejusmodi universalibus circa expedienda negotia humana, quæ magnam sæpe varietatem recipiunt, cum nullum per homines excogitari possit medium, quod omni incommodo careret, sequendum est, quod ut plurimum expedit. Add. *Bodin. de republ.* l. 3. c. 4. p. m. 456. Hinc frustra jaëtatur; cum naturæ conveniens sit, ut quod à prudentioribus profectum est, prævaleat ei, quod ab imprudentioribus profluxit; naturæ repugnare, ut sententia imprudentior plurimum prævaleat sententiæ prudentiori pauciorum; adeoque ut illi hos obligare queant ad aliquid imprudentius suscipiendum. Equidem in decidendis veritatibus theoreticis sententiæ non numerantur, sed ponderantur. Imo sæpe ipsa multitudo ad stipulantium erroris indicium habetur. *Seneca de beata vita c. 2. Cum de beata vita agitur, non est, quod mihi illud discessionum more respondeas, hæc pars major esse videtur. Ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est.* Phocion cum ipsius sententia communi ad plausum reciperetur, ad amicos conversus dixit: ἢ δὴ πικρόν τι λέγων ἑμαυτὸν λέληθα; Numnam mihi imprudenti aliquod pravum dictum excidit? *Plutarch. apophth.* Idem de liber. educ. τὸ πολλοῖς ἀρίστων, τοῖς σοφοῖς ἔστιν, ἀπαρίστων. Vulgo place-re est: sapientibus displicere. Testimonium mihi præbet Euripides his verbis: Ad turbam ego verba facere sum imperitior, Inter sed æquales paucosque doctior, οἱ δ' ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μισθικώτεροι λέγειν. Qui inter doctos nil valens, Grator apud vulgum est eorum oratio. Eoque qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditi videntur. *Quintil. Inst. Or.* l. X. c. 7. Et τῶν ἔχοντι ἐλίξοι ἑμμε- τις πολλῶν ἀφροῶν φοβερότατοι. Cordato pauci prudentes magis sunt formidandi, quam multi insipientes. *Plato in Convivio.* Add. *Valer. Max.* l. 3. c. 7. §. 1. ext. *Dio Chrysostomus de Ilion. capto:* τὸ πισυέει πολλὴν χερόν ὑπὸ ἀνδρῶν ἡλιθίων, ἢ δ' ἐν ἔστιν ἰσχυρόν. Aliquid credi multo tempore ab stolidis hominibus nihil habet roboris. Enimvero isthuc ad expedienda negotia in concilio aliquo, cujus membra æquali jure pollent, adplicari nequit. Quis enim heic judicium feret, utra sententia sit prudentior? Non sane ipsæ partes dissidentes. Neque enim in propria causa pro arbitrio sese ingeren-

tem is, qui in diversam abit sententiam, admittet. Et quotusquisq; est, cui non sua magis prudentia, quam aliena placet? Imo quam multi sunt, qui ideo tantum vel optimam sententiam obrectare gaudent, quia ipsi autores non fuerunt? Nec facile est istas lites tertio decidendas concedere; cum ipsius quoque arbitri prudentia aut integritas facile in controversiam vocari possit, ut ad hanc discutiendam alio arbitro opus sit. Quid quod plerumque istæ res ita sunt comparatæ, ut commode ad arbitros extra societatem deferri nequeant. Igitur commodissimum visum, ejusmodi inire rationem, quæ nihil difficultatis, aut obscuræ haberet disceptationis: qua nulla expeditior inveniri potest, quam ut sententiæ numerentur. *Plinius Panegyri. Melius omnibus quam singulis creditur. Singuli enim decipere & decipi possunt: nemo enim omnes, neminem omnes sefellent.* Et cui in concilio aliquo suffragium conceditur, in eo tantum inesse prudentiæ judicatur, ut sufficiat perspicendis negotiis, quæ ibi disceptantur. Id quod saltem de illis conciliis obtinet, in quæ non sine delectu aliquo homines admittuntur. Neque semper consultum foret, si v. g. præsidi concilii hæc daretur potestas, ut is suo suffragio posset declarare, quænam sententia melior sit. Data enim hac potestate licebit ei partem minorem anteferre majori, imo licebit utramque eo obtentu, quod neutra bona sit, rejicere; & sic revera in talem præsidem summa rerum conferretur. Sic uti absoluti Principes etiam minorem partem suorum consiliariorum sequi possunt; imo & diversam ab iisdem sententiam sequi.

§. 16. Est tamen circa pluralitatem suffragiorum observandum, in quibusdam conciliis non sufficere, ut uno aut paucis suffragiis sententia prævalitura alteram superet; sed alicubi certo numero una sententia alteram excedere debet. Sic in *cap. 6. X. de electione & electi potestate*, ille demum Pontifex fieri jubetur, quem duæ tertiarum partes Cardinalium elegerint. Idem circa electionem & decreta decurionum obtinuisse adparet ex l. 3. 4. *D. quod cujusque universi nomine.* & l. 45. *de decurion. Prudentius l. 1. contra Symmachum: Sic consulta Patrum subsistere conscriptorum. Non aliter licitum præscò sub tempore, quam si Tercentum sensisse senes legerentur in unum. Servemus leges patrias, infirma minoris, Vox cedat numeri parvaq; in parte silescat.* Ap. *Andr. Maurocenum hist. Venet. l. 17.* Scito, quo Jesuitæ ditione Venetorū ejiciuntur, adjicitur hæc clausula, ut illi Scito non derogaretur, nisi præsentibus 180. Senatoribus, & consentientibus quinq; senis partibus.

Hhh hhh 2

Ubi

Ubi tamen hoc ita peculiariter definitum non est, pro majore, & universis æquivalente parte reputabitur, quæ alteram etiam uno suffragio superaverit. Add. *Grotius* l. 2. c. 5. §. 17. & in *annotat.* & *Bæcler.* ad d. l. item l. 17. §. 6. D. de *receptis*. Frustra opponitur *cap. quod omnes, de reg. jur. in VI. Quod omnes tangit, id ab omnibus ad probari æquum est.* Nam inde non sequitur; ergo iniquum est, ut ob commodiorem rationem expediendi negotia pauci dissentientes debeant cedere pluribus. Deinde regula illa non pertinet ad societates seu concilia, quibus publicæ res sunt administrandæ; sed ad societates privatas, quæ pacto tantum, aut conjunctione ad ejusdem rei possessionem constant. Qualis sane conjunctio confortibus non dat jus, ut uno invito aliquid in re communi statuant, quod iste in detrimentum suum vergere credit. Ex quibus explicanda l. 11. D. de *serv. præd. rust.* & l. 28. D. *communi dividundo.* Quod autem in d. c. 6. X. de *elect.* & *el. potest.* additur, quod ibi de duabus tertiis partibus in electione Pontificis constituitur, non debere præjudicare aliis ecclesiis, in quibus majoris & *sanioris* partis sententiæ debeant prævalere; ejus ratio est, quod per superiorem, nempe Pontificem, (ex istorum hypothesi) possit declarari, quæ pars *sanior* sit, si super eo dubium oriatur. Ergo *sanioris* partis, nî eadem & major sit, ratio haberi non potest, nisi ubi ad superiorem provocatio patet. Add. *Gratianus* c. 36. *distinct.* 63.

§. 17. Quod si pares sint sententiæ discrepantes, nihil agetur, sed res in priori statu manebit; quia ad mutationem non satis est momenti, & par utrinque pondus æquilibrio velut rem suspendit. Hinc & in judiciis, ubi pares sunt sententiæ, reus absolvitur. Et si nec hoc in casu si quæ constitutæ sunt in calumniatores aut temerelitigantes poenæ, locum videantur habere. *Quintilianus declam.* 254. *Pares sententiæ periculo profunt.* *Antiphon orat.* XIV. τὰ ἴξισι γινόμενα φεύγοντ' ἢ εἰς ἄλλοις ἢ διώκοντ' ἄπειρα γὰρ καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀειθμὸς ἴξισι γινόμεν' τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελῆ ἢ τὸν διώκοντα. *Quæ aequalia sunt, magis reo quam actori profunt; quando & calculatorum numerus par cum sit, reum magis quam actorem juvat.* Add. *Aristoteles problem. sect.* 29. c. 13. l. 39. D. de *re judicata.* M. *Seneca* l. I. *controv.* V. *Alter judex damnat, alter absolvit; inter dispares sententias vincat mitior.* Quod jus Græci vocant *calculus Minervæ.* De quo videatur peculiaris *dissertatio Bæcleri.* Quanquam apud Ebræos ne tunc quidem reus damnatus censebatur, si judices damnantes eos, qui absolvebant, uno dunta-

at suffragio vincerent. Cujus rei ratio sine dubio hæc erat, quod cum pari religione iudices debeant pronunciare, quo testes; igitur uti unus testis ad convincendum, ita nec unus iudex ad condemnandum satis momenti afferret. Nam cæteri iudices contradictoria statuentes auctoritatem suam velut mutuo destruxerant. Addendum & hoc, ubi sententiæ feruntur curiatim aut tributim, illos pauciores, qui in aliqua tribu per majorem partem vincuntur, aliarum tribuum dissentientium numerum augere non posse.

§. 18. Denique quando plures, quam duæ sententiæ extiterint, quæstio est, an singulæ scorsim sint numerandæ, ut illa vincat, quæ plura, quam cæterarum singulæ, suffragia habuerit, an vero duæ pluresvè, discrepantes licet, conjungi possint ad vincendam tertiam, qua elisa & ipsæ postea inter se comparentur, ut demum illa vincat, quæ ex posterioribus plura suffragia habuerit? Heic, si meram æquitatem naturalem, citra pactiones aut leges speciales, respiciamus, distinguendum videtur inter sententias, quæ totis rebus differunt, & illas, quarum altera partem alterius continet, seu quæ tantum quantitate differunt; ut hæ conjungendæ sint in eo, quo conveniunt, illæ non item. Sic qui in XX. condemnant, & qui in X. conjunguntur in X. contra sententiam absolventem, & reus condemnabitur in decem, quia in hoc major pars iudicum convenit, cum in XX. etiam X. comprehendantur. Quo spectat l. 38. §. 1. *D. de re judicata*, & l. 27. *D. de receptis*, & cap. 1. *de arbitrâ in VI.* Ubi nequidquam à decisione d. l. 27. *Grotius in spars. flor.* discedit, dum in decem condemnandum putat reum, quia in hanc summam major pars consensit, rejecto in quo discrepabant. Nam in quinque omnes consentiunt. Majore autem parte tunc statur, quando aliqui dissentiunt. Hinc & in senatu Romano moris erat, ut si quis senator sua sententia duo complexus esset, quorum unum probabatur, alterum non, juberetur *sententiam dividere*. Vid. *Cicero epist. fam. l. 1. ep. 2. Seneca epist. XXI. Quod fieri in Senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo: cum censuit aliquis, quod ex parte mihi placuit, jubeo, illum dividere sententiam, & sequor.* At vero si v. g. aliquem reum pars iudicum releget, pars morte multet, pars absolvat: sane neque illi, qui relegant, conjungi poterunt cum his, qui mortem decernunt, contra absolventes; nec hi, & relegantes contra mortem decernentes. Nam illæ sententiæ plane inter se sunt diversæ: quia

Hhh hhh 3.

utiq;

utrique in morte non est relegatio, nec relegatio est pars mortis. Ac licet absolventes & relegantes in hoc conveniant, quod reus non sit necandus; hoc tamen directe non efficit ipsorum sententia, sed duntaxat per consequentiam. In se autem revera sunt diversæ. Nam qui absolvit, reum omni pœna liberat; qui relegat, pœnam utique decernit. Vid *Plinius* l. VIII. *epist.* 14. *Polybius excerpt. legat.* 129. refert, cum quidam Achæi Romæ captivi tenerentur, & quid iis fieri placeret, ad senatum esset relatum, tres sententias extitisse, quarum una dimittendos censebat, altera damnabat, tertia ad tempus retinendos censebat; ita tamen ut sententia absolvens duas reliquas separatim sumtas numero vinceret. Hic Prætor Posthumius, qui tunc Senatum habebat, Achæis iniquior, versutia in ipsorum fraudem usus est. Cum enim discessio facienda foret, Prætor una sententia prætermissa, de duabus tantum perrogavit, hoc modo: *qui evocatos sentitis dimittendos*, in hanc partem, *qui alia omnia*, in illam partem ite. Sic accidit, ut qui retinendos in præsentia censuerant, iis se adjungerent, qui absolvendos negabant; & ita hi prævalerent illis, qui dimittendos censebant. Apud *Gellium* l. IX. c. 15. argumentum controversiæ tale proponitur: *De reo septem judices cognoscant, eaque sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Quum septem judices cognovissent, duo censuerant reum exilio multandum, duo alii pecunia, tres reliqui capite puniendum. Petitur ad supplicium ex sententia trium judicum, & contradicit. Qui casus tanquam* ^{anagog} seu inexplicabilis tunc fuit propositus. Idem argumentum habet *declamatio* 365. apud *Quintilianum*. Ubi inter alia recte dicitur: *Non idem sentientes non potes jungere. Idem sentientes compara.* Vid. quoque argumentum *declamationis* 30. apud *Libanium*. Apud *Heliodorum Æthiop.* l. 1. Cnemon à mille septingentis ad mortem, à mille exilio damnatus dicitur. Quia tamen illorum aliqui lapidibus reum obruendum, alii in barathrum mittendum censuerant, mille isti exilium decernentes majorem numerum efficiebant. Add. *Cujacius Obs.* XII. cap. 16. & *Ziegler. ad Grot.* l. 2. c. 5. §. 17. Id quoque monet *Grotius* d. l. §. 22. quando plures inter se non proprie dictam universitatem constituunt, sed tantum intuitu certæ rei invicem connectuntur, de qua non omnes æqualiter participant; tunc non tantum ordinem sumendum ex modo participationis, sed & sententias æstimandas ad proportionem geometricam. Quo spectat l. 8. D. *de pactis*.

l. 14. D. de depositi. l. 16. D. de reb. aut. jud. possid. Ubi tamen observandum, cum talis societas tantum fundetur in re aliqua communi, & non in ejusmodi pacto, quo proprie universitas constituitur, & quo quisque suam voluntatem voluntati majoris partis subjecit; ita quidem prævalere votum ejus, qui majorem in eare portionem habet, voto illius, qui minorem portionem habet, ut tamen ille hunc per suffragium suam nequaquam jure suo possit exuere, aut eidem præjudicare. Atque sic intelligitur, quid civitas velit, ubi summa rerum penes plures uno est.

§. 19. Illud autem manifestum, ad ejusmodi concilium, in quo de communibus rebus deliberandum, & statuendum est, minimum tres homines requiri. Vid. *l. 85. D. Verb. signif.* Si enim duo duntaxat fuerunt, ubi eos dissentire contigerit, nemo præterea adest, qui alterutrius sententiæ momentum possit addere. Unde eo casu nihil expediri posset. Vid. *c. 1. X. de arbitris.* Neque obstat, quod etiam duo v. g. Consules, collegæ vocentur. Nam eo vocabulo sæpe paritas duntaxat muneris notatur. Vid. *l. 173. D. de verb. signif. l. 14. D. de admin. tut. l. 101. D. de solution.* Sicuti & apud Latinos autores dicitur *Collegium Tribunorum*, in quo tamen unus suo dissensu reliquorum decretum poterat irritum facere. Neque semper, qui collegarum nomine se invicem salutant, tale concilium constituunt, in quo voluntates omnium pacto aliquo in unam voluntatem coaluerint. Sed contingere potest, ut inter plures sit societas, in quo tamen singuli suam retineant voluntatem, ab aliorum voluntate hautquidquam dependentem. Unde ad rem nihil facit, quod contractus societatis inter duos iniri possit. *L. 7. §. 2. D. quod cujusque universit. nomine*, non illud vult, quasi collegium ab initio possit ab uno constitui; sed quod, deficientibus casu aliquo reliquis membris, jam constitutum ab uno ad tempus possit conservari, quousq; alii in locum cæterorum surrogentur. Absentium autem regulariter in ejusmodi conciliis non habetur ratio, ubi legitime vocati fuerint; (vid. *c. 36. X. de electione & electi potest.*) sed jus eorum præsentibus velut accrescit. Quo possis adplicare illud *Seneca excerpt. controuv. VII. 4. Quotiens duobus est communio, potestas ejus tota fit, qui præsens est.* Putaverim tamen, id restringendum ad quotidiana negotia, & quæ moram non ferunt. Sicut & hæc exceptio est; nisi præcise certum numerum collegarum leges requirant. Vid. *l. 3. D. quod cujusque univers. nomin. l. 45. C. de*

C. de

C. de decurion. Alicubi absentes vices suas præsentibus delegare, & per eos, vel scripto quoque suffragium ferre possunt. Vid. *cap. 46. de electione & electi potestate* in VIto.

§. 20. Denique civitate ita constituta, ille, in quem imperium est collatum, prout est vel unus homo, vel unum concilium pancorum, aut univerforum, monarcha, senatus, aut populus dicitur; reliqui subditi cluent. Ubi observandum est, duplici modo aliquem civitatis cujuspiam membrum fieri, pacto nempe expresso, aut tacito. Scilicet quia civitates ab initio constituerunt, non sane hoc censentur egisse, ut illæ singulis, qui ab initio eas constitutum ibant, extinctis, simul extinguerentur: sed potius longa atque aeterna sibi commoda per eandem obtinenda ob oculos posuerunt, quibusque adeo ipsorum liberi ac tota posteritas gauderent. Igitur hoc quoque simul egisse censendi sunt, ut liberi ipsorum posterique, statim atque nascerentur, commodis atque emolumentis communibus civitatis gauderent. Quæ cum sine imperio, quo civitas velut animatur, obtineri nequeant, eo ipso quoque omnes, qui in civitate nascuntur, imperio isti sese subjecisse intelliguntur. Inde est, quod qui semel imperium in aliqua civitate acceperunt, non necessum habeant denuo sibi expresse subjectionem à recens subnata sobole stipulari, ut omnes illi sint extincti, qui initio imperium in ipsum contulerant. Deinde cum quælibet civitatum certam orbis terrarum partem infederit, in qua cives se ac fortunas suas in tuto collocarent; quarum securitas facile periclitatura esset, si quibuslibet ibi liceret versari, qui civitatis imperium non agnoscerent: igitur omnium civitatum communis lex intelligitur, ut, qui sese in alicujus civitatis ditionem contulerit, multoque magis si ejusdem commodis frui velit, naturalem suam libertatem abdicasse, ac imperio ejusdem civitatis, saltem quousque ibi degere placet, subjecisse se judicetur. Quod si hoc agnoscere nolit, hostis numero habeatur, saltem hætenus, ut extra fines civitatis expelli jure possit. Sicuti & illud manifestum est, non minus imperio civili subijci, qui civitati constitutæ post accedunt, quam quorum coitione ab initio civitas fuit constituta. Est denique & illud hæc monendum, circa definitionem *civis* quibusdam eruditis parum convenire. Equidem *Hobbeso de cive* c. V. §. II. *subditus & civis* detur æquipollere. Quo modo foeminae, pueri, & servi cives forent. Mihi videtur, cum civitas constituatur ex submissione voluntatum uni homini vel concilio facta, cives primario illos esse, quorum

pactis

factis civitas initio coaluit, aut qui in horum locum successerunt. Id quod cum fecerint patresfamilias, igitur his præcipue civium nomen competere judicaverim; foeminis autem, pueris & servis, quorum voluntates jam sub voluntate patrisfamilias continebantur, non nisi consequenter, quatenus & ipsi communi civitatis protectione, & quibusdam juribus eo nomine fruuntur. Inquilini autem, peregrini, & similes temporarii incolæ cives non sunt; quia morari tantum ad tempus, non autem stabilem securitatem ac fortunarum sedem ibi quærere volunt. *Definitio Aristotelis Polit. l. 3. c. 1.* qua civem metitur τῷ μετέχον κείσως καὶ ἀρχῆς, *participatione judicii & magistratus*, ad democratas duntaxat quadrat. Sicut & Ipse subjungit; ὡς καὶ τὸν πολίτην ἴτερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν κατ' ἐκάστην πολιτείαν. *Itaque civem pro singulis rebus p. alium esse oportet.* διότι οὗτοι λέγονται ἐν μὲν δημοκρατίᾳ μάλιστα ἐστὶ πολίτης, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἐπιτίχεται μὲν, ἢ μὴ ἀναγκαῖον. *Quæ re explicatus* seu hoc modo definitus, *maxime quidem in democratia est civis: in aliis vero rerump. formis contingere quidem potest*, ut magistratum & judiciorum sit particeps, *non tamen id est necessarium.* *Idem polit. 3. cap. 8.* ἐπεὶ πλείους εἰσὶν αἱ πολιτεῖαι, καὶ εἶδη πολιτῶν ἀναγκαῖον εἶναι πλείω. *Cum plures sint respublica, plura quoque civium genera esse necesse est.*

§. 21. Civibus porro in plerisque rebus publicis duo præcipue accidere animadvertimus vincula peculiaris, per quorum unum quidam ipsorum in peculiaris corpora, civitati tamen subordinata, coalescunt; per alterum à summis imperantibus in partem aliquam regiminis publici adsciscuntur. Corpora illa civitati subordinata, sive collegiorum, sive societatum, aut quocumque nomine veniant, possunt dividi primò in ea, quæ civitates antecesserunt, & quæ post eas constitutas provenerunt. Corpora civitate antiquiora sunt familiæ, in quibus quid imperii & juris fuerit patribus familiæ, supra expositum fuit. Ex quo jure illud ipsis superest, quod per naturam civitatis, aut per leges civiles, publicosque mores ipsis non est ademptum. Eorum, quæ post civitates constitutas orta sunt, quædam possunt vocari publica, quædam privata. Publica sunt illa, quæ autotate summi imperii civilis constituta sunt. Privata autem, quæ vel ipsorum civium conventionem coaluerunt, vel ab extranea aliqua autoritate dependent, quæ in civitate aliena non nisi pro privato aliquo jure aut conatu haberi potest. Privata corpora sunt iterum

vel legitima vel illegitima, quorum illa civitati probantur, aut probari debent; hæc serius. Dico *probari debent*. Nam si in aliqua civitate, ubi cuitus divinus depravatus est, aliqui sensu veræ religionis imbuti suos coetus privatim habeant absque turbis, & machinationibus in statum publicum, ut ut summi imperantes improbent, quicquid à sua persuasione alienum est: tamen illos coetus nemo illegitimos dixerit, cum ipsi summi imperantes teneantur eam veritatem agnoscere & probare. Sic si in barbara civitate, ubi omnis literarum cultus publice spernitur, aliqui privatim coeant sapientiæ inquirendæ causa; sane nemo horum collegium illegitimum pronunciaverit. Utraque sunt vel regularia, vel irregularia. Lila sunt, ubi juxta eerta conventa voluntas omnium unita est: hæc autem, ubi non tam unio voluntatum, quam vinculi expers consensus aut conspiratio deprehenditur, ex communi aliquo affectu, puta, spe, cupidine lucri, vindictæque, ambitione, ira, & similibus orta.

§. 22. Circa omnia corpora legitima observandum, quicquid juris illa habeant, & quicquid potestatis in sua membra, id omne à summa potestate definiri, & nequaquam huic posse opponi aut prævalere. Alias enim si daretur corpus, limitationi summi imperii civilis non obnoxium, daretur civitas in civitate. Unde si aliqua civitas ex pluribus corporibus absolutis & independentibus coaluit, necessum fuit ista de priori sua potestate & jure tantum remisisse, quantum ad indolem civitatis necessarium fuit; cum alias sine suo, quem sibi proposuerant, excidissent. In civitate autem jam constituta videndum est, quid agere voluerit summum imperium, ejusmodi corpus fundando aut adprobando. Si enim expressis verbis absolutum & independens jus circa certum genus negotiorum, statum civitatis spectans, eidem contulit & confirmavit, sane parte sui imperii sese abdicavit, ac civitatem fecit irregularem & bicipitem. Quod nisi summa necessitas subigat, nemo sanus fecerit. Ubi autem summus imperans potestatem suam illibatam & integram retinere voluit, necessum est, ut istud corpus subordinatum sua jura ita temperet, ne summo imperio præjudicet, nec ullas extensiones aut consequentias necet, quæ hæc spectent, ut id non amplius eidem sit subordinatum. Quo pacto autem istiusmodi corporum potestas sit circumscripta, ex literis, quibus quodvis fundatum aut confirmatum fuit, est cognoscendum, vel etiam ex communibus civitatis legibus, quæ omnes & singulos cives obstrin-

LIBRI VII.

obstringere censentur, in quantum expresse istis non fuit derogatum. Unde consequitur, si administratio istius corporis sit collata in unum hominem, quicquid ille egerit juxta foundationem, aut leges civitatis communes, id habebitur pro actione totius corporis. Sed extra illa quæ agit, ea propria ipsius est actio, quæ cæteros non tangit, & de qua ipse solus rationem reddit. Quod si autem regimen ejusmodi corporis sit penes coetum ex pluribus constantem, ubi ab ipso aliquid contra leges & foundationem actum fuerit, soli illi eo nomine pœnæ sunt obnoxii; qui consenserunt, dissentientes aut absentes innocentes sunt. Quibus ad sui securitatem expedit protestari contra cæterorum decretum, & protestationem actis inserere, ne forte alienorum delictorum pœnis involvantur. Cum contra adversus decretum coetus independentis membro protestari non liceat, cum eo ipso summa ipsius potestas abnegetur. Circa debita autem ejusmodi corporum videndum primo est, cujus nomine ea contracta sint. Nam quod quisque ex membris suo nomine debere cepit, id non debet totum corpus. Nisi quod eo ad solvendum condemnato executio possit fieri non solum in reliqua ejus bona, sed & ea, quæ intuitu ejus corporis ad ipsum spectant. Quæ porro à Rectoribus corporis uno aut pluribus contracta sunt, juxta leges foundationis, ea totum corpus, ut tale, stringunt, ac nisi communia bona possideat id corpus, singulos pro rata. Nisi quod creditores, qui extra civitatem corporis istius sunt, ubi solutio abnuitur, quos ex eo corpore deprehendunt, non aliter eos tractent, quam si singuli sese obligassent in solidum. Sicuti & alias quivis civis pro alterius debito apud extraneos obnoxius est repressaliis. Ast quæ præter foundationis leges contracta sunt debita, illos solos onerant, qui expresse consenserunt, non autem eos, qui dissenserunt, nisi quantum facti sunt locupletiores. Atque id debitum, quæ communitatis opes non pertingunt, ex singulorum bonis, qui consenserunt, pro rata est exsolvendum. Sed si membrum pecuniam credat corpori, ut tali, non habet quod ulterius urgeat præter bona communitatis; quæ si non suffecerint, habet quod sibi imputet. Conf. *Hobbes Leviath. c. 30.* Quod si controversia oriatur alicui membro cum toto corpore, non corpus judex erit, sed civitas, cui corpus istud subest. Nam cum heic communis judex detur, inconveniens fuerit, in propria causa sententiam ferre.

§. 23. Corpora illegitima sunt, non ea tantum, quæ manifeste sceleris

lii iii 2

leris

reris causa coiverunt, uti sunt societates furum, mendicorum, Cingarorum, piratarum, latronum, &c. Sed etiam quævis conjunctiones inter cives, peculiaribus pactis firmatæ, absque consensu summorum imperantium inita, & fini civitatum repugnantes. Quæ conjurationum, aut factionum vocabulo venire solent. Quorum varius scopus est. Nam interdum isti factiosi summam rerum ad se trahere laborant; aliquando hac via negotia publica ad suum placitum & emolumentum dirigere instituant. Alii ex publico rem privatam augere student, alii impunitatem scelerum sibi ex factione quærunt. Imo etiam quæ plausibilem prætextum ostentant, puta defensionem, emendationem quorundam abusu, remotionem pravorum ministrorum, item quorum causa occultatur, suspectæ & periculosa sunt. Nam & invaditur id, quod curare penes rectores civitatum erat, & ubi factiosis suæ vires placuerint, facile in ipsam civitatem verti possunt. Otho apud *Tacitum hist. I. Vos quidem istuc pro me. Sed in discursu, ac tenebris, & rerum omnium confusione patefieri occasio etiam contra me potest.* Unde & multa per speciem factionis agere illicitum est, quæ in se alias nihil injusti habent. Sic supplicationem offerre imperanti, accusare aliquem, non illicitum est; sed facere id coetu magno coacto speciem factionis, & seditionis induit. Sic in legibus militaribus sub poena capitis interdici solet, stipendia coetu coacto flagitare. Add. *Actor. XIX. 39. 40. Hobbes de Cive c. 13. §. 12. 13. & Leviath. c. 30.* ubi legitima corpora *musculis* in corpore humano, illegitima *tuberibus, apostematibus, tumoribusque, à confluxu humorum noxiorum generatis*, comparat.

§. 24. Peculiari autem vinculo, præter illud commune omnes cives stringens, ne ctuntur summis imperantibus, qui ab hisce adsciscuntur, ad partem aliquam imperii ipsorum nomine & autoritate exercendam; ac ministrorum publicorum, magistratuumque vocabulo veniunt. A quibus diversi sunt ministri Principis privati, qui ipsi, ut cuicumque alii, circa negotia, quæ ut reliqui omnes exercent, inserviunt. Circa eos autem, qui summo imperanti, ut tali, ministrant, discrimen aliquod deprehenditur, quod quidam particulam aliquam imperii, munerisque rectorii exerceant, adeoque certo modo personam imperantis repræsentent, qui proprie & striete ministrorum publicorum nomine designantur: alii simpliciter negotiorum publicorum expeditioni & executioni inserviunt. Ad
priorem

priorem classem pertinent tutores & administratores regni, rege minorenni, aut captivo & mente moto; Præsides deinde provinciarum, urbium, districtuum; tum militiae terrestres & maritimæ; præfecti ærarii, qui juri dicundo, & exsequendæ justitiæ præsumunt, censores doctrinarum, Legati ad exteros, & si qui sunt alii. Ad alteram autem classem pertinent consiliiarii, quippe qui nullam imperii partem exercent, sed tantum quid sibi videatur imperanti exponunt; item qui aliam operam circa negotia publica ponunt, uti sunt scribæ, qui redditus publicos colligunt, asservant, aut erogant, milites item, & qui exercendæ jurisdictioni manus præbent, & si qui alii sunt; quorum ordinem & varietatem in quavis civitate cognoscere in proclivi est. Conf. *Hobbes Leviath.* cap. 30. & *Bodin.* de republ. l. 3. cap. 7.

CAPUT III.

DE GENERATIONE SUMMI IMPERII CIVILIS
SEU MAJESTATIS.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Summum imperium resultavit ex pactis, quibus civitas coaluit.</i></p> <p>2. <i>Id quod volente & probante Deo factum.</i></p> <p>3. <i>An majestas sit immediate à Deo?</i></p> <p>4. <i>Quibus rationibus id aliqui probare conentur?</i></p> <p>5. <i>Imperium civile non fuit productum per bella.</i></p> | <p>6. <i>An ex patrefamilias possit fieri princeps?</i></p> <p>7. <i>Quomodo, qui vasalli vinculo exsolvitur, majestatem accipiat?</i></p> <p>8. <i>An liber populus, aut monarcha, imperium in alterius manus resignans, efficiens causa majestatis sit?</i></p> <p>9. <i>Penes quem sit, tribueretitulum regium?</i></p> |
|--|--|

Videamus porro, unde summum imperium, quod in omni civitate existit, & quo velut anima illa vivit ac libratur, immediate & proxime producat. Ubi initio præsupponimus, ut imperium effectu suo potiat, requiri tum vires naturales, queis subjectus, si forte quod injungitur detrectare præsumserit, repræsentato aliquo malo possit cogi; tum titulum, ex quo jure aliis præstandum quid aut omittendum queat injungi; cui in istis respondet obligatio ejusdem jussis obsequendi. Horum

utrumque proxime ex pactis, per quæ civitas coalescit, promanat. Nam etsi vires suas naturaliter in alterum nemo transfundere queat: ille tamen vires aliorum possidere intelligitur, ad cujus arbitrium isti eadem adplicare tenentur, ita ut in ipsis non sit potestas resistendi, seu jussum ejus detrectandi. Alia quippe virium translatio inter homines non datur. Cum autem omnes, dum voluntates suas unius voluntati submiserunt, eo ipso sese obstrinxerint, quod velint non resistere, seu parere illi, vires & opes ipsorum adhibere volenti ad bonum publicum; adparet, summum imperium habenti tantas esse vires, ut quoslibet ad jussa sua adigere possit. *Livius l. 2. c. 59. Imperii vis omnis in consensu obedientium est.* Sed & illud ipsum pactum luculentum præbet titulum, quo imperium istud non violentia, sed ultronea civium subjectione & consensu legitime constitutum intelligitur. Hæc igitur est proxima causa, ex qua summum imperium tanquam qualitas moralis resultat. Posita quippe in uno submissione, & in altero submissionis acceptione statim provenit in hoc jus isti quid injungendi, seu imperium. Et uti per pacta jus ad rem nostram, ita & per submissionem jus circa libertatem viresq; nostras disponendi in alterum conferri potest. Unde v. g. si quis ultro sese in servitutem mihi pacto tradat, revera potestatem herilem in me confert. Adversus quæ imperite tritum illud: quod quis non habet, non potest in alterum conferre, occinitur. Sed ut peculiarem efficaciam & sanctimoniam nanciscatur imperium, aliud principium præter submissionem subjectorum accedere oportet. Eoque haut quidquam sanctitati summi imperii civilis aliquid detrahit, aut jure duntaxat humano, non divino quoque Principis imperare statuit, qui imperium proximè ex pactis resultare tradit.

§. 2. Id tamen extra dubium est, sanam rationem satis dictitasse, post multiplicatum genus humanum decus, pacem atque incolumitatem ejusdem subsistere non potuisse nisi constitutis civitatibus, quæ sine summo imperio intelligi nequeunt. Quo ipso etiam civitates, & summum imperium à Deo, tanquam legis naturalis autore, profecta censentur. Nam non ea tantum à Deo sunt, quæ ipse immediate, & citra ullum factum humanum, interveniens instituit: sed & quæ homines ductu sanæ rationis pro conditione temporum atque locorum recepere ad implendam obligationem, sibi abs Deo injunctam. Conf. 1. *Timoth. II. 2.* Et cum in magna hominum multitudine lex naturalis commode exerceri neque-

nequeat citra imperium civile; patet, Deum, qui istam hominibus injunxit, præcipere quoque, ut societates civiles instituantur, quatenus tanquam media excolendæ legi naturali inserviunt. Inde & Deus in sacris literis expresse id imperium probat, & pro suo agnoscit, ejusque sanctimoniam & venerationem severissimis legibus sancit. Num autem diserte Deus jussèrit heic & nunc civitatem constitui, non liquet. Nam præceptum Noachidarum de judiciis, quod forte huc trahi posset, certum tempus ac locum eorundem constituendorum non exprimit. Sic ut ejus sensus esse possit: judicia esse exercenda, ubi constituta fuerint. Nec multum abit *Bæclerus ad Grot. l. 1. c. 3. §. 6.* quando super origine summi imperii civilis ita tradit: *Summam potestatem non ab humano tantum factò, sed & à jussu divino & lege natura, sive tali factò humano, quo juri natura obtemperatumitur, arcessendum esse. Qui enim societatem præcipit, is societatis ordinem præcipit; societatis autem anima est imperium, & inter societates civitas perfectissima. Quæ recte sese habent, dummodo addatur: jussum divinum circa constituendas civitates sese exseruisse per dictamen rationis, quo homines intellexerunt, decus atque pacem, quam pro fine habet jus naturale, sine societate civili subsistere non posse; idque præcipue postquam genus humanum insigniter erat multiplicatum. Et hoc ipso civitas ab aliis institutis humanis differt, quæ itidem sana ratio introduci suavit, sed non ita, velut citra eadem decus, salus atque incolumitas generis humani servari nequiret. Circa quartum autem præceptum decalogi, quo obsequium erga imperium civile sancitur, observandum est: per illud non excludi causas proximas, quæ imperium productum fuit; sicut præceptum de furto non faciendo originem domini haurit quidquam excludit. Dei autem vice in terris fungi imperium civile gerentes, eo sensu, nî fallor, commode dici potest, quod quatenus pacem, bonumque ordinem in genere humano sola reverentia erga legem naturæ, ejusque autorem plene non præstabat, per imperii civilis vim iste jam finis producat. Quo sensu & sequentia plana sunt: Ergo ut civitas sit civitas, finemque suum consequatur, institutus à Deo lege naturæ ordo imperandi & parendi, in quo ex ipsa Dei voluntate & naturalis rationis dictamine aliquid summum sit, ac à nemine dependens, neminis arbitrio subjectum, Deo uni ut subditum, ita secundum & vicarium, quæ est summa potestas civilis.*

id ta-

Id tamen meri esse facti humani, an summam illam potestatem velint uni committere, an pluribus, & quibus seorsim modis statum reip. describere instituant. Grotii autem sententia super origine summi imperii l. 1. cap. 4. §. 7. non adeo profana est, quin addita dextra explicatione tolerari possit. *Homines, ait, non precepto Dei expresso, quale sane nullum extat, sed sponte adductos, non tamen citra dictamen rectæ rationis, placitumque Dei, experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, gliscente mortalium numero, in societatem civilem coisse: unde orta sit potestas civilis, quam ideo Petrus epist. I. c. II. 13. ordinationem humanam vocat, quasi proxime per homines constitutam.* Sed quod Grotius eandem alibi *divinam* vocari dicit, ideo, quia *salubre hominum institutum Deus probavit*: id haut quidquam sic admiserim, quasi consequenter & velut ex postfacto Deus constitutionem imperii civilis adprobaverit; sicuti servilem conditionem, quæ sine dubio humanum est inventum, sancire dignatus est. *Ephes. VI. 5. 6. 7. 8. Coloss. III. 22. I. Timoth. VI. 1. Tit. II. 9.* Sed omnino addendum, antecedenter homines potuisse voluntatem divinam intelligere, conditione multiplicati generis humani expensa: cujus salus uti extra civitates in vita segrege subsistere non poterat; ita mortales, dum ductum heic rationis, ad scopum legis naturalis congruentem, sequuntur, voluntatem divinam impleffe sunt censendi.

§. 3. *Isthæc quanquam sufficere judicemus tum ad originem imperii civilis consecrandam, tum ad pignorandam civium adversus imperantes venerationem: operæ pretium tamen fuerit expendisse, quid solidi subsit argumentis J. F. Hornii de civitate l. 2. c. 1. qui altius heic assurgendum contendit. Hic igitur ponit, causam civitatis non esse etiam causam reipubl. & imperii summi, adeoque admittit quidem, ipsas civitates per pacta constitui; sed contra asserit, imperium summum ab ipso DEO immediate in principes conferri, neque ad id producendum quidquam ab hominibus proficisci. Adeoque liberos populos, dum regem sibi ultro eligunt, non conferre in ipsum majestatem, sed tantum designare personam, in quam illa divinitus conferatur. Sicuti in plurimis municipiis electio magistratuum est penes ordinem; & tamen illi potestatem suam non ab isto ordine, sed à summo imperante obtinent. Quæ assertio etsi multis specie pietatis blandiatur; in aperto tamen est, per eandem*
convel-

convelli omnes conventiones, legesque fundamentales, quæ inter reges, ab subditos circa administrationem imperii ineuntur. Ubi primo ferri non potest, *illum majestatem* solis regibus tribuere, rebusp. liberis eandem plane detrahere. Equidem usus proximorum seculorum vocabulum majestatis inter solennes regum titulos se posuit. Nec minus tamen eodem summum imperium in quavis reip. forma notatum. Sicuti & definitio majestatis, satis je juna quidem illa, qua eam designat *summam potestatem in civitatem ubique* æque senatui, aut concilio populi competit. Et si in hoc aliqua regum sit præ eminentia, quod singuli ex senatu, aut concilio populi summo imperio subsint; cum regis persona in terris neminem superiorem agnoscat. Ipsa tamen vis imperii in subiectos in quavis reipubl. forma par utique existit. Hujus porro majestatis *Ille* unicam causam Deum laudat, qui *electione à populo facta eandem immediate in reges effundat*. Ubi fallor, an majestatem per modum qualitatis physicæ conceperit; id quod aperte faciunt, qui imperium civile *Dei creaturam* prædicant, *ut nulla alia creatura in pari aut superiore causa genere, neque ex principis secum natis quidquam ad institutionem hujus regiminis contulerit*. Quo ipso crassa rerum moralium ignorantia proditur. Nam illud argumentum, quomodo ex obscuro loco in solium proVectos repente inusitatus quidam splendor circumfulserit, qui non nisi divinitus oriri potuit; apud illos declamari debet, qui inania à solidis discernere nequeunt. Deo peculiariter curæ reges esse, ad thesin *Ipsius* probandam nihil facit. Et circa alios quoque, generi humano cum primis utiles futuros, providentia divina non minora velut specimina edidit. Neque pauci tamen reges venenum gemma biberunt, aut suorum insidiis ceciderunt. De temperamento quorundam regum, aliquod miraculi instar producere solito, medicos consulere optimum fuerit. Sed nec probant, quod *Iste* vult, pœna aut regum insolentium, aut subiectorum contumacium, & rebellium: aut testimonia, magno numero cumulata, quæ ipsa tamen non minus aristocratici, quam regii imperii autorem Deum agnoscunt; aut divinæ prædictiones circa gesta nonnullorum regum, quæ neque de populis liberis desunt. Et quod in populo Judaico factum, id de origine imperii regii in universum haut quidquam testatur; cum dudum ante institutum illud regnum plurima regna extiterint. *Quin* potius ad modum collati in hunc vel illum imperii certo in populo pertinet.

§ 4. Expendamus argumenta, quibus *Iste* probare satagit, omnes humanas causas longe inferiores esse producendæ majestati, rei augustissimæ. Inter quæ palmarium est; quod *cum neque singuli homines, neque multitudo dissoluta majestatem habeant, eandem non possint in regem conferre.* Atqui & fieri potest, & solet, ut qualitas moralis, qua classe imperium censetur, in alio producaturs conspiratione illorum, qui illud antea formaliter in se non habebant. Sic ut hi istius qualitatis causa productiva recte censentur. Vid. l. 46. D. *de acquir. rer. dom.* Sicuti & multorum voces invicem temperatæ harmoniam producunt, quæ in singulis non ex-
tabat. Inde probari non potest illud ratiocinium Socratis, quo Alcibiadem animare conabatur, ut in concionem populi prodire non dubitaret: *si singulos, inquit, contemnis, contemnendi tibi sunt etiam, si una sint congregati.* Ap. *Ælianum.* V. H. l. 2. c. 1. Et cum imperium resultet ex non-resistentia subjectorum, & concessione, ut imperans circa vires, opesque ipsorum disponat; facile adparet, in singulis velut dispersa latere semina summi imperii, quod per pacta combinantia excitatur & progerminat. Sic ut crassum valde sit negare, ideo summum imperium ab hominibus non sumere originem, quia in facultatibus hominis naturalibus illud non deprehendatur: prorsus quasi de qualitate aliqua physica ageretur; aut quasi præter physicas qualitates morales non darentur. Equidem nescio, an cordati ac iidem Christiani reges valde delectentur ejusmodi relogiis: *Deum transcripsisse principi jus regendi hominem, quod ipse vi creationis solus tenebat,* ita tamen ut Deus pristinum quoque suum jus adhuc retineat, & sic *per cumulationem, non per omnimodam abdicationem* potentiam regibus concesserit: & quibus aliis per contumeliam Divini Numinis fastigium principum extollere gaudent parasiti. Credas istos dubitare, num adhuc aliquod jus Deo in mortalium genus supersit post reges constitutos; & an hi istum superiorem ferre debeant. Sane imperium summum civile diversi plane generis esse ab imperio Dei, quod hic vi creationis obtinet, manifestissimum est; eoque absurde & blasphemè dicitur, *imperium Dei, quod ipse solus vi creationis tenet, ex singulari benevolentia hominibus communicari.* Deinde quando ulterius probare vult, majestatis immediatam causam esse solum Deum, distinguit inter *causam efficientem immediatam, & modum constituendi immediatum.* Nam majestatem dun-
taxat

taxat immediate à Deo constitutam contendit, ut reges plerique mediate sceptrum capebant. Unde separandas esse illas formulas: *Deus est causa majestatis immediata; & Deus immediate constituit principem, seu Deus confert immediate majestatem.* Nam tolerari posse, si quis dicat: Deus mediante seu intercedente populi suffragio, successione, occupatione confert majestatem. In quem sensum *Themistius* dicit *orat.* 16. μή οἴσθε τις στρατιώτας κρείς εἶναι τῆλεκάντης χειροτονίας, ἀλλ' ἀνοθεῖν αὐτὴν κατέσθην ἢ ψῆφῳ, ἀνοθεῖν ἢ ἀνάβρυσσις τελούται τὰς τῶν ἀνθρώπων διακονίας. *Neq; vero existimetis, vestra hujus electionis milites esse autores. E superis illa suffragatio descendit, è superis illa imperii renunciatio, hominum duntaxat opera accedente, perfecta est.* Sed in ipsa majestatis productione Deum non ferre aliam causam efficientem secundam, & proximam. Enimvero si quis penitus consideret, videbit, istos homines concepisse majestatem tanquam ens quoddam physicum, quod à Deo productum velut incerta sede, & sine subjecto per orbem vagetur, donec designato per populum regi superveniat, eumque Augusto suo splendore cumulet. Ubi sine dubio aqua hærebit, si quis importunius quærat; illa majestas, antequam in rege aliquo sedem inveniatur, substantia sit, an accidens; & si ad accidentium classem referatur, quomodo sine subjecto existere queat. Quo porro tempore creata sit illa; initio mundi, an postea? Item an una per universum orbem sit majestas, cujus particulæ in singulos reges sint distributæ; an singuli reges peculiarem & integram habeant majestatem; an rege defuncto, majestas simul pereat; an vero eidem superstes existat, velut anima à corpore separata, aut per quandam quasi metempsychosin novum apud regem receptaculum inveniens. (Add. quæ apud *Petrum Suavem. hist. concil. Trident.* l. 2. p. m. 213. de natura characteris sacramentalis disputantur; ubi Patres propter ignorantiam rerum moralium mire se torquent.) Enimvero de causa immediata majestatis seu summi imperii abstractivè sumti quærare ineptum est, cum illud nunquam nisi concretivè existat. Prorsus ac si peculiariter quærare velim de causa humanæ naturæ abstractivè consideratæ, cum de causa hominum concretivè sumtorum constet. Et cum *Hornius* utique populo relinquat potestatem, antequam ulli adhuc jus ad imperium sit quæsitum, quem & quando velint regem constituendi, aut quamlibet formam reip. introducendi; (vid. *Deuteron.* XVII. 14.) scire cuperem, quidnam circa majestatem futu-

rum esset, si omnibus populis aristocratico, aut democratico regimine uti placuisset. Equidem novimus, electionem proprie & presse esse modum imperium acquirendi. Sed quin uno & eodem actu & designetur certa per ton, & in eandem imperium, tunc primum existere incipiens, conf. ratur, nihil obitare videtur. Nam valde puerile est credere, in rebus moralibus, quando jus quodpiam, aut quævis qualitas moralis in alterum collata dicitur, necesse esse, ut eadem prius alicubi separata existat. Quin potius jura, & alias qualitates morales mutua voluntatum conspiratione per pacta resultare, in apico est. Conf. *Hobbes de Crue* c. 2. §. 4. & *supra* l. 3. c. 5. §. 2. 3. 4. Neque vero difficile est illum scrupulum removere; *populus si causa secunda majestatis est, debet à Deo accepisse potestatem, per quam imperium producat. Id autem factum probari non posse.* Atqui cum Deus mortalibus curam sui implantaverit, & pacis decorique ordinis conservationem f. s. dem injunxerit, simulque rationem dederit, ut media ad istum finem facientia possint dispicere, quæ inter principem locum obtinet constitutio imperii civilis: qui sultra dubitabit, hominibus facultatem istud constituendi divinitus concessam? Quæ passim *Iste* inculcat axiomata philosophica partim sublesta sunt f. l. ci, partim imperite à rebus naturalibus ad morales transferuntur; quæ sigillatim excutere nobis heic non vacat. Quæ *Ovidius Fastorum* l. V. super origine majestatis tradit, Poëtica commenta sunt.

§. 5. Nec minus *Idem* operosus est in confutandis eorum sententiis, qui ex diverso fonte imperia summa derivarunt. Ubi multa quidem recte se habent; quædam tamen censuram merentur. Illud recte, quod imperii summi originem bella, per ambitionem aut libidinem tyrannorum excitata, haut quiquam dederint. Nam *bella per tyrannos excitata*, civitates jam præsupponunt. Potuit tamen patribus familias sparsim viventibus complurium gliscens passim violentia, aliosque opprimendi libido occasionem dare, ut conjuncti civitates constituerent. Sed & illud patet, plerumque magna imperia, si non omnia, bellis sua debere incrementa. Neque tamen i. deo productio summi imperii bellis est assignanda. Nam scitem prima illa manus, quæ initio ad alios invadendos conspiravit, sponte in ducis imperium consensit. In illos autem, qui bello sunt petiti, non prius imperium legitimum fuit exortum, quam pacto & fide data obsequium victori promitterent.

§. 6. Non

§. 6. Non tamen adeo impossibile est, quia ex imperio patrisfamilias, complures sub se vicos habentis, summum imperium civile potuerit emergere. Equidem paternum imperium proprie ad educationem liberorum, herile ad rem quærendam spectat, neque per solam multitudinem liberorum aut servorum mutatur. Tantus tamen inter imperium patrumfamilias, & civile non est hiatus, ut ab illo ad hoc non pateat transitus, nisi nova majestas à Deo procreetur. Nam si paterfamilias, numerosa prole & servitio præditus, utrosque specie quadam emancipationis aut manumissionis suas sibi res habere, familiasque peculiare constitutere permittat ea lege, ut ad communem securitatem ipsius deinde regimini subsint; quid isti deinceps ad principis dignationem defuturum sit, non video, modo rantas habeat vires, quæ ad finem civitatis assequendum sufficientes. Isto autem mortuo, si quid ipse super successore disposuerit, saltem consentientibus filiis, id erit utique sequendum. Sin minus, velut per interregnum universi statuent, quo regimine aut rectore deinceps uti placeat. Ubi jus naturæ haut quidquam violabitur, si per libera suffragia etiam minor natu in parentis locum surrogetur. Vid. *Genes. XXVII. 29. 37.*

§. 7. Ulterius ostendere *Idem* conatur, ne illum quidem causam majestatis posse vocari, qui, cum ipse eam habeat, in aliquem sibi subiectum dignitatem regiam confert, remissio isti adversus se in posterum omni subjectionis vinculo, v. g. si rex vasallo suo vinculum remittat, & quod tanquam feudum obtinebat, ei ipsum tanquam supremum principem præesse concedat. At si quis civi suo provinciam conferat, ab omni deinceps subjectione exemptam. Nantejusmodi cessionem esse tantum modum consequendi imperium, & ad electionem posse referri. Sed penitius inspicenti facile patebit, unde tali in casu imperium proveniat. Sci licet rex vasallum, & subiectum ipsi feudum jure suo exsolvens, efficit, ut sit aliquis capax summi imperii, nec minus ut sint, in quos illud exerceri queat. Non enim potest ditio illa feudalis vasallo deinceps tanquam absoluto & independenti principi subesse, nisi à subjectione senioris plane exsoluta. Quo facto ipsum imperium summum revera à consensu populi provenit. Nam si iste senior propria auctoritate eam provinciam, in quemcunque velit, conferre potest, utique istam potestatem ab initio accepit, consensu populi ultroneo, aut per violentiam justu belli evicito.

Sed si senior propria id autoritate facere nequeat, in præsens expresso populi consensu opus erit.

§. 8. Denique ultimo loco *Idem* contendit, ne istum quidem populum causam majestatis in rege esse, qui, cum antea regimine populari uteretur, monarcham adsciscit. Neque enim prius conferri imperium in Monarcham, quam ubi suo se jure populus abdicaverit; eo ipso autem momento, quo populus sese abdicat, eundem imperium non habere: igitur ipsum duntaxat eligere, qui à Deo accipiens potestatem in posterum regnet. Sed eodem argumento possis negare, dominium ab uno transire in alium. Nam utique rei meæ non potest alius fieri dominus, nisi ego dominio me meo abdicavero. Quo factò, dominium ipse non habeo, & consequenter in alium transferre non possum: sed eligo duntaxat personam, in quam dominium, nescio ubi recens jam enatum, sit infundendum. Super ultronea autem abdicatione monarcharum ita censet: *provinciarum imperia abdicari, juratam fidem populis remitti; mox ipsam majestatem ad primum autorem redire, reducendam iterum, & communicandam designato heredi.* Hæc quidem est manifesta majestatis metempsychosis. Super qua ut verba faciamus, nemo cordatus à nobis postulaverit. Imo qui abdicat imperium, successori locum præbet, ut populus se submittendo ipsi conferre imperium queat; aut ut actu capessere possit imperium, ad quod decreto populi, successionis ordinem sancienti, jus ipsi jam datum fuerat.

§. 9. Hoc loco quoq; non inconveniens fuerit paucis inquirere, penes quem sit regium titulum & insignia in aliquem conferre, seu qualecunque nomen, quo summa & independens in civitatem potestas, uni homini inhærens exprimitur? Ubi manifestum est, conferre nomen & titulum esse penes eosdem, qui rem ipsam, seu summum imperium conferre possunt. Adeoque populus, qui vel ab initio in civitatem coit, vel relicta prioris forma reip. regnari deinceps vult, dum in unum imperium in se confert, eo ipso jus ipsi tribuit nomen & titulum regis gerendi, & insignibus decentibus fastigium suum exprimendi. Et ejusmodi rex uti nemini extraneo imperium & dignitatem suam debet; ita ut pro rege se gerat, & talis habeatur, non demum à consensu & adprobatione aliorum regum aut rerump. est obtinendum. Sed quemadmodum cum injuria est conjunctum ejusmodi regis imperium ab extraneo in controversiam vocari:

cari: ita & injurium foret, eidem titulum regium denegare. Neque obstat, quod iste modicis contentæ finibus civitati imperet. Nam regnum non notat certam quantitatem territorii, ac potentæ, sed certam speciem civitatis, quæ amplior aut angustior esse potest. Sed ut rex esse queat, qui antea alterius superioris imperium agnovit, necessum est, ut superioris consensus accedat, qui & ipsum, & ditionem ejusdem vinculo, quo antè ipsi tenebantur, exsolvat. Unde & qui nexu feudali stringitur, sine consensu senioris pro rege se non gerit. Et nî eo nexu solvatur, dignitatem regiam possidebit delibatam, licet nomen ex concessione Senioris usurpet. Sic & successores Alexandri M. non audebant prius regium titulum assumere, quam Alexandri familia extincta, cui jure competeat imperium. Et si ad hoc necessarius ipsis erat consensus subjecti populi, quem denegare copiarum militares, quibus stipabantur, non sinebant. Vid. *Cornel. Nepos Eumene, Plutarch. Demetrio Iustinus* l. XV. c. 2. *Appian. Alexandr. Syriaco. Diodor. Siculus* l. XX. c. 54. & 55. Sic qui armis ditionem aliquam subigit, uti jure belli imperium, ita & nomen regium sibi acquirere potest. Vid. *Iustinus* l. XLI. c. 4. 5. In regnum autem rex aliquam suam provinciam evahere potest, si à reliquo corpore ipsam plane separet, & peculiari, & independenti ab altero regimine ipsam gubernet. Cæterum Senatium quondam Romanum titulum regis & amici honoris loco tribuisse tralatitium est. Quod jure potuit fieri circa eos, quibus vel ipse regnum dedit, vel in quorum regna superius aliquod jus obtinuit. Sed aliis independentibus principibus titulum hunc imputare, insolens usurpatio erat. Qualem etiam Pontifex Romanus sibi arrogare non erubuit, etiam in liberis & independentes Europæ civitates. Vid. *Petrus Suavis hist. Concil. Trident.* l. V. p. m. 354. ubi memorat, qua ratione Paulus IV. Hiberniam in regni dignationem evexerit. Et *Thuan. hist.* l. 46. de titulo Magni Ducis in Cosmum collato.

CAPUT IV.

DE PARTIBVS SVMMI IMPERII, EARVMQVE
NATURALI CONNEXIONE.

- | | | |
|--|--|---------------|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Quo sensu summum imperium partes habere dicatur. 2. Potestas legislativa. 3. Potestas pœnas sumendi. 4. Potestas judiciaria. | <ol style="list-style-type: none"> 5. Potestas belli & pacis, idemque fœderum feriendorum. 6. Ius magistratus constituendi. 7. Ius tributa indicendi. 8. Examen doctrinarum. | <p>9. Ius</p> |
|--|--|---------------|

- | | |
|---|--|
| <p>9. Imperium fortius stringit quam partum.</p> <p>10. Quis proprie dicatur partem imperii habere?</p> <p>11. Coherentia partium summi imperii demonstratur;</p> | <p>12. Et illustratur.</p> <p>13. Et si multi illas partes separare velint.</p> <p>14. Inter quos & Grotius; qui examinatur.</p> |
|---|--|

Summum imperium civile, etsi in se unum quiddam sit, & indivisum; tamen quia per diversos sese actus exserit, prout occupatur circa diversa media, ad servandam civitatem necessaria, communiter plures habere partes intelligitur, ad analogiam partium, quas vocant, potentialium. Haut quidquam enim ejusmodi totum summum est imperium, quod ex partibus heterogeneis constat, quæ inter se conjunctæ, vinculoque aliquo nexæ in unum coaluerint, ita tamen ut seorsim quoque singulæ partes subsistere possint. Sed uti anima quidem unum est, in totum corpus vitam vigoremque dispensans, quæ, prout diversas operationes pro diversitate objectorum & organorum producit, partes habere potentiales concipitur. Ad isthoc instar etiam summum imperium, prout occupatur circa præscribendas generales agendi regulas, vocatur potestas legislativa, quatenus controversias civium ad eas regulas decedit, est potestas judiciaria; cum cives in externos armat, aut eosdem quiescere jubet, est jus belli & pacis; quatenus ministros sibi adsciscit circa negotia publica; jus magistratus constituendi dicitur; & sic deinceps.

§. 2. Quænam autem sint illæ partes summi imperii, ex natura civitatum, & earundem fine planissime perspicitur. Est civitas corpus morale, quod unam voluntatem habere intelligitur. Sed cum illa ex pluribus personis physicis constet, quarum cuique peculiaris sua voluntas, & inclinatio; illæ autem voluntates naturaliter in unam confundi, aut in perpetuam harmoniam temperari nequeant, inde una voluntas in civitate hoc modo producit, dum omnes suam voluntatem submitunt voluntati illius hominis vel concilii, cui imperium summum fuit delatum. Cum autem ad voluntatem civitatis singuli cives sese componere debeant, necessum est, ut illa hisce per liquida signa innotescat. Inde summi imperii esse intelligitur omnibus significare & præscribere, quid agendum sit, quidvè omittendum. Et quia impossibile foret in tanta hominum multi-

multitudine singulis, & circa singulas actiones peculiaria jussa promulgare; ideo generales regulæ præscribuntur, unde omnibus, & in perpetuum de agendis, omittendisve constet. Præterea quia maxima inter homines diversitas judiciorum & appetituum deprehenditur, ex qua infinita controversiarum seges oriri potest; inde pacis quoque interest publice definiri, quid cuique suum, quid alienum censi debeat, quid in civitate pro licito, quid pro illicito, quid pro honesto aut inhonesto habendum. Item, quid cuique ex libertate naturali superfit, aut quomodo cuique jurium suorum usus ad tranquillitatem civitatis sit temperandus.

§. 3. Porro civitatum is potissimus est finis, ut homines mutua conspiratione & ope tuti essent adversus damna, & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri possunt & solent; utque adeo pace fruantur, aut contra infestos idonea præsidia habeant. Paci autem id imprimis necessarium est, ut unusquisque in tantum contra cæterorum violentiam protegatur, ut secure queat vivere, i. e. ne justam habeat causam metuendi à cæteris, quamdiu ipse alios injuria non lacefferit. Equidem ut tuti præstentur homines à mutuis læsionibus, seu ut injuria lædi omnino nequeant, rerum humanarum conditio non fert. Sed ne probabilis sit metuendi causa, prospici potest. Et hæc securitas finis est, propter quem homines sese aliis subjiciunt. Quæ si non major habeatur ex conjunctione cum aliis, quam si quis propriis duntaxat viribus protegatur, stultum foret naturali libertati renunciare, in qua quilibet suo arbitrio defenditur. Enimvero ad hanc securitatem non sufficit, ut unusquisque eorum, qui in civitatem coalituri sunt, cum cæteris verbo aut scripto paciscatur, de non occidendo, non furando, aut alia noxa non inferenda. Manifesta est enim ingenii humani apud plerosque pravitas; & experientia nimis cognitum, quam parum valide plurimi homines sola fidei suæ reverentia ac sanæ rationis dictamine, in officio contineantur, ubi metum poenæ removeris. Quam ob causam etiam non sufficit, ut aliquis sit, qui agendorum regulas præscribat, si nihil præterea potestatis habeat. Quo possis adplicare illud *Columella de rustica* l. i. c. 3. *Imbecillio rem agrum, quam agricolam esse decet, quoniam si sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, dominum allidi.* Igitur ut homines & communia legis naturalis præcepta, & quæ peculiariter ad bonum civitatis statuuntur, observent, metu poenæ opus est, & facultate eandem repræsentandi. Quæ poena ut huic fini sufficiat, tanta

est constituenda, ut aperte majus malum sit leges violasse, quam observasse, & sic poenae gravitas delectationem aut lucrum, quod ex injuria capitur, aut speratur, superet. Non enim possunt non homines ex duobus malis, quod sibi minus videtur, eligere. Et sic aliena capita custodiunt meum caput. Et licet aliquos interdum temeritas, aut enormis animi commotio eo propellat, ut facinoris perpetrationem omissioni flagitii anteponant: tamen hoc inter minus frequentia habetur, quae evitasse conditio humana non patitur. Hac porro facultas poenas infligendi jussa imperantis transgressis eo ipso data intelligitur, dum virium suarum usum singuli civitati submitunt. Quo ipso sese obligant ad coercendos jussu imperantis noxios, aut saltem, quod defendere nolint eos, qui poenas daturi sunt. Nam ut quis sese obliget ad poenam citra reluctantiam tolerandam, id propter naturalem hominum aversionem ab iis, quae vitam nostram destruunt, frustra est. *Ceterum id recte Hobbes de civ. VI. §. 6.* quod amplio rem homini in hominem potestatem competere negat, quam hancce, qua quis aliis praescribere potest, quaecunque ex usu civitatis arbitratur, & ad ea observanda poenis detrectantes compellere. Verum dicto illi; *qui poenas suo arbitrio jure sumit, jure omnes cogit ad omnia, quae ipse vult;* limitatio est addenda ex fine civitatum; ut scilicet summum imperium habens non alia velle posse intelligatur, quam in quibus sana ratio a liquam convenientiam ad istum finem invenire potest.

§. 4. Praeterea quia etiam ubi accuratissimae leges sunt conscriptae, saepe numero controversia super recta earundem adplicatione ad facta singularia oriri solet; ac multa saepe expendenda occurrunt, si quid contra leges factum esse dicatur: inde utrique potestati jam dictae succenturriari intelligitur potestas judiciaria. Cujus est lites civium cognoscere & decidere singulorumque facta, quae legibus contraria arguuntur, examinare, ac poenam legibus convenientem dictitare. *Hobbes autem d. l. §. 8.* potestatem judicariam improprie videtur accipere; cum facultas judicandi de usu & exercitio alicujus patris imperii cuique parti inclusa intelligatur:

§. 5. Etsi autem isthoc modo securitati civium adversus concives cautum sit; hoc tamen nondum sufficit ad obtinendum civitatum finem. Nam frustra inter se pacem colunt, qui se contra externos tueri non possunt:

sunt: id vero efficere nequeunt, quorum vires non sunt unitæ. Quod enim multi uno sunt robustiores, id ex unione est. Alias enim vel mille separati uno validiores non sunt. Igitur ad universorum securitatem & salutem necessarium est; ut in civitate existat potestas, cujus sit congregare, unire, & armare tot cives, aut eorum loco conducere, quot pro incerto numero & viribus hostium ad communem defensionem opus visum fuerit; rursumque cum hostibus, ubi expedierit, pacem facere. Cum autem & pacis & belli temporibus inserviant foedera, ut & commoda diversarum civitatum melius communicari possint, & validior hostis junctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat: penes summum imperium erit, utrique temporis inservientia foedera inire, universosque subditos ad eadem servanda obstringere, simulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare.

§. 6. Cum vero civitatis negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia, ab uno homine sine ministris, & magistratibus subordinatis administrari, & executioni dari nequeant: opus quoque erit in civitate tali potestate, quæ homines constituat, qui controversias civium examinent, (vid. *Exod. XVIII. 15. Philo Iudæus de creatione principis. Ioseph. archæol. III. 3.*) vicinorum consilia expiscentur, milites gubernent, opes civitatis colligant, & dispensent, ac denique utilitati civitatis undiquaque prospiciant. Quæ ipsa potestas eosdem jam constitutos ad officium faciendum compellere, & gestorum rationes poscere potest. Add. *Bæcler. ad Grat. l. 1. c. 3. §. 6. p. m. 218.*

§. 7. Porro quia nec pacis nec belli tempore civitatis negotia sine sumtibus geri possunt: igitur in ea requiritur potestas, quæ in tales usus partem aliquam bonorum, aut proventum regionis à populo infessæ seponat, aut singulos cives adigat de bonis suis tantum conferre, quantum ad tolerandos sumtus requiri iudicatur; nec minus, si operæ civium requirantur, easdem imperet & exigat. Quo spectat etiam potestas alia media licita circumspiciendi, quibus opes civitatis augeantur. Inter quæ præcipuum est jus vestigalia imponendi mercibus, quæ importantur, & exportantur, ut & de pretio rerum quæ consumuntur, modicam partem decidendi.

§. 8. Denique etiam si intrinsicam voluntatis libertatem tollere,

simulque hominum de rebus judicia per intrinsecum aliquod medium in
 perpetuam harmoniam componere supra humanam sit facultatem: ut
 tamen isthæc, licet discrepantia, tranquillitatem civitatis non perturbent,
 omnino providendum est. Cum enim omnes actiones voluntariæ ini-
 tium habeant, & dependeant à voluntate; voluntas autem faciendi vel
 non faciendi dependeat ab opinione boni vel mali, præmii vel pœnz,
 quam sibi quisque conceperit ex facto vel omisso secuturam esse, adeoq;
 actiones omnium à suis cujusque opinionibus regantur: sane externis
 mediis opus erit, ut istæ opiniones, & judicia, quantum fieri potest, con-
 spirent, aut saltem, ne earundem discrepantia civitatem perturbet. Inde
 expedit, ut publice civitas ejusmodi doctrinis velut personet, quæ cum fi-
 ne & usu civitatum congruant, si mulque animi civium à puero istis im-
 buantur. Quippe cum plerique mortalium ita de rebus soleant sentire,
 prout assueverunt, & prout communiter judicari vident. Paucissimi ex
 proprii acumine ingenii, quid in rebus humanis solidi subsit, dignoscere
 valeant. Equidem nullum fere datur dogma, neque circa cultum Dei,
 neque circa scientias humanas, unde dissensiones, discordiæ, convicia, &
 demum bella oriri non possint. Idque non contingit propter dogmatis
 falsitatem, aut quod contrario ejus admissio, tanta incommoda in genus
 humanum aut civitates sint redundatura; sed propter ingenium homi-
 num, qui sapientes sibi visi, idem videri volunt omnibus, & in dissentien-
 tes vehementissime exasperantur. Quod facile agnosceret, qui vel obiter
 inspexit rixas cruditorum circa res titivillitii, non minori motu agitatae,
 ac si pro aris & focis pugnaretur. Verum hujusmodi dissensiones, quan-
 quam impediri non possint, ne oriantur; attamen ne turbent pacem pu-
 blicam, per summum imperium effici potest, pœna in conviciatores san-
 cita. *Plato de LL. l. XI. Nemo alicui convicietur. Sed quicumque cum alio
 de re quapiam ambigit, discat potius doceatque tam ambigentem, quam presen-
 tes, ita ut omni convicio prorsus abstineat. Cum enim sibi invicem verbis tur-
 pibus maledicunt, muliebres habentur: & imprimè ex verbis, quæ certe levissi-
 ma res est, odia gravissima & inimicitia sepe nascuntur.* Verum de hisce
 dogmatibus proprie sermo non est; sed de talibus, quæ, sive sub specie
 religionis sive alio modo obtrudantur, jus naturale, ac principia sanæ po-
 liticæ convellunt, adeoque exitiabiles morbos in civitate producere apta
 sunt. Neque exinde ulli veræ doctrinæ periculum est. Nam nulla ve-
 rado-

ra doctrina paci repugnat: & quæ paci repugnat vera non est, nisi etiam pax & concordia contrariæ legibus naturalibus dicantur. Igitur saltem ejusmodi doctrinarum examen, easdemque è civitate proscribendi potestas recte summo imperio civili tribuitur. Apud *Diogenem Laërtium* in *Theophrasto* Sophocles Amphiclidæ filius legem tulerat: *ne quis philosophorum præfesset schola, nisi id senatus ac plebs decrevisset; qui secus faceret, capitale esset.* Plato de LL. l. 7. *Nemo Poëta præter civitatis leges, & justa vel honesta, vel bona fingere quidquam audeat. Nec liceat qua composuerit, ulli privatorum ostendere, antequam constituti hac de re iudices legumque custodes & viderint, & adprobaverint.* Huc spectat præfatio *Casauboni* in exercitat. contra *Baronium*, & *Ejusdem* epistola ad *Frontonem Ducaum*, quæ est n. 624. edit. *Gravii*. Nec insuper habendum illud *Hobbesii* de *Homine* c. 13. §. 8. *Sunt libri scripti à Romanis civibus florente democratia aut recens extincta, nec non à Græcis florente rep. Atheniensi, tum præceptorum, tum exemplorum pleni, quibus ingenium vulgi regibus suis infestum redditur, idque ob nullam aliam causam, quam quod ab hominibus perfidis perpetrata flagitia in illis libris laudari vident, nimirum regicidia, si modo reges, antequam occidant, tyrannos vocent. Verum ingenium vulgi corrumpitur adhuc magis à lectione librorum, & auditione concionantium eorum, qui regnum in regno, Ecclesiasticum in civili esse volunt. Hinc enim pro *Cassio* & *Brutis* oriuntur *Ravalliaci* & *Clementes*, qui cum reges suos occidendo ambitioni in servirent aliena, Deo se servire arbitrabantur. Add. *Ejusdem* præfatio ad librum de *Cive* & *Leviath.* c. 21. ubi memorantur mala, quæ ex doctrina *Aristotelis* de libertate orta sunt; & *ibid.* c. 29. & 46. 47. Conf. *Hobbes* de *cive* c. 6.*

§. 9. Proximum est, ut ostendamus, partes illas summi imperii naturaliter ita esse unitas, & invicem velut implexas, ut si fingamus, earum quasdam independenter penes unum, quasdam penes alios esse, regularis forma civitatis plane destruat. Quæ res ut solide intelligatur, observandum est, duo esse potissimum vincula, quibus plurius hominum aut cœtuum voluntates connectuntur, ut in unum conspirent, pactum, & imperium; quorum hoc tamen illo longe fortius stringit. Qui solo pacto continentur, jure naturæ tenentur, ut sponte præstent id, de quo fuit conventum; manente de cætero naturali inter ipsos æqualitate. Quamvis autem utrinque conventa servantur, concordia & unio sic satis inter

ipfos potest subsistere. Ast ubi quis dolo malo à pacto resiluerit, juris quidem naturalis violati est reus; cæteris autem, quorum intererat pactum illud servari, nihil superest, quo violatorem in ordinem redigant, præter violentiam bellicam; qua sæpe non minus pollet, qui injuriam fecit, quam accepit. Sic inter æqualiter foederatos concordia est, quamdiu quisque, quod promisit, sponte præstat; ubi unius perfidia intervenerit, perit vinculum, & bello præbetur causa. Ex quo adparet, sola pacta non esse vincula sat valida, saltem ut plures in unum corpus morale diu colligentur; præsertim cum non semper pauciores & imbecilliores à pacto discedant in fraudem plurium & validiorum; sed etiam plures in fraudem pauciorum. Et licet ponamus, principali pacto aliud fuisse adjectum, ut cæteri omnes violatorem pacti quemcunque junctis viribus persequantur; tamen (præterquam quod inutile hoc erit, ubi plures simul à pacto discesserint,) nisi imperium democraticum inter socios sit constitutum, seu nisi illi, qui antea socii fuerant, in unam civitatem coaluerint, alio iterum pacto opus erit, quo modo sit coercendus ille, qui pacto isti adjecto stare detrectaverit; & sic in infinitum. Ast vero imperium longe validius est vinculum, quo plures in unum corpus queant colligari. Non enim qui eodem imperio continentur, manent æquales illi, penes quem est imperium, sed dum in unum hominem aut concilium confertur potestas præscribendi, malumque aliquod per modum poenæ repræsentandi illis, qui præscripta obire neglexerint, omnibus longe major incumbit obsequii necessitas, quam si solo pacto necerentur, quo æqualitas inter socios, & jus proprio ex arbitrio super rebus suis statuendi non forent sublata.

§. 10. Notandum & hoc, si qui statuere velint, partes imperii potentiales, quas vocant, in una & eadem civitate radicaliter & divisim esse penes plures personas aut concilia; id quoque admittant necesse est, ut is, cui aliqua pars imperii comperit, sit instructus potestate tum adigendi cives ad observanda ea, quæ ex vi istius partis statuuntur, tum illud jus suum defendendi, si quis idem invadere aut turbare velit, etiam ubi penes alterum est jus belli: & denique ut proprio ex judicio, & suo jure possit statuere, quo tempore & modo pars illa imperii sit exercenda. Nam quidvis potius, quam imperium est, habere duntaxat jus indicandi aliis, quid optes ab ipsis fieri, & tamen destitui potestate etiam reluctantes compellendi ad

di ad observandum id, quod significatum fuit. Et precario obtinemus, quod contra alterum defendere nobis non licet. Et minister est alterius, atque exsecutor duntaxat, qui jus aliquod alieno ex arbitrio exercet.

§. II. His positis facile adparebit, tantam esse inter omnes partes summi imperii conjunctionem, ut una ab altera non possit avelli, nisi regularis forma civitatis corrumpatur, & irregulare corpus resulet, male firmo duntaxat pacto cohærens. Nam si uni demus potestatem legislativam, alteri vim punitivam, utrique radicaliter & independenter; necessum erit, aut priorem esse inanem, aut posteriorem prioris ministrant, Leges quippe ferre, quas exequi nequeas, inane est. Et vires habere, queis alios cogere possis, sed non nisi ex alieno arbitrio adplicandas, ministri est, & nudi exsecutoris. Quod si autem & huic dederis cognitionem & iudicium de suarum virium adplicatione, eadem opera in nihilum redegeris potestatem legislativam. Ergo necessum est, ut utraque facultas ab una & eadem voluntate dependeat. Manifestum porro est, ab isthoc jure non posse separari jus belli & pacis, neque jus indicendi tributa. Nam nemo ad arma, nemo ad sumtus belli, pacisque cives jure potest cogere, nisi qui jure immorigeros punire potest. Absurdum porro fuerit, jus ferendi foedera, paci belloque inservientia, alteri assignare, quam cui de pace belloque statuendi jus est. Nam alias aut hic merus erit minister, aut alter circa comparanda media, juri suo exerendo inservientia, ab alieno arbitrio dependebit. Sic si alicui negotium quoddam velis committere, neque tamen eidem simul dederis potestatem constituendi, rationemque poscendi ministros, sine quibus id expediri nequit, revera & ipsum ministris parem feceris. Ergo potestas magistratus constituendi abs reliquis partibus summi imperii separari nequit. Denique & penes eandem erit examen doctrinarum, in primum earum, quæ ad finem civitatum aliquo modo spectant, & quæ in conscientias hominum efficaciam habet obsequio adversus summum imperium promovendo, aut impediendo. Si enim aliquis imperer facere sub poena mortis naturalis, alius persuadeat civibus, ipsos eo facto poenam mortis æternæ incurfuros, uterque suo jure, seorsim & independenter sibi competente; sequitur, non tantum cives etfi innocentes, pupiri jure posse, sed & in irregularem ac bicipitem statum dissolvetur civitas.

civitas. Neque enim quisquam duobus dominis servire potest: neque is, quem sequendum esse credimus metu damnationis æternæ, minus dominus est, quam cui metu mortis temporalis obeditur. Et jure regulandi doctrinas amissæ, animabuntur cives superstitioni ad rebellionem à suis ipsorum phantasiis. Conf. *Hobbes* d. 1. & *Leviath.* c. 29. & *J. F. Hornius* l. 3. cap. un. §. 3. Quænam de cætero summi imperii civilis in rebus publ. Christianis potestas circa sacra sit, aliis distinctius definiendum transmittimus. Add. cum primis *Grotius de Imperio summarum potestatum circa sacra*, cap. 1. Sicuti nec nunc vacat discutere illud *Philonis Iudæi de præmiis & pænis*, qui, cum ostendisset, Mosen eundem fuisse regem, legislatorem, prophetam, & pontificem, addit: *hæc cum ad idem genus pertineant, debent contineri coaptarique mutuis vinculis, & in eodem requiruntur homine, ut si cui quodvis desit horum quatuor, claudicantis reip. imperfectus princeps censendus sit.*

§. 12. Isthæc liquidius adparebunt, si qualescunq; species ejusmodi divisionis excutiamus. Sit ergo penes principem potestas belli & pacis, penes senatum jus leges ferendi, & judicia exercendi, penes concilium populi jus indicendi tributa. Hæc si rex cives ad arma vocet, & ipsi parere nolint, aut jus habeat rex eos pœnis per se cogendi, aut senatui judicandos tradere debet. Si prius admittamus, non patet, quomodo pœnas sit exacturus à civibus nondum militiæ adscriptis, qui non habet executionem legum. Si dicas, in hoc solo casu jus esse regi pœnas immorigeris imponendi, eadem opera jus regi das omnes cives pro libidine vexandi, adeoque cæterorum jura ad nihilum redigis. Ubi enim arma induere jusserit, ni paruerint, suppliciiis eos afficiet: ubi in expeditionem eduxerit, ratio disciplinæ militaris jus vitæ & nacis in ipsos illi dabit. Et nihil facilius duci, quam militem invisum perdere. vid. *Livius* II. 23. 32. 58. III. 10. 20. 24. IV. 1. 5. 58. V. 2. 10. & passim. *Diodorus Siculus* l. XIV. c. 73. *Curtius* l. VII. c. 2. *Polybius* l. 1. c. 9. Sin autem rex sacramentum detrectantes ad senatum adducere necessum habet, hic aut nude ex præscripto regis sententiam damnatoriam pronuntiabit, atque pœnam exsequetur, quod est contra hypothesin: aut super intentato civibus crimine quoque cognoscet. Quæ cognitio inanis est, nisi idem possit inquirere, ex usu reip. sit, nec ne, bellum jam à rege suscipi. Hoc modo jus regis in nihilum recidet. Quod si in ejusmodi statu invicem comparemus jus regis, & jus populi, eadem incommoda deprehenduntur.

LIBRI VII.

prehendemus. Sane enim, prout hodie bella geri inter plerosque populos moris est, *neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Tacitus H. IV. 34.* Ergo si regi non sit potestas ad tributa præstanda pro imperio cives adigendi, ipsius jus belli nihil aliud erit, quam nuda facultas suadendi civibus, heic & nunc commodum esse reip. arma sumere. Quod si autem populo non sit facultas cognoscendi, utile sit bellum, necnè, cui suscipiendo tributum sit conferendum; quid aliud hic habebit, quam laboriosum ministerium describendi & colligendi tributum? quorum utrumque est contra hypothesin. Neque melius res procedet, si alio modo partes summæ imperii distribuamus. Add. *Bodinus de republ. l. 2. c. 1. p. m. 287.* circa quem tamen non de nihilo est, quod monet *Arnisaus de republ. l. 2. c. 6. sect. 1. §. 56.* Usque adeo huc adplicari debet illud *Asinii Galli apud Tacitum A. l. 12. unum esse imperii corpus, atque unius hominis aut concilii animo regendum.* Illustrari hæc possunt exemplo animæ humanæ, cujus instar aliquod summum imperium in civitate gerit. Nam si fingamus, partes potentiales animæ rationalis, intellectum & voluntatem, esse separatim in diversis suppositis, quorum uni solus fuerit intellectus, alteri solo voluntas; neque homo dici poterit tale suppositum, neque humanæ actiones ab eodem erunt expectandæ, uno velut immobili semper torpente, altero tanquam cæco nequidquam fatagente. Quo facit epigramma in *Antholog. l. 1. πηδός, ὁ μὴ γυῖος, ἰσθ' ἀγ' ὀμμάσιν ἀμφοτέρω δὲ εἰς αὐτὸς τὸ τύχη ἐνδὲς ἡρανίσαν. Τυφλὸς γὰρ λιπύγυιός ἐπαμάδιος βίβος ἀγών, ταῖς κείνῃ φωναῖς ἀτραπὸν ὁρδοβάται. Unus luminibus captus, pedibus fuit alter: Alter ab alterius sorte levamen habet. Nam captum pedibus dum portat cæcus, ab illo Discit, quæ pedibus sit via recta suis.* Hi utique naturæ defectus utcunq; supplere poterant, quamdiu utrique mutuas tradere operas placuit. Post abruptum fœdus, orta que discordia, neque cæco, neque mutilo rectum carpere iter amplius dabatur. Unde si quis omnino partes imperii separare velit, haut quidquam regularem civitatem constituet, sed irregulare corpus, cujus membra, partes imperii separatas possidentia, non communi imperio, sed per conventionem duntaxat contingantur. Quo in coetu utcunq; concordia servari poterit, quamdiu singulorum sententiæ circa bonum publicum amice conspiraverint, & quilibet, quod ad hunc finem facit, ultro sit paratus implere. Ubi dissensio fuerit orta, nihil reliquum est, quam ut ad arbitros eatur, aut bello res disceptetur.

M m m m m

§. 13.

§. 13. Hæc quanquam manifestissima sint; dantur tamen non pauci, qui divisionem partium summi imperii propugnant, ut exinde nescio quas mixtiones rerum publicæ concinnent, quæ ubi rite temperatæ fuerint, felicissimam, si diis placet, temp. producere aptæ sint. Cui fini quidem *Aristotelis* autoritas nequidquam imploratur, qui *polit.* l. IV. c. 8. 9. de longe diversa mixtura, quam quæ ad divisionem partium summi imperii spectet, loquitur. Quo magis mirandum est, quosdam *Ejus* interpretes, & inter eos *Mich. Piccartum* ad d.l. de ista mixtura talia miscere, de quibus *Aristoteli* nunquam fortasse in mentem venerat. Qui etiam isthanc temperationem unice exoptandam, & expetendam jactat, *si rex habeat jus belligerandi, cudenda moneta, paciscendorum fœderum, imperandi tributa, distribuendi præmia; senatus ea occupet jura, qua prudentiam requirunt, puta leges ferat, & exsequatur, judicia publica procuret; denique plebs ea tractet, quorum rationem didicit, ararii publici rationes repetat, agris distribuendis præsit, creet magistratus, adificiis, viis publicis, aqua ductibus, rei frumentaria, & aliis reip. subsidiis præsit.* Sic neque id aliquam summi imperii divisionem arguit, si v. g. condemnare si penes senatum, liberare penes principem, vel populum. Sic enim princeps suo jure omnes potest absolvere, in quos alius sententiam damnatoriam dixit, hic sane nudi judicis pedanei partes sustinet, ejusque sententiæ ab isto firmitatem mutuabuntur. Unde satis adparet, si in aliqua civitate capitalia judicia sunt penes senatum, penes regem autem jus, quod vocant, aggratiandi, senatum revera à rege potestatem habere delegatam cognoscendi super criminibus, & sententiam legibus conformem pronunciandi; idque arcendæ à justitia gratiæ, & odio, derivandæque à rege invidiæ; radicaliter tamen jus vitæ & necis penes regem esse. Nonnulli in ipsâ potestate judiciaria divisionem aliquam comminiscuntur, si nempe rex habeat jus vitæ & necis in peregrinos solos, populus autem in cives. Sed si penes populum sint judicia in cives, tanquam penes pedaneos judicet, regis potestati nihil deedit. Sin radicaliter & independenter eadem obtineat populus, inane nomen habebit rex, & prætoris duntaxat peregrini munus exercebit. Nam quod de diverso monetæ genere additur, ineptius est, quam ut repeti debeat. *Arnisaus rel. pol.* l. I. c. 6. *sect.* I. valde hæc operosus est, & præter complura, quæ accurate observat, recte quoque rejicit

cit. spurias quasdam mixturæ species. Ad extremum tamen §. 57. nullam commodius potuit excogitare exemplum, quam ut regi tribuat jus belli & pacis, tributa imperandi, monetam cudendi, & præmia distribuendi; senatum circa judicia & provocaciones recipiendas occupari jubeat, eidemque reformationem morum per leges faciendam, & jus vitæ ac necis assignet; populo curam ærarii, & creationem magistratuum injungat. De quo exemplo ex jam dictis judicium ferri potest.

§. 14. Ipse quoque *Grotius* l. 1. c. 3. §. 9. 17. aliquid pro divisione partium summi imperii molitur. Ubi illud quidem recte, quod divisionem summi imperii inter regem & populum negat posse fieri hoc modo, ut simpliciter conveniatur; siquidem *bene* imperaverit rex, populum ipsi obtemperaturum; *sin male*, fore ut à populo in ordinem redigatur. Sed potius fines potestati utriusque assignari debuisse tales, qui ex locorum, personarum, aut negotiorum discrimine facile cognosci possent. Solam autem bonitatem & malitiam actus consistentem in adplicatione idonei medii ad salutem publicam, quæ sæpe obscuram habet disceptationem, aptam non esse ad partes distinguendas. Quippe ex quo summam oriri confusionem necessum sit, cognitionem de eadem re sub obtentu, bene aut secus circa ipsam à rege esse actum, hinc ad se trahente rege, inde populo. Sed & illud recte, non statim dividi summum imperium, si rex quædam jurato promittat populo, etiam talia, quæ ad rationem imperii administrandi faciunt. In reliquis vulgatum errat errorem. Ac divisionem quidem partium imperii uno modo fieri putat, *se expresse instituat*ur *partitio*. Quam in rem exempli loco adfertur, quod Probi Imperatoris tempore senatus firmarit principum leges, de appellationibus cognoverit, proconsules creaverit, legatos consulibus dederit. Quasi vero ignotum sit, quomodo Cæsares, qui modestiores videri volebant, imperium sub larva antiquæ reip. exercuerint, & senatui reliquerint negotia modica, & ad summam rerum parum facientia, sibi vero vim imperii, in militibus potissimum consistentem, sollicitè retinuerint. Alterum modum dividendi imperii ita exprimit; *si populus adhuc liber futuro regi imperet per modum manentis præcepti*. Ubi non adparet, qualis res sit præceptum permanens eo tempore, quo vim præcipiendi quis non amplius habet. Nam omne præceptum præsupponit

vim coactivam, exferendam, ubi idem fuerit violatum. Hanc ergo populus regem constituens in eundem aut retinebit, aut non retinebit. Si prius, penes regem inane nomen, vis imperii penes populum erit. Si posterius, præceptum inane erit. Ergo ita debuerat loqui; populum adhuc liberum posse regem adstringere, ut in gerenda rep. certas regulas sequatur. Sed ex hoc non sequi divisionem imperii, infra ostendemus. Denique & ita dividi putat imperium, *si in ejusdem delatione quid additum sit, ex quo intelligatur, regem cogi, aut puniri posse.* Enimvero non dividitur imperium, sed populus illud revera in solidum habet, regi autem sub illustri nomine magistratus duntaxat eminentis munus committitur, si populus jus quacunque ex causa regem cogendi aut puniendi habeat. Poena quippe à superiore ut tali proficiscitur. Coactio autem fit duplici modo, moraliter, & physice, i. e. per modum imperii, & per modum violentiæ bellicæ. Imperium non datur in æqualem, ut talem. Ergo quando *Grotius* infert, quod saltem populus regi sit par aut æqualis, quia certo casu eum possit cogere; id quoque simul admittere necessum habet, neutri in alterum esse imperium; quod naturæ civitatis repugnat. Ast coactio per violentiam bellicam utique inter æquales, seu quorum neutri in alterum est imperium, loenm habet. Sicut & de tali coactione capiendum est exemplum à *Grotio* subjunctum, quod creditor naturaliter jus habeat cogendi debitorem. Sane per modum imperii, quod in ipso creditore hæreat, naturaliter creditor debitorem cogere non potest. Alias enim necessum esset, quemlibet, qui alteri quid debere incipiat, ipsius imperium subire. Cogi tamen omnino debitor à creditore potest ad solvendum debitum vel per subsidium judicis, (qui inter regem & populum non datur,) vel si in libertate naturali vivant, per violentiam bellicam. Atqui si hunc modum cogendi populo velimus tribuere, admitendum fuerit, tam regem quam populum in naturali libertate vivere, i. e. civitatem esse dissolutam. Denique & illud concedimus *Grotio*, in civilibus institutis nihil esse, quod omni ex parte incommodis careat; adeoque propter incommoda, ex diviso imperio proventura, non statim inferri debere, istud plane non posse dari. Jus quippe metiendum esse non eo, quod optimum huic aut illi videtur, sed ex voluntate ejus, unde jus oritur. Nobis tamen vicissim & illud erit concedendum, si cui populo ejusmodi divisio arriserit, cum non regu-

larcm

larem civitatem, sed corpus satis male concinnatum atque morbidum
constituere.

CAPUT V.

DE FORMIS RERUM PUBLICARUM.

- | | |
|--|---|
| <p>1. <i>Accidentia civitatum non constituunt novam speciem.</i></p> <p>2. <i>Dantur & forma irregulares civitatum, ac systemata.</i></p> <p>3. <i>Tres sunt formæ civitatis regularis.</i></p> <p>4. <i>Democratia videtur reip. forma antiquissima.</i></p> <p>5. <i>In democratia non minus est summum imperium, quam in monarchia.</i></p> <p>6. <i>Quomodo democratia constituatur.</i></p> <p>7. <i>Democratia requisita ordinaria.</i></p> <p>8. <i>Quomodo aristocratia constituatur?</i></p> <p>9. <i>Et quomodo monarchia?</i></p> <p>10. <i>In rebusp. occurrunt vitia hominum & status.</i></p> <p>11. <i>Quæ tamen peculiarem reip. speciem non constituunt.</i></p> <p>12. <i>Sicuti nec varia accidentia democraticarum & aristocraticarum.</i></p> | <p>13. <i>De recentiorum mixta republica.</i></p> <p>14. <i>In quo consistat natura irregularium rerump.</i></p> <p>15. <i>Irregularitas maxime perspicitur ex exemplis.</i></p> <p>16. <i>Imperia, quæ habent provincias, non statim sunt systemata.</i></p> <p>17. <i>De systematibus, quæ oriuntur propter communem regem.</i></p> <p>18. <i>De systematibus, quæ federe coaluerunt.</i></p> <p>19. <i>Quomodo negotia in istis communi-centur?</i></p> <p>20. <i>An major pars ibi obliget minorem?</i></p> <p>21. <i>Quomodo talia systemata dissolvantur?</i></p> <p>22. <i>De comparatione formarum reipubl.</i></p> |
|--|---|

Summum imperium uti in qualibet civitate tanquam in subjecto communi reperitur; ita prout illud vel in uno homine, vel in uno concilio ex paucis aut universis civibus constante, tanquam in subjecto proprio hæret, diversas formas rerump. producit. Ubi primo omnium arbitramur, integrum adhuc nobis fore, vocabulum *forma* retinere ad exprimendam illam civitatum habitudinem, quæ ex diversitate subjecti, in quo imperium summum radicaliter hæret, resultat. Abs qua quod sæpe actualis reip. administratio discedit; puta, ut in democratia quædam monar-

chicè quædam *polyarchicè* gerantur, quando certa negotia uni aut paucis à populo expedienda committuntur, tralatitium est. Et quia plurimum interest, utrum quis exerceat potestatem propriam, an vero alienam, & precariam, qua statim ab altero exui valeat; inde valde *divè* loquitur, qui jactat: *revera polyarchiam esse, ubi rex à paucis, patientia ipsius ab utentibus*; aut *monarchiam, ubi ab uno demagogo populus naso se duci patitur*; vel etiam *ubi in senatu supremo unus prudentia, eloquentia, aut metu potentia reliquos temperat*: ac primo casu nil nisi *inane nomen*, & *externam speciem monarchiæ*, altero *democratæ*, tertio *polyarchiæ* superesse. Sicuti & nemo cordatus crediderit, formam reip. mutatam, ubi personæ, aut numerus ministrorum mutantur; non magis quam inter regnum existit, ubi à successore minister, penes quem rerum administratio sub priori principe fuerat, præceps aula exturbatur. Capacitas autem & inclinationes ejus vel eorum, qui imperium suo jure aut delegatum exercent, administrationem quidem afficiunt, ac variant; ipsam tamen formam reip. nequaquam. Sic & licet imperium alicubi egregie, alicubi præve administraretur; tamen ex diverso velut exercitio ejusdem potestatis non statim nova species civitatis producitur. Unde quemadmodum sanus ab ægrotò non statim specie differt, neque membra præve conformata alios specie homines efficiunt: sic vitia imperantium aut parentium, aut pravitas legum aliam speciem reip. haut quidquam constituunt.

§. 2. Deinde & hoc observandum, plerosque qui de civili scientia tradiderunt, sat egisse circa explicandas regulares rerump. formas, de formis irregularibus multi ne cogitasse quidem videntur, pauci sat superfuntorie attigerunt. Inde factum, ut si quando occurreret corpus civile, quod ad unam ex tribus illis, quas vulgo simplices vocant, formis non quadraret, vix aliud quam mixtæ reip. vocabulum superfuerit. Atqui præterquam quod mixtura illa nãle quibusdam rebusp. adplicetur, etiam valde simplex est credere, præter regulares illas tres formas, alias irregulares non dari. Neque enim si constat, quamnam ædificiorum dispositionem leges architectonicæ requirunt, omnes statim homines sua domicilia ad eas leges extruxerunt. Regularitatem autem civitatis in hoc consistere arbitramur, ut omnes & singuli ab una velut anima videantur regi, seu ut summum imperium indivi-

Indivisum, & inconvulsam ab una voluntate per omnes civitatis partes, atque negotia exercentur. Exinde quid irregularis sit civitas collectu non est difficile. Deinde & dantur systemata ex pluribus perfectis civitatibus composita, quæ apud imperitos speciem unius civitatis mentiuntur; quæ & ipsa in explicandis rerum. formis insuper non sunt habenda.

§. 3. Civitatis regularis tres duntaxat dantur formæ, quæ resultant ex subjecto proprio summi imperii, prout illud est vel una persona simplex, vel unum concilium, ex paucis aut universis constans. Nam imperium summum committitur vel uni homini, vel uni concilio plurimum hominum. Hoc concilium rursus est vel omnium civium, vel minoris, sed selectæ partis. Igitur prima species est, ubi summum imperium est penes concilium ex universis constans, & ubi quilibet civis jus suffragii ferendi habet: & vocatur *democratia*. Altera, ubi summum imperium est penes concilium, ex selectis civibus constans, & dicitur *aristocratia*. Tertia, ubi summam imperium est penes unum hominem; & appellatur *monarchia*, sive regnum. In prima is, qui rerum potitur, vocatur *populus*; in secunda *optimates*, in tertia *monarcha*. *Pindarus Pyth. od. 2.* *Ἐν τυραννίδι, χ' ὀπίσταν ὁ λαὸς ἐστρατός, χ' ὅταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηροῦντι.* *apud dominatum unius, & cum impetuosa multitudo, & cum prudentes urbem custodiunt.*

§. 4. Primo autem loco videbimus de democratia, non quidem, quod eam dignitate aut splendore extrinseco, aut commoditate cæteris formis antestare arbitremur; (*Philo Judæus de mundi opificio multorum deorum assertores perstringit, quos non pudet deterrimam reip. speciem ex terra in cælum transferre, vulgi potentiam:*) sed quod illam plerasque inter gentes antiquissimam constet; simulque ratio ostendat, convenientius esse, ut plures homines naturali libertate & æqualitate gaudentes, dum in unum corpus coire constituerunt, prius voluerint rem communem communi consilio administrare; adeoque democratiam constituere. Neque præsumendum est, patrem familias liberum, qui animadversis vitæ segregis incommodis, ultro sese cum aliis sui similibus in civitatem congregabat, uno velut momento potuisse oblivisci pristini status, in quo omnia circa salutem suam proprio arbitrio disponebat, ut confestim unius sese arbitrio circa rem communem, cui & ipsius salus in-

necteba-

nectebatur, voluerit subdere. Quin potius illud ab initio æquissimum creditum: quod omnes spectat, ab omnibus curari debere; donec ab eo statu plerique discesserunt ultro, aut per necessitatem, à quibusdam civibus aut externis admotam. Facit huc *Plato in Menexeno*, ubi de rep. Atheniensium disserit: *Causa nobis gubernationis hujusmodi*, (in qua summa rerum esset penes populum, magistratus autem mandarentur præstantissimis,) *ex æqualitate generis est. Alia siquidem civitates sunt ex variis, dissimilibusque generibus constituta: quo fit, ut inæquales sint gubernationes, & tyrannides, paucorumque potentia. In quibus ita homines vivunt, ut se invicem partim dominos, partim servos existiment. Nos autem nostrique una ex matre omnes fratres geniti, haut arbitramur nos invicem dominos & servos esse: sed generis æqualitas nos inducit, ut & legis queramus æqualitatem, neque rei prorsus ulli, nisi opinioni virtutis prudentiæque cedamus.* Atqui civitates plerasque initio ex genere junctis coaluisse adparet. Conspirat *Isocrates Panegyri*. *Iniquum nobis* (Atheniensibus) *videbatur, multos paucorum imperio regi; & eos qui re quidem tenuiore, cetera vero nihilo deteriores essent, magistratibus & honoribus excludi: & cum patria sit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum esse loco, & natura cives reip. functionibus lege privari.* Add. *Libanius progymn. loc. com. contra tyrannum*. Neque antiqua historia abnuat; quæ licet frequentem regum mentionem faciat; plerosque tamen magis suadendi auctoritate, quam jubendi potestate gavisos constat. Sicuti & *Iustinus* initio *libri I.* regnum *Aristoteli* heroicum dictum describit, quod democratiam haut quidquam tollit. *Thucydides* l. I. de antiquissimis regnis: *prius hæreditaria erant regna, & certis honoribus, conditionibusque definita.* Inde passim gentes populari regimine, & libertate usæ: donec paulatim maxima illa multitudo parvularum rerump. ferre per vim & bella in pauca imperia prægrandia redigeretur. Equidem pro antiquitate regni ita *Aristoteles* l. I. *Polit. c. I.* διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐκαστοῦ οἴκου αἱ πόλεις, καὶ οὖν ἔτι τὰ ἔθνη ἐκ βασιλευσμένων γὰρ συνήλθον πᾶσα γὰρ οἴκη βασιλεύει. *Quare & primum in regum imperio erant civitates, & nunc etiam gentes: ex iis namque, qui in regum imperio essent, conveniebant. Omnis enim domus regio imperio administratur.* Quæ ultima verba illustrantur dicto *Lycurgi*, qui alteri, democratiam ut introduceret in civitatem monenti, regeffit: οὐ γὰρ πρῶτον ἐστὶ τῆς οἰκίας σου ποίησον δημοκρατίαν. *Tu vero primus in tua domo fac democratiam.* *Plutarch. Lycurgo.* Verum consequentia in argumento *Aristote:*

Aristotelis nulla est. Quin potius, quia isti antiqui patresfamilias imperio jam erant adfecti, ad democratiam potius eos inclinasse verosimile est, ut & ipsi occasionem haberent sententiam suam super negotiis exponendi. Neque rem conficiunt, qui disputant, antiquissimum inter mortales imperii genus fuisse paternum, quod initio mollius, post gliscentibus familiis simul, ac vitii ad jus vitæ necisque evaluerit; quod imperium in familiis per primogenitos fuerit continuatum, quibus velut naturali jure competierit jus sacrorum, & civilis administrationis. Inde capita familiarum paulatim in regulorum instar adolevisse. Indicio esse, quod tantâ olim regulorum multitudo in terra Canaan deprehensa fuerit. Vid. *Iosua* XII. & *Judic.* 1. 7. Enimvero neque primogenituræ tanta fuit vis, ut imperium etiam regium in fratres citra ipsorum consensum daret, atque eosdem cum primogenito familias conjunctas habere subigeret. Et antiquissimi illi sub regio comine principes fere & eminentes magistratus in cœtibus democraticis erant; etsi is honor frequentissime ad præcipuum stirpis deferretur, siquidem ex cognatis familiis ille cœtus coaluisset, ut tamen non semper jus primogenituræ & velut majoratus observaretur.

§. 5. Quo loco sub examen revocanda est sententia *Iob. Frid. Hor-
nii de civitate l. 3. cap. un.* ubi de aristocratiis & democratiis, quas nomine liberæ reip. complectitur, ita censet: *dari civitatis genus, quod confusionem promiscuæ multitudinis declinet, & ordinem aliquem concinnum assequatur, pactis atque conventionibus prospiciens communi omnium salutis, citra subjectionem, & dispendium ejus libertatis, quam monarchia, extinguit.* Heic tot pene errores, quot verba. Ordinem, qui in civitatibus liberis deprehenditur, tantummodo valere ad declinandam confusionem multitudinis promiscuæ. Pactis solis & conventionibus citra imperium contineri liberas civitates. Minus addicte singulos subjici concilio populi, aut optimatum, quam in monarchia regi. Minus illic, quam heic exerceri omnes partes summi imperii. Minus jus vitæ & necis à populo in singulos exerceri, quam sub rege. Deinde tantum abest, ut *dispersi adhuc quidam patresfamilias à vicinis regnis formam civitatis speculati sint*; ut potius in prima gentium coalitione pleriq; cœtus fuerint populares: inde animadversis ejus regiminis incommodis, aliqui ultro, serius aut citius, imperium unius arripere; quidam vi adacti idem subiere. Sic & illud vanum:

Nnnnn

uti

uti ars quidem naturam conetur imitari, nunquam autem aquet, aut superet: ita in factitiis hisce formis rerump. aliquo modo representari regnorum indolem, quoad efficaciam communis utilitatis, ipsam vim imperii, quod instruit monarchiam, tanquam opus Dei omnipotentis, per homines non potuisse produci. De origine majestatis jam supra actum; quæ cur non possit æque competere personæ morali conjunctæ, quam uni homini? Neque enim ulla est contractio; omnes proceres inter se æquales esse, ut singulos, & eosdem tamen summò univerforum imperio subesse. Et vel mediocriter ingeniosus capere potest discrimen inter universos & singulos, inter concilium populi, & singulos, per domos suas dispersos. Inde nequidquam argutatur: *ubi imperium universis assignatur, ibi aut omnibus adest, aut aliquibus. Si omnibus, neminem habebunt subditum: quod imperium & obsequium non inhabitent unam personam. Si singulos faciunt subditos, non habebunt deinceps universos imperantes; eo quod ex singulis parentibus non possit multitudo confici nisi obtemperans. Nihil enim aliud quam obtemperantia à singulis universitati confertur.* Enimvero in corporibus moralibus compositis utique aliquid potest tribui universis, quod neque omnibus, i. e. singulis divisim sumtis, neque uni alicui ex illis singulis queat tribui: adeoque universitas revera est persona moralis, à singulis distincta, cui peculiaris voluntas, actiones, & jura tribui queant, quæ in singulos non cadunt. Evanescent quoque scrupuli, qui super eo moventur, quod major pars in comitiis popularibus prævaleat. Nam ea ipsa est moralis affectio universitatis, ut consensus majoris partis eorum, qui in concilium coeunt, habeatur pro voluntate universitatis; cum alia ratione voluntas plurium personarum physicarum in voluntatem moraliter unam coalescere nequeat, ubi contigerit, singulorum voluntates non exacte conspirare. Unde in democratiis & aristocratiis subjectum summæ potestatis haut quidquam est obscurum aut vagum; utut individua illa, quorum suffragia jam majorem partem faciebant, alia vice sint inter eos, qui numero vincuntur. Hæc enim omnia unitatem voluntatis, quæ universitati tribuenda est, haut quidquam destruunt. Nam si contingat, ut v. g. in senatu tot senatores non conspirent, quot ad majorem partem faciendam requiruntur, senatus intelligitur nihil velle, adeoque nihil novi erit suscipiendum. Quod et si sæpe non sine incommodo sit civitatis, ex eo

tamen

tamen non sequitur; senatum non habere summum imperium. Præterea & illud falsum, *multitudini non posse tribui verum imperium ob defectum necessarii obsequii; cum multitudo non teneatur sententiam paulo ante placitam perpetuo servare, & universa multitudo non obligetur.* Ast uti per hoc imperium regis non tollitur, quod rex mutata voluntate prius decretum abolere possit; quo facto obligatio civium ad istud decretum perit: ita ut ut universitas propria decreta mutare queat; iisdem tamen singuli tantisper æque tenentur, quam decreto regis. Aut ostendatur, non æque transgressores legum in rebus p. liberis, quam in regnis plecti. Add. Liv. l. 2. c. 3. Sic & illud frustra jactatur: *si indivisim penes plures residet majestas, necessario singuli aliquam ejus particulam habebunt, quarum particularum collectione tota demum majestas constet. Atqui illam particulam oportebit utique summam esse: Ergo in una civitate summa plura uno dabuntur: quod est absurdum.* Enimvero in moralibus hautquaquam absurdum est, particulares illas voluntates, ex quarum conspiratione voluntas universitatis resultat, destitui aliqua facultate, quæ huic inest. Adeoque non sequitur: majestas est summum jus; ergo singuli habent aliquam ejus particulam, quæ & ipsa summa est. Uti non sequitur: singulorum suffragia, per se & solitarie considerata, sunt inefficacia ad producendam legem; ergo si plura conspirent, non possunt ad legem producendam valere. Denique addit: *cum in senatu optimatum nemo sit, qui in remp. delinquens à collegis ad supplicium non possit rapi; ergo si omnes optimates in remp. delinquant, per cives ab istis pœnam fore sumendam.* Atqui singulis remotis & punitis, universorum nullibi posse subsistere imperium. Ad hanc difficultatem facile est respondere, si recte explicetur, quid sit in remp. delinquere. Id enim proprie facit is, qui contra jussâ legesque ejus, penes quem summum est imperium, perpetrat aliquid, quod in detrimentum civitatis tendit. Ergo universi optimates in remp. peccare non possunt, nisi vel violent leges, sub quarum observandarum conditione imperium ipsis delatum est; aut hostilem in universos cives animum induerint: quo casu pari cum regibus passu ambulabunt. Reliqua, quæ in fraudem liberarum rerum publ. comminiscitur, falsitatis manifestissima sunt. *Diversum plane imperium esse, quod monarchæ exercent ab eo, quod in rebus p. liberis cernitur, ut ut similes affectus hoc cum illo edat. Monarchis quippe præter dignitatem & splendorem personalem, qui nemini in rep. libera adest, adstere*

majestatem, qua resp. libera careant. Enimvero nobis certum videtur, non majori jure Deum monarchiarum, quam civitatum liberarum autorem asseri: neque minus illas, quam has per pacta produci; ex quibus & heic & ibi imperium resultat, proxima utrinque obsequii causa in civibus: ad paria in rep. quam in regno civem ut talem obligari; non minus addicte parere, & subiectum esse, qui in rep. libera, quam qui in regno vivit; parique jure utrinque de fontibus supplicium sumi. Nam quis gratis crediderit, *in regno de fonte supplicium sumi ex jure in capat, quod in civitatibus liberis non datur: in rep. libera delinquentes in leges civitatis tanquam hostes plecti?*

§. 6. Videndum jam est de constitutione democratia, simulque quid illa pra aliis reip. speciebus peculiare habeat. Quamprimum itaque multitudo aliqua liberorum hominum in unum congregatur, pactum initura circa conjunctionem sui in unam civitatem, jam tum coetus iste instar aliquod democratiae obtinet, eam proprie ob causam, quod cuique liberum sit proferre, quid super re communi ipsi videatur. Hanc quidem tamen antea plurium suffragio quis tenebitur ad id, quod majori parti visum fuerit, ubi ipse dissenserit, antequam altero quoque pacto forma regiminis democratica fuerit sancita. Quae duo pacta cum distinguat *Hobbes de Cive c. 7. §. 5.* paulo confusius rem istam tradit. Nam superius ostensum, nequidquam aliquem plurium suffragiis teneri, antequam in ejusmodi formam rem communem administrandi consenserit. Ergo falsum est, quod *Iste tradit: ex eo quod volentes convenerunt, intelligi eos obligatos ad id, quod consensu majoris partis decerneretur.* Illa autem, quae d. l. sequuntur, distinctius ita explicantur. Ubi multi homines convenire, mutuis se invicem pactis obstringentes de jungendis viribus opibusque, aut statim in illo ipso congressu decretum sit, circa formam reip. introducendam, aut minus. Ubi neque decretum super forma reip. factum, neque de loco aut tempore denuo sese congregandi fuerit conventum, congressus iste irritus intelligitur, & quilibet in naturali libertate, ut antea, manet. Nam plures in unum corpus coalescere nequeunt, nisi super constanti modo rem communem administrandi conventum fuerit. Sed ubi discessum sit, isthaec quidem re nondum definita, indicto tamen tempore & loco, ubi ulterius super eadem deliberetur & statuatur; prima dumtaxat rudimenta civitatis heic existent, quae democratia proprie vocari nondum poterunt. Non enim statim democratia est, ubi quilibet

senten-

sententiam suam exponendi jus habet, aut ubi ad alium conventum tempus, locusque condicitur; cum id circa quarumvis societatum, & conventionum primordia usu veniat; sed ea demum democratia est, ubi jus de rebus salutem communem spectantibus statuendi in concilium ex universis constans in perpetuum fuit collatum.

§. 7. In democratia autem hæc in primis videntur necessaria; primo, ut certus locus, certumque tempus constituatur conventibus, ubi super summa rerum sit deliberandum & statuendum. Neque enim singulorum res privata ferunt, ut perpetuo in isto conventu hæreant; & nisi de loco ac tempore conventum fuerit, possunt, qui de eodem coetu sunt, vel diversis locis & temporibus convenire, (quo ipso factiones existant,) aut plane non convenire; quo casu non erit populus, (*Stipendium*) sed dissoluta multitudo, cui neque actio, neque jus tanquam uni personæ competens, attribui potest. Huc facit, quod *Thucydides* l. 2. tradit, cum Pericles animadverteret, Athenienses circa modum belli gerendi non recte sentire, ipsum neque in concionem populum vocasse, neque concilium habuisse, nec ubi ira potius quam ratione in medium consulentes peccarent. Secundo, ut majoris partis suffragia valeant pro universis; postquam nisi rarissimo contingere solet, ut magna hominum multitudo circa eandem rem idem sentiat. Denique cum alia reip. negotia sint quotidiana, & minoris momenti, alia rariora, & quæ summam rerum tangunt; & vero integro populo commodum non sit, ut propter ista expedienda assidue in concilium coeat, aut ita modicis intervallis, ut nihil ejusmodi curam ipsius effugere queat: igitur necessarium fuerit, certos magistratus, tanquam delegatos constitui, qui autoritate totius populi quotidiana negotia expediant; circa gravia mature explorent, & si quid majoris momenti occurrat, ad populum convocatum referant; simulque decreta populi executioni dent, postquam & ad hoc magnus hominum coetus fere ineptus est.

§. 8. Aristocratia superstituitur, quando coetus, qui per primum pactum in aliquod rudimentum civitatis sese univit, decretum condit de committenda summa rerum concilio ex paucis constanti. Hi, postquam suis nominibus, aut à genere, aliave nota, qua à cæteris dignosci queant, per eum coetum fuerint designati, & ipsi eam designationem acceptaverint, cæteris illorum sese voluntati submittentibus, summum accipere

Nnnnnn 3

impe-

imperium intelliguntur. Ubi observandum, minus recte *Hobbesium* d. l. §. 8. originem aristocratiae abs democratia arcessere, si iste sensus sit, quasi omnes aristocratiae constitutae & mutatae fuerint ex perfectis democratibus. Nam & experientia probat, & nulla ratio repugnat, abs primo illo pacto, citra interventum democratiae, ad aristocratiam aut monarchiam transitum fieri potuisse. Sed & supra ostensum, ludere *Hobbesium*, quando ideo inter cives & senatum negat pactum intercedere; quia translato in senatum imperio, populus, ut persona una, non amplius existat. Nam ut quis obligationem adversus alterum gerat, sufficit, si hic existat adhuc tanquam persona physica, ut ut persona moralis, quam antea gesserat, expiraverit. Adde, quod populus, translato abs se imperio, non quidem deinceps existit tanquam persona perfecta, quatenus capiti suo recens adscito contradistinguitur; non tamen ideo fit multitudo dissoluta, quia utique jam cum senatu tanquam capite suo personam constituit. Sed & falsum est, quod §. 9. *Idem* infert, uti in democratia populum, sic in aristocratia curiam optimatum omni obligatione liberam esse. Nam si vel maxime daremur antecedens, ideo quod fortasse non videatur sufficere respectus ille inter universos & singulos ad sustinendam inter ipsos obligationem mutuam: exinde tamen non sequitur: ergo neque inter senatum & cives mutua obligatio existit. Sicuti non sequitur; ego nulla obligatione teneor, dum proprias res per me ipsum administro; ergo si earum rerum curam in alterum transferam, hic quoque nulla obligatione tenebitur. Illud recte ab *Eodem* d. l. §. 10. monetur; cum democratia hoc habere commune aristocratiam, quod sine constitutione certorum temporum & locorum, ad quae optimates convenire possint, non amplius sit curia, neque persona una, sed dissoluta multitudo sine imperio summo. Quippe cum citra congressum personarum singularium, ex quarum voluntatum conspiratione voluntas curiae resultare intelligitur, istarum voluntas cognosci non possit. Nam ut circummissa scheda suffragia senatorum exquirantur, plurimum habet incommodi. Deinde illud aequale in aristocratia, quam democratia necessarium est, ne tempora conventuum longis intervallis disjungantur, nisi exercitium summi imperii, saltem circa negotia quotidiana, interea in unum aut paucos quosdam magistratus transferatur.

§. 9. Monarchia denique constituitur, quando in unum homi-

nam

nem summum imperium confertur. Quod interveniente pacto utique fieri contra *Hobbesum* satis demonstratum. Quo loco etiam notari debet pestilens dogma *Scriptoris Belgici Anonymi in balance politica*; cum omnino delatio summi imperii facta in commodiorem amolitionem majorum tam intrinsecus quam extrinsecus convenientium; præsumi non posse, unquam coetum democraticum ad id autorasse unum hominem, ipsiusque posteros in æternum. Cum enim spes commodioris protectionis unice fundata fuerit in præsentibus virtutibus, quæ in electo adparebant, & vero omnibus constet, quam mutabiles, quam mortales sint homines, & quod brevi aut senio ad imperium inutiles sint futuri, aut nullam vel impuberem prolem relicturi, aut si proles adulta relinquatur illa aptitudine naturali ad imperium præstantior aliis non sit futura, aut voluntatem bene protegendi coetum non habitura: inde nullo modo posse præsumi, unquam intentionem fuisse coetus popularis sibi adimendi facultatem, in locum inepti aut pravi imperantis meliorem eligendi. Verum semel imperio potitos, adjuncta suis partibus magna populi parte, ac præsertim militibus, ita opes suas sibi suisque liberis potuisse stabilire, ut etiam in invitos imperium retinere potuerint. Ad quæ reponimus: si alicui coetui in mentem venerit, ea lege in aliquem conferre imperium, ut, quotiescunque visus fuerit populo non felicius communem protectionem procurare, quam regimen democraticum solebat, dimoveri munere suo queat; non monarcham fuisse constitutum, sed eminentem magistratum, qui à mobili plebis aura dependeat; adeoque summum imperium non accepisse. Deinde cum constet, quam non ex usu reip. sint crebræ principum mutationes, ac fere magis alii homines, quam alii mores succedant, quæque gravi cum concussione reip. imperio devolvantur, quibus proprias opes stabilire, dum publicas administrant, licuit; facile præsumi potest, populum voluisse simul & semel cum fortuna decidere, irrevocabiliter constituto principe; cum longe certius metuenda sint illa mala, quo ex nutante isto & desultorio statu redundare apta sunt, quam quæ degenerans rex dare potest. Præsertim cum per leges fundamentales istius exorbitatura libido circumscribi queat. Denique hautquaquam omnes actus, circa quos spei nostræ eventus non ex amissim respondet, licet retrahere; cum in negotiis humanis plurima alea versetur, ac nihil sit, quod omnino incommodo careat. Add. *Grotius* l. 1. c. 3. §. 9. In eo autem monarchia à prioribus speciebus differt, quod heic ut deliberari & decerni, i. e. actu

actu imperium exerceri queat, temporibus & locis condictis opus sit: in monarchia vero saltem absoluta omni tempore & loco deliberari & decerni possit. (*Herodianus* l. I. c. 6. *ἐκείνῃ τῷ ἔθνει, ὅπου πῶς ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. Roma illic est, ubi Imperator est.*) Nam populo & optimatibus, qui non sunt unum corpus naturale, congressu opus est. Monarcha, qui una quosque persona physica est, semper in potentia proxima ab actus imperii exercendos existit. Id quoque recte ab *Hobbeso* monetur, in populo vel curia optimatum, si quid contra legem aliquam naturalem decretum fuerit, non peccare ipsam civitatem, seu personam illam moralem, sed cives illos, quorum suffragiis decretum est factum. Peccatum enim sequitur voluntatem naturalem & expressam, non moralem seu politicam, quæ artificiosa est. Aliàs enim peccarent & illi, quibus decretum displiceret. Vid. *Luc. XXIII. 51.* Ast in monarchia si quid monarcha decreverit contra leges naturales, ipse utique peccat, quia in ipso voluntas civilis cum naturali eadem est.

§. 10. Hisce regularibus civitatis formis plerique nonnullas *vitiosas* aut *corruptas* adjungere sueverunt. Ubi illud quidem certum est, morborum atq; vitiorum multis in rebus. non minus, quam in singulis hominibus uberrimam dari segetem; sic ut minimis urgeri instar perfectionis habeatur. Porro morborum, quibus civitates infestantur, alios videmus oriri ex malitia hominum, alios ex prava dispositione ipsius civitatis. Inde alia vocari audias vitia hominum, alia vitia status. Speciminis causa nonnulla tangemus. In regno vitium hominum est, si, quem fors nascendi aut infelicia civium suffragia solio admoverunt, regnandi artibus destituitur, nullaque aut exigua reip. cura tangitur, eamque pravorum ministrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam prostituit; si savitia aut iracundia idem est terribilis, nec hominem se, aut hominibus præesse meminit; si citra necessitatem reip. in casum dare gaudet; si quæ ad tolerandos reip. sumtus conferentur, luxu aut per inconsultas largitiones dissipat. (*Drepan. paneg. Est improborum principum postrema defensio, auferre donandi gratia.*) si pecunias civibus extortas præter rationem accumulatur; si contumeliosus, si injustus est; (memorable est, quod de veteribus Indis refertur apud *Philostratum de vita Apoll. Thyæn.* l. 3. cap. 9. futuros regum successores nullo honore affectos, addita ratione: *οὐδὲν αὐτοῖς ὑπεροζυμίνους παύσειν τὸ μὴ ὑπεροζῆν. oportet ita negligendo monere, ne nimis superbiant.*) & quæ sunt alia, per quæ mali

mali nomen principis comparatur. Qualia quoque notantur *Claudiano de bello Gildonico*. Quæcunque profunda *Traxit avaritia, luxu pejore refundit: Instat terribilis vis, morientibus heres, Virginibus raptor, thalamus obscenus adulter. Nulla quies. Oritur prada cessante libido, Divitibusque dies, & nox metuenda maritu.* Facit quoque huc illud *Themistii orat. X.* *κολλῶδε καὶ βασιλεὺς ἔνομοθίτης, ὃς πολυμῆν μὲν ἰκανὸς, εἰρήνην δὲ ἄγειν ἢ ὀλέσει.* *Mancus est & rex & legislator, qui ad bellum quidem idoneus pacem non potest agere.* Vitia hominum in aristocratia sunt, si per ambitum, pravasq; artes via in Senatum patet viris improbis aut ineptis, exclusis melioribus, si optimates factionibus distrahuntur; si plebe tanquam mancipiis uti, & bona civitatis augendo privato patrimonio intervertere student. In democratia vitium hominum est, si inepti homines turbulenter & importune sententias suas tueri solent; si egregiæ, & reip. non prægraves virtutes per invidiam opprimuntur; si per levitatem leges temere figuntur atque refinguntur, & quæ modo placuerunt, mox citra rationem displicent; si sordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur. Apud *Plutarchum Dione δημοκρατία, ambitio popularis* dicitur *νόσημα ἐπιμανές, τυραννίδος ἢ ἰλατῶν, vesanus morbus tyrannide non minor.* Vitium porro hominum, quod in quamvis civitatis speciem cadere potest, est, si quibus imperii administratio incumbit, officio suo negligenter aut prave funguntur; & si cives, quibus sola obsequii gloria relicta, frænum mordent. Add. quoque *Hobbes Leviath. c. 29. circa finem*, ubi de quibusdam morbis civitatum ingeniose tradit. Ast vitia status in universum dicere possis, ubi leges & instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi aut regionis; aut ubi eadem cives disponuat ad turbas internas, aut ad justa vicinorum odia incurrenda; aut ubi eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reip. servandæ sunt necessariæ: puta si per leges civitatis non possint non in imbellem segnitiam resolvi, aut inidonei ad ferendam pacem reddi; aut denique ubi in principalia veræ doctrinæ civilis scita impingunt; quæ tanto perniciosiora sunt, si religionis speciem induerint. Qualis erat sacerdotum autoritas apud Meroënses, quorum libidini etiam regum vita erat obnoxia. Vid. *Diodorus Siculus* l. 3. c. 6. & *Strabo* l. 17.

§. II. Etsi autem plurimum intersit inter remp. sanam atque morbidam; non tamen ideo multiplicandæ sunt species rerump., & singulis formis rectis una aut duæ vitiosæ, tanquam species propriæ dictæ, sunt

○○○○○○

oppo-

opponendæ. Per isthæc quippe vitia neque natura potestatis in se, neque subjectum ejusdem proprium variatur. Et hæctenus recte *Hobbes de civi* c. 7. §. 2. negat, *anarchiam oppositam democratia, oligarchiam aristocratia, tyrannidem monarchia, esse tres alias species civitatis.* Et in *Leviath.* l. 2. c. 19. *neminem puto credere, ait, vitium regiminis novam & peculiarem speciem reip. esse.* Illud tamen non in universum, sed aliquando duntaxat verum est, quod d. l. subjungit: *anarchiam, oligarchiam, & tyrannidem esse tria nomina diversa, quæ illis indidere ii, quibus vel regimen, vel regentes displicuerunt.* Solent quippe homines per nomina non res tantum, sed & proprios affectus, puta, amorem, odium, iram, & quanti illas æstiment, una significare. Scilicet quod in aliis rebus contingit, ut unus amet, abs quo alter vehementer abhorret; ita & eadem forma reip. uni arridet, alii fastiditur. Idque non ideo tantum, quod aliqui ex una magis, quam alia reip. forma utilitatem capiunt; sed & ob peculiarem ingenii inclinationem. Sicut in universum probari nequeat illud *Lysia orat.* XXIV. *nemini à natura institutum esse, ut aut popularem statum, aut paucorum principatum amet; sed quicumque reip. status cuique maxime confert, hunc quemlibet conari stabilire.* Cui conspirat *Isocrates de pace:* *φύσει μὲν ἕδεις ἰσθίτορ ἴεται ἰσθί. ἐν δὲ δὲ ἀνθρώποισι μὲν, ἐν δὲ τοῖς βέλτοισι καὶ διστάται ἢ πολιτείας.* *Nemo natura vel popularis vel paucorum potentia est studiosus, sed eam quisque reip. formam expetit, in qua maxime honoratur.* Sane superbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis invisa est, ubi in democratia pari omnes jure de rep. suffragia ferre vident, cum tamen in quavis civitate plebis maximus sit numerus, *ochlocratiam* id vocant, q. d. statum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipsi se ducunt, aliqua relinquitur prerogativa. Et tamen id vocabulum, contemptum notans, non immerito imponeretur civitati, qualis quondam Ephesiorum erat, qui cum Hermodorum civitate expellerent, ita locuti sunt: *ἡμεῖς μὲν εἰς ὀνήϊς & ἴσθι εἰ δὲ ἴσθι εἰς ὀνήϊς, ἀλλοθί, μετ' ἀλλῶν.* *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco & apud alios sit.* Quos universos eo nomine morte multandos *Heraclitus* aiebat. *Cicero Tusculan.* V. *Diogen. Laërt.* l. 9. *Heraclito.* *Strabo* l. XIV. Sic cui dolet senatu se excludi, cum tamen aliis senatoribus inferiorem se haut quidquam arbitretur, per contemptum, & invidiam *ἀλιγος* illos vocat, q. d. paucos quosdam, qui cum nulla re ceteros emineant, in pares tamen aut meliores imperium exercent. Ac subinde ipsi in ore que-

querela Ajacis apud *Quintum Calabrum* l. 5. ἢ γὰρ ἴτ' ἰσθλὸς ἔχει γέρας, ἀλλὰ χερσίων ἰμῆοις το πᾶσι καὶ φίλοις. *Non vir bonus amplius præmiis afficitur, sed longe deterior & honoris & favoris fructum præcipit.* Sic gentes erectiore juxta ac teneriore indole, heros & dominos vocant reges populorum, qui strictiori sunt obsequio adfueti; cum tamen eadem specie potestas patria præfracto puerum ingenio asperius, tenero mollius tractare soleat. Idem judicandum de tyranni vocabulo, quod indelebile odium comitatur ex Græcorum usu, queis summa civitatum felicitas in libertate populari fere consistere judicabatur. Unde apud *Lucianum in Phalaride* 1. dicitur: *in universum populi non perpendentes, qualisnam ille sit, quæ summa rerum præest, sive justus, sive injustus, αὐτὸ ἀπλῶς τὸ τυραννίδος ὄνομα μισῶσι. simpliciter ipsum tyrannidis nomen oderunt.* Quin multis Græcorum imperium unius in genere τυραννίδος vocabulo notare in usu est. Sic *Æschines orat. contra Ctesiphontem.* τοῖς εἰσι πολιτεία, παρὰ πάντων ἀνθρώποις, τυραννίς, καὶ ὀλιγαρχία, & δημοκρατία. Add. *Cornelius Nepos Miltiade* c. 8. Hinc & *Mnemnon* c. V. de *Heraclea tyrannis* apud *Photium* memorat de Dionysio, quarto Heracleæ tyranno: ἕτως γὰρ εἰς μέγα δόξης ἀνελάθων, & τὸ τυραννὸν ἀπαξίωτος, τὸ βασιλῆος ἀντίλαβεν ὄνομα. *sic igitur magnam gloriam adeptus, tyranni nomen dedignatus, regis assumpsit.* Scilicet quod hocce nominis minus invidiæ, & plus dignationis haberet. Et nemo tamen est, quin intelligat, aliquando non immerito invidiosa ista vocabula adhiberi, ut adeo pravorum principum & procerum regimen à bonorum, turbulentæ & levis plebeculæ à modesti regimine populi ipsa adpellatione discernatur. Neque ab hisce multum diversus abit *Aristoteles*, qui tyrannidem, oligarchiam, & democratiam (nam sanam remp. popularem ipse πολιείαν vocare suevit,) παραβάσεις, seu aberrationes & degenerationes regni, statusque optimatum, & popularis adpellat. Vid. *polit.* l. 3. c. 7. 8. Quis autem nudam παραβασιν ad peculiarem speciem constituendam sufficere judicaverit? Quanquam cum vocabulum εἶδος laxius possit accipi, super eo non adeo pertinenter litem alicui movendam putamus. Add. quoque *Salustius Philosophus de diis & mundo* c. XI. & paria tradentem *Themistium orat.* XVI. p. 336. edit. *Petavii.*

§. 12. Enimvero ubi occurrerit aliqua resp., quæ neque ad regulares, sanasque referri, neque tamen discrimen, quo ab istis discedit, per

nudum morbum aut *παρὴν καὶ* possit explicari, operosior inter eruditos
 oritur disceptatio. Plerique brevissimam judicant viam hac difficultate
 defungendi, si ejusmodi resp. vocent mixtas, & ex simplicibus formis,
 velut refractis & inter se temperatis, compositas. Quam mixturam cum
 multi ex *Aristotele* adstructum eant, operæ pretium puto fuerit dispicere,
 quid *Isti* heic videatur. Ac primo quidem, quæ ab *Ipsò Polit. l. IV. c. 3. seqq.*
 super variis speciebus democratix & aristocratix traduntur, ad mixtu-
 ram recentium nihil pertinent. Ibi quippe enumerantur potissimum
 quædam accidentia, quæ in illis deprehenduntur, qui ad concilium po-
 puli, vel optimatum sint admittendi. Quo ipso neque imperium ulla-
 tenus variatur, neque partes ejusdem divelluntur, neque in duo plura-
 vè corpora civitas diffrahitur, sed aristocratix & democratix accidenti-
 bus duntaxat quibusdam variantur. Sic etsi democratia definiatur, ubi
 summa rerum est penes concilium ex omnibus constans, & non minus
 puerorum, & foeminarum interfit, ut reip. bene sit: tamen quis novam
 speciem civitatis constitui dicet, ubi foeminae, filii familias, & servi à deli-
 berationibus publicis excluduntur. Quanquam sufficere ad democra-
 tiam constituendam arbitremur, si illi habeant jus suffragii, qui initio eam
 civitatem sua coitione effecerunt, & qui in horum locum, & jura succes-
 serunt. Atqui manifestum est, civitates ab initio constitutas per pa-
 tres familias, qui sub imperio domestico uxores, liberos, ac servos habe-
 bant; quos nequaquam sibi æquare, aut omnem in eos potestatem abdi-
 care placebat. Igitur hos à jure suffragii cum patribus familiâs ferendi
 necessum erat excludi. Democratia semel constituta, in potestate sanc-
 civium erat alios in civitatem recipere, vel non, pleno aut minus pleno
 jure, eosque secum æquare in cura reip. vel ab eadem excludere. Unde
 contingere potest, ut in civitatibus liberis non pauci jure suffragii ca-
 reant, salva tamen forma reip. democratica. Etsi & hoc fieri potest,
 ut quæ ab initio democratia erat, si deinceps adsciti à suffragio & ho-
 noribus excludantur, post ingentia incrementa demum aristocratix
 faciem induat. Sic neque diversas species aristocratix statuemus, si
 alicubi quidem, ut quis in Senatum recipiatur, sola virtus sufficiat,
 alicubi præter eam requiratur census, aut nobilitas generis. Sicuti
 nec plures erunt democratiarum species, utut alicubi ad obtinendum
 suffragii jus sufficiat, quod quis ingenuus sit; alibi certus census requiratur,
 alibi

alibi certum vitæ genus inde excludat. Multo minus diversæ species propriæ dictæ emergunt ex diversitate legum, quæ circa creandos magistratus in diversis democratiis variant; puta quod alicubi omnibus promiscue ad magistratus pateat via, alicubi censûs habeatur ratio. Sicut nec illud mixturæ quid in forma reip., novamque speciem efficit, si v.g. divitibus impune liceat abesse à concionibus, pauperibus non item, aut vice versa. Sed hæc quidem plana sunt. Quid autem circa mixturam in rep. Spartanorum, & Cretensium, prout illæ ab *Aristotele* describuntur, sit judicandum, alibi excutietur. Resp. Atheniensis, quam *Idem polit.* l. 2. c. 10. & *Isocrates in Areopagitico* describit & commendat, revera popularis erat. *Polybii* l. VI. judicium super mixtura in rep. Romana alibi expendimus.

§. 13. Ex recentioribus quidam complures mixtas species fingunt, ut tamen, plerisque tanquam incongruis rejectis, duos cumprimis miscendi modos commendent. Unus est, cum partes summi imperii divisim & independenter sunt penes diversas personas & corpora ejusdem reip., ita ut singula, quam partem habent, eam suo jure obtineant, & proprio ex judicio administrent; quod ad reliquas imperii partes subditorum instar sunt. Ad eum fere modum, quo regnum Numidiæ post mortem Masinissæ à Scipione dispositum refert *Appianus in Lybico*; ut tres ipsius filii legitimi regio nomine gauderent; sed inter eos major natu *Micipsa* Cirtham regiam obtineret, alter *Gulussa* bello pacique præesset, tertius *Manastabales* jus diceret. Alter, cum summum imperium indivisim est penes plures uno, ut tamen neque plerique sine paucis, neque cæteri omnes sine uno dissentiente quid efficaciter statuere, partesque imperii exercere possint. Idque iterum dupliciter, vel ut omnes heic sint æquales, vel ut uni alterivè eximia quædam jura competant, quæ ipse sine cæteris exercere possit. Citantur insuper multi antiquorum, apud quos mixtarum rerump. frequens est mentio. Circa quos illud jam monitum fuit, plurima, quæ illi super mixtura rerumpubl. tradunt, hautquidquam ad dividendas summi imperii partes inter diversas personas, aut concilia pertinere; sed vel ad rite temperanda requisita personarum, ex quibus concilium imperans componitur, vel ad instituta diversarum rerump. probe combinanda. Deinde putaverim, nonnulla mixtionum exempla commode posse explicari ope distinctionis inter

ipsum imperium, & modum administrationis. Ut illæ resp. ex aliis admixtum quid habere dicantur, quarum modus administrandi ex alia forma petitus videtur: puta si in civitate, ubi summa rerum est penes populum, pleraque per principem aliquem, aut senatum expendantur; aut si in aristocratiâ unus magistratus insigni autoritate polleat, vel super multis negotiis populus consulatur; aut si in regno ardua negotiorum ad senatum, populumvè referantur. Quod si isthæc ad aliqua veterum, quæ afferuntur, loca non quadrent, quæ sequuntur, rem expedient. Nempe ostensum est suprâ, ad essentiam civitatis perfectæ & regularis requiri, ut in ea sit talis unio, per quam omnia, quæ ad ipsam regendam faciunt, velut ab una anima proficisci videantur. Igitur manifestum est, per priorem mixturæ modum constitui corpus, quod non vinculo unius imperii, sed pacto duntaxat contineatur, quodque ad hoc haut quidquam inter civitates regulares, sed inter irregulares resp. sit censendum; sat debile, & internis convulsionibus valde obnoxium. Circa alterum mixtionis modum considerandum putem, an illi, penes quos ita indivisum est summum imperium, constituant senatum perpetuum, qui universam civitatem, tanquam unum, & quasi continuum corpus gubernet. Quo casu aristocratiâ erit, sed ad negotia expedienda valde inconcinna, dum unus, paucivè refragantes reliquorum placita reddere inania possunt. Quod si autem ad singulos istos, de cætero pari jure gaudentes, singulæ partes reip. integrantes peculiariter pertineant, sed actus summi imperii nemini liceat exercere, nisi universis unanimiter consentientibus, erit systema propriè dictum, sed quod propter nimiam & supervacuum archidinem ad res expediendas itidem sit satis inhabile. Verum ubi unus reliquis autoritate & nonnullis summi imperii particulis insigniter præpolleat, erit irregularis resp. inter monarchiam ex procerum mole laborantem, & systema velut interjecta. Eo major autem erit irregularitas, si plures uno reliquos emineant.

§. 14. Enimvero uti nemini, cui mordicus mixtæ reip. vocabulum retinere stat, constantiæ laudem invidemus; ita commodius nobis & planius, simulque ad demonstranda in certis rebusp. quædam quasi phænomena expeditius videtur, si irregulares potius vocemus illas respublicas, in quibus neque una ex tribus regularibus formis deprehenda-

tur,

tur, neque nudus morbus aut *παθηβαισι* locum habeat, & quæ ad systemata accurate referri nequeant. Circa quas in universum id observandum, quod à regulari civitate in eo abeant, dum in iis non omnia ab una anima, ac voluntate procedere, neque omnes & singuli communi imperio regi videntur. A systematibus autem differunt, quod illæ non ex distinctis & perfectis civitatibus, uti hæc, componuntur. Sed à morbis atque aberrationibus in eo discrepant, quod morbus semper velut illegitimam, & erubescendam faciem præ se ferat; quippe qui ex commodæ formæ prava administratione, aut ex male concinnis legibus atque institutis proveniat. Verum irregularitas non ipsam solum formam intrinsece afficit, sed & publice ac velut legitime sancita palam sese, & citra pudorem ostendere audet. Adeoque morbus ex intentione eorum, qui remp. constituerunt, abesse debebat, & semper tanquam pravum quid in republ. adparet; irregularitas autem voluntate aut approbatione eorum, ex quibus resp. componitur, emerfit, aut confirmata est. Sicuti alia est ratio ædificij, cujus designatio quidem regulis architectonicis congruit, sed ubi ipsa materies est vitiosa, aut socordiâ incolentium tectum hiat, parietes ruinam minantur, trabes gemunt, fundamenta labant: & cui per ipsum architectum à communibus discedens regulis ultro forma est assignata, aut ingruens vitium extraordinario quodam modo solidatum. Deinde irregularitatem aliæ ab initio constitutæ resp. statim extiterunt; aliæ successu temporis, & tacitis momentis irreperunt. Scilicet contingere potuit, ut ab initio resp. conditæ, aut circa insignem ejus mutationem, per conditores, aut mutationis autores, regularis forma non potuerit introduci, inscitia, aut quia res præsentis non ferebant de statu rite concinnando cogitare. Add. *Hobbes. Leviath. c. 29. post princip.* Aliquando etiam qui præcipui fuere adjuutores & duces regni acquirendi, ejusmodi sibi ditiones ac privilegia stipulantur, ut pro veris subditis haberi nequeant. Sæpe quoque socordia imperantium, aut aliâ occasione morbus remp. invadit; qui ubi tantas radices egit, ut sine exitio resp. expelli nequeat, nihil reliquum est, quam ut sanctione publica ille vitium velut exuat, & quod hæctenus usurpatio, factio, aut contumacia erat, deinceps jus aut privilegium audiat.

§. 15. Cæterum irregularium resp. formarum neque certus iniri numerus, neq; certæ constitui species queunt, propter magnam varietatem,

tem, quæ heic revera occurrit, aut animo fingi potest. Igitur vix superest aliud, quam ut irregularitatis indoles ex illustribus exemplis penitus perspiciatur. Quale exemplum nos conati sumus exhibere in republica Romana. Aliud in imperio Germanico molitus est *Severinus de Monzambano*. Hoc loco tantum monuisse suffecerit circa irregularitatem, quæ à nonnullis in veteri imperio Romano observatur, dum illud aliquando visum fuit bimembre aut trimembre, quando unus Augustorum Orientem, alter Occidentem tenuit, aut etiam tres Augusti orbem Romanum tripertito rexerunt. Interdum idem adparuit biceps aut triiceps, dum duo vel tres Augusti collegæ indivisim rerum potiti sunt. Enimvero circa prius est observandum, quotiens duo Imperatores, unus orientale, alter occidentale imperium tenuerunt, divisim, & ut neuter ab altero dependeret, tunc reipsa duo fuisse regna distincta, quibus conjunctim Romani Imperii nomen remansit, quod ex uno isto orta fuissent. Accessit legum morumque similitudo, & regnantium, populorumque cognatio, fœdusque & mutua velut substitutio, quæ aliquid unionis adhuc præ se ferret. Sed quomodo sit adpellanda illa reip. forma, quando duo aut tres Augusti indivisim imperium administrarunt, non ita in expedito est pronunciare. Sane duo constituere Aristocratiam nequeunt. Cum enim uterque pari sit potestate instructus, (quod supponitur,) non nisi pacto inter se possunt connecti; & nulla est ratio expediendi negotia, si istos dissentire circa eadem contigerit, dum nemo adest, qui momentum alterutrius sententiæ possit addere. Et quamvis idem incommodum videatur comitari collegium, quod ex pari numero assessorum constat; non tamen ita frequenter eveniet, ut diffensione oborta, paria sint suffragia. Ac facile est, ut inter plures unus in alteram partem trahatur. Aut si id fieri nequeat, proximum erit, ut illa sententiâ obtineat, quæ nihil innovandum, sed rem in antiquo statu relinquendam censet. Deinde ne ubi tres quidem Augusti simul imperium tenuerunt, videtur proprie loquendo aristocratia constituta. Non enim isti triumviri, aut tres Augusti in tale corpus aut collegium coaluerunt, in quo per plurimum suffragia de negotiis imperii statueretur, duoque consentientes possent tertium pro imperio adigere ad sequendam ipsorum sententiâ. Quod si autem existat collegium, in quo major pars ad se nequeat trahere minorem, illud vinculo potius nudi pacti, quam imperii videtur contineri.

Ergo

cebatar, compertum, ad epulas vocatum, Theudericus dolo occideret. Scilicet uti est apud *Euripidem Andromache*: ἐδὲ γὰρ ἐν πόλει διαλυχαί τὸ γαμίδες μὲν ἀμείνων φέρειν, ἀχθῶν τ' ἐν ἀχθῶν καὶ εὐσις πολιτῶν. *Neque enim in urbibus duo imperia facilius possunt ferri quam unum.* Est enim *onus supra onus, & seditio civibus.* *Plinius Panegy.* *Quantillum refert deponas, an partiarum imperium? nisi quod difficilius hoc est.* Add. *Herodianus* l. 4. c. 1. *scqq.* Ac in universum ad imperia ejusmodi polyarchica adplicatur sententia *Selymi*, qui Imperium Germanicum *testudini* comparabat, quæ multo labore in harmoniam temperatur, non diu duraturam. Cæterum ad irregularitatem spectare non arbitramur, quod de *Dayro* in *Japonia* refert *Franciscus Carron*, legitimo regni hærede, sed cui à possessore imperii nil præter splendor adparatus, & inania honoris relicta sunt. Sic in regno *Tunquin*, prout refert *Alexand. de Rhodis itiner. part. 2. c. 6.* duo reges sunt, quorum unus *Bua*, alter *Choua* vocatur; sed ut penes illum titulus duntaxat, penes hunc revera imperium sit, excepto quod *Bua* titulum doctoris confert, & jusjurandum civium, quod singulis annis renovatur, recipit; de cætero tempus in otio veteri palatio inclusus exigit.

§. 16. Systemata civitatum à nobis adpellantur plures una civitates, vinculo aliquo peculiari & arctissimo ita inter se connexæ, ut unum corpus videantur constituere; quarum singulæ tamen summum in sese imperium retineant. Ex quo primum adparet, non statim, si quæ civitas ex pluribus corporibus subordinatis sit composita, eam ideo inter systemata referendam; ut ut eam *Hobbes Leviath. c. 22.* systematis vocabulo nuncupet, & partes istas cum musculis in corpore humano comparet. Sicuti nec statim systemata sunt magnæ civitates, quæ incrementa sumserunt, absorptis aliis civitatibus, & in unum secum corpus redactis. Id quod duplici potissimum modo fieri videmus. Uno, ut victor devictarum civitatum cives in suas quoque sedes transferat, aut jure prioribus civibus exæquet: altero, ut devictæ civitates antiquis in sedibus relinquuntur, & extincto, quod penes se antea habebant, imperio, victrici civitati mere fiant subditæ. Utrunque victa civitas esse desinit; sed illic victi victoribus exæquantur, heic fere deteriore conditione esse jubentur, in formam provinciarum redacti. Et si frequenter etiam bello devictis provinciis aliqua pars antiquorum privilegiorum aut legum relinquatur, ut ut à legibus aut moribus victricis civitatis discrepantium. Vid. *Hobbes Leviath. cap. 26.*

Nam

Nam ad unitatem civitatis non requiritur, ut omnes ejusdem partes integrantes iisdem utantur legibus positivis, aut pari omnes conditione habeantur; sed sufficit, si ab uno omnes imperio dependeant. Et sæpe inter artes victoris est, de pristino more eorum, quos vicit, nihil immutare, aut ad istum sese paulisper attemperare. Cæterum circa administrationem provinciarum expendenda sunt, quæ tradit *Hobbes Leviath. c. 19.*

Quando Romani quondam v. g. Judææ per præsidem imperabant, resp. Judaica ideo non erat democratica; quia non regebatur per ejusmodi concilium, in quo quilibet Judæorum comparere poterat; sed nec aristocratia erat, quia non regebatur ab ejusmodi concilio, in quod pauci electi ex ipsis Judæis admittebantur. Verum imperabatur ipsi ab uno præside, qui intuitu populi Judæici, cujus nulla in imperio partes, pro monarcha erat habendus. Quanquam enim, ubi populus regitur per concilium, quod ex ipso constat, aut eligitur, resp. vocetur aristocratica & democratica; tamen ubi populus regitur à concilio, quod ipse non eligit, pro monarchia haberi oportet, non unius hominis in alios homines, sed unius populi in alium populum. Sic igitur *Hobbes* pro monarchiis videtur habere etiam illas provincias, quæ civitati aristocraticæ aut democraticæ subsunt. Enimvero etsi facile admittamus, frequentius esse, ut provinciæ regantur ab uno homine, quam concilio ex pluribus constante, id quod *Idem d. l. c. 22.* latius ostendit: tamen supervacuum nobis videtur disquirere, quænam forma reip. sit in aliqua provincia. Nam provinciæ civitates esse desiderunt; factæque sunt aliarum civitatum appendices, quæ in seipsis nihil imperii habent. An autem ejusmodi provincia ab uno præside, an ab aliquo concilio regatur, ad ipsum imperium nihil interest; cum tam ille, quam hoc, delegata duntaxat potestate utatur. Sic ut quod in provinciis sive appendices civitatum exercetur imperium uniforme videatur, & non nisi improprie monarchicum aut aristocraticum dici queat; quippe cum isthæc formarum reip. discrimina ad civitates proprie dictas pertineant, & quæ suum in seipsis imperium possident.

§. 17. Systematum proprie dictorum duas potissimum deprehendimus species; unam, si duæ pluresvè civitates unum & eundem habeant regem; alteram, si duæ pluresvè civitates foedere in unum corpus connectantur. Circa priora systemata observandum, in corporibus moralibus utiq; fieri posse, ut plura corpora unum duntaxat habeant caput; utq; adeo una persona caput esset possit plurium & distinctorum corporum.

Id quod in corporibus naturalibus monitrosus erat futurum. Quia autem unio ejusmodi systematum in sola persona regis, aut ejus familia fundatur; inde fit, ut ista extincta, ad singulos populos seorsim redeat jus de suo regimine pro arbitrio statuendi, neque ipsis necessarium sit deinceps eodem capite uti. Quin & durante isto capite, singulae civitates revera distinctae manent. Possunt porro ejusmodi systemata oriri variis ex causis; quos inter frequentissima videntur matrimonia principum, & jus haereditarium. Sunt enim civitates, in quibus summum imperium etiam ad foeminas, ex familia regnatrice oriundas, devolvitur, non solum quando omnes masculi ex eadem deficiunt, sed & ubi in propiore, aut pari gradu nullus masculus extiterit. Haec igitur si contingat, foeminam regni dominam nubere viro eidem regi, saltem in ipsorum sobole regnorum fiet conjunctio. Nam in ejusmodi matrimonii non est necessum, ut uxor mariti sese imperio una cum regno suo subiciat. Sic si contingat in regno indivisibili, ubi successio haereditaria simplex, aut linealis est recepta, ut ex remotioribus regni haeredibus aliquis novum sibi regnum quocunque modo adquirat; si propioribus extinctis, illum lex successionis ad regnum vocet, noviter quaesitum regnum utique cum avito copulabitur. Idem accidit, si populus regem eligat, qui jam antea regnum aliud possidet, aut quem alterius regni successio manet. Possunt quoque duo aut plura regna foedus inire, ut eundem regem concordibus suffragiis eligant; & tamen de caetero singula regna separata maneat, nec negotia sua in communi aliquo concilio expediant. Denique exsurgit quoque ejusmodi systema, si rex aliquis, libera populi voluntate constitutus, armis sibi subiciat alium populum, proprio nomine ac periculo, propriisque sumptibus, non nomine aut sumptibus populi, cui praest. Id enim fieri posse contra *Hotemannum quaest. illustr.* i. satis ostendit *Grotius* l. i. c. 3. §. 12. Dissolutionem ejusmodi systematum fieri patet, extincto rege, in cujus solius persona unio fundata erat; aut extincta familia regnatrice, si singula ad eam jure haereditario pertineant. Tunc enim ad singula regna seorsim redit jus novum sibi regem constituendi, aut quam velint reip. formam introducendi, inconsultis reliquis. Ponimus enim, nullo praeterea vinculo ista regna fuisse conjuncta. Sic si contingat, regem unum quidem regnum jure haereditario possidere, in alterum autem adscisci per liberam

ram electionem, isthoc rege mortuo dissoluta erit regnorum conjunctio; nec necessum erit, ut posterius regnum regis defuncti filium sibi imponat. Quod si autem unio ista nitatur foedere, inter regna unita inito, apertum est, capitibus foederis saltem præcipuis violatis, unionem abrumpi posse ab illis, qui per alios læsi sunt. Ubi tamen accurate distinguendum est inter obligationem, qua singula regna regi tenentur, & qua ipsa regna inter se connectuntur. Rex semel à civibus electus, & cui fides data fuerit, destitui ob quævis prave facta, aut conventioni suæ contraria non poterit, quamdiu sese apertum regni hostem non tulerit. Nisi forte pacto inter regem & regnicolas clausula commissoria sit expresse inserta, ac omne subditorum obsequium ab impletione omnium & singulorum pacti capitum tanquam à conditione sit suspensum. Ast obligatio, quæ regnis unitis invicem intercedit, abrumpi potest ex parte ejus, in cujus fraudem leges unionis sunt violatæ, utut læsio non adeo enormis fuerit; si modo alia regna ad eam læsionem concurrerint, aut illa in horum usum suscepta aut conversa sit. Unde rege defuncto, regnum læsum unioni poterit renunciare, salva actione adversus autores, adjuutores vè læsionis, rerumque ablatarum vindicatione. Quod si autem per matrimonia principum utrinque hæreditariorum jungantur plures civitates, in quibus diversus succedendi ordo est receptus, dissolvetur unio, si talis emergat casus, ut eadem persona in singula regna succedere per leges publicas non sit idonea. Ponamus unita esse duo regna, in quorum uno sit recepta successio linealis agnatica, in altero cognatica. Heic si contingat, communem regem mori sine prole mascula, relicta tantum filia, posterius regnum devolvetur in filiam, prius in proximum agnatum. Quod si autem unio, quæ ab initio occasione matrimonii contracta est, postea confirmetur & perpetua esse jubeatur, foedere inter omnia & singula regna invicem inito, aut sanctione communis regis, ab omnibus & singulis regnis approbata; eo ipso varietas, quæ antea circa successionem deprehendebatur, sublata esse intelligetur. Deinceps autem sequendus erit ille succedendi ordo, qui expresse in foedere vel sanctione est designatus, vel quem autorem unionis maxima probasse constat, aut qui rationi, & regnorum saluti maxime congruit. Ast ubi contingat, ut unum regnum alteri tanquam provincia subjiciatur, unio ex foedere resultans exspirat, & in ejus locum ætior coalitio in eandem civitatem subit.

§. 18. Alterum genus systematum est, quod constat ex pluribus civitatibus foedere perpetuo inter se nexis; cui fere occasionem dedit, quod singulis quidem civitatibus *aislorepular* suam retinere placeret, nec tamen singulis sat virium esset communibus hostibus repellendis. In eo foedere conveniri solet circa exercendam communi consensu unam aut alteram partem summi imperii. In hoc enim foedus, systema producens, potissimum videtur differre ab illis foederibus, quae alias frequentissima inter civitates iniri sueverunt; quod in hisce singuli foederati proprio ex judicio sese determinent ad mutuas quasdam praestationes, ita tamen ut de caetero exercitium istius partis imperii, ex qua praestationes illae fluunt, hautquaquam socii consensui velint alligare, nec de plenissima & illimitata sua potestate remp. gerendi quidquam delibare. Sicut & simplicia foedera ut plurimum particularem duntaxat diversarum civitatum utilitatem; in unum conspirantem, sibi habent propositam; nec perpetuam aliquam conjunctionem in negotiis summam rerum spectantibus producunt. Quae in foederibus systematicis secus sunt; quorum is est scopus, ut in perpetuum distinctae civitates summam salutis suae invicem habeant implicitam, atque eo nomine exercitium certarum partium summi imperii ex mutuo sociorum consensu suspendant. Longe aliud quippe est; ego tibi in isthoc bello auxilium feram, & qua ratione hostis sit invadendus, communiter statuemus: &, nemo nostrum, qui societatem coivimus, jus belli & pacis exercebit, nisi de communi omnium consensu. Diximus autem, per istiusmodi foedera certarum duntaxat partium summi imperii exercitium a consensu sociorum suspendi. Nam vix videtur contingere, plurium civitatum rationes ita esse invicem innexas, ut omnium & singularum inter sit, nullam partem summi imperii nisi consensu univrsarum exerceri. Aut si tales dentur, praestabat ipsas in unam potius civitatem coalescere, quam foedere duntaxat necti. Igitur conveniens erat, singulas civitates liberum sibi servare exercitium illarum partium summi imperii, quae quomodo gerantur, reliquarum parum aut nihil, saltem directe, interest. Item quae circa negotia quotidiana occurrunt, aut quae moram non patiuntur, ut super iis cum aliis consultetur. Enimvero illa negotia, ex quibus omnium sociorum salus conjunctim pendet, communi consilio tractari omnino par fuerit. Quae inter primum videtur locum occupare bellum,
tam

genus vitæ marum est, quod dicitur
 potius inter se necis, cui inter
 civitates ad unum suam manum
 va. am esset communibus abis
 et erat soler circa exercituum
 partem summam imperia
 nam videretur distere ad la
 et civitates. nisi fuerant. quod
 no se se determinentur in
 e. cetero exercituum. dicitur
 haatiquam loca continere
 ara sua potestate comp. grem
 a fœdera ut plurimum partem
 ratem; in unum cooptantem
 in aliquam conventionem
 odant. Quæ in re de
 us, ut in perpetuum dicitur
 deant impunitam, atque eo
 tum imperii ex multo locum
 quippe est; ego tunc
 it invadendus, comman
 m coartatus, ius belli & pacis
 a. Diximus autem, per
 in summi imperii exercituum
 derur contingere. p
 omnium & linguarum
 sentu universarum exerc
 potius civitatem
 mens erat, ut quibus
 tum summam
 el. hanc dicitur
 t quæ moram
 vero illa regona
 c, comman
 ur locum occupat

ram quod ab aliis propulsatur, quam quod aliis ultro infertur; & qua istud finitur, pax. Cui ad jungenda sunt tributa, quantum communi bello inserviunt: & fœdera cum exteris, ad communem salutem spectantia. Quod & illud pertinet, ut si quid controversiarum inter ipsos socios oriatur, reliqui, quorum nihil interest, statim tanquam mediatores interveniant, nec ad arma rem pervenire patiantur. Apud Polybium l. IV. c. 24. ita Philippus rex dicit: *Injurias, quas sibi invicem socii inferrent, in tantum ad se pertinere, ut verbis apud presentes, & literis ad absentes malo medeatur, atque commanem societatem attingant, ea esse, quæ sola ad totius concilii curam pertinerent, ut iis prospiciant, atque remedium afferant.* Reliqua autem, quæ communi consilio exerceri non adeo necessarium videtur, ut sunt fœdera commerciorum, tributa, quæ ad singularum civitatum necessitates requiruntur, constitutio magistratuum, leges, jus vitæ & necis in cives, jus circa sacra, & quæ sunt alia, in singularum civitatum arbitrio relinqui nihil obstat. Et si & ista quælibet civitas ita moderabitur, ut ne totum systema inde perturbetur. Ex quibus illud liquet, unum atque alterum sociorum à reliquis non posse impediri, quo minus pro suo arbitrio exerceat illas partes summi imperii, de quibus communi consilio exercendis in fœdere nihil conventum fuit. Super jure tamen vitæ & necis scrupulus potest oriri ex l. 7. §. 1. D. de captiv. & postlim. *At sunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus.* Eum ut eximat operose satagit Grotius l. 1. c. 3. §. 21. quem tamen nihil agere, facile agnosceret, qui penitus locum inspexerit. Sane enim nihil ibi respondetur ad hoc dubium: quomodo illa civitas libertatem illibaram retinere queat, *cujus cives* alia civitas suo jure ad tribunal suum evocare, inque eos ibi possit animadvertere. Sane maximum detrimentum judicabatur cepisse libertas Achæorum, quando prodicione Callicratis, præstantissimi ejus gentis viri, insimulabantur rebus Persei contra Romanos studuisse, hique Romam ad dicendam causam evocabantur, occasione arrepta, quod Xenon conscientia innocentiae fretus dixisset: se paratum esse, si quis ipsum accusare velit, in ipso Achæorum confesso, vel ipsos apud Romanos judicium subire. Qua de re latius Pausanias *Achaicis*. Eandem quoque tangit Polybius *excerpt. legat. CV.* Sicuti & in eo Achæi videntur leges regularis societatis transgressi, quod eos Spartanos, qui

qui autores fuerant, ut Las vicus oppugnatus esset, sibi dedi poscerent ad supplicium, apud *Livium* l. 38. c. 31. Cum prius disceptanda in communi concilio causa esset, & crimine comperto postulandum, ut Spartani suos cives aut ipsi punirent, aut dederent. Nobis planissima responsio ad *L.* videtur, cum in antecedentibus verbis dictum fuerit, quid natura foederum ferat, & quid debeat fieri, allegatis verbis exponi, quid posterioribus temporibus factum fuerit; quando Romani, superbiam addente fortuna, socios, qui ultro ipsorum amicitiae per foedera accesserant, pari modo ac bello devictos tractabant. Qua de injustitia queritur ipse *Cicero Off.* 2. Addatur exemplum de Decio Magio ab Hannibale victo apud *Livium* l. 23. c. 7. 10. & quod Scipio dissuadet, ne Romani delatores Hannibalis audiant, apud *Eundem* l. 33. c. 47.

§. 19. Quia autem in hisce systematibus invicem communicari debent certa negotia, foedere expressa, atque id circummissis literis ita commode fieri nequit; necessum est, certum locum tempusque constitui agendis conventibus; & si quid extra ordinem inciderit, moram non ferens, unum pluresvè designari, penes quos sit socios convocare. Quamquam longe compendiosius fuerit, si certo in loco resideat perpetuum aliquod concilium, ex delegatis singulorum sociorum constans, cui potestas sit, quotidiana aut minoris momenti negotia ex formula mandati expediendi: quodque si gravius quid inciderit, ad singulos socios referat, & quae ipsis placuerint promulget atque exsequatur; cui directe exponantur, quae abs communibus sociorum ministris apud externos agentibus referuntur; quod item cum exterorum legatis tractet, & communium sociorum nomine cum istis negotia concludat. Sed abs quo nihil, mandati sui limites excedens, decernatur, nisi prius ad omnes socios super eo fuerit relatum. Quantum autem ejusmodi concilio deputatorum potestatis competat, ex ipso foedere, aut mandatis eorundem cognoscendum erit. Id sane constat, quidquid id est, alienum esse, & à sociis delegatum; & quanquam decreta ab eodem promulgata ipsius solius nomen præ se ferant; vis tamen omnis, atque autoritas à sociis, qui id constituerunt, promanat. Sic ut isti deputati sint duntaxat ministri sociorum, neque hisce pro imperio magis aliquid possint injungere, quam legatus illi, abs quo mittitur.

§. 20. Cæterum dubitari adhuc possit, an non universitati sociorum,

rum, aut majori parti sit potestas in singulos aut pauciores circa illa negotia, ob quæ societas fuit inita, & quæ ut communi consilio gerantur, expresse in foedere fuit designatum; hætenus ut ad id, quod majori parti placuit, pauci quoque dissentientes nolentes volentes teneantur. Id quod nobis negandum videtur, siquidem agatur de systematibus regularibus, & ubi singulæ civitates suam sibi libertatem reservant illibatam. Nam quo minus tale quid obtineat in systemate aliquo irregulari, & quod propius ad naturam civitatis accedit, nihil impedit. Scilicet libertas civitatis, quæ nihil aliud est, quam facultas ex proprio judicio de negotiis ad sui conservationem spectantibus ultimato statuendi, nequit intelligi, ubi ipsa pro imperio ad aliquid suscipiendum invita ab alio possit adigi. Neque obstat, quod in foedere conventum fuit de certis partibus summi imperii non nisi communi consilio exercendis. Aliud enim est, si dicam: ego non exercebo meum jus, nisi vobis volentibus: aliud, si dicam, vobis facultas erit, etiam invitum me adigendi ad jus meum exercendum. Prius duntaxat, non posterius in foedere continetur. Ea res ut penitus intelligatur, probe observandum est, ut plurium hominum voluntates in unum teneantur conspirare, id oriri vel ex nuda conventionione, vel ideo quod unus voluntatem suam alterius voluntati submiserit. Conspiratio voluntatum ex nuda conventionione libertatem illam, de qua innuimus, haut quidquam tollit. Nam vel in antecessum communi consensu statuitur de negotiis junctim expediendis; vel si quid deinceps statuendum est, ad id singuli non imperio, sed per solas rationes volunt adigi. Ast verò quando voluntatem meam alterius voluntati submisi, eoque ipsi eisdem in me imperium contuli, etiam ad illa possum obligari, quæ fortasse mihi displicent. Neque est, quod quis nobis occinat jus illud majoris partis. Vid. *supra* l. 7. c. 2. §. 15. Nam primo major pars ad se trahit minorem in cœtibus duntaxat constitutis, non in iis, qui adhuc sunt constituendi. Deinde revera ex instituto & conventionione hominum, non à natura est, quod in cœtibus constitutis major pars obliget universos; etsi naturalis ratio illud tanquam convenientissimum suadet recipi in cœtibus numerosis, & ubi varia & quotidiana negotia sunt expedienda. Atque hoc ut fiat, necessum erit singulos suam voluntatem submittere voluntati universorum, aut majoris partis hætenus, ut illi etiam dissentientes teneantur omnino sequi, quod hi de-

Q q q q q

creve-

creverint : id quod sine imperio horum in illos nequit intelligi. Neque vero in conventibus sociorum jure illo majoris partis adeo videtur opus, cum & isti ex populis non ita multis soleant constare, & communi utilitate maxime jungantur, cui nemo sanus pertinaciter reluctari præsumitur. Quod si tamen alicujus malitiosa, & rationi cedere abnuens pervicacia cæterorum salubri consilio sese ad jungere adspernetur, communemque salutem aut utilitatem hoc modo proditum eat, licebit adhibere illa media, quæ in naturali libertate viventibus contra violatores patrum competunt. Nisi magis placeat ejusmodi intractibilem societate penitus excludere. Quid quod & sæpe magna cum iniquitate conjunctum foret, si in systemate sociorum plura suffragia reliquos stringerent; quando nempe socii disparibus sunt opibus, adeoque unus plura confert ad communem salutem, quam alius. Quanquam enim æqualia videntur conferre, qui pro ratione suarum opum conferunt: sæpius tamen contingere potest, ut quis modicas suas fortunas periculo malit exponere, quam alter opimas. Sic ponamus in aliquo systemate unam civitatem ad defensionem communem plus conferre, quam reliquas omnes conjunctim sumtas, sane iniquum foret isthanc invitam per reliquas consentientes adigi posse ad aliquod negotium, cujus onus ipsi maxime est incubiturum. Vid. *Grotii Apologeticum* c. 1. *sub finem*. Quod si autem suffragia debeant valere, prout quisque ad societatem confert, eo ipso prævalidæ illi civitati in reliquas imperium dabitur. Add. *Diodorus Siculus* l. XV. c. 28. Ex quibus omnibus colligitur, sicubi negotia ex majori numero suffragiorum deciduntur, ita ut dissentientes quoque obligentur, à regulari forma systematum discedi, & vel irregulare corpus, vel civitatem unam effici.

§. 21. Dissolvuntur ejusmodi systemata, ubi quidam socii à fœdere ultro discedunt, suasque civitates seorsim administrant; quod fere ob eam rationem contingit, si plus utilitatis ex separatione, quam ex conjunctione sperant, & socios oneri magis sibi, quam subsidio judicant esse. Add. *Livius* l. 38. c. 31. 32. Eadem quoque abrumpunt bella intestina, nî cum pace iterum leges fœderis renoventur. Ubi bello externo systema infeliciter fuerit defunctum, quandoque inter artes victoris est, fœdus dissolvere, singulisque civitatibus *à Grotio* imperare. Id quod Romanis

mani Achæis quondam faciebant. Conf. *Xenophon* l. 4. & 5. *verum Græcarum*, ubi de pace Antalcidæ agit. Est præterea observandum circa dissolutionem systematum, quæ per vim externam fit, quod ubi una vel altera sociarum civitatum ab hoste fuerit occupata, eo ipso haut quidquam is ad reliquas jus aliquod nanciscatur, aut statim ex vi foederis, quo victa civitas reliquis juncta erat, in societatem sit recipiendus. Sed nova omninò conventionem opus est, ut quis in locum victæ civitatis de foedere participet. Sicuti quondam Philippus decreto Amphictyonum in eorum confessum loco Phocensium adsciscabatur, apud *Diodorum Siculum* l. XVI. c. 61. Quanquam enim foedus, quo plures civitates in systema junguntur, reale videatur; & civitas, mutata reip. forma, eadem esse non desinat: tamen foedus illud expirasse censetur, quando civitas vi sub jugum redacta, aut alterius imperii accessio facta fuerit. Cum enim foedus initum sit inter civitates ut tales, igitur foedere excidit, quæ civitas esse desierit. Et si vel maxime in foedere sit cautum, ut ob mutationem reip. à foedere quis non excidat; tamen illa mutatio præsupponitur debere fieri via legitima, per ultro concensum populi. Adcoque neque in vafori injusto, neque hosti extraneo in concilio sociorum locus erit. In perfectam autem civitatem coalescere talia systemata contingit, si omnes socii summo imperio unius concilii aut hominis ultro se subjiciant. Item si unus populus, potentia præpollens, reliquos in provinciarum conditionem redegerit. Quod fere contingit, quando imbecilliores validiori permanentem aliquam prælationem deferunt, & inæqualiter foederati fiunt. Vid. *Grotius* l. 1. c. 3. §. 21. *circasfnem*. Denique si unus favore militum, aut populari aura, vel per factionem præpotens, imperium invadat.

§. 22. Solet denique hoc loco disceptari super præstantia formarum reip., quænam alteri præferri mereatur eo nomine, quod vel per illam salus civitatis expeditius & certius procurari possit, vel quod vis imperii minus ad abusum pateat. Ubi hoc quidem apertum est, nullam formam reip. ita accurate posse legibus adornari, quin per socordiam aut malitiam imperantium ex illo ipso regimine, quod in salutem civium institutum est, aliqua incommoda in eosdem redundare queant. Cujus rei causa est, quia summum imperium est institutum ad re-

Q q q q q 2

pellen-

pellenda mala, quæ mortalibus abs se invicem impendent. Atqui illud ipsum imperium fuit conferendum in homines; qui utique ab iis vitiis, quæ in homines ad se mutuo infestandos proritantur, non sunt immunes. *Vitia erunt, donec homines.* Sic ut aliquando ab his illud experiamur, adversus quod iidem præsidio nobis esse debebant. Unde & contingit, ut *quicquid delirant reges, plectantur Achivi.* Ergo uti plenam perfectionem conditio rerum humanarum non admittit; ita in qua reipubl. forma minimum malorum sit metuendum, multi disputant. Ita tamen, ut plerique pro monarchia calculum ponant. Vid. *Isocratis Nicocles.* *Herodotus Thalia*, ubi Principes Persarum post interfectos Magos de forma reip. introducenda deliberant. *Euripides Supplicibus vers. 405. seqq.* *Bodin. de rep. l. 6. c. 4.* *Arniseus relect. polit. l. 2. c. 7. sect. 2.* & passim plurimi. Ex adverso nihil, quod in monarchas maligne aut invidiose dici queat, videtur omis- sisse *Scriptor Belgicus Bilancis politica.* Quorum tamen non pauca retundi possunt per *cap. X. Hobbesi de Cive, & Leviath. c. 19.* Singula excutere extra nostrum est institutum. Id duntaxat monendum fuerit, istorum argumentis tantam haut quidquam inesse vim, ut quæ inde colliguntur, semper & ubique necessario evenire debeant. Neque unius vel alterius facta universo ordini imitandi necessitatem imponunt. Sed & judicaverim, boni atque commodi civis esse, meditari illud *Marcelli apud Tacit. H. IV. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres atque instituerint: ulteriora mirari, presentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare.* Non alienum autem ab hoc loco fuerit paucis ostendisse, quare tam invisæ olim fuerint apud Græcos, qui monarchicum imperium in civitatibus democraticis & aristocraticis invaserant, & quare per ejusmodi malas artes conservare statum suum instituerint, quæ ab *Aristotele* & aliis descriptæ inveniuntur, ob quas tyrannorum vocabulo perpetua velut detestatio adhæsit. Nam civitates Græcicæ fere ambitu unius oppidi continebantur. Qualibus civitatibus quam optime competit democratia, aut aristocratia modeste exercita, aut denique regnum, *Aristoteli* dictum heroicum, seu principatus autoritate potius suadendi, & opinione excellentis virtutis, quam imperio subnixus. Et propter erectum & irrequictum ingenium natio Græca maxime deperibat illum statum, in quo quilibet partem reip. facere posset. In tali ergo civitate qui monarchiam, invisissimam civibus, ipsisque

invi-

invitis invaserat, ut se conservaret, necessum habebat arce urbem premere, & satellitium sibi validum circumponere, idque exteris constans, cum neque civibus suis fidere posset, nec permutatis diversorum locorum militibus unam provinciam per alteram coercere. Istius exteri satellitis fides sola stipendiorum magnitudine erat pigneranda; inde ut sumtus suppetere, cives tributis erant attenuandi; tum iidem exarmandi & ad imbelliam redigendi, summa papaverum capita demetenda, conventus civium prohibendi, inquisitores alendi. Unde non iniusti solum, sed & vesani erant isti tyranni, qui tale imperium affectabant, quod per malas artes, quæ ad diurnitatem non facerent, erat conservandum, & ubi civium amorem acquirere non dabatur. Et æque incongruum in civitate monopoli monarchiam instituere, quam in aliquo populo, latam regionem insidente, democratiam. Enimvero cum monarchiæ, magna terrarum spatia amplexæ, hisce artibus ad sui conservationem non indigeant; quippe in quibus una provincia per alteram librari possit; ideo non minus turpissime peccant, qui monarchis magnorum populorum istas tyrannorum artes exercendas suggerunt, quam qui odium tyrannorum istorum Græcanicorum in quosvis monarchas transfundere satagunt. Ex quibus & hoc patet, in magna civitate longe securius degere monarchas, quod non ita facile communicari invicem & conjungi possint refractarii cives, cæterosque contactu suo inficere; sicut in civitate, quæ uno oppido continetur, fieri potest, ubi pauci repente & antequam imperans deprehendat, furorem suum in universos diffundere possunt.

CAPUT VI.

DE AFFECTIONIBUS SUMMI IMPERII.

- | | |
|---|---|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Imperium in civitate quare summum dicatur? 2. Illud qui habet est æquum & iustum? 3. Et legibus humanis superior. 4. De distinctione inter majestatem realem & personalem. 5. Reges universo populo superiores esse posse, ostenditur. 6. Et rationes in contrarium dissolvuntur. | <ol style="list-style-type: none"> 7. Imperium absolutum quid? 8. Non deprehenditur aequè in omnibus rerum formis. 9. Imperia limitata unde? 10. Quibus pactis illa existant. 11. Qua ratione diversa partes imperii limitentur. 12. De potestate ordinum. 13. Hobbesio respondetur. |
|---|---|

L 9 9 9 9 3

14. Mo-

14. *Modus habendi imperium quotu-
plex?*

15. *An detur summum imperium tem-
porarium?*

16. *De regnis patrimonialibus.*

17. *De regnis libero consensu populi
constitutis.*

Inter affectiones imperii primo loco occurrit, quod idem sit, & dica-
tur *summum*. Cujus denominationis potissima causa hæc videtur,
quia major quam isthæc potestas homini in hominem nequit compe-
tere, quam ut hic ad istius arbitrium vires opesque suas adplicare ad bo-
num publicum teneatur, ac juri vitæ, & necis obnoxius sit. Quo &
hoc accedit, quod, uti singulorum hominum nulla major libertas, po-
sito Dei imperio, intelligi potest, quam ut proprio ex judicio de actioni-
bus, viribus, & facultatibus suis possint disponere; ita in cœtu aliquo
summa libertas inde sit metienda, quod iste proprio, & aliunde non de-
pendente judicio possit decernere de illis, quæ ad commodum & salutem
ipsius facere videbuntur. Ex quo & illud consequitur, quia id impe-
rium est summum, seu à superiore homine in his terris non dependens;
ideo non posse ipsius actus alterius voluntatis humanæ arbitrio irritos
reddi. Nam ut quis propriæ voluntatis decreta mutare queat, id ipsum
ex libertate est.

§. 2. Eandem quoque ob rationem ἀνωτάτω erit, qui sum-
mum imperium obtinet, i. e. neque rationibus reddendis, neque pœnæ
humanæ obnoxius. Utrumque enim superiorem præsupponit, qualis
heic citra contradictionem intelligi nequit; cum summo superius in
codem ordine dari nequeat. *Salustius Jugurth. Impune quidlibet facere, id
est regem esse. Plinius panegy. Illud in principatu beatissimum, quod nihil
cogitur.* Observandum tamen est, duplici modo rationem reddi; vel ut
superiori, qui nisi eandem ipsi adprobavero, acta mea rescindere, & pœ-
nam infligere in super queat; vel ut æquali, & cui simpliciter mea gesta
probari volo, eo duntaxat sine, ut vir bonus & prudens ab ipso habeat.
Priori modo summum imperium nemini homini rationem tenetur red-
dere, posteriori modo sæpe conantur famæ curiosi principes rerum sua-
rum rationes universo orbi reddere, tuendæ existimationis causa; id quod
nihil subjectionis arguit. Sic de propria pecunia erogata facere mihi licet
quod lubet; & tamen interdum rationes meas extare volo, ut ne pro dis-
solato, aut stolido patre familias habear. Sic nec pœna in eo potest lo-
cum

cum habere, pro quo nullum extat forum, neque iudex, qui sententiam ferre possit, & exsequi. Nam fora, quæ in civitatibus extant, ad subditos tantum spectant, & omnem vim ab ipso summo imperio mutuuntur. Quod si autem principes alicubi in proprio sese foro conveniri patiuntur, super debitis, & similibus causis, id non fit quasi forum istud agnoscerent se superius, & cuius potestate cogi possent: sed tantum liquido actoris prætensionem cognoscere cupiunt, de qua ubi constiterit, ultro obligationem suam explere volunt. Est tamen sermo proprie de poena humana, quam iudex humanus tanquam superior infligit. Nam divina poena variis sese modis solet exserere erga violatores legis naturalis, quibus alias tribunalia humana haut quidquam metuenda sunt. *Horatius l. 3. Od. 1. Reges in ipsos imperium est Iovis.* Quod autem Ægyptii defunctis regibus, qui imperium prave gesserant, sepulturæ honorem denegabant, vix poenæ rationem videtur habere. Vid. *Diodor. Siculus l. 1. c. 72.*

§. 3. Eo ipso quoque, dum imperium civile summum fertur, legibus humanis solutum, aut potius superius intelligitur. De divinis enim & naturalibus legibus quæstionem movere stolidum fuerit. *Plutarchus ad principem indoctum.* Quis ergo imperabit principi? *Lex, omnium rex mortalium atque immortalium, ut ait Pindarus, non ea foris scripta in libris, aut lignis insculpta: sed viva in ipsius corde ratio, semper una habitans atque excubans, & animum nunquam sinens esse principatus vacuum. Seneca Thyeste: Omne sub regno graviore regnum est.* Humanæ autem leges nihil aliud sunt, quam summi imperii decreta circa ea, quæ subiectis ad salutem civitatis observanda sunt. Hisce directe non obligari summum imperium patet. Summum enim est: ergo à superiori homine obligatio ipsi non potest accedere. Se ipsum autem per modum legis i. e. per modum superioris obligare nemo potest. Vid. *Hobb. de cive c. 6. §. 14.* Et si velut per reflexionem sua obligari lege quandoque legislatorem constet, ex æquitate naturali, & decore publico; ut quod in moribus civium tanquam bono publico expediens exigit, ipse quoque servet, excitando subditorum obsequio, & ne vetando vitia, in quibus ipse volutatur, eorundem dulcedinem aliis invidere videatur. Vid. *1. Samuel. XIV. 40. Plin. paneg. Vita principis censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti Magister est metus. Melius homines exemplis docentur quam in primis hoc in se boni habent, quod adprobant, qua præcipiunt fieri posse.*

Nec

Nec erubescendum regibus, quod *Athenaus* l. X. ex *Ctesia* tradit; apud Indos regi non licere inebriari; apud *Perfas* vero id concedi regi die uno, quo sacrificant *Mithræ*. *Claudianus de IV. consul. Honorii*. In commune jubet si quid, censusque tenendum, *Primus iussa sibi, tunc observantur aequi* Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum Autorem parere sibi. Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis. *Livius* l. 26. c. 36. Si quid in jungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse juris statueris, facilius omnes obedientes habes. *Plinius* l. 4. epist. 22. Ut in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur. *Justinus* III. 2. 8. Rosarium *Perficum* c. 1. Si rex ex subditi horto unum pomum comederit; servi ipsius arborem ipsam eruerint. Si rex quinque ovorum iniquitatem licitam duxerit; Continuo milites ejus mille gallinas veru fixerint.

§. 4. Ad vindicandam hujus imperii summitatem, in monarchiis cum primis, excutienda est vulgata distinctio majestatis in *realem ac personalem*. Quam quidem nos non absurde modo, sed & perniciosè ad imperium adplicari judicamus eo sensu, ut reali & personali majestati simul & eodem tempore in civitate monarchica locus præbeatur; adeoque in regno regi tribuatur imperium personale, populo, prout regi contra distinguitur, reale, & quidem hoc illi par, aut superius; prout alias jura realia personalibus nobiliora fere habentur. Hoc enim contradictionem involvere, & civitates facere bicipites, non sine exitiabili convulsione, in aptico est. Neque ideo necessum est duplicem majestatem fingere, quod extincto rege, aut familia regnatrice, populus sui juris evadat, hætenus, ut pro lubitu alium regem aut aliam reip. formam possit constituere. Non magis quam fingendum est in servo imperium reale, imperio domini personali contradistinctum, ideo quod extincto sine hærede domino, servus sui juris fit. Neque ad rem facit, quod *Grotius* l. 1. c. 3. §. 7. alique subjectum summæ potestatis faciunt *commune*, vel *proprium*, quorum illud sit civitas, hoc unus homo, aut concilium universorum, vel paucorum. Nam sensus iste est: si quærat confuse, ubi nam summum imperium reperiatur, responderetur, illud existere in quavis civitate: si quærat distinctius, quænam persona imperium in civitate habeat, responderetur, vel rex, vel senatus, vel populus. Sed quis inde inferat, dari duo distincta imperia, quorum unum reale in civitate resideat,

fideat, alterum personale in rege? Sicuti ineptus fuerit, qui duos distinctos visus in homine fingere velit; unum, qui sit in homine tanquam in subjecto communi, & alterum qui in oculo tanquam in subjecto proprio.

§. 5. Fuerunt, qui afferere non dubitarent; imperium regis universo populo nec posse nec debere esse superius. Cui non parum patrocinarı videtur *Aristoteles pol. l. III. c. 12.* Qui *idem d. l. c. 11.* tradit: *δὲ ἄρα τὸν βασιλεὺς μὴ ἔχει ἰσχύον· εἶναι δὲ ἑαυτὸν ἴσην ἰσχύον, ὥστε ἐκάστῃ μὲν, καὶ ἰσὺς αὐτῆς συμπλοίωνων, κρείττω, ἢ τῶν πλείονος, ἢ τῶν.* Potestatem quidem regem habere oportet; tantam vero potestatem esse, ut singulis quidem, & uno, & pluribus sit major, multitudine vero minor. Istos homines sibi oppugnandos sumsit *Grotius d. l. §. 8.* Ubi primo ostendit, licuisse alicui populo penitus & sine exceptione imperium in se aliis transcribere; cum & singulis liceat in servitutem personalem alteri sese addicere. Vid. *Exodi XXI. 6. Levit. XXV. 39. add. Seldenus l. VI. c. 7. l. 37. D. de liberali causa l. 10. C. d. t. l. 7. §. 3. l. 33. D. d. t. l. 4. D. quib. ad libert. proclam. non licet. §. 4. Instit. de jure person. & l. 6. §. 5. D. de injust. testam. Novella Leonis LIX. De antiquis Gallis *Casar de B. G. l. VI. plerique de plebe, cum aut are alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia sunt jura, qua dominis in servos.* Et si de cætero indignum videatur, cives sub absoluto monarcha viventes mancipiis comparare. *Claudianus l. 3. de laudib. Stiliconis: Fallitur, egregio quisquis sub principe credit Servitium; nunquam libertas gratior extat. Quam sub rege pio.* Huc facit illud *Apollonii Thyanaei quod Philostrat. l. v. c. 12. ὥσπερ εἰς ἀρετῆς πρῶτων, μάλιστα τὴν δημοκρατίαν ἐς τὸ εἶδος ἀδελφῶν τῶ ἀρίστῃ τὴν ἀρετῆν φαινομένη, ὥτως ἢ ἐὶς ἀρχὴ πάντα ἐς τὸ εὐμφορῶν τῶ κοινῷ προορώσα, δὴ μὸς ἐστίν.* Sicut vir unus alios virtute superans popularem gubernationem ita transmutat, ut unius hominis imperium esse videatur: ita unius hominis principatus ad communem utilitatem omnia dirigens instar populi merito habendus est. Add. *Hobb. de civ. c. X. §. 8.* Deinde afferuntur occasiones & causæ, quibus compulsus populus aliquis jus totum imperandi abs se se abdicare, & alteri tradere potuerit. Quarum complures complectitur *Cicero Offic. II. Atque etiam subjiciunt se homines imperio alterius, ac potestati pluribus de causis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magni-**

Rrrrrr

tudi-

tudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi utile futurum, aut metu, ne parere cogantur: aut spe largitionis, promissionibusque capti: aut postremo, ut sæpe in nostrâ republica vidimus, mercede conducti. Grotio istæ adducuntur; si accidat, ut populo ab hoste excidium immineat, ad quod effugiendum nulla alia pateat via, quam si citra reservationem sub alterius ditionem concedat. Vid. *Livius* l. VII. c. 31. si inopia pressus aliter non habeat, unde se sustentet. Vid. *Genes.* XLVII. 19. Si paterfamilias latifundia possidens neminem alia lege in suas terras habitatum recipere velit, quam absolutam ab ipso subjectionem stipulatus: aut si quis magnam servorum copiam ea lege manumittat. Quin & ejusmodi regiminis forma genio alicujus populi congruere potest. Neque vero semper degeneris est, aut abjecti indicium animi, absoluta monarchia gaudere; quod plerisque in democratia natis videtur; apud quos eo nomine Cappadoces male audiunt, quod oblatam à Romanis libertatem adspernati sint. Vid. *Strabo* l. XII. & *Justinus* l. 38. c. 2. *Euripides Helena* ex communi Græcorum opinione: τὰ βαρβάρων δὲλα πάντα, πλὴν ἑνός. omnes barbari servi, excepto uno rege. Quin populis, in quibus multi sunt homines impotentes, ambitiosi, elati, & æqualitatis impatientes libertas popularis est perniciosissima: iidem regnum facile patiuntur. Nam malunt uni parere, & reliquos eminere, quam æquali cum omnibus conditione degere; & dominari, ut possint servire, volunt. *Ausonius.* Imò Oriens usque ad eo Regibus sævas & olim & nunc, ut *Neuhof* in legatione referat, *Chinenses non potuisse animo concipere, quid rei essent Ordines Hollandiæ*, quod præter monarchiam nullum regiminis genus noriunt. Et Rex Pegu, cum ipsi referretur, imperium apud Venetos esse penes Senatam, effusissime risit, velut rem plane absurdam, uti refert *Caspar Balbi Venetus, in itinerario.* Ast popularem libertatem bene ferre non possunt, nisi temperato spiritu homines, sedatis affectibus, & æquo animo intra æqualitatem latere gnari. Sæpe denique civitates liberæ per turbas intestinas eò rediguntur, ut nisi sub unius absoluto imperio salvæ nequeant esse; & cum domino pax ista venit. *Lucanus* l. 1.

§. 6. Potius est excutere rationes eorum, qui realem istam, quam fingunt, majestatem populi supra reges evehere gaudent. Jactant omnes reges à populo constitutos. Atqui naturale esse, ut constituens sit constituto superior. Verum licet ad quorumlibet regum constitutionem
populi

populi consensus interveniat, inter modos tamen, quibus ille elicitur, magna est differentia. Quidam enim populi ultro sibi regem sumunt; reliqui bello aut alia necessitate subacti regem accipiunt, quem extra istiusmodi casum hautquaquam optabant. Atqui communis loquendi usus fert, ut illi demum reges à populo dicantur constituti, quos iste ultro sibi sumfit. Qui per vim bellicam, aut simili modo consensum extorquent, non à populo constituti, sed populum sibi subjecisse dicuntur. Deinde tunc demum constituens constituto est superior, si penes istum semper sit, quousque hic eo, quo positus est, loco debeat subsistere. Sed quandoque ab initio quidem ultroneæ voluntatis est, quam velis constituere; constitutione semel facta, constitutum ferre necessitatis fit. Aliqui sic respondent. Constituit quis aliquem vel in caput tertii, vel in caput proprium. Prior constituto sane superior est. Præsupponitur enim, istum tertium sub hujus esse potestate, & deinceps quoque manere. Unde necessarium est, constitutum quoque ab istius voluntate dependere. Cum enim non possit unus duobus dominis non subordinatis servire, non possum subjecto meo dominum imponere, ut non in hunc mihi maneat potestas; adeoque hic subordinatus duntaxat fiat dominus. Sic populus liber, qui ducem suis militibus imponit, & illo, & his superior est, & manet. At qui aliquem constituit in seipsum, seu qui imperium alteri in se confert, non magis eo superior manere potest, quam idem eidem eodem tempore imperare & parere. Pergunt, cum omne regimen sit eorū causâ, qui parent, non qui imperant, seu quia rex est propter populum, non populus propter regem; ideo populum utique rege superiorem esse. Idem sane, propter quod aliud est, nobilius videri eo, quod in istius gratiam est institutum. Enimvero non omne imperium, puta herile, est introductum in eorum gratiam, qui parent. Quanquam si dominus ex suo imperio fractum capere velit, necessum est, ut servi quoque curam agat. Deinde non id quæritur: pluris sit persona regis, an totus populus, si alterutri utique sit percundum: sed an quia imperium civile repertum est ad emolumentum universitatis, judicium de procurando isto fine sit potius penes eos, qui suam voluntatem voluntati regis subdiderunt, an vero penes eum, cujus iudicio atque conscientia summa rerum fuit concredita. Aliqui ex eo, quod populi ob peccata regum puniti leguntur,

inferunt, penes populum fuisse eosdem peccantes coercere; id quod sine potestate, quæ regium jus superet, intelligi nequit. Haut quidquam enim imputari mihi factum alterius potest, ad quod ego nihil contuli. Jam autem fingi non potest, quomodo populus de reatu peccati regii, quod in primis isti displicuit, participare potuerit, nisi quia regem plectere omisit. Verum id pro certo habemus, peccata regum in se non derivare aliquem reatum in subditos, nisi ipsi positive quid ad ista contulerint. *Euripides Supplicibus: ὕδ' ἂν ἀγρία πόλις κακῶς κλύουσα δὲ κυβερνήτω κακῷ. culpa vacat respublica, male audiens propter gubernatorem malum.* Ex omissione autem prohibitionis aut pœnæ haut quidquam isti possint reatum contrahere; quippe cum ipsi tanquam inferiores regum peccata neque possint, neque teneantur prohibere, aut punire. Nam uti facultas, ita & obligatio alterius delicta prohibendi ex potestate in alterum provenit, seu ex imperio, quod jus alterius actiones dirigendi involvit. Unde neque antequam rex constitueretur, cæteri ex ejus facto teneri poterant, cum æqualis in æqualem non habeat imperium; neque postquam rex est constitutus. Absurdum quippe est dictu, illos, qui ante collatum in aliquem imperium velut in æqualem non habebant potestatem pro imperio aut violenter ipsius peccata prohibendi, eandem accepisse, postquam eidem in se dederunt imperium. Sed neque ex illo pacto, quo subditi in regem absolutum imperium contulerunt, peccata regum subditis imputari possunt. Nam illo pacto impunitatem cives regi non dederunt, sed quam antea ex libertate naturali habebat, ipsi reliquerunt; cum alias nulla ratione imperium summum gerere posset, nisi à pœnis humanis foret exemptus. Ad exemplum 2. *Samuel. 24.* à *Grotio* d. l. satisfonsum. Notabilis quoque locus est apud *Martinium hist. Sinica* l. 3. c. 1. qui ad d. cap. v. 17. facit. Quod aliqui dicunt; uti qui se in servitutem dedit, jus retinet ex servitute iterum sese eripiendi: ita par jus competere populo, qui monarchicum jugum subiit: id nemo sanus admiserit, nisi addatur, ut id fiat bona cum venia domini, aut regis, quæsito sibi jure ultro cedentis. Add. *Xenophon Cyrop.* l. 3. princ. Falsum quoque est, populum, cujus ingenio absolutum quondam imperium congruebat, ubi successu temporis servilem indolem exuerit, in imperium recte excutere, & in popularem sese libertatem vindicare. Nam si talis casus emerferit, principi incumbet, ad mutatum populi genium regimen prudenter attemperare.

In-

Inepte dicitur; cum dominus re sua abutens coerceri possit, aut eidem bonis interdici, principem quoque potestate sua prave utentem in ordinem posse redigi. Nam prioris ratio est, quod principi superius jus competat in bona civium, quæ ne inutiliter dilapidentur reip. interest. At quis dixerit; subditis competere eminentius quoddam jus in jura principis, i. e. eosdem domini sui dominos esse? Ad dicta principum, quorum nonnulla ad jactantiam composita sunt, respondetur; principem utique debere omnia referre ad salutem populi. Sed ex eo nondum consequitur; cives coercere posse principem, quando judicaverint, ipsum media parum idonea isti fini adhibere. Absurde traditur; cum populus non habeat jus seipsum extinguendi; aut in corpus suum atrociter sæviendi, in regem quoque non posse tale jus transferri. Quis enim regi jus extinguendi populum asseruerit? Absolutum imperium non esse rem adeo formidabilem, mox ostendetur. Quid autem liceat populo, ubi rex aperte ad perdendum populum ruit, alibi dispiciendum erit. Nequidquam allegantur consules, & quivis alii magistratus, qui itidem supra populum constituti dicuntur, & tamen à populo quandoque in ordinem redacti sunt. Quod ex sacris historiis afferunt; Ebræos jugum vicinarum gentium excussisse, postquam Deo sat pœnarum dedisse visi fuerunt: ad id sic habendum. Aut in statu belli adhuc versabantur cum istis populis, neque fide data istorum sese regibus tanquam cives subjecerant, & hoc casu oppressores suos tanquam hostes jure belli tractare poterant: aut expressum Dei mandatum super ea re acceperant, quod siquidem à communi jure abierit, aliis imitari non conceditur. *Add. Rob. Sanderfonus de oblig. conscient. prælect. IX. §. 16. seqq. & prælect. X. §. 13. 16. 22. 23.*

§. 7. Illud præterea satis clare patet, in quibusdam civitatibus imperium, cum primis regum, circa exercendos suos actus esse liberum, alicubi ad certum agendi modum restrictum. Unde orta fuit distinctio imperii in *absolutum & limitatum*. Ubi accurate prius exponendum, quid vocabulum *absoluti* proprie notet; quod magno odio laborat apud eos, qui in liberis civitatibus sunt educati. Ac potest idem sinistre explicatum malis principibus ad remp. vexandam, & plurima scelera patranda animos addere; frigidam subinde suffundentibus adulatoribus, quibus ambitionem, & alia principum vitia alere ejus vocis jactatione in pro-

clivi est. Absolutus es: ergo si libet licet: ergo bellis non necessariis civibus juxta tuos, & vicinos attere, ut ipse magnus bellator clueas: ergo contumeliis insulta quibuslibet: ergo exactioibus atque rapinis exhauri- ves, ut ambitioni aut luxui materia suppetat. Quo spectat adulatio Ana- xarchi ad Alexandrum, ob Clyti necem dolentem: *πὼ δίκην τῆς θεῶν παρά- δρον, ἵνα πᾶν ἀρετῶμεθρον ὑπὸ βασιλείας, θεμιστὸν δοκῆ & δίκαιον. Jus & fas Iovi assi- dere, ut quicquid rex agat, id fas justumque putetur. Plutarchus ad Principem indoctum. Item illud Sophoclis Antigone: ἢ τυραννίς πολλὰ ἢ ἄλλ' ἰουδαμορεῖ, καὶ ἔστιν αὐτῇ δρᾶν λέγειν θ' ἂ βέλεται. tyranniscum aliis in rebus beata est, tum quia licet ei dicere & facere quae vult. Quin & dantur, qui absolutum jus regum ejusmodi argumentis & sententiis adstructum eunt, ut idem sola secle- rum impunitate, vexandique populi licentia metiri videantur. Igitur uti singulorum hominum summa hæc, & absoluta libertas intelligitur, quando non ad alienum, sed proprium arbitrium & judicium statuere possunt de suis rebus & actionibus, salva tamen semper observatione ju- ris naturalis: eaque libertas naturaliter omnibus hominibus competit, qui alterius hominis imperio non sunt subjecti: ita ubi plures homines in civitatem perfectam coaluerunt, ibi utique necessum est existere tan- quam in subjecto communi eandem libertatem, seu facultatem proprio ex judicio statuendi de mediis, ad salutem societatis spectantibus. Quam libertatem comitatur imperium summum, seu jus ista media civibus præ- scribendi, eosque ad obsequium adigendi. Unde in omni civitate pro- prie dicta existit imperium absolutum, saltem habitualiter, si non semper exercitio. Implicat enim esse nemini obnoxium, & non habere jus sta- tuendi de rebus suis ex proprio judicio & arbitrio. Imperium autem ab- solutum in se nil involvere iniquum aut intolerabile, ex fine civitatum institutarum facile est perspectu. Sane enim non ideo civitates consti- tuimus, ut neglecto jure naturali, omnia ex prava libidine fierent; sed ut securitati & saluti singulorum, junctis multorum opibus, commodius prospiceretur, utque adeo juris naturalis exercitio tuto vacare liceret.*

§. 8. Caterum quando summum imperium consideratur, prout est collatum in unum hominem, vel in unum concilium, ex paucioribus aut universis constans, tanquam in subjectum proprium, non ubique ita absolutum & liberum, sed alicubi certis legibus alligatum obser- vatur. Equidem in democratiis non ita manifeste discrimen inter impe-

imperium absolutum & circumscriptum videtur deprehendi. Quamquam enim in quavis democratia oporteat existere certa instituta usu recepta, aut scriptis sancita legibus, quo tempore, & per quos populus convocari; atque negotia publica proponi, & executioni dari debeant: (citra talia enim civitas non potest intelligi:) tamen cum ex universis civibus constet concilium illud, penes quod est summum imperium, adeoq; nemini extra idem existis statutis jus sit quæsitum; nihil obstat, quo minus quolibet tempore à populo eadem abrogari aut immutari possint. *Add. Andr. Maurocenus hist. Venet. l. 13. p. 517. seqq.* Huc facit, quod Anacharsis Solonem irrisisse legatur, qui civium se injurias & cupiditates putaret refranaturum scriptura, quæ nihil à telis aranearū differret. Cui Solon reposuit, stare homines etiam pactis conventis, quæ neutri parti expediat violare, ac leges ita se temperare civibus omnibus, ut futurum per spicuum esset, antiquius esse colere justitiam, quam jus violare, Verum eventus magis judicium Anacharsis, quam spem Solonis comprobavit. *Plutarchus Solone.* Nisi forte jurisjurandi religione ad ista perpetuo observanda populus sese adstrinxerit; uti Romæ circa reges non tolerandos factum. Etsi an tale juramentum stringat, quando nemo ex illis, qui jurarunt, superest, supra disquisitum fuerit l. IV. c. 2. §. 17. Quo loco & notanda cavillatio Cæsaris, publicas pecunias auferentis, quæ depositæ fuerant cum execratione publica, in caput cujuscunque contrectare ausi, nisi causa belli Gallici: *ajebat enim religione solutam rem. perdomitis à se Gallis, ut nihil inde sit periculi. Appianus Alex. de bello civili l. 2.* Apud *Herodotum Clio* Solon Athenienses juramento adegisse, scribitur, ut nequam legem abs se latam intra decennium abrogarent. Quamquam & aliqui, ne ejusmodi statuta mutarentur, cavere voluerint, poena statuta in eum, qui ista abroganda sit suafurus. Quæ poena tamen non minus, quam prius statutum, abrogari potest. Sicuti Thasii quondam legem jusserant: *qui scripserit, fœdus cum Atheniensibus faciendum, mortis reus esto, apud Polyenum strateg. l. 2.* Et Athenienses, ne quis referret de afferenda Salamine, apud *Plutarch. Solone.* Et Charondas apud Thurios, ut qui legi correctionem velit adhibere, laqueo collum insertum gerens in concionem procedat, apud *Diodor. Siculum l. 12. c. 17.* Apud *Xenophontem de i. a. v. c. 1. 6.* decretum fit, ut si quis dividundi exercitus mentionem faciat, morte multetur.

In aristocratiis autem & monarchiis, ubi alii sunt qui imperant, alii quibus imperatur, adeoque ubi his ex illorum promissis & pactis jus potest quæri, clare discernen imperii absoluti & limitari adparet. Hæc igitur absolutus est, qui imperium administrat proprio ex judicio, non ad normam certorum & perpetuorum statutorum, sed prout præsens rerum conditio videtur exigere; quique adeo ex proprio judicio salutem reip. prout ejusdem tempora postulaverint, procurat. Unde tantum abest, ut in vocabulo absoluti lateat aliquid invidiosum, aut liberis hominibus intolerabile; ut idem potius longe acrioris curæ & circumspæctionis necessitatem principibus injungat, siquidem officio suo & conscientiæ satisfacere velint, quam queis ad præscriptam formulam negotia publica sunt expedienda. *Dio Chrysostomus orat. 62. Bonus princeps nihil concupiscit, quod omnia se putat habere: abstinet & à voluptatibus, quod nulla non potiri possit, si adpetat: justior quoque est, quam alii, ut qui omnibus justitiam exhibeat: delectatur autem laboribus, quod sponte laboret; & diligit leges, quod non timeat. Atque hæc recte sibi persuadet. Cui enim majore opus est prudentia, quam qui tantis de rebus deliberat? cui accuratior justitia, quam qui est supra leges? & cui modestia continentiore, quam cui omnia licent? & cui majore fortitudine, quam qui omnia salva conservat?*

§. 9. Enimvero quia unius hominis judicium in dispiciendo eo, quod saluti publicæ expedit, facile decipi potest; neque omnibus ea sit animi firmitas, ut in tanta libertate libidines rationi oblucentes compefcere norint (*Herodianus l. I. c. 4. Χαλεπὸν μετρέσαίτε καὶ ὄρον ἐπιθυμίας, ὑπερβύσιος ἐξωσίας; difficile est in maxima licentia moderari sibi, quasique frenos imponere cupiditatibus:*) igitur multis populis consultum fuit visum, tantam potestatem non ita absolute committere unius hominis judicio, ab erroribus non immuni, & arbitrio in prava flexili, sed potius certum modum imperii gerendi ipsi præscribere. Postquam in primis fuit animadversum, certa instituta, modumque negotia expediendi genio populi, & statui civitatis optime congruere. Neque ista imperii limitatione fit injuria principibus, qui sponte populi ad id fastigii extolluntur. Nam si grave videbatur imperium accipere, quod pro arbitrio gerere non possent, licebat illud recusare. Nequaquam autem fidei religio, qua in susceptione ejusmodi imperii adstringuntur, admittit, ut postea clandestinis machinationibus, aut per vim leges regni subvertere, & absolutos sese

red-

reddere velint. Scilicet quia *nemini religiosus quod juraverit custodien- dum, quam cujus maxima interest non pejerari. Plinius panegy.* Nam illud nimis quam insipidum est, quod aliqui dicunt; cum reges à Deo sint constituti, isque ipsis munus suum recte gerendum injunxerit, id quod sine exercitio summi imperii fieri nequit; igitur eo ipso Deum censeri contulisse regibus certam velut mensuram potestatis, cujus partem neque ipsi, ut delibetur aut circumscribatur, pati debeant: neque populus id recte postulare, aut ad idem regem adstringere queat. Non magis quam honeste inter maritum & uxorem tale pactum iniri potest, ut ille ad hujus furtivos amores conniveat, *doctus spectare lacunar, doctus & ad calices vigilanti stertere naso?* Aut ut ita contrahatur, *ut faceres tu, qua velles, nec non ego possem indulgere tibi.* Verum uti illud quidem supra satis adstruximus, imperia civilia esse à Deo; ita hoc utique in arbitrio hominum fuit relictum, saltem quibus ipse Deus leges civiles non dedit, quam reip. formam in suum costum vellent introducere. Cordate *Phil. Melanchthon in epit. philosoph. moralis: sciendum est, dissimiles esse formas regno- rum, & alibi alios esse gradus libertatis. Adprobat autem Deus omnes formas imperiorum rationi & natura consentaneas.* Sicuti &, puto, nullibi præceptum aliquod divinum extat, ut liber populus regem sibi impositurus, v. g. non Cajum, sed Titium eligat; aut certa aliqua formula divinitus sancita, sub qua omnibus regibus imperium sit deferendum. Neque juvantur isti homines loco 1. *Samuel. IIX.* quo aliqui nudum regis factum cum injuria conjunctum, alii verum jus, & quod ad omnes reges pertineat, volunt describi. *Grotius* autem l. 1. c. 4. §. 3. mediam viam sectatus, tradit; designari regis factum, sed quod effectum aliquem juris habeat, nempe non resistendi obligationem; seu ut rex quando talia patrat, contra officium suum faciat; non magis tamen subditos ipsi posse resistere, quam si optimo jure talia ageret. Ideo enim addi, populum istis injuriis pressum Dei opem imploraturum, quia scilicet nulla humana remedia extant. Adeoque illud vocari *jus regis*, quomodo *prator jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit.* l. 11. D. *de just. & jure.* Enimvero genuinum ejus loci sensum hoc modo planissime erui posse arbitror. Fuerat hæcenus inter Ebræos democratia, sed quæ sæpe indueret faciem similem illi regno, quod *Aristoteli* heroicum dicitur. Judices divino plerique instinctu acti oppressos ab hostibus vindicabant, aut in pace jus

dicebant: de cætero suadendi magis autoritate, quam jubendi potestate; & adparatus ipsorum intra civilem modum nullo erat tributo juvandus. Add. *Grotius ad. judic. c. l. l.* Pertæsus tamen eum statum populus regem volebat ad modum cæterarum gentium, i. e. qui externa quoque pompa & inanibus splenderet, & perpetuum militem aleret, aut certe in armis cives exerceret, ut hostibus ingruentibus statim posset occurrere. Vid. *1. Samuel. XIII. 2. XIV. 48. 52.* Heic Samuel, ut re adhuc integra mature deliberaret populus, jus ejusmodi regis, & istius status incommoda ipsi ab oculos ponit. Vultis regem cultu magnifico insignem. Atqui hic numerofo erit satellitio stipatus, adeoque *filiis vestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcæsores quadrigarum suorum.* Vultis regem, qui perpetuo milite sit instructus. At sic necessum erit, ut *constituat sibi tribunos & centuriones ex filiis vestris, qui antea rei vestræ familiari augendæ poterant vacare.* Eum regem negotia publica non permittent, ut agros suos ipse colat. Ergo de filiis vestris sumet *aratores agrorum suorum, & messorum segetum, ac pro armando suo exercitu fabros armorum, & curruum suorum.* Cum præterea amplo ministerio aulae sit usus, neque ex dignitate uxorum & filiarum regiarum sit futurum, ut ipsæ tam luculentam culinam curent; ideo *filiis vestras sibi faciet unguentarias, focarias, & panificas.* Multis præterea ministris ipsi opus erit ad pacis ac belli negotia expedienda, quibus salaria constituenda; ideo *agros vestros, & vineas & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* Ad quem usum etiam *decimas* exiget. Neque minus tamen, ubi opus fuerit, *servis & jumentis vestris ad operas suas* utetur. Uno verbo hoc dicit: si regem vultis habere, is regie vobis erit sustentandus, & huic fini certi redditus constituendi: cujus oneris si post pertæsum fuerit, nequidquam sceptro eum exuere poteritis, postquam vestra electione jus sibi adregnum quæsiuit, quod invito auferri non poterit. Ergo manifestum est, istum locum haut quidquam pravis principibus patrocinari: sed nec ibidem à Deo per modum legis certam velut mensuram regii imperii dictari, cui per humanas conventiones nihil possit addi, demivè; sed simpliciter onera & impensas status regii, tam absoluti quam limitati, delineari. Igitur omnino est in arbitrio liberorum populorum, absolutum regi imperium, an certis sub legibus velint tradere; modo leges istæ in se nihil contineant impium, aut ipsum imperii finem non evertant. Nam
etiam.

etiam si ab initio homines libere in societatem civilem coiverint; cum tamen utique subjecti fuerint legi naturali, debuerunt sane tales regulas imperii & obsequii civilis constituere, quæ legi isti, legitimoque civitatum fini congruerent.

§. 10. Cæterum ut recte intelligatur, quanam promissione regis (de optimatibus eadem est ratio,) imperium absolutum esse desinat, (non enim cuilibet ea vis inest,) sciendum est; regem in susceptione regni ad id recte administrandum sese obstringere promisso vel *generali*, vel *speciali*, quod plerunque jurisjurandi religione firmatur. Generale promissum potest fieri vel *tacite*, vel *expresse*. Tacita promissio regni bene gerendi in ipsa ejusdem susceptione inesse intelligitur, etiam si nihil expresse dictum fuerit. Quo referenda sunt, quæ notantur *Grotio ad 2. Regum XI. 17. Populus promisit regis salutem sibi curare fore. Ita hic idem Iosephus. Nam ut rex populo quidquam promitteret, moris apud Hebræos non fuit.* Nempe promissione expressa, & quæ in coronatione fieret. Frequentissimum tamen est, promissionem illam fieri expresse, non sine juramento, certaque rituum solennitate. Neque id inusitatum, ut in ea promissione officium regis describatur per periphrasin, aut enumerationem præcipuarum partium; puta, se diligenter invigilare velle salutem publicam promovendam, bonos defensurum, malos coerciturum, justitiam integre administraturum, neminem oppressurum, & similia. Ejusmodi promissa hautquaquam absolute imperii delibant; adeoque rex per eadem obligatur quidem ad imperium bene gerendum; quem autem modum, quæ vè media isti fini producendo sit usurpaturus, in ipsius judicio & arbitrio relinquitur. Specialis autem promissio, & in qua etiam modus & media in imperio administrando adhibenda exprimuntur, duplicem habere vim videtur. Alia enim regis duntaxat conscientiam stringit; alia autem abs sui impletionis obsequium civium tanquam à conditione suspendit. Prioris generis promissio talis est, si rex spondeat, v. g. se certo hominum generi magistratus non mandaturum, se nemini privilegia in onus cæterorum redundatura daturum, nullas novas leges laturum, nova tributa aut vectigalia non impositurum, milite externo non usurum, & similia. Neq; tamè simul constituatur conciliū, quod rex teneatur consulere, siquidè ab istis promissis tempora reip. discedere jubeant; (nam istis semper tacita hæc exceptio inesse intelligitur, nã salus reip. suprema in

ejusmodi legibus lex, aliter requirat;) idque concilium jure suo, non precario, super illis negotiis possit cognoscere, citra cujus consensum cives jussis regis circa talia non obligentur. Hæc utique ad certas quasdam leges administratio imperii est restricta, & ubi citra necessitatem rex secus fecerit, sine dubio fidei violatæ est reus. Neque tamen civibus competit facultas regis jussa ideo detrectandi, aut istos actus reddendi irritos. Nam si rex dicat, salutem populi, aut insignem reip. utilitatem id postulare, sicuti & ea præsumtio actus regis semper comitatur, non habent cives, quod regerant: quippe cum ipsis desit facultas cognoscendi super istis actibus, utrum reip. necessitas eisdem exigat, an minus. Ex quibus & hoc adparet, non satis sibi cavere populum, si regi quidem non nisi limitatum velit imperium tribuere, neque tamen constituat aliquod concilium, citra cujus consensum actus isti excepti nequeant exerceri; aut nisi regi incumbat necessitas comitia habendi, ubi super exercitio istorum actuum deliberetur. Id enim præstat, quam si regi necessarium sit consulere consilium aliquod ex paucis duntaxat civibus constans; cum contingere possit, ut paucorum istorum privata commoda à bono publico discrepent, utique adeo ipsi ob privatam interessè non consentiant in salutaria regis destinata. Arctius vero constringitur regis imperium, si expressè inter regem & cives sit conventum in delatione imperii, ut ad certas leges fundamentales imperium gerat, ac super negotiis, circa quæ absoluta disponendi potestas ipsi non est relicta, ad concilium populi vel procerum referat, neque citra istius consensum quid decernat; secus si factum fuerit, nolle cives jussis ejus circa talia teneri. Tali modo qui regem sibi constituit populus, obsequium ipsi promississe intelligitur non absolute, & in omnibus, sed quatenus imperium ad capitulationem & leges fundamentales congruit; abs quibus discrepantes actus ipso jure sunt irriti, neque vim obligandi cives obtinent. Neque tamen per ejusmodi leges fundamentales summum imperium redditur mancum. Possunt enim in tali regno omnes imperii actus exerceri, qui in regno absoluto, nisi quod hæc rex solo suo judicio, saltem ultimo, utitur; illic autem penes concilium est cognitio velut concomitans, non ex qua radicaliter vis imperii dependeat, sed quasi à conditione sine qua non. Neque etiam in tali civitate existunt duæ voluntates. Nam utique omnia quæ vult civitas, vult per voluntatem regis. Etsi limitatione ista fiat, ut,

non

non existente certa conditione, rex quædam non possit velle, aut frustra velit. Sed nec in tali regno rex summum habere imperium desinit, aut concilium ipso rege est superius. Non enim sequitur; hic non potest agere omnia ex propria libidine, ergo non habet summum imperium. Ego non teneor huic in omnibus parere; ergo sum ipso superior, aut æqualis. Ego huic non possum quolibet modo imperare; ergo ille ipse mihi quædam potitive potest injungere. Et longe diversa sunt hæc: ego teneor sequi, quod huic placet, quia pacto me ad hoc obligavi; & ego teneor sequi hujus voluntatem, quia pro imperio mihi hoc injungere potest. Summum autem & absolutum nequaquam sunt unum & idem. Illud enim notat absentiam superioris aut æqualis in eodem ordine: hoc autem facultatem proprio ex judicio & arbitrio qualecunque jus exercendi. Sed quid si expresse addita sit clausula commissoria, ut si contra fecerit, regno excidat. (*Expresse dicimus; nam vis legis commissoriæ non inest illi clausulæ, si secus fecerit, se nolle teneri.*) Sicuti apud Sabæos rex, cætera *δυνεύδου*, ubi regia exiverat, à populo jussu veteris oraculi lapidabatur. Vid. *Diodorus Siculus* l. 3. c. 47. & *Agatharchides de mari rubro*. c. 50. Quo referre possis illud *Strabonis* l. 15. *Si qua mulier in India regem ebrium occiderit, munus habet, ut cum illius successore jungatur.* Arragonii quondam, postquam rex in ipsorum privilegia juraverat, hoc modo ipsi obsequium promittebant: Nos, qui valemus tantum quantum tu, te facimus regem & dominum nostrum hac conditione, ut observes nostras leges & privilegia; sin minus, non. Vid. *Hotomanni Franco-gallia* c. 12. Sic Severus Imp. sub initium imperii non solum juravit, nullum Senatorem suo jussu interfectum iri; sed præcepit etiam, ut publico decreto sanciretur, *Imperatorem, si Senatori mortem afferret, eumque cujus opera ad eam rem uteretur, liberosque ipsorum, hostes reip. futuros*, apud *Xiphilinum* epit. *Dionis.* Et si non multo post Julius Solon, qui illud ipsum decretum jussu Imperatoris conscripserat, interfectus fuit. Hæc certum videtur, regem absolutum non dari, cui regnum sit commissum sub clausula commissoria. Quo minus tamen limitatum quis imperium; vere regium tamen, hoc modo habeat, nihil prohibere videtur. Nam licet ponamus, temporarium imperium pro summo agnosci non posse; tamen proprie temporarium non dixeris, quod à conditione potestativa dependet, & quam nunquam existere penes regem est. Neque ideo ejusmodi

rex iudicio populi subicitur, penes quem sit cognitio, an fidem sefellerit, vel non. Nam præterquam quod eiusmodi clausula commissoria talia comprehendere solet, quæ in ipsos sensus incurrunt, quæque adeo ambiguarum disceptationi non sunt obnoxia, etiam qualiscunque illa cognitio non habet indolem iudicii, quo super actione subiecti cognoscitur, sed nihil aliud est, quam nuda contestatio, quo quis manifestum suum jus ab altero violari ad animum revocat; id quod etiam in inferiorem cadere potest. Conf. *Bæcler. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 16. Grotius d. l. obscurius loquitur*, quando obligationem ex promissis regum cadere dicit vel *in exercitium actus*, vel etiam *directe in ipsam facultatem*. Contra prioris generis promissa si fiat, actus dicitur iniustus, validus tamen; contra posterioris generis, etiam *irritus*. Quasi diceret: interdum rex promittit, se aliqua parte summi imperii nisi certo modo non usurum: interdum parte aliqua plane sese abdicat. Circa quod duo monenda sunt; primo quod etiam irriti possint esse actus, qui contra prioris generis obligationem suscipiuntur, v. g. si rex promiserit, se inconsultis ordinibus nova tributa non indicturum, putaverim irritam esse indictionem, quam proprio arbitrio rex fecerit. Deinde quod posteriori modo summi imperii partes divellantur, aut mutilentur.

§. II. Cæterum ut penitus natura regnorum limitatorum intelligatur, sciendum est, negotia, quæ in administranda rep. occurrunt, esse duplicis potissimum generis. Nam de quibusdam in antecessum potest constitui, ideo quod, quandoque eveniunt, eandem habeant naturam: de quibusdam autem non nisi ex præsentis tempore iudicium ferre licet, reip. expediant, nec ne, ideo quod, quæ illa comitantur, prævideri nequeant. Circa utraque, ne à bono publico aberraretur, populus, cui limitatum placuit regnum, cavere potuit. Illic quidem, dum perpetuas leges conscribit, ad quas sequendas rex adstringeretur; heic autem, dum concilium populi vel procerum consuli vult. Sic populus perspecta religionis suæ veritate, quique modus regiminis sacri, rituumque exteriorum suo genio quam optime congrueret, regi in delatione imperii legem potuit dicere, ne quid circa sacra semel recepta propria autoritate mutaret. Sic cui non constat, quam sæpe iustitia soleat laborare, si citra leges scriptas ex solo imperantis iudicio, & ex æquo & bono, quod frequenter

ter non ratio, sed affectus aut imperitia suggerunt, jus reddatur. Vid. *Tacit. A. XIII. 4. 2.* Tali incommodo evitando regem potest obstringere populus, ut vel ipse æquabiles conscribat leges, vel eas, quæ jam extant, observet; utique jus ex istis legibus dicatur per certa collegia, causæque non nisi gravissimæ, aut per appellationem demum ad regem devolvantur. Quanquam & sæpe ex usu regis sit, invidiosas causas per alios decidi. Apud *Ovidium Metam. l. 12. A se Tantalides onus invidiamque removit: Argolicosque duces mediis considerare castris Iussit: & arbitrium litis trajecit in omnes.* Et ambitiosæ aut importunæ intercessionibus pro noxiis isto obtentu commode repelluntur. *Legum severitatem & auctoritatem sua voluntate & proposito plus valere, & judicum sententias suo judicio præpollere,* dicebat *Andronicus Commenus apud Nicetam Acominatum. l. 1. de imperio Andronici.* Sic cum notissimum sit, quam facile aliorum sudore parta per ambitum aut luxum profundantur: igitur ne opes civium exregum libidine alimenta vitiis ipsorum præberent, sapienter alicubi populus certos redditus regi assignavit, quot sufficere judicavit ad statos sumtus in remp. impendendos; quod si ampliores desiderarentur, ad concilium referri super ea re voluit. Cum etiam nonnulli reges gloriæ bellicæ plus justo sint avidi, & in bella non necessaria ruentes, se simul & remp. in casum dent: inde cauti fuere, qui in delatione imperii regibus suis hanc necessitatem injunxerunt; ut, saltem si ipsi bello alios vellet laceffere, concilium prius consulerent. *Franc. Lopez de Gomara hist. Ind. Occid. c. 95.* tradit, incolas insulæ Borneo odisse bellum, regesque bellatores, eoque hos ante primam aciem solent collocare. Et sic circa alia quoque potuit constitui, quæ populus perspexit ex usu reip. esse: ne, si circa ista regi absoluta disponendi facultas relinqueretur, fortasse bono publico parum consuleretur. Ex hisce omnibus etiam patet, in quem sensum explicanda sint, quæ politici Græci, & qui eos sequuntur tradunt, legibus potius quam hominibus regimen civitatis esse committendum. Quod non alium commodum habere sensum potest, quam hunc: præstare, ut qui imperant, ad præscriptum potius certarum legum rempubl. gubernent, quam proprio & incircumsripto arbitrio. Alias enim solæ leges non magis idoneæ sunt ad gubernandam civitatem, quam pyxis nautica ad regendam navem, nî nauclerus accesserit. Qua ratione regum potestas in Ægypto fuerit limitata, late docet *Diodorus Siculus. l. 1. c. 71.* Addatur de rege Taprobanes *Plinius N. H. l. VII. cap. 22. in fin.*

Et:

Et *Solinus* c. 66. Apud *Philostratum de vita Apollonii* l. 3. c. 10. dicitur, *ſapientum* Indorum *jura non ſinebant regem ſupra diei ſpatium apud eos morari*. Inſolita magis ſunt, quæ de rege inſularum Hæbudum memorat *Socinus* c. 35. *Rex nihil ſuum habet, omnia univerſorum. Ad aequitatem certis legibus ſtringitur. Ac ne avaritia divertat à vero, diſcit paupertate juſtitiam, utpote cui nihil ſit rei familiaris. Verum alitur è publico. Nulla illi ſemina datur propria, ſed per viciffitudines, in quamcunque commotus fuerit, uſurariâ ſumit. Unde ei nec votum, nec ſpes conceditur liberorum.* Miſer quoque *Moſſynœcorum* rex, quem, ubi iniquam ſententiam tuliffet, eo die tuti inſuſum fame macerabant. *Apollonius Rhodius Argon.* l. 3.

§. 12. Cum autem ut plurimum regi limitato circa actus illos, quos abſoluto ipſius imperio populus relinquere noluit, conſulendum ſit concilium univerſi populi, ſeu eorum, qui illum in claſſes diviſum repræſentant; ulterius obſervandum, non æqualem ubique iſtius concilii eſſe poteſtatem. Nam alicubi ipſe rex, cætera abſolutus, conſtituit concilium aut ſenatum, citra cujus adprobationem ipſe nolit ſua decreta valere. Quo referenda putaverim, quæ de monarchia Sinica tradit *Nehhof in generali deſcriptione Sinæ.* c. 1. Qui ſenatus ſine dubio conſiliariorum duntaxat autoritatem habebit, & decreta regis ſub cenſuram revocabit, quæque reip. minus expedire viſa fuerint, rejiciet, non proprio jure, ſed conceſſa ab ipſo rege poteſtate. Qui hoc modo ſibi cavere voluit, ne per imprudentiam aut impulſu adulatorum aliquid ſtatuere minus reip. proficuum. Quo ſpectat illud apud *Plutarchum in apophthegm. Egyptiorum reges legem quandam ſuam ſervant, qua juramento obſtringunt judices, ut rege ipſo injuſtam flagitante ſententiam, ei morem non gerant.* Et apud *Eundem* d. l. *Antigonus tertius ſcripſiſſe civitatibus memoratur, ſi quid contrarium legibus per epiſtolam mandaturus eſſet, ne parerent, ſed ipſum ignoratione lapſum cenſerent.* Vid. l. 7. C. de precib. Imperatori offerendis. Aliquando & hoc modo importunæ flagitationes eluduntur, dum princeps ipſe in ſpeciem indulget, quod novit à ſenatu reſciſſum iri. Vid. l. 1. C. de petit. bonorum ſublatis. *Bodinus de republ.* l. 3. c. 4. p. m. 455. *Gramondus hiſt. Gall.* l. V. p. m. 277. ſeqq. *Joh. Labarſaus hiſt. de reb. Gallicis* lib. 3. p. 132. 133. edit. *Parif. A.* 1671. Quando tamen omnino placitum ſuum valere vult rex, rationeſque à ſenatu adductas parum graves animoſcit, non habet iſte ulterius, quod poteſtati regis obluſtetur. Non enim præſumitur, regem conſtituendo talem ſenatum jure ſuo abſolute

im-

imperandi se voluisse irrevocabiliter abdicare, & quod à civibus simpliciter poterat exigere obsequium, ultro à conditione suspendisse. Adeoque senatus iste delegatam duntaxat à rege potestatem obtinet, limitandam, quodcumque placuerit; etsi non nisi ex causis gravissimis placere hoc debet. Quanquam & hoc fieri possit, ut ubi libere abs rege talis senatus semel fuit constitutus, successores juramento in delatione imperii possint adstringi, ut ne istum iterum tollant. Per talem autem senatum, præsertim ubi regi sit potestas eundem iterum dissolvendi, imperium absolutum esse non desinit. Id enim non in eo consistit, ut rex cœca ex libidine, aut inconsulto animi impetu omnia agat, sed ut demum ex proprio iudicio de negotiis rep. spectantibus decernat: cui haut quidquam repugnat necessitas sanas rationes audiendi. Inde licet consilium, quod ab ejusmodi senatu regi datur, per se & velut ex potestate imperandi, quæ in isto hæreat, hunc non obliget: occasionem tamen obligationi præbet, quatenus regi repræsentat, qua ratione officio suo in præsentis negotio satisfacere queat. Sicuti medicus per se quidem ægrotum non obligat; dum tamen ostendit, quid sanitati ipsius conducatur, ad istius consilium sequendum tenetur ex lege naturæ, quæ cuique curam salutis & incolumitatis suæ imperat. Add. 1. Reg. XII. 7. 8. *Martinius hist. Sinica* l. V. c. 37. p. m. 128. refert: *Sinicos melioris famæ reges ut plurimum in usu habuisse; ut cum à Philosophis ac bonis viris vel de fugiendis vitiis, vel de virtute sectanda, vel de re alia quacunque, ad regni bonum pertinente, monerentur, ea flexis genibus exciperent.* Add. *Idem* l. VI. c. 1. p. m. 204. *seqq.* Idem iudicandum de conventibus ordinum, qui huc tantum inserviant, ut sint majus regis consilium, per quod querelæ populi, quæ sæpe in consilio privato reticentur, ad regis aures perveniant, cui deinde liberum sit statuere, quod ex usu ipsi videatur. Vid. *Grotius* l. I. c. 3. §. 10. *Hobbes Leviath.* c. 30. ubi recte monet, siquidem regi summum imperium constare, ac n̄ civitas biceps fieri debeat, non posse conventum illum plura negotia tractanda suscipere, quam à Rege propofita sunt; cum etiam isti deputati à populo ad nihil amplius potuerint instrui, quam in literis, quibus convocabantur, continetur. Sicuti & solvetur conventus, quando rex in præfens ab iis nihil amplius tractandum declaraverit. Per modum tamen precum quædam regem ultro monere conventus iste non prohibetur. Ast vero utique limitatur regnum, quando sub hac conditione cives in regem illud

T t t t t

illud

illud contulerunt, ut circa certos actus exercendos concilium ordinum consulat, citra quorum consensum decreta regis nihil sint valitura. Penes regem tamen esse debet, id concilium convocare, & dissolvere, ac negotia expedienda proponere; n̄ regi nudum nomen relinquere, aut irregularem remp. facere velimus. Quod si autem & ipsi ordines convocati ultro quadam ad salutem regni spectantia monere possint; decreta tamen super iis facta vim suam abs rati habitatione regis vim mutuabuntur. In hoc autem differunt ejusmodi ordines à consiliariis proprie dictis, quod licet utrique cum rege non nisi rationibus agere queant; horum tamen rationes rex utique rejicere possit, illorum non item. Neque indignum judicabit rex, si quadam ab ipso proposita ordines non admittant. Nam utique promisit, sese ob oculos semper habiturum utilitatem reip., de qua certius præsumuntur judicare plures selecti, quam unus. Habet ergo, quod suam imprudentiam, aut pravos affectus, aut fata reip. accuset rex, si ordines ab ipso dissentire contigerit. Ex quo & hoc adparet, vanum esse metum eorum, qui putant, hac ratione in arbitrio fore ordinum, ut resp. sit salva, an minus. Neque enim tanta vecordia temere expectari potest vel à rege, ut ordinibus necessitates reip. clare nequeat exponere; vel ab ordinibus, ut iis perspectis salutem suam pertinaciter prodere velint. Hoc tamen certum est, cum illi, qui limitatum imperium in regem contulerunt, haut quidquam præsumantur vel civitatem voluisse destruere, ac dissolvere, vel suis pactis id efficere, ut finis civitatum obtineri non posset: inde istarum conventionum ita semper faciendam esse interpretationem, ut communi omnium saluti conveniant, & nulla ratione eidem adversentur. Utque adeo in paciscendo, quicquid pacti sunt, eam mentem credendi sint habuisse; ne quid per eas conditiones & pactiones committatur, quod communi omnium saluti, & publicæ utilitati obesset, aut quo civitatis convulsio aut dissolutio sequatur. Quod si autem ejusmodi casus contingat, conveniens quidem fuerit, si res moram patiatur, in conventu populi aut ordinum eundem proponi. Ubi hoc fieri nequeat, penes regem erit pacta, in exitium civitatis eruptura, dextre corrigere. Id quod etiam circa receptas publice leges valet, quas aliquando silere summa lex, salus populi, jubet. Quò spectat factum Agesilai apud *Plutarchum in ejus vita*, qui per unum diem leges Lycurgi jussit dormire, ut citra ignominiam possent reverti, qui ex prælio ad

Leu-

Leuſtra profugerant. Sic & ordinarium iudiciorum proceſſum ſape obſervari non permittunt tempora reip. aut nocentium conditio, qui, ſi rei eſſent peragendi, acie vincendi prius forent. Unde cum grano ſalis accipiendus eſt *Hobbes Leviath. c. 29.* ubi factum hoſtile vocat, non pœnam, quod infligitur autoritate quidem publica, niſi publica antecedit condemnatio. Nam hoc verum eſt, ubi nullum delictum antecellit. Sed ubi de hoc certo conſtet, pœna utique erit, quæ infligitur, ut per ordinarium proceſſum reum damari tempora reip. non tulerint.

§. 13. Enimvero *Hobbeſius* nullam diſtinctionem inter ſummum & abſolutum videtur agnoſcere velle, ſed potius omne imperium ſummum idem putat eſſe abſolutum. Ubi obſervandum, omnibus illis dictis, quæ nimis crude ab eo poſita ſunt, ex fine civitatum reſtictionem eſſe addendam. Puta, quod *de cive c. V. §. 6.* tradit: illum, cui in civitate competit jus pœnas ſumendi, *jure cogere omnes ad omnia, quæ ipſe vult.* Sicut & ipſe hanc limitationem exprimit *c. V. §. 6. quæ ad pacem & deſenſionem ſunt neceſſaria. d. l. §. 9. in fin. ad pacem & deſenſionem communem.* Et *c. VI. §. 13.* cum jure ſummi imperantis connecti ait tantam civium obedientiam, *quanta ad regimen civitatis neceſſario requiritur.* Sic, quando *d. §. 13.* dicit: *quicumque voluntatem ſuam ita voluntati principis ſubjecit, ut quilibet poſſit impune facere, leges condere, lites judicare, pœnas ſumere, viribus & opibus omnium ſuo arbitrio uti, atque hæc omnia jure, ſane ei imperium maximum, quod concedi poteſt, conceſſit:* conſiderandum, qua intentione, quovè conſilio homines ad civitates conſtituendas animum adpulerint. Unde non plus poteſtatis ſua voluntate quis in illum tranſtulſiſſe intelligitur, quam quantum ad iſtum finem facere per ſanum hominem judicari poteſt: etſi quid hæc & nunc ad iſtum finem faciat, non penes transferentes arbitrium ſit, ſed penes eum, in quem poteſtas illa fuit tranſlata. Ergo cogere jure cives ad omnia ſummus imperans poteſt, quæ ipſi ad bonum publicum aliquid facere judicantur. Ad illa autem cogere cives, quæ ſaluti civitatis repugnant, aut legibus naturalibus adverſantur, ne velle quidem debet. Et ſi tale quid conatus fuerit, ſine dubio poteſtatis ſuæ limites tranſgreditur. Conſideremus quoque argumenta, quibus *Idem de cive cap. VI. §. 17.* evincere nititur, fruſtra limitationem imperii ſuſcipi.

Dicit: *cœtum illum*, qui regi futuro leges præscripsit, *utique habuisse potestatem absolutam*, saltem habitualiter, aut virtualiter. *Si maneat cœtus, vel de tempore in tempus ad certum diem & locum conventus celebret, erit perpetua potentia illa; & sic rex non habebit summum imperium, sed erit nudus magistratus.* (Quod concedimus, si cœtus ille suo jure coire, & de quibusvis reip. negotiis decernere queat, eique ad reddendas rationes rex sit obnoxius.) *Sin penitus se dissolvat, n̄ una dissolvatur civitas, relinquatur utique alicubi potestas puniendi eos, qui leges transgrediuntur: quod fieri sine absolutâ potestate non potest.* Id quod falsum, uti & argumentum, quo isthoc probare vult: *Nam qui jure tantum sibi concessum virium habet, ut possit quoslibet cives parvis cœercere, habet potentiam tantam, ut à civibus major contribui non possit.* At qui finem civitatum cogitaverit, & quod per voluntatis atque virium submissionem cives non immobiles propriis nervis trunci facti fuerint, & quod sub conditione virium suarum usum alteri concedere, & an conditio illa extet, judicare, eaq; deficiente, vires suas retrahere cives queant; is facile infirmitatem hujus argumenti deprehendet. Sicuti & illud aperte falsum; non plus cautionis esse ab imperii abusu, concessio imperio limitato, quam si absolutum id relinquatur. Neque semper, qui satis virium habet ad omnes defendendos, (quod omnes non stolidi cives regi suo libenter concedunt,) satis quoque virium habet ad eos opprimendos. Imperia ducis, quæ vim habent movendi milites, ut strenue hostem invadant, enervia deprehendentur, si jubeat eosdem in se mutuo ferrum stringere. Deniq; recte quidē cordati principes, etiā absoluti, ingenio sese civium attemperant, & sæpe quandam ipsorum utilitatem minus urgent, quando isti ad officium sine periculo civitatis cogi non possunt. Ast illi cives non minus cordati, qui cum perspectum haberent, quid suæ civitati non expediret, per leges fundamentales effecerunt, ne ad istud à regē cogi possent.

§. 14. Denique & hoc summo imperio, quod penes Monarchas potissimum hæret, accidit, ut modus id habendi sit vel plenus, vel magis aut minus deminutus. Quidam enim reges dicuntur regnum habere in patrimonio; alii utiliter tantum & jure quasi usufructuario idem possidere dicuntur, idque vel ad tempus vitæ, vel ad posteros quoque suos certa lege transmittendum. Aliis denique certum temporis spacium
geren-

gerendo imperio præfixum est, quo elapso illud expirat, & ipsi ad privatam conditionem rediguntur. Equidem *Hobbeso de civi* c. 7. §. 16. c. 9. §. 11. illi quoque monarchæ temporarii vocantur, qui imperium ad vitæ tempus acceperunt; eosque omnes non monarchas tradit, sed ministros duntaxat civitatis. Enimvero à communi usu abhorret, illum vocari temporarium principem, qui imperio non nisi cum vita exuitur; cum illi tantum proprie temporarii dicantur, quorum potestas cum certo ac definito temporis puncto ipso jure expirat.

§. 15. Cæterum an detur monarcha temporarius inter eruditos, non adeo expeditum est. Equidem *Grotius* l. 1. c. 3. §. 11. Dictatorem Romanum, cujus imperium semestri spatio finiebatur, pro vero monarcha venditat; eo argumento, quod *intra tempus suum omnes actus summi imperii exercuerit eodem jure, quo qui est rex optimo jure; neque ejusdem actus potuerint ab alio reddi irriti.* Atqui *rerum moralium naturam ex operationibus cognosci; adeoque qua facultates eosdem effectus habeant, eodem quoque nomine esse nuncupandas.* Quanquam dubium non sit, quin major dignitas imperium perpetuum, quam temporarium comitetur: quippe cum solidiore veneratione prosequi soleant homines, quos nunquam ad privatam conditionem redactum iri norunt, quam quos paulo post in æquo sunt conspecturi. Enimvero & ante istum *Bodinus de republ.* l. 1. c. 8. & post eruditi viri dictatorem non monarcham, sed magistratum duntaxat extraordinarium fuisse ostenderunt. Neque vero illud axioma adeo firmo statuto: quod illæ facultates sint eadem, quæ videntur eosdem effectus producere. Sed considerandum quoque est, an quis facultatem eam exerceat tanquam suam, an tanquam alienam sibi delegatam. Hinc & minus rectè à *Grotio d. l.* illi in classem monarcharum temporariorum referuntur, qui *antequam reges in suam perveniant tutelam, aut dum furore, aut captivitate impediuntur, curatores regni ita constituuntur, ut populo non subsint, neque ante legitimum tempus eorum potestas sit revocabilis.* Hi enim summum imperium exercent non suo, sed alieno nomine; adeoque non magis monarchæ vocari possunt, quam tutor dominus bonorum pupilli. Sed & dictatori omnes & singulas partes summi imperii simul ita commissas, ut intra semestre suum pro arbitrio illas exercere potuerit, nemo historiæ Romanæ gnarus admiserit. Neque absurdum est, dari magistratum, abs quo, saltem in certo negotiorum

genere, pro actio non concedatur. Vid. *Genes.* XLI. 40. 44. l. 19. *C. de adpell. & conf.* l. 1. 8. *C. de Episcop. audient. l. un. C. de sentent. pref. prat. l. 18. D. de minoribus.* Addatur quoque *Livius* l. VI. c. 38. l. VIII. c. 33. & l. XXII. c. 25. *Valer. Max.* l. 2. c. 7. §. 8. in fine. Observandum autem heic, dictatorum, ut & quorumlibet magistratum potestatem, queis certus temporis terminus præfixus, elapso temporis puncto expirare, eosdemque ipso jure ad privatam sortem recidere: adeoque quicquid post illud tempus egerint, pro privato actu habendum, cui recte à quibusvis obsequium denegatur; utut fortasse insignia potestatis de facto retineant. Unde nec opus est ad imperium talibus abrogandum novo populi decreto: sed si tergiversentur, statim ab ipsa executione initium poterit fieri. Jura enim, quorum vigor à certo temporis termino suspenditur, eodem præsentate, statim expirant: sed si jus committendum sit, ubi certarum actionum qualitas deprehendatur, ibi cognitione & judicio est opus. Cujus discriminis ratio est, quod, an tempus præfinitum sit elapsum, dubium habere nequeat. An vero actio aliqua recte aut secus sit suscepta, in utramque partem disceptari potest. Vid. *Livius* l. III. c. 38. *seqq.* Cæterum dari exemplum temporarii imperii, quibusdam pro impossibili habetur, si de summo imperio, non vicario, sit agendum. Nam quod Augustus apud *Dionem* l. LIII. imperium sibi tantum in decennium dari voluit, & post illud iterum in decennium prorogavit, ludibrium erat. Ludibrio scelus miscebat Nabarzanes apud *Curtium* l. V. c. 9. *Auspicium & imperium alii trade interim, qui tam diu rex appelletur, donec Asia decedat hostis; victor deinde regnum tibi reddat. Bessum regem temporis gratia statuamus. Compositis rebus, justo regi tibi fiduciarium restituat imperium.* Majori specie pro fiduciarii regni exemplo allegari potest, quod exstat apud *Diodorum Siculum* l. 4. c. 23. & 33. Sic apud *Nicephorum Gregoram* l. IV. Michaël Palæologus jurejurando adigitur, ut imperium administraret, donec legitimus istius hæres & successor adolevisset: tum vero illi solicedendum esse ultro & solio regio, & omnibus imperii insignibus. Et si iuramentum illud hautquidquam sit servatum. Circa pactum autem Eteoclis & Polynicis, ut alternis annis imperarent, fortasse dici potest; illos hoc egisse, ut regnum ipsum haberent pro indiviso, alternis annis administrandum. Vid. *Euripides in Phænissis. Statius Thebaidos* l. 1.

§. 16. Circa illum modum regna habendi, quo ea regum in patrimonio-

trimonio dicuntur esse, ab initio observandum; id cuius trimonium
 dici, non tam quod abs parentibus in se derivatum obtinuit, quam quod
 quocunque modo partum ipse pleno dominio possidet. Porro uti do-
 minium proprie in rebus intelligitur; sic & istæ præcipue in patrimonio
 dicuntur; quippe in quibus nullum jus hæret, quo minus pro lubitu do-
 minus illis non uti solum, sed & abuti queat. Postea rebus, quæ in patri-
 monio essent, accenseri cœpti sunt servi, quippe quos adeo domini ad
 se pertinere asseruerunt, ut isti non tam sibi, quam dominis salvi esse,
 aut perire intelligerentur. Atque hisce rebus ab initio patrimonia pa-
 trum familias circumscribebantur. Nam jus regendi uxores & liberos,
 licet ipsis solis competeret, cum tamen illud ad istorum quoque salutem
 spectaret, hautquaquam in patrimonio suo duxerunt, aut eo sese locuple-
 tiores censi voluerunt. Vid. l. 126. §. 1. D. de reg. jur. & ibi Iac. Go-
 defredus, l. 33. D. ad L. Aquiliam. Sicuti & eruditio, ac dexteritas liberorum
 hominum, ut ut ipsis maxime proficua, proprie in patrimonio non cen-
 setur. *Philo Iudæus de plantatione Noë: Et pictori ars pingendi, & sua cuique
 artifice ars hereditas sorsvè censetur, non ut terrena possessio, sed ut Olympicum
 premium. Nam hujusmodi res quamvis non sint domini, profunt tamen ha-
 bentibus.* Et si apud multos sane locum patrimonii ista suppleat. *Ovi-
 dius Metamorph. 1. 3. Ars illi sua census erat.* Nihilominus cum deinceps
 ambitio regnantium inter præcipua bona imperium in homines ducere
 cœpisset, opibusque subjectorum mulcendis cupidinibus multi abuti in-
 stituisent; ista quoque regna in patrimonio numerata sunt, circa quæ pro
 lubitu alienanda imperantes disponendi facultatem acceperant, quod in
 hoc summa domini vis posita intelligeretur. Reliqui autem reges, qui-
 bus tanta in regnum suum facultas non concessa, idem velut personalem
 aliquam possessionem, & jure quasi usufructuario obtinere dici sive-
 runt. Cujus discriminis origo ex diversis potissimum regna acquirendi
 modis videtur provenisse. Quanquam enim ad legitimam quorum-
 vis regum constitutionem subjectorum consensus requiratur; diversi
 tamen plane modi sunt, quibus ille consensus elicitur; sic ut ali-
 cubi rex subjectis imputet, quod ipsos imperio suo complecti ve-
 lit; alicubi subditis rex magnum beneficium debet, quod ab ip-
 sis regno fuerit admotus. Sic qui justam contra se bellandæ cau-
 sam præbuerunt, ubi victi sunt, jure belli vitam, aut libertatem perfo-

personalem, & omnia bona potuerunt amittere. Hisce sane quæcunq; conditio relinquatur, pro beneficio victoris habenda est. Quilicet vitis libertatem personalem, & dominium privatum relinquat; saltem tamen imperium in ipsos pleno & irrevocabili modo sibi suisque vindicare intelligitur. Idem in dubio fecisse præsumitur, qui in protectionem suam suscipit, quibus alias internecio imminabat. Quæ contra regna patrimonialia disputat *Franc. Hotomannus quest. illustr.* I. resolvit *Grotius* l. I. c. 3. §. 12. Effectus autem, ex isthoc modo habendi imperium resultans, in eo potissimum cernitur, quod ibi non solum conditio civium arbitrio regum sit constituta; sed & quod jus suum in tale regnum rex pro lubitu in quemcunque possit transcribere, adeoque & modum succedendi pro suo arbitrio constituere.

§. 17. Enimvero ubi rex ultro à populo adsciscitur, ibi singuli de suis juribus omnia sibi reservasse præsumuntur, quæ quidem cum natura civitatis consistere possunt. Adeoque qua conditione in hisce regnis cives vivant, non tam à regis, quam ipsorum civium arbitrio pendet; qui tamen utique de naturali sua libertate tantum sibi detrahere necessum habuerunt, quantum forma reipublicæ, quam introducturi sunt, postulat. Deinde quia ad regnum ultro dandum homines plerumque moveri solent peculiari aliqua consideratione, quæ in quibusvis non deprehenditur; & qui ultro imperium alicujus subit, huic quidem, sed non ideo cuiusvis subjici velit: igitur regulariter in tali regno ab arbitrio populi dependere intelligitur, ad quem post mortem electi regis regnum devolvatur. Ubi si populo non placeat singulos reges peculiari electione adsciscere, penes ipsum tamen erit super successionis ordine disponere, neque regis heic quidquam contra populi voluntatem potestas valebit. Atque hoc potissimum intuitu ejusmodi reges jure usufructuario à quibusdam dicuntur regna sua obtinere, quod neque circa intrinsicam ejus structuram, neque circa translationem in alium suo arbitrio quidquam invito populo disponere queant. *Conf. l. 13. §. ult. l. 15. §. 1. D. de usufructu. l. 9. C. l. t.* Ulterius comparisonem inter regem voluntate populi constitutum, & usufructuarium extendere ego quidem nolim. Unde haut quidquam probaverim illud *Hobbesii de cive. c. VII. c. 16. Si populus ab electione monarchæ temporarii, (i. e. in quem ad tempus vitæ imperium est collatum,) ita discesserit, ut decretum prius factum sit de conveniendo ad diem & loco*

CUM

cum certum post mortem ejus: tunc mortuo monarcha, consolidatur imperium in populo, nullo novo actu civium, sed jure priore. Toto enim medio tempore summum imperium, ut dominium, in populo erat, usus autem, seu exercitium ejus tantum in monarcha temporario, ut usufructuario. Enimvero hanc sententiam ita crude acceptam oppido quam periculosam arbitramur omnibus monarchis, qui libera populi voluntate sunt constituti, & qui certis legibus, quas vocant, fundamentalibus sunt adstricti. Præsertim cum, si licuit illi temporarium vocare monarcham, qui ad tempus vitæ constituitur, etiam illi hoc nomine nuncupari queant, qui imperium acceperunt in familia duntaxat sua continuandum. Et quia *Hobbesius* non definit, quousque talem regem cum usufructuario compareret; facile periculosi consecutionibus irretiri poterit. Cum enim dominium in se jus sit nobilius, quam usufructus temporarius; facile liceret concludere; populum esse rege superiorem, & hunc ab illo posse in ordinem redigi, si ad ipsius placitum regnum non administraverit. Quam ob causam rejicienda quoque sunt, quæ traduntur *Leviath. c. XIX.* quod electivi reges non habeant summam potestatem. Item, qui habet potestatem rege defuncto successorem constituendi, eundem summam quoque potestatem obtinere rege vivo; cum quis non possit alteri dare, quod ipse non habeat. Nam ad ipsam vim imperii in subjectos parum interest, quid circa casum interregni sit in aliquo regno constitutum. Etiam ubi hec fuerit provisum, cives addictissime possunt parere, & ab omni circa remp. potestate eosdem excludi nihil prohibet, nec de nova reip. forma, aut successore rege vivo cogitare licebit. Ex eo autem, quod rex electivus successorem sibi pro arbitrio eligere nequeat, non sequitur, ipsi usumfructum duntaxat, & non velut dominium imperii competere, ipsumque rei alienæ esse administratorem. Nam ut ad aliquem redeat potestas prospiciendi suæ salutis, & suas actiones proprio ex judicio gubernandi, (quæ potestas tantisper penes alium fuit,) non necessarium est imperium ita velut divelli, ut penes hunc ejusdem *κτῆσις* remaneat, *χρησις* duntaxat in alterum transferatur, cum extincto eo, cui etiam absolutum in aliquem imperium competeat, naturalis libertas ultro velut reviviscat. Quis enim v. g. patri velit *κτῆσιν* imperii paterni attribuire, ideo quod liberi ipso mortuo sui juris evadant; aut domino *κτῆσιν* imperii herilis, ideo quod servus ipso citra omnem hæredem mortuo in libertatem abeat?

U u u u u

CA-

DE MODIS ADQUIRENDI IMPERIUM
INPRIMIS MONARCHICUM.

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Modus acquirendi imperium in de-</i>
<i>mocratia est uniformis:</i> | 10. <i>Quid se posthumus expecte-</i>
<i>tur?</i> |
| 2. <i>Sed in aristocratia & monarchia</i>
<i>variat.</i> | 11. <i>De successione in regno patrimo-</i>
<i>niali;</i> |
| 3. <i>Imperium quatenus occupetur per</i>
<i>vim justam:</i> | 12. <i>Et in regnis voluntate populi con-</i>
<i>stitutis, eaque vel simpliciter he-</i>
<i>reditaria;</i> |
| 4. <i>Quatenus per vim injustam.</i> | 13. <i>Vel lineali;</i> |
| 5. <i>Qua ratione quis alterius imperio</i>
<i>exsolvatur.</i> | 14. <i>Aut per gradus velut transver-</i>
<i>sos.</i> |
| 6. <i>Electio quotuplex?</i> | 15. <i>De iudice controversiarum circa</i>
<i>successiones in regnis.</i> |
| 7. <i>Quid interregnum, 8. & interre-</i>
<i>ges.</i> | |
| 9. <i>Examinatur Hobbesius.</i> | |

CUM in disquisitione, quo quis modo imperium adquisiverit, regulariter præsupponatur, diversum esse eum, qui imperium dicitur acquirere, ab illis, in quos idem acquiritur: manifestum est, quæstionem hanc democratias parum tangere; quippe in quibus illi, qui imperant & parent non physice, sed morali duntaxat respectu distinguuntur. Etsi enim quandoque, per seditiones pulsus optimatibus aut rege, democratia constituitur; tamen cum heic iidem sint qui imperant & parent, nullo sensu dicetur; populum violento modo imperium adquisivisse, seu populum per violentiam talem, quæ ad subiectos pertinet, imperium in seipsum constituisse. Inde & in democratiis, secus atq; in monarchiis, modus habendi imperium semper uniformis est. Incrementa tamen sua democratia, uti alia civitates, violentia bellica possunt in acceptis referre.

§. 2. Ast in aristocratiis discrimen aliquod deprehenditur circa modum acquirendi imperium non in eo solum, quod alibi quidem optimatibus ultroneo consensu populi imperium fuit delatum, alibi per vim idem fuit quaesitum: sed & quod illo concilio propter singulorum mortes suppleto alicubi electio adhibetur, alicubi sola nativitas ad illud concilium aditum præbet. Enimvero in monarchiis id discrimen longe

longe clarius sese pandit. Etsi enim omnes monarchæ, ut imperium ipsorum fiat legitimum, consensu populi opus habeant; is tamen diverso modo elicitur: & qui ultroneo populi consensu sceptris admoventur, vel electioni, vel successioni idem debent.

§. 3. Modum acquirendi imperii violentum vocare solent *occupationem*. Circa quam tamen notandum, diversam eam esse ab illa occupatione, qua res domino carentes per solam apprehensionem nobis proprias facimus. Nam cum in istiusmodi rebus nullum existat jus, quo minus quilibet homo easdem sibi vindicare queat, (nî lege civili impediatur,) nullo peculiari titulo opus est ad dominiû illarum acquirendû, sed sola apprehensio corporalis cum animo sibi habendi sufficit. Enimvero cum homo homini naturaliter sit æqualis, adeoque alterius imperio non obnoxius; igitur non sola vis & velut apprehensio ad legitimum in homines imperium constituendum valet, sed alio insuper titulo est opus. Unde quando *Grotius* l. 2. c. 3. §. 4. tradit: *in rebus, quæ proprie nullius sunt, duo esse occupabilia, imperium & dominiû, quatenus ab imperio distinguitur*; vocabulum *imperii* haut quidquam capi debet de imperio proprie dicto, & quod exercetur in homines; sed de imperio in terras, cujus hic est effectus, ut nemo nobis invito in illis debeat commorari, nî nobis subiectus esse velit. Alias enim homo non est ex numero rerum, quæ nullius sunt; sed qui non est alterius, suus est. *Xenophon* *Cyropad.* l. 4. *ἰδίῳ ἕως ἡμέτερον ἔστιν, ὡς ἡμῶς ἡμῖν αὐτοῖς.* *Nihil ita nostrum est, sicut nos nostrummet ipsorum.* Unde & *Idem* recte tradit l. 2. c. 9. §. 1. *Si quis sine omni hærede obeat, servos ipsius liberos, & populos subiectos sui juris evasuros*; quia non sunt hæc sui natura occupabilia. Mallem tamen omissam fuisse limitationem istam: *nisi libertatem suam ultro deserant.* Quem enim inveniemus hominem, qui libertatem suam habeat pro derelicta, i. e. qui utut domino carere nolit, nîl tamen sua interesse putet, huic an illi ferriat? Igitur talis demum occupatio ad comparandum imperium facit, quæ justam præsupponit invasionis causam, & consensu subiectorum, pactoq; subsequente firmatur. Quin merito commendanda regula *Yncarum* apud *Peruvianos*, imperium pedetentim proferre, & citra violentiam, alios potius mansuetudine imperii alliciendo, ap. *Garcilass. de la Vega* *Comm. Reg.* l. 2. c. 19. Citra hoc enim status belli durat, ac nulla obligatio,

fidesque, adeoque nec imperium intelligi potest. Quo loco expendendus est J. F. Hornius de civitate l. 2. c. 9. §. 2. qui tradit: *si quis injuste laessentem, injuriisque id aliis meritum bello devicerit, continuo in devictum habere legitimam potestatem, nec expectare subjugarum consensum.* Atqui quomodo ex statu belli in pacem poterit descendi sine interveniente pacto? Quomodo fides & obsequium ei debetur, qui illud non est stipulatus? Illud duntaxat habent justo bello victores, ut consensum devictorum non per ambitum, aut preces eblandiri necessum habeant, sed eundem per intentata extrema mala queant extorquere. Unde nihil agit Hornius d. l. quando dicit: *si devictorum consensus necessarius foret, nunquam legitimus victor occupatione consequeretur imperium: quod occupatio nullius efficacia foret, si victus non consentiret.* Atqui cum hæc occupatio præsupponat victorem viribus præpollentem, adeoque mala quavis victo valentem repræsentare; ipsa occupatio satis efficiet, ne victi consensum suum denegare victori queant. Nam ut ut nemo sit, quin vincere quam vinci malit: tamen nullus non sanus, ubi succumbere se videt, leviori defungi malo optabit: neque noxium sibi in victoris imperium consensum ducet, per quem internecionem effugere datur.

§. 4. Sed quid si per vim injustam imperium quis occupaverit? Equidem id extra dubium est, quin populus democraticus, ejusvè major pars ad evitandum gravius malum, qualicunque de causa intentatum, possit abdicata libertate sub imperium unius aut paucorum concedere. Sicut & illud omnes fatentur, posse populum regi subiectum ad declinandum excidium, & postquam in rege nihil amplius est præsidii, alteri sese submittere. Sed illud altioris est indaginis; cum metus injuste incussus pactum vitiet, & qui alteri injuria sua damnum dederit, ad restitutionem teneatur; quomodo consensus subiectorum, metu majoris mali expressus, in vaforibus legitimum possit conferre imperium, ita ut horum quoque conscientia isto consensu possit tranquillari. Nam illæ nanzia sunt: *cum imperium, quod invasor accepit consensu populi, non eripuerit populo, sed à Deo in populum acceperit: igitur si id restituendum foret, Deo reddendum, non populo.* Sed cum Hornius ipse populo tribuat potestatem designandi subiectum, in quod Deus cœlitus majestatem infundat; igitur sufficiet, si isthanc populo oppressor restituerit. Si enim populus recuperaverit facultatem liberè designandi regem, quem voluerit, credo, parum amplius

plius sua interesse judicabit, siue majestatem illam suam inuasor retineat, siue Deo resignet. Igitur judicaverim prius discernendum esse, an inuasor per vim democratiam verterit in monarchiam; an vero monarcha ejecto in ejus sese locum immiserit. Posteriori casu obligatio restituendi non prius expirat, quam aut expulsus rex, ipsiusque hæredes, quibus ad regnum jus quæsitum fuerat, sit extinctus, aut ipse pro derelicto id habuerit. Id quod etiam tunc fecisse præsumitur, quando per longissimum temporis spatium nullum conatum regni recuperandi ostendit. Vid. *Justinus* l. 40. c. 2. Interea tamen temporis, etiam quamdiu adhuc inuasoris conscientia laborat, subditos post consensum suum fides data valide stringit; siquidem tunc demum eandem dederunt, quando adversus expulsam regem, quidquid ab ipsis postulari potuit, fecerunt. Circa priorem casum hoc probabilissime videtur dici, cum populus æque in monarchia, quam democratia felix esse queat; facile esse, ut popularis libertatis desiderium digeratur, si remp. novus iste rex bene gubernaverit. Id quod etiam ex modici temporis patientia atque adfuetudine præsumi potest. Et hoc facto acquisitionis vitium purgatum intelligitur. Paucorum autem mussitantium ratio haberi non debet, qui abs nulla reip. specie, etiam quæ ultro à civibus fuit constituta, absunt. Quod si autem aliquis post mutatam violenter remp. cives miseris modis habeat, vix judicaverim, intrinseca obligatione cives isti inuasori obstringi. Illud enim nescio an gratis sit credendum J. F. *Hornio de civitate* l. 2. c. 9. §. 4. *non attinere ad imperii naturam, quo modo fuerit quasitum; quippe cum idem semper & ubique respondens postulet obsequium.* Sane enim si quis non solum per vim aut fraudem imperium invasit, sed etiam, præter crudelem civium oppressionem, in manifesta violentia omnes suas rationes collocat; ejus vitium ne diuturnitate quidem temporis, quæ alias ad præscriptionem sufficere judicatur, purgari videtur. Nam diuturna possessio nihil aliud heic notat, quam per longissimum temporis spatium continuatam injuriam. Vid. *Justinus* l. 3. c. 5. Conf. *Grotius* l. 2. c. 4. §. 14. & l. 1. c. 4. §. 19.

§. 5. Hoc loco & illud quæri posset: si quæ civitas monarcham amolita est, qua ratione & quando ipsius libertas democratica confirmetur? Ubi super diversis casibus distincte videtur pronunciandum.

Uuuuuu 3

I. Si

I. Si urbs vel regio aliqua, quacunque de causa excusso ejus imperio, cui antea suberat, libertatem sibi usurpaverit, & pro peculiari sese rep. gere coeperit; ubi post cum antiquo suo domino amice transegerit, & pro libera rep. agnita fuerit, statim libertatem pleno jure obtinet, neque ad ejusdem confirmationem mora usucapionis opus habet. II. Si justis de causis imperium alicui fuerit abrogatum, statim firma & justa est libertas, atque vindicata fuit. Neque diuturna possessione opus est, aut ut illa libertas à priori domino pro legitima agnoscat; nisi hætenus, ut injustis litibus, quæ ab isto deinceps moveri possent, materia penitus præscindatur. Vid. *Baudius de induciis belli Belgici* l. 3. p. m. 178. III. Ubi injustis de causis rebellatum fuerit, libertas illegitima manet, quamdiu antiquus dominus bello ad obsequium rebelles reducere laborarit, aut saltem protestationibus jus suum in eisdem salvum conservarit, donec ex diuturno silentio colligatur, antiquum dominum jus suum habere pro derelicto. IV. Si contingat regionem vel urbem, periculo ab hostibus imminente, à rege suo auxilium frustra petere, quod vires ipsam deficient; sic ut ea propriis viribus & consilio salutem suam expedire cogatur: putamus prioris domini jus expirare, ubi per diuturnum temporis spatium suas sibi res seorsim habuit, nec cum antiquo imperio negotii quid amplius ipsi intercessit. Id enim aperte prioris domini derelictionem arguit. Nam si vel maxime interdum regem aut remp. necessitas subigat, ut ab auxilio suo destitutam urbem aut regionem propriæ defensionis relinquere cogatur; Vid. *Livius* l. III. c. 6. XXIII. c. 21. tamen depulsa ea necessitate ad antiqui imperii exercitium potius erit redeundum. Cum amplius principem se meum ferre nequeat, cui, ubi commode possit, ullam principalis muneris partem adversus me exhibere diu curæ non est. Vid. *Livius* l. XXXV. cap. 16.

§. 6. Per electionem populus constituendus, aut jam constitutus ultro certum hominem suo judicio imperii capacem designat. Cui post ubi decretum populi, aut eorum, qui populum repræsentant, fuerit significatum, idque ille acceptaverit, promisso populi obsequio imperium confertur. Eam vulgo faciunt *liberam* aut *restrictam*. Illa est, quæ contra exceptionem designari potest, quicumque naturaliter habilis sit imperio, aut mox fore speretur. Hæc autem, quæ non nisi ex certa ratione,

LIBRI VII

tionem, familiam, aut certa qualitate præditum recte potest designare. Si tamen jus eligendi, prout radicaliter populo inhærere intelligitur, consideremus, omnis electio in se libera erit. Licet enim decretum semel factum fuerit, quo certam genus hominum ab imperio excludatur, nihil tamen impedit, quo minus id decretum iterum abrogetur. Sed si populus in paucos quosdam jus eligendi contulerit, ut plurimum certis ipsos legibus solet adstringere circa requisita, quæ in designando principe observari debeant. Alicubi electio velut mixta successione deprehenditur, quando regulariter quidem ad defuncti filios regnum devolvitur, ut tamen populi, procerumque consensus initio interveniat. Qui consensus non videtur nudum instar inaugurationis, aut præstationis homagii, sed vim suffragii negativi habere. Veluti si populus in autorem familiæ regnatricis imperium hac lege contulisset, ut idem in posteros quoque transmitteretur, dummodo regno non inepti sint futuri. Igitur in talibus regnis populus aut proceres conveniunt, non tam ut regem eligant, quam ut declarent, nihil se in filio reperire, quo minus patris successor esse queat.

§. 7. Cæterum electio fit vel in civitate jam nascente, vel in civitate olim constituta. Ibi post primum pactum, & decretum super forma rei. introducenda ad electionem proceditur ab universis, vel per universos deputatis. Qua peracta, & acceptata, insecutoque inter electum & populum pacto perfecta civitas monarchica existit. In civitate autem monarchica jam constituta contingere potest, ut monarcha decedat, successore nondum constituto. Quo casu res ad *interregnum* redire dicitur. Quæ forma autem civitati assignanda sit tempore interregni, facile intelligi potest, si consideretur, quibus vinculis perfecta civitas cohæreat. Scilicet quia per posterius pactum, regem inter & cives initum, intrinseca civitatis perfectio, & summum imperium actu provenit; inde subjecto proprio imperii sublato ad imperfectam formam regnum delabitur; sic ut primogenio dumtaxat civitatum pacto cohæreat, quo singuli cum singulis ad constituendum unum coetum intelliguntur conspirasse. Quanquam isti pacto circa connectendos cives tempore interregni non parum firmitatis addit vocabulum communis patriæ, & exinde resultans qualiscunque cognatio; simulque quod plerorumque fortunæ isti loco sint annexæ, nec facile aliorum transferri queant.

L. 118

Lysias orat. XXX. Qui natura cives sunt, sed in ea sunt sententia, ut quamvis regionem sibi esse patriam existiment, in qua suis commodis consulere queunt; de his satis constat, quod neglecto communi civitatis bono, privata sua lucra sint quaesituri, cum non civitatem, sed facultates & divitias sibi patriam constituunt. Sicuti & recte *Livius* l. 2. c. 1. judicat: per pignora conjugum ac liberorum, caritatemque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos civium confociari.

Antiphon orat. 16. ὅτι ἐπιπείν τὴν πόλιν καλῶς ἔχειν αὐτῶ. ἰκανὰ γὰρ ἢ τὰ ἐπιχρησάμενα αὐτῆ ὀπί τε παῖδες καὶ τὰ χεῖματα. Nec facile ipsi erat civitatem deserere: sufficientia enim pignora erant, qua tenebantur, ipsius liberi & opes. Sic apud *Plutarchum* *Mario* Romani militem à censu legisse dicuntur, ἐπιχρησάμενα τῶν ἰστίων ἰνδύων τιθῆναι δούλωντες, quod quilibet suas facultates pignori opponere videretur. Quæ causa etiam est, quare civitas ad interregnum devoluta firmius adhuc cohæreat, quam exercitus, mercenarius cum primis, amisso duce; quippe in quo plerisque nulla patria, aut alia est. Ista igitur omnia ut conservent, atque in tuto collocent locupletes cives, ad concordiam interea agendam sunt proniores, & studiosius ad instaurandam civitatis formam incumbunt. Cæterum quanquam cum *Livio* l. 1. c. 17. inter regni tempore regnum possumus vocare civitatem sine imperio, & velut exercitum sine duce; tamen quia civitates nascentes, antequam imperium in certum hominem aut concilium fuerit collatum, democratiarum instar habent; (Vid. *Hobbes de Civitate cap. 7. §. 5. ab init.*) & præterea naturale est, ut quando universi curam sui alicui commiserunt, eo extincto, ipsi sibi prospiciant: igitur regulariter interregna indolem democratiae alicujus temporariae præ se ferre videntur, saltem hætenus, ut ex universorum consensu tantisper statuendum sit de communium rerum administratione, novoque rege creando, nisi aliam reip. formam introduci placuerit. Democratia tamen perfecta interregnum proprie non est, quatenus nondum decreto sancitum, summam rerum perpetuo esse debere penes concilium universorum, & quia leges atque instituta publica ad monarchicum regimen adhuc sunt adaptata. Quanquam & hoc possit contingere, ut ubi regnum ex insignibus partibus integrantibus constat, puta ex diversis gentibus, provinciis, ac magnis urbibus, per interregnum faciem alicujus systematis id videatur inducere. Ex hisce patet, quem in sensum capiendum sit illud, quod à *Grotio* l. 1. c. 3. §. 7. aliisque traditur:

rege

rege extincto, citra successorem imperium reverti ad populum. Scilicet quanquam haecenus in interregno penes populum imperium non sit, quod nondum communi decreto in perpetuum summa rerum in concilium universonum sit collata; poterit tamen interim populus per se, aut certos delegatos exercere omnes actus summi imperii, qui ad conservationem ipsius facere videbuntur. Nam falluntur illi, qui extincta familia regnatrice, negant potestatem imperandi ad populum reverti, sed duntaxat potestatem eligendi & designandi alium regem. Quasi vero, interregno existente, necessum sit populo omnino regem creare. Et quasi deinceps non possit imperium conferri in optimates, aut democratia in perpetuum stabiliri.

§. 8. Optime tamen tranquillitati suae prospexerunt civitates, quae declinandis incommodis, ex interregno oriri solitis, in antecessum constituerunt, penes quos, solio vacante, interea sit reip. administratio. Qui sive interregum, sive alio vocabulo insigniantur, sunt magistratus temporarii, seu, ut ita loquar, provisionales, qui autoritate universi populi actus summi imperii, saltem continendo tantisper coetui necessarios, exerceant; obnoxii tamen populo ad reddendas gestorum rationes, quas & aliquando novus rex velut nomine populi exigit. Horum potestas, novo rege creato, aut ubi super alia reip. forma fuerit constitutum, statim expirat. Ubi vero in aliquo regno extiterit perpetuus senatus, penes quem tamen rege vivo summa rerum non fuerit, in illum, rege defuncto, summa potestas proprio jure non recidit. Quanquam expeditissimum sit, ut in casum interregni vicaria reip. administratio tantisper eidem committatur; sicuti & antea abs rege in partem curarum tanquam minister vocabatur. Quicquid autem potestatis interregni tempore ille senatus exercuerit, id ab universo populo in eundem collatum intelligitur. Quam enim potestatem a rege tanquam magistratus obtinuerat, illa rege citra successorem defuncto extinguitur; (vid. *Connestag. de unione Lusitan.* l. 3. p. m. 116.) & si pristinam continuare functionem conceditur, id non amplius defuncti regis, sed populi beneficium est. Add. *Bodinus de republ.* l. 3. c. 2. p. m. 417. Hinc & ejusmodi senatui, interregis officium obeunti, haut quidquam licet diutius potestatem retinere, quam universis placuerit; multo minus sibi perpetuo imperium vindicare, aut propria autoritate aristocratiam constitutere. Penes universos enim est super forma

X x x x x reip.

reip. disponere, & quidem pro lubitu, nisi forte de jure sint victi. Vid. *Livius* l. I. c. 17. & *Dionys. Halicarn.* l. 2. ubi memorat, cum crebra illa inter regum mutatio populo Rom. displicuisset, & quod pro uno centum viderentur reges habere, senatum in populi arbitrio posuisse, de ordinanda rep. dispicere, sive regibus, sive magistratibus annuis ejus curam mallet credere. Et si eam optionem populus in senatus judicium rejecit. Add. quoque historia interregni post obitum Sigismundi in Polonia, ap. *Paulum Piascium ad Ann. Christ.* 1632.

§. 9. Ad isthæc illustranda operæ pretium fuerit expendisse, quæ tradit *Hobbes de cive* c. 7. §. 15. 16. ubi talem format casum. *Si populus tradiderit summum imperium uni alicui hominum, habendum pro tempore tantum vita sua, idque cum fecerit, unusquisque è cætu ita discesserit, ut de loco ubi post mortem ejus ad novam electionem congregentur, nihil omnino sit ordinatum: populus non amplius erit persona una, sed multitudo hominum dissoluta, quorum cuilibet cum quibuslibet convenire diverso tempore & loco, quo libuerit, licitum erit.* Igitur talem monarcham ex lege gratitudinis teneri cavere, ne post mortem suam civitas dissolvatur: idque vel statuendo diem & locum certum, quo cives, qui voluerint, convenire possint; vel successorem sibi nominando, prout reip. videbitur expedire. Hæc fallitur *Hobbes*, dum arbitratur, *congregatos, si discesserint, non constituto prius loco & tempore secuturi conventus, abire in dissolutam multitudinem:* siquidem hoc intelligatur de illis, qui jam civitatem perfectam, rege electo, constituerunt, non de his, qui in civitate adhuc constituenda sunt occupati. Nam qui congregantur civitatis formandæ causa, & discedunt non indicto in futurum conventu, illos manifestum est re penitus infecta dissolvi, adeoque singulos in priori statu permanere. Ast qui semel in perfectam civitatem coalescerunt, regique se subjecerunt, cum fortunarum suarum sedem in ista fixerint, non possunt præsumi tam fuisse socordes, ut cum rege defuncto novellam civitatem extinguere, & in naturalem statum atque anarchiam voluerint abire, non citra stabilitæ jam salutis periculum. Igitur ubi in regem imperium non fuit collatum hæreditario jure, aut ut ipse pro lubitu de successore statueret; saltem tacite inter ipsos conventum intelligitur, ut statim à morte regis conveniant, idque eo loco, ubi alias conventus celebrari moris erat, aut ubi rex domicilium fixerat. Nec facile deerunt in aliquo populo cives eximii, qui tantisper auctoritate sua reliquos continerant,

neant, & ad quamprimum consulendum reip. impellant. Ex hisce quoque perspicuum est, quousque admitti possit illud *Hobbesii Leviath.* c. 21. *Quando monarcha pro se & liberis suis regnum relinquit, sique renunciat, subditi ad absolutam & naturalem libertatem revertuntur.* Id enim hautquam in eo sensu verum est, quod isti in dissolutam plane multitudinem abeant, sed quod absolutum recipiant jus de statu suo denuo disponendi.

§. 10. Exoritur quoque aliqua species interregni in regnis successivis, quando rex decedit, relicta uxore prægnante, aut quam saltem prægnantem suspicatur. Equidem ex consensu plurimarum gentium in illos quoque, qui adhuc in utero existunt, jus aliquod transferri potest, adeoque iidem juris quoad *alios* capaces sunt. (In de Persæ, relicta ab Hormisdate uxore prægnante, cum magis prolem masculam utero ferri credidissent, cidari utero imposita, embryonem regem pronunciarunt, nomineque insignierunt: qui deinde Sapores fuit, gestis celeberrimus. apud *Agathiam* l. 4.) Existente autem subjecto proprio summi imperii interregnum non datur. Unde neque minorennitas regis, neque captivitas interregnum proprie dictum facit. Etsi captivi sæpe à cognatis tanquam mortui fuerunt habiti, cum potius regnum ipsorum nomine tantisper debuisset administrari, quousque postliminio revertissent, aut in captivitate obiissent. Vid. *Iustin.* l. 36. c. 1. *Trebell. Pollio* in *Gallieno*. Huc facit, quod narratur à *Dione Cassio* l. 36. *Tigranes in regione Sophene thesauros in castellis repositos habebat. Eos à custodibus postulanti Pompejo hi responderunt: à Tigraane sibi hoc imperari debere. Cum Tigranes invitus licet ut castella reserarentur, imperaret, custodes excipiebant; eum non ultro, sed invitum ad hoc jubendum adigi. Mox tamen cum Tigranes ideo in vincula conjiceretur, aperuerunt.* Sic & *Demetrius*, à *Seleuco* in custodiam datus, mandavit filio, ducibusque & amicis, qui Athenis & Corinthi erant, ne literis vel annulo suo fidè adhiberent, sed ut si mortuus sit, reservarent oppida & reliquias regni *Antigono*. *Plutarchus Demetrio*. Partu tamen regio nondum edito, non satis constat, vivus an mortuus sit foetus in lucem proditurus; & ubi à regno foeminae excluduntur, mas an foemina sit futura proles posthuma. Quousque tamen de ea re constiterit, populus haut quidquam jura illa, quæ in liquido interregno, nanciscitur; sed regnum interea erit administrandum eo modo, quo alias per minorennitatem regis solet. Vid. *Serranus* *invent. hist. Franc. in Philippo Valesu* *h. init.*

§. II. *At per successionem jus regni semel alicui partum, aut in aliquem collatum, in posteris ejus continuatur. Est autem ista successio constituta vel arbitrio ipsius regis, vel arbitrio populi. Regibus, qui regna sua in patrimonio habent, jus quoque competit pro lubitu super successione disponendi; qui ubi expresse circa eandem voluntatem suam declararunt, illa utique non minus quam privati patrisfamilias testamentum fuerit sequenda. Quo casu poterit rex illud suum regnum æquis portionibus inter plures liberos dividere, etiam non considerato sexus discrimine; ac transferre illud legitimis deficientibus in naturalem filium, (quo nomine Alphonsus Arragoniæ rex regnum Neapolitanum bello partum in filium suum naturalem Ferdinandū contulit; apud *Gaietardinum* l. V. etsi alii ad Arragoniam id pertinere jactarent, quippe hujus armis & opibus partum;) aut quem adoptavit, imo & in eum, qui nulla cognatione ipsi fuit junctus. Add. *Iustinus* l. 41. c. 5. n. 10. Enimvero ubi de successore suo nihil disposuerit ejusmodi rex, videndum est, quatenam naturalis ordo ad successionem vocet. Licet enim neque testamento, neque aliter voluntatem suam vivens declaraverit; præsumitur tamen noluisse civitatem se defuncto redire ad anarchiam, conjunctam utique cum pernicie civium, quibus tam miserum post se relinquere statum humanitas non patiebatur. Præsertim cum si illa fuisset ipsius mens, hoc facile significare liceret, quo in eum casum sibi maturè cives prospicere possent. Et æque de regibus quam aliis præsumitur, ipsos bona abs se parta nolle perire, aut quibusvis in medio velut exposita se mortuis relinquere, sed ad eos devolvi, quos ipsi carissimos habuerant. Igitur heic in successione regnorum patrimonialium idem ordo servabitur, qui in aliis privatorum hæreditatibus; nisi quatenus in doles & incolumitas regnorum ab eodem discedere suaserit. Etsi enim fortasse pari affectu omnes suos liberos prosequatur pater; tamen eousque, si cordatus fuerit, illum temperare sciet, ut ne patrimonium, cui salus familiæ fere innexa, ad sui stabilitatem fiat ineptius: & ubi in contrarium nihil significavit, hoc ipsum voluisse præsumetur. His positis, sequitur, ejusmodi regem velle, ut post se quoque monarchica civitatis forma conservetur; utpote quam & ipse exemplo suo commendavit, nec alio facto aut verbo post improbat. Deinde, quoniam naturali inclinatione omnes homines illis bene esse malunt, per quos sibi potius, quam*

alii

aliis honor & gloria exsurgit; honor autem & gloria unicuique post mortem per liberorum potius, quam aliorum quorumcunque hominum potentiam contingit; censetur patrem liberis suis melius velle, quam quibuscunque aliis. Nam si hoc nolit, expresse id fuerit significandum; cum tanta dementia non credatur in aliquem cadere, ut tam speciosum bonum ad liberos non pervenire, sed in medio positum rixarum materiam præbere velit. Non recte autem ab *Hobbeso de cive c. 9. §. 15.* inter signa voluntatis paternæ, regnum in liberos transferre nolentis, refertur consuetudo post plures successiones; cum, qui de successore tacet, consuetudini regni consentire intelligatur. Nam consuetudo illa, sive ab autore stirpis, sive à posteriorum aliquo originem habuerit, in vim utique legis fundamentalis abiit. Nos autem heic quærimus de ordine successionis, quando neque dispositio regis, neque lex aut consuetudo regni extiterit. Porro & hoc ejusmodi rex velle præsumitur, ut non solum regnum regularem formam retineat, i. e. ut neque partes summi imperii inter plures fratres, aut eodem gradu proximum regem tangentes distribuantur, neque iidem regnum pro indiviso parique inter se potestate administrant; sed etiam nolle, ut in plures partes regnum dividatur, & pro uno plura deinceps distincta regna sint. Quippe cum utrumque cum maximo regni detrimento, & ipsius familiæ regiæ convulsione sit conjunctum. Cui proximum est, ut etiam in hisce regnis, non obstante ætatis prærogativa, inter plures liberos masculi præferantur foeminis, quia regulariter sexus masculinus imperio aptior, & foeminarum regimen ferè incommoda quædam comitentur, quæ eo majora futura sunt, si per easdem fratres paterno solio sint prohibendi. Præterea & hoc obtinebit, ut inter plures liberos sexu pares natu maximus succedat, idque non ideo tantum, quia hic ut ætate, ita & prudentia juniores antecellere censetur, sed & quod alias fratres circa conjunctionem cum patre æquales sunt. Inter quos si dignissimo regnum esset deferendum, non possent non exitialibus inter se discordiis implicari. Illustre exemplum hujus rei possunt præbere turbæ, quæ non ita pridem regnum magni Mogolis exercuerunt; quas luculenter descripsit *Bernier*. Quibus præcavendis optimum est forti nascendi rem committere, quam omnium fere gentium consensus, velut ab ipsa natura jactam, constanter amplectitur. Add. *Xenophon Cyrop. l. 8.* in ultima oratione Cyri. Heic tamen necessarium fuerit, ut primo-

genitus cæteris fratribus de honesta sustentatione prospiciat. Nam ut istis tantum rependat, quanti eorum portio futura erat, si regnum divisum foret, neque necessarium est, & fieri plane nequit. Ponamus enim quatuor esse fratres. Unde heic primogenitum tantum pecuniæ, quæ tres quartas partes regni æquet? Add. *Bæcler. ad Grot. l. 2. c. 7. §. 13.* Quod si autem in ejusmodi regnis rex sine prole sit, fratres aut sorores succedent, & his deficientibus, prout quisq; defunctum proxime attingit; salva tamen sexus & ætatis prærogativa. Quin & ad proximos ultimi possessoris regnum demum perveniet, qui autorem regni non attingunt, non solum voluntate defuncti expressa, sed & si ejusmodi succedendi mos circa privatorem civium hæreditates in regno sit receptus. Quem & circa suum patrimonium valere voluisse præsumetur rex, dum expressa dispositione ab eodem non abiit. Quod autem *Hobb. de civ. c. 9. §. 19.* addit, non adeo liquidum est. *Quæ ratione, inquit, succeditur ad imperium, eadem quoque succeditur ad jus successionis. Nam primogenitus, si ante patrem moriatur, censetur, nisi pater aliter statuerit, jus suum successionis transtulisse ad liberos suos: ideoque nepotes & neptes priores erunt ad succedendum, quam ipsorum avunculi. (patrui debebat dicere.)* Equidem fatemur, jus illud repræsentationis aut substitutionis in locum esse valde favorabile, ne scil. liberis fraudi sit, quod tam mature patre fuerint orbat. Nihilominus cum filius, patre adhuc vivo, ad istius bona spem duntaxat, non plenum jus habeat; & non adeo necessarium videatur, ut quemadmodum jus, ira & spes, nondum in jus velut animata, in liberos transeat; vix solo jure naturali patrui prævalebunt nepotes, nisi lege regni aut consuetudine fulcianur. Add. *Bodin. de rep. l. V l. c. 5. p. m. 1144. seqq.*

§. 12. Enimvero in illis regnis, quæ ab initio ultronea populi voluntate sunt constituta, ordo successionis originarie ab ipsius populi voluntate dependet. Qui ubi in regem non imperium solum, sed & jus de constituendo successore expresse contulit, (id quod non temere fieri solet,) succedet, quem iste voluerit. Sin ipse populus super successione disposuit, voluit eam procedere aut ad modum reliquarum hæreditatum, quantum ille ad regnum utiliter applicari potest; aut peculiari ipsum ratione temperavit. Successionem simpliciter hæreditariam in regnis à privataram hæreditatum successionibus in hisce fere salus civitatis discedere ju-

re jubet. 1. Ut regnum inter plures fratres aut hæredes, eodem gradu à defuncto distantes, non dividatur. Quia hoc ad tuendum regnum & civium concordiam plurimum facit. Vid. *Justin.* l. XXI. c. 1. 2. Ut successio stet inter eos, qui à primo rege descendunt; neque ad gradum transversum, multo minus ad affines transitus fiat. Nam isti regi, ejusque posteris regnum dare voluit populus, quibus extinctis, ad populum redit jus deinceps super regno statuendi. Add. *Bæcler. ad Grot.* l. 2. c. 7. §. 15. 3. Ne succedant, nisi qui nati sunt secundum leges patriæ. Quæ ratione excluduntur naturales seu nothi, utut pater forte non minore affectu ipsos fuerit amplexus. Nam saltem inter generosas nationes ad contentum patent, quorum matrem pater justo matrimonio dignatus non fuit, & pro instrumento magis defultoriæ libidinis, quam socia vitæ habuit. Quia & ob defectum fidei, & perpetuæ cohabitationis non adeo liquido de talium patribus constat. Ast in regnis quam maxime expedit personam regis esse venerabilem, simulque quam minimum controversiarum circa eandem posse moveri. Add. memorabile in hanc rem exemplum apud *Martinium hist. Sin.* l. VI. c. 1. p. m. 202. *Livius* l. 39. c. 53. *Et si minore etate, quam Perseus, esset Demetrius, hunc tamen justa matrefamilias, illum pellice ortum esse: illum, ut ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere: hunc insignem Philippi similitudinem præ se ferre.* Add. queque quæ de Ferdinando rege Neapolitano refert *Jovianus Pontanus hist. Neapol.* l. 2. Huc etiam spectat, quod in quibusdam regnis aperto in conclavi reginæ pariant, ne partus fingi, & supponi credatur. Sic Fridericum II. mater Constantia quinquagenaria peperit, tentorio in foro urbis erecto, & præsentibus plurimis nobilibus viris ac foeminis. *Pandulfus Colletius rer. Neapol.* l. 4. Excluduntur quoque adoptivi non solum, quia nobilitas generis vere regii magis venerandos efficit reges, majorque de illis spes concipitur, quod similes sint virtutibus futuri illis, ex quorum sanguine sunt prognati: sed & quia in naturalem regis stirpem populus regnum contulit, qua deficiente, ad se voluit redire facultatem de secutura regiminis forma disponendi. Quæ facultas, admissa adoptione, quæ quidem jus ad regnum daret, in perpetuum posset eludi. 4. Ut in pari gradu, revera aut per representationem tali, mares præferantur foeminis, etiam ætatis prærogativa gaudentibus. Add. *Bæcler. ad d. l. Grotii* §. 17. 5. Ut inter mares, & ubi hi deficiunt, inter foeminas, in pari gradu maximus natus præferatur.

Apud

1090

APUD Livium l. 40. c. 11. Perseus de Demetrio minore fratre: *transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, juris gentium.* Add. Bæccerus d. l. §. 18. 6. Denique & in hoc à vulgaribus hæreditatibus ejus-

modi regna differunt, quod, licet non nisi morte prioris possessoris ad alterum devolvantur, & ab isto huic velut de manu in manum dentur; tamen occasione duntaxat prioris domini ad alterum perveniant, non autem, uti aliæ hæreditates, ex prioris domini jure, voluntate, & beneficio.

Nam successio in hisce regnis non ab arbitrio ultimi possessoris dependet; sed ex constitutione populi in stirpe regia continuatur. Inde quoque non est necessarium, ut successor, licet gradu proximus, etiam in onera defuncti, quæ quidem in privato ipsius patrimonio hærent, subeat.

Sed, si videatur, poterit regnum quidem capeßere; privati autem patrimonii hæreditatem recusare; quippe cum regnum eximia quædam, & à privato patrimonio separata sit hæreditas. Nam populus quam optimo jure regnum deferre voluisse creditur; neque ejus quidquam refert, quid privato regis patrimonio fiat. Quin & ipsi populo oneri futurum esset,

si ad privata regis debita luenda successor teneretur; quæ, si privatis in bonis hic tantum non haberet, de publico solvenda de mum forent. Isti hunc autem succedendi ordinem populus elegit, ne successor foret in incerto, & vitandis electionum incommodis; simul ut reverentia regi ex splendore natalium conciliaretur, & ex genere atque educatione spes esset præclaræ virtutis, regnique possessor regnum magis curaret, & animosius defenderet, si illud iis esset relicturus, quos ipse ob naturalem affectum maximi facit. Illud extraordinarium est, quod Procopius de bello Persico l. 1. c. XI. tradit: *ἑτερόθαλλον, ἢ ἄλλῃ ἰνὶ λόγῃ ἐχόρμητον, ἢ θίμῃς πέρσαις βασιλῆα κἀδίστατον*, *Luscum aut alio quoquam vitio notatum nefas est Persis regem creare.*

§. 13. Sed cum in isthoc genere successionis inter personas longius ab autore stirpis remotas facile contingere possit, ut quæ alteri sit præferenda, non ita liquidum esset, si quidem simpliciter ita quisq; ad coronam vocandus foret, prout nuper defunctum regem proxime contingeret, præsertim cum favor representationis in remotioribus gradibus evanescat: igitur ad tollendas ejusmodi controversias multas apud gentes successio, quæ *linealis* dicitur, introducta est. Quæ in hoc consistit, ut omnes, qui ab autore stirpis regnatricis descendunt, velut lineam quam-

dam

dam perpendiculararem intelligantur constituere, quarum quælibet regno propior, prout quisque in eodem gradu sexus, deinde ætatis prærogativa potior. Nec prius ad aliam lineam regnum devolvatur, quam omnes ex priori linea fuerint extincti. Unde & illis, qui hoc modo successuri sunt, non necessum est numerare, quoto gradu à proxime defuncto rege distent, neque ad jus repræsentationis provocare; sed prout quisque nascitur, ita lex illi perfectum jus ad regnum suo ordine habendum confert, quod jus quisque ad omnes ex sese natos pari ordine demittit, licet ipse regnum non obtinuerit. Hoc modo igitur primo semper loco vocantur ultimi possessoris liberi, sed ita, ut & mortuorum ratio habeatur, si quidem ipsis proles superfit qualiscunque gradus; & si mortui istius linea potior fuit, ejusdem proles reliquos omnes excludat: salva tamen semper in pari gradu ejusdem lineæ prærogativa & sexus, & ætatis. (Nam ut sola ætatis prærogativa superet prærogativam sexus, nullibi puto exempla existunt.) Si ultimo possessori defuerint liberi, ab ipso ascendendo, (non recurrendo ad autorem stirpis & ibi incipiendo,) itur ad lineam proximam, & sic deinceps, salva semper in pari gradu ejusdem lineæ sexus & ætatis prærogativa. Cæterum successionis linealis usitatissimæ species duæ sunt: *cognatica* una, altera *agnatica*. Illa, quod in regno Castiliæ sit recepta, Castiliana quoque vocatur: quæ id habet peculiare, ut in eodem gradu ejusdem lineæ mares foeminis etiam majoribus natu præferantur; ob solum tamen sexum de linea in lineam transitus non fiat. Adeoque foeminæ non excludantur, sed postponantur duntaxat maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipsas sit regressus, si priores, aut pares cætera mares, aut ex maribus defecerint. Cui consequens est, ut filia ex filio, præferatur filio ex filia; & filia ex fratre, filio ex sorore. Successio autem agnatica ab illa differt, quod hæc foeminæ, & ab his descendentes in perpetuum excludantur. Cujus rei ratio est, ne per foeminarum matrimonia ad peregrinos regnum devolvatur, aut insertis per matrimonium in regiam familiam alienis antiqua stirps regia nimium rejiciatur. Vocant etiam hanc successionis speciem Francicam, quod in Galliæ regno illa recepta sit. Potest & hoc introduci, ut ubi omnes masculi ex stirpe regia defecerint, demum ad foeminas regnum devolvatur. Vid. *Gvicciardin. hist. l. XII. p. m. 367.* Cæterum cum successio linealis valde plana sit; igitur sicubi controversia inciderit, ante omnia illud inquirendum fuerit, quænam

successionis species in regno recepta sit. Id quod superiori seculo circa
 successionem Lusitanicam maxime erat discutiendum; cum Raynuius
 Parmensis linealem, reliqui simplicem hæreditariam urgerent. Vid. *Con-*
nestag. de Unione Lusitan. l. 3.

§. 14. Potest etiam alius modus succedendi constitui, ut tali or-
 dine quisque ad regnum vocetur, prout auctori stirpis regie est proximus.
 Quia ratione ipsi succedent omnes filii pro ætatis ordine; inde omnes ne-
 potes, habita ratione & ætatis patrum suorum, & ætatis propriæ: his o-
 mnibus extinctis, eundem ad pronepotes, & sic deinceps. Talem modum
 succedendi quondam in Numidia fuisse usitatum, colligitur ex *Livio*
 l. XXIX. c. 29. Similis succedendi modus observatur quoque in regno
 Siam, teste *Iodoco Schouten in descript. ejus regni.* De more in regno Felix
 & Maroci testatur *Thuanus* l. 65. ad ann. 1578. & *Connestagius de unione*
Lusitan. l. 1. qui tamen videtur innuere, peculiarem eam inter fratres fuis-
 se conventionem. Apud Peruvianos quondam sub imperio Yncarum
 inter Curacas seu regulos duntaxat eum fuisse succedendi modum, refert
Garcilassus de la Vega l. 4. c. 10. Add. *Grotius* l. 2. c. 7. §. 24. Apud multos
 quoque populos in India, & imprimis per totam oram Malabaricam, hic
 mos succedendi est receptus, ut non succedat patri filius, sed sororis filius;
 quod credant, de hoc multo certiore esse fidem, quod sit ex profapia re-
 gia, quam de illo; uti inter alios refert *Petrus de Valle Biner. part. 3. epist. 6.* &
Hieron. Osorius passim. Add. *Phil. Baldeus in descript. Malab. & Coromand.*
 c. 17. p. m. 102. Etsi apud incolas Hispaniolæ tantum in defectu liberorum
 sororum filii successerint, tanquam certiores, *Franc. Lopez de Gomara hist.*
Ind. Occid. c. 28. *Idem* c. 124. refert, etiam in privata successione filios soror-
 um præferri liberis, excepta familia Yncarum, in qua filius succedit patri.
 Apud Canadenses quoque more receptum tradit *Franciscus Creuxius hi-*
stor. Canadensis l. 1. ut in hæreditatibus bonorum & dignitatum filii soror-
 um præferantur filiis uxorum. Singularis modus succedendi ap. Charra-
 moritas (qui sunt natio Arabum,) refertur à *Strabone* l. XVI. *Succedit in regno*
non filius patri, sed qui primus è nobili genere post constitutum regem nascitur.
Nã simul ac aliquis in imperio constitutus est, omnes nobilium virorū uxores præ-
gnantes conscribuntur, & custodes adponuntur, qui observet, quæ prima peperit.
Nam ejus filius ex lege assumitur, & ad regni successionem regaliter educatur.

§. 15. Caterum hoc loco quæstio oritur, si controversia inter duos
 pluresvè circa successionem in regno cum primis non patrimoniali oria-
 tur,

Si enim regi, qui volente populo possessionem regni adprehendit, post
 alius quidam è familia regialitem intèntet, quasi propiore gradu regnum
 ad ipsum spectet; neque petitor populum poterit iudicem agnoscere,
 quippe cui iudicium suum, dum semel legitimum regem ipsum agnovit,
 est tuendum: & qui semel summum fastigium in sedit, hautquaquam sese
 illorum iudicio submitteret, qui se ipsi subjecerunt. Multo minus popu-
 lus competens iudex habebitur, si quis regni hæredem se venditet, quem
 ipse agnoscere detrectat. Quod si autem, solio vacante, duo sese compe-
 titores offerant, super potiore jure ambigentes, & populus sit paratus il-
 lum agnoscere regem, qui præ altero regnum sibi deberi demonstraverit;
 iudicio proprie dicto, & quali causæ subjectorum in civitatibus expedi-
 untur, opus non est. Nam vel controversitur duntaxat, quoto gradu
 uterque velut à solio distet; vel dubitatur, utrius gradus sit potior. In
 priori quæstione facti litigantium erit, pro sapiam suam liquido deducere;
 ubi victoria ab illo stabit, cujus deductio populo clarissima fuerit visa.
 Quamquam autem iudicium populi hæc ad victoriam momentum ad-
 fert: non tamen sententia feretur velut pro tribunali à iudice in sibi subie-
 ctos, sed per modum nudæ ad probationis: quomodo debitor ad solven-
 dum paratus non nisi instrumenta sui creditoris recognoscere cupit.
 Quod si dubitatur, qui gradus, aut quæ linea sit potior, declarata voluntas
 populi finem liti imponet; cum quilibet, quid agere voluerit, intelligere
 præsumatur; populus autem, qui nunc est, idem censeatur esse cum eo, abs
 quo successionis ordo ab initio est constitutus. Sic controversia Eduardi
 regis Angliæ contra Philippum Valesium, sicuti & paulo ante contro-
 versia inter Joannam, Ludovici Hutini filiam, & Philippum Longum eius-
 dem fratrem, coram ordinibus Franciæ disceptata fuit. Vid. *Scriptores hi-*
storia Francicæ, & Polydor. Virgilius histor. Anglic. l. XIX. ab init. Sic super
 successione in regno Arragoniæ novem delecti iudices pronunciant, ap.
Jo. Marianam de reb. Hispan. l. XX. c. 2. & 3. Sic apud *Dionysium Halicarn.*
l. 1. litem super successione inter Sylvium, & Julum Afcanii filium popu-
lus suffragio diremit, præter alias rationes hac præcipue motus, ὅτι μὲν οὐκ
ἦν Σιλβίου ὁ ἐπιλαβὴν τῆ ἀρχῆς, quod Sylvius matre natus esset, hæredè universi regni.
 Quamquam & ejusmodi declaratio non magis naturam habet sententiæ
 iudiciariæ, quam si donator obscura aut ambigua sua verba interpretatus
 fuerit. Ubi aliquis competitorum queratur, studia populi magis in al-
 terum

terum, quam in ipsam propendere, proximum fuerit ad arbitros rem deferre, neutri partium addictos, & quorum nihil intersit, hic aniste rerum potiatur. Vid. *Connestag. de unione Lusitan.* l. 3. & 5. Frequentiores controversias huc spectantes vide apud *Grotium d. l. §. 28. seqq. Arniseum select. pol.* l. 2. c. 2. *sect.* 10. *seqq.* & alios.

CAPUT VIII.

DE SANCTITATE SUMMI IMPERII
CIVILIS.

- | | |
|---|---|
| 1. Summo imperio iusta imperanti non debet resisti. | 6. Non statim civibus vis in eum, quæ tyrannus dicitur, est licita. |
| 2. An civi à civitate injuria fieri possit. | 7. Grotii sententia. |
| 3. Cives saepe injuste de imperio civili queruntur. | 8. Sacrosancti non sunt, nisi reges vere tales. |
| 4. Quot modis civi à rectore civitatis injuria fieri queat? | 9. Quo casu invasor habendus pro legitimo principe? |
| 5. An atrocibus injuriis principis possit resisti? | 10. Quatenus invasoris iussa cives obli-
gent, legitimo rege adhuc super-
siste, sed expulso. |

Quemadmodum summum imperium civile ad incolumitatem generis humani, & ad tollendas infinitas status naturalis miseras institutum est; ita illud sacrosanctum & inviolabile ab omnibus haberi generis humani quam maxime interest. Add. *Diodor. Sicul.* l. 1. c. 90. Atque illud quidem à nemine cordato in dubium revocatur, quin nefas sit, imperantibus, quamdiu intra potestatis suæ limites versantur, resistere. Nam ex fine & indole imperii adparet, cum ipso necessario conjunctam esse debere obligationem non-resistendi, i. e. citra reluctantiam parendi, faciendo vel omittendo id, quod ab isto injungitur. Enimvero de hoc potissimum disceptatur, an, si summus imperans subjecto præter fas quid imperet, aut quamvis injuriam intenet, tunc quoque sacrosanctus sit, sic ut nullo modo ea injuria per vim à subjecto repelli queat?

§. 2. Equidem *Hobbesii de cive* c. 8. §. 7. dogma est, *civi à civitate fieri non posse injuriam*, sicuti *nec servo à domino*; idque eo argu-

mento, quod civitati cum cive nullum intercedat pactum; (sola quippe pacti violatio ex ipsius mente est injuria;) & quia civis voluntas voluntati civitatis subjecta est, sic ut quidquid à civitate fit, volente cive fieri intelligatur. Volenti autem injuriam non fieri tralatitium est. Enimvero jam supra ostensum fuit, neque injuriam consistere in sola patrum violatione; & inter monarcham atque cives pactum intercedere. Subjectio autem voluntatis civium civitati facta ex fine hujus interpretanda & limitanda est. Sic ut eo demum res redeat: singuli cives suam voluntatem voluntati civitatis subjecerunt circa negotia, quæ ad conservationem civitatis faciunt; in quibus si factum civitatis cive displiceat, injuria huic non fit. Atqui cum extra ea negotia abs imperante civibus injungi aut inferri queant, quibus jus vel peculiari ex pacto, vel ex communi humanitatis lege quæsitum violatur, non adparet, quare civi à civitate injuria fieri nequeat.

§. 3. Probe tamen observandum, à civibus turbulentis aut querulis multa principum facta pro injuriis traduci, quæ tales minime sunt. Scilicet quod ab ipsorum judicio discrepat, id tanquam male factum damnatur. Et Jupiter neque serenus neque pluvius omnibus placet. Atqui quemadmodum propter varietatem ingenii humani, & male composita multorum desideria fieri non potest, ut reip. administratio singulis civib⁹ æquè arrideat: ita si quis pro injuria statim haberi velit, quod ipsi displicet, vel civitatis dissolutionem quærit, vel ipse imperare cupit. Et sane non paucis ea sola querelarum causa, quia ipsi non regnant. Quo ex numero erat Avidius Cassius, apud *Vulcatium Gallicanum*, qui causam sumtorum in M. Antoninum armorum jactabat, quod sibi hujus imperium displiceret, quod non possèt ferre nomen imperatorium. Quo prætexto adversus Septimium Severum utebatur quoque Pescennius Niger, apud *Æl. Spartianum*, & Clodius Albinus apud *Jul. Capitolinum*. Multi querelarum suarum causam in principem habent, quod is pravorum ministrorum utatur opera; sed veram doloris originem investiganti adparet, hanc esse, quod ipsi eodem ministerio non potiuntur. Tributorum gravitatem plebs sæpe indignatur, etiam quando non plus exigitur, quam præsens reip. usus, aut probabiliter subsecuturæ necessitates videntur exigere. Cui quid reponendum sit, docet *Hobbes de Cive*, c. XII. §. 9. Poenas in legibus dictatas severe exigi nemo jure indignari poterit, nisi qui flagitiorum licen-

licentiam sibi postulare velit. Et tamen si cui isthæc omnia, quæ rationes reip. utique exigunt, intoleranda videantur, aliò migrandi potestas est. Quæ si uti non placuerit, communem mortalium conditionem accuset, quibus nulla felicitatis pars illibata conceditur. Credere autem sibi ideo licere legitimam imperium vi excutere, perinde foret, atque ex rapinis rem augere velle, quia proprio labore sese sustentare nimis durum videtur.

§. 4. Hæc quanquam ita sint, dubium tamen non est, quin à civitate, ejusque rectore civi injuria possit fieri, cum utique inter ipsos communio juris saltem naturalis existat, quæ sufficit, ut quis injuriæ ab altero capax sit. Duplici porro modo injuriam subjectis facere videtur princeps, si violat adversus ipsos vel officium *principis*, vel officium *hominis*: seu si cives tractat non ut cives, vel non ut homines. Officium principis vel universos respicit, vel singulos. Universis hoc debet princeps, ut salutem totius civitatis procuret, & quidem si absolutus est ad iudicium proprium, si legibus quibusdam circumscriptus, prout istæ modum regiminis definiunt. Ergo universis civibus injuriam facit princeps, si omnem reip. curam abiciat, ac ne per ministros quidem negotia publica expediri faciat. Puta, si neque adversus externos hostes defensionem civitatis suscipiat, neque per executionem legum intrinsicam tranquillitatem tueatur: & nihilominus inter tantam negligentiam dignitate & reditibus principalibus frui pergat, ac principatus fortunam sola luxuria ac libidinum licentia metiatur. Nam ubi cum curis regni etiam loco regali & proventibus absteineat, imperio plane censebitur sese abdicasse; id quod ipsi concessum, nisi forte pravis consiliis reip. in graves difficultates conjecerit, eamque dein tanquam desertor destituere velit. Sine dubio autem injuriam est, nullam officii partem facere, & tamen ejusdem emolumentis frui velle. Major adhuc injuria est, si directe animo hostili universonum salutem pessum dare studeat, atque hostis personam induat, quæ cum persona principis simul consistere nequit. Quanquam ejusmodi casus in principe mentis compote dari non possit. Quis enim sanus sua perdere velit? aut cui imperabit, qui cives suos hostium loco habuerit? Nisi forte duobus populis simul imperet, ut unius excidio alteri lautiores conditiones conciliet. Refertur tamen exemplum ejusmodi vesaniæ in *Itinerario Joan. Moquet* l. 4. de quodam Rege Pegu, quem

supe-

1098
 Imper
 civi
 poe
 tan
 &
 ur
 tat
 pro
 prodigat,
 his

periore seculo artibus magorum, uti ferebatur, tantum odium suorum
 civium ceperat, ut eos plane perdendi libido ipsum ceperit; coque sub
 pena mortis interdixerat, ne intra triennium terra coleretur. Unde
 tanta fames exorta est, ut in cibos sese Peguani passim occiderent. Sic
 injuriam princeps facit, si leges fundamentales invito populo, & nulla
 urgente necessitate subvertat; aut si modum habendi imperium immu-
 tum eat. Item, si patrimonium publicum destruat; si graviora quam
 usu reip. tributa imponendo pecunia cives emungat, eam inutiliter
 prodigat, aut aliò extra civitatem transferat; & quæ sunt alia. Quo pos-
 sibile adplicare illud *Antipatri in Anthol.* Ἀλλὰ λύκος εἶργες. τί δὲ τὸ πλίον; οἱ νό-
 μολαχθὲν Ὀμόλαι εἶτε λύκοις εἶδ' ὑπὸ τῷ φύλακι; *At fugat iste lupos. Quid*
lucri hinc? credita quæ sint, si lupus, aut custos salva manere vetat. Singulis
 porro civibus id debet princeps, ut eos communi cum cæteris sui ordi-
 nis jure frui permittat, iisdem defensionem præstet, ac justitiam admini-
 stre, quatenus id salva civitate fieri potest. Hoc si princeps singulis
 non præstiterit, ubi reip. tempora id permiserint, injuriam utique facit.
 Vid. *Iustinus* l. 9. c. 6. *sub finem*; et si *Pausaniæ* factum haut quidquam pro-
 bandum sit. Sic apud *Xiphilinum epit. Dionis, & Zonaram* tom. II. verula
 ferociter Adriano Imperatori, cum negaret sibi ad eam audiendam otium
 esse, occinit: *Ergo imperare noli.* Officium hominis adversus singulos
 princeps variis modis violare potest; puta si præter meritum honestum
 virum ignominia afficiat, si mercedem promissam deneget, mutuum sol-
 vere, aliosvè contractus implere detrectet, si damnum perpetulantiam
 datum sarcire nolit, si honestarum virginum pudicitiam expugnet, si per
 adulteria aliorum thoros polluat, si corpus lædat, bona eripiat, perdatvè;
 si denique innocenti vitam eripiat per meram violentiam, aut suborna-
 tis calumniatoribus, aut ad iniquam sententiam adactis metu, vel per
 promissa iudicibus, & quæ sunt similia. *Ammian. Marcell.* l. 26. c. 13. *Inter*
arma & lituos conditionis æquatio leviora facit pericula: & Martia virtutis
potestas, aut id quod ausum occupat, aut inopinata mors si acciderit, nullam igno-
minia continet sensum, finemque secum vivendi simul & dolendi perducit. Ubi
vero consiliis impiis jura quidem prætenduntur & leges, & Catoniana vel Cas-
siana sententia fuco perliti resident iudices, agitur autem quod agitur ad volun-
tatem prætumida potestatis, & ex ejus libidine vita incidentium necisque mo-
mentum pensantur, ibi capitalis vertitur perniciēs & abrupta.

§. 5. Enimvero difficilius est explicare, an ad quaslibet harum injuriarum citra reluctantiam perferendas teneantur cives; an vero certo in casu per vim eadem propulsare queant? Hæc nobis ita videtur. Cum illa vitæ humanæ sit conditio, ut omni carere incommodo nequeat, neque ullus homo facile tam compositis extet moribus, ut ad unguem omnibus satisfaciat: stolidum juxta atque impudens fuerit, ob quævis vitia in principem velle insurgere; præsertim cum neque nos ita accurate officium nostrum erga ipsum faciamus, & in privatis quoque leges leviora delicta soleant dissimulare. Quanto æquius igitur fuerit modica principis delicta condonare, cujus cura civium tranquillitas, fortunarumque & vitæ securitas continetur. Præsertim cum experientia testetur; quanta civium clade, quanta reip. concussionem etiam pessimi principes fuerint dejecti. Ergo leviores principum injuriæ nobili ipsorum muneri, cæterisque beneficiis, quin & nostris civibus, totique reip. sunt condonandæ. Vid. *Justinus* l. 15, c. 3. n. 9. *seqq.* *Tacitus* A. XII. *Ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes.* Apud *Eundem* H. l. IV. *Cerialis ad rebelles Treveros: Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres & cætera natura mala; ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* *Plato epist.* VII. *Ea mente circa patriam vir prudens esse debet, ut ita reprehendat civitatis errores, si neque frustra sit reprehensurus, neque ob reprehensionis studium periturus: vim autem patriæ per reip. mutationem afferet nunquam, quando absque expulsionem & cade civium emendari non possit. Sed quietem aget, votoque precabitur optima & sibi & patriæ.* Quem locum adduxit quoque *Cicero epist. ad fam.* I. 9. Imo & sibi ipsi consulit, qui potentiorum injurias mussitat potius, quam intempestivis querelis graviora sibi mala arcessit. Quo spectant dicta à *Grotio* l. I. c. 4. §. 4. citata. *Æschylus* *Prometheo vincito: ἄκνυ πρὸς κτίσρα κώλον ἐκλειεῖς, ὄρεων, ὅτι ἰσαχὺς μόνταρχῃ ἐδ' ὑπέδυνῃ κἀλεῖ.* *Verum non contra stimulos membra protendes, quum cernas Monarcham asperum, & nemini obnoxium.* Quin & sacræ literæ, ac sana ratio morositatem parentum, & dominorum patienter sustinendam suadent. *Plinius* l. 3. *epist.* 14. *Non judicio domini, sed scelere perimuntur.* Sed & hoc certum est, etiam ubi atrocissima injuria à principe animo hostili intentetur, potius esse emigrare, aut fuga sibi consulere, aut sub alterius civitatis tutelam concedere. Sed quid si princeps in-

ZZ ZZ ZZ

nocen-

E I C O

Innocentem civem hostili animo perditum eat, neque fugæ locus superfit?
 Sane multi animo concipere non possunt, quomodo principis & hostis
 personam erga civem idem simul sustinere queat; & qua fronte postu-
 let, ut ipse sacrosanctus sit, qui civem innocentem tanquam miseram bel-
 luam suæ libidini ardet immolare. Quin autumant, si, qui patrocini-
 um alicui debet, nulla aut iniqua de causa hostilem adversus ipsum animum
 induat, illum quoque huic clientis obligationem remittere; saltem hac-
 tenus, ut abs vi præsidium contra atrocissimas ipsius injurias mutuari li-
 ceat. Quæ defensio hoc favorabilior habetur, quo major est eorum
 numerus, quos per injuriam princeps perditum it. Sed cum vix repe-
 riantur exempla principum, qui per apertam professionem solius libidi-
 nis innocentes cives necare instituerunt; major difficultas oritur, quid
 liceat, ubi princeps sub obtentu juris sævire velit: puta, quod mandatum
 aliquod iniquum cives neglexerint. Ubi illud supponimus, cum omnis
 potestas alicui delata intelligatur salvo jure superioris, cives quoque,
 constituta summa potestate civili, imperio Dei in se renunciare neque
 potuisse, neque voluisse, adeoque eos non teneri jussis imperii civilis,
 quæ aperte mandato Dei repugnare constat. Hæc quid civi faciendum,
 si vis intentetur propter professionem religionis Christianæ, nostrum
 non est definire; cum ex iisdem scripturis, unde ista religio hauritur, cui-
 libet constare possit, quanti debeat ipsis esse, suæ religioni nihil contra-
 rium egisse aut simulasse. Vid. *Matth. X. 32.* Quod autem, ubi mors in-
 tentatur, sine proprio peccato quis suscipere possit executionem cujus-
 dam actionis, quæ in se juri naturæ repugnat, inferius ostendemus. Quod
 si tamen executio actionis ejusmodi sit, ut vel omnino citra proprium
 peccatum suscipi nequeat, vel in se ipsa morte acerbior judicetur; neque
 ulla ostendatur, aut saltem probabiliter simuletur ratio, neque ex delicto
 meo, neque ex bono publico, quare mihi potissimum tanta necessitas ta-
 le quid exsequendi admoveatur, quod per alium fieri poterat, vel omni-
 no fieri absurdum est: adparet sane id agi, ut innocens per solam impe-
 rantis libidinem, & hostilem ejus in me animum perdar. Quo ipso dum
 hostem pro principe induit, civi quoque obligationem, qua ei devinctus
 tenebatur, remisisse intelligitur. Etsi fuga hæc, quantum potest, sit ar-
 ripienda, ac tertii alicujus patrocini-um quærendum, cui nulla adversus
 prin-

principem istum obligatio. Quin & si fugæ via non datur, moriendum potius, quam occidendum est, non tam propter ipsius principis personam, quam propter totam remp., quæ tali occasione gravibus fere turbis solet involvi. At vero quando ob delictum aliquod imperans pœna plectere civem instituit, etsi hic non teneatur pœnam in se sponte arcessere, seipsum deferendo, aut ultro sistendo: tamen quo minus hic per vim sese defendere queat, ratio est, quia jure suo imperans utitur, quem ea de causa quocunque obtentu lædere sane injurium foret. Est insuper & illud observandum, si vel maxime concedatur, interdum alicui civi nefas non esse, salutem suam vi contra atrocissimas injurias superioris defendere: non tamen ideo cæteris civibus obsequium exuere, aut innocentem vi protegere licebit. Præterquam enim, quod ipsis in Principis facta, quæ velut ex potestate judiciaria exercet, inquirere non licet, ac sæpe contingat reos innocentiam jactare, invidiæ principi conflandæ; etiam facta civi injuria reliqui haut quidquam obligatione sua erga principem solvuntur. Ideo quod quisque civium pro se curam sibi, & protectionem ejusdem stipulatur, nec tanquam conditionem suæ subjectionis supponit; si omnes & singulos cives jure tractaturus sit. Neque metus, ne similiter secum agatur, obligationi abruptendæ sufficit: quippe qui incertus est; & quia peculiare in isto odii causæ potuerunt esse, quæ in aliis non deprehenduntur. Salva autem obligatione civis erga principem nullo prætexto vim eidem opponere fas erit.

§. 6. Cæterum uti per isthæc sanctitati principum nihil decedere non pauci arbitrantur: ita illi sane ferendi non sunt, qui ita crude jactant: regem, ubi in tyrannum degeneraverit, posse à populo exui imperio, & puniri. Cum enim tanta plerumque actuum civilium sit obscuritas, ut plebs eorum æquitatem aut necessitatem agnoscere nequeat, aut per turbida affectuum sæpe nolit; ut plurimum quoque reip. expediat, ne rationes consiliorum pluribus pateant: difficillimum fuerit presse designare actiones, ob quas patratas jure quis vocari mereatur tyrannus, in quem quælibet à civibus profecta vis sit licita. *Conf. Bacler. ad Grot. l. 1. c. 4. §. 14.* Unde fieri poterit, ut ejus vocabuli invidia etiam in bonum principem devolvj queat ab iis, quibus vel ipse, vel præsens status displicet; postquam homines per vocabula non solum res, sed & suos affectus exprimere sueverunt. Sane privata vitia tyrannum

non facere, nec paulo negligentiore*m* reip. administrationem, commu-
nis sententia est. Tributa graviora imperantur? Atqui subditus ad con-
silia non admissus iudicare nequit, an necessitas reip. ea flagitet. Suppli-
cia aspera sumuntur? Atqui si secundum leges, & ex præcedente delicto
stauantur, nemo jure queri potest; etsi forte clementia rectius adhibere-
tur. Quod invidiosissimum vulgo habetur, quidam magni viri ob pri-
vata odia, aut propter suspiciones innocenter è medio tolluntur? Atqui
si delicta aut machinationes in statum Principis prætexuntur, aut ordina-
ria iudiciorum forma observatur, etsi fors isti, qui tolluntur, de sua inno-
centia, & pauci præterea alii certi sint, reliquis tamen constare id liquido
qui potest? Cum præsertim semper præsumtio justitiæ à Principis partibus
stet. Promissa non servantur, aut privilegia antehac indulta circumci-
duntur. Atqui si Princeps absolutus vel delictum, vel necessitatem, aut
insignem reip. usum prætendat, jure egisse censebitur; de quo subditis li-
quido iudicandi facultas deest. Omnia autem privilegia exceptionem
hancce habent; nî salus, aut necessitas reip. ista observari vetet. Argu-
mentorum, quæ pro ista sententia afferuntur, non exigua pars sponte ruit;
si observetur: haut quidquam eadem esse hæc duo: populus habet pote-
statem vim regibus inferendi, eosque in ordinem redigendi, siquidem ad
libidinem ipsorum non imperaverint; & populo aut singulis competit
jus admoto extremo periculo, & ubi in hostem Princeps abiit, suam salu-
tem adversus ipsum defendendi. Nam quæ posterius probant rationes,
hautquaquam prius similiter inferunt; quæ tamen à multis confundun-
tur. Sic quando dicitur, populum, etsi in servitutem sese addixerit, non
tamen amisisse omne jus in libertatem aut securitatem sese vindicandi: id
non alio sensu potest admitti, quam quod populus contra extremam vim
eamque injustam principis sese defendere possit; quæ defensio ubi bene
successerit, libertatem quoque comitem ducit. Quippe cum dominus,
dum in hostem abit, subiectum ab obligatione adversus se videatur ipse
absolvere; sic ut hic deinceps sub jugum redire non teneatur, licet ille a-
nimum mutare velit. Extra hunc casum populo, qui se in servitutem ad-
dixit, vel potius absoluto unius imperio subiecit, non magis jus in liber-
tatem per vim sese vindicandi competit, quam mihi rem, alteri ex pacto
iam traditam, per vim iterum eripiendi. Nec enim adeo abhorret
à natura ista civilis servitus, quod quidam somniant, ut licet quis aliquan-
do civi-

do evitando majori malo in eam consentire necessum habuerit, post per occasionem, ipsa natura jus dante, eam excutere iterum queat. Et licet is status ingenio certalicujus populi repugnet, vel ab initio, vel post mutatis animis: nequaquam tamen principi eam solam ob causam jus quaesitum per vim eripere licet; non magis quam emtori rem ex contractu traditam, etsi post venditor contractum ex re sua non fuisse deprehenderit.

§. 7. Non multum ab hisce abit *Grotius* l. i. c. 4. §. 7. Ubi inter alia recte insinuat, tum ex indole summi imperii, tum ex praesumpta voluntate eorum, qui primi in civitatem coivere, judicari posse, num ne extrema quidem summi imperantis injuria vi repelli queat. Sanè enim haut quidquam naturæ summi imperii repugnat, ut omnium civium actiones per illud ad salutem publicam dirigantur, & decretis ipsius obluquantem extremum supplicium maneat; & tamen eidem non sit potestas ex mera libidine aliquem occidendi, ut huic nullo modo resistere liceat. Neque naturaliter inter se connexa sunt, absoluta potestas salutem alicujus procurandi & absoluta potestas aliquem pro libidine perdendi. Neque ostendi potest, quidnam ad pacem & securitatem civitatis ejusmodi in imperante potestas, in civibus obligatio faciat. Quo loco adparet, male colligere quosdam; quia summum imperium non potest esse nisi Deo obnoxium, satis intelligi, coeuntium in civitatem hanc fuisse mentem, ut adversus summam potestatem nihil sibi juris relinquerent. Quasi vero qui vitam suam contra violentum in vasorem defendit, eo ipso illum in judicium vocet. Conf. *Bæcler. ad d. l. Grotii*. Sicuti & nihil est scrupulus eorum, qui ideo nolunt admittere licentiam resistendi adversus immanem sævitiam imperantium, quod *non possit singi legitima vocatio subditorum ad arma contra supremum magistratum capienda; cum nulli mortalium jurisdictio in talem magistratum competat*. Quasi vero defensio esset effectus jurisdictionis; aut quasi præter necessitatem seipsum conservandi peculiaris requireretur vocatio in eo, qui vim injustam à capite suo est propulsaturus; magis atque in eo, qui famem ac sitim cibo potuque depellere studet. Conf. *Ziegler. ad d. l. Grotii*. Sed & recte *Grotius*; si illi, qui ab initio in civitates coeundo imperium summum produxerunt, interrogarentur, an velint omnibus onus hoc imponere, ut mori præoptent, quam ullo casu vim superiorum injustam armis ar-

ccere, nunquam hoc se velle responsuri fuerint. Id enim majus erat in-
commodum, quam quod constituta civitate effugere conabantur. An-
tea enim multorum injuriis erant obnoxii, ita tamen ut repugnare pos-
sent: hoc autem modo sese adstrinxissent ad quasvis injurias citra repu-
gnantiam patiendas ab illo, quem ipsi suis viribus armaverant. Minus
quippe malum est pugna, quam certa mors.

§. 8. Cæterum ista sanctitate, quam hætenus adstruximus, non gau-
dent nisi reges revera tales. Inde eadem non fruuntur, qui regium quidem
nomen gerunt, populi tamen potestati subsunt; quales quondam reges
Spartanorum; & multi passim autoritate magis svadendi, jam jubendi
potestate. Qualis apud *Virgil. Æneid. IX.* Mezentius, in quem *suxis surre-
xit Etruria justis, Regem ad supplicium præsentis morte reposcens.* Item, qui
imperio abierunt, aut regnum plane pro derelicto habent; in quos eadem,
quæ in privatos licent, ubi alios gravibus injuriis laceffere instituant. In
exemplo tamen Semiramidis, quæ maritum ad quinque dies imperio sibi
cedentem interfecit, non minor est hujus stoliditas, quam illius malitia.
Diodorus Siculus l. 2. c. 18. Contingit tamen aliquando, ut illis, qui vel ul-
tro regno abierunt, vel casu aliquo exciderunt, à cæteris exterior venera-
tio, regibus exhiberi solita, & exteriora insignia relinquantur. Quod uti
pro mero simulacro, & velut ornamentis regis est habendum; ita nã
conventionem aliqua id fuerit confirmatum, à mera humanitate cætero-
rum dependere est censendum. Exempli loco potest esse Dairus in Jap-
ponia. Sic apud *Labardeum hist. de reb. Gall. l. X. p. 684.* recte quidem tra-
ditur, cum Sedanum, & quæ inde dependebat ditio neque Imperatori, ne-
que Galliarum Regi, neque cuiquam omnium obnoxia fuerit, possessores
ejusdem vero fuisse Principes. Sed postquam eam urbem ac ditionem
Dux Fridericus Mauritius Buillonius Dux Ludovico XIII. Galliarum Re-
gi cesserat, atque ejus in vicem alia prædia, Gallico imperio obnoxia acce-
perit, cautum quidem sibi voluit, ut ipsi, posterique pristinæ dignitatis
characterem retinerent; sed qui hautquaquam pro vera dignitate inde-
pendente, qualis summum imperium comitatur, sed pro mero simulacro
est habendus, cujus effectus certo ordine inter illustres Galliarum familias, &
aliis quibusdam insignibus absolvitur. Et ejus rei indicium est id ipsum,
quod in cessione illa Buillonius caveri sibi super ea dignitate voluit. Nam
qui revera dignitatem principalem obtinent, is cautione ejusmodi opus
non

*Non oportet catulum leonis in civitate alere: sin autem quis educatus fuerit, m-
ribus ipsius obtemperandum.* Sic qua via primi Cæsares ad imperium gra-
fati sint, notum est. Et tamen Paulus *Roman. XIII. i. Exoriar* illis tribuit, qui-
bus propter conscientiam parendum sit. Et Salvator noster Cæsaris quæ-
runt, Cæsari dari jubet. Neque enim quisquam singulorum civium erat,
qui imperium, velut potiori jure debitum sibi possët vindicare: & S. P.
Q. R. antiquo jure cesserat, licet metu magis aut defectu virium, quam
quia dominatum probabat. Huc spectat insignis lex ab Henrico VII.
rege Angliæ lata: *ut nemo, qui regis partes tunc de facto regnantis secutus fu-
erit, propter ejusmodi crimen unquam impeteretur, aut condemnaretur, vel pro-
cessu legis, vel per actum Parlamenti.* Cujus rationes ponderat *Baco de Ve-
rulamio in historia Henrici VII. p. m. 242.* Irene apud *Nicetam Choniaten:*
Nec Imperatorem, qui absit, querendum, nec, qui adsit, pellendum esse. Sicuti &
in regno hæreditario, ubi inter duos pluresvè petitores jus dubium est, li-
te adhuc pendente, & interea dum ea per amicam transactionem aut ar-
mis componitur, tutissimum est illi parere, qui in possessione est. Facit
huc etiam defensio Cassii Clementis, qui à partibus Nigri contra Seve-
rum steterat, apud *Xiphilinum epit. Dionis, & Zonaram tom. II.* Ego neque te,
neque Nigrum agnovi: Sed in illis partibus deprehensus, non te oppugnare, sed
Julianum expugnare studui. Cum igitur idem mihi quod tibi propositum fu-
erit, non peccavi; ac ne in eo quidem, quod postea non ad te transii. Nam tu quo-
que noluisse quæquam ex amicis tuis ad illum deficere. Multo magis autem
hæc locum habent in respectu ad extraneos, ad quos non spectat exami-
nare titulum, quo quis imperio potitus est, sed simpliciter possessionem
sequuntur; præsertim ubi usurpator imperii magna sit potentia sub-
nixus.

§. 10. Ast vero, quando quis pulso legitimo principe, imperium
arripit, & pro rege se gerit, revera juris alieni usurpator; quid heic bono
civi agendum, qui isti, quamdiu adhuc superstes est, fidem videtur debere:
Ubi pronuntiandum videtur, sæpe rem eo redire posse, ut non solum li-
citur, sed etiam debitum sit, parere imperio ejus, qui in qualicumque
possessione regni est. Scilicet ubi legitimus dominus eo est redactus,
ut erga cives suos nullum amplius principis munus exercere possit.
Quæquam enim ejus jussa, quod legitima potestate destituantur, vim ob-
ligandi in se non habeant; prudentis tamen est viri, sibi suisque rebus
con-

rum, ut neq; ipse, quam debet, defensionem civibus suis præstare queas, neque tantæ sint civium vires, ut invasori citra præsens exitium valeant resistere; præsumi principem expulsam tantisper civibus remississe obligationem erga se, quoad fata ipsi viam ad regnum iterum aperiant, & quidem, quantum id ad conservationem ipsorum; & declinandis periculis est necessarium. Et hætenus quoque duntaxat fides, quam invasori cives dederunt, stringere videtur; ut illa sit, velut temporaria, expirans, ubi regi expulso sit facultas regnum suum recuperandi; quæque non tam intrinseca conscientiæ necessitate, quæ præsentis metu contingatur. add. *Gros. l. 3. c. 7. §. 6.* ubi si admittitur jus & dominium externum, non video, quare non aliqua quoque obligatio externa, quæ conscientiam non tangit, admitti queat. vid. 2. *Reg. XI. 2. Paralip. XXIII.* ad quem locum recte notat *Hobbes Leviathan. c. 44.* Athaliam fuisse regno dejectam, non ex jure, quod sacerdos ut talis habebat, sed ex jure regis pueri. Quid de legibus sit censendum, quæ tyrannicidium permittunt, aut præmiis afficiunt, vid. *Bæcler. ad Gros. l. I. c. 4. §. 17.* Quibus omnibus consideratis vix adparet casus, ut privatus propria autoritate etiam injustum imperii possessorem recte impedire queat; præsertim cum experientia testetur, invasores per ejusmodi conspirationes ad premendum populum magis exasperari. vid. *Iustin. l. XVI. cap. 5. sub finem.*

CAPUT IX.

DE OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Officium summorum imperantium unde cognoscatur. | 8. Injurta civium mutua prohibenda. |
| 2. Illud imperantibus probe est addiscendum. | 9. Idoneis & probis ministris utendum. |
| 3. Salus populi suprema lex est. | 10. Tributa recte exigenda & colligenda. |
| 4. Cives bonis moribus imbuendi. | 11. Facultates civium promovenda. |
| 5. Commodæ leges ferenda. | 12. Factiones prohibenda. |
| 6. Eadem executioni danda. | 13. Adversus invasiones externarum vires paranda. |
| 7. Penæ recte temperanda. | |

Restat, ut de officio summorum imperantium videamus; quod quidem eo diligentius erat faciendum, quo plura mala mortalibus isthoc

hoc non probe observato, proveniunt; & quia hujus disciplinae proprium est, istud tradere, quod idem legum civilium mensuram transcendat. Verum quia ab aliis passim talia inculcantur, repetitis duntaxat summis capitibus licebit nobis heic defungi. Quibus autem præceptis hoc officium absolvatur, facile colligi potest, siquidem finis atque indoles civitatum, nec non partes summi imperii expendantur.

§. 2. Heicigitur ante omnia necessarium est, ut imperantes ipsi diligenter discant, quæ ad plenam ejus officii cognitionem pertinent; cum nemo laudabiliter exercere possit, quod non probe didicit. vid. 1. Regum III. 9. Virgil. Aen. VI. Tu regere imperio populos Romane memento. Ha tibi erunt artes, pacique imponere morem. Isocrates ad Nicoclem: Constat, quemadmodum ipsi reges animos suos excoluerint, ita etiam eorum regna se esse habitura. Quare nulli pugilata convenit corpus exercere, quam regibus ingenium suum. Et cum omnes homines, tum imprimis principes tangit illud Persii sat. 3. Quem se Deus esse iussit, & humana qua parte locatus es in re; discite. Add. Phil. Cominaeus l. 1. p. m. 342. & l. 3. p. m. 388. Charon de la sagesse l. 3. c. 2. Baco sermon. fidel. c. 19. Quam autem non protrita sint, quæ ad bene gubernandam civitatem cognitu sunt necessaria, colligi potest ex illis, quæ traduntur Habbesio de civitate c. X. §. 10. Isocrates ad Nicoclem regnum vocat τὸ ἀνθρώπινον κράτος μάλιστα, καὶ πλείονος ἀπορίας ἀδύνατον, summum rerum humanarum, quodque majorem providentiam postulat; & quod non ἀσπίς ἱερῶν tanquam sacerdotium cujuslibet est viri. Recte quoque Xenophon Cyropad. I. 1. pronunciant: ἀνθρώπου πεφύκετι πάντων τὸ εὐδαιμόνιον ὅσον ἄλλων ζῴων ὅντιν ἴσμεν, ἢ ἀνθρώπων ἀρχόν. Homini facilius est quibusvis animalibus aliis, quam hominibus imperare. Add. quæ cum Glaucone disputat Socrates apud Xenoph. Memorab. l. 3. Etsi multis non insuper habeatur illud dictæ Italicum: pochissimo cervello basta à governar tutto l'monda: & nescit mundus, quam exigua sapientia regatur. Cui consequens est, quod principi sint sequestranda illa studia, quæ ad huncce finem nihil conferunt; cum tam ardua sit civitatem regendi scientia, ut totum hominem etiam ingenio pollentissimum requirat, qui oblitus quodammodo sui, populo vivat. Multo magis circumcidendæ principibus voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus istum finem intercipiunt. Eam quoque ob rationem ab iisdem in

familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum perici-
 ultatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procular-
 endi. *Isocrates ad Nicocl. In amicitiam recipe non quoslibet, sed natura tua*
cegnos; neque cum quibus jucundissime tempus conseras, sed quorum opera ci-
uitatem optime gubernes. Iis gaudere congressibus assuesce, qui te & sapien-
tiæ augeant, & virtutis apud alios opinione. Add. *Diodor. Sicul. l. 1. c. 71.*
Quæ & l. 12. c. 12. memorat, à Charonda actionem pravae societatis inflit-
tam, gravemque hujus delicti reis multam impositam. Etsi opran-
duum foret, minus sæpe verum deprehendi, quod Carneades dicebat;
diuitum & regum filios solam equitandi artem rectè discere, quia equus non
no vit adulari. Plutar. de discr. amici & adulatoris.

§. 3. Generalis lex summorum imperantium est hæc: *salus populi*
suprema lex esto. Plato de rep. l. 1. Nemo in aliquo principatu imperans, quatenus
princeps est, quod sibi conferat, cogitat aut præcipit, sed quod subiecto conducit,
& qua dicit, quæq; facit, cuncta ad illius utilitatem decoremq; dicit & facit. Ea
enim intentione in istos imperium est collatum, ut per id procuraretur fi-
nis, ob quem civitates sunt institutæ: Inde credere iidem debent, nihil
sibi privatim expedire, quod non idè expedit civitati. Socrates apud Xe-
nophontem apomnem. l. 1. Nonne mirum tibi esse videtur, si quispiam bubulum
pauciores ac peiores facit boves, deinde non malus esse fateatur pastor? Hoc mul-
to mirabilius est, si quis, cum civitati præsit, atque pauciores & peiores faciat
cives, deinde non embiscat, nec se putet malum esse civitatis gubernatorem.

§. 4. Ad internam civitatum tranquillitatem necessarium est, ut
 voluntates civium ita temperentur & dirigantur, prout saluti civitatis
 expedit. Inde summorum imperantium est, non solum idoneas ei fini
 leges præscribere; sed & publicam disciplinam ita sancire, ut non tam
 metu suppliciorum, quam assuetudine cives ad legum præscripta sese
 componant. Quippe cum solæ pœnæ non tam ingenerent curam bene
 faciendi; (hoc quippe est opus rationis & disciplinæ,) quam sollicitudi-
 nem, ne quis in maleficio deprehendatur. *Aristot. Polit. l. V. c. 9. ὅπου*
ἔστιν ἡδὲ ὁ φιλιμωτάτων νόμων, εἰ μὴ ἔσονται εἰς διαμίσει καὶ παιδαυμίοι ἐν τῇ πολι-
τείᾳ. Nihil utilissima poterunt leges, nisi à teneris resp. convenienter prima
educetur etas. Horat. l. 3 ode 24. Quid leges sine moribus vana proficiant?
Isocrates Areopagitico de veteribus Atheniensibus: Inscitiæ reos egerunt
eos, qui ibi præstantissimos viros fore putarent, ubi leges exquisitissimæ habe-
rentur.

ventur, cum proclive sit, leges alias ab aliis exscriptas mutari. Verum non
 eam rem virtutis afferre incrementa, sed quotidiana vitæ consuetudinem.
 Nam plerosque iis moribus similes evadere necesse esse, quibus singuli educati
 fuerint: multitudinem autem & accuratorem legum constitutionem signum
 esse mali status reipublicæ. Nam dum delicta quasi aggeribus objectis coerce-
 re conantur, necessario cumulari leges. Decere autem prudentes magistratus,
 non porticus implere legibus, sed efficere, ut cives insitum habeant justitia stu-
 dium. Non enim scita, aut plebiscita, sed præclara instituta felicem efficere
 civitatem. Nam Homines male institutas leges etiam exquisitissimas negli-
 gere audent: qui autem recte & constantè educati sint, eos demum bonis le-
 gibus velle obtemperare. Ut autem isthoc obtineatur, in rebusp: Chri-
 stianis plurimum confert ipsa religio Christiana, sincera illa, & ab hu-
 manis commentis purgata, per pios & cordatos ministros doctrina &
 exemplo inculcata; quippe quæ præter dogmata ad salutem æternam
 facientia continet perfectissima præcepta moralia, queis cum primis ad
 bene tolerandam vitam civilem animi mortalium disponuntur, & quæ
 eadem tamen legibus civilibus ita commode sanciri non possunt. Quam
 ob causam in omnibus, quas novimus, civitatibus Christianis pars pa-
 rænetica juris naturalis ministris Ecclesiæ exercenda est commissa; cu-
 jus tamen pars dogmatica ad illos proprie pertinet, qui ei disciplinæ pe-
 culariter addicti sunt. Add. *Grotius de Jure summ. potest. circa sacra* c. 1.
 n. 13. Plurimum quoque momenti huc afferunt scholæ publicæ, siqui-
 dem in illis doceantur non inanes nugæ, & male feriatorum hominum
 commenta, regni tenebrarum reliquiæ: *Cyid. Hobb. Leviath. c. 46. &*
Lucret. l. VI. v. 973. seqq. sed solidæ literæ atque scientiæ, quarum usus sese
 per vitam humanam & civilem dispensat. Inter quas præcipua est, quæ
 de jure summorum imperantium, & eidem respondente civium obliga-
 tione solide docet. *vid. Hobbes Leviath. c. 30.* Est quoque insignis locus
 circa informationem juventutis apud *Dionem Cassium* l. 52. in orat. Mæ-
 cenenus ad Augustum. Add. quæ super suppressenda Academia Co-
 nimbricensi jactata sunt apud *Comestagium de unione Lusitan.* l. 8. Nec
 insuper habenda, quæ de multitudine scholarum differuntur ap. *Gra-
 mondum hist. Gall. l. 3.* Sed & maximum vigorem publicæ discipli-
 næ adfert imperantium exemplum *Isocrates ad Nicocl. τῆς πόλεως ὄλης ἡδὲ
 ἐμῆς τῶν ἀρχόντων.* *Mores totius civitatis ad exemplum imperantium con-*

formantur. Spartianus de caracall. novercam Juliam ducente: *Nuptias cel:bravit, quas si sciret se legem dare vere, solus prohibere debuisset.* Hæc igitur omnia ut in civitate recte se habeant, summorum imperantium est providere.

§. 5. Ad eundem finem expedit, perscriptas habere leges perspicuas & planas circa negotia, quæ frequentissime inter cives versantur. *Isocr. ad Nicocl. Leges quare in universum aquas & utiles, & inter se consentientes: atque etiam tales, quæ & contra versas civium quam paucissimas, & compositiones quam fieri potest celerrimas efficiant.* Idem in Panathenæico bonas leges his notis designat, ut sint pauca, sic tamen ut & satisfaciant & cognitu faciles sint iis, qui iis sunt usuri. *Dein justæ, & utiles, & inter se consentientes, & magis hoc intenta, ut publica instituta præclara sint, quam ut privata commercia sine fraude fiant.* *Lysurgus orat. contra Leocrat. οἱ νόμοι δὲ τὸ ἐπιβουλεῖν ἢ διδάσκουσι, ἀλλ' ἐπιτρέφουσιν αὐτῶν νομίῳ.* *Leges propter brevitatem non docent, (sicut in disciplina juris fieri solet,) sed præcipiunt, quæ oportet facere.* *Quintilian. declam. 264. Quid interest, nulla an incerta sint leges?* De cætero plura legibus civilibus sancienda non sunt, quam ad bonum civium & civitatis conducunt: Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, læpius per rationem naturalem, quam per scientiam legum homines deliberare soleant; ubi plures leges sunt, quam ut facile memoria comprehendere queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per se non prohibet: necesse est, ut per ignorantiam sine ulla prava intentione incidant in leges tanquam in laqueos. Quo ipso civibus per imperantes supervacuum incommodum conciliatur; quod est contra finem civitatum. *Hobb. de cive c. 13. §. 15. Leviath. cap. 30.* Forma quoque judiciorum ita est temperanda, ut per processum brevem, ac minime sumtuosum quis jure suo potiri queat. Proverbium est apud Persas: *Melior est brevis injustitia, quam tarda justitia.*

§. 6. Quia autem frustra feruntur leges, si impune eas violari tolerant summi imperantes; igitur horum est executionem earundem procurare, pœnasque sumere pro cujusque facti conditione, transgressorisque intentione & malitia. Qua quidem in re ita procedendum, ut severitas legum non in modicos duntaxat cives, sed & in divites ac potentes exerceatur; quibus suæ opes aut nobilitas nunquam id licentiæ dare debent ut humilioribus impune insultare possint; præsentim

CURA

113RI VII.

cum à plebe per nimiam oppressionem in furorem datae civitati maximum periculum soleat imminere. add. *Hobb. Leviath. c. 30.* Nec sine sufficiente causa venia indulgenda; cum & iniquum sit, & ad irritandos civium animos efficacissimum, & equaliter meritis cæteris paribus non æqualiter tractare. *Pindarus Olymp. od. 13.* *Επιτομία βαδρον πολίων, ασφαλής διαα, ημυ, ομωραση, ειρανα, επιμια, αδρασι, πλατη, χρισηαι, παιδεις, ιωβιλιου, διμειτ.*

§. 7. Uti autem nihil pœnis est sanciendum; quod non ad usum civitatis facit: ita pœnæ quoque sunt temperandæ, ut ad finem istum proportionem habeant; utque adeo cives non plus afflictionis, quam resp. utilitatis inde ferat. De cætero si scopum suum debent obtinere pœnæ; adparet eas eousque esse intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare potest. Add. *Hobb. Leviath. c. 30.*

§. 8: Quia porro hoc fine in civitatem coiverunt homines, ut securitatem adversus injurias aliorum obtinerent: summorum imperantium est, eo severius civium inter se injurias prohibere, quo faciliorem perpetua cohabitatio occasionem ad lædendum præbet. Nec discrimina ordinum ac dignitatum eo valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine insultare possint. *Isocr. ad Nicocl.* καλῶς δημοκρατοῖσι, ἐὰν μὴτε τῶν ὀχλοῦ ὑβρίζων ἴσῃ, μὴτε ὑβρίζομεν πειλοπᾶς. *Bene popularis eris, si neque vulgi petulantia locum dederis, neque alios populo insultare passus fueris: sed provideris, ut & honores optimo cuique mandentur, & cæteri nulli injuriis afficiantur.* *Xiphilinus epit. Dionis in Galba.* *Et si satis est privatis hominibus, nullam injuriam facere: tamen principem providere etiam oportet, ne cæteri faciant.* Sed & scopo summi impetii adversatur concedere; ut cives, quas sibi factas arbitrantur injurias, privata violentia exsequantur.

§. 9: Præterea quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediate obeunda unus princeps non sufficiat, sic ut necessario ministri in partem curarum sint vocandi: tamen uti hi omnem à summo imperante auctoritatem mutuantur; ita & bene & male ab ipsis gestorum imputatio ultimo demum in istum redundat. *Isocr. ad Nicocl.* *Sic alios, is praefice rebus, quas ipse non geris, ut tibi adscribendum scias, quicquid illi*

illi fecerint. Idem ad Demonicum Magistratum adeptus nullius improbi ministerio in obeundis negotiis utitur. Nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur. Themistius orat. 17. Quum Satibarzanes ab Artaxerxe provincia cujusdem praefecturam, minime sibi convenientem, cum tribus millibus darcorum perivisset, pecuniã quidem ille donavit, praefecturam vero non permisit. Χρυσίον μὲν γὰρ ἔσθ' ἐν δέσ, καὶ ἐσομαι ἐφ' αὐτῷ. κατὰ δὲ ἀρχὴν ἐπιπέσει, ἀδικοῦμαι. Pecunia enim, inquit, sitantumdem, non ob id indigentior: at vero si improbo praefecturam committam, injustior ero. Euripides. Rheseo. Χρὸς ἄρ' ἴσθ' αὐτὰ δεῖν, ἢ μάλι' αὖ ὠφελᾶν. Convenit quemque virum eo adhiberi, ubi maxime sit utilis. Libanius Legatione ad Julianum: Qualem equus Antagam praefeceris, sic spera currum tibi moderatum iri. Marcialis 8. epigr. 15. Principis est virtus maxima nosse suos. Quam ob rationem, & quia prout ministri sunt, ita recte aut prave negotia expediuntur. (add. Xenophon Cyrop. l. 8. post princ.) summi imperantes tenentur ad ministeria civitatis adhibere viros probos, & idoneos, & in eorum acta subinde inquirere, (Lucianus de mercede conductis: ὧς καὶ ὁφθαλμοὶ φυσικῶς πολλοὶ, ἵνα μὴ τ' ἀληθῆ ὀρῶντες, ἀλλ' αἰεὶ τι καὶ ἐπιμετρῶντες, ὡς μὴ νοσεύειν δοκῶσιν. Aureus Oculi regis multi, non solum vera videntes, sed semper quid & addentes, ne dormire videantur.) Eisdemque prout rem gessisse deprehenduntur praemiis vel poenis mactare, quo caeteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam rem tractandam. Atque ne gratiae aut odio dari quid possit, Chineses hoc modo solent cavere, dum nemini magistratum in loco natali gerere conceditur: quod ibi fere sunt, quos peculiariter amamus aut odimus. Sic & cum pravi mortalium ad scelera perpetranda spe impunitatis alliciantur, quæ ipsis praebetur facillima, ubi iudices corruptionibus patent: summorum imperantium est, in ejusmodi iudices, tanquam fautores scelerum, quæ securitas civium abruptitur, severe animadvertere. (Inde Diodor. Siculus l. 1. c. 75. 76.) & iniquas eorum sententias rescindere. Nam id, quod apud Aragonios in usu esse dicitur, iniquum videtur, ut iudices quidem ob laetam iniquam sententiam poenas dent, & illa nihilominus executioni detur. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio ministris credenda sit; summi tamen imperantes querelis ac desiderijs civium patienter aurem præbere nunquam detrectabunt. Quænam autem requisita summi imperantes respicere debeant in iis, quorum consiliis circa gerenda

gerenda negotia publica uti velint, & quo modo eorundem sententia commodissime perquirantur, docet *Hobbes Leviath.* c. 25. & 30. & circa posterius notabile exemplum extat apud *Davilam de bello civili Gallia* l. 14. p. m. 969. ubi Pontifex circa absolutionem Henrici Regis non in consistorio, sed privatim singulos consuluit. *Isocrates ad Nicoclem bonum consiliarium* vocat ἡγεμονία τοῦ βασιλέως πάντων πραγμάτων, *utilissimam & rege omnium dignissimam possessionem.* Notatu dignissima sunt, quae circa magistratus apud Chineses tradit *Neuhof in generali descript. Sinae.* c. 1. Nec insuper habenda monita *Jacobi Regis dono regio* l. 2. ut princeps ministros eligat ex suo maxime iudicio, non ad arbitrium aliorum, & promiscue ex omni parte populi, cum communis sit pater. Ubi & rationes adfert, quare ad ministeria pecuniae publicae sint adhibendi homines mediocris conditionis. Add. quoque *Libanii orat. V. de Aesessoribus.*

§. 10. Cum ad tributa, & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quam quatenus ista necessaria sunt ad sumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos; igitur summorum imperantium heic officium erit, non plus extorquere, quam necessitates aut inignes utilitates rei publ. requirant. vid. *Comineus* l. 10. circa fin. *Grotius in Lucam* c. 3. v. 13. *Principum est publica onera cum publicis necessitatibus aequare, ita quidem ut liceat his ex publicis obventionibus semet pro dignitatis ratione sustentare; non item modum exigendi petere à suo, & aulicorum maiusculorum luxu ac libidine, quae modum non habent.* Add. quoque *Th. Mori Utopia* l. 1. *Libanius orat. 3.* Ταμεία ἀσφαλή αἱ ἴδιαι κτηνίμων οἰαί, *erarium tristissimum sunt domus possessorum.* Deinde ut ista iusta in proportione describantur; nec aliquibus civibus immunitates concedantur in fraudem & oppressionem reliquorum. add. *Hobb. de Civie* c. 13. §. 10. Præterea ut colligatur modo, quantum fieri potest, minime sumtuoso, & non manibus colligentium multum queat adhærescere; ne ærario contingat, quod urnis & situlis, quæ ad extinguendum incendium plenæ hauriuntur, sed longa per manus traditione & concussione vix medium continent, dum eo perveniant, ubi aqua igni est injicienda. Sed nec prætereundum, quod *Hybreas Orator M. Antonio Triumviro*, duplicari per Asiam tributa jubenti respondit, geminam ætatem & geminum autumnum quoque eodem anno imperaret.

Bbbbbb

Tum

Tum quæ collecta fuere, in usus reip. impendantur; non per luxuriam, largitiones, superfluam ostentationem, aut inania dissipentur. *Drepan. Paneg. Est improborum Principum postrema defensio, auferre donandi gratia.* Add. *Mich. Monsaigne essais l. 3. c. 6. p. m. 175.* Denique providendum, ut expensæ redivitis respondeant; & qua hi non pertingunt, à parsimonia, & circumcisus sumtibus supplementum petendum. Perniciosus est enim splendor, cui sustinendo redditus non sufficiunt. Imo fat splendide vivit, qui nemini debet. add. *Macchiavelli princeps c. 16. Plinius panegy. Assuescat Imperator cum imperio calculum ponere: Sic exeat, sic redeat tanquam rationem redditurus, edicat quid absumserit, ita fiat, ut non absumat, quod pudeat edicere.* Apud *Connestagium de unione Lusitan. l. 1. est quoque notabilis locus de mala œconomia Lusitaniz. p. m. 25. Nec est quod quenquam moveat illud Ciceronis pro Rege Dejotaro: Fungi hominem dici non multum lubet laudis in rege. Quod Hobbes Leviath. c. XI. ita explicat: Frugalitas (quanquam in homine privato virtus) illis, quibus ea gerenda sunt, qua multorum hominum vires simul postulant, aptitudinem adimit. Conasum enim debilitat, qui nutrirî & conservari præmi debet. Enimvero facile exarescet fons præmiorum, ni adsit frugalitas. Et si hæc regi amplectenda non per se, ac ut tantum divitias cumulet, sed ut materiam suppeditet & conservet negotiis bene gerendis.*

§. 11. Quanquam autem summi imperantes subditos alere non teneantur, (nisi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem seiplos sustentare non possunt, peculiarem curam agere caritas jubeat; & quondam Uncæ apud Peruvianos inter alios titulos maxime gaudebant appellari *Amatores pauperum.* apud *Garcilassum de la Vega Commentar. Reg. l. 2. c. 14.* qui etiam l. 4. c. 7. memorat, viduarum agros plus habuisse privilegiorum, quam ipsius Uncæ;) tamen quia non solum ex bonis civium colligendi sunt sumtus, civitati conservandæ necessarii, sed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium consistit; & quia *gravis est domino quæ servit egestas:* igitur illis quantum in se est, providendum erit, ut res familiaris civium gliscat. *Isocrates Nicocl. Remprivatorum familiarem curato: & prodigos de tuo facere sumtum, & ad rem attentos tuas opes augere existimato. Bona enim omnia in civitate habitantium velut domestica sunt regum bene imperantium.* Ad hunc finem facit cives disponere, ut quantum fieri potest uberem proven-


tum

tum ex terra, & aqua capiant; ut quæ apud ipsos proveniunt, mercariis industriam adhibeant, aut quem ipsi commode laborem obire possunt, ab aliis non redimant; quod fit, siquidem artes mechanicæ rite foveantur. Maximi quoque heic momenti est, mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere: Huc spectat diligentia Sesostris, quæ Ægyptum commerciis & communicationi fructuum commodam fecit, apud *Diodor. Sicul.* l. 1. c. 57. Add. quoque tradita ab *Hobbeso Leviath.* c. 30. circa societates mercatorum observanda, Enimvero non ignavia solum proscribenda, sed & ad parsimoniam revocandi cives per leges sumptuarias, quæ superflui sumtus prohibeantur, inprimis illi, per quos opes civium ad externos transferuntur. *Mæcenæ* ap. *Dionem Cassium* l. 52. *Divitiæ magna non tam multa accipiendo, quam non multos sumtus faciendo colliguntur.* Et si majorem heic, quam quævis leges, efficaciam obtinet summorum imperantium exemplum, *Tacitus Ann.* III. *Præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque obsequium inde in principem, & amulandi amor, validior quam pæna ex legibus & metus.* Add. quoque quæ *Bernier de reb. in regno Mogol.* circa finem refert de causis, quæ vim auri in eo regno absumunt. Si qua tamen sit regio, quæ populi & pecuniæ multitudine abundet, in eâ consumptiones non necessarias & luxuriæ propiores, tolerari expedit, ut plebs occasionem sese alendi accipiat, & ne magna vis pecuniæ otiosa jaceat; modo ne enormis luxus alatur, & materia ad externos cum lucro experienda frustra consumatur.

§. 12. Quia etiam fanitas ac firmitas interna civitatum ex unione civium provenit, quæ quo accuratior fuerit, eâ majori cum efficacia vis imperii per universum sese corpus civitatis dispensat: igitur summis imperantibus incumbit providere, ne in civitate factiones oriantur; ex quibus facilis in seditiones & bellum civile est prolapsus, quod tanto deterius est bello, quod concorditer adversus externos geritur, quanto bellum deterius est pace. *Herodotus Vrania.* Addatur *Evagrius historia Ecclesiastica* libro 4. cap. 31. de *Justiniani* in *Venetam* factionem studio, & ortis inde malis; nec non *Procopius histor. arcana* & *idem de bello Persico* l. 1. c. 24. Et *Baco sermon. fidel.* c. 15. & 49. Neve quidam cives inter se peculiaribus pactis contentantur; (vid. *Diodor. Siculus* l. 1. c. 21.) Neve omnes aut aliqui ab

in illo alio, siue intra siue extra civitatem constituto, sub quocunque ob-
 tu, sacro aut profano, magis debeant, quam à legitimo suo princi-
 pe, & in nemine plus sibi præsidii repositum arbitrentur. Quia & no-
 existant tales, in quos adplicare queas illud *Seneca Oedipo: Staringens ar-*
bor, atque umbra gravi Sylvas minores urget. vid. *Genes. XXVI. 16. &*
Baco sermon. fidel. c. 35. Add. *Hobb. de Cive c. 13. §. 12. 13. Cominaul. X.*
Circamed. p. m. 682.

§. 13. Denique cum status civitatum inter se sit pax satis infida; sum-
 morum imperantium est curare, ut virtus civium, peritiaque armorum
 aletur, & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, mature parentur,
 munita loca, arma, milites. *Mature, inquam. Nam miserum est opus*
zorn demum fodere puteum ubi sitis fauces tenes. *Plautus Mostellar. act. 2. c. 1.*
 Ultro autem, etiam posita iusta belli causa, nemo laessendus, nisi iuris-
 grama arriserit occasio, & conditio civitatis commode id ferat. Eundem
 quoque ob finem consilia & molitiones vicinorum accurate exploran-
 da, & observanda sunt; (cui fini hodie inter alia inserviunt legationes
 perpetuæ; vide *Marselaer Legato! 2. c. 11.*) nec non amicitia & fede-
 ra prudenter contrahenda. Add. *Hobb. de Cive c. 13. §. 7. 8. & suo*
sermon. fidel. c. 29.



SAMUELIS PUFFENDORFII,
 DE JURE NATURÆ & GENTIUM
 LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.
 DE JURE DIRIGENDI ACTIONES
 CIVIUM.

- | | | |
|--|--|--|
| 1. De indole legum civilium in ge-
nere. | 3. An eadem crimina p-
naro possit. | 4. Præcepta decalogi an sint leges ci-
viles. |
| 2. An lex civilis possit repugnare legi
naturali. | | |

5. Nam

5. Num aliquod justum fuerit ante 7. Jussu superioris, scelus non recte per-
leges civiles. tratur.
6. An quis aliquando exsequi prævum 8. An civis jussu regis recte militet in
mandatum superioris possit sine bello injusto.
peccato.

Postquam explicata sunt ea, quæ ad naturam summi imperii in genere spectant; jam evolvendæ quoque sunt quæstiones præcipuæ, quæ circa singulas partes summi imperii moventur. Et quidem cum potestas dirigendæ actiones civium primo à nobis loco posita sit, abs qua leges civiles promanant, illis, quæ supra de legibus in genere tradidimus, nunc addenda sunt, quæ peculiariter ad leges civiles, & jussu summorum imperantium pertinent. Lex igitur civilis dicitur vel respectu *autoritatis*, vel respectu *originis*. Priori sensu civiles leges vocari possunt omnes leges, juxta quas in foro civili jus dicitur, ex quacunque demum origine promanent. Conf. *Grotius de Imperio summorum. Potest. circa sacra c. 3. n. 3. 4. 11. Et c. 4. n. 1.* Equidem leges naturales & divinæ omnes homines, quibus latæ sunt, obligant, & carum transgressores pœna coram tribunali divino decernenda manet. Sed ut illæ plenam vim legis in foro civili obtineant, et imperio civili oritur; cujus est definire, ob quæ delicta pœna in foro civili sit exigenda; quæ vindictæ Numinis sint relinquenda. Item ex qua obligatione naturali actio detur in foro civili: quæ obligatio actionem non pariat, sed solo pudore & probitate hominum contineatur. Unde in civitatibus ob violatas leges naturales, quibus autoritas legis civilis data non est, nemo convenitur, aut punitur pœna proprie dicta. Nam talia peccata utiq; comitantur illa mala, quæ pœnæ naturales solent vocari. Et habent quidem in omnibus civitatibus vim juris civilis illa naturæ præcepta, citra quorum observationem pax interna inter cives stare omnino nequit. Quibusdam autem illa vis neq; expresse, neq; per praxin fori, est tributa, tum quod illorum, quæ contra eadem admittuntur, disceptatio nimis obscura erat futura; tum ne tribunalia immenso litium numero perstreperent; tum ut viris bonis præcipua laudis suæ materia velut illibata relinqueretur, quæ est, sola Numinis reverentia citra metum pœnæ ab hominibus infligendæ recte egisse. Quæ sane laus perit, ubi discernere non licet, formidine

poenæ, an virtutis amore quis egerit. Quo spectat illud *Seneca de Ira* l. 2. c. 27. *Quam angusta res est ad legem bonum esse? quanto laxius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, justitia, fides exigunt? qua omnia sunt extra publicas tabulas.* Ast lex civilis respectu originis est, quæ unice à voluntate summæ potestatis civilis profecta est, ac circa illa versatur, quæ per jus naturale ac divinum indifferentia sunt relicta, ad peculiarem tamen civitatis utilitatem faciunt. Quæ tamen non minus civibus, quam aliæ leges sunt observandæ; quippe cum evidenter magis conducatur ad socialitatem, ut in adiaphoris sententia imperantium valeat, idque pro bono habeatur à subditis, quod imperanti tali videtur, quam ut æternæ inter eos lites ea de re maneant, unde bella & cædes, quæ sine dubio mala sunt, merito forent expectandæ, *Cicero de invent.* l. 1. *Omnes leges ad commodum reip. referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, qua in liberis est, interpretari. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed reipublica.* Sic *Philolaus de Iosepho, instituta particularium civitatum appendices naturalis juri* vocat, circa ea, quæ singulis civitatibus in commune videntur conducere. Harum autem complexio cum vulgò nomine juris civilis veniat, observandum est, non omnia, quæ in corporibus aut codicibus juris civilis continentur esse leges proprie dictas: sed præter mandata, quæ à summo imperio ob peculiare bonum civitatis civibus injunguntur, multa inserta reperiuntur, quæ ad disciplinam juris naturalis spectant. Pleraque ad disciplinam juris civilis pertinent, quæ ad duo præcipue capita possunt reduci. Vel enim præscribitur certæ formulæ, certique modi, qui observari debeant in negotiis, quibus jus in alterum confertur, aut obligatio in aliquo nascitur, ut illa firmitatem in foro civili obtineant: vel traditur modis, quò quisque jus suum in foro debeat persequi. Sic ut ubi juri naturali sua vindicaveris, quæ interpretes juris civilis hætenus promiscue fere tractarunt, jus civile sat modicis deinceps finibus sit usurum. Ne nunc dicam, quod semper, ubi lex civilis deficit, ad naturalem rationem recurritur, adeoque in omnibus civitatibus defectum legum civilium jus naturæ supplet. Quo respectu *Hobbes de cive* c. 14. §. 14. legem naturalem vocat *legem civilem non scriptam.* Hinc & apud declamatores *inscripti maleficii* datur actio. De qua ita apud *Quintilianum* declamat. 252. *Diligentissime majores hanc videntur*

dentur excogitasse legem, quod cum scirent, nullam tantam esse prudentiam nullam immotam certam divinationem, ut omnia quaecumq; ingenis malorum excogitari unquam potuissent, providentia carventium videret: hac lege omnem malitiam, veluti quadam indagine cinxerunt; ut quidquid aliarum legum effugisset auxilium, quasi extrinsecus circumdaretur.

§. 2. Cæterum Hobbes de Cive c. XIV. §. 10. sat paradoxe negat fieri posse, ut *lex civilis naturali juri repugnet, nisi forte illa in contumeliam Dei lata sit.* Idque hoc præcipue argumento, quod *in civitatem coituri pacto sese obligent ad obsequendum mandatis ejus, qui summum imperium habet, id est, legibus civilibus; atq; idem pactum lex natura servare jubet.* Cum autem illud pactum, adeoque & obligatio ad servandas leges civiles sit antiquior ipsa legum promulgatione: ejusdem legis naturalis vi de non violandis pactis juberi nos observare omnes leges civiles. Nam ubi obligamur ad obedientiam, antequam sciamus, quid jubebitur, ubi universaliter & in omnibus obedire obligamur. Enimvero heic præsupponi debet, homines in civitatem coituros jam tum juris naturalis fuisse intelligentes; ac inter fines civitatum constituendarum vel hunc præcipuum fuisse, ut leges naturales, quibus pax generis humani regitur, secure possent exerceri: denique in legibus naturalibus nihil esse, quod naturæ ac fini civitatum repugnat, quin contra ad eundem illas amicè conspirare. Igitur, qui in civitatem coalituri pacto sese ad legum civilium observantiam obstrinxerunt, sane præsupposuisse censendi sunt, nihil contra jus naturale per leges civiles statuendum; neque peculiarem civitatum utilitatem, à qua civiles leges proveniunt, communi civitatum fini repugnare. Inde posset quidem lex civilis ferri, juri naturali adversa: sed talem legem ferre non nisi vesanus velit, & cui civitatem destruere cordi foret. De cætero merito dictus fuit insanire Stratocles, qui legem Athenis promulgavit, ut quidquid jussisset Rex Demetrius, id & apud Deos fas, & apud Homines jus esse. Plutarchus Demetrio. Ac detestandæ adulationis rea est Parysatis, dum Artaxerxi persuadet, ut contemtis Græcorum legibus propriam filiam duceret, addens; *πέρσαις νόμον αὐτὸν ὑπὸ τῷ θεῷ καὶ δικαιοσύνη ἀρχῶν καὶ καλῶν ἀποδοδεῖν μίνον;* legem Persis ipsum à Deo, honestiq; & inhonesti datam normam. Idem Artaxerxe.

§. 3. Ulterius pro suo dogmate pugnat Idem de Cive c. VI. §. 16. c. XIV. §. 9. 10. *Etsi lege natura furtum, homicidium, adulterium, atque injuria*

LIBRI VIII.

In injuria omnes prohibeantur; quid tamen in civitate *furtum*, quid *adulterium*,
quid denique injuria adpellanda sit, id non naturalis lege, sed civitatis determi-
nandum esse. Non enim quamvis ablationem rei, quam alius possidet, sed
rei aliena tantum, furtum esse. Ast quid nostrum, quid alienum sit, legis ci-
vilis quaestionem esse. Sic non quamvis occisionem hominis esse homicidium,
sed eius tantum, quem vetat occidi lex civilis. Sic & illum duntaxat concu-
bitum esse adulterium, quem lex civilis pro tali declarat. Denique promissi
violationem esse injuriam, ubi ipsum promissum est licitum; ubi vero pacifcen-
di jus non est, ibi nullum jus transire, adeoque non sequi injuriam. Quae autem
pacisci possumus, & quae non possumus, à lege civili dependere. Ad isthæ cre-
poni potest, apud nos, qui sacras scripturas veneramus, ex ipsis legibus,
quæ divinitus Judæis latae sunt, & ex aliis revelationibus de multis sane
criminibus constare posse, quomodo Deus autor legis naturalis eadem
definiti velit: adeo ut licet de facto civitas quosdam actus ab illa cri-
minis nota exemerit, isti nihilominus legi divinæ adversentur. Pre-
sertim cum sufficiens ratio monstrari nequeat, quare istis actibus in lege
divina tales definitiones attribuerit Deus, quæ apud cæteras gentes
seni invalido, ut juvenem aliquem robustum imprægnandæ uxori suæ
posset substituere; ita ut Sparta neque maritus iste lenocinii macula,
neque juvenis & uxor adulterii crimine laborarent; quia leges civiles
ejus urbis talem concubitum cum uxore alterius autore marito sub ad-
ulterii nomine non fuerunt complexæ. Et tamen cum ex legibus divi-
nis adpareat, per legem de adulterio quemvis concubitum cum mu-
liere, quæ actu adhuc alteri matrimonio jungitur, prohiberi, utique
contra legem quoque naturæ istas vicarias operas fuisse exercitas di-
cendum est. Deinde si quis contendere velit, definitiones certorum
actuum in sacris literis traditas ad populi Judaici rempub. duntaxat
pertinere & sic juris esse positivi; is tamen hoc saltem concedere cogi-
tur; definitiones actuum lege naturæ interdictorum ita esse forman-
das per leges civiles, ut ne intentio & finis legis naturalis in irritum
cadat, qui est, ut honesta & pacifica societas inter homines confet-
vetur. Quod si igitur definitio aliqua legis civilis huic fini adverfe-
tur, eandem quoque legi naturali adversari omnino fatendum est. Sic
si quis verbi gratia, adulterium vellent definire, si quis cum alterius
uxore

uxore nolente rem habuerit; aut furtum, si quis noctu rem surripuerit; aut homicidium, si quis aperta vi aliquem obruncaverit; quin hoc modo tranquillitas civitatis subverteretur dubium non est. Nec est quod credamus, paci hac ratione satis consuli, quod ejusmodi definitiones sint universales: ita ut licet fors interdum incommodo aliquem afficiant, altera vice eundem iterum juvare possint; ac æqualitatem juris, quam ejusmodi leges inter cives constituunt, causam querelarum submovere. Et si enim fors nonnulla ut solis nobis licita essent, cuperemus: tamen si aliis quoque adversus nos licita sint futura, ne nobis quidem ipsis ea licere desiderabimus. Talia si legibus civilibus constituentur, non poterit non pax, & decens ordo, quem natura servatum cupit, turbari. Quid quod si sola isthæc æqualitas sat valida esset cuivis juri introducendo, eadem opera omnes leges tollere liceret; cum hac ratione maxima æqualitas introduceretur. Quod nemini sano facere in mentem veniet. Sic de Tartaris tradit Sigismundus Baro Herbersteinus de rebus Muscoviticis: *Justitia apud illos nulla est. Nam ut quis quere aliqua indiguerit, eam ab altero impune rapere potest. Si quis apud judicem de vi, illataque injuria queritur, reus non negat, sed eare se carere non potuisse dicit. Tum judex talem proferre sententiam solet: si tu vicissim re aliqua egeris, rape ab aliis.* Et si eum morem paulo mollius videatur describere Haythonus de Tartaris c. 48. *Tartari, inquit, cibum libenter dividunt cum hospitibus, & volunt sibi per viam similem responderi, alioquin accipiunt violenter.* Per definitionem igitur Tartaricam furtum erit, quando invito domino subtrahitur, quo is, qui subtrahit, non eguit. Quæ definitionis angustia quod legem naturæ de furtis tantum non plane subvertat, in aprico est. Ac non nisi perditis nebulonibus ejusmodi lex optanda foret; cum apud industrios homines sæpissime possit evenire, ut ipsis eripiatur id, quod minime omnium cavere velint, cujusque simile apud alium non inveniant, aut ob custodiam domini auferre prohibeantur. Præterea falsum est, quod præsupponit, juris civilis præfædicti quæstionem esse, quid sit alienum, quid nostrum; & extra civitates non esse proprietatem rerum. Nam et si longe certior & firmior sit rerum suarum proprietas illis, qui in civitatibus, quam qui extra easdem vivunt; cum illorum bona junctis multorum viribus, & per auxilium prætoris defendantur, hi autem propriis duntaxat viribus

Cccccc

nitant

nitantur : tamen quin & ante civitates institutas dominium rerum fuerit, gratis negatur. Sic cum hodie reges & resp. invicem in statu naturali vivant, eorumque dominia non communi aliqua lege aut iudice, sed solis pactis, ac naturalibus acquirendi modis nitantur; quis tamen asserere audeat, regem unum alteri etiam quicum pactum ipsi non intercessit, res suas clam aut vi posse eripere citra furti aut raptus crimen? Sic ut concedamus, non posse aliquem valide pacisci circa rem, per leges civiles interdictam; tamen quin illi, qui inter se in libertate naturali vivunt, pacisci queant, sic ut pacto violato fiat injuria, quis inficias ibit? Ergo & hoc falsum, unice ex legibus civilibus petendum, quid sit injuria. Quis porro negabit, homicidium esse, etiam qui solo jure naturali regitur, qui alterum extra bellum, aut necessitatem propriæ defensionis interficiat? Porro adulterium esse fidei conjugalis violationem, etiam citra subsidium legum civilium ex solo jure naturali intelligitur. Quin tamen leges civiles contractui matrimoniali certa quædam capita possint superaddere, quibus deficientibus idem in civitate invalidum, & nullum habeatur, aut certis effectibus destituatur, apertum est. Denique accurate est distinguendum inter id, quod legibus civilibus præcipitur, & quod iisdem permittitur duntaxat, seu non prohibetur sancita pœna, in foro civili infligenda. Hæc enim invicem non adversantur, jure naturali esse interdictum, & legibus civilibus permissum. Nam permissio legis civilis non facit, ut actus aliquis non sit contra legem naturæ, aut ut quis citra peccatum in DEUM eundem possit admittere; sed duntaxat declarat, per potestatem civilem non prohiberi, qui eum velit committere, nec eo nomine pœna affici; atque in foro humano istis actibus eosdem concedi effectus, qui aliàs consequuntur actus jure naturali licitos. Unde Tartaricæ leges non præcipiunt aliis res subripere, neque puto dominos prohibent contra raptores res suas defendere: sed qui id fecerit non plectitur, nec ad restitutionem adigitur; adeoque in foro ejus gentis ista subtractio instar legitimi modi acquirendi habet. Idem judicandum de Laconicorum puerorum furtis. Nam illud apud *Plutarch. apophth. Lacon.* κλέπται νόμιμοι τῶν παίδων, non necessum est verti, lege jubebantur, cum etiam notare possit, lege mittebantur. Quod enim Xenophon *περὶ ἀναβάδ. l. 1.* dicit, Spar-

Spartanorum pueris *in διαρὸν εἶναι, ἀλλὰ ἀναγκάσιον κληπτεῖν.* Non turpe esse, sed necessarium furari; id joco ab ipso dictum, & ut Chirolophum Laconem morderet. Neque vero tam foedus erat iste mos, ut à nonnullis creditur, aut prout in eum invehitur *Isoocrates Panathenaicor;* cum tantum circa hortos & cibaria ea licentia pueris fuerit indulta; & comperitis verbera & fames pro piaculo forent. vid. *Plutarchus Lycurgo. & Xenophon de republ. Lacedaemon.* Longe foediora de licentia furtorum apud Colchos tradit *Busbequius epist. 3. p. m. 155.* Huc facit & illud, quod *Idem apophthegm.* refert de Dionysio: *cum maleficia reliqua acerbo vindicaret, vestium fursibus (λαποδύσεις) solis pepercit, ut Syracusani aliquando cogerentur finem convivendi & se invicem inebriandi facere.* Add. l. 1. D. de aleator. Sic & Spartæ nullum præceptum neque maritum vetulum, neque juvenem admissarium urgebat; sed si ipsi consensissent, leges non intercedebant, & ex tali concubitu genitos pro legitimis habebant, ac ad paternam hæreditatem admittebant. Sic ubi duella, privato fervore suscepta, permixta sunt, cædes in iis perpetrata à pœna homicidii in foro duntaxat civili, non item in foro divino eximitur. An vero potestas civilis talia recte possit permittere, & quidem non per nudam conniventiam, sed expressa in leges publicas relatione, asserere non ausim; cum utique hoc modo tantum non cives invitet ad talia patranda, quæ legi naturali repugnant. Dissimulatio talium utcunque excusari potest, si conditio temporum, & genius populi directa per remedia istiusmodi libidinem sisti non ferat. Sicut & illud ratione non caret, quod jus Romanum actionem *rerum amotarum* vocat, ubi revera furtum fuit patratum.

§. 4. *Idem de Cive c. XIV. §. 9.* tradit, præcepta decalogi esse præcepta civilia, non naturalia; & hoc modo explicanda: *parentibus honorem civili lege definitum non denegabis: hominem, quem leges vetant occidere, non occides: legibus vetitum concubitum fugies; rem alienam domino invito ne auferas; leges & judicia falso testimonio non frustraberis.* Ubi notanda est falsa hypothesis, quasi ante civitates nihil proprium, nihil alienum, nullum matrimonium, & quidlibet in quemlibet fuerit licitum. Sane patet, illa præcepta eos invicem stringere, qui non in communi civitate, sed in statu naturali vivunt, soloque jure naturæ invicem utuntur. Nam isti utique pacto inter se res potuerunt divi-

ante civitates instituas de
 Sic cum de re regis & no
 que de re non communi
 as naturalibus adjuvanti
 regem in unum alteri com
 ut vultur ut vult de emp
 concepit, non posse ab
 intercedebant tamen qu
 pacto queant, licet p
 Ego & hoc taliam, un
 de natura. Quis porro ne
 iure naturali repugnat
 defensori attendat
 violationem. communit
 naturali intelligit. Qu
 certa quædam capta p
 in civitate invaluim. &
 apertum est. Præcept
 quæ legibus civilibus præcept
 seu non prohibetur
 Hæc enim invicem non adven
 legibus civilibus permittim
 ut adus alienus non sit contra
 in DEUM eundem possit
 potestatem civilem non prohib
 nomine pena afficitur
 concedi effectus, qui alias con
 de Tartaræ leges non præ
 dominos prohibent contra
 non placetur. nec ad res
 gentis ista iustitiam
 in iudicandum de Lacedæmon
 legi, lege prohibetur. cum enim
 Xenophon

demerere, & actu dividerunt. Ergo hi non minus in septimum præceptum
 peccant, si vi aut clam alterius res invadant, aut surripiant, quam si
 civis civi hoc faciat. Sic quis negare audeat, adulterium committere,
 qui thorum ejus, quicum in naturali libertate vivit, violat. Vid. *Gen.*
XX. 3. XXVI. 10. Denique cum in statu naturali saltem arbitri locum
 habeant, qui quæstiones facti interventu testium decidunt, *Hobbes de*
civ. cap. 3. §. 23. ibidem quoque octavo præcepto usus erit. De ex-
 tero pleraque præcepta decalogi materialiter utique ad jus naturale
 referuntur. Quando tamen considerantur, prout duabus tabulis in-
 sculpta, & per Moysen populo Israelitico promulgata fuerunt, civiles
 leges recte vocari possunt, vel potius summa capita juris civilis ejus po-
 puli; quæ deinceps in specialia præcepta, additis sanctionibus pœnali-
 bus, dispecuntur. Add. *Phil. Indæus de decalogo.* Quo spectat, quod
 tradit *Grotius ad Matth. V. 27.* in decalogo non omnia delicta, ne ea qui-
 dem, quæ lege civili puniuntur, (expressis verbis) comprehensa sunt; sed
 ea duntaxat, quæ in quoque genere summam habent atrocitatem. Ne-
 que enim vulnerationis fit mentio, sed homicidii, neq; omnis luctum
 jactura alterius, sed furti, neque omnis perfidiæ, sed falsi testimonii.

§. 5. Evolvendum quoque jam, quod *Idem d. l. c. XII. §. 1.* inter
 seditiosas opiniones, & ex quibus civitates intrinsece ad ruinam dispo-
 nuntur primo loco hanc recenset: *cognitionem de bono & malo pertinere*
ad singulos. Regulas enim boni & mali, justi & injusti esse leges civiles; ideo-
que quod legislator præceperit, id pro bono; quod vetaverit, pro malo habendum.
Inde iniquum esse dicitur: regibus non esse obtemperandum nisi juxta præ-
ceperint. Ante imperia justum vel injustum non existisse, ut quorum natura ad
mandatum sit relativa: actionemque omnem sua natura esse adiaphoram;
quod autem sit justa vel injusta, à jure imperantis provenire. Reges igitur
legitimos qua imperent justa facere imperando, qua vetent, vetando in-
justa. Privatos autem homines, dum cognitionem boni & mali ad se tra-
hant, cupere esse sicut reges, id quod salva civitate fieri nequit. Circa ist-
hæc notandum, id quidem penes reges esse, legibus naturalibus vim
juris civilis in foro humano exferendam addere vel demerere, addita
sanctione pœnali, aut negata; simulque multa, quæ sunt extra leges
naturales jubendo justa, vetando injusta facere. Verum quod ante
imperia civilia justum vel injustum non extiterit, per jus naturale defi-
 nitum,

aitum, & conscientias hominum stringens, id vero æque falsum est, ac si asserere velim, veritatem & rectitudinem ab arbitrio hominum, & non à natura rerum dependere, aut rerum naturam à summis imperantibus pro lubitu posse fingi, aut veritatem de eadem re diversam esse posse. Et res ipsa *Hobbeso* satis reclamatur. Scilicet isti patres familias, quorum coitione civitates initio extiterunt, cum adhuc disjunctim viverent, ad brutorum instar agebant; non servabant pacta cum aliis iniurata; suo jure, quando libitum erat, aliis vitam & bona eripiebant; & quæcunque patrabant pro adiaphoris habebantur. Hodie quoque reges absoluti, qui utique inter se in statu naturali vivunt, quando pacta non servant, aliis sua ereptum eunt, nullam justitiam violasse censentur; quos tamen legibus civilibus hautquaquam subjectos censent. Quin contra neque coalescere poterant civitates, neque coalitæ servari, nisi ante ipsas aliquid justum vel injustum extitisset. Nam pacta in civitatibus constituendis intervenisse certum est. At quomodo homines pactorum aliquem heic esse usum persuadere sibi poterant, ni antea scivissent, justum esse pacta servare, injustum non servare? Et si antea definitionem legum civilium non est justum pacta servare; quid obstat, quo minus pro lubitu subjecti obsequium exuant, ac civitatem, cumque ea omne discrimen justæ & injustæ tollant? Nam utique frustra quis superaverit, sola vi metuque tantam sese hominum multitudinem perpetuo continere posse. Unde etiam nullus unquam Rex credò tam demens fuit, ut aliquid præciperet, quod generalibus naturæ legibus est interdictum, aut vetaret, quod iisdem est præceptum; puta ut nefas sit fidem servare; ne quis alteri suum tribuat, ne honeste vivat, ut quilibet quemlibet quantum possit lædat, &c. At cur non tales quoque leges possent ferri, si nihil est justum, & injustum ante definitionem legum civilium? At talia non magis præcepto imperii civilis bona & justa fieri possunt, quam ejusdem mandato venenum vim nocendi humano corpori exuere potest. Ex quibus etiam facile colligitur, in quantum à vero abeat *Polybius* libro VI, qui itidem originem justæ & injustæ à civitatibus videtur arcesse. Quem citra iudicium exscripsit *Macchiavellus discurs. ad Livium* libro I, capite 2. Add. *Rich. Cumberland de leg. nat. c. 5. §. 5.* Enimvero in alio sensu thesis *Hobbesii* admitti potest; si nempe bonum & malum

accipiat pro eo, quod reipub. expedit vel non. Nam hæc sane sediosa est opinio; *cognitionem boni & mali*, id est, ejus, quod bonum & malum, utile, vel inutile est reipub. *persinere ad singulos*. Id est, singulis competere facultatem judicandi de aptitudine mediocum, quæ ad promovendum bonum publicum usurpare jubet princeps, cum hoc effectu, ut ab illo judicio cujusque ad obsequendum obligatio suspendatur. Huc enim adplicari potest illud Taciti H. I. 83. *Tam nescire quædam non milites solum, sed & cæteros subditos, quam scire oportet. Si ubi jubeantur, querere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit*. Nec ea laus militis, qui *jussa ducum interpretari, quam exsequi mavult*. Idem H. II. 39. *Cato de re rustica c. 5. Villicus ne plus censeat sapere se, quam dominum*. Et hætenus recte M. Terentius apud Eundem Ann. VI. *Non est nostrum aestimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dedere; nobis obsequii gloria relicta est*. Item illud Platonis Politico: *ὁ δὲν δεῖ τῶν νόμων ἀνασφάτερον*. *Nihil oportet legibus esse sapientius*. Cui conspirat Aristoteles Rhetor. I. I. c. 15. *τὸ ἕδ νόμων σοφώτερον ἢ τὸν ἀνὰ, τῆς ἕσθ, ὃ ἐν τοῖς ἰσχυροῖς νόμοις ἀπαγορεύεται*. *Se legibus sapientiores esse studere est id, quod in laudatis legibus prohibetur*.

§. 6. Est quoque hoc loco examinanda quæstio satis ardua; an peccare unquam queat subditus exsequendo mandata sui principis, si scilicet ipse præ se ferat, sese nudam obire executionem, omni cognitione simulque necessitate reddendæ rationis in jubentem devoluta. Nam differunt quidem leges, & mandata principum, in eo, quod illæ sint mandata generalia, quosvis subiectos spectantia; hæc autem pro re nata certis subditis injunguntur. Circa producendam tamen obligationem in eo, ad quem diriguntur, parem cum legibus effectum obtinent. Igitur pervulgata sententia est, admitti quandoque peccatum, si quis jussis imperii civilis pareat; adeoque posse & debere civem talia jussa ad propriam conscientiam bene informatam exigere. Apud Sophoclem ita Antigone. *ὁ δὲ δῖον ἔσθαι ἴδμεν τὰ σά κρύματα, ὅτι ἀρχαῖα καὶ σφαλῆ δῖων νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ἄντ' ὑπερδραμαῖν*. *Neque posse tantum putavi tua edicta, ut non-scriptas, & certas Deorum leges posse mortalibus violare*. Quin & sub hac conditione intelligi debere promittere obsequium bonos viros, quibus sedet, de actionibus suis rationem sibi tribu-

tribunal apud divinum reddendum, & regnum omne sub graviore regno esse, quod nempe iusta imperantium capeffere velint, modo cum jure naturali & divino manifesto non pugnent. Nam ubi contra civilem legem jubeat quid facere Rex, quin citra peccatum pateri possit, dubium non est. Contra *Hobbes de Civitate* c. XII, §. 2. pro seditiosa opinione declarat hanc: *peccare subditos, quoties mandata principum suorum, quae sibi videntur injusta esse, exsequuntur.* Ubi id sane periculosum est tam civitatibus, quam conscientis privatorum, credere, si scrupulus duntaxat, aut dubium circa æquitatem iustorum oriatur, recte posse eadem detrectari. Hoc enim modo sæpissime necessum est, ut in peccandi necessitatem cives incidant; dum contra conscientias facturi sint, si obediverint; contra fidem superioribus datam, si non obediverint. Nam illud utique in confesso est, conscientiam, inter dubia momentorum nutantem, sibi optime consulere, electa illa parte, ex qua minus peccandi periculum. Jam autem longe præsentius est periculum peccandi propter dubium illiquidum fidem expresse datam negligere; cum iusta superiorum semper comitetur præsumptio justitiæ, & eadem sæpe ex tali procedant ratione, quam privatis dijudicare haut quidquam concessum. Deinde illud probe notandum est, quod *Idem l. d.* subjicit; *peccatum meum est, quod faciens peccatum meum esse puto; quod vero peccatum alienum esse puto, possum quandoque sine peccato meo facere.* Nam si jubeat facere, quod peccatum jubentis est, modo qui jubet dominus meus sit, id si facio non pecco. *Procopius histor. Goth. l. x. Legatus mittentis jussu verba enunciat, eorum culpam, si quid peccatur, non ipsi, sed ei, qui imperavit, æquum est imputari: cum legato obsequii incumbat necessitas. Seneca Troadibus. Ad auctores redit sceleris coacti culpa. Add. l. i. D. de his qui not. infam. verb. non jussu ejus. M. Seneca l. 4. controvers. 27. Non est impudica, quæ arcessita fuit à tyranno, non dicitur sacrilegus, qui deorum immortalium dona manibus suis tulit ad tyrannum, aut qui funestas tyranni imagines inter effigies deorum immortalium consecravit.* Potest enim utique quis ab imperante injunctam suscipere meram executionem actionis, quæ in peccatum imputatur soli imperanti, non item executionem facienti. Ad quod tamen hæc requiri arbitramur, primo, ut mera duntaxat executio illi non jungatur, id est, ut ipse tantum membra sua, viresque corporis actui accom-

accommodet; de cætero autem neque occasionem aut prætextum præbeat, neque excusationem adhibeat; ac eundem exsequatur profus tanquam alienum, non tanquam suum. Deinde ut & illud ipsum ministerium quantum potest aversetur & deprecetur. Memorabile exemplum extat apud *Ad. Olearium itin. Persici. lib. 5. cap. 32.* Denique ut propter detrectatam istam executionem ipsi præsens vitæ periculum, aut aliud grave malum, ad quod pro altero subeundum neque iustitia, neque caritas obligat, intentetur à mandante, cui malum id representandi vires sunt, & præsertim ubi is etiam citra nostram opem alteri malum sit illaturus. Equidem id manifestum est, nullam inesse vim obligandi, id est, conscientis intrinsecam aliquam necessitatem injiciendi quotumvis hominum mandatis divino juri repugnantibus; & omnino crimine carere, qui illis obsequi neglexerit. Enimvero longe diversa sunt; aliquid per conscientiam teneri facere, & aliquid citra peccatum posse facere, malo gravissimo declinando. Multa quippe sunt, ad quæ nequaquam intrinsece obligamur, quæ tamen recte à nobis, urgente necessitate, suscipi possunt. Heic autem non quæritur, an ad tale quid teneamur; sed an citra proprium peccatum id exsequi possimus, ne frustra vitam nostram perdamus. Neque stringit nos illud *Plinii III. ep. 9.* ubi memorat, senatui sese adprobasse, *etiam ministerium crimen esse.* Ipsi enim, in quos peroraverat, rei non fuerant meri executores alienifacitoris, sed calumnias innocentibus intendant, ut proconsuli occasio foret in opes ipsorum invadendi: & delationes exercebant non tantquam actum alienum, sed tanquam suum; ac suo nomine reos criminum insimulabant, non proconsulis nomine, & velut ab ipso iussi. Neque metu mortis ad calumnias obeundas adigebantur. Equidem dicebant, *se esse provinciales, & ad omne imperium proconsulum metu cogi.* Verum longe probabilius erat, ex cupidine lucri ipsos talia patrasse; & ut forte minas in detrectantes adhibuisset proconsul, non tamen credibile est, præsens mortis periculum ipsum intentasse, quod declinandi nulla facultas foret. Quo facit illud apud *Tacitum A. XIII.* *Suilius nihil ex his sponse susceptum, sed principi paruisse defendebat. Tum iussa Messalina prætendi, & labare defensio.* Cur enim neminem alium delectum, qui savienti impudica vocem praberet? Puniendos rerum atrocium ministros, ubi præmia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent. Hinc merito lau-

CAPUT I.

laudatur Julius Græcinus, qui *Marcum Silanum accusare jussus, & quia abnuerat interfectus est*, apud *Tacitum Agricola*, quem insigni quoque encomio maectat *Seneca de benef. II. 21.* Sed & in hoc casu preces superiorum necessitati & imperio æquipollere non arbitramur. Utut alias notum sit illud *Platonis epist. VII.* τὰς ὑπὸ τυράννων δίκους ἔσμεν, ἔτι μᾶλλον ἀνάγκαι σίμ. *Preces tyrannorum necessitati permixtas non ignoramus.* Sed neque Doegi exemplum i. *Samuel. XXII.* nobis adversatur. Nam & ipsi hoc expresse addidimus, ut quantum quis potest, tale ministerium deprecetur: id quod laudabiliter cæteri satellites Saulis fecerunt. (Sicuti & laudabiliter obstetrices immane jussum Pharaonis etiam falso loquio eluserunt. *Exod. I.*) Sed Doegus ille prompto animo ad exsequendum regis jussum, cui nulla comminatio adjuncta legitur, profiliit, cum antea innocentibus viris falsum crimen impigisset, quasi clandestina consilia cum Davide in regem miscuissent. Nam falsa quædam ipsum detulisse, ex *Psalmo LII.* satis adparet. Fatendum tamen est, etiam nudam executionem quorundam actuum multis ipsa morte acerbiorum videri; puta si quis à tyranno jubeatur parentes aut liberos suos jugulare, aut cum matre, filia, aut bestia concumbere. Ad quale ministerium effugiendum mortem potius vir fortis elegerit. Sicuti & nemo facile reprehenderit constantiam Romanorum, quos Hannibal inter se composuit, & fratres quidem cum fratribus, patres cum liberis, cumque cognatis cognatos dimicare jussit. Qui tormentis potius immori, quam manus propinquo sanguine polluere in aluerunt. *Diodorus Siculus l. 25. in excerptis Peirescianis.* Apud *Laonicum Chalcocondylam l. 1.* Amurates parentibus eorum, qui se junxerant *Sauzi* seditionem concitanti, præcepit, ut filios necarent suis manibus. *Patres duo fuere, qui noluerunt tam crudele exequi imperium. Hinc & ipsi cruciati sunt simul cum filiis. Nam dicere solebat, nequaquam istos citra consilia parentum defecisse ad Sauzem. Nunc autem cum fortuna autantur dubia, eos nutare in utramque partem.* Illud tamen hautquaquam fas esse arbitramur, ut pro vita mea servanda operam meam velim afferre ad occidendum alterum innocentem. Hoc enim foret in pretium propriæ vitæ offerre vitam alterius. Et non pauca sunt, quæ pro pretio facere non possumus, quæ alia tamen sub consideratione facere licet. *Abr. Rogerius de Braminibus part. 1. c. 19.* memorat, apud

D d d d d d

Bra-

Bramines credi, uxorem sine peccato posse facere, quæ maritus jubet, utut illud malum sit: peccatum quippe non ipsi, sed marito imputari, cui illa obtemperare teneatur.

§. 7. De cætero non posse aliquem jussu superioris suscipere actionem tanquam suam, quæ conscientiæ rectæ dictamini repugnat, nemo cui aliquis pietatis sensus est negabit. Hinc recte judices illi apud *Iosephum de bello Iudaico* l. IV. c. 19. qui Zachariam innocentem damnare nolebant, utut præfens sibi periculum à Zelotarum furore impendere intelligerent. Contra maximo sese scelere obstrinxere judices, de quibus est *1. Reg. XXI*. Pronunciabant enim sententiam non tanquam à rege pro imperio dictatam, sed tanquam liquibo crimine ab ipsa iustitia suggestam. Par scelus illorum testium erat. Idem judicandum de delatoribus, qui calumniis viros potentes aut opulentos onerant, ut malis principibus occasio nascatur eosdem subvertendi. Inter quos quondam non obscurum nomen fuit Marcellus Eprius, Thrasea delato famosus, qui in excusationem sui apud *Tacit. H. IV. c. 8.* adfert; *non magis sua oratione Thraseam, quam iudicio senatus afflictum.* Quod erat crimen communicare, non purgare. *Savitiato Neronis per huiusmodi imaginis illuisse.* Sed nimirum ut tu potissimum eum minime instrueres subigebat avaritia, & libido præpostera via ad honores grassandi. Alii, qui eandem artem factitaverant, excusabant, ejusmodi operis dignitatem aut salutem se redemisse. Quorum defensiones, quod scilicet perdere alios quam periclitari ipsi maluerint, non ideo tolerandas censet *Curtius Montanus* apud *Eund. d. l. c. 42.* quod omni eos crimine vacare credat; sed per figuram quædam concedere videtur, ut reliqua eo gravius urgeat. *Nec iniuste senatus occiso Nerone delatores, & ministros more majorum puniendos flagitabat, genus hominum publico exitio repertum. Ibid. c. 30.* Quorum ille ipsos *in foro flagellis ac fustibus casos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam partim subjici in servos, & venire imperavit, partim in asperrimas insulas avehit. Suetonius Tito c. 8.* Hic quævis navigiis impositos tempestatibus absorbendos, aut in desertos scopulos impingendos attribuit. *Plinius Panegy. c. 34. 35.* Sic *occulta Tiberii mandata Cn. Pisonem crimine necati Germanici non solvebant, si modo is revera monis ejus causa.* Ac ut maxime ea promississet apud patres, in pudorem

rem quidem Tiberium dedisset, cui non relinquebatur, quomodo vindicaret scelus à se iustum; patribus tamen integrum erat reum damnare, quia in eo patrandi non iustum principis præ se tulerat; sed ipse potius, quæ honeste juberi non poterant, cupide susceperat, ut flagitio Tiberium sibi haberet obnoxium. *Tacit. A. III, 16.* Sed nec Joabum plane immunem arbitramur à reatu ex cæde Uriæ contracto, 2. *Samuel. XI, 14. 15. 16.* utut *d. l. c. XII. 9.* solius Davidis, tanquam causæ principalis, mentio fiat. Recte quoque Papinianus, quod Getæ cædem excusare detrectavit, addito famosissimo dicto; *non tam facile parricidium excusari posse, quam feri.* Alii tradiderunt, dictare noluisse orationem, qua invehendum erat in fratrem, causatum; *aliud esse parricidium, accusare innocentem occisum.* Id tamen rejicit *Spartianus in Caracallo c. 8.* ea ratione, quod ipse, utpote *præfectus non potuerit dictare orationem:* (etsi quominus hoc ipsi extra ordinem injungi potuerit, non adparet;) & addit; *constare, quod occisus sit, tanquam fautor Getæ.* Quidquid hujus sit, recte quis ingenium suum sceleribus defendendis commodare detrectat, etiamsi alieno nomine id scriptum sit promulgandum. Nam subtilis excogitatio speciosorum argumentorum, adhibito colorum ac delenificæ suadæ lenocinio, pro pura executione alieni actus haberi nequit. Secus tamen videtur sentiendum, si ejusmodi orationem, abs se aut alio compositam, Caracallus cuiquam in senatu recitandam injunxisset, constituta in detrectantem capitali pœna. Huc quo non pauca loca ex *Platonis apologia Socratis* adplicari possunt. Facit quoque huc, quod de *Salustio* refert *Dio Cassius l. 43.* quem *Cæsar Numidis verbo quidem regendæ, re autem ipsa diripiendæ regionis causa præfecit.* Enimvero *Salustius* & pecunia capta, & expilata provincia accusatus summam infamiam reportavit, quod cum ejusmodi libros composuisset, in quibus multis acerbisque verbis eos, qui ex provinciis questum facerent, notasset, nequaquam suis scriptis in agendo steterisset. Itaque etsi à *Cæsare* absolutus fuit, tamen suis ipsius verbis proprium crimen abunde quasi in tabula propositum divulgavit. Enimvero ubi factum principis nondum liquido injustitiæ est convictum, cavebit civis, & cum primis minister publicus id præmature atro calculo notare; cuius est semper pro justitia domini sui præsumere. vid. solæcismus politicus *Ali-grii Cancellarii Gallix apud Gramondum hist. Gall. l. 16.*

§. 8. Ex iisdem fundamentis est definiendum, an civis iustus principis in bello injusto recte armaumat? Ubi *Grosii leg. 2. capite 26. §. est sententia*; quando manifestum est, injusta arma à principe alteri inferri, haut fas esse civi, ut si fatelles scelerum. Sed in dubio sequendam esse partem tutiorem, quæ sit, abstinere bello. Enimvero caute nobis ista videntur temperanda, ne exinde vis civilis imperii destruat, & in negotio tanti momenti obsequium civium à singulorum iudicio suspendatur; præsertim cum heic facile sit timiditati & ignaviæ scrupulum conscientiæ obtendere. Equidem ubi ad deliberationes quis admittitur, & suffragii ferendi jus habet, si citra consensum proprium cæterorum decreto non obligatur, ne id quidem, de quo dubitat, recte potest suscipere, nedum id, de cuius injustitia liquido constat. Id quod etiam locum potest habere, si ipsi optio concedatur militandi aut quiescendi. Quid si autem simpliciter parere jubeatur? Ubi arbitramur, apud omnes gentes, queis aliqua honesti cura est, in deliberationibus de bello suscipiendo causam belli justificam semper præsupponi. Hoc qui facere negligunt, apud illos de conscientia nequidquam disputaveris. Sed circa hoc potissimum deliberatio instituitur, an heic & nunc reipubl. expediat ex tali prætexto bellum alteri inferre? Heic cui curæ reip. peculiariter incumbit, & vires civitatis penitissime perspectæ, sane clarius præsumitur cernere, quid ex usu sit, quam privatus aliquis. Quod si autem quis, posita licet justitia belli, dubitet, num satius sit, injuriam reip. illatam negligere aut condonare, quam bello exsequi; is sciat, nullo modo videri sufficere hanc causam, quare civis possit imperio civili obsequium denegare, ejusque rigorem in se irritare, quia iudicat, ab eo adversus alterum non observari virtutem aliquam, cui vis imperfectæ duntaxat obligationis inest. Adeoque tutissimum fuerit, si civis heic simpliciter pareat, summumque imperantem super justitia belli Deo rationem reddere permittat. Recte Hector apud *Homerum Iliad. µ. Εἰ δὲ δῖον ἐσὶ ἀεὶς ἔμμεναι ἀπὸ πατρῆος. Oprimi est instar anguris pugnare pro patria.* Apud *Tacitum Histor. II. publicum facinus* vocatur, quod in acie patrem filius interfecisset. *Add. l. 2. §. 1. D. de noxal. act. leg. 37. D. ad L. Aquiliam.* Notandum tamen hæc ad cives tan-

tantum pertinere, qui summi imperii jussu arma capiunt. [Nam qui ultro militiam alieni principis suscipit, omnino de justitia causæ ejus, quem sequitur, certus esse debet. Unde non immerito apud sapientes male audiunt, qui citra ullam causæ considerationem vitam suam ære locant. De quibus *Güntherus Ligurino* l. 7. *Aere dato conductæ cohors, & bellica miles Dona sequens, pretioque suum mutare favorem suetus, & accepto pariter cum munere bello, Hunc habuisse, dator pretii, quem jufferis, hostem.* Nec placere nimis de hisce sentit *Thom. Morm. Propia*. l. 2.

CAPUT II.

DE POTESTATE SUMMI IMPERII IN VITAM

Civium ex occasione defendendæ civitatis.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Summus imperans potest civem vite periculo exponere in bello.</i></p> <p>2. <i>An militiam deservire liceat propter pactum cum hoste.</i></p> <p>3. <i>Nemo se admilitiam inutilem reddere debet.</i></p> | <p>4. <i>Quanta sit militum obligatio.</i></p> <p>5. <i>An civitas civem innocentem possit dedere.</i></p> <p>6. <i>Civitas potest civem suum alteri obsidem dare.</i></p> |
|--|--|

Quoniam eo fine in civitates ab hominibus coitum sit, ut cum alia sua bona, tum præcipue vitam in tuto collocarent: ad conservationem tamen civitatum necessarium fuit, ut summum imperium aliquam in vitam civium haberet potestatem; idque duplici fine, tum avertendo aliquo à civitate malo, tum compescendis peccatis. Ex priori capite id potestatis summo imperanti competit, ut ad defensionem civitatis, atque asserenda istius jura vitam civium ancipiti periculo exponat; postquam infesta arma gerentibus id agitur, ut sibi mutuo vitam eripiant. Quin & cum ad arma recte tractanda usus requiratur, etiam ad huncce capessendum periculo vitam civium exponi posse judicavit *Plato de LL.* l. 8. (etsi nobis non suffragantibus,)

D d d d d d 3 dum

in exercitiis militaribus vult adhiberi tela , quæ ad vera & peri-
 cula proxime accedant , ac timorem incutere apta sint; addita lege:
*Si quis cade involuntaria in his certaminibus morietur , qui interfecit , se-
 cundum legem expiatus mundus sit in posterum. Putare enim debet legisla-
 tor , paucis ita mortuis hominibus ceteros non deteriores futuros. Timore
 vero in omnibus his extincto , nihil amplius se inventurum , quo à deterio-
 ribus meliores discernat , quod ni fiat , multo magis civitati malum est ,
 quam illud. Tali exercitia militaria etiam in usu sunt apud Japonios ,
 vid. Bern. Varenius descr. Japon. c. 19. Apud Demosthenem adversus Ari-
 stocratem extat lex Attica ; Si quis occiderit in ludis inuitus , ne exulta-
 to. Ratio subjungitur ; quia non eventum consideravit , sed ejus , qui se-
 cerit animum , qui fuit , viventem superare , non occidere. Quod si ille in-
 firmior fuit , quam qui ferre posset eum , quem victoria requirit laborem ,
 ipsum ejus mali sibi causam extitisse lex censuit. Munerum porro mili-
 tarium exactio non immeritò rigidissima disciplina constat ; quippe
 cum in bello exiguam ob negligentiam sæpe de summa rerum sit actum.
 Inde cum alias togatum apud judicem affectibus , qui animum homi-
 nis vehementer percellunt , facilius venia soleat indulgeri , intermi-
 litaria judicia id non æque observatur. Heic enim sæpe capite ple-
 ctitur , qui ut mortem imminentem effugere assignatam stationem de-
 seruit. Livius lib. V. cap. 6. *Fustuarium meretur , qui signa relinquit ,
 aut presidio decedit.* Add. *Mick. Montaigne essais lib. 1. cap. 15.* Quan-
 quam aliqui ignaviam militum ignominiosis potius pœnis coercere effi-
 cacious judicarunt. vid. *Iustinus lib. 32. cap. 3. in fine Ferdinandus Pinto*
cap. 10. Sicuti & gravissimis alicubi pœnis notatum , militiam subter-
 fugere. vid. lib. 4. §. 10. *D. de re militari.* Sic *Lycurgus orat. contra Leo-
 cratem* tradit Spartæ legem fuisse , *de omnibus volentibus pro patria subire*
periculum , ut moriantur : ad illud ipsum pœnam adducenses , quod maxime
metuunt. Propositis enim duobus vite discriminibus , πολὺ μᾶλλον αἰρήσωται
τὸν πρὸς τὴν πολέμειαν , ἢ τὸν πρὸς τὴν νόμου καὶ τὴν πολιτείας. Multo magis eligent
 id quod ab hoste , quam quod à civibus & legibus imminet. Add. *Lex Lon-
 gobardorum libro tertio tit. 13. §. 1.* Et quanquam in plerisque civitati-
 bus quidam cives , alias per ætatem & vires ad arma gerenda idonei ,
 immunitate à militia gaudeant , vel ob vitæ genus , vel ex singulari
 indultu*

indultu civitatis : id tamen privilegium eousque valet, quoad cæteri cives, aut alii focii vel conducti præsto sint, qui civitati defendendæ sufficient. Cæterum ubi summa necessitas ingruit, etiam immunes illi pro aris & focis arma capient. Et præstat, ut eorum privilegia tantisper quiescant, quam ut propter intempestivam eorundem religionem civitas pereat. *Vocant extrema pericula cunctos.* Sicut Romæ quondam vacationes à bello, quibus alias seniores & sacerdotes gaudebant, bello Gallico ingruente cessabant. *Appianus de bello civili lib. 2.* Add. 1. ult. C. de quibus munerib. nem. sic. se excusare. Vid. quoque *Andreas Maurocenus historia Venet.* libro IV. pag. 147. Et si & merito commendatur lex sive Solonis sive Pisistrati apud *Plutarchum Solone*: τὸς παραδόντας ἐν πολέμῳ δημοσίᾳ τρέφειν. *Ut mutilati in bello ex arario alantur.* Quin & ubi res civitatis id ferunt, omnia mercedis aliquid & præmii debetur illis, qui cæteris domi desidentibus militant; quippe qui non solum rem suam familiarem negligere coguntur, sed etiam quatenus plus operæ pro rata sua civitati conferunt, quam pagani, pensationem aliquam merentur. Addantur quoque, quæ super institutis Ægyptiorum circa milites tradit *Diodorus Sicul.* l. 1. c. 73.

§. 2. Quo loco quæritur; si captivus ab hoste detentus ut dimitteretur promiserit, quod contra ipsum arma deinceps non sit gesturus, an iste postea à civitate sua recte possit obligari, ut contra promissum suum in hostem militet? Tale pactum aliqui pronunciarunt ipso jure nullum, quia sit contra officium, quod civitati debetur. Ad quod nobis non tam hoc videtur reponendum, quod non omnia, quæ contra officium fiunt, statim quoque sint irrita & nulla; quam negandum, id esse contra officium civitati debitum, libertatem sibi parare, id promittendo, quod jam in hostium est manu. Nisi enim hostis ipsum dimitteret, nunquam arma adversus ipsum ferre posset. Unde tali pacto nihilo deterior fit civitatis conditio; quippe cui is, qui captus est, ni liberetur, jam periisse est censendus. Adeoque quem ipsa ex captivitate receperit, hac lege recepisse censetur, ut illi relinquat facultatem servandi promissum hosti factum; præsertim ubi non civitatis, sed propria ope libertatem recuperavit. Sed anne in isthanc civis obligationem eminens illa summi imperii vis

vis efficaciam suam exeret, si salus publica id postulaverit? puta si civitas in praesenti periculo versetur, ni iste quoque arma capiat. Heic arbitramur, cum absurdum sit, esse me civem, & habere obligationem, qua etiam in extrema necessitate inutilis civitati reddar; nec minus, simplici me pacto posse obligari, ne alterius vim injustam ad perniciem meam meorumque tendentem repellere queam; ideo patet illud esse interpretandum de bello duntaxat offensivo, non defensivo; praesertim si cum ipsa civitate mea quoque salus sit periclitatura. Quid enim ille alter libertatem mihi concessit, si voluit me adstringere, ut in posterum ipsius vim à vita fortunisque meis non possim repellere? Unde nequidquam obstabit pactum istud, quo minus jussu summi imperantis arma pro defensione civitatis induam. Vicina huic quaestio est, an sub conditione ab hoste dimissus, conditione non impleta teneatur redire in captivitatem? Quod circa privatos quidem affirmatur. Sed circa reges dubium movetur apud *Bussieres historia Franc.* libro XVI. de rege Francisco. Quod quidem ego in medio relinquo. Suaferim tamen, ut qui regem captivum teneat, non temere cum prius è manibus amittat, quam conditionibus actu impletis.

§. 3. Ex quo consequitur, quamvis praesens reipublicae necessitas forte operas civium militares non exegerit; tamen ad eas obeundas se aut alios inutiles reddere gravi poena dignum esse. *M. Seneca libro primo controversia septima caetera membra mea sunt, manus publica sunt.* Ejusmodi ignaviae exempla quam plurima in Martio illo Quiritium populo legimus. Apud *Suetonium Tiberio capite octavo. Tiberio cura injuncta repargendorum ergastulorum, quorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed & quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisses.* Quae etiam fortasse causa fuit, quare ergastula penitus sustulisse dicatur *Adrianus apud Spartianum capite decimo octavo* ad quem locum vide quae notavit *Salmasius.* Apud *Valerium Maximum libro sexto capite tertio C. Vettienus* sinistrae manus digitos sibi abscidisse memoratur, ne bello Italico militaret; quem senatus publicatis bonis in aeterna vincula conjecit. Sic *Augustus, referente Suetonio capite octavo Equitem Roma-*

num quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit basta. Ammianus Marcellinus libro decimo quinto sub finem, ubi de moribus Gallorum loquitur : *ne eorum, inquit, aliquando quisquam ut in Italia, munus martium pertimescens pollicem sibi praeidit, quos jaculariter Marcos appellant.* Isti flagitio reprimendo complures leges latae. *Eum qui filium debilitavit, dilectum per bellum indicto, ut inhabilis militia sit, praeceptum Trajani deposavit,* libro quinto Paragrapho duodecimo D. *de re militari.* Extat quoque lex Constantini libro primo Cod. *Theodosius de filiis militum apparitorum & veteranorum.* *Veteranorum liberos aptos militia, quorum quidam ut desides recusant militarium numerum functionem, quidam adeo ignavi sunt, ut cum dispendio corporis militia velint necessitatem evadere, jubemus, si ad militiam inutiles, resectis digitis judicentur, curialibus muneribus atque obsequiis adgregari.* Confimilia habentur in libro quarto & decimo C. *Theodosius de sironibus.* *Qui spurca amputatione digitorum declinat usum armorum, non evadat illa, qua vitas, sed insignitus macula ferat impositum militia laborem, qui declinaverit dignitatem.* *Ipsis quoque etiam provincialibus, qui ex horum ausis juniorum saepe patiuntur penuriam praebendorum, hac optio decernatur, ut tempore dilectus agitando duos mutilos juvenes pro uno integro offerant.* Sed longe severissima est libro quinto dicto titulo. *Si quis ad fugienda sacramenta militia fuerit inventus truncatione digitorum damnus corporis expedit, & ipse flammis ultericibus concremetur, & dominus ejus qui non prohibet, gravi condemnatione feriat.* Viderur tamen hanc poenam locum habuisse in servis duntaxat; quae autem jam cit. h. dictata fuit, in ingenuis. Nam olim quidem apud Romanos servos militia exclusos, praeterquam in maxima reipublicae necessitate, in vulgus notum. Id posterioribus seculis non amplius observatum ex libro decimo sexto C. *Theodosii,* dicto titulo constat, ubi Imp. Arcadius & Honorius ita sanciant : *Contra hostiles impetus non solas jubemus personas considerari, sed vires, & licet ingenuos amore patriae credamus incitari, servos etiam auctoritate hujus edicti exhortamur, ut cum primum se bellicis sudoribus offerant, primum libertatis si apti ad militiam arma susceperint, pulveratici etiam nomine binos solidos acceptari.* Nam libro

Ececece

unde-

undecimo dicto titulo quæ etiam extat. in *Cod. Justin.* libro secundo de *tiron.* loquitur de *mancipio alieni juris*, quod qui in tirocinium militia duxerit offerendum, libram auri arario principis cogebatur inferre. Lex autem octava *Cod. Theod.* dicto titulo non simpliciter vetat servos militiæ adscribi, sed duntaxat decernit, inter optimas lectissimorum militum turmas neminem è numero servorum dandum esse. *Vegetius* de re militari libro primo capite septimo queritur, quod possessoribus inditi tirones per gratiam aut dissimulationem probentur, salesque socientur armis, quales domini habere fastidiunt. Cæterum ab hac pollicum truncatione multi eruditorum credere Italos & Gallos suos polrones derivasse. Sed rectius mea sententia *Aegid. Menagius* in origin. lingua *Francica* id vocabulum deducit ab Italico *poltro*, q. d. qui semper pulvinar domi premit.

§. 4. Qui igitur ad militiam subeundam obligatur, is utique tenetur jussu ducis talem tueri stationem, in qua prævidet vitam sibi amittendam. Et quanquam alias civibus onera secundum proportionem debeant imponi, ad quæ universi simul concurrere possunt; aut si hoc fieri nequeat, vel non opus sit, alternis obeunda, vel æquipollente onere redimenda, vel etiam forte assignanda sint: tamen ut periculosæ illæ stationes semper per sortem attribuantur, ratio belli non fert. Adeoque penes ducem erit eligere aptissimos, aut si plures sint idonei, quos visum fuerit. Nisi adsint, qui ultro ista sibi pericula deposcant; quod fecit *Calpurnius Flamma* apud *Florum* libro secundo capite secundo & ante cum *P. Decius Mus* apud *Livium* libro septimo capite trigesimo quarto, Nec vir fortis querelas movebit, si ipsi talia pro imperio injungantur. *Seneca* de providentia capite quarto. Quare in castris periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediuntur insidiis, aut explorent iter, aut presidium loco desiciant. Nemo eorum qui exeunt dicit, Male de me Imperator meruit; sed, bene judicavit. Quin & cum beneficio civitatis vita nostra per longam temporis spatium sit servata, quæ dudum petisset, si in naturali statu fuisset semus expositi: non gravis jactura est habenda pro civitate vitam effun-

effundere, cui præsertim tam multa alia beneficia debemus. Adeoque nihil iniqui est, si jussu civitatis raro, & non nisi in magna ejus necessitate vitam exponamus periculo, quam ipsa nobis velut indies & perpetuo tribuit. Præsertim cum in naturali statu quilibet se solis suis viribus, ni perire aut opprimi malit, cogatur defendere. Nunc autem longe tolerabilius est cum multis periclitari, non solum propter certiorē spem victoriæ, sed & quia licet qui pugnat moriatur, bona tamen ipsius & necessitudines ope civitatis fere salvæ sunt, de quo in statu naturali nulla spes erat. Hoc tamen observandum, ejusmodi jussorum non esse hanc intentionem, aut saltem non esse debere, ut directè vita militis perdat. Dico, non esse debere. Nam aliquando hæc à ducibus peccari, documento est Rex David 2. *Samuel. undecimo capite, versu decimo quinto*, qui ideo etiam homicida audit, dicto loco capite duodecimo versu nono. Nec ea infrequens ars, invisos sibi hostium ferro consumendos objicere. vid. *Curtius* libro septimo versu secundo. *Polybius* libro primo capite nono. *Diodorus Siculus* libro decimo quarto, capite septuagesimo tertio. Item libro decimo nono, capite quadragesimo octavo. *Iustinus* libro duodecimo capite quinto, numero octavo. *Zonaras* Tomo secundo in *Mauritio*. Apud *Salustium* Jugurtha à Micipsa Numantiam missus dicitur, ut ostentando virtutem, aut hostium sævitia caderet. Sed hoc spectare debent tam rigida ducum jussa, ut dum veluti eitra missionem milites pugnant, à civitate magnum avertant malum, aut insigne eidem bonum concilient, et si contigerit eos, dum talia conantur, aut patrant, occumbere. Ejusmodi decretoriæ pugna hæc est lex, ut vel hostem perdamus, vel simul cum ipso pereamus. Hoc enim præstat, quam ut soli cadamus. Unde etiam multi haut absurde videntur *duobus* crimine absolvere navarchos illos, qui jussu superiorum expresso, aut ex genere belli recte præsumto ignem pulveri pyrio injiciunt potius, quam ut una cum navi in potestatem hostium perveniant; quibusque adeo non perdere letum *Maxima cura fuit*. *Lucanus* libro tertio. Ponamus enim utrinque æqualem esse numerum navium. Ubi una nostrarum capta fuerit, hostis duabus navibus nos superabit, si nostra sola perierit, unica tantum; sed si utra-

Eeeeeee 2

que

que simul pereat, in æquilibrio vires manebunt. Vix autem aliter fieri poterit, quin, si nostra dissiliat pulvere navis, non unam quoque aut plures hostilium navium simul adffigat. Nam ne capiaris tunc demum est periculum, quando navis naviam adhæserit. Et plerunque hostibus plus damni hoc modo datur, quam nobis. Validiores enim utique sunt, qui nostram navem ad incitas redigunt. Ad submersiōnem autem vitandam non putem à contrario elemento remedium petendum. Nam illic aliqua adhuc enatandi spes esse potest. Apud Chineses quoque antiqua lege capere plectebatur dux, qui etiam citra suam culpam infelicitè pugnauerat; ut nempe, quando in aciem descenderent, nihil aliud in animo haberent, quam vincere, aut mori.

§. 5. Sed quid si citra pugnam vita civis deposcatur, puta placandæ potentis alicujus iræ, quæ clades aut exitium à civitate avertatur? Hæc videndum, quibus causis alter fuerit motus, ut civem nostrum sibi dedi postulet. Si enim id fiat ob aliquod ipsius delictum, licet fortasse omnibus modis calamitatem subterfugere possit, id tamen cavere debet, ne sui causâ civitatem malo involvat. Ad hocque etiam si ponamus talem non teneri, ut seipsum in hostis potestatem ultro tradat, tenebitur tamen alio se transferre, ubi receptoribus suis nihil negotii faceffat. Nec dubito, quin à civitate etiam invito ideo expelli queat; siquidem illa fors inhumanius crediderit, eundem poscenti dedere. At quid si ob publicum delictum ad necem deposcantur quidam civium, qui ejusdem delicti non fuerunt autores? Qualem in calamitatem incidisse memoratur civitas Attica, ob interfectum Androgeon. Cujus mortem ut ulcisceretur Minos, Atheniensibus bello subactis tributi loco septenos pueros, & totidem puellas imperavit in pabulum Minotauro. Vid. *Mora Æneidos* VI. vers. 20. *Hyginus fab.* XLI. *Ovid. metam.* 8. vers. 170. *Plutarchus Theseo.* Hæc non video, quo obtentu civis periculum sortis queat detrectare, (quo medio inter pares jure aptius nullum est); si non inveniatur aliquis Theseus, qui ultro sibi Minotaurum debellandum sumat. Sed quid dicendum, si innocens deposcatur ad mortem, aut malum morti comparandum, non ex causa publici aut privati criminis? Casus in eartu

Et pessime adplicabat bonam alias sententiam Caiaphas Iohannis cap. undecimo versu quinquagesimo, quasi liceret hominem innocentem occidere, ne fortasse Romani suspicarentur, Judæos res novas agitare, & inde ansam arriperent bello ipsos invadendi. Præsertim cum longe molliora remedia sint ejusmodi suspicioni depellendæ, quam mors innocentis. Nescio quoque an excusari possit factum Darii, qui ex compacto aliquot millia Zopyro cædenda obiciebat, ut iste fidem sibi apud Babylonios conciliaret, apud Herodotum Thalia.

§. 6. Sæpenumero quoque necessum est, ut ad firmanda pacta publica obsides ex civium numero sint dandi; ad quod onus suscipiendum pro imperio utique civis adigi potest, si qui sponte se offerant defuerint. Et quidem ubi hostis potentior certos sibi cives obsides postulaverit, vix hisce tergiversandi locus videtur. Sed si plures sint, quorum quis obses erat, illius quicum paciscimur, aut nostræ civitatis nihil intersit, præscindendis querelis aptissimum erit sortem adhibere. Quod si longo tempore obsides sint detinendi, æquissimum erit novis substitutis cæteros liberare. Uti & hoc operam dare civitas tenetur, ut quod oneris extraordinarii præ cæteris obsides suscipiunt, id ipsis, quantum ejus fieri potest, aliunde pensetur. Quæri autem hoc loco possit, ane proprie vita obsidum oppigneretur, an vero duntaxat libertas? Equidem in traditione obsidum satis adparet hoc actum fuisse: *tradimus hosce in manus vestras, tanquam carissimam nostræ civitatis partem, ut nisi servaverimus, quæ convenere, nulli deprecemur, quo minus inferatis, quicquid placuerit.* Apud Cominam libro secundo Leodii obsides Carolo Burgundo dederant ea conditione, *ut si quid contra pactiones facerent, integrum esset ipsi supplicium de illis sumere.* Quos tamen post Carolus salvos dimisit. Inde cum ejusmodi pacta rupta causam belli dent in eum, qui ea violavit, adparet, post pacta rupta, bellumque conflatum in hostium abire numerum obsides quoque eodem modo, quo omnes ejus reipublicæ cives, etiam qui ad causam belli nihil peculiariter contulerunt. Et constat, multos in obsides eadem statuisse, quæ in quosvis hostes solent. Et si multis

multis inhumanum visum, miserorum illorum & innocentum calamitate ex aliena conceptum injuria dolorem mulcere. Minus recte autem dicitur, obsides ea intentione tradi, ut excipiant pœnas pacti à civitate violati. Non enim adparet, qua ratione finis, quem in pœnis sumendis sibi homines debent propositum habere, obtineri queat, si plectatur obses innocens: qui proprie in violationem pactorum non consensit, sed duntaxat non recusavit, quo minus ipse loco alterius malo posset affici: in quo per se nullum est delictum. Satis quoque cautionis adhuc est in obsidibus, etiamsi per jus naturæ pœna proprie dicta ob alienum delictum ab ipsis sumi nequeat. Sufficit enim, quod in tali sint statu, ut licentia bellica in ipsis confestim possit exerceri; adeoque eorum salus ex arbitrio læsi & irati hostis pendeat. Hæc quanquam ita sint, veriùs tamen videtur, civitatem directe obsidis duntaxat libertatem corporalem oppignorare, quam vitam. Quia ipsa firmum propositum habet, aut habere debet, fidem servandi; adeoque casum illum, quo in obsidis vitam alteri licentia fieri possit, moraliter pro nullo ducit. Nec dubium est, quin injuriam obsidifaciat civitas, si ipsa injuste pacta violet, & miserum illum alterius iræ objiciat; aut si hoc sine eundem tradat, ut alterum in securitatem datum eo graviore damno mactare queat. Quid autem dicendum, si is, qui obsides accepit, iisdem abuti velit ad perfidiam in nos exercendam, & gravibus nos injuriis laceffit, exitium obsidibus nostris interminatus, si ipsi resistamus? Hæc probabile videtur, siquidem injuriæ illæ sint tantæ, ut præstet, innocios istos periclitari, quam civitatem eandem tolerare, posse istorum periculum negligi, & perfidi hostis vim repelli. Nec magis eo casu civitas obsidibus injuriam facit, quam si quibusdam civibus in bello talem assignat stationem, in cujus pertinaci defensione aut cadendum sit, aut captivitas subeunda. Et ferent isti hanc tanquam fatalem calamitatem, nequidquam irati patriæ suæ, quæ talem casum prævidere non potuit. Videatur *Ammianus Marcellinus* libro vigesimo octavo capite sexto. Sicuti nec ideo status civilis minoris erit: Cum ejusmodi casus non nisi rarissime emergant. Statum autem naturalem ejusmodi incommoda non possint non frequentissime incurrere. Idem pronun-

cian-

Sciendum est de illo casu, qui Uticensibus accidit, quorum aliquos Cives interceptos Agathocles in machina primo loco constituit, sicut hi primo loco à suis essent configendi, siquidem hostem repellere placeret. vid. *Diodorus Siculus* libro XX. capite 55. Huc aliquo modo possunt applicari, quæ apud *Guntherum Ligurino* libro decimo, extant de obsidibus Cremensium, quos Fridericus machinis adpenderat, Conf. *Grotius* lib. III. cap. 11. §. 18. cap. 20. §. 52, seqq. *Bæler*, ad *Grot.* lib. I. cap. I. p. m, 102.

CAPUT III

DE POTESTATE SUMMI IMPERII IN VITAM

ac bona civium ex causa delicti.

- | | |
|---|---|
| 1. An jus vita & necis à singulis poruerit in civitatem conferri. | 11. Alter pœna finis cavere lesò. |
| 2. In libertate naturali pœna humana non est locus. | 12. Tertius pœna finis securitas omnium. |
| 3. Sed tantum in civitatibus. | 13. Quatenus privati pœnas possint exsequi. |
| 4. Quid sit pœna. | 14. Quanam peccata supervacuum sit punire in foro civili. |
| 5. Sumere pœnas ad quam speciem justitia referendum. | 15. An quandoque liceat ignoscere. |
| 6. Hominem ab homine pœnas sumere non est iniquum. | 16. Quatenus id liceat anse legem penalem: |
| 7. Cui competat potestas pœnas exigendi. | 17. Et post eandem. |
| 8. Pœna humana debet habere aliquem finem. | 18. Magnitudo delicti estimatur tum ex objecto: |
| 9. Primus pœna finis emendare peccantem. | 19. Tum ex affectu, quo quis impulsus fuit: |
| 10. An quilibet quemlibet castigare possit. | 20. Tum ex intentionis magnitudine: |

21. Tum

- 21. *Tam ex firmitate animi delin-* 29. *Delicta universitatum lapsu tem-*
quentia: *poris demum extinguun-*
tur.
- 22. *Tam denique ex habita.*
- 23. *Quid circa determinandam pœna* 30. *Non quodvis malum fatale pœna*
quantitatem spectetur. *humana est.*
- 24. *Quæ sit pœnarum mensura:* 31. *Aliud est damnum directe datum,*
aliud quod per consequentiam
venit.
- 25. *In pœnis respicitur quoque persona*
ejus qui patitur. 32. *Aliud est occasio, aliud causa*
mali.
- 26. *An lex Ebraea adequata ubique pœ-* 33. *Ob alienum delictum non est pu-*
narum mensura. *nienda.*
- 27. *De talione.*
- 28. *Quomodo universitas aliqua pu-*
niatur.

COMPETIT quoque summo imperio civili potestas in corpus ac vi-
tam, ut & bona civium ex causa delicti; quæ presse solet vo-
cari jus vitæ & necis. (A quo jure diversum plane jus est Dei in crea-
turas; Psalm. XC. vers. 4. & hominum in bruta.) Circa quam
iste primo loco scrupulus occurrit, quomodo ejusmodi potestas in
civitatem à singulis per pacta potuerit conferri. Nam cum pœna sit
aliquid, quod invito infligitur, quod autem quis sibi ipsi infert,
accidere invito nequeat; explicari difficulter potest, quomodo
quis facultatem puniendi seipsum habeat, eamque in alium trans-
ferre queat. Nam quas ascetæ, aut alii castigando corpori, aut ex
vi disciplinæ apud quosdam ecclesiasticæ proprio corpori dolores in-
ferunt, partim pœnæ proprie dictæ non sunt, sed velut medicamen-
ta reprimendis libidinum ebullitionibus; partim non sponte, sed
imperio sacerdotum, opinione divini muneris subnixorum, suscipi-
untur. Ubi naturæ pœnæ nihil decedit, quod verbi gratia flagel-
latio propriis manibus peragitur; cum utique motus iste ex confide-
ratione majoris mali, quod inobsequentem mansurum erat, expri-
matur. Sicut videmus maleficos ad supplicii locum ambulare, tra-
hendi, ni ultro sequerentur. Quinimo apud nonnullos populos fon-
tes jussu magistratus sibi ipsis manus inferunt. De Æthiopibus Dio-

FFFFF

dorus

LIBRI VIII

de iis casu, qui Unctus accide, etc.
 Agrobocis in machina primo loci
 sicut contingendi, si eodem hanc
 libro XX, capite 19. his
 quæ apud Galileam Lyranus in
 commentum, quos Fandencus in
 cap. II. §. 18. cap. 20. §. 12. 13. 14.

CAPUT III

DE BONIS CIVIUM EX CAUSA DELICTI

De bona civium ex causa delicti

11. Alter per se
 12. Tertium per se
 13. Quomodo pœna
 14. Quomodo pœna
 15. An pœna
 16. Quomodo pœna
 17. Et post eandem
 18. Magnitudo delicti
 19. Tam ex
 20. Tam ex

11. Alter per se
 12. Tertium per se
 13. Quomodo pœna
 14. Quomodo pœna
 15. An pœna
 16. Quomodo pœna
 17. Et post eandem
 18. Magnitudo delicti
 19. Tam ex
 20. Tam ex

Lorus Siculus libro tertio capite quinto, *unus ex licitoribus ad reum mittitur, signum mortis preferens; quo ille viso domum abiens sibi mortem consciscit.* Heic igitur sciendum, quemadmodum in naturalibus ex commixtione & temperatione plurium simplicium provenire potest compositum quid, cui tales adsint qualitates, quæ in nullo simplicium mixtionem ingredientium deprehenduntur: ita & corpora moralia, ex pluribus hominibus constantia, aliquod jus habere possunt, ex ipsa illa conjunctione resultans, quod formaliter penes neminem singulorum fuit; quale jus ex ejusmodi velut coalitione ortum per rectores istorum corporum exercetur, vid. libro quadragesimo sexto *D. de acquir. rerum domin.* Sic nemo dixerit, homines singulos habere facultatem sibi ipsis leges ferendi; & tamen, dum omnes voluntatem suam unius voluntati subjiciunt, oritur potestas omnibus leges præscribendi. Eodem modo in capite corporis moralis potest existere facultas poenis singulos coercendi, qualis facultas tamen antea id singulis non erat. Potest autem ista facillime provenire, dum singuli sese obligant, quod non solum non defendere velint, sed & si opus sit, vires suas accommodare contra eum, quem rector civitatis supplicio est affecturus. Ex quo ipso etiam ratio patet, quare non sequatur, quod aliqui volunt; quæ à superiori auferuntur per modum poenæ, volentibus auferri, quia in superioris actiones ratas habendas jam olim consensus est. Quia enim casus, quo superioris potestas in vitam subditi sese exercitura est, in ipsius subditi est potestate, quem in infinitum prohibere penes ipsum est; ideo iste casus tanquam nunquam eventurus à singulis consideratur. Conf. *Hobbes de Cive* capite secundo, Paragrapho decimo octavo. Qui *Leviathi.* capite vigesimo octavo, tradit, jus puniendi, quod habet civitas, non esse ortum à concessione civium, sed ejus juris fundamentum esse situm in eo jure, quod ante civitatis constitutionem unicuique faciendi quidlibet, quod ad conservationem sui videretur ipsi necessarium, competeret. Unde jus illud civitati non datum, sed relictum esse; quo ipsa tamen, ut pote quæ tantas vires habet, ad præservationem omnium civium suo

ac firmo proposito ab injuriis deinceps se abstinendi. Adeoque si qui injuriam acceperat, isthat contentus esse nolit, sed ex iniqua diffidentia, aut asperitate animi ampliozem cautionem per vim velit extorquere, cum per legem naturæ alter ad eam non teneatur, culpa violatæ pacis penes ipsum hærebit, eidemque ab altero recte resisti poterit. Quo casu fit, ut qui injuriam intulit, justum, qui accepit, injustum bellum gerat. Verum ubi per vim quis ad satisfaciendum est adigendus, cum id ipsum satis obstinationem ejus in malitia ostendat, nec satisfactio obtineri queat, nisi offensus lædenter viribus superaverit; penes victorem erit, quasi cautione securitati suæ quam rectissime judicet prospectum. Ubi non tantum ad ereptionem armorum, demolitionem aut occupationem locorum munitorum, ad perpetua vincula, & similia potest procedi, sed & ad ipsam mortem, siquidem satis constiterit, libertati restitutum nobis exitium intentaturum, nec eidem evitando commodius remedium occurrat. Cæterum uti ejusmodi cautionis exactio per modum belli, non per modum pœnæ proprie dictæ instituitur: (nam aliquæ quævis mala, quæ naturali quadam consecutione peccata comitantur, adeoque & illa, quæ in naturali libertate ob antegressas injurias infliguntur, pœnarum vocabulo in laxiore sensu notant:) ita ad eandem præstandam aliquem tenere recte dici non potest. Quia illa in eo, ex quo extorquetur, supponit & involvit vitium aliquod animi, & peccatum in legem naturæ, nempe denegationem ultionis satisfactionis, & violentam peccati sui defensionem. Cum porro mala, quæ per modum belli inferuntur, pœnæ proprie non sint, uti ex sequentibus clarius patebit; manifestum quoque est, in eos, qui in libertate naturali degunt, pœnam humanam proprie dictam, & quæ ab imperio humano provenit, non cadere. Sed quod tales quoque obnoxii sint illis malis, quæ ex naturali connexionè à peccatis proveniunt, in aprico est.

§. 3. Enimvero in civitatibus si quid damni sit alicui datum, non solum facilius recuperatur, quam in libertate naturali per

per bellum propriis viribus gestum contingit; sed & civibus, quantum rerum humanarum conditio admittit, super injuriis & damnis non accipiendis in antecessum cavetur: sancita nimirum in violatores legum pœna, in foro civitatis exigenda. Postquam voluntas humana, in utramque partem per naturam nunquam non flexilis, aliter efficacius dirigi atque coerceri nequit, quam præsentaneo malo intentato.

§. 4. In genere pœna describi potest per malum passionis, quod infligitur ad malum actionis; seu malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro imperio alicui intuitu antegressi delicti imponitur. *Malum passionis* dicimus. Quanquam enim sæpe loco pœnæ opera quædam injungi soleant; puta si quis damaetur ad metallum, ad remum, ergastulum, extruendum vallum, purgandas plateas, &c. ea tamen spectantur duntaxat, quatenus laboriosa & facienti molesta sunt, ideoque ad passiones sunt referenda. Quia potro pœnam infligi diximus *intuitu delicti antegressi*, sequitur; pœnas proprie dictas non esse incommoda illa, quæ quis patitur ob morbum contagiosum, aut corpus mutilum, aliamve impuritatem: qualia multa extant in lege Ebrææ, puta quod leprosi cæterorum conversatione arcerentur, quod à sacerdotio excluderentur membro aliquo multi, &c. Quæ non magis pœnæ sunt, quam si quis peregrinus aut plebeius certo genere functionis in civitate prohibeatur, aut si cui dolores sint perferendi, dum ipsius crus fractum iterum solidatur. Quanquam talia ob similitudinem aliquando *duplex* pœnæ vocabulo adpellentur; sicut vulgo de insigniter debilibus ac monstris dicitur, eos sibimetipsis in pœnam vivere. Ex hoc illud quoque sequitur, incarcerationem, quæ cum finem habet, ne reus aufugiat, proprio pœnam non esse; cum nemo juste puniri possit, antequam judicetur. Inde contra legem naturalem est, si reus, antequam audiatur & condemnetur, plus mali per custodiam patiatur, quam ad eandem est necessarium: adeoque id erit vel pen-

Efffff 3

san-

ro in civitatibus si quid dicitur
ius recuperatur, quam in aliis

sandum, vel de subsequenti pœna detrahendum. Vide libr. Paragraph. octav. non. D. *de pœnis* libro vigesimo quinto C. *de pœnis*. Porto dum pœnam pro imperio imponi diximus, eo ipso separamus eam ab illis malis, quæ invitis in bello, pugnave, & inter reluctantium, vel etiam per meram alterius injuriam infliguntur. Unde etiam verbi gratia amputatio auriculæ, ictus fustium non minuunt per se existimationem, sed causa. Equidem *Seldenus de I. N. & G.* libro quarto capite undecimo, *eadem bellicam in pœna ratione satis contineri* asserit. Verum id alio sensu non admittitur, quam quod bellum juste alicui ob antegressam injuriam illatum, & mala inde in autorem injuriæ redundantia pœnæ naturalis rationem habeant; quodque mala bellica à pio bellatore quantum fieri potest ad illum modum temperanda sint, quem pœna fori humani observare solet. Quanquam & aliud discrimen inter pœnas, & mala bellica insinuet *Tacitus A. L. in pace causas & merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere*. Sic & in foro humanæ pœnæ rationem non habent, quæ naturali quadam consecutione peccatum comitantur; ut, dum aliquis illicito actu valetudinis jacturam facit, aut dum alterum invadit cum plagis repellitur. Nam hæc mala non pro imperio à civili imperante imponuntur. Inde & si quis per peccata sua valetudinem aut fortunas suas graviter afflexerit, aut aliis sese hominibus, abs quibus alias multa bona expectare poterat, invisum sese reddiderit; non eo minus tamen pœnæ obnoxius est. Denique addidimus, pœnam per modum coactionis, seu *invitis* imponi. Citra hoc quippe pœna finem suum inter homines haut quidquam consequetur, qui est, acerbitate sua homines à peccatis deterrere. *Quintilianus declam. XI. Ne cui nocenti pœna præstetur arbitrium. Infinitam, judices, sceleribus operitibus audaciam, si pœnam licet eligere condemnato: nec jam ullam mortalium innocentiam trepidatione contineas, si patitur deprehensus quique, quod ipse maluit. Levat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem composuisse patientia. Fallitur quisquis humanatorum menta sola nominum atrocitate metitur: nulla pœna est, nisi invito. Non habe-*

habemus ullum, nisi ab impatientia dolorem: & ut aliquid crudele, fa-
 vum sit, metus facit. Supplicium quisquam vocat, ad quod profilitur?
 quod exposcitur? Illo trahite damnatos, quo non sequantur. Et si
 sepe optio pœnam non faciat videri voluntariam, quippe per quam
 duntaxat gradus aliquis aut modus pœnæ declinatur aut tenitur;
 ut tamen ipsa quæ eligitur pœna in se invito accidat. Seneca libro
 quarto controversia vigesima quarta. Non erat mihi pœna in carcere
 esse; mea voluntate illo perveneram. Arriani Epictetus libro primo,
 capite duodecimo, ὅπου τις ἀκούει ἐστίν, ἐπιπέσει Φυλακῆν αὐτῷ ἔστι. Vbi
 aliquis invitus est, is ei locus est custodia. Addatur Charron de la
 sagesse. libro primo capite trigesimo nono numero nono. Exinde
 quoque colligitur, proprie dici non posse, ad pœnam aliquem ten-
 neri, seu pœnam ab aliquo deberi; quia pœna significat aliquid,
 quod invito est imponendum, & voluntatis aversionem ab illa
 involvit. At vero ad quæ proprie tenemur, talia esse intelligun-
 tur, ut ad eadem præstanda ultro ac lubenter moveri debeamus.
 Unde adparet ratio, quare verbi gratia, quando in eodem vallo
 extruendo idem opus faciunt rusticus aliquis imperio domini citra
 mercedem, & maleficus ad id condemnatus, huic opus illud pœ-
 na sit, illi non item: quia ille ex obligatione, adeoque ultro id
 facere intelligitur, alteri vero idem tanquam aliquid ab ipsius vo-
 luntate abhorrens imponitur. Addatur libro vigesimo secundo,
 D. de his qui notantur infamia. Quod autem verbi gratia in Japo-
 nia damnati ad mortem ipsi sibi ventrem cultris diffecant, id non
 magis pro ultronea actione habendum, quam quod apud nos da-
 mnati ad locum supplicii ambulant; aut quod, uti fertur, in Hi-
 spania licet dicat ad reum, sequere me, nec ligatus sit. Sicuti
 & olim in Lithuania memorant moris fuisse, ut damnati sibi cru-
 cem erigerent, & suis se manibus suppenderent. Hæc enim om-
 nia pro actionibus ipsorum reorum haberi nequeunt, iisdemque
 majores molestiæ, quæ frustra reluctantes mansuræ erant, de-
 clinantur. Extraordinarium est, quod apud Livium libro vigesi-
 mo quarto capite decimo sexto, milites ignavos Gracchus jureju-
 rando

de libertate pœna detrahenda
 D. de pœna libro vigesimo
 pœnam imponi
 quæ in bello, pugnare
 per mercedem
 autem, id est
 non enim, sed
 Equidem
 Undecimo, eadem
 Verum id alio
 ob antegressam
 redundans
 a pio bellatore
 tanta sint, quem
 am & aliud
 A. L. in pace
 ut non
 non habent, quæ
 ut, dum aliquis
 dum alterum
 pro imperio a
 peccata sua
 te hominibus,
 univium te
 Denique ad
 imponi. Circa
 s hanc quidem
 peccatis deterere.
 Quæ
 inces elige
 in præpitatione
 Lectat omnes
 pœna
 pœna

rando adigit, non aliter, quam stantes cibum portionemque, quoad stipendia facient, capturas. Nam invitis utique injecta erat religio, ut satius ducerent, ultro ignominiam subire, quam perjurio sese adstringere. Sic nec ille pœnam proprie dictam patitur, qui dum pro altero sine jubet, multam post exolvere cogitur.

Nam quare hic damnum sentiat, alterius peccatum occasio duntaxat est, sed causa proxima est ipsius obligatio ultro suscepta. Ex dictis etiam hoc consequitur: quemadmodum quis ubi damnum à se datum sarcivit, haut quidquam seipsum deferre tenetur, quo pœna à legibus statuta in ipsum decernatur: ita ob eandem rationem negatione, occultatione, aut per fugam isti sese subducere citra ullius obligationis violationem licere. *Quintilianus declamat. trecentesima decima tertia. Ea natura est omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur. Idem declamat. trecentesima vigesima octava. Neque est quisquam tam perditus, tam immitis sibi, qui non scelera committat proposito negandi.*

Nam satis intricate loquitur *Bæclerus prefatione. ad Grotium* pagina nona, *pœna inter homines meritum juris est naturalis, tum quia illud jus est, tum quia naturale est. Si jus est, obligationem parit: obligatio autem nulla neque esset neque concipi posset sine pœna alicujus violationi juris imminenti ratione.* Certum est, legis naturalis transgressores pœnam manere, quia hæc legis cujusque certa comes; & naturæ haut quidquam repugnat, ut qui malum fecit malum patiat. Sed illa nimis imperita foret illatio, si quis diceret; jus parit obligationem; ergo qui legem violat, obligatur in foro humano ad pœnam ultro sibi arcessendam. Argute *Hobbesius de cive. cap. decimo. quarto §. Septimo. Secunda pars legis, que pœnaria appellatur, mandatoria est, & loquitur tantum ad ministros publicos.* Non extat in lege hoc præceptum; tu fur patrato furto ad patibulum ultro ambula; sed hoc extat; tu magistratus furem convictum suspendi curato. Ergo non peccat in eo fur, si non suspenditur, sed magistratus, qui proficuum seip. animadversionem intermisit. Quæ apud *Platonem in Cri-*

Prætoris sciscitaretur, quanta multa esset solvenda pro inflata alapa, pecuniam deposuit, & ipsi prætori alapam inflixit. Nam leges super injuriis non solent eo modo ferri, ut licentia injuriam alteri inferendi certa pecunia redimatur. Unde & adparet, in illis duntaxat legibus, ubi prohibitio est alternativa aut conditionalis, à culpa regulariter immunem esse, qui multam exsolverit, aut exsolvere paratus est, ad quam præstandam etiam obligatur: non autem in aliis legibus, in quibus absolute aliquid interdicitur. Addimus autem & hoc, non debere esse leges purè poenales, seu quæ nihil aliud intendant, quam ex multa lucrum facere. Equidem sunt, qui legem pure poenalem adpellent, quæ simplici ordinationi poenam tantum adponat, nec quidquam tamen expresse aut jubendo præcipiat, aut vetando. Ejusque exemplum tale afferunt: *qui civium electus prætorum re-
cusaverit, centum aureos in commune pendito.* Verum nos arbitramur, huic & similibus statutis isthoc præceptum subesse: *ne quis rite electus operam suam reip. subtrahat;* sic ut prius illud hujus sit velut annexa clausula poenalis. Conf. *Rob. Sanderfon. de obligat. conscient. prælect. 7. §. 13. seqq.*

§. 5. Porro cum & judex justus audiat, qui delinquenti competentem poenam infligit, & justitia administrari dicatur, ubi poenæ recte decernuntur: inde inter Philosophos disceptatum, ad quamnam justitiæ speciem poenarum impositio pertineret, ad commutativam, an distributivam, seu si *Grotii* termini placeant, ad explettricem, an attributricem. Qui poenarum exactiorem ad justitiam distributivam retulerunt, hoc argumento utuntur, quod sicuti in bonorum, ita & in poenæ distributione pl^{us} merenti plus, minus merenti minus detur. Et cum ex mente illorum justitia distributiva versetur circa illas res, quæ à toto dantur partibus, seu à civitate singulis civibus, poenæ utique à civitate ad singulos perveniant. Quibus reponitur: falsum esse, quod isti supponunt, justitiam distributivam toties locum habere, quotiens inter terminos plures duobus instituitur æqualitas, seu quotiens aliquid inter plures uno proportionaliter est partiendum. Nam in contractu societatis partes lucris inter plures uno socios pro rata distribuuntur, & tamen in hoc contractu alio modo partes lucris, quam aut præmia aut poenæ debentur. Sane enim ex pacto poenas non deberi manifestum est, neque quispiam dum civitati se subicit, poenas sibi utique pro delictis infligi stipulatur. Eoque poenarum impositio haut quidquam ad justitiam distributivam, quam nos

supra

supra descripsimus, quadrat. Deinde quod magis nocentes gravius, minus nocentes levius puniuntur, id duntaxat est per consequentiam, & ex accidenti, non quod istud primo & per se spectetur. Nam in imponenda delicto alicui poena non necessum est, ut illud delictum cum alio delicto comparetur, & quam rationem gravitatis illa inter se habent, eandem quoque poenae utriusque decretae habeant: sed cuius delicto velut seorsim poena decernitur, gravior aut levior, prout publica id utilitas requirit. Et si hoc plerunque eveniat, ut gravi delicto gravior poena, levi levior constituatur. Eorum, qui ad justitiam commutativam poenas retulerunt, aliqui hoc negotium ita considerarunt, quasi delinquenti aliquid per poenam tribuatur, sicut in contractibus fieri solet. In quem errorem eos induxit vulgaris locutio, qua dicimus, *poenam debere illi, qui deliquit*. Quae tamen locutio plane est *abusiva*. Nam cui proprie debetur aliquid, is in debitorem jus habet, ut debitum illud ab ipso possit exigere. Quis autem dixerit, delinquentem jus habere, ut à magistratu poenam sibi infligendam postulare queat? Igitur sensus istius locutionis est hic; magistratus à fonte poenam legibus definitam recte potest exigere. *Grotius l. 2. c. 20. §. 2.* in poenis exercendis tradit justitiam expletricem spectari primo ac per se; idque quia, *qui punit, ut recte puniat, jus habere debet ad puniendum, quod jus ex delicto alterius nascitur*. Enimvero deceptit istum ambiguitas vocabuli *juris*. Diversissima enim sunt: jus habeo ad aliquid agendum, & jus habeo ad aliquid ab altero accipiendum. Prioris sensus est, potestas mihi competit certum actum exercendi, & in eo me impedire nemo debet. Posterioris sensus hic est: jus est mihi ab altero quid habendi, ita ut eidem alteri quoque insit obligatio id mihi tribuendi. Atqui quando de justitia expletrice agitur, *juris* vocabulum non in priori, sed in posteriori significatu accipitur. Idque jus hæret in eo, qui aliquid accipit, non in eo, qui aliquid tribuit, v.g. quando operario mercedem solvo, dicor justitiam expletricem exercere, non ideo quia ego facultatem habeo isti quid dandi; sed quia ille jus habet mercedem me posscendi. Sic recte utique dico, jus habeo servo meo imperandi, ut calceos mihi detrahat. Sed quis inde velit concludere, ergo quando istud ministerium servo impero, justitiam exerceo? Par autem est huic illa collectio; quia poena non recte potest infligi nisi ab eo, qui jus habet illam infligendi = ergo per poenam exercetur justitia expletrix. Alterum *Grotii* argumen-

gumentum est, quod in delictis & pœnis sit aliquid, quod ad contractuum naturam accedat. Nam sicuti qui vendit, etiamsi nihil peculiariater dicat, obligasse se censetur ad ea omnia, quæ venditioni sunt naturalia: ita qui delinquit, sua voluntate se videtur pœna obligasse; quippe cum cuilibet ratio suggerat, crimen grave non posse non esse punibile, sicut qui directe & deliberato consilio peccare voluit, per consequentiam etiam pœnam voluerit mereri. Inde & sacris literis familiare est, peccatum vocare nomine debiti, ad quod luendum & que teneamur, atque illi, qui creditoribus suis ob mutuum sunt obstricti. Add. l. 34. D. de jure fisci. l. ult. C. ad L. Juliam majestatis. Apud Tacitum A. XII. foemina, quæ ignaro domino alieno sese servo conjunxisset, in sui servitutem consensisse fertur. Ad quod argumentum respondemus, id equidem manifestum esse, si quis sciat delicto alicui pœnam constitutam, & tamen sponte id admittat, cum de injuria sibi illata non posse queri, aut quod inhumaniter secum agatur, quando ad pœnam trahitur. Et hunc sensum pleraque citatorum dictorum non sine figura exprimunt. Verum ideo haut quidquam recte dicitur, aliquem in pœnam suam directe & immediate consensisse, aut potius ex proprio consensu ad eandem sustinendam sese obligasse. Cum nemo delictum admittat, quin simul speret, sese latendo, aut alia ratione pœnam declinaturum. *Thucydides* l. 3. *Constitutum est in rebus publ. capitis supplicium multis delictis: tamen homines se incitati pericula capessunt, nec quisquam desperans insidias successuras, in ancipitem se casum dare solet. Quæ vero unquam civitas defectionem molita est, quæ se majorem adparatum habere non sit opinata?* Frustra quoque est *Vasquius* contrav. illustr. l. 1. c. 28. n. 12. 13. qui exinde delinquentes suo consensu ad pœnam ferendam obligari contendit, quod utique leges etiam poenales sunt quædam conventio civium; aut quod saltem potestas legislatoria ex conventionione civium proveniat. Nam leges pacta aut conventioniones non esse, alibi demonstratū: & non absurdum est, neco consensu potestatem aliquam constitui, quæ postea actus quosdam in me invitum queat exercere. Etsi quod in eam potestatem ipse consenserim, faciat, ut queri non possim, si ista deinceps in me vires suas exferat. Peccatum autem cum debito comparatur, non quasi ad eam sustinendam ex consensu suo quis teneatur; sed quia legislator non minus potestatis nactus fuit ad pœnam à delinquente, quam creditor ad mutuo datam pecuniam à debitore exigendam, & quia peccatoris corpus atque

bona

bona non minus magistratui pro delictis, quam debitoris bona creditori pro debitis sunt obnoxia. Circa divisionem obligationum in eas, quæ *ex consensu*, & quæ *ex delicto* oriuntur, in elementis juris Romani traditam, observandum, ex delicto oriri obligationem proprie dictam ad damnum sarcendum, non autem ad poenam sustinendam. Eaque ipsa obligatio proprie fundatur non in eo, quod quis in poenam consensit; sed quia ejus restitutionis necessitas post introductum rerum dominium ex jure naturali provenit. Sic quod *Aristoteles contractus* alios facit *spontaneos*, alios *invitos*, illud ita est explicandum. Quemadmodum in contractibus onerosis æquale æquali est pensandum, ita & in delicto damnum æquipollente refarciendum. Cur autem obligationi ad sarcendum damnum vocabulum contractus inviti fuerit inditum, inde est, quia v. g. in mutuo creditoris voluntate fit, quod ipsius pecuniam debitor acceperit; sed quod v. g. fur rem mihi subductam aut ejus æstimationem tenetur restituere, id non meo consensu factum, sed ille me invito hanc sibi obligationem conciliavit. Nam sane ego maluissem, ut meam mihi rem iste intactam reliquisset, quam ut mihi onus injungeretur, actionem furti eidem intentandi, præsertim ubi illa non nisi in simplum datur. Cæterum ad rem & hoc facit considerasse, regulariter omni juri obligationem in altero respondere. Quando igitur delictum fuit patratum, in læso est jus ad postulandam damni reparationem, in lædente obligatio ad pensandum damnum. Id quod ad justitiam explettricem spectat. Sed quatenus delictum est aberratio à lege, in rectoribus civitatum est potestas poenam convenientem exigendi; sed in delinquente nulla est obligatio ad poenam ultro explendam. Quo intuitu poenarum exactio ad justitiam explettricem non quadrat. Quæ cum ita sint, nihil aliud restat, quam ut dicamus ad neutram justitiæ speciem poenas pertinere; sed eadem peculiari specie justitiæ temperari. Ni dicere malis, tam impositionem poenarum, quam distributionem præmiorum, super quibus peculiari pacto in antecessum non fuit conventum, partes esse prudentiæ, quæ cum officio regendi alios est conjuncta: eoque ad justitiam universalem referendam.

§. 6. Illud igitur ab omnibus sanis admittitur, ut ut natura omnes homines sint æquales, & in ipsa poena sit aliquid asperum atque durum, dum ultro homo hominem afflictum aut perditum it; & licet quoque

sapientissim⁹ Creator naturam rerum & hominum ita disposuerit, ut malitiam mala ultro comitentur, & autorem solum velut ulciscantur: poenam tamen etiam positivam humanam in se nihil habere æquitati naturali repugnans, quin potius ob salutarem usum eandem generi humano maxime esse necessariam. Nam uti salus humani generis requirebat, constituto imperio æqualitatem hominum tolli; ita in tanta hominum malitia, rectique averfatione vis imperii peribat, ni repræsentatione alicujus mali mortales pravi in ordinem redigi possent. Cum porro & facienda, & omittenda, nec non ipsa pœna, quæ secus facientes manet, publice prius promulgentur; neminem habet, quem accuset, præter seipsum, qui ultro contra leges peccando pœnarum asperitatem in sese irritat.

§. 7. Cui porro homini, & abs quo pœnas sumendi potestas competat, super eo Grotius d. l. §. 3. ita censet: *per ipsam naturam non determinatum, cui homini jus pœnas sumendi competere debeat; nisi quod satis indicet natura, convenientissimum esse, ut id fiat ab eo, qui superior est; non tamen ut omnino hoc demonstret esse necessarium. Nisi vox superioris eo sumatur sensu, ut is, qui male egit, hoc ipso se quorvis alio inferiorem censeatur fecisse. Cui consequens sit, ut saltem ab æquè nocente nocens puniri non debeat.* Vid. Joan. IIX. 7. Roman. II. 22. Enimvero nobis fixum sedet, potestatem pœnas sumendi esse partem imperii; adeoque neminem posse pœnam propriam dictam alteri imponere, nisi qui in ipsum imperium habet. Licet enim, posita hominum malitia & ad alios lædendos proclivitate, ad conservandam inter homines socialitatem necessum sit pœnas exerceri; quilibet autem actiones suas ad socialitatem, tanquam bonum universi generis humani, referre debeat: tamen non sequitur, singulos debere quoslibet actus ad socialitatem facientes exercere, qui scilicet utiliter exerceri nequeunt, nisi positis certis requisitis. Sicuti & imperio inter homines opus est, nec tamen quilibet in quoslibet illud exercere potest aut debet. Deinde non omne malum, quod ob antegressum peccatum inferitur, pœna est; sed quod antea denunciatum, & post cognitionem delicti fuit impositum. Adeoque à pœnarum censu excluduntur mala per modum belli illata, licet & ipsa cautionem de non accipiendis in posterum injuriis efficiant. Nam in bello cautionem sibi quisque propriis viribus, & ex iudicio superioris procuratur: per pœnas læsis cautio per vires, & ex iudicio superioris procuratur. Ut bello aliquis coërceatur, directe inter-

terest duntaxat ejus, qui fuit læsus: sed ut pœnis quis castigetur, non hujus tantum interest, sed & totius civitatis. Sic an bello quis injurias exsequi velit, in arbitrio læsi est: sed an pœna sit exigenda, in superioris est potestate, qui etiam isto deprecante eandem potest exigere. Denique pœnæ quantitas ante delictum regulariter definita est; cautio bellica pro conditione status nostri & hostium sumitur. Porro licet natura non determinet, Cajus an Sejus pœnarum exactor esse debeat, non magis quam eadem Cajum aut Sejum reges designavit: ipsa tamen ratio satis liquido ostendit, pœnam, utpote sententiæ judicialis executionem, à superiore proficisci debere, seu tali, qui in fontem imperium habet. Neque opus est arguta illa interpretatione vocabuli *superioris*. Nam falsum est, quælibet peccata ita deformare hominis dignationem, ut ob ea patrata statim velut inter bestias sit referendus. Neque sequitur, hic homo delictum admisit, ergo mihi competit potestas pœnam de ipso sumendi. Si enim delictum sit commissum contra me, in libertate naturali degente, reparationem damni & cautionem per modum belli exigere licet. Ubi in alium, cujus defensio mihi peculiariter commissâ non est, peccatum fuit, illius ultionem non magis extra causam fœderis mihi arrogare possum, quam jus dicere illis, qui mihi non sunt subiecti. Vid. *Exodi* II. 14. Dicitur Democriti, *naturâ imperare congruit præstantiori*, ita est explicandum: si consensu plurium in aliquem sit conferendum imperium, ubi nemini præ altero ad illud habendum peculiare jus competit, rationi est convenientissimum, ut idem deferatur præstantissimo, & qui præ cæteris pollet artibus ad bene imperandum idoneis. Nequaquam autem hic imperium in alios prætendat, nisi ultro ipsi sese subjecerint. Effatum autem *Grotii*, *non debere a que nocentem ab nocente puniri*, proprie non pertinet ad eos, queis potestas publica competit pœnas exigendi; sed qui nulla ex necessitate officii, & ostentando adversus vitia odio ad censuram, aut accusationem viti-orum privata autoritate prorumpunt. Etsi sane indecorum, & ad reverentiam magistratum legumque minuendam valde sit efficax, si exactor justitiæ iisdem maculatus deprehendatur vitiis, quæ in aliis vindicatum it. Cum non irasci vitiis, sed eorundem dulcedinem aliis videatur invidere, qui in aliis punit, quæ ipse committit. Vid. *Plinius* l. 8. *epist.* 22. *Platoni* *Minoë* φαῦλα ἄνδρα, *improbis homo*

voca-

vocatur, qui ἰβήμιζε μὲν ἕτερα, ἱππολεὶ δὲ ἄλλα παρ' αὐτὸν ἔποιε, *alia ipse fecisset, alia facienda mandasset.* Add. *Gratian. caus. 3. quæst. 7. c. 3. 4. seqq.* Neque tamen Neroni matricidæ non licebat capitalia supplicia in fontes pari ex crimine exigere. *Non tamen Domitiano mulieres adulterii damnare, quas ipse stupraverat: apud Zonaram Tom. II. Quo spectat illud dictum, Medææ apud Senecam: Cui prodest scelus, fecit. Tibi innocens sit, quisquis pro te est nocens.* Multo magis autem ultronei delatores & censores cavere debent; ne sibi occinatur illud *Juvenalis sat. 2. Loripedem retus derideat, Æthiopem albus, Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Quis cælum terra non misceat, & mare cælo, si fur displiceat Verri, homicida Miloni, Clodius accuset mæchos, Catilina Cethegum. In tabulam Sulla si dicant discipuli tres.* Aut illud *eiusdem sat. 3. Felicia tempora, quæ te Moribus opponunt: habet jam Roma pudorem, Tertius è cælo cecidit Cato.* Seneca 1. 2. *controv. 14. Turpe est sic castigare vitia, ut imiteris. Cicero Tusc. Quæst. 1. 3. Est proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. Plautus Trucul. Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet.* Nam sic agitur *censura, & sic exempla parantur, Cum iudex alios, quod monet, ipse facit. Ovidius Fastor. 1. 6. Cæterum in eo nobiscum sentit Hobbes Leviath. c. 28. quod pœnam à superiori, ut tali, proficisci statuit. Et si alias definitio pœnæ, quam tradit, iusto sit angustiior, quod & comprehendat duntaxat pœnas ab imperio civili inflictas, & unius tantum finis mentionem faciat. Pœna, inquit, est malum transgressori legis autoritate publica inflictum, eo fine, ut terrore ejus voluntates civium ad obedientiam conformentur.* Ex eo tamen recte infert, pœnas proprie dictas non esse, injurias aut ultiones privatorum, mala autoritate publica inflicta, sed citra antegressam condemnationem, mala inflicta ab usurpatore imperii, mala inflicta sine consilio cives reformandi; sed hæc omnia facta esse hostilia. Ubi tamen notandum, non statim ex ejusmodi pœna spuria statim hostilem resultare, aut jus præberi licentiam hostilem exercendi, seu eum, qui tali malo afficitur, statim accipere licentiam hostilia alteri reponendi, qui malum infert. A pœnis itidem excludit mala, quæ malas actiones naturaliter consequuntur, puta, cum quis vim alteri inferens occiditur aut vulneratur; aut quando ab actione illicita morbum contrahit; et si pœnæ divinæ rationem id habere possit. Item si malum inflictum minus sit, quam bonum, quod crimen commissum naturaliter sequitur, esse

esse potius pretium seu redemptionem criminis, quam pœnam. Sub factis quoque hostilibus numerat, si pœna major infligatur, quam quæ lege est determinata; si pœna sumatur ob factum nulla lege vetitum; si plectatur rex; si malum inferatur hosti manifesto. Sed quod addit, si qui civis fuerat hostem se declaraverit, non ut civem sed ut hostem pati; adeoque reos læsæ majestatis puniri posse pœna arbitraria tanquam hostes; id ideo admitti non posse videtur, quod utique pœna rebellis inflicta ex vi imperii procedat, & tanquam à superiore, utut rebellis ille hostilem in huncce animum sumserit, & aliquando acie fuerit vincendus, ut reus peragi possit. Sicuti qui fugitivum suum persequitur, id utique jure dominii, non jure belli facit. Accedit quod mala hosti illata infamiam non habent; quæ tamen ejusmodi pœnas rebellibus inflictas cum primis committatur.

§. 8. Videndum deinde est de fine pœnarum, quem homines sibi circa easdem exigendas propositum habere debent, postquam damnum jam est reparatum, aut per naturam reparari nequit. Ubi primo hoc ponendum, etiamsi in se non iniquum videatur, ut qui malum fecit, malum patiatur; *Pindarus Nem. od. 4. πέποιτά γ' ἔπαθεν ἴσους: eum qui afficit alium malo aliquo, etiam aliquod malum ab alio pati, consentaneum rationi est.* *Euripides Hecuba: ἄλλ' ἰσπεὶ γὰρ μὴ καλὰ σπείσων ἐτόλμας, ἰλῆθι δ' ἐγὼ μὴ φίλα. Sed postquam qua honesta non sunt facere ausus es, sustine etiam qua non grata sunt: tamen non recte hominem pœnas exigere, nisi aliqua inde resultet utilitas.* Et ideo *Hobbes de cive c. 3. §. 11.* inter leges naturales hanc quoque posuit; *in ultione seu pœnis spectandum esse non malum præteritum, sed bonum futurum; h. e. infligere pœnam nullo alio fine licitum esse, nisi ut ipse, qui peccavit, corrigatur, vel alii ejus supplicio moniti fiant meliores.* *Plato Protag. Qui ratione punire aggreditur, non præteriti sceleris causâ punit; neque enim assequi potest, ut quod est factum, sit infectum; sed futurum respicit, ne iterum aut ipse, aut alius quilibet exemplo ejus adductus delinquat.* Idem dictum allegatur à *Seneca de Ira, l. 1. c. 16.* Add. *Grotius ad Levit. c. XIX. 18.* Equidem in pœnis omnino quoque est respiciendum ad malum præteritum, seu antegressum delictum, cum citra hoc pœna plane non existat; est tamen præterea etiam prospiciendum ad finem, ne frustra male sit homini, nocenti licet, nobis tamen cognato, ob factum, quod emendari amplius non potest. Confirmat autem legem suam *Hobbes* duplici ratione, tum quia

H h h h h h

unus-

unusquisque lege naturali tenetur alteri ignoscere, modo cautum sit pri-
 us de futuro tempore; tum quia ultio, quatenus solum præteritum con-
 sideratur, nihil est aliud quam triumphus, & gloria animi, quæ ad nullum
 finem dirigitur; adcoque vana est, & præter rationem. Digna est Attilâ
 sententia apud *Jornandem de rebus Geticis* c. 39. *Quid forti suavius, quam
 vindictam manu querere? Magnum munus à natura, animum ultione satiare.*
Add. Baco sermon. fidel. c. 4. Quin contra judex, ubi necessario ad pœ-
 nam procedendum est, hautquaquam ex supplicio noxiorum volupta-
 rem debet captare. *Valer. Max. l. 2. c. 9. f. 3.* *Claudianus de consulatu
 Mallii: Qui fruitur pœna, ferus est, legum qui videtur Vindictam præstare si-
 bi. Diis proximus ille est, quem ratio non ira movet: qui facta rependens Con-
 silio punire potest.* *Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio. Non unquam pla-
 cet in Imperatore vindicta sui doloris.* Recte quoque *Augustus* apud *Soc-
 tonium* c. 32. *Diuturnorum reorum, & ex quorum fordis nihil aliud quam
 voluptas inimicis quereretur, nomina abolevit.* *Seneca de Ira. l. 6. Rector
 civitatis damnatum cum dedecore & traductione vita exigit: non, quia dele-
 etur ullius pœna, sed ut documentum omnium sint; & qui viri noluerunt
 prodesse, morte certe eorum resp. utatur.* Haut quidquam tamen cum *Hob-
 besio Leviath.* c. 28. factum hostile vocabimus, ubi genuinum pœnarum
 finem præ oculis non habuerit imperans; modo alias pœna secundum le-
 ges civitatis infligatur. *Add. l. 7. in fine D. de servis exportandis. Grot. d. l. §. 5.*
 §. 9. Caterum genuinus pœnarum finis est præcautio læsionum;
 quæ provenit, si vel in melius emendetur, qui peccavit, aut alii ejus ex-
 emplo, ne deinceps velint peccare, vel si ita coërceatur qui peccavit, ut
 non possit deinceps peccare. Quod *Grotius* d. l. sic exprimit: *in pœnis
 respici vel utilitatem ejus, qui peccavit, velejus, cujus intererat non esse pecca-
 tum, vel indistincte quorumlibet.* *Conf. Seneca de Clement. lib. 1. c. 22.*
 Primum genus pœnæ huc spectat, ut istius animus emendetur,
 & à libidine peccandi purgetur eo medendi modo, qui est per con-
 traria. Nam quia omnis actio præsertim deliberata & frequens gignit
 quandam sui proclivitatem, quæ adulta habitus dicitur; ideo vitiiis quam
 primum adimenda est illecebra. Quo pertinet illud *Socratis* apud *Pla-
 tonem Gorgia: Injustus miserior est, si injuriarum pœnas nunquam luat: mi-
 nus vero miser, si luat, suppliciumque justum diis, hominibusque reportet.*
Nam qui luit pœnas à pravitate animæ liberatur. *Seneca de Ira l. 1. c. 5.*
Cassi-

Castigatio sineera, & cum ratione aliquando necessaria est. Non enim nocet, sed medetur specie nocendi. Quemadmodum quadam hastilia detorta ut corrigamus adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus: sic ingenia vitio prava, dolore corporis animique corrigimus. Id tamen non necessarium est, quod d. l. paulo post sequitur: sive per nos, sive per alium quempiam nobis charum inferatur injuria, sponte nostra iudicium nos puniendos, tanquam medico, festinanter offerre; ne inveteratus injuriæ morbus sic inficiat animum, ut insanabilem reddat. Nam cui ita dispositus est animus, ut ad vitium corrigendum ultro velit poenam arcessere, iudice medico opus non habet, sed libi ipse ad curationem est sufficiens. Apulejus de dogmate Platonis: Gravius & acerbius est omni supplicio, si noxio impunitas differatur, nec hominum interim animadversione plectatur. Plato de LL. l. IX. Nullum supplicium lege factum ad malum tendit. Sed duorum alterum fere semper solet efficere. Nam aut melior, aut certe minus pravus, qui pœnas dedit, fieri solet. Aristoteles Nicom. 2. c. 2. αἱ καὶ αὖτε ἰατρικαὶ τινὲς εἰσὶν. αἱ δὲ ἰατρικαὶ διὰ τῶν ἐναντίων πικρίας γίνονται. castigationes medicina sunt. Medicina autem per contraria fieri sueverunt. Alcinoüs de doctrina Platonis c. 32. Conducit improbo dare pœnas, quemadmodum agro corpus curandum dare medico. Omnis enim castigatio peccantis anima medicina est quadam. Tacit. A. III. Corruptus simul & corruptor, aeger & flagrans animus haut levioribus remediis restringendus est, quam libidinibus ardescit. Plato Critia. Δὴν δὲ ὀρεθῆν, ἢ πλεμυλῶντα ἐμμελῶ ποιεῖν. justa pœna ejus, qui per negligentiam peccavit, est, ut cautus efficiatur.

§. 10. Circa exactorem hujusmodi castigationis ita statuit Grotius d. l. §. 7. *punitionem, qua emendationi peccantis inservit, natura cuius exercere liberum esse, modo quis iudicio polleat, & ejusdem generis, aut aliis vitiis non teneatur. (Isocrates de permutatione. Eos ego improbissimos omnium, & maxima pœna dignos esse puto, qui de iis rebus alios accusare audent, quibus ipsi constricti tenentur. Lactantius div. instit. l. 4. c. 23. Antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Apud Tacit. H. II. cum Faustum Crispus, qui easdem accusationes cum præmio exercuerat, damnasset, additur: non pœnam criminis sed ultorem displicuisse. Arnobius adversus gentes l. 1. Res agitis injustas, ut id in nobis constituatis damnabile, quod & ipsi vos factitatis: aut qua vobis licere permittitis, consimiliter aliis licitum esse nolitis.) Ast vero in verberibus, & aliis remediis, qua coactionis quid habent,*

Hh h h h h 2

natu-

naturam non fecisse discrimen inter perfonas, quibus id liceat, vel non liceat in alium statuere. Nisi quod ratio parentibus in liberos ejus juris ufurpationem pro affectus neceffitudine peculiariter commendarit. De cetero leges civiles recte ad proximos duntaxat affectus reftinxiffe communem illam hominum propinquitatem, rixarum vitandarum caufa. Enimvero hæc nobis non fatisfaciunt. Nam jam monitum, poenam proprie dictam non poffe fumi nifi ab imperante, quicumque demum iftius finis fit. Unde & caftigatio, quæ verbis fit, magis confilium, & admonitio videtur, quam poena: & ubi ea vehementioribus verbis peragitur, non tam communi aliquo jure concessa, quam peculiariter ex amicitia lege sancita. Indicio eft, quod ignotum caftigare tonanti ftatim occinitur illud Terentii Heauton. act. 1. fc. 1. *Tantumne ab re tua eft otium tibi, Aliena ut cures; ea que nihil qua ad te attinent?* Unde & d. l. Chremes ad caftigandum alterum accedens, ad jus vicinitatis provoeat, quam ipfe in propinqua parte amicitia putat. Curtius l. 3. de Hephæftione: *libertatis in admonendo eo non alius jus habebat; quod tamen ita ufurpabat, ut magis à rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.* Cicero Off. I. confilia, sermones, cohortationes, confolationes, interdum etiam objurgationes in amicitia vigent maxime. Homerus Iliad. λ. ἀγαθὸν δὲ παρὰ φρασίς ἐστί τ' ἄρα καὶ. *bona eft admonitio focii.* Præterquam quod & heic cum primis adhibenda prudentia, ne intempeftive præbita medicina nobis moleftiam pariat, alterum in morbo obfirmet. Quo facit illud Taciti H. 3. de Mufonio Ruto. Parentes autem duplici nomine caftigandi fuos liberos jus habent, tum quia educatione per naturam imperata recte fungi nequeunt, nifi ipsis concessum fit pro capru aliquid afuperioris difciplinæ adhibere: tum quia extra civitates degentibus in liberos imperium competit; quod licet in multis civitatibus factis fit accifum, ubique tamen id fere remanfit, ut fuo ex judicio poffent eos caftigare propter illa peccata, quæ magis ex prudentia juvenili, quam robusta animi malitia committuntur, & magis domesticam, quam publicam pacem turbant. Add. l. 7. §. 3. D. de injuriis. Libanius declam. XX. *Parem fere potestatem obtinent, queis loco parentum gubernanda juventus, puta, tutores, præceptores, magiftri, qui citra modicam coërcitionem officio fuo vix fatisfacere poffunt.* Seneca de Ira l. 2. c. 27. *Parentum & præceptorum caftigatio fic accipienda eft, quomodo; scalpellum, & abftinentia, & alia, qua profutura torquent.* Quid

Quid reliquis in alios heic potestatis competat, videatur l. un. C. de emendatione propinquorum. Plato de LL. l. VII. in sua civitate decernit: cum puer sit πάντων θνητῶν δούλων ἄριστος ἵτατος, omni bestia intractabilior, ut liberum quidem puerum doctrinarum potissimum causa præceptores; ut autem servum, castiget quicumque ex liberis forte deprehenderit, puerum ipsum & paedagogum, & præceptorem, si qua in re eos delinquere conspexerit. Xenophon de rep. Lacedæmoniorum: Lycurgus statuit, pueris quemque suis, alienisque justè imperare. Quod si quis aliquando puer casus ab alio patri deferat, turpissimum factu ducitur, nisi & ipse filium aliis verberibus affecerit. Quod autem idem Xenophon ait l. V. ἄξιον δὲ οὐκ ἔστιν: Si quem ut prodessem verberavi, pœnam me debere profiteor, qualem parentes filiis, & magistri discipulis. Nam & medici agrotum suo ipsius bono urunt ac secant: ad diluendam quidem petulantia calumniam sibi intentatam facit. Sed non statim quod duci, id etiam cuivis in quem vis licet. Cæterum hoc genus pœnæ ad mortem usque procedere posse negat Grotius; cum absurdum sit, emendationis causa aliquem in eum conjicere statum, ubi emendationis nullum specimen exhibere possit. Etsi in emendabili malitia laboranti melius aliqui judicent, ut plane non sit, præsertim cum talis quam maxime aliis soleat molestus esse. Seneca de ira l. 1. c. 16. Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens: & jam non causas, qua nunquam malo defutura sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare. Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori queris. Bene de te merebimur: auferemus tibi istam, qua vexaris, insaniam; & per tua alienaque volutato supplicia, id, quod unum bonum tibi superest, representabimus, mortem. Idem de benefic. l. VII. c. 10. Ingeniis talibus vita exitus remedium est, optimumque est obire ei, qui ad se nunquam rediturus est. Plato Gorgia: οὐκ ἀμεινόν ἐστι τὴν τῶν μοχθῶν ἀνθρώπων κακῶς γὰρ ἀνὰ τὴν ἐστὶ τὴν. Flagitioso homini non expedit, ut vivat. Necessè est enim, ut male vivat. Sic Sulpitius Asper causam susceptæ in Neronem conjurationis hanc allegabat, non aliter tot flagitiis ejus subvenire potuisse. Tacit. Ann. xv. aut uti Svetenius Nerone c. 36. loquitur: nonnulli etiam imputaverunt, tanquam aliter illi non possent nisi morte succurrere, de decorato flagitiis omnibus. Jamblichus in protreptico c. 2. καὶ ἀσπερ τῶν ἐμύων βέλτων τὸ καλεῖται τὸ σφαιρίον, καὶ τῶν μοχθῶν τὸ τὴν ἀνάγκη τὴν. Sicut suppurato conducibilis est uri, quam ita manere: sic flagitioso mori quam vivere satius est. Rosarium Persicum

c. 1. *Cujuscunque somnus vigiliis præstat; Illi pariter mori melius est, quam male vivere.* Caritas tamen utique suadet, ut non facile aliquis pro desperato habeatur. Redundat autem hoc genus poenæ etiam in utilitatem aliorum. Nam cujus animus per dolorem poenæ emendatur, de eo alii satis cautum est: & ubi incorrigibilis quispiam è medio tollitur, satis constat cæteris, ab isto nihil sibi negotii deinceps facessendum. Quamquam ut non nisi incorrigiles morte afficiantur, quod *Plato de LL. l. IX.* vult, id circa modica crimina, & quæ intra atrocitatem subsistunt, fortasse recte obtinebit. Sed ad atrociora delicta hautquaquam adplicari poterit. Cum enim ille demum incorrigibilis pronuncietur, qui aliquoties in eodem delicto deprehensus fuit; sane parum expediet reip. expectare, quoad aliquis atrocissimum scelus semel atque iterum patrauerit.

§. II. Alter poenarum finis est utilitas ejus, cujus intererat non esse peccatum, seu qui alterius peccato læsus fuit; ut ne tale quid in posterum ab eodem, aut aliis patiat. Id quod obtineri potest tribus modis; si tollatur, qui deliquit; si vires nocendi ipsi, salva vita, adimantur, puta si in custodiam detur, si arma & instrumenta nocendi auferantur, si in remotum locum seponatur; & denique si malo suo dedoceatur delinquere, quod cum emendatione, de qua jam egimus, est conjunctum. Ne autem, qui læsus est, ab aliis deinceps lædatur, punitio non quavis, sed aperta & conspicua, quæque ad exemplum pertinet, obtinetur. Unde est, quod fere supplicia sumi solent non intra angulos carcerum, sed locis celebribus, & cum terribili adparatu, qui horrorem animis vulgi incurere valeat. Est autem iste finis adeo proprius poenis, ut etiam, ubi per fervorem iræ, & præcipitante vindictæ cupidine lædentem nos gravissime depexum dederimus, demum subjicere soleamus; i nunc, & alia vice nos læcessit. Istam autem poenam sumere penes summum imperium est. Et si in nonnullis civitatibus legislatores propter ferociam atque pervicaciam populi pravo isti affectui, quo læsi propria ultione iræ nostræ litare ardemus, aliquid indulserunt. Quale quid in ipsa lege divina occurrit circa vindicem sanguinis, *Numer. XXXV. & Deuteron. XIX.* Vid. *Seldenus de J. N. & G. l. IV. c. 2. & Grotius ad Exodi c. XXI. 12.* Nè dicere velimus, id fuisse ex reliquiis status naturalis. Add. quoque *Roche fort descript. Antiq. parte 2. c. 19.* Consimilis moris vestigium aliqui colligere volunt ex *Homeri Odyss. u. de Theoclymeno.* Sane vix aliter explicari potest illa lex, apud

apud Euripidem Oreste v. 515. homicidam φυγάσι ὡσίον, ἀνταποκτείναν ὃ μὴ
 exilio expiabant, non autem vicissim occidebant. Nempe quod vetus iste
 mos privatæ vindictæ abrogatus esset, ne velut progressus in infinitum
 foret. Quæ ratio non quadrat in poenam, quam magistratus sumit.
 Quanquam & multa pecuniaria proximo cæsi soluta exilium redimi sve-
 vissent ex Homeri Iliad. ἰῶτα, v. 702. seqq. Vid. quoque Apollonius Rhodius Ar-
 gonaut. l. I. v. 90. Sic & hodie in Mauritania non solum cognati occisi
 cum homicidia possunt transigere; sed & iidem reum, si nondum à ma-
 gistratu apprehensus sit, absque forma processus occidere possunt; quod
 regula apud ipsos sit; vindictam non esse peccatum. Potest quoque ali-
 quo modo huc trahi illud Taciti de mor. German. Suscipere inimicitias pa-
 tris seu propinqui necesse est. Nec implacabiles durant. Luitur enim homi-
 cidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem uni-
 versa domus. Nec mirus illud ap. Dionys. Halic. l. I. τῆς τιμωρίας τὸ Νομιστῶρα ποιῆ-
 κσειον, εἰπὼν, ὡς τῷ δρᾶντι δεῖν τὸ ἀντιπαθεῖν ἢ πρὸς ἄλλῃ ἰσὺς μᾶλλον, ἢ πρὸς
 θεῷ (ὁφείλει). Pœna modum permittens Numitoris arbitrio, quod æquum vide-
 retur, penes eum esse jus supplicii, cui facta esset injuria. Add. Grot. d. l. §. 8.

§. 12. Tertius poenarum finis est utilitas indistincte quorum-
 libet, dum per severitatem poenæ securitati omnium consulitur.
 Plato de LL. l. XII. Pœnis maligni vexantur, non quia peccaverunt; nam
 quod factum est, infectum esse non potest; sed ut posthac & peccatores ipsi,
 & qui puniri iniquitates viderunt, injustitiam oderint. Seneca de Ira l. 1.
 c. 6. Rector civitatis damnatum cum dedecore & traductione vita exigit;
 non quia delectetur ullius pœna, sed ut documentum omnium sint; & qui
 vivi noluerunt prodesse, morte certe eorum resp. utatur. Tullius apud Li-
 vivium l. 1. c. 28. Audcat deinde talia alius, nisi in hunc insigne jam docu-
 mentum mortalibus dederò. Tu tuo supplicio doce humanum genus ea san-
 ctè credere, qua à te violata sunt. Sic & ab rege Anco carcer ad terrorem
 incrementis audacia mediâ urbe, imminens foro, edificatur. Ibid. cap. 33.
 Add. Agathias l. 4. princip. Lucianus Phalaride I. Caterarum rerum nulla
 foret expectanda utilitas, nisi metus malefactoribus esset propositus, ac certa
 spes constituta luendi pro flagitiis supplicii. Quo genere poenæ
 aut hoc agitur, ne is ipse, qui uni nocuit, deinceps aliis
 quoque noceat; id quod obtinetur, si nocens aut occidatur,
 aut debilitetur aut constringatur, ut nocere amplius nequeat.

(Grot-

(*Guntherus Ligurino* l. 1. *Nec melius stulta furor atque superbia plebi Puniri poterat, quam tanti ut causa tumoris Eriperentur opes, ut quos opulencia fecerat elatos, in se revocaret egestas: loquitur de Ultrajectinis, quos tumultuantes Fridericus magna pecunia multarat,) aut acerbitate poenæ libidinem peccandi exuat: vel hoc quaeritur, ne alii quavis scelerum impunitate illecti, aliis quibusvis sint molesti. Id quod suppliciiis conspicuis obtinetur, quæ *ἑξαιρέματα*, seu exempla vocari moris est, in quæ reliqui inspicientes pii sint. Vid. l. 1. C. ad L. *Jul. repetund.* l. 7. C. ad L. *Fabiam de plagiar.* *Quintilianus declamat.* 274. *Quotiens noxios crucifigimus, celeberrima eliguntur via, uti plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metum possint. Seneca de Ira* l. 3. c. 19. *Animadversiones quò notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt.* Et si apud Lacedæmonios in contrarium mos valuerit, ut nempe non interdium sed nocte fontes plecterentur. *Herodotus Melpomene: nisi forte & ipsas tenebras ad terrorem aliquid facere crediderunt.* Conf. *Valer. Max.* l. 2. c. 9. §. 3. Sub hoc poenarum fine etiam comprehendendi potest illa utilitas, qua per eandem facta tecta præstat, aut reparatur autoritas imperii civilis, quæ per malitiosas cum primis & enormes legum transgressiones non parum delibatur. Hæc enim ut salva persistat, totius civitatis interest, eademque illæsa improbitatem hominum quam validissime coërcet. Præter hosce autem fines ut alium quoque cum *Seldeno de I.N. & G.I.* l. c. 4. statuamus *satisfactorium, purgatorium seu expiatorium*, aut ut deviatio à lege velut exæquetur, & illa inæqualitas actionis velut corrigatur, necessarium non videtur. Et si quæ ex Sacris literis adducuntur argumenta, ad tribunal divinum, aut peculiarem populi Ebraici sanctimoniam spectant.*

§. 13. Circa exceptiones autem, quas *Grotius* d. l. §. 9. addit isti dogmati, quod poenarum ad exemplum facientium exsecutio sit poenæ rectorum civitatum, id observandum: si quid perpetratur in illis locis, atque inter illas personas, quæ certis judiciis non subsunt, puta in piratas; id ad jus belli pertinere, quod à potestate poenas exigendi diversum est. In piratas enim ac prædones, cum omnium hostes sint, quilibet quoque homo miles est. Et si non spernendum sit, quod *Idem* d. l. §. 14. monet: consultius esse navigaturos instrui mandatis à publica potestate ad persequendos piratas, si quos in mari repererint: ut data occasione uti possint, non quasi suo pote ausu, sed ut publice jussi. *Lex autem Deuteron. XIII. 9.* et si non cui-

cuius privato jus dare videatur ducem ad idololatriam interficiendi, sed potius ut iste in jus rapiatur, & causa cognita à multitudine lapidibus obruatur: ponamus tamen cuius privato istius criminis manifestum interficiendi facultatem datam, sane ejusmodi lex antea extans efficiet, ut quod à privato heic suscipitur, velut à ministro summi imperii, adeoque publica autoritate susceptum intelligatur. Add. *Grotius add. l.* Neque id insuper habendum, factum Phineæ singulari Dei adprobatione niti. Nam alias ejusmodi zelus cuique permissus, civilem ordinem non mediocriter turbaturus, & impotentibus affectibus prætextum præbiturus fuerit. De iudicio zeli addatur *Seldenus l. IV. c. 4.* Jus vitæ & necis, quod in quibusdam civitatibus patresfamilias in liberos & servos obtinent, licet à civitatibus originem non habeat, in his tamen videri potest particula quædam imperii publici, quod patribusfamilias in suos exercendum velut autoritate publica indulgetur. Esse potro in civitate magistratum, qui certis in casibus fontes extra ordinem indicta causa punire queat, nihil repugnat, modo ne iste tanto jure abutatur. Sic quando in proscrip-torum capita certum præmium constituitur, ubi quis eos interfecerit, publica id autoritate fecisse censetur. Etsi enim ejusmodi declaratio non semper vim præcepti habeat; ubi tamen ejusdem intuitu cædes facta sit, veluti publica autoritate suscepta defenditur. Add. *l. I. c. C. quando liceat unicuique.* *Grotius ad Esther. c. 9. v. 10.* notat, antiquitus sententiam illam apud Hebræos obtinuisse: *Si quis Isrælitam aut bona ejus proderere voluisset gentibus, aut si quis totam Judæorum universitatem magna affecisset contumelia, nihil mali facturum Isrælitam, si ei perniciem procuraret, bonis tamen ejus relictis hæredi.* Etsi ista executio & licentia vindictæ, quam tunc Judæi exercebant, ab indole vitæ civilis non parum abhorreere videatur. Apud *Andocidem orat. 1.* talis lex extat: *si quis democratiam Athenis evertat, aut si quis imperio populari soluto, magistratum aliquem habeat, Atheniensium, hostis esto, impuneque interficiatur.* Sequitur jusjurandum, quo populus Atheniensis tributim juraverat, se talia patrarent interfecturum. Apud *Livium l. 3. c. 55.* Valerius talem legem sancit: *Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet, qui creasset, eum jus fasque esset occidi: neve ea cædes capitalis noxa haberetur.* Apud Panchæos sacerdotibus consecratam regionem egredi nefas erat; egressos vero quisquis offendit, occidendi potestatem habet. *Diodorus Siculus l. I. c. 46.* Ubi observandum, in his & similibus le-

gibus generale edictum, accedente facti evidentia, & quę disceptationem ancipitem non admittit, vim latę sententię obtinere, sic ut subsecuta cędes velut decreto magistratus facta videatur. Quod si autem privatus ex impulsu ejusmodi legis, ubi justis subnixæ sit rationibus, cędem patrarit, non modo id impune feret in foro civili, sed & in conscientia purus erit, siquidem non privato odio ductus fuerit, sed quod civitati sese hoc modo prodesse crederet: præsertim si ideo pœnæ executionem quibusvis lex indulserit, aut injunxerit, quod ex illis facinoribus præsentaneum reip. malum immineat. Secus atque in illis cędibus fit, in quibus lex justo dolori, & vehementissimæ indignationi indulget, ac pœnam duntaxat humanam, non vitium actus tollit. Quo pertinet lex maritis indulgens, uxorem adulteram & mœchum, in ipso actu deprehensos, occidere. Nam dolori tantum exacerbissima injuria concepto lex in foro humano ignoscit; licet alias convenientius foret injuriam eam per magistratum puniri; neq; ex dilata vindicta periculum civitati immineret. Vid. *Gratian. c. quicumq;* 33. *caus. 23. qu. 8.* *Seneca controu. l. 1. controu. 4. l. 4. controu. 24.* *Xenophon. de educ. Cyri. l. 3.* *Valer. Max. l. 6. c. 1. §. 13.* *Bæcler. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 14.* *Ant. Matthæus de crimin. ad l. 48. D. tit. 5. c. 2.* *Grotius in flor. spars. ad l. 22. §. 4.* *D. ad L. lul. de adult.*

§. 14. Ex fine autem pœnarum, ut & humanę naturę conditione adparet, posse dari actus quosdam in se vitiosos, quos tamen in foro humano pœna affici superfluum atque inutile sit. Quo refectri primo solent actus mere interni, i. e. cogitatio de peccato aliquo, cupiditas, desiderium; etsi post casu quodam, puta per subsequentem confessionem ad notitiam aliorum perveniant. Add. *Grotius de Imperio summ. Potest. circa sacra c. 3. n. 1.* Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis interest, ut ob eundem quispiam puniatur. Vid. *l. 18. D. de pœnis.* Illud enim *Philonis Judæi libro, quod deterius potiori insidietur: dum turpia cogitamus vel sola mentis imaginatione, jam rei sumus cogitationis, ad forum divinum pertinet.* Etsi & illa ipsa ex sola ratione pro veris peccatis habenda; multis ethnicorum scriptorum testimoniis ostendit *Grotius ad Matth. c. V. v. 28.* Add. *Bodinus de republ. l. IV. c. 7. p. m. 734.* Inde exemplum detestandę calumnię memoratur apud *Ammian. Marcellinum. l. XV. c. 2.* de Mercurio quodam, qui si per quietem quisquam, ubi suspirans naturæ vagatur, vidisse aliquid amico narrasset, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus infundebat: & ob hoc homotant-

quanti

quam inexplicabili obnoxius culpa, gravi mole criminis pulsabatur. Hac augente vulgatus fama, tantum aberat, ut proderet quisquam visa nocturna, ut agre homines dormisse sese presentibus faterentur externis; mirabantque docti quidam, quod apud Atlanteos nati non essent, ubi memorantur somnia non videri. Ast aliud est, quando actus interni cum externis conjuncti æstimantur. Nam isti ad qualitatem, tum etiam ad quantitatem actionum maximum utique momentum afferunt. Sicuti & scelera puniuntur, quæ ad aliquem conatum, licet non ad ultimum finem pervenerunt. Vid. Grotius in flor. spars. ad l. 14. D. ad L. Cornel. de sicariis. Deinde nimis quam durum foret, pœnis humanis subicere velle minutissimos quoque lapsus, quos in isthac naturæ conditione non datur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere instituat. Recte Themistius orat. X. cum lapsuum humanorum tres classes esse dixisset, ἀτύχημα, ἀμάρτυμα καὶ ἀδίκημα, casum, errorem, ac facinus, subjungit, προσήκει τὴ βασιλείᾳ τὸ μὴ δικάζειν, τὸ δὲ ἰσχυροῦ εἶναι, μόνον δὲ τὸ ἴσχυατον ἡμωσὶ δεικνύει. oportet principem prioris quidem misereri, corrigere alterum, postremum duntaxat ulcisci. Conf. Rob. Sander son de juramenti obligat. prælect. 3. §. 18. Quo facit, quod de Alfonso Congensi rege memorat Hier. Osorius l. X. Quinque libros Lusitanarum legum cum diligenter evolverit, legum quidem sapientiam, atque ordinem & disciplinam reip. laudavit: sed rebus etiam minutissimis leges certas inventas esse, non facile probabat. Itaque hanc legum exactissimam diligentiam irridens, de Lusitanis quaesivit: quam pœna esset iis, qui in terra pedem ponerent statuta? Iulianus in Casariibus de Probo: ἔλατρε ἴσχυα, ἔτι ἰσχυρῶν, ἔτι βασιλῶν, ἀρχῶν, ἔτι ἡμιόνων, ἡκιστα τὴ ἀνδρωσῶν, μήτι καὶ τῶν κηραεισμένων αὐτοῖς συγχωρῶντα, ὡσπερ ἴδ' ὅτι τῶν ἀδυνάτων οἱ ἰατροὶ μικρὰ ἐρεθίσματα, ἢ τῶν μείζοντι ἔχουσι αὐτὰς πειδομένους. Non potest equis, bobus aut mulis, multo minus hominibus imperari, nisi quis aliquid eorum, quibus delectantur, indulserit; sicut aliquando aegrotis medici exigua quadam concedunt, ut in majoribus eos habeant obsequentes. Add. Grot. l. 2. c. 30. §. 19. Quanquam illud d. l. non satis accurate dictum sit, ipsos lapsus vix proprie peccata dici, cum libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerati non habeant. Non enim sequitur: moraliter impossibile est, ut hominem non aliqua peccata incurserit; ergo ista peccata quotidianæ incurfationis, quæ vocant, peccati rationem exuunt. Adjungit Idem d. l. §. 20. non esse punienda peccata, quæ nec directe, nec indirecte ad societatem humanam, aut alterum hominem spectant. Nam nullam esse causam, quare non talia peccata

Deo relinquuntur puniendae, qui & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æquissimus, & ad vindicanda potentissimus. Quare ab hominibus punitio talis institueretur plane sine utilitate, & proinde mendose. Etsi autem talia peccata dentur, si cogitationes in actum non procedentes excipias, merito dubites. Præterea multis actibus leges civiles vim producendæ actionis denegant, aut poena humana eosdem exemptunt, ob tranquillitatem civitatis, aliasvè rationes, puta, si splendidior futurus sit actus, ubi ex intuitu poenæ humanæ non videatur susceptus, aut si non videatur tanti momenti, ut iudices ideo sint inquietandi, aut si obscurissimæ sit res disceptationis, aut si inolitum plane malum citra convulsionem civitatis tolli nequeat, (quo spectat epistola Tiberii super luxu apud Tacitum A. III.) aut ut nimia litium multitudo amputetur. Add. Seneca de Clementia l. I. c. 22. Denique & à poena humana eximi necesse est illa vitia animi, ex corruptione mortalium communi resultantia, quæ ita frequentia reperiuntur, ut non possent non destrui civitates, si poenis humanis in ista animadverteretur: quousque in enormes actus non eruperint, uti est avaritia, ambitio, inhumanitas, ingratus animus, hypocrisis, invidia, studium aliis detrahendi, superbia, iracundia, discordia, & similia. Quæ Salvator noster sanctimonia suorum præceptorum potissimum eradice instituit. Et hæctenus quoque valet illud Seneca de Ira l. 2. c. 31. Si puniendus est, cuicumque pravum maleficumque ingenium est, poena neminem excipiet.

§. 15. Neque tamen, si qua delicta sunt idonea, ut in foro humano puniantur, poena necessario semper est exigenda, quin quandoque veniæ locus esse possit. Quicquid quondam Stoici in contrarium tenderent, quorum sententia exprimitur apud Stobæum serm. XLIV. *ἄριστος ἄνθρωπος ἐστὶν μὴ δίνειν τι τῷ ἄλλῳ ἔχοντα, dicunt virum prudentem nemini veniam dare.* Ratio est, quia ejusdem hominis sit veniam dare, & putare eum, qui peccavit, non sua culpa peccasse, cum tamen omnes ex propria malitia peccent: propterea recte dici, veniam non esse dandam peccantibus. Videntur ita velle argumentari: aut sua culpa quis peccavit, aut non sua culpa. Si non sua culpa, non est peccatum, cum omne peccatum patreretur ἑαυτῷ ἢ ἰδίῳ κατὰ, ex propria malitia; adeoque heic venia opus non esse. Sin per suam culpam, jam ideo veniam adhiberi non posse, quod illa utique conveniat delictis spontaneis. Quæ ratio manifeste petit id, quod est in principio. Addebant,

bant, *ἡ δὲ ἀρετὴ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἀρῶνα. τὸν γὰρ δὲ ἀρετὴν παραπτωτικὸν εἶναι τὴν ἀρετὴν καὶ ἀρετῶς, virum bonum non esse aquum & mitem; mitem enim deprecari & mitigare quam quis meritus est pœnam. Atqui quibus quis sit dignus, ea omnino esse tribuenda. Verum alia est ratio ἀξίας, dignitatis sive meriti ad bonum, & ad malum. Bonum quod alicui debetur, id ipsi recte subtrahi nequit. Sed mali ea est natura, (quod scilicet non tendit ad utilitatem ejus, cui infertur,) ut citra injuriam negari queat. Denique tradunt: *nihil differre, aliqueum esse mitem, aut putare lege constitutas delinquentibus pœnas nimium duras esse; aut existimare legislatorem indignas pœnas prescribere.* Sed & hæc ratio nihili est. Nam non repugnat pœnas lege definitas esse justas, & tamen easdem quandoque recte remitti. Nam leges in genere definiunt, quæ pœnæ cuique delicto debeantur, non consideratis peculiaribus circumstantiis, quæ in certa persona, aut certa reip. conditione quandoque occurrunt. Ast venia singulis indulgetur ob certas rationes, quæ haut quidquam in omnibus peccantibus, aut semper deprehenduntur. Videatur quoque Cicero pro Murana, & Seneca de Clementia in fine, ubi ait: *venia est remissio pœnæ debita: sapiens autem quod facere debet facit.* Sed deceptio latet in vocabulo *debita*. Si enim intelligas, ej qui peccavit pœnam deberi, i.e. cum sine injuria, aut citra justam querelarum causam puniri posse, jam non sequetur: si quis non puniat, facere, quod facere non debet. Multa enim recte & licite possum facere, quæ tamen non semper factu mihi sunt necessaria. Deinde uti illud recte non dicitur, delinquenti pœnam deberi, quasi in delincente hæreat aliquod jus, quod per pœnam sit explendum, (nemo enim queritur, pœnam sibi condonatum, nisi forte omissis castigationibus ad solam emendationem spectantibus, ubi post dissimulata vitia puerilia sæpe in virilia scelera prorumpitur;) ita & hoc improprium est, delinquentem pœnam debere, seu ad pœnam sustinendam aliqua obligatione teneri; cujus ratio supra est exposita. Quod si autem vocabulum *debita* ita capiamus, quasi sapiens ex obligatione aliqua debuerit pœnam exigere, dicendum primo: neminem heic posse obligari, nisi cui custodia legum publice vel privatim sit commissa. Deinde obligatio quæ in imperantibus est, non spectat ipsos delinquentes, sed totam civitatem aut societatem, cujus salutem isthoc quoque modo, pœnis improbos coercendo, promovere debent. Id ubi facere negligunt rectores civitatum, nocentibus non in-*

ferunt injuriam, sed illam obligationem, qua civitati tenentur, utique violant. Ast vero salutem civitatis non subverti, sed quandoque stabiliri, venia in loco & tempore adhibita, manifestum est.

§. 16. Quod autem *Grotius* d. l. §. 22. tradit, veniæ locum esse etiam ante legem pœnalem, id dextre est explicandum. Alias enim tralaticium est, ubi non sit lex, ibi nec pœnam, nec delictum, nec delicti veniam inveniri. Et lex pœnalis est, non solum ubi certum genus pœnæ expresse definitum est, sed & ubi pœnæ qualitatem ac quantitatem definire in arbitrio judicis relinquatur. Heic igitur sciendum, si qua civitas jure scripto non utitur, loco legum civilium esse leges naturales, juxta quas jus ibi dicitur, & qui eas transgressus fuerit, pœna arbitraria à judice coërcetur. Sed & ubi leges civiles sunt conscriptæ, cum tamen omnes modi, quibus humana se malitia exserit, diserte vix possint exprimi, ubique legum civilium defectum lex & ratio naturalis supplere intelligitur, & qua sanctio pœnalis expressa deficit, in arbitrio judicis est pœnas definire. *Lycurgus contra Leocratem: Pratermitti super ejusmodi criminibus pœnam contigit non per socordiam eorum, qui tum sanxere leges, sed quod prioribus temporibus nihil ejusmodi acciderit.* Hoc modo intelligitur, quæ ratione pœna ante legem pœnalem locum habeat. Et ex hisce etiam explicandum est illud *Ciceronis in Verrem* l. 1. *In nulla lege tempus præscriptum reprehenditur, nisi ejus rei, quæ sua sponte scelerata ac nefaria est, ut, etiam si lex non esset, magnopere evitanda fuerit.* Quanquam autem in ejusmodi civitatibus rectores earundem utique facultatem habeant malos pœnis multandi: non tamen ideo omnes & singuli delinquentes sunt puniendi. Sed hoc dependet ex connexionione finium, ob quas pœna est instituta, cum ipsa pœna. Quare si certo in casu fines illi morali æstimatione non sint necessarii, puta, si non videatur consultum certum aliquod delictum divulgare; aut si fines alii ex opposito occurrant non minus utiles & necessarii, puta, si ex omissione pœnæ eadem aut major utilitas possit obtineri; aut denique si fines pœnis propositi alia ratione commodius obtineri possint; jam sane adparet nihil esse, quod ad pœnam in foro humano præcise obliget. Vid. *Gratianus caus. 23. quæst. 3. c. 18. 24.* Primi casus exemplum sit in peccato paucissimis cognito, cujus proinde publica traductio non sit necessaria, aut etiam damnosa. Nam multi à peccato sese abinent magis ex ignorantia vitiorum, quam amore virtutis;

autis; qui ejusmodi delicti antea incogniti poena non tam deterrentur,
 quam per petulantem curiositatem ad idem patrandum incitantur, ac in-
 vetitum tendunt. Quo spectat ratio Solonis, quare legem de parrici-
 dio non tulerit, ne non tam prohibere, quam admonere videretur. *Apu-
 lejus metamorph. l. X. Quod nemo novit, pene non fit.* Add. *Seneca de cle-
 mental. l. I. c. 23. Busbequius ep. 3. Turca in occulta flagitia non valde inqui-
 runt, ne locum aperiant calumnia: manifesta & comperta graviter puniunt.*
 Quod non multum abit à consilio, quod Augusto circa exactionem poe-
 narum dat Mæcenas apud *Dionem Cassium. l. 52.* Secundi casus exem-
 plum potest esse in eo, qui benemerita sua aut parentum majorum ve-
 pensari digna præsentis culpæ opponit. Nam quandoque æque aut mag-
 is reip. proficuum esse potest, certi generis egregium facinus præmio
 affici, quam malefactum puniri. Ac non superveniens modo, sed & an-
 tregressum beneficium injuriam adparere non patitur. *Procopius hist.*
Vandal. l. 2. Quod perperam actum est, id nullo tempore infectum fiat: sed
compensatum factis eorundem hominum melioribus per honestum silentium ad
oblivionem deducitur. Tertii casus exemplum sit in eo, qui verbis emen-
 datus est, aut læso verbis satisfecit, cavitque, ut ad hos fines poena am-
 plius opus non sit; nec delictum exemplo sit noxium. *Seneca de Ira.*
*l. I. c. 16. Sapiens dimittit sepe eum, cujus peccatum deprehendit, si pœniten-
 tia facti spem bonam pollicetur; si intelligit non ex alto venire nequitiam, sed*
summo, quod ajunt, animo inharere. Dabit impunitatem, nec accipientibus
nocituram, nec dantibus. Ex quibus & hoc obiter adparet, quatenus per
 transactiones cum accusatore aut læso crimen extinguitur. Nempe
 regulariter quod accusatoris aut læsi privatim interest, isti remittere
 possunt; quo ipso tamen non præjudicatur ei, quod reip. interest. Adeo-
 que secundum finem poenarum pacta privatorum tollere possunt, non
 ita tertium. *Tacitus A. 3. Sane lentus in suo dolore esset; reip. injurias ne con-
 donaret.* Quo etiam referre possis delicta, quæ vocantur juventutis, qui-
 bus æqui viri facile veniam indulgent, ubi post desumptum ætatis
 fervorem ad frugem reditur. *Juvenal. sat. 8. Quadam cum prima*
refecantur crimina barba. Add. *Aristoteles Rhetor. lib. 2. cap. 3. sub*
init. Huc spectat quoque illud *Arriani de exped. Alex. l. VII. Qui*
injuriam accepit, non ita graviter læsum se judicat, si is qui læsit perperam
se fecisse fateatur: & bona alicui spes sit, se non amplius injuria affectum iri,
si is,

si iis, qui affecit, pœnitentiam facti sui supra se ferat. Et talibus in casibus in veniam magis, quam pœnam propendere pars clementiæ habetur. Nam quia pœna omnis, præsertim gravior, habet aliquid, quod in se spectatum non quidem iustitiæ, sed caritati ex communi cognatione resultanti repugnare videtur; inde facile patitur ratio, ut pœna supercedeatur. *Plutarchus quæstion. Roman. 82. Cur magistratum virga feruntur colligata, appendentibus & securibus? An signum hoc est, non debere promptam solutamque iram esse magistratus? An vero quia cunctationem quandam, & moram ira adferunt lente evoluta fascibus virga, idque sæpe nonnullos ad decreta pœnæ pœnitentiam duxit? (Juvenal. sat. 6. Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.) Quandoquidem vero vitia alia sunt sanabilia, alia insanabilia; virga eos corrigunt, qui in melius mutari possunt, securæ præcidunt id, quod corrigi non potest.* Aliquando enim major ac iustior caritas quasi irrefragabiliter pœnam postulat, ne ex unius venia multi alii malis onerentur. Nam uni noxio parcere, ut multis innoxiiis inde male sit, crudelis est misericordia. *Julianus Misopogone: ἡ πρὸς τοὺς παρῆγους καὶ ἀπίπτας περὶ τῆς αὐξῆς, καὶ τῆς τῶν ἐν ἀνθρώποις κακίας. Lenitas erga nebulones & fures auget & alit inter homines malitiam. Appianus Alexandr. Mithridatico: ἀχάριστον ἢ πορνεία εὐνηθῆναι συγχάριστα. ingrata res est malitia, nisi veniam.* Eoque venia non danda, nisi quos malitiæ suæ pœnitet. *Gunterus Ligurino l. 1. Plus sæpe nocet patientia regis quam rigor: ille nocet paucis, hac incitat omnes, Dum se ferre suos sperant impune reatus. Sados Rosar. c. 8. Ignoscere laudatum atque virtus est; Verum vulnere illius, qui mortales vexat, non inungendum est balsamum. An nescit ille, qui serpentis facit misericordiam, se mortalibus injuriam facere? Jacobus Rex donoregio l. 2. pro criminibus, quibus nullo modo ignosci debeat, habet hæc: magiam, latrocinium, incestum, sodomiam, veneficium, falsationem moneta, oppressionem seu vim publicam.* Huc pertinet etiam sententia Lepidi apud Tacitum A. III. qui ideo cum stolido Poëta mitius agendum censet, quod neque servatus in periculum rei publicæ, neque interfectus in exemplum sit iturus. Hisce casibus Stoici dicebant; sapientem parcere, non ignoscere. Quasi vero nobis non liceat cum vulgo ignoscere vocare, quod illis parcere dicitur. Aut quasi non sapiente sit indignum, super vocabulis ambitiose disceptare, ubi de re convenimus.

§. 17. Enimvero post expressam legem pœnalem major videtur difficultas, ut delinquens pœna solvatur; seu facilius venia locum habet,

ubi

ubi pœna est arbitraria, quam ubi illa expresse legibus est definita. Idque non tam eam ob causam, quod par sit, ut legislator suis se legibus conformem gerat; quam quia autoritas legum vilescit, si citra gravissimam causam earundem exsecutio omittitur. Et quia ad peccandum ultro invitare videtur magistratus, qui æqualem aut majorem causam præbeat veniam sperandi, quam pœnam metuendi. *Arnobius l. 7. Crescit multitudo peccantium, cum redimendi peccati spes datur: & facile itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia.* Igitur etsi quarumvis legum humanarum vis à voluntate humana pendeat non in origine tantum, sed & in duratione, non tamen illæ tolli aut mutari debent; nisi gravi urgente causa; alioquin in regulas prudentiæ rectoris impingitur. Imo gravius videtur citra probabilem causam legem manentem certis in personis non exsequi, quam eandem penitus tollere: cum illic acerbissimis querelis occasio præbeatur, quod æqualia meriti æqualiter non habeantur. Neque minus tamen, ubi iusta adfuerit causa, sicuti totam legem positivam tollere potest summus imperans; ita & effectum ejus circa certam personam, certumvè factum tollere, manente de cætero lege. *Summus imperans, dico.* Nam iudicibus pedaneis occini potest illud *Lysiaorat. 2. in Alcibiadem. Si cui multa videtur gravis, aut lex severior; cogitandum erit, vos non ut legem feratis, sed ut secundum leges latas judicetis, huc venisse. Themistius orat. V. alia regis, alia iudicis laus ac virtus est; huic sequenda leges, illi interdum etiam corrigenda, earumque severitas ac duritia declaranda; utpote qui viva spiransque lex sit.*

l. 12. §. 1. qui & à quibus manumissi. l. 1. §. 2. D. qua sentent. sine appellat. rescind. Causas porro liberandi aliquem à pœna post legem pœnalem *Grotius d. l. §. 24.* facit intrinsecas vel extrinsecas. Intrinseca causa ipsi est, quando pœna non quidem est futura injusta, quippe antea rite sancita & denunciata; sed tamen dura est ad factum comparata. Quanquam ego iudicaverim, si pœna legibus præscripta in universum sit nimis dura, totam potius legem esse corrigendam, quam ut uni paucisque venia indulgeatur, reliquis iniquæ pœnæ obnoxiiis. Quod si autem in hujus vel illius facti peculiare circumstantiæ occurrant, quæ ipsius atrocitatem, qualem & quantam lex præsupponit, minuunt, ex ipsa æquitate iudices pœnam non quidem penitus tollere, sed tamen mitigare tenentur. Quo casu in ipso facto velut intrinsece hæret causa non quidem veniæ, sed pœnæ temperandæ. Igitur potius est, ut dicamus, proprie loquendo extrinsecas

duntaxat causas dari poenam relaxandi; puta meritum aliquod antegressum ipsius delinquentis. Vid. *Diodorus Siculus* l. XV. c. 11.) aut ipsius majorum vel propinquorum; vel alia res commendans, vel denique spes magna fore, ut peccatum illud insignibus factis eluatur. *Cicero de Invent.* l. 2. *Oportet eum, qui sibi ut ignoscatur postulat, commemorare, si qua sua poterit beneficia; & ostendere ea majora esse, quam hac qua deliquerit, ut plus ab eo boni, quam mali profectum esse videatur. Deinde majorum suorum beneficia, si qua extabunt, proferre. Deinde ostendere, non odio neque crudelitate fecisse, quod fecerit, sed aut stultitia, aut impulsu alicujus, aut aliqua honesta aut probabili causa. Postea polliceri & confirmare, se & hoc peccato doctum, & beneficio eorum, qui sibi ignoverint, confirmatum, omni tempore à taliratione absfuturum.* Sic multi majorum suorum famæ, meritisque aut gratiosorum intercessionibus fuere condonati. Hadrianus in reis poenam pro numero liberorum minuissè scribitur, apud *Xiphilinum* epit. *Dionis.* Vid. *Livius* l. 8. c. 35. Sic aliqui absoluti, quod ultimi ex illustri stirpe forent. Sic Phryne meretrix cum capitis causam Athenis diceret, à *Lylia* oratore hoc modo fuit liberata, dum vestem superiorem ipsi detrahit, ut nudum pectus à iudicibus possèt conspici. Sic *M. Antonius* liberavit *M. Aquilium*, manifestum criminis repetundarum: dum causa prope perorata, eum in conspectu omnium constituit, tunicamque ejus à pectore abscidit, ut cicatrices populus *R.* iudicesque adspicerent, adverso corpore exceptas. *Cicero in Verrem* l. V. Sic *Polydorus Vergil. hist. Angl.* l. 26. tradit, quondam in Anglia ob quodcumque præter majestatis crimen non morte, sed carcere duntaxat perpetuo punitos, qui legere scriverint. Eoque magis hæ causæ sufficient, si in facto, de quo anquiritur, ratio legis saltem particulariter cesset. Est quippe ratio, quare lex sit observanda universalis quidem, autoritas & voluntas legislat oris summo imperio præditi, quæ etiam, ubi nulla alia ratio adparet, sufficere debet; sed particularis ratio est insigne aliquod commodum in remp. redundans, aut damnum, quod observata lege declinatur. v. g. Ponamus existere alicubi leges sumtuarias. Harum ratio generalis est voluntas legislatoris: particularis autem, ne inutilibus, & immodicis sumtibus patrimonialia privatorum exhauriantur. Hæc etsi ad sustinendam legis autoritatem sufficiat ratio legis universalis: cessatio tamen rationis particularis efficiet, ut facilius, & minori cum damno autoritatis legum poena remitti queat;

queat; si nempe transgressori tantæ sint opes, ut istis sumtibus non fatiscant. Apud rigidos tamen dominos haut quidquam tutum est legem aut mandatum negligere ideo tantum, quod particularis ipsius ratio cesset. Sicuti apud *Herodotum Thalia* gaudebat quidem Cambyses servare Croeso; sed qui cum interficere mandato regis neglexerant, capite poenas dabant. Multum quoque ad veniam impetrandam facit, si delictum per ignorantiam sit commissum, non quidem omni culpa carentem, sed per negligentiam obortam; aut si intervenerit imbecillitas animi, non sine difficultate superabilis. Ad priorem classem referri potest factum *Charondæ*, qui per imprudentiam gladio accinctus in concionem contra legem abs sese latam accesserat. Qui sane ut gladio incumberet, opus non habebat. Vid. *Diodorus Siculus* l. XII. c. 19. Simile quid *Idem* l. XIII. c. 33. refert de *Diocle Syracusano*, qui inter leges suas & hoc tulit; *ut, si quis cum armis in forum prodiret, capite plecteretur; nec ullum imprudentia aut circumstantia veniam concessit.* Is cum nunciata hostium in agrum irruptione, gladio accinctus in forum egrederetur, ac interim tumultu in forum excitato, eodem cum gladio properaret, à privato monitus se ipsum transfixit. Et si miserationem ipse consumserit, quod in sua lege imprudentiam similesque circumstantias non exemerit. Atque isthæc nequidquam convelluntur per ea, quæ *Anton. Matthæus de criminibus* ad l. 48. tit. 19. c. 5. prolixè disputat. Denique & hoc addendum, uti alias mensuram poenæ in foro humano utilitas civitatis metitur; ira & eadem sæpe veniam indulgeri jubet delinquentibus ob multitudinem. Et si enim alias à delicto non excusat paria peccantes allegasse; (Vid. *Isocrates laudat. Busiridis* circa finem:) est tamen prudentum rectorum providere, ne quæ servandæ societati humanæ inventa est justitia, ad civitatem evertendam valeat. *Lucanus* l. 2. *Dumque nimis jam putrida membræ recidit, Excessit medicina modum, nimiumque secuta est, Quam morbi duxere manus: perire nocentes, Sed cum jam soli possent superesse nocentes.* Ibid. *Tot simul infesto juvenes occumbere leto, Sæpe fames pelagique furor, subitaque ruina, Aut cæli terræque lues, aut bellicæ clades, Nunquam pœna fuit.* *Claudianus de bello Getico: Cautius ingentes, & proxima cordi Ulcera Paonia tractat solertia cura, Parcendoque secat: ferro ne longius actò Irrevocandus eat sectis vitalibus error.* *Seneca de Ira.* l. 2. c. 10. *Necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus.* Inde laudem meretur Princeps, qui *Multa metu pœna, pœna qui pauca coercet.* *Ovid. de Ponto* l. 1. *El.* 3.

Sicut & sæpe necessitas subigit præduras leges moderari, aut plane ut obsolescant pati. Apud Tacitum A. 3. refertur de moderanda Papiæ Poppæ, id eo quod *militudo periclitantium glisceret, cum omnis domus de latorum interpretationibus subverterentur.* Et quia *altius penetrabant, urbemque & Italiam, & quod usquam civium, corripuerant, multorumque excisi status; & terret omnibus intentabatur.* Notatu quoque digna Tiberii epistola apud Eundem A. l. 4. ubi consultius judicat, *omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitium impares essemus.* Cum satius sit iisdem *intra animum moderari, & expectare, donec principes pudor; pauperes necessitas; divites satias in melius mutet.* Scilicet non est homo propter poenam, sed poena propter hominem. Inde si poenam secutura foret perniciēs eorum, quibus exigendi poenas jus est, non magis ad eas sumendas est obligatio, quam ad propriam vitam destruendam. Sic si gubernator in navi facinus admisisset, nec alterius foret copia, omnium vectorum salutem destrueret, qui poenas ab ipso exigeret. Sic & multa peccata magistratui dissimulanda sunt, ex quorum vindicatione ruina reip. procurari posset, & quibus maculati homines ad conservationem status nostri sunt necessarii. Etsi Magistratui super peccatorum permissione nunquam directe pacisci liceat, aut exinde publicum velut quantum instituire. Vid. 2. Petri II. 15. Huc referri possit, quod in Italia quandoque bannitis veniam publicè polliceantur ea lege, si caput alterius banniti afferat; quem morem tamen improbat *Henricus Stephani Apolog. pro Herodoto.* c. 18. ejusque rationem potius Platoni & Aristotelici incipiam, quam Christiano probari posse dicit; quod ea ratione suspecti inter se reddantur isti nebulones, ne in coetus sese conjungere queant, gravia mala reip. daturos. Contra sentit *Th. Morus Utop.* l. 2.

§. 18. Consequens jam est, ut discipiamus de taxatione poenarum, seu quantas poenas cuiusvis delicto imponi par fuerit. Ubi præter ea, quæ supra de *quantitate actionem* l. 1. c. 7. attulimus, observandum, in foro humano delicta potissimum æstimari ex eorumdem objecto, & prout multum parumvè damni in remp. inderedundat; & ex intentione, malitiaque delinquentis, quæ per varias conjecturas colligitur. Prout igitur objectum actionis nobile est, & pretiosum, quod violatum fuit, eo gravior quoque, ac deterior habetur actio. Inter ista porro objecta
uti

uti nobilitate immensum excellit Deus O.M. ita merito præ cæteris maxime detestanda habetur actio, quæ directe in ipsius contumeliam tendit. Eiusdem autem cultus, in animo præcipue consistens, uti universæ vitæ actum temperare debet; ita ipso volente actiones, quæ externus ipsius cultus expromitur, cedunt his, quæ insignem hominibus utilitatem afferunt, aut grave damnum avertunt, ubi in mora periculum est. Vid. *Luca XIV. 5.* Proximum ab his gradum obtinent, quæ universam hominum societatem tangunt: post quæ publicum civitatis ordinem perturbant. Inde sequuntur delicta, quæ singulos homines tangunt. Ubi in foro civili primo loco statuitur vita, quæ est fundamentum omnium bonorum temporalium; tum membra non vitalia, citra quorum usum vita nisi miserrima trahi non potest; quæ pro nobilitate sui usus æstimantur. Add. *Isocrates contra Lochitem.* Sequuntur illa delicta, quæ familias privatorum, quarum fundamentum est matrimonium, perturbant, maculant vè. Et si *Philo Judæus de decalogo, & de specialibus legibus* præceptum de adultério anteponat præcepto de homicidio. Post, quæ perdunt aut avertunt alias res expetibiles, vitæ necessitatibus aut commoditatibus inservientes; idque vel directe, vel indirecte dolo malo causam damni dando. Denique, quæ famam aut existimationem civilem destruant. Circa singula horum delictorum primum locum obtinent delicta consummata, postremum, quæ ad actus aliquos, non tamen ultimum processerunt; in quibus tanto quodque est gravius, quo ulterius processit. Ubi observandum, naturaliter propositum & desiderium facinus aliquod patrandi hautquaquam pari gravitate cum ipso facinore perfecto censeri posse: quippe cum longe atrocior sese mali facies animo repræsentet, quando cominus ad ipsum patrandum acceditur, quæque adeo obstinato animi proposito superanda est; quam ubi velut eminus adhuc de facinore cogitatio suscipitur. Quando igitur aliquando voluntas factæ æquipollere dicitur, ad intelligendum est de illa voluntate, quæ cum extremo conatu conjuncta est, sic ut inter hanc, & eventum facinoris nulla nova voluntatis operatio locum habuerit, etsi successus destinatus defecerit; puta, si qui telum in aliquem contorquens aberraverit. *Th. Morus Utop. l. 2. Solicitasse ad stuprum nihilo minus, quam stuprassè, periculi est. In omni siquidem flagitio certum destinatumque conatum æquant factæ: neque enim id quod defuit ei, putant prodesse debere, per quem non stetit, quo minus nihil defuerit.* Sed

pleraque mala magis minusvè æstimantur pro subjectorum, quibus inferuntur, disparitate quoad statum, felicitatem, aut infelicitatem, ætatem, tempora seu necessitates, peculiarem affectum, quo in peculiare aliquod bonum inclinantur, vel à certa mali specie abhorrent. Neque solum considerantur, quæ ex aliqua actione directe & immediate, sed & quæ probabiliter secutura judicantur; uti in incendio & perfosso aggere multorum summæ calamitates & mortes quoque spectandæ sunt. *Grot. d. l. §. 30.* Inde ap. Chineses, etiam qui ex negligentia incendium excitaverit, capite plectitur.

§. 19. Circa intensionem aut remissionem ~~proprietatis~~ expendi primo solent causæ, quæ ad peccandum homines impulerunt. Vix quisquam gratis malus est, aut si quem malitia propter seipsam delectat, vel etiam si quis ex mera petulantia peccet, aut *cui ratio peccandi est incredibiliter peccare*, uti loquitur *Calpurnius Flaccus declam. 2.* is humanæ malitiæ extremum gradû attigit. Inde & est, quod *nemo impiorum tam audax unquam fuit, quin aut abnegaverit à se commissû esse facinus, aut justis sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris à natura jure aliquo quareret.* *Cicero de LL. l. 1.* Maxima pars mortalium ad peccandum affectibus ducitur, quorum aliqui impetu quodam animum impellunt ad declinandum præsens aut imminens malum; qui quidem ad excusandum aut extenuandum delictum plurimum faciunt. Unde quæ mortis, carceris, magni doloris, aut summæ egestatis causâ patrantur, maxime excusabilia videri solent. Sic sapienti Ebræo fur, quem egestas ad furandum stimulat, minus turpis, quam adulter pronunciatur. Sic furtum famis causa levius æstimabitur, quam ob superfluam avaritiam susceptum: & perjurium ex metu mortis conceptum, quam depositum lucri causa abnegatum. *Autor ad Herennium l. 2.* *Majus est maleficium stuprare ingenuam, quam sacrum legere: quod propter egestatem alterum, alterum propter intemperantem superbiam fiat.* Add. *Valerius Maximus l. 8. c. 1. in fine.* Sic majorem meretur poenam leno, qui fœdum ob lucrum aliis occasionem libidinandî suppeditat, quam cui propria libido ad se demulcendum stimulos subdit. Sic *Marcus Antoninus l. 2. §. 10.* recte judicat, *graviora esse, quæ per libidinem, quam quæ per iram admittuntur. Nam qui irascitur, cum dolore quodam & contractione animi occulta à rationis tramite declinare videtur: qui vero per cupidinem delinquit, quia voluptate vincitur, intemperantior quodammodo, & in peccando effeminatur videtur.* *Libanius declam. 23.* *Ira ad necessitatem vehementius insti-*

instigat, quam amor. Etenim hic dat consulendi spatium, & secum loquendi: ira autem perturbato corde prope ad insaniam commotum adigit, & donec ipse satisfecerit, effervescit. Cæteri affectus tendunt ad bonum aliquod verum aut imaginarium. Inter vera bona quorum sã natura repugnat ad peccandum ducere; ut sunt virtutes, & earum actiones. Quædam in se quidem bona sunt, quæ tamen peccatis occasionem præbent, prout est istius animus, qui ea possidet. Et eorum sunt quædam delectantia, seu jueunda; quædam delectantium procurandorum causa, quæ & utilia dicuntur. Horum causa perpetratum quodque delictum eo judicatur levius cæteris paribus, quo magis illud bonum, quod quæsitum fuit, naturæ congruit, aut quo difficilius huic est illo carere. Bona autem imaginaria sunt, quibus non nisi stoliditas ac vanitas hominum, pravitasque pretium posuit. Inter quæ sunt vana gloria, sive opinio excellentiæ præ cæteris, quatenus virtute non fundatur, nec utilitaris quid adjunctum habet; item vindicta, quatenus nullum nisi lædentis dolorem propositum habet. Ista quo magis à natura abeunt, & quo facilius iis careri potest, eo foediora judicantur delicta ex iisdem patrata. Sed & illud constat, graviora longe esse, quæ ex errore, quam quæ liquida ex scientia admissa sunt. Inter errores autem illum graviozem, in quem quis ex priorum principiorum & ratiociniorum pertinaci persecutione devolutus est, quam qui à publicis doctõibus fuit haustus. *Grot. d. l. §. 29.* Id quoque bene ab *Hobbeso Leviathan. c. 27.* observatum; idem contra leges factum, si ortum sit à presumptione virium, vel amicorum, vel divitiarum, quibus peccans fretus ministris publicis resistit, majus esse crimen, quam si spe latendi vel fugiendi ortum esset. Sique adeo delinquentes *fortem animi præstant rebus, quas turpiter audent.* *Juvenal. sat. 6.* Quia illud est conjunctum cum contemptu legum; hoc non item. Add. *Aristoteles Rhetor. l. 1. c. 12. & 14. Idem Rhetoricor. l. 2. c. 3. Inficientes & contradicentes magis castigamus. Verum adversus confidentes juste se castigari, conquiescimus excandescentes.* Causa vero est, quod impudentia est manifesta negare: at impudentia est despicientia & contemptus. *Seneca de Ira l. 1. c. 16. Sapiens nonnunquam magna scelera levius, quam minima compeſcet, si illa lapsu, non crudelitate commissa sunt; his inest latens, & operata, & inveterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem malo afficiet, si alter per negligentiam admisit, alter curavit, ut nocens esset.*

§. 20. Sed & hoc magnam proærescos intensiorem arguit, si præter communem causam, quæ quosvis homines à peccato absterre debet, peculiaris quædam accedat, fundata in persona delinquentis, aut ejus, in quem delinquitur, aut alia quapiam circumstantia. Huc facit illud *Juvenalis satyr. 8. Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.* Dio Chrysostomus orat. 1. de regno: *πεῖσι μείζων ἔ φαίνεται πᾶσι, ἢ παρὰ τὸ ἀρχοῦ τὸ πλημμέλημα. Multo major, ἔ omnibus apparentior est, quæ à principe proficiscitur improbitas.* Potest huc quoque adplicari illud *Plinii N. H. l. 5. c. 1. Haut alio fidei promiore lapsu, quam ubi falsæ rei gravis autor existit.* Sic idem specie peccatum notorium à sacerdote commissum gravius censetur eo, quod ab alio patratum; cum iste suo exemplo ad sanctimoniam morum aliis præire debeat. *Libanius declam. 29. εἰ δὲ τις ἐφ' ἀλῆς ἄλλος ἀγὼν ἀξιοῖ, τῶτων αὐτὸν ὡς πορρωτάτω φυλάτῃ, ἢ ἐν τῷ λόγων συμβουλῶ τῷ παρὰ τῶ ἐργῶν λίλυκο· τῷ μὲ ἀδινεστῶν ἀδραλῆσι, π κρείστον ἀποτῆλας. Si quis ab his, ad quæ alios impellere vult, quam longissime recedit, dictorum consilium factorum exemplo destruxit: dum eo quod est infirmius incitat, eo quod potentius existit avertit.* Cicero de legibus l. 3. *Nam tantum mali est peccare Principes, (quanquam est hoc magnum per seipsum malum,) quantum illud, quod per multi imitatores principum existunt. Quo perniciosius de republ. merentur vitiosi principes, quod non solum vitia contipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent. Seneca Hercule furente. Regnantium scelera taxantur modo majore. Tacitus A. 3. Capito insignitior infamia fuit, quod humani divinique juris sciens egregium publicum, ἔ bonas domi artes de honestavisset. Cicero Tuscul. Quest. l. 2. Ut, si Grammaticum se professus quispiam barbare loquatur; aut si absurde canat is, qui se haberi velit Musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccat, cujus profitetur scientiam: sic philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus deliquit in vita. Quintil. declam. 3. Hæc coeditio superiorum est, ut quicquid faciunt præcipere videantur: ἔ perniciosissimus est mala rei maximus quique autor.* Apud Peruvianos sub imperio Yncarum gravius plectebatur magistratus peccans, quam privatus; addita ratione, quod ille expresse sit constitutus ad justitiam aliis reddendam, & quod ideo ei muneri fuerit admotus, quod probitate putaretur alios præcellere. *Garcilassus de la Vega Comment.*

ment. Reg. l. 2. c. 14. Sic gravius afficit ab amico, quam ab hoste illata injuria. *Petronius. Qui ignotos ladit, latro appellatur: qui amicos, paulo minus quam parricida.* Etsi contra apud Celtas graviolem, poenam luebat, qui peregrinum, quam qui civem interemerat. Illi enim mors, huic exilium irrogabatur, teste *Nicolao Damasceno de moribus gentium.* Er vice versa ab hoste profectum beneficium majus judicatur, quam ab amico. Ut *Terentius Adelph. act. 2. sc. 3.* pronunciet: *Abs quovis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas, Verumenimvero id demum jurat, si quem æquum est benefacere, is facit.* Sic à fordido aliquo homine illudi gravius, quam ab æquali aut majore; Vid. l. 17. §. 3. D. de injur.) à liberis & servis propriis, quam ab alienis. Vid. 2. *Samuel. XVI. II.* Sunt quoque delicta, quæ ob peculiare officium, quod certæ personæ debebatur, violatum, peculiari nomine notantur, & singulari foeditate laborare judicantur. Uti est impietas in parentes, inhumanitas in propinquos, ingratus animus in beneficos; quæ longe graviora sunt, quam si quibusvis aliis fuissent illata. Facit etiam huc illud *Lysia Orat. IV. Severiores, ô Athenienses, prabere vos debetis civibus, quam peregrinis sacra polluentibus; quod horum quasi alienum videatur peccatum, illorum vero domesticum & intestinum.* Denique non parum refert, quo quid loco aut tempore fuerit patratum. Sic idem peccatum in loco publico & coram arbitris commissum gravius est, quam quod occultare quis studet; tum quod, quæ teguntur, saltem exemplo minus noceant; tum quod valde intensa judicetur fuisse malitia ejus, qui peccatum suum ostentat, neque honestorum hominum conspectum oculosque veretur. Add. *Aristoteles problem. scēt. 29. quæst. 14.* Si foedius est in templo stuprum committere, quam in caupona. Sic in confesso judicum pulsari gravius est, quam intra privatos parietes. Sic qui profesta die inebriatur, cæteris paribus, minus peccatum admittit, quam qui die precibus peculiariter destinato helluatur. Vid. l. 7. §. 8. l. 9. §. 1. D. l. 17. §. 3. de injuriis. Sic *Cicero Philipp. II.* crapulam M. Antonii, ob quam pro tribunali vomuit, graviter exaggerat. *Quintilianus declamat. 252. Ut pulsatus civis injuriarum aget, si magistratus erit, majestatis crimen obligabit, si legatus erit, bello vindicabitur, & jure gentium, & eadem pecunia sublata ex privato furtum erit, ex sacratio temploque sacrilegium: sic raptor ejus, qui nihil aliud quam virginitatem ultum ibit, X. millia solvet, alia erit conditio ejus, qui rapuerit in comitiis, qui rapuerit eam, qua sacerdotium petebat, imo, ne in-*

LIIIIII

gra-

gratus sum adversus beneficia populi, jam, quantum in illo erat, acceperat. Idem declam. 264. Petulantia aliis locis mediocrem habeat reprehensionem. In templo vero, in quo verbis parcimus, in quo animas componimus, in quo tacitam etiam mentem nostram custodimus, pulsare velut in solitudine, velut in secreto quodam, non est ferendum. Add. Idem Inst. Orat. l. VI. c. I. Demosthenes adversus Midiam: ἐγὼ ὡς ἐχθρὸν νήσοις, ἴωθεν, ὑβρῆς ἔτι οἶον ποιῶντες, ἐναντίον πολλῶν καὶ ξένων καὶ πολιτῶν, ὑβρίζωμαι, ἔτι οὐδὲν ἐν ἡμέρᾳ, καὶ οἱ πολλοὶ μοι ἢ ἀνάγκη βιάσασθαι χορηγοῦντι. Ego ab inimico, sobrio, mane, contumelia causa, non per ebrietatem, in conspectu multorum & hospitem & civium sum contumeliis affectus, atque insuper in templo, quod mihi tanquam adili multa necessitas evadit erat. Add. l. 16. D. de penis. l. 28. §. 8. d. t. Denique & modus atque instrumenta facinoris patrati ad idem exaggerandum aut minuendum ideo facere videntur, quod ex illis proæreleos firmitas aut remissio sæpe colligatur. Hinc gravius judicatur furtum cum effractione, parietum perfossione, aut ubi per instrumenta artificiosa claustra referantur, quam si quis per apertas fores in ædes se direxerit.

§. 21. Illud quoque ad æstimationem delictorum non parum facit, quam idonea fuerit persona ad peccatum aliquod intermittendum. Alii quippe acriori sunt intellectu præditi ad perspicendas rationes, ob quas à delictis est abstinendum, quam alii. Nonnullos quoque acrior, quam cæteros, impetus in certum genus peccari rapit; id quod provenit ex corporis mixtura seu temperamento, ex ætate, sexu, educatione, & circumstantiis aliis. Vid. l. 6. D. ad L. Iuliam peculatus. Nam utique & pueri, & foeminae, & homines crasso ingenio à natura præditi, aut alias pravè educati discrimina justii & injusti, liciti & illiciti minus habent cognita, inque iis ponderandis parum pollent. *Procopius hist. Vandal. l. 2. Est ut rarum, ita summe laudabile, si quis Herulus pro perfidia & violentia gentilibus vitiis, honesta induerit. Sic in quibus bilis pravalet in iracundiam, in quibus sanguis dominatur, in Venerem proni sunt. In alia porro studia senectus, in alia juvenus propendet. Gramondus hist. Gall. l. 13. Raro sapiunt juvenes, quorum singulare privilegium est, peccare ut liceat. Libanius declam. XXI. Hæc sunt adolescentia affinia; transilire quæ ex officio sunt: ignorare aliquid eorum, quæ decora sunt. Ibid. οὐκ ἔστιν ἀρσένιον γένος, ἐκεῖ καὶ τῶν αἰώνων οἷς νεωτέροις ὁ χρόνος. Ubique genus hominum est, ibi quoque junioribus pro excusatione est ætas. Sic quo propius malum*
vide-

videtur imminere, eo violentiorem metum idem elicit, & cui difficilius queat resisti. Sic & vehementius percellit animum recens iracundia, quam diuturno tempore mollita aut digesta; recens dolor, qui rationem vix audiri finit, quam velut depletus atque egestus, & quem mora temporis jam fregerit. In universum autem foedius habetur tranquillo animo ad facinus accedere, quam ab affectibus perturbato. Cicero *Off. L. Leviora sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae mediata & preparata inferuntur.* Philo Judaeus de specialibus legibus dicit, dimidiatum videri facinus, cui non accessit longa deliberatio. Plato de LL. l. 9. *Majora supplicia illis decet imponere, qui consulto per iram interfecerunt. Illis contra, qui repente & inconsulta leviora.* Aristot. *Nicom. VII. c. 8. Unicuique peior videretur, si quis aut nihil, aut leviter cupiens turpe aliquid perpetraret, quam si vehementi cupiditate affectus idem faceret: item si non iratus, quam si iratus verberaret quispiam. Quid enim ageret, si in affectu esset constitutus?* Nisi quod circa ebrietatem diversum statuebat lex Pittaci, quae extat apud Aristotelem *Polit. l. II. c. 10. Ut ebrii duplo majorem, quam sicci pœnam luant, si quem pulsarint: nam eo quod plures sint ebrii, quam sicci, qui petulanter alios ledant, non ad veniam spectavit, quae ebriis potius sit habenda, sed utilitatem.* Cujus legis quoque mentio fit apud *Plutarchum in Convivio VII. sapientium.* Inter delicta autem per affectus excitata, illa minus odiosa sunt, quae ex affectu per speciem mali accenso proveniunt, quam ex voluptatis, praesertim superfluae, desiderio. Nam & haec mollius animum percellit, & facilius differri, aut aliam per materiam citra injuriam expleri potest. *Aristoteles Nicom. III. c. 12. χαλιωότερον τὸ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τὸ ἡδὲον ἀπέχιδω.* Difficilius est molesta sustinere, quam à jucundis abstinere. *Id. ib. c. 15. Dolor quidem exturbat, & corrumpit naturam ejus, qui eo afficitur; voluptas autem nihil tale facit; magisque spontanea est: atque idcirco majori opprobrio prosequenda.* *Idem l. VII. c. 7. ἧττον αἰσχροῦ ἀναστασία ἢ τὸ θυμὸν, ἢ ἢ τὸ ἐπιθυμῶν.* Minus turpis est incontinentia ira, quam cupiditatum. *Idem magnorum moral. l. 2. c. 6. Impetus ad voluptatem magis reprehendendus, quam intemperantia ex ira. Nam incontinentia ex ira aegrimonia est. Nemo enim iratus non aegrescit. Sed incontinentia ex concupiscentia cum voluptate est conjuncta. Et idcirco magis vituperabilis, quod non citra petulantiam videatur esse.* Similis locus est apud *M. Antoninum l. 2. §. 10. Add. Aristoteles problem. sect. 29. quest. 16.* Denique & hoc intra homines non parum ad

pœnam leniendam facit, si quem necessitudines suæ ad peccandum permoverunt. Vid. l. 2. D. de receptator. Add. Grot. d. l. §. 31.

§. 22. Denique & illud solet considerari, primus quis, an aliorum exemplo seductus, semel, an sæpius deliquerit. Nam qui primus in aliqua civitate peccatum exemplo noxium patrat, & illud alios velut docet, gravius utique peccat, quam cui peccantium circumstantis frequentia pudorem minuit. *Vellejus Paterc.* l. 2. c. 3. *Non enim ibi consistunt exempla, unde cæperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt.* (Conf. tamen *Gellius* l. X. c. 19. *Polybius* e. x. c. 93. c. 5.) Pari modo qui patrat peccatum, quod constater puniri solet, gravius peccasse censebitur, quam si multa extent impunitatis exempla: quia in illo major imperantis & legis contemptus cernitur, quam in hoc. Repetitio autem rarior aut frequentior ejusdem specie actionis eam in se meliorem aut deteriorem non reddit; nisi quatenus ea indicio est, eandem ex inolita consuetudine proficisci. Vid. l. 28. §. 3. D. de pœnis. *Ant. Matthæus de crimin. tit. de furtis* §. 9. seqq. & ad l. 48. D. tit. 18. c. 4. §. 27. 28.

Quæ cum circa actiones morales maxime attendatur, (quippe cum illa susceptæ actiones cum plena fere proærcsi fieri intelligantur, quo nomine & vulgo habitus mali actibus pejores dicuntur,) satis claret, quare communiter præstantior censeatur actio bona, quam quis sæpe antea ediderat, illa, quam nunc prima aut altera vice exercet; & contra, cur mala sæpius repetita gravior judicetur, quam quæ semel aut bis tantum ab eodem fuit commissæ. Quo possis referre legem *Juliani Imp. adversus mendaces* apud *Libanium legatione ad Iulianum*: *Si quis eorum, qui mecum conversantur, semel mentitus fuerit, feram; si denuo idem ausus fuerit, id quoque patiar: quod si tertio convictus fuerit, quod vera non dicat, nondum incurrit in odium; verum si quarto apponit imponere, prohibitus est contubernio.* *Peruviani* tamen olim sub imperio *Yncarum* omni cura hoc agebant, ut prima delicta punirentur, quod hoc modo impediretur, ne altera aut tertia vice peccari posset. Nî enim malæ plantæ in prima herba opprimerentur, non posse nõ segetem pravã inde provenire. Et ubi non nisi post iteratas injurias pœna sumitur, privatos vix posse sibi temperare, quin proprio ausu vindictam sibi faciant, non sine perturbatione quietis publicæ. *Garcilazus de la Vega Comm. Reg. l. 2. c. 14.* Neque obstat, quod habitus bonus actionem bonam faciliat, malus contra difficultatem à mala actione abstinendi

nendi pariat. Nam labor in comparando habitu bono impensus facit, ne minoris sit actio facile, & cum voluptate à bono exercita. Et eo majus est odium mali, quod tam sæpe malè agendo effecerit, ut vix aliter quam male possit agere; & quod sæpius peccando pudor plane consumtus sit. Scilicet aliquando ignorasse, quid vita exigat, hominis est: at in iisdem rebus sæpius aberrare, emotæ est mentis. Add. *Th. Brownæ de religione Medici sect. 41.* Nec absurde ille: *peccatum illud, quod sedecim annos natus commiseras, non idemerit, licet cetera omnia paria sint, cum quadragenarius fueris. Præter inveteratam enim nec excusandum peccandi habitum, omnes tunc venia impetranda causas nobis præscidit iudicii maturitas.* Atque hæc omnia in irrogatione poenarum rectè observantur. Facilius enim venia donatur, aut levius plectitur, qui prima vice usitatum, non enorme delictum patrauerit, quam qui sæpius ad eundem impedit lapidem. *Lucianus de saltatione: ἰναρίῳ ἔτιν ἀπαυξή μαρῆναι, satis est semel insaniisse.* Quandoque etiam priorum venia delictorum à futura emendatione tanquam à conditione suspenditur; quæ ubi deficit, cum repetiti illius peccati vindicta antecessorum quoque poena simul exigitur. Vid. 2. *Regum* I. 52. II. 23. Unde & hoc adparet, quo sensu verum sit illud vulgare: *nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti aestimatio.* Quo loco expendi quoque debet, quatenus natura æquum sit, quod apud Persas fiebat, teste *Herodoto in Clio*, ut vita anterior simul cum delicto in æstimationem veniret, & si benefactis illa præponderaret, veniam delictum obtineret. Id enim proprie ad delicti æstimationem intrinsecam non pertinebat. Sicuti nec id obtinuisse credimus in delictis atrocissimis, & in quibus patrantis destinata malitia manifeste adparebat. Sed uti *Grotius* d. I. §. 30. arbitratur, id locum habebat, saltem habere debebat, in his, quibus alioqui non malis subito aliqua peccandi dulcedo subreperat: aut ubi probatio criminis erat illiquida, vita antea conjecturam præbebat, an tale quid ab isto patratum probabile sit; cum alias nemo repente pessimus fieri dicatur. Extat tamen exemplum apud *Herodotum Polymnia*, de Sandoce, quem Darius cruci affigijusserat, quod cum ex iudicibus regiis esset, iniquam sententiam ob pecuniam tulerat; sed cum recordaretur, plura ejusdem beneficia in domum regiam extare, quam peccata, cruce detractum in amicitiam iterum recepit. Huc facit illud *Ciceronis pro Sullæ: Omnibus in rebus, iudices, quæ graviores, majoresque sunt, quid quisque voluerit, cogitaverit, admisserit, non ex*

crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum. Scilicet quia perinde ut opinis est de cujusque moribus, ita quid ab eo factum, & non factum sit, existimari potest. Idem pro Cluentio. Eamque ob causam in judiciis Romanorum solenne erat, ut actores quidem universam reorum vitam reprehenderent; patroni contra eandem excusarent, aut excitatis laudatoribus commendarent. Præsertim cum in isthac generis humani corruptela iudices humani non statim extirpare civem debeant, in quo plus bonæ quam malæ frugis adpareat. Probetamen observandum, mores & antea vitam gravem præsumtionem in crimine illiquido in utramvis partem præbere. Sed ubi quis objectum crimen liquido diluerit, recte poterit adplicare sibi illud *Autoris ad Herennium l. 2. se non de moribus apud censes, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere.* At vero ubi quis ab initio bonus totum vitæ genus immutavit, illi recte leges duplici nomine irascuntur, & quod peccaverit, & quod ex bono malus evaserit. *Polybius l. VII. in excerpt. Peirescianis. Cum vitæ institutum priori contrarium esset amplexus, ac quotidie malum malo cumularet, consentaneum erat, ut contrariam de illo opinionem cuncti conciperent.*

§. 23. Quamquam autem ex dictis satis adparet, unum delictum altero esse gravius, neque in foro humano omnia eadem pœna afflicenda; fatendum nihilominus est, & qualitatem & quantitatem præcisam pœnarum humanarum à definitione imperii civilis dependere, quam utilitas cujusque civitatis præcipue moderatur. Quo spectat institutum regis Ægyptii Anysis, qui se regnante, neminem morte voluit afficere, sed pro sui quemque delicti magnitudine damnabat ad agendam certam mensuram aggerum ad urbem, unde quisque erat. Atque ita urbes sunt sublimiores effectæ, declinandis incommodis ex inundatione Nili. *apud Herodotum Euterpe. Add. Diodor. Sicul. l. 1. c. 65.* Etsi ejusmodi civitatum purgamenta in peculiarem deportare locum, & ubi alios contagio non possent inficere, potius visum, Actisani Rhinocolura condita, *ap. Eundem l. 1. c. 60.* Neque vero id est necessarium, ut eadem semper inter pœnas sit proportio, quæ est inter objecta, per delictum violata; sed singulis delictis sua velut seorsim pœna potest imponi, prout est ex usu reip., non considerato, an par, an vero minor pœna sit imposita alii delicto, quod in se minus, aut majus isto videtur. Sicuti & *Plato de LL. l. XII.* ejusmodi legem sancit: *si quis aliquid publicum furatus fuerit, sive parvum, sive magnum id sit, pari supplicio puniatur. Nam qui rem parvam sustulit, et si minor*

ri vi

ti vi, quam qui magnam rapuit, aqua tamen cupiditate furatus est. Et qui magnū aliquid inde removit, ubi ipse non deposuerat, is omnino iniquus est. Lex igitur non furti parvitate alterum minus, quam alterum puniendum censet; sed forsitan interesse putat, quod alter sit insanabilis, sanabilis alter. Inde etiam iudices hactenus quidem æqualitatem in imponendis pœnis observare debent, ut æqualiter peccantes æqualia patiantur, nec quod in uno vindicatur delictum, alteri citra gravissimam causam condonetur: quippe cum ejusmodi inæqualitas periculosus in rep. turbis materiam soleat præbere: & effectu suo carcat pœna, quæ non bono publico, sed privato affectui data videtur. Illa tamen æqualitas intelligenda duntaxat est de illis, qui idem specie delictum commiserunt, non qui diversum. Nam sæpenumero delicto, quod in se levius videtur, in foro humano gravior est pœna constituta, & vice versa, prout usus reip. & arbitrium legislatoris tulcrit. Super qua inæqualitate reus post nequidquam queritur; quippe quantumque præcivit. *Calpurnius Flaccus declamat. V. Ubi quid futurum est denunciatum, culpa patientis est.* Sic v. g. etsi furti crimen in se sit longe levius homicidio; nullam tamen fur querendi causam habet, si ipse, qui cum homicida æqualia non commisit, æquale tamen supplicium cum eodem patiatur. Quanquam & ideo non pauca delicta per se inæqualia, æque morte vindicantur, quia morte gravius inter homines supplicium non reperitur; (*Lycurgus orat. contra Leocratem: τὸ μέγιστον καὶ ἐξ αἰῶνος τιμωρῶν θάνατος. maxima autem & extrema pœnarum mors est.*) nisi quod ad eam quandoque brevi & facili via, aliquando per lentos ac diros cruciatus pervenitur. *Ovidius Heroid. ep. I. 10. Mors minus pœna, quam moræ mortis habet.* Etsi non desint, qui celerem mortem misera vita lenius supplicium ducant. Vid. oratio Cæsaris apud *Salustium conjurat. Catilinaria.* Apud *Svetonium Tiberio. c. 61. hic precanti cuidam pœna maturitatem respondit: nondum tecum in gratiam redii.* *Seneca Herc. fur. Miserum vita perire, felicem jube.* Idem *Agamem. Æg. Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.* *El. Mortem aliquid ultra est? Æg. Vita, sic cupias mori.* *Euripides Hippol. Coron: ταχὺς γὰρ ἔστιν ἅπας ὁ ἀπὶ θύσυχῆ.* Cita mors optata est homini misero. Quia & inter stultas vulgi opiniones numerat *Charron de la Sagesse lib. 1. c. ap. 39. n. 11. vindictæ nomine alterum occidere; hoc ipso enim alteri omnem sensum tolli, ac omnibus malis ipsum recipi: nisi securitatis nostræ intersit, infensum nobis hominem non esse superstitem.* Sic quoque apud *Philostratum lib. 1. Apollonius eunucho,*

qui

qui cum pellice regia concubuerat, vitam supplicii loco decernit. Aliquando ignominia additur in cadaver, aut memoriam. *Ælianus* V. H. l. 4. c. 7. quæ etiam interdum infligi solet, quando nocens dudum rebus humanis fuit exemptus; sed & iterum aboleri. Vid. *Socrates hist. Eccles. l. 7. c. 44.* Quid quod & in pœna determinanda non nihil faciat arbitrium legislatoris, non quidem ita absolutum, quin semper ad usum civitatis respicere debeat, ut tamen velut punctum illud pœnæ revera ab ipso dependeat. Accedit, quod tanta est quorundam criminum atrocitas, ut etiam extrema pœna possit affici, qui in minimo gradu eorundem deprehenditur. Add. *Ant. Matthæ. de crimin. proleg. c. 1. §. 5. 6. & ad lib. 48. D. tit. 5. c. 3. §. 10. & tit. 18. c. 4. Ziegler. ad Grot. d. 1. §. 39. Valerius Maximus l. 6. c. 1. §. 8. l. 1. §. 2. D. de extraord. crimin. l. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de sicar. l. 3. §. 1. 2. 3. l. 14. d. t. Philo Judæus de confusione linguarum: Quamvis aliquis conatus per insidias alterum interimere frustratus est, nihilominus homicidii reus est, sicut decernit super hoc casu scripta lex. Si quis, inquit, conatus fuerit proximum suum dolo perdere, & ad altare confugerit, abstractum afficies supplicio. Eadem habentur apud Eundem de specialibus legibus. Tacitus H. II. Qui deliberant desciverunt. Quo spectat illud apud *Plutarch. Casare: οἱ κολάζοντες ἢ τὸ παράνομον, ἀλλὰ τῆς βουλῆς ἢ διὰ τὴν λαμπρότητα.* Aliquando qui puniunt non facti, sed voluntatis piacula exigunt. *Quintilianus declam. 372. Lex mentem punit. Lysias orat. in Simonem.* Constat nostrorum legum autores non si quis pugnando alteri caput obtulisset, ideo patria compelli voluisse; sed si qui dum alium interficere conantur, ledant, quamvis interficere non potuerint, de his tam graves pœnas sumendas esse constituerunt: existimantes, ipsos dare eorum pœnas oportere, quæ deliberata voluntate perficere conati essent. εἰ καὶ μὴ κατέχοι, ἐστὲν ἥτις τὸ γὰρ ἐκείτων προοιῖσθαι. quia quamquam propositum non erant assecuti, fecisse tamen, quod in ipsis erat. Add. *Ælianus* V. H. l. 14. c. 27. Justo tamen severiores Arcopagitæ, qui damnaverunt puerum, coturnicum oculos eruentem; quod id signum esset perniciosissima mentis, multisque malo futura, si adolevisset. *Quintilianus Inst. Orat. l. V. c. 9. Seneca de beneficiis l. V. c. 14.* Latro est etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit. Apud *Vellejum Patere. l. 2. c. 8.* dicitur de illis, qui C. Catonem ob leve delictum damnaverant: magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum: factæque ad consilium dirigebant,*

Sant, & quid, non in quantum, admissum foret, aestimabant. Add. l. 4. princ. C. ad L. Jul. majestatis, & Grotius in flor. spars. ad h. l. In crimine lætæ majestatis & proditiōis etiam sola conscientia sine assensu, & silentio pœnam meretur. Exemplum est in Thuano ap. *Benj. Priolum hist. Gall.* l. 1. c. 6. & Davide Berchinio ap. *Buchananum rer. Scot.* l. 8. Conf. *Diodor. Siculus* l. XI. c. 54. Quanquam etiam circa pœnas regulariter, quantum fieri potest, in mitiorem partem eatur, & merito damnandus sit rigor ille Draconis, quem Solon correxit; (vid. *Plutarchus Solonc.* Qualis rigor etiam apud Peruanos adhibebatur, qui omnia fere delicta morte vindicabant, non tam delictum respicientes, quam violatum Yncæ mandatum, quem Dei in vicem venerabantur, ap. *Garcilassum Comment. Regii* l. 2. c. 12. 13.) recte tamen pœnæ exasperantur, si id evadeat justior multorum caritas, quorum securitati per nocentium supplicia est cavendum. Puta, si ingens periculum ab eo, qui deliquit, immineat, nî mature coërceatur. Quo facit illud narratum ab *Henrico Stephano in præparat. apolog. pro Herodoto* c. 17. de quopiam, qui cum à rege Galliz septimi homicidii veniam peteret, nec impetrasset, regi exprobravit: se non nisi primum homicidium patrasse; reliqua autem regi esse imputanda, quippe cum ipse posteriora non fuisset commissurus, nî rex primo veniam dedisset. Aliquando etiam exemplum est statuendum, quo reliquis terror incutiatur, præsertim ubi præstò sint generalia peccandi incitamenta, quæ non nisi asperis remediis coërceci queant; inter quæ præcipue sunt facilitas, & consuetudo. Ob facilitatem lex Ebræa gravius punit furtum de pascuo, quam de domo. Confer *Exod. XXII.* l. cum 7. & 9. l. 2. D. de effraetor. *Iustinus* l. 2. c. 2. de Scythis: *Nullum scelus apud eos furto gravius; quippe sine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret?* Hinc & legibus quarundam gentium gravius judicatur furtum abs domestico, quam ab extraneo commissum. Etsi ll. Romanæ diversum statuisse videantur. l. 11. §. 1. D. de pœnis. l. 17. l. 36. §. 1. l. 52. l. 89. D. de furtis. Vid. *Ant. Matthaus de crimin. tit. de furtis.* c. 3. §. 2. 3. Add. *Aristoteles problem. sect. XXIX. quæst. 14.* ubi tractatur, quare qui ex balneis est furatus, aut ex palæstra, aut ex foro, & simili loco, morte multetur; qui autem ex domo privata, furti pretium duplum exsolvat? Vid. l. 1. D. de furib. balnear. & Anton. *Matth. de crim. ad h. t. & de abigeis.* Add. quoque illa, quibus beneficii crimen exaggerat *Philo Judæus de specialibus legibus.* Huc facit illud *Curtii* l. 14.

ε. 6. de more Persarum, arcana regum mira celantium fide. Non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus disciplina regum silentium vita periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit: quod homini facillimum volacrit esse natura. Consuetudo facti, seu ubi aliquod vitium velut in publicos mores abiit, (nam de consuetudine, quam singuli crebris peccatis sibi contraxere jam dictum,) etsi aliquid de culpa detrahit, poenæ tamen acrimoniam ex parte flagitat. Tacitus A. III. corruptus simul & corruptor, ager & flagrans animus, haut levioribus remediis restringendus est, quam libidinibus ardescit. l. 16. §. ult. D. de poenis. Claudianus in Eutropium l. 1. Ueteri post obruta morbo Corpora Pæonias nequidquam admoveris herbas: Non leviore manu, ferro sanantur & igni, Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix; Ad vivum penetrant flamma, quo funditus humor Desfluat, & vasus corrupto sanguine venis Arescat fons ille mali; truncatur & artus, Ut liceat reliquis securum vivere membris. Hinc accurate monet Grotius b. l. §. 35. in judiciis consuetudinem peccati facere ad minuendum delictum; quippe cum iudicibus considerandum sit, quantum culpæ sit in singulis; quæ sine dubio minor est, ubi quis velut torrente similia peccantium fuit abreptus. Sed ubi leges sunt ferendæ, invalescens consuetudo efficit, ut eidem reprimendæ poena sit intendenda; quia leges utilitatem poenæ magis in universalitate spectant. Nihilominus ubi vitium aliquod ita invaluit, ut propter delinquentium multitudinem poenæ exigendæ locus non restet, nisi per supplicia civitatem exhaurire velis, aut evertere, reip. necessitas legem potius, quam civitatem pessum ire jubet. Vid. epistola Tiberii super luxu apud Tacitum A. III. Scilicet δεισὶν ἀπὸς τὸ θύνατον χράσασθαι τὸ νόμον, ἀβύλας ἢ ἰσοσμίας ἀλίγους, ἀλλὰ μὴ πολλὰς ἀρχήσας πολάσεν. Debet ad id, quod effici potest, lex accommodari, dummodo intendat cum fructu paucos, & non multos incassum punire. Plutarchus Solone. Denique si necessitas reip. exegerit, v.g. ingruente bello, si alii idonei desint, quis dubitet strenuo duci capitis supplicium remittere; cum ejusdem opera resp. eo tempore carere nequeat. Quo spectat illud dictum Fabricii, suffragium suum ad consulum dantis Cornelio Rufino, bono duci, sed avaro: se malle expilari, quam venire. Sic post cladem Cannensem dictator Junius edixit: Qui capitalem fraudem ausi, quique pecunie judicati in vinculis essent; qui eorum apud se milites fierent, eos non a pecuniaque se se exsolvi jussurum. Livius l. 29. c. 14. Add. Grotius ad 1. Regum l. 6. §. 24.

§. 24. Ex his igitur manifeste arbitror constare, non dari in foro civili justitiam aliquam vindicativam, quæ certis delictis certam pœnæ mensuram, per naturam definitam, utique infligi jubeat: sed veram pœnarum humanarum mensuram esse utilitatem reip., & prout fines pœnarum commòdissime videntur proventuri, ita eas per prudentiam summi imperii intendi vel remitti; ita tamen ut insignis circa easdem latitudo occurrat. Igitur justo major illa pœna erit, ubi fines pœnarum molliori via obtineri poterant: justo mitior, cui non satis acrimonix & efficacix inest ad producendos eosdem fines, adeoque ad reprimendam civium malitiam, atque internam civitatis securitatem procurandam, seu quæ à delinquentibus contemnitur. Vid. *Gellius* l. XX. c. 1. de L. Veratii petulantia. In illam partem ubi legislator peccaverit, à crudelitatis nota non est inanis. Vid. *Hobbes de cive* c. 3. §. 11. In hanc ubi inclinaverit, pœnas reddit inutiles, ac vitiis liberum velut campum aperit. Cum enim comminatio pœnarum voluntatem hominis à libidine peccandi ad normam legis flectere debeat, & vero homines in deliberationibus commoda & incommoda ex eadem re provenientia velut in bilance soleant expendere: facile liquet, ubi commoda aut oblectamenta ex vitio aliquo provenientia damno & dolori per pœnam conciliando præponderant, haut quidquam animum hominis sat valide à vitiis averti. Add. *Idem d. l. c. 13. §. 16. & Leviath. c. 27. & Autor de princip. justit. & decori p. m. 200. & Rich. Cumberland de leg. nat. c. V. §. 39.*

§. 25. Addendum quoque illud; cum eadem pœna non omnes pariter afficiantur, & consequenter non pariter à peccato absterreantur; facile patet, tam in pœnarum generali designatione, quam earundem ad singulos adplicatione respiciendam esse personam ipsius delinquentis, & in eadem illas qualitates, quæ sensum pœnæ ex ætate, sexu, statu, opibus, viribus, & similibus minuere aut augere possint. Vid. l. 4. §. 1. l. 12. §. 1. D. de incendio, ruina. l. ult. D. de injuriis. l. 6. D. de extraord. crimin. l. ult. D. de sepulcro violato. l. 1. §. 3. D. de abigeis l. 2. D. de termino moto. l. 3. §. 5. l. 16. ad L. Corn. de sicariis. l. 1. l. 10. l. 16. §. 3. l. 28. §. ult. D. de pœnis. l. 1. D. de fur. balnear. d. l. §. 1. & ult. D. de effractor. l. 3. §. 2. D. stellion. l. 1. §. ult. D. ad L. Corn. de falsis. Nam eadem multa pauperem onerabit, divitem non onerabit: & vili pœna ignominiam continens leve erit malum, honorato gravissimum. Ex sexus virilis, ætasque plena ad sustinendam pœnam longe firmior, quam foeminx, aut pueri. Vid. l. 38. §. 24. l. 39.

§.4. D. ad L. Iul. de adult. l. 6. D. ad L. Iul. pecul. l. 5. §. 3. C. ad L. Iul. majest. l. 37.
 §. 1. D. de minor. l. 108. D. de reg. jur. Add. quoque Ad. *Olearius Itin. Pers.* l. 3.
 c. 6. de multa pecuniaria apud Russos, ob illatam contumeliam, quam Bis-
 zestia ipsi vocant. Apud Mauritanos tamen hodie foeminae ob scorta-
 tiones gravius vapulant, quam mares; quod isti credant, foeminas plerun-
 que causam & illecebras ad libidines praebere. Ex quo tamen non sequi-
 tur, in poenis imponendis observari proportionem geometricam, aut
 qua *Bodinus de rep.* l. VI. c. ult. sese jactat, harmonicam: sed revera non nisi
 simplex haec est ex aequatio inter delictum & poenam, ad quam rite inve-
 niendam personae conditio non parum facit. Quod si autem obejus-
 modi qualitates, quae neque ad crimen, neque ad poenae sensum aliquid
 faciunt, aequalia meritis inaequales poenae infligantur, ea vitiosa est *πορ-
 νολησις*, abs qua non semper leges Romanas absolvit *Grotius*. Exemplum
 ejus rei quidam afferunt l. 1. §. 5. D. ad L. *Cornel. de sicar.* Ubi maritus, qui
 uxorem in adulterio deprehensam occiderit; si humilior sit, perpetuo
 exilio damnatur, si vero in aliqua dignitate positus sit, ad tempus relega-
 tur. Nam ignominia illa per uxorem illata aequae humilem, atque illu-
 strem virum potest urere, & aequae molestum illi quam huic patria carere.
 Vid. quoque *Edictum Regis Theodorici* c. 91. Add. *Ziegler. ad Grot.* d. l. §. 53.
 Notandum denique & hoc, in certo poenae genere apud quasdam natio-
 nes peculiarem inesse ignominiam; *Euripides Helena*: ἀρχήμωνος μὲν ἀρχαῖα
 μεταίρει, καὶ ἂν ἴσιν δόλοισι δουραπέως νομιζέη, φραγὰ δ' ἔχουσιν εὐρυπέτη, & καὶ
Tarpes enim sunt laquei sublimes, quia etiam in servis hoc factum existimatur.
Sed cades habent aliquid generosi & pulcri. *Plinius N.H.* l. 2. c. 63. Laquei
 poenae praepostera, inclusō spiritu, cui quaritur exitus. Add. l. 28. §. 2. D. de poenis.
 Adplicare quoque possis huc illud *Dionis Chrysostomi orat. ad alexandri-
 nos*: τὸ μὲν ἔστιν ἀνδρὸς πονηρῆ θάνατος, τὸ δ' ἀνδραπέδου δυστυχία. Illa viri pravi
 mors est, haec autem infelicis mancipii. Apud *Homerum Odys.* γ. *Telega-
 chus* nequam ancillas non vult extinguere κατὰ πρὸς θανάτου pura morte, i. e.
 gladio, sed ipsis suspendit. Et si contra in familia *Osmanidarum* strangu-
 lationis supplicium sit receptum, quod nefas esse putent tam nobili san-
 guine terram consurgere. Et ex *Ebraeorum* sententia gladio feriri turpi
 habebatur, quam strangulari, aut lapidari. *Selden. de I. N. & G.* l. 7. c. 6.
 Sic *Philo Iudaeus*. *Flaccum* indignatur, magistratus *Judaeorum* & senatores
Alexandriae eo flagellorum genere castos, quo alias vilissimi *Aegyptio-
 rum*

rum solebant. Huc pertinet illud *Seneca de constantia sapientis* c. 4. *Invenies servum, qui flagellis quam colaphis cadimalit.* Puto & illam poenam fat ignominiosam esse, de qua est in *Addimento* 1. *Legis Burgund. tit. X.* Contra & in quibusdam poenis non nihil dignitatis inesse judicatur. Quo spectat, quod indignationem populo Atheniensi movit, Hyperbolum vilissimum hominem ostracismo ejectum. Vid. *Plutarch. Alcibiade*, ubi ex Platone Comico citantur hi versus: *Quamvis suis sit digna passus moribus, Scipso tamen non digna, nec suis notis. Nam non repertum istius est causa ostracum.* Idem *Nicia* de eodem negotio: *εἷται γὰρ ἡ καὶ κολλώσις ἀξίωμα.* Esse aliquam & hujus dignitatem poena. Imo vero poenam ducebant decennale exilium *Thucydidi, Aristidi, & similibus* esse. *Hyberolo* vero honorem atque occasionem jaectantiae, quod esset ob improbitatem similiter atque summi viri multatus. Sic solatii instar habetur illud, *Aenea magni dextra cadis. Virgil. Aen. X.* & ibi *de la Cerda.*

§. 26. Non autem arbitramur necessarium, ut in omnibus civitatibus eadem delictis poena imponatur, quæ in lege Ebræa exprimitur. Idque quia ista pars legis est positiva, & civilis Ebræorum, ad genium populi istius & reip. attemperata. Abs quo cum aliorum populorum ingenia, & rationes rerump. in multis abeant, poenas quoque alio modo temperari par fuerit. An vero isthæ ad capitalem quoque poenam homicidii adplicari debeant, dubitari potest; cum ea non uni Judæorum populo, sed universo humano generi promulgata videatur. Cuius sane poenæ ratio patet. Nam cujus tanta est malitia, ut occidere homines dolo malo non vereatur, ab illo cæteris nunquam satis tantum erit, ni eundem vita exturbent. Quo facit etiam illud *Antiphontis orat. 15.* *Omnia fora sub dio homicidii judicia judicant, ne iudices in eundem locum eant cum impuris manibus, ne actor causa homicidii cum homicida eodem tecto utatur.* Add. *Libanius progymn. loc. com. contra homicidam.* Nihilominus si homicidæ propter tempora reip. poena capitis remittatur, non statim contravenietur præcepto *Genes. IX. 6.* Nam cum omnis poenæ determinatio juri s. positivi sit, quod ad necessitates reip. attemperari par est, merito quoque in ista lege eadem exceptio subintelligi potest. Conf. *Grotius ad Matth. c. V. v. 40.* & ad d. I. *Genes.* Et si aliqui dicant, illo dicto non tam legem, quam comminationem divinam contineri, qua Deus declarat, se per homines, aut alios casus tragicos vindictam in homicidas exercitu-

rum, si vel maxime severitatem fori humani effugerint. Vid. *Actorum* XXVIII. 4. Neque illa explicatio, quam *Grotius* l. I. c. 2. §. 5. adfert, exceptionem ex temporibus reip. petitam respuit. Add. *Idem* in *flor. spars. ad rubr. ad L. Cornel. de sicar.* *Seldenus* autem l. IV. c. 1. expresse tradit, illud dictum à magistris Ebræorum accipi non pro lege ita lata, ut ultimum supplicium sit necessario semper homicidii sceleri irrogandum, sed pro indicatione divina atque expressa, in sceleris odium, ex designatione pœnæ gravissimæ, quam pro re nata, administrationisque publicæ varietate fas esset humano generi præstituire, irrogareque. Inde etiam Ebræi ob profelyri domiciliū cædem, aliussvè gentilis ab illorum aliquo patrata mortis pœnam forensẽ non irrogabant. Etiam ubi plures Ebræi, aliivè rite circumcisi, congenerem quempiam plagis seu jactibus sic peremissent, ut eorum nullus seorsim id fecisset, quod mortem inferre ponisset, cuncti liberi erant ultimo supplicio ex sententia forensi infligendo, quoniam nullus per se homicida. Vid. plura d. l. Quanquam ego nolim svadere, ut quis circa dispensationem istius pœnæ nimis sit facilis. Neque temere probaverim, quo in constitutione quadam Regum Poloniæ extat circa pœnam homicidii Nobilibus infligendā: *nos divini juris rigorem moderantes.* Add. *Philo Judæus de legibus specialibus.* Quo loco etiam tangi debent, quæ à multis anxie contra capitalia furum supplicia disputantur. Super quibus videatur sententia *Grotii* l. 2. c. 1. §. 14. *Seldenus* tamen de J. N. & G. l. 7. c. 6. dicit, apud Judæos supplicia in fures Noachidas fuisse capitalia; etsi in Ebræos ea essent mitiora. Apud *Josephum arch. col.* XVI. 1. nimis sevitiæ damnatur lex Herodis, quod perfossores parietum, nocturnosque fures deprehensos peregrinis etiam extra regnum vendi statuerit. Athenis cum in simplex furtum dupli pœna lege Solonis esset constituta, si res ipsa reciperetur, aut eadem non recepta, decupli: addebatur tamen: *si quis à Lyceo, aut ex Academia, aut Cynosarge vestem, aut lagunculam, aut quidquam aliud minimi pretii, aut aliquod vasculum è gymnasiis aut portibus surripuerit, supra decem drachmas morte puniendum.* Add. *Aristot. probl. sect. 29. c. 14.* Quid jus Romanum constituerit, notissimum est. Imo *Justinianus* novell. 134. c. ult. etiam vetuit simplicem furem membro mutilari; cum alias non absurdum videatur, ea quemque parte puniri, qua peccaverat. Sicuti quondā *Alex. Sever.* Notarii, qui falsū causę libellū, cumq; brevem in consilio Imperatoris retulerat, digitorum nec-

vos incidi jussit, ne unquam scribere possit. *Lampridius Alexandro*. Sic Zalcucus adultero oculum crui voluit, quia primi incestant oculi nuptas, & libidinis est irritamentum ardentius adspexisse matronam. Sic & lex divina mulieri manum abscindi jubet, quæ in rixa marito suppetias latura, impudenter adversarii virilia adprehendisset. Sic *Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio* refert, ab ipso multis desertoribus crura & poplites esse incisos. Add. *Cujacius Obs.* l. VII. c. 13. Verum Justinianæ constitutionis rationem bene explicat *Anton. Matthæus de criminibus tit. de furtis*. c. 2. nempe cum pleraque furta ex desidia aut inopia suscipiantur, noluisse ipsum fures manuum mutilatione puniri, ut ne amitterent instrumenta, medendo suo malo necessaria, quos potius vi ad opus faciendum adigi par fuerit. In Germania fures suspendi sanxit *Fridericus II. l. 2. F. tit. de pace tenenda*; & post *Carolus V. constitutione criminali*, qui *Friderico* potest videri asperior, quod pretium argenti decrescentis neglexerit. Ubi quanquam fatemur, quosdam judices circa assignandum laqueum esse plus justo liberales, ac melius quandoque consuli reip., furibus ad opus damnatis, (Vid. *Hærodotus Euterpe*, & *Diodor. Siculus* l. 1. c. 65. de rege *Ægypti Sabacone*, qui omnes capitis damnatos ad opus faciendum adplicuit, per eosque multum utilitatis regioni attulit: & *Thomas Morus Utopia* l. 1.) tamen capitale supplicium in fures recte constitui potuisse, nobis certum habetur. Ad rationes quæ in contrarium afferuntur, inprimis ab *Ant. Matthæo* d. l. ex hætenus dictis non difficilis est responsio.

§. 27. Denique nec illud necessarium est, ut idem quis patiatur, quod alteri intulit, seu ut per talionem delicta semper vindicentur. Quam sententiam vulgo tribuunt *Pythagoræis*, quibus poena definiebatur per ἀντιπεπορθός, q. d. parem passionem. Cui fini quoque adducitur illud *Rhadamanti*: Εἰς τὰ ἄδοι τὰ κ' ἐρεῖς, δ' ἂν δ' ἰδεῖα γέ. οὐο. Si patiatur, quæ fecit, justitia recta fuerit. *Ovid. de arte* l. 1. Neque enim lex æquior ulla est, Quam necis artifices arte perire sua. *Quintilian. declam.* XI. Brevissima est justitia vindictæ, cum facinus mensura poenæ est. Et si naturam ultionis respicias, optime vindicatur quisque quomodo miser. *M. Seneca* l. V. *controv. præfat.* Justissima patendi vice, quod quisque alieno excogitavit supplicio, sæpe expiat suo. *Polybius* l. XII. in excerptis *Peiresciani*: πικρὸς γὰρ γερωνὸς καὶ ἀπαρτίτητος ἐπιτιμῆτις τῶν πηλίας, εὐκότως δ' καὶ ἐπὶ τῶν πηλοῖον αὐτὸς ἀπαρτίτης τυγχεῖνοι κατηρείας. Cum alios ipse acerbè atque inclementer objugare solbeat, jure merito ab aliis pari inclementia tractabitur. Istud ἀντιπεπορθός

Ari-

Aristoteles Nicom. V. c. 8. hoc modo absurditatis arguit. *Si magistratum quis gerens percusserit, reperiendus non est. Sin autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus.* Add. *Idem magnor. moral. l. 2. c. 34.* Circa dicta *Exodi XXI. 23. Levit. XXIV. 50.* Ebræorum doctores communiter tradunt, non rigidam talionem præcipi, sed potuisse etiam tales noxas multa pecuniaria redimi. Vid. *Bodinus de rep. l. VI. c. ult.* qui legem istam unquam in usu fuisse negat, v. g. ut pro crure fracto alteri quoque crus frangeretur. Additur, formulam, *oculum pro oculo, dentem pro dente*, non esse cavillandam; cum ista quasi proverbiali locutione hoc tantum innuatur, pœnas delictis proportionatas esse debere; ne scutica dignum horribili flagello sectemur; aut secures meritum scutica, soleavè cædamus. Idque vel inde colligi, quod lex divina neque furtum furto, nec adulterium adulterio, nec vulnus vulnere plectit, sed furtum duplo quadruplovè, adulterium morte, vulnus pecunia. Sic jure divino respectum quoque haberi personarum, v. g. Si quis privato maledixerit, nihil gravius nominatim caurum reperitur: sin privatus principi, aut filius patri maledixerit, capital id habebatur. Contra *Constantinus L'Empereur Babakama c. IIX. §. 1.* pro literalis sensu istorum dictorum pugnat. Quas lites componere non est nostrum. Tandem tamen fatetur, penes judicem fuisse pœnam talionis corporalem in pecuniariam pro ratione circumstantiarum mutare, argumento legis *Exodi XXI. 29. 30.* ubi alternatio etiam gravioris pœnæ admittitur. *Joseph. archæol. IV. 8.* *Qui cæcaverit quemquam similia patiatur; privetur, quo privaverit alios: nisi forte pecunias accipere voluerit, qui cæcatus est, lege illi dante licentiam, qui passus est aestimare passionis suæ casum.* Pro talione quoque allegatur *Deuteron. XIX. 19. conf. l. ult. C. de accusat. & inscript. l. ult. C. de calumniat. l. 7. C. ad L. Juliam de vi. Josephus archæol. IV. 8.* *Venenum mortiferum nullus Israëlitarum habeat.* (Parem legem Ægyptiorum recitat *Diodor. Siculus l. 1. c. 77.*) Sivero inveniatur quispiam hoc possidere, moriatur, hoc patiens, quod toleraret ille, contra quem venenum probatur esse confectum. Sed reponi potest, has leges minus recte huc trahi, cum ea calumniantium pœna mensuram talionis excedat, pro conatu completo malo repræsentato, utut de cætero ista pœna non sit iniqua. Nam uti est ap. *Quintil. Instit. Or. l. 7. c. 9.* *maledictus à malefico non distat, nisi occasione.* Et *declam. 331. homicidii genus videtur petere*

petere spiritum hominis, quem occidi non oporteret. Et recte Plinius panegyri-
 in calumniatores: spectent parva premio damna, nec majores spes quam me-
 tus habeant, timeantque quantum timebantur. Sic lege divina diffamator
 virginis par habebatur vim inferenti. Deuter. XXII. 19. 29. Isocrates
 de Permutatione. Quid calumnia possit fieri maleficientius? qua facit, ut de
 mentientibus bene existimetur, ut plane innocentes injurii esse videantur, ut ju-
 dices pejerent: qua denique veritatis lucem extinguit, & caligine mendacio-
 rum auditoribus involutis, quemvis civium per injuriam interficit. Quinti-
 lian. declam. XI. Calumniantium nefas non potest nisi per judicum facinus im-
 ponere. Actum est de rebus humanis, si de criminibus nostris tantumdem men-
 daciis licet: nec ullus innocens hucusque felix est, ut diligentia fingentium par
 sit. Constitut. Sical. l. 2. c. 14. In lege XII. tabb. ita extat: si membrum ru-
 psit, ni cum eo pacit, talio esto. Super qua lege videnda omnino sunt, quæ
 Favorinus, & Sext. Cæcilius J. Crus disputant apud Gellium l. XX. c. 1.
 Eam tamen talionem Romæ penitus in desuetudinem abiisse ex §. 7. In-
 stit. de injur. patet. Add. Ant. Matthæus de crimin. tit. de injur. c. 2. §. 2. 3.
 Apud Diodorum Siculum l. XII. c. 17. lex Charondæ apud Thurios lata
 memoratur: Si quis alicui eruerit oculum, reo pariter oculum eruito. Sed ac-
 cidit, ut quis uno captus oculo alterum quoque per vim illatam amitteret, & sic
 facultate videndi prorsus orbaretur. Hic, etsi autori facinoris unus contra ocu-
 lus excussus sit, minus tamen pœna, quam par sit, illum exsoluisse arbitratur.
 Qui enim civem excœcaverit, etiamsi sat luisse pro lege scripta videatur, non
 pari tamen damno affectum contendit. Equum igitur esse, ut illi, qui uno præ-
 ditum oculo tota visione privarit, ambo simul oculi effodiantur, si a qualis injuria
 pœna luenda sit. Dolore igitur & indignitate rei percussus ille cœcus, ad popu-
 lum de calamitate sua verba facere ausus tam miseram conditionem vitæ suæ de-
 plorat; tum ut legem illam corrigant, multitudini suadet. Tandem inserto in
 funem collo, cum felicem suasionis eventum impetrasset, lex illa abolita fuit, emen-
 datiorque in ejus locum surrogata, & ipse strangulationis necem effugit. Idem
 refertur à Demosthene adversus Timocratem. Aristoteles Rhetor. l. 1. c. 7.
 ἡ ἰσὴν ζημία, αὐτὸς τὸν ἰτερόφθαλμον τυφλοῖσιν καὶ τὸν δὴ ἔχοντα. Non par pœna,
 si quis oculum excusserit monoculo, & duos oculos habenti. Add. Petr. Grego-
 rius Tholosanus syntagm. l. 31. a. 10. Quicquid hujus sit, certum est, talio-
 nem ita crude intellectam non esse justam quarumvis pœnarum mensu-
 ram. Nam primo in plurimis criminibus illa locum plane non habet.

N n n n n n

Qua

Qua enim quis ratione per talionem punire vellēt v. g. adulterium, stuprum, foedos concubitus, crimen læsæ majestatis, convicium, calumniam, veneficium, crimen falsi, suppositionem partûs, procurationem abortus, plagium, ambitum, incestum, sacrilegium, termini motionem, sepulcri violationem, stellionatum, prævaricationem, & similia? Ex quo & hoc obiter patet, recte Theodosium Imp. sustulisse poenam mulierum, in adulterio deprehensarum, tunc Romæ usitatam, qua in lupanari conclusis necessitas scorrandi afferebatur, pulsato tintinnabulo, quando turpitudinem istam patiebantur. Nam licet tanta contumelia gravissimæ loci poenæ esset; tamen quia hæc poena citra peccatum exerceri non poterat, peccatum potius auxisse, quam sustulisse videbatur. *Socrates hist. Eccles. l. 5. c. 19.* Quanquam fateamur, leges, quæ talionem videntur sancire, eam duntaxat accommodare ad injurias seu læsiones corpori illatas. Deinde licet fingamus casum, quo crimen, quod commissum est, poenæ vice possit fungi, & in quo personæ, locus, tempus, qualitas, causa, crimen non elevant, aut aggravant: tamen ne sic quidem simplex retaliatio satis comoda est futura. Rusticus rustico colaphum impegit in loco privato. Hic si percussus alteri colaphum reponere debet, quomodo æquilibrium servari accurate poterit? Add. *Lex Wisigothorum l. 6. tit. 4. c. 3.* Quod si secutio sit à tertio facienda, quomodo isti constare poterit, qualiter libatus prior colaphus fuerit? In multis porro delictis talio nimis gravis erit futura, si non distinguatur, per imprudentiam, an per malitiam factum quid fuerit, aut si personarum discrimina non observentur, v. g. aliquis dum alteri colaphum infligere vult, gemma acuta, quam in digito gestabat, oculum ipsi præter intentionem excussit. Duriter sane cum ipso ageretur, si oculus iterum sit ipsi exsculpendus. Sic si honestus aliquis vir bajulo colaphum infixisset, durum nimis foret, si & ipsi colaphus sit reponendus, qui honesto viro valde ignominiosus est, bajulo non item. Denique in plerisque delictis talionis poena justo levior videtur. Idque contingit peculiariter quidem ex disparitate personarum, quæ injuriam intulerant, aut passæ sunt; aut ex disparitate loci, temporis, aliarumque circumstantiarum. In universum autem rudem illam talionem destruunt argumenta à *Grotio d. l. §. 32.* adducta, ubi recte negat illi, qui alteri delibato & sine causis culpam valde minuendis nocuit, tantumdem nocenti, & non amplius inferri debere. Add. *Apocalyps. XVII. 6.* Nam æquitati repugnat, ut par sit periculum innocentis & nocentis; neque

satis

fatis cavetur securitati hominum, si malis non immineat major metus à legibus, quam bonis à malorum petulantia, quibus insuper velut lucri adhuc vice est spes latendi, fugiendi, aut severitatem judicum quocumque modo evadendi. Quid quod & sanctissimæ leges eandem poenam in inchoata, quam in completa scelera quandoque statuunt. Vid. *Deuter. XIX. 19. Exodi XXII. 9. Edictum regis Theodorici c. 13. & 50.* Memoratu quoque digna est lex Indorum, quam refert *Strabo l. XV. Qui membro quempiam orbaverit, non modo talionis poenam subit, sed etiam manu truncatur. Quod si quis artificii manum oculumve ademerit, capitale est.* Solonis lege, qui alteri unum oculum eruerat, ei ambo erui debebant, apud *Diogenem Laërtium Solone.* Sicl. I. D. ad *L. Cornel. de sicariis* ea lege tenebatur, qui occidendi hominis causa cum telo ambulaverit. Cui rei etsi consequens sit, ut consummatis criminibus major debeat respondere poenæ: tamen quia in foro humano nulla poena morte est gravior, eaque iterari nequit, intra eandem necessario subsistitur; additis interdum pro ratione delicti cruciatibus, aut ignominia, quæ mortem antecedit, aut sequatur.

§. 28. Subjungendum quoque heic de poenis, quæ in foro humano nomine delicti, ab alio patrati, solent exigi. Ubi illos quidem, qui revera de reatu delicti participant, pro ratione influxus ad facinus aliquod puniri posse, extra dubium est; cum iidem non alienum, sed proprium delictum luant. Qui autem, & quo ordine de alieno delicto participant, supra est expositum. Add. *Jacob. Godofredus disc. ad l. quisquis C. ad L. Juliam Majest. c. 9. & 10.* Illud tamen notandum, inter restitutionem damni, & poenam id discriminis observari, quod in foro humano facilius quis damnari soleat ad refusionem damni, quam ad poenam simul sustinendam; cum facilius imprudentia aut levior culpa ad poenam deprecandam valeat, quam ad damni dati reparationem. Memorabilis est lex Thomæ Randulphi, Protegis Scotiæ, apud *Buchananum rer. Scotic. l. 9. Furta, ex belli contagione adhuc frequentia, ut compesceret, legem tulit, ut rustici instrumenta, ruri colendo comparata, in agris relinquerent: neve noctu domos, aut stabula clauderent. Damni dati si quod esset, pretium damni à præfectis juridicis peterent: præfecti à rege repeterent. Regi ex bonis latronum deprehenforum satisfaceret.* Verum circa delicta universitatum observandum, quanquam regulariter decreta, in quæ major pars

consensit, habeantur pro decretis universitatis, sic ut etiam pauci dissentientes ad istorum observationem atque executionem teneantur; (Vid. *Polybius* l. V. c. 49. *in fine*. *Plinius* l. 6. *epist.* 13. *Singulos, integrare, dissentire fas est; peracta, quod pluribus placuit, cunctis tuendum*;) tamen si agatur de reatu inde resultante, non inquinati intelligentur, nisi qui actu consenserunt. Innocens autem erit, qui & ab initio dissenserit, & in suo dissensu constanter perseveraverit. Vid. *Luca* XXIII. 51. Hinc Alexander cum captis Thebis omnes Thebanos sub corona vendidisset, illis libertatem reliquit, qui contradixerant decreto circa exuendam Macedonum societatem. *Plutarch. Alexandro*. Quin & excusari, saltem in tantum, solent, qui cum ab initio dissensissent, post per plures victi decreto vitioso exsequendo strenuam operam navant. Sic Græci memorantur percussisse Antenori & Æneæ, qui autores Helenæ reddendæ fuerant, ut hic pro patria non segniter arma gessisset. Est porro & hoc notandum, alia pœna affici universitatem ut talem, alia singulos. Singulorum pœna interdum est mors. Ejus vicem in universitate sustinet ejusdem dissolutio. Add. *Constitut. Sicul.* l. 1. tit. 47. Atque hoc modo si civitas esse definat, usum fructum velut morte finiri dixit *Modestinus* in l. 21. D. *quib. mod. ususfr. amittitur*. Singuli quandoque pœnæ nomine in servitutem abstrahuntur. Similem pœnam patitur universitas, si cum antea civitati immediate subesset, dein alteri subordinato corpori, aut civi subjicitur. Denique & singuli bonis multantur. Universitati ob delictum publicum publica quoque bona adimuntur, puta muri, navalia, naves bellicæ, arma, ærarium, agri publici, privilegia. Sic Theodosius publicum delictum Antiochenorum, qui ob indictionem novi tributi statuas Imperatoris in foro sitas everterant, punivit, interdicto ipsis theatri & balnearum usui; & adempto urbi nomine metropoleos, quo antea gaudebat. *Libanius orat.* XIII. Iisdem Marcus Imp. spectacula, & alia civitatis ornamenta sustulerat, quæ postea tamen reddidit. *Vulcatius Gallicanus in Avidio Cassio*. Sic Severus Byzantium maxima ex parte diruit, simul theatro, thermis, omnique cultu & honore detracto, in vici formam redegit, & Perinthiis adjudicavit, *Herodianus* l. 3. c. 6. Sic Constantius Imp. Constantinopolitanis, qui ipsius ducem Hermogenem interfecerant, frumenti congiarium gratis antea donatum pœnæ loco ademit. *ap. Socratem. hist. Eccles.* l. 2. c. 10. Etsi in delictis multitudinis & hoc rationis sit, ut

ut autores potissimum puniantur. Vid. *Livius* l. 28. c. 26. *ab init.* Inde ad taxanda tam delicta, quam supplicia universitatum, non parum facit illud *Quintiliani declam.* XI. *Perfudentium vires sunt, quicquid civitas facit: & quodcunque facit populus, secundum quod exasperatur, irascitur. Sic corpora nostra motum nisi de mente non sumunt, & otiosa sunt membra, donec illis animus utatur. Nihil est facilius, quam in quemlibet affectum movere populum. Nulli, cum coimus, sua cogitatio, sua mens, aut ulla ratio præstò est, nec habet ulla turba prudentiam singulorum, sive quod minus publicos capimus affectus, sive negligentior est, qui se non putat solum debere rationem; & multi fiducia facimus omnium.* Cicero pro *Cluentio*: Statuerunt ita majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Milites apud *Tacitum* A. I. puniret noxios, ignosceret lapsis. Add. *Polybius* l. XI. c. 27. in fine. & excerpt. legat. 28. c. 4. *Bodinius* de rep. l. 3. c. 7. p. m. 527. seqq. *Ant. Matthæus* de crimin. ad lib. 48. D. tit. 18. c. 4. §. 30. *Constitut. Sicule* l. 1. tit. ult.

§. 29. Hoc loco quæstio oritur: An pœna ob delictum universitatis semper exigi possit? puta, si delictum ante duas aut tres generationes publice sit patratum. Qui affirmare velit, eo colore uti posset, quod quamdiu universitas duret, illa eadem maneat, mutatis licet ac succedentibus sibi singulis. Quò facit illud *Plutarchi de sera Numinis vindicta*: *Est civitas res quadam unica & continens, animalis instar; neque mutationibus secundum aetates suam exiit naturam, aut ratione temporis aliud fit ex alio: sed semper eandem erga se affectiones, & natura sua consentaneas servat, omnesque eorum, quæ publice agit, aut egit causas in se continet, quamdiu communitas, quæ mutuis complexibus devincit, unumque corpus efficit, unitatem suam conservaverit. Ergo urbem perdurantem volumus opprobriis majorum obnoxiam esse, quo etiam sibi gloriam eorum & potentiam vindicat.* Verum rectius isthæc quæstio negatur, si de de pœna humana sermo sit. Nam ne in singulis quidem hominibus adeo necessum est antiqua delicta, uti recentia, & velut adhuc flagrantia vindicare. Unde etiam non citra rationem in jure Romano de præscriptionibus criminum traditur. Vid. *Anton. Matthæus* de crimin. l. 48. tit. 19. c. 4. Deinde probe observandum, quod quædam de universitate aliqua dicantur primo & per se, v. g. habere ærarium, habere leges, jura, privilegia, quæ singuli, qui sunt de isto cor-

pore, sua dicere non possunt: quædam autem competunt universitati non nisi ex derivatione à singulis: seu primo inhærent singulis, & postinde universitas denominationem accipit. Sic societatem aliquam dicimus doctam, fortem, temperantem, bene aut male moratam, &c. quæ plurimos socios doctos, fortes, temperantes, bene aut male moratos habet; etsi non repugnet, quo minus in ea nonnulli indocti, ignavi, aut intemperantes existant. Ex hoc genere quoque est, si dicamus universitatem aliquam pœnas esse commeritam. Meritum enim convenit singulis tanquam mentem habentibus, & prout scientes volentes agere possunt. Non habet autem universitas ut talis, & quatenus distinctum quid à singulis concipitur, animum, per quem possit edere actiones, meriti primo & immediate capaces, quæ quidem à singulorum actionibus plane sint distinctæ. Ex quo sequitur, si quidem illi cives, per quos civitas meritum contraxit, extincti sint, neque idem à sequentibus per actum aliquem fuerit continuatum, ipsum quoque meritum fuisse extinctum; ac proinde etiam aptitudinem ad pœnam, quæ sine illo recte infligi nequit. Add. *Grot.* l. 2. c. 21. §. 8. Equidem *Plutarchus d. l.* ad exemplum divini Numinis heic provocat, quod aliquando in posteris delicta majorum vindicare legitur. Enimvero de tribunalis divini processu ad forum humanum argumentum per omnia ducere non licet. Sic & non sequitur, si æquum est, posteros præmia & honores accipere ob merita majorum: ideo & æquum esse, eosdem ob delicta majorum puniri. Nam beneficiæ est materia, ut in quemvis etiam immeritum, & gratis conferri possit; pœnæ non item. Et obsoletum quoque beneficium allegare Romani plausibile ducebant apud *Iustinum* l. 28. c. 1. ubi hanc rationem afferunt, quare Acarnanum defensionem contra Ætolos susciperent; quod Acarnanæ soli quondam adversus Trojanos, autores originis suæ, Græcis auxilia non miserint. Idem memorat *Strabo* l. X. Etsi cordatiores facile intelligunt, istud jactatum, ut ullus saltem color videretur, quare Romani negotiis ad se nihil spectantibus sese immiscerent. Ridicula quoque est sententia Mahometis II. ad Pium II. Pontificem: Se mirari, quod Itali foedere jungantur contra ipsum, cum tamen ipse communem à Trojanis originem ducat; & ipsius non minus quam istorum interfuit ob Hæctorem interfectum ulcisci Græcos, quibus nunc Itali faveant contra ipsum. *Ap. Mich. Montaigne essais* l. 2. c. 36.

§. 30. De cetero firmum manet istud: in foro humano ob delictum alienū, de quo nulla ratione quis participavit, recte aliquem puniri non posse. Sed quia in vita humana videmus sæpe aliorum delicta occasionem præbere, ut aliis male sit; ne quis in errorem inducatur, observandum est; primo non omnia, quæ homini molesta, aut damnosa sunt, poenarum rationem habere. Qui confiscatis ob delictum bonis, ad egestatem redigitur, poenam patitur. Ast quam multi nascuntur, quibus præter corpus nullum patrimonium? Quam multi incendio, naufragio, incurfu hostium omnia sua amittunt; quibus sua egestas non poena humana, sed fatale malum, aut ut alii loquuntur, infortunium est. Unde si v. g. quæ ob delicta principum subjecti mala sentiunt, eadem considerare debent, tanquam incommoda alia, mortalium conditionem jam comitantia; uti sunt imbecillitas corporis, ægritudo senii, intemperies aëris, sterilitas, & similia.

§. 31. Deinde sciendum, aliud esse damnum directe datum, aliud quod tantum per consequentiam venit. Illud est, quando alicui aufertur, ad quod jus proprie dictum jam habebat. Hoc autem vocatur, per quod intercipitur conditio, sine qua iste jus non erat habiturus. Exemplum extat in l. 24. §. ult. l. 26. D. de damno infecto. l. 63. D. ad L. Falcidiam. Sic quando parentum bona confiscantur, sentiunt inde incommodum quidem & liberi. Sed id proprie non est poena respectu liberorum; quia bona illa ipsorum futura non fuerant, nisi à parentibus ad ultimum spiritum forent conservata: adeoque confiscatio dumtaxat intercipit conditionem, citra quam liberis ad paterna bona nullum jus proprie dictum competebat. Vid. l. 3. D. de interditt. & relegat. Etsi legem Mogaldi regis Scotiae, ut damnatorum bona fisco addicerentur, nullam in partem liberis & uxoribus admissis, iniquam ac inhumanam non immerito vocet Buchananus rer. Scot. l. 4. Add. Grot. l. 2. c. 21. §. 10.

§. 32. Denique & illud notandum, interdum imponi alicui aliquid mali, aut auferri aliquid boni occasione quidem alterius peccati, aut quod alter suæ obligationi non satisfecit: ita tamen ut peccatum illud, aut defectus impletæ obligationis non sit propria & proxima causa, cur iste malum patiarur; neque alteri directe ex eodem peccato jus nascatur, quare istum recte possit malo multare. Sic fidejussores sæpe aliquid damni patiuntur, debitore, pro quo intervenerunt, fidem violante. Ast proxima causa obligationis, quare fidejussor alienum debitum

luere

luere teneatur, est ipsius promissio. Nam uti qui pro emtore fidejussit, proprie non ex emto tenetur, sed ex promisso: ita & qui pro delinquente fidejussit, proprie non ex alieno delicto, sed ex sua sponfione tenetur. Ex quo consequitur, quod ubi fidejussori aliquid mali sit patiendum, id mensuram accipere debeat non ex delicto alterius, sed ex ea potestate, quam ipse in promittendo habuit. Adeoque quando delinquente elapso ad vadem necessitas luendi devolvitur, non spectandum est, quantum mali delinquenti recte potuerit imponi; sed ad quid malorum pro altero tolerandum nudo suo consensu obligare sese quis potuerit. Ex quo etiam colligitur, quousque in causis capitalibus vades admitti queant: nempe hactenus tantum, ut vel vas promittat magistratui, cui delicti est persecutio, se damnum eo datum sarturum, vel caveat de reo sistendo; idque ut reus jam comprehensus carceris molestia liberetur, neque ex vinculis causam dicere cogatur; vel ne in absentem & indefensum tanquam convictum aliquid statuatur. Sed ut capitalem poenam pro reo subeat vas, neque obligare iste se potest, cum tanta homini in propriam vitam non sit potestas; neque istam poenam exigi processus fori humani patitur. Poena enim propter delictum infligitur, eo fine, ut improbitas hominum sistatur. Atqui neque ipse vas deliquit, neque actu fidejussionis reatum delicti in se derivavit. In eo enim nullum est crimen, velle, ut reus æquiore loco causam dicat, aut meliore sit conditione, donec sententia in ipsum feratur; aut promittere, se multam pecuniariam reo dictam exsolviturum, uti & id, quanti magistratus æstimaverit, quod facultas poenæ sumendæ per fugam rei fuerit subtracta. Sed nec finis poenæ humanæ obtinebitur, punito vade. Ille enim punietur, non quia peccavit, sed quia alterius fidem secutus tanto sese periculo exposuit. Atqui per talem poenam id duntaxat efficeretur, ne alii deinceps ita facile pro aliis intervenirent; non ut à delicto, quod reus in se admiserat, abstererentur. Adeoque talis poena non respiceret delictum rei principalis, sed imprudentem credulitatem vadis. Igitur non recte naturam poenæ, ac officium suum circa eandem exigendam intellexit magistratus, qui vadem supplicio affecit; nisi ubi dolo egisse ipsum adparuerit, ut disciplinæ publicæ vim hac ratione eluderet. Sic & cum homini in propria membra non sit tale jus, ut pro lubitu illa possit perdere; patet itidem, non posse aliquem sese obligare ad ferendam pro altero poenam mutilationis.

Aliud

Aliud autem est, quando capite puniuntur custodes reorum, qui per negligentiam, aut ex collusionem reis occasionem elabendi dederunt. Hi enim non ob alienum, sed ob proprium delictum puniuntur. Vid. 1. *Regum* XX. 39. *seqq.* *Actor.* XII. 19. Quin imo licet alias liberis patribus familias de sua civitate statuendi jus sit; non tamen vadi recte videtur exilium indici; tum quia illud pœnæ rationem non videtur obtinere posse, tum quia non interest civitatis, ejusmodi civem exigere. Huc & referri potest, quod *Garcilassius de la Vega Comment. Reg.* l. VI. c. 3. refert, cum vicina urbi regis Cusco oppida apud Peruanos quondam tributi loco ministros aulae regis suppeditarent, si quis horum quid deliquisset, id oppidum, à quo præsentatus fuerit, luisset. Sunt & alii casus, ubi quis occasione delicti alieni incommodum patitur. Sic v. g. si ego alterius ædes precario inhabitarem, casque ob delictum domini publicari contingeret, incommodum & ipse sentio, dum mihi jam est migrandum, cum fortasse diutius iste me inhabitare permisisset. Pœna tamen proprie non afficio. Nam fiscus, qui dominium ædium nactus est, suo jure precarium usum pro lubitu mihi finire potest. Sic proditorum & perduellium liberi sæpe honoribus excluduntur; id quod parentibus quidem in pœnam redundat, dum propter ipsos carissimi coguntur in gloria vivere. In liberis autem idem pœnæ rationem non habet; quippe cum in arbitrio civitatis sit, cui velit honores mandare; adeoque ipsa suo jure ab honoribus possit arcere, etiam tales, qui ipsi nihil peccaverunt, ubi ex usu rei, id esse judicatur.

§. 33. His ita distinctis patet, in foro humano neminem reatus immunem ob alienum delictum recte puniri. Cujus ratio est, quia aptitudo ad pœnam ex merito oritur, cujus fundamentum est sua cujusque voluntas, qua homini nihil magis proprium, quæque nisi ex motu intrinseco vitium contrahere non potest. Nam quod *Grotius* d. l. §. 12. putat exemplum etiam statui posse extra personam delinquentis in persona, quæ tenerrimo amoris vinculo ipsi jungitur, id falsum est. Neque ad rem facit, quod *Plutarchus de sera Numinis vindicta* adfert: *magistrum uno puero caso reliquos officii monere, & decimatione facta, imperatorem totum pletere exercitum.* Nam & puer qui cæditur, & decimus quisque qui plectitur, nocens erat. Cui consequens est, liberos innoxios non debere puniri ob delicta majorum. Vid. l. 22. C. *de pœnis*. l. 26. D. *de pœnis*. *Gratianus caus.* l. *quæst.* 4. c. 6. 7. 8. Inde quidam illud *Josue* VII. 24. exponunt,

O o o o o o

libe-

liberos Achani adductos, ut cum omni populo simul à Jofua erudirentur, monerenturque sibi à talibus cavere; non ut interficerentur cum patre; eoque sequentia verba, *lapidarunt eos* intelligenda tantum de Achae & jumentis ejus. Quod si hæc explicatio non admittatur, confugiendum est ad eam responsionem, quam suggerit *Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 8. in fine. Ovidius metam. l. 4. Illic immeritam maternæ pendere lingua Andromedæ pœnas injustus jusserat Ammon. Statius Thebaid. l. 1. Ne perge queri, casusque priorum Annumerare tibi. Nec culpa nepotibus obstat. Tu modo dissimilis rebus mereare secundus Excusare tuos.* Sic abominanda, & quæ diritate omnes leges superet *Ammiano Marcellino l. 23.* dicitur lex Persarum, qua ob noxam unius, qui in regem deliquit, omnis propinquitas perit. Vid. *Herodotus l. 3. de Intapherne. Justin. l. X. c. 2. De simili Macedonum lege vide Curtium l. VII. c. 11. l. VIII. c. 6.* Equidem facile patet, diris hisce suppliciis salutem suam munitum ivisse reges. Ap. *Justinum l. xxvi. c. 1.* Hellanicus dicitur ad cædem Aristotimi tyranni animatus per senectutem & orbitatem, ut qui nec ætatis nec pignoris respectu timeret. Add. *Idem l. 21. l. 4. n. 8.* In similem sententiam loquitur A. Cæsellius apud *Valerium Max. l. VI. c. 2.* At qui suam contemnere vitam potest, timidior redditur, si norit, omnibus suis secum, & propter se pereundum. Deia cavere sibi volebant, ne paternæ necis ultores essent filii. *Νῆπιος, ὁ πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει. Stultus, qui cum occiderit patrem, filios relinquit. Aristot. Rhet. l. 2. c. 21.* Sicuti nec facile creditur quis tantam rem moliri, non adhibitis in conscientiam propinquis. Quas ob rationes Parmenionem ab Alexandro occisum tradit *Arrianus l. 3.* Jactatur quoque illud Cassii apud *Tacitum A. XIV. habet aliquid ex iniquo magnum exemplum, quod in singulos utilitate publica rependitur. Conf. t. t. D. ad Scrum Silaninum.* In l. 4. C. ad L. *Juliam Majestatis* dicitur: filii perduellium paterno supplicio perire debent, in quibus paterni criminis exempla metuantur. Vid. *Ant. Matthæus de crim. l. 48. tit. 2. §. 10.* Sic *Ammian. Marcellinus l. 28.* memorat, quod Maratocupenorum, (qui erant latrones in Syria à vico, quem incolebant, sic dicti,) soboles parva etiam tum cum parentibus sit deleta, ne ad parentum exempla succresceret. *Hobbes Leviathan c. 28.* hanc rationem profert, quod isti majestatis læsæ rei hostes se civitatis profiteantur, adeoque jure belli coërceantur. Atqui in bello neque gladium judicare, neque victorem distinguere quatenus ad tempus præteritum inter nocentes & innocentes, neque cuiquam parcere, nisi quare-

nus.

nus conducit ad salutem civium. Sicuti & alias judicia majestatis hoc
 habent peculiare, quod ibi in causa propria Princeps esse judex possit; &
 aliquando absque ambagib⁹ processus ab executione fieri initium que-
 at. Add. *Grotius ad Iosuan* c. l. 18. Et si religioso principi merito præ ocu-
 lis habenda oratio Tiberii ap. *Tacit.* A. 3. in causa Cn. Pisonis habita. E-
 nimvero ne in bello quidem gladius recte sævit in ætatem innocentem.
 Et cum qui in civitate nascuntur, cives & ipsi sint, non adparet, quo mo-
 do hostiliter ipsi tractari queant, nisi proprio facinore in hostes de gene-
 raverint. Igitur nullo alio modo innocens filius rebellionem patris lu-
 cre potest, quam ut ipsi intercipientur ea bona, quæ alias à patre in eum
 erant devolvenda. Et si apud Peruanos quondam sub imperio Yncarum,
 si Curaca ob delictum morte affectus esset, filius ideo munere paterno
 non excludebatur, sed potius delictum & poena patris ob oculos ipsi po-
 nebatur, ut ab isto sibi caveret; apud *Garcilassum de la Vega Comment. Reg.*
 l. 2. c. 13. Ab honoribus autem indebitis arceri poena proprie dicta non
 est. Sed nec cæteræ rationes iniquitatem hujus poenæ tollunt. Sicuti v. g.
Dionys. Halicarn. l. 8. tradit, Græcos, qui tyrannorum liberos simul vel ne-
 carunt, vel in exilium ejecerunt, persuasum habuisse; *quasi natura non fe-
 rat bonos filios nasci è malis patribus, aut malos è bonis.* Add. *Philo Iudaus de
 specialibus legibus.* Et laudari meretur illud Marci apud *Vulcatium Galli-
 canum in Avidio Cassio: Quare filius Cassii, & genero, & uxori veniam dabi-
 tis. Et quid dico veniam? cum illi nihil fecerint.* Neque ista per commina-
 tiones divinas excusantur; cum de foro humano nobis sermo sit. Add.
Gratius d. l. §. 14. Recte quoque commendatur lex Ægyptiorum, qua ve-
 tabatur, ne mulier prægnans mortis supplicio afficeretur, donec partum
 edidisset. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 77. *Ælian.* V. H. l. V. c. 18. l. 3. *D. de poenis.*
 l. 5. §. 2. l. 18. *D. de statu hom.* *Plutarch. de seve Numinis vindicta,* quam aliæ
 gentes quoque receperunt. Add. tamen *Quintilianus declam.* 277. Quis
 contra sit poenarum rigor apud Japonios; vid. ap. *Bern. Varenium. descr. Ja-
 ponia.* c. 18. *Ferdin. Pinto itin.* c. 55. *Bern. Varenius de relig. Japon.* c. II. p. 192.
 Quo loco & illud monendum, potestate sua abusos legislatores, qui oc-
 casione ex unius aut alterius delicto arrepta in totum aliquod genus Iuri
 quid statuerunt; ut ut illud lapsu temporū mortis non ingloriosæ speciem
 induerit. Sicuti contigit circa legem quorundam Indorum de cremanda
 cum defuncto marito uxore; cujus causa fuit, quod uxores maritorum

fessæ eos veneno tollere gauderent, ut recentibus maritis locum præberent. Vid. Cicero *Tusc. Quæst.* l. 5. Solinus c. 65. Diodorus Siculus l. XVII. c. 91. & l. XIX. c. 33. Strabon. l. XV. Abr. Rogerius de *Braminibus part.* I. c. 19. 20. Patet quoque ex hisce, hæredem de pœna non teneri, quæ corpus aut famam delinquentis affectura erat. l. 20. D. de pœnis. De multa tamen pœcuniaria tenetur, etsi non supra vires hæreditatis, si æquitatem velimus respicere. Vid. l. I. D. de *privatis delictis.*

CAPUT IV.

DE POTESTATE IMPERII CIVILIS CIRCA
DEFINIENDUM VALOREM CIVIUM.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Existimatio definitur, & dividitur.</p> <p>2. Existimatio simplex naturalis;</p> <p>3. Qua est vel integra:</p> <p>4. Vel deminuta: 5. Vel consumpta.</p> <p>6. Existimatio civilis simplex deficit vel ex statu:</p> <p>7. Velex antegresso delicto.</p> <p>8. Non est infame duellum legibus vetitum detrectare.</p> <p>9. Existimatio simplex ab arbitrio imperantium non dependet.</p> <p>10. Neque pro illis consumi potest.</p> <p>11. Existimatio intensiva.</p> <p>12. Ejus fundamenta.</p> <p>13. An honoris fundamentum sola potentia.</p> <p>14. Per ista fundamenta producit tantum aptitudo ad honorem.</p> <p>15. Quis jure suo præcedentiam præ altero habeat.</p> <p>16. Argumenta, ex quibus præcedentia prætenditur.</p> <p>17. Examinatur antiquitas.</p> | <p>18. 19. Potentia, ejus qualitas, & tituli.</p> <p>20. Rex regi cedere nos tenetur.</p> <p>21. Quomodo reges convenire possint citra contentionem.</p> <p>22. De ordine inter socios.</p> <p>23. Civium designare ordinem est summi imperii.</p> <p>24. Quomodo diversarum civitatum cives comparentur.</p> <p>25. Nobilitas natalibus non inest à natura:</p> <p>26. Sed ab impositione civitatum.</p> <p>27. Quæ tamen meritis niti solet & debet.</p> <p>28. Indoles Romana nobilitati primis temporibus.</p> <p>29. Eam postea gesti honores metiebantur.</p> <p>30. Quæ indoles nobilitatis hodie in pleraque Europa.</p> <p>31. Alicubi nobilitati sanguinis exiguum pretium.</p> <p>32. Quatenus honores civiles ab arbitrio civitatis dependant.</p> |
|--|--|

Quar-

Quanquam extra civitatem quoque in libertate naturali existant nonnulla fundamenta, quibus unus alteri merito præferri queat: tamen cum à pacto, aut definitione imperii civilis dependeat, ut ista fundamenta alicui jus pariant, igitur hoc loco commodissimum visum, universam materiam de distinctione hominum secundum existimationem exponere. Est autem existimatio valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari, aut comparari, eisque vel antehaberi, vel postponi. Habent scilicet non exiguam inter se cognationem duæ nobilissimæ species quantitatum moralium, existimatio, & pretium, quarum illa in personis, hoc in rebus consideratur, quod ex illa personæ, ex hoc res in vita communi æstimentur. Et quemadmodum pretia rebus eo potissimum sine sunt imposita, ut res invicem permutandæ, aut ab uno in alterum transferendæ recte possint inter se comparari: sic & existimatio ei fini inservit, ut ratione istius tanquam valoris homines inter se queant comparari, quo decorus inter ipsos ordo, ubi conjungi eosdem contigerit, constitui possit: postquam omnimodam æqualitatem in genere humano commode servari haut quidquam posse satis adparebat. Potest autem existimatio dividi in *simplicem & intensivam*. Quarum utraque consideranda venit, tam inter eos, qui in naturali utrinque libertate vivunt, quam qui eadem civitate continentur.

§. 2. *Existimatio simplex* inter eos, qui in naturali invicem libertate sunt constituti, in hoc potissimum videtur consistere, ut quis talem se ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & ad socialitatis humanæ leges sese accommodare prono, quique adeo legem naturalem adversus alios, quantum in se, observare sit paratus. Scilicet uti rem, quæ qualemcunque usum in vita humana obtinet, alicujus pretii esse dicimus; inutilem penitus nullius pretii vocamus; ita aliquem saltem valorem dixeris esse ejus, quicum utcunque tanquam cum animante sociabili potest agi. At si quis ineptitudinem ad societatem palam ostendet, quod sit, legem naturæ, & officia inde aliis debita proterve adspernando & proculcando, cum merito nullius valoris hominem judicaveris.

§. 3. Isthæc existimatio considerari potest, vel ut *integra*, vel ut *deminuta*, vel ut penitus *consumpta*. *Integra* est, quando quis nondum

0000003

per

LIBERTATE
 CAPUT IV.
 LIBERTATE IMPERII CIVILIS
 FUNDAMENTA VALOREM CIVITATIS
 1. Libertas
 2. Libertas
 3. Libertas
 4. Libertas
 5. Libertas
 6. Libertas
 7. Libertas
 8. Libertas
 9. Libertas
 10. Libertas
 11. Libertas
 12. Libertas
 13. Libertas
 14. Libertas
 15. Libertas
 16. Libertas
 17. Libertas
 18. Libertas
 19. Libertas
 20. Libertas
 21. Libertas
 22. Libertas
 23. Libertas
 24. Libertas
 25. Libertas
 26. Libertas
 27. Libertas
 28. Libertas
 29. Libertas
 30. Libertas
 31. Libertas
 32. Libertas

per malitiosum aliquod & enorme facinus sciens volensque dolo male legem naturæ adversus alium violavit. Nam peccata infirmitatis humanæ conditioni condonantur, neque per illa statim opinio boni viri extinguitur, modo honestus animus, justumque sectari cupidus perstet. Atque isthæc existimatio omnibus adesse præsumitur, quousque ipsi per malitiam eandem non delibent. Adeoque naturaliter cuique hæc æqualiter dicenda est competere, ac citra antegressum pravum factum omnes æque honesti sunt judicandi. *Plinius l. 5. epist. 3. Sanctitas morum non distat ordinibus.* Cui fundamento innititur tritum illud: *quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium.* Neque obstant illa, quæ ab *Hobbesio de cive c. 1.* disputantur de malitia humani ingenii, & ad lædendum alios libidine. Quæ si absolute vera sunt, sane jam quilibet præsumitur malus, donec contrarium probetur, vel potius donec vis nocendi fuerit adempta. Enimvero quod ille præsupponit principium, universaliter verum non est: *omnes homines sibi invicem posse, & velle nocere*, uti supra ostensum. Quia tamen homines sibi invicem *possunt velle nocere*, igitur naturaliter omnes homines habendi erunt pro bonis, sed qui mali fieri possunt, & pro amicis quidem, sed quibus non usquequaque tuto fidas.

§. 4. *Diminuitur* isthæc existimatio per facinora malitiosa, cum primis enormia, contra jus naturæ aliis immerito illata; quæ efficiunt, ut non tutum sit aliis deinceps fidem ejusmodi deceptoris habere, ac citra solidam cautionem cum ipso negotii quid contrahere. Diminuitur tamen per prava facta alicujus existimatio, non penitus consumitur. Nam etsi suspicari non improbabiler possim, talem quemque fore erga me, qualem adversus alios sese gessit: id tamen non semper ita solet esse certum, quin interdum contrarium adpareat. Quippe cum peculiare potuerint existere causæ, quæ ipsum ad decipiendos alios irritaverint, quæ in me non deprehenduntur. Potuit & quis uno tempore pravis affectibus agitari, à quibus alio tempore est immunis. Potest tamen isthæc existimationis macula, ex prave factis contracta, deleri, præstita ultro damni dati reparatione, aut æstimatione, atque edito animi poenitentis documento. Hæc enim sponte elicitæ sufficientem possunt fidem facere animi serio emendati.

§. 5. Ast vero hanc existimationem penitus *consumit* vitæ genus, & in-

& institutum, directe spectans ad aliis promiscue nocendum, & rem ex-
manifestis aliorum injuriis faciendam. Equidem dantur & in civitatibus
quædam vitæ genera, quæ exercitium certi cujusdam vitii profitentur;
ut sunt meretrices, lenones, validi ac vagabundi mendici, quos &
Plato de LL. I. XI. ex sua civitate ejici jubet: & per quos civitatem *varaj-*
quin&aj *probo affici pronunciat* *Isocrates Areopagitico.* Atticus Episcopus
Constantinopolitanus: *velu in eas conferre, non qui ventris causa quasi mer-*
catuam per totum vita tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erube-
scunt; apud *Socratem hist. Eccles. l. VII. c. 25.* Sic mendici quondam apud
Peruvianos sub imperio Yncarum non tolerabantur. Vid. *Garcilassus de*
la Vega Comment. Reg. l. V. c. 9. Sed ibidem qui alere seipsum ob vitium
corporis non poterat, è publico sustentabatur. Ib. l. V. c. 11. Item apud
Ægyptios quondam fures professi, de quibus *Diodorus Siculus l. I. c. 80.*
Qui furtis operam dare volunt, nomina apud furum principem profitentur, & è
vestigio furtum ex pacto ad eum referunt: qui res suas amiserunt, consimiliter
unumquodlibet amissorum literis consignatum exhibent, locumque ac diem, qui-
buis jaëturam fecerint, adscribunt. Hoc modo cunctis facile repertis fraudatus
taxatione rerum facta quadrantem horum persolvit, & tum sua recuperat.
Cum enim fieri non possit, ut omnes à furto abstineant, viam legislator invenit,
qua tota res sublata præter exiguum redemptionis pretium servaretur. Enim-
vero crediderim, pauciori privatorum dispendio id genus hominum pos-
se sustentari, adhibitis diligenter ergastulis, virgis, atque restibus. Talium
quantilla sit existimatio, civitatis, quæ illos tolerat, est definire. Saltem
communi hominum jure frui debet, cui publice vitium exercere indul-
getur. Quo spectat ex postulatio lenonis apud *Terentium Adelp. act. 2. sc. 1.*
Leno sum fateor, pernicies communis adolescentium, perjurus, pestis: tamen tibi
à me nulla orta est injuria. Vid. *Constitut. Sicularum l. 1. tit. 20.* At naturaleni
existimationem vehementer profligari per vitæ genus, qualiscunq; vitii
professionem habens, constat: ni tamen illud vitium cum aliorum injuria
sit conjunctum, non videntur tales tanquam communes omnium hostes
posse tractari. Verum quorum professio injuriam aliorum habet propo-
sitam, quique adversus quoslibet homines, aut illos saltem, qui extra
ipsorum consortia degunt, promiscue eadem, qua in bestias, licentia utun-
tur, adeoque cum hominibus, non cum hostibus bellum gerunt; eos pe-
nitus illa existimatio deficit, qua quoslibet aliq; homines metimur. Inter
quos

quos referuntur piratæ, prædones, latrones, sicarii, manticularii, & id genus alii. Nec ab illo censu eximuntur, si qui non ad extremum in omnes promiscue sævire soleant; puta, quod contenti res rapuisse cædibus abstineant, aut crumena, pallioque delinicti recedant. Nam justitiæ laudisque nihil habet, non omnes numeros injustitiæ implere. Sed & quin sub hac classe censerī debeant integri cœtus piratarum & latronum, quamdiu quidem isti vitæ generi non renunciaverint, dubio caret; utut forte instar aliquod justitiæ inter se videantur exercere. Sicut apud *Iuliodorum Æthiop.* l. V. memoratur νόμος ληστῆρας, ὃς ἐστὶν ἐπιβάσθαι νῆας πολεμίας, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ἀγῶνα προκινδυνεύσαντι, ἢ κατὰ βέλπον ἐκλογὴν ἀπιτεῖναι. *Lex piratarum, quæ ei, qui primus navem hostilem conscendit, & se pro omnibus certamini periculosissimo obtulit, electionem pro ipsius arbitrio tribuit.* Et ibid. σώζεται καὶ παρὰ ληστῆρας ἡ συνειδήσις καὶ πρὸς τοὺς γυναιμῶνας φιλάδραστοι. *Servatur & apud prædones conscientia erga notos officii & humanitatis.* Imò nec excluderim integras, si quæ essent civitates, quæ coiverint quidem juris inter suos fruendi causa; de cætero autem in alios omnes hostilia exercent, nulla pactorum & fidei aliis datæ habita ratione. Quod si autem sint civitates, quæ pacta cum aliis inita servant, sed vel adversus alios quosvis, vel saltem adversus certas gentes quædam juri naturæ non congruentia citra justam causam inferre sueverunt; iis omnem existimationem detrachere non licebit, etsi eam non parum deformatam existere liquet. Effectus porro, qui ejusmodi homines existimatione penitus destitutos apud alios consequuntur, hi fere sunt; ut nisi vitam istam rapacem & cruentam abdicatum eant, ab aliis non magis parci ipsis conveniat, quam lupis, aut aliis truculentis belluis. Et ubi deprehensi fuerint, atrocius plerunque solent tractari, quam alii hostes, utut & hi ultima nobis intentaverint. Sed & indigni habentur, quibus ullum humanitatis etiam simplicis officium exhibeatur, quippe quo ad nocendum aliis confirmantur. Quin & uti in ipsorum fide, quam dare velint, nihil fiduciæ locandum, cujus apud alios opinionem vitæ ipsorum atrocitas elidit: ita nec fidei ab aliis datæ ipsos capaces esse, quamdiu istius scelestæ vitæ continuationem præ se ferunt, (id quod semper præsupponitur,) non absurde videtur asseri posse. Vel enim ultro cum tali pacifcor, vel vi ipsius injusta compulsus. Prius quomodo fieri possit non video, nisi ut & ipse scelerum ejus contagione inficiar, dum tanquam cum amico ago, qui se com-

communem omnium hostem, præterquam suorum complicum, fert. Quid quod sæpe fidem latroni servare, v. g. in deposito, cum injuria aliorum est conjunctum. Vid. l. 31. §. 1. D. *depositi*. Quod si autem latro operam mihi aliquam utilem præstiterit, qualem quidem abs tali accipere mihi non turpe fuerit, æquum sane videtur, ut promissam mercedem ipsi exsolvam. Sed tunc iste latro non amplius erit, qualem heic supponimus, communis omnium præterquam suorum sociorum hostis. Pacta autem metu extorta esse invalida supra ostensum. Cæterum recuperari potest ejusmodi hominum amissa existimatio, si vitæ genus sceleratum exuerint, aliudque honestum susceperint. Quod non in singulis tantum, sed & integris in cœtibus latronum & prædonum procedit. Ex quo tempore cum illis tanquam cum honestis hominibus erit agendum. Ut tamen prius injuriarum datarum reparationem fecerint, aut condonationem obtinuerint.

§. 6. *Existimatio simplex intra civitates degentium* est, qua quis pro membro saltem vulgari, coque integro civitatis reputatur; seu ut quis juxta leges & mores civitatis pro vitioso ejusdem membro non fuerit declaratus, & aliquo esse numero, caputque habere intelligatur. Isthæc porro existimatio in civitate deficit vel *ex merito statu*, vel *ex delicto*. Prius contingit itidem duplici modo; vel ut status ille in se naturaliter nihil turpe habeat, vel ut cum vitio aliquo, aut saltem ejus opinione sit conjunctus. Solus status, qui natura sua nihil vitiosi habet, existimationem simplicem in multis civitatibus adimit mancipiis, quæ pro personis civilibus non reputantur; seu quæ caput civile non habere, nulloque numero intelliguntur esse. Quam vilis istorum conditio apud Romanos fuerit, notissimum est. Speciminis loco Vid. l. 6. D. *ad L. Juliam de adulter*. l. 23. l. 29. C. d. t. Nec major servorum gentilium æstimatio apud Ebræos. *Josephus archæol.* IV. 8. *Sed neque servi testimonium perhibeant propter ignobilitatem animi, quos aut propter lucrum, aut propter timorem verissime potest credi, non posse vere testari.* Add. *Seldenus* l. V. c. 3. *Lex Wisigothorum* l. 2. lit. 4. c. 9. In quibusdam quoque civitatibus sat tenuis spuriorum existimatio; cum tamen quod tali modo sint geniti, non ipsorum, sed parentum culpa versetur. Vid. l. C. *ad SCtm Orfitianum*, & *Stobaum serm.* 75. Nisi quod non plane de nihilo sit illud *Procopii in historia arcana*: *Fœminarum flagitia non solum in conjuges derivantur, sed ad liberos*

P P P P P

multo

multo magis pertingunt, quos notam diuturna turpitudinis ferre contingit, quasi maternam labem naturâ referant. Apud Indos quoque infamis habetur certa stirps hominum, Peneas dicta; de qua vid. *Abr. Rogerius de Bramin. part. 1. c. 2.* Posteriori modo status existimationem civilem tollit aut minuit, quod in isto constituti circa talia negotia occupentur, quæ sine vitiiis obiri non possunt, vel propter sordes non nisi à vilissimis, & abjectissimis hominibus animi exercentur. Quo loco prioris sortis homines censeantur, ex cujusque civitatis legibus aut moribus patebit. Quam ad rem spectat, quod refert *Valerius Max. l. VII. c. 7. de Q. Metelio*, prætoris urbano, qui *Vecilio lenoni honorum Juventii possessionem secundum tabulas testamenti non dedit: quia nec factum illius probare voluit, qui fortunas suas in stabulum contaminatum projecerat; aut huic tanquam integro civi jurare reddere, qui se ab omni honesto vita genere abruperat.* *Ibidem*, cum *Genacius*, Magna Matris Gallus, à *Cn. Oreste* prætoris impetrasset, ut restitui se in bona *Næviani* juberet, *Consul Æmilius Lepidus* decretum prætoris rescidit; ne obscœna *Genucii* presentia inquinataque voce tribunalia magistratum sub specie petiti juris inquinarentur. Quo pertinet etiam *l. 1. D. de aleator.* ubi prætor negat, se judicium daturum, si quis eum, apud quem aleatorum esse dicetur, verberaverit, damnumvè ei dederit, si ve quid eo tempore dolenti subtractum fuerit. Ad posteriorem classem pertinet, quod in multis civitatibus carnifices, lictores, foricarii, & similis farina homines ab honestiorum consortio excluduntur. Id quod quarundam civitatum legibus expresse constitutum est. Sicut Romæ quondam carnificem non modo foro, sed etiam cælo hoc, à spiritu censoria leges, atque urbis domicilio carere voluerunt; veluti cujus contagione concio funestaretur. *Cicero pro C. Rabirio.* Alibi communi duntaxat consuetudine, & opinione talibus misceri purdendum habetur. Idque tum quia ministeriis illorum, cum atrocitate & fœditate conjunctis, plerunque mores solent respondere; tum quia non nisi viles animæ ad talia ultro sese adplicant. Quanquam apud Romanos milites exsequendis suppliciis frequenter adhibiti non in castris modo, sed & in urbe, citra ullam infamiam, aut detrimentum existimationis. Vid. *Petri Fabri Semestria l. 2. c. 6.* quia aliud est ex peculiari mandato superioris executionem facere, aliud est eam velut artem profiteri. Sic & apud Judæos fontes à toto populo lapidabantur. De *Witoldo*, *Lithuanicæ* ducere fert *Mich. Montaigne essai l. 3. c. 1.* ipsum introduxisse, ut ad mortem condemnati sibi ipsis manus inferrent; quod inconveniens sit,

fit, tertium innocentem adhiberi, ac homicidio onerari. Quæ ratio tamen inepta est, cum carnifex sane homicidium non admittat, pœnam executioni dando. Aliqui hanc rationem afferunt, quia in præstatione ministerii sui nihil præter dolorem in eo, qui punitur, spectare præsumuntur, quod humanæ naturæ mansuetudini repugnat. Sic legibus Romanis notantur, qui mercedis causa in scenam prodeunt. Vid. l. i. D. de his qui not. infam. aut qui operas suas, ut cum bestiis depugnarent, locaverint. l. i. §. 6. D. de postulando. Ubi infamix irrogandæ fundamentum non tam consistit in aliquo malo facinore, cum talia etiam innoxie possint obiri; sed quod ista ob lucrum patrare tanquam foedissimum Romanæ indoles gravitatis aversaretur. Nam sæpe sola merces operam aliquam vilem solet reddere. Sic & iisdem legibus non nisi ob suspicionem animi levissimi, & fidei amorisque desultorii infamiam pariebat, intra tempus luctui destinatum filiam viduam alteri nuptum locasse, talem duxisse, aut sub sua potestate constitutum pati ducere, aut hoc modo nubere. Sic apud antiquos Canariarum incolas magnum ignominix & dedecoris specimen fuit habitum, lanii officio fungi; uti tradit *Aloysius Cadamustus navigat. c. 2.* Quod idem de Utopiensibus suis tradit *Th. Morus Utop. l. 2. Seldenus de J. N. & G. l. 4. c. 5.* refert, Ebræos quatuor hominum genera à testimoniis & judiciis ob infamiam arcuissse: aleatores, foeneratores, quæstum facientes ex anni septimi seu Remissionis anni frugibus, & qui columbas volare docebant, addita ratione, quod horum nemo incumbat rebus, quæ ad firmitudinem seculi. i. e. ad bonum publicum, seu vitæ humanæ commodum spectant.

§. 7. Ex antegresso autem delicto existimatio simplex civilis plane deficit, quando quis juxta leges ob certum delicti genus, (nam omnia delicta civiliter existimationem non extinguunt. Vid. l. i. C. de modo multarum.) infamia notatur; idque vel ut vita naturali simul expellatur, & memoria quoque ejus damnetur, vel ut cum infamia civitate ejiciatur; vel ut in civitate quidem retineatur, non tamen velut membrum integrum, sed tanquam infectum; ut qui domicilio quidem civitatis, & communi legum tutela gaudeat, muneribus tamen publicis, ac honestis societatibus exclusus, & ad exercendos actus legitimos, existimationem salvam præsupponentes, inhabilis, seu intestabilis. Quæ autem crimina sint, talem infamiam conciliantia, ex cujusque civitatis legibus est cognoscendum. Vid. l. 5. §. 1. 2. 3. D. de extraordin. cognit. circa quam

Pppppp 2

tamen

tamen observandum, in uno atque altero exemplo non satis accurate distingui existimationem simplicem ab intensiva. Notanda quoque heic lex **Aegyptiorum**, quæ ordinum desertoribus; aut imperatorum jussa non exsequentibus, non mortis, sed infamia extremam pœnam decernebat. Quod si postea ignominiam strenuitate abolevissent, in pristinam dignitatem restituebantur.

Ita cum ignominiam gravius morte supplicium fecerit legislator, simul infamiam pro summo malo habendam docere voluit; simul nihil morte affecto vitæ communi profuturos amplius: honore vero dejectos pristina ingenitatis desiderio plurimum adhuc boni effecturos censebat. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 78.

Observandum porro est ex mente Jurisconsultorum Romanorum, turpia facta, quibus infamia contrahitur, notari vel immediate ipso jure, vel antegressa cognitione, & condemnatione judicis, vel honestorum virorum quadam velut censura; quam vulgo vocant *infamiam facti*. Vid. l. 13. C. *ex quib. caus. infam. irrog.* add. l. 2. D. *de obseq. parent. præs.* l. 20. D. *de his qui notant. infam.* l. 25. C. *ad L. Juliam. de adult.* Possis etiam huc referre, quod de Apalchitis tradit *Rochefort de scrip. Antill. part. 2. c. 8.* furum ibi nullam aliam esse pœnam, quam ut in omnibus conventibus hoc ipsis exproberetur. Sed hoc plerisque adeo acerbum videri, ut in incultas solitudines aufugiant. Circa quam tamen infamiam facti judicaverim, illam non tam immediate resultare ex opinione virorum gravium, quam ex ipsa quoque lege infligi ideo, quod talia facta virorum gravium opinione damnantur, ac foeda habentur. Nam ut turpe sit; viris probatis non probari: tamen nisi declaratio legis accedat, solo privato judicio nemo jacturam facit existimationis hæctenus, ut excludatur enrolmentis & juribus illis, quæ integram existimationem ex legibus civilibus comitantur. Unde & illud adparet, non statim fieri infamem, qui accusatus fuit de crimine infamiam pariente, aut cui illud est objectum. Nam uti recte Delphidio Oratori, exclamanti; *Ecquis nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit?* Julianus reponerat, *Ecquis innocens esse poterit, si accusasse sufficeret?* Quo potest adplicari & illud apud *Plautum Trinummum*: *Ne admittam culpam, ego meo sum pronus pectori. Suspicio est in pectore alicno sita.* Sed tunc demum crimen infamiam parit, ubi quis de eodem fuerit condemnatus, aut idem agnoverit. Id quod etiam facere censetur, qui cum actore paciscitur, ut is ab actione desistat: quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur. l. 5. D. *de his qui not. infam.*

Nisi

Nisi forte ostendi queat, non conscientiam criminis, sed alias fuisse probabiles causas, puta vexationem fori, judicis immanitatem aut inimicitias, ut quis maluerit pacto cum actore defungi. Apud *Isocratem adversus Callimachum* quidam suaserant reo, ut cum actore transigeret. *Multa enim in judiciis prater opinionem evenire, & inferendis suffragiis casum potius quam aequitatem dominari. Quare utilius & conducibilius esse, parvo sumtu magnis criminibus liberari, quam nulla pecunia numerata tantum periculum subire.* Quanquam autem eo ipso integram quis existimationem censetur retinere, si super objecto crimine à iudice fuerit absolutus; tamen ut rei innocentia eo latius innotescat, simul puniendo calumniatori, in multis civitatibus receptum, ut ipse actor ad palinodiam adigatur, se ipsum mendacii arguere, deprecari, reoque honorem exhibere cogatur, & si quæ sunt alia. Ex *Josepho de bello Judaico* l. IV. c. 39. patet, ignominiam ex vinculis ortam deleri solitam, si vincula non recluderentur, sed dissecarentur: idque innocenter vinctis contigisse apud Romanos tradit.

§. 8. Ex hisce id quoque colligitur, veram infamiam non posse alicui inde conciliari, quod injurias verbis aut re sibi illatas non propriis armis, uti quibusdam in locis inter nobiles inprimis, & militares viros mos invaluit, sed per magistratum vindicare, aut easdem tacite concoquere voluerit; modo ista patientia non arguat foedi alicujus facinoris confessionem. Habet equidem multum segnitiae & timiditatis viro indecoris, quasvis injurias & insultationes deglutire, nec ad defensionem libertatis aut juris sui strenue accingi. Et plures sunt, qui suum velint facere illud *Neoptolemi* apud *Quintum Calabrum* l. 9. Ἡ θυσία μάλλον, ἢ ἀπολογία καλοῦσιν. *Emoriar potius, quam nomen ignavi geram.* Tamen si quis quarundam injuriarum vindictam cum iudicio magis adspernetur, quam per formidinem deserat, celsi satis animi documentum edit. Neque in eo quid est, quod existimationem naturalem aut civilem extinguat. *Hobbes Leviathan*. c. 27. *Civis à cive verba audit plena contumeliae, quæ nulla tamen lege lata puniuntur; metuensque nisi armis vindicet, pro homine haberi timido, ad arma provocat, & illum interficit. Crimen est, nec metu ejusmodi excusabitur. Quare? Quia civitas verba publica, id est, leges, apud cives plus valere vult, quam verba hominis singularis, cujus verbis pœnam constituere ideo neglexit, quia eos, qui ne verba quidem tolerare possint, promollissimis omnium hominum habet civitas.* Vid. tamen *Lex Salicæ* tit. 32. Multo mi-

nus autem infamia contrahitur in illis civitatibus, ubi privata injuriarum
exsecutio expresse per leges interdicta, si quis legibus potius parere, quam
obtentu vani honoris periculo simul ancipitis pugnae, legumque severi-
tati sese velit exponere. *Injustum rigido jus dicitur ense. Ovid. Trist. V. el. 7.*
Neque semper signum timiditatis est, cum alio quavis de causa in pu-
gnam nolle descendere, vitæque & fortunarum discrimen temere subire;
cum aliæ longe tutiores, & vitio carentes dari queant occasiones, quibus
quis fortitudinem suam queat ostentare. Exemplum Pulsionis & Vare-
ni centurionum vid. apud *Casarem de B. G. l. V.* Vid. quoque *Busbequius*
epist. 3. de Velibego. Sic apud *Plutarchum* Pyrrhus Antigonom conse-
leratum appellavit, provocavitque, ut in planitiem descenderet, atque de
regno secum decerneret. Ille vero respondit: *ἢ πᾶσι στρατηγῶν ἢ χ' ὀπλων*
μάλλον ἢ καρπῶν εἶναι. ductum suum non armorum magis, quam temporum esse:
Pyrrho, si vita pœniteret, multas patere ad interitum vias. Apud *Eundem An-*
tonio Augustus Antonio in duellum provocanti itidem respondit: *vias*
Antonio multas patere ad interitum. De militibus in regno Tunquin refert
Alexander de Rhodis itiner. l. 2. c. 6. quod licet in hostem fortiter pugnent,
vitæ suæ haut quidquam parci: inter se tamen ipsos fratrum instar invi-
cem amare, nec unquam arma contra commilitones suos expedire. Ii-
demque cum aliquando Gallum & Lusitanum duello congredi cernerent,
atoniti dixerant: se barbariem ejusmodi nunquam vidisse. Neque cor-
datum heic vulgi voculæ debent movere; cum cujusque civis existima-
rio judicio summi imperantis, legumque stet, cadatque; & in eo virtus sit,
legibus velle parere, spreta inani male feriatorum hominum opinione.
Ex quibus adparet, quid respondendum sit *Hobbessio Leviath. c. X.* qui vix
fieri posse putat, ut non gloriosum habeatur in duella promte descende-
re, cum id indicium sit potentia. Quare enim non indicium præ-
stantia possit haberi, impetum animi viresque ratione temperare nosse,
easque non nisi ad præscriptum legum exferere? Etsi non insuper sit ha-
bendum, quod *Idem d. l. c. 30.* svadeat: legibus duella prohibentibus hanc
quoque addendam, ut quicumque nobiles sunt aut haberi cupiunt, jura-
mento obstringantur, quod concivem ad duellum non sint provocaturi,
nec provocanti comparituri. Sic enim declinantes habituros honestif-
simum prætextum pugnam detrectandi. *Constitutiones Sicula l. 3. tit. 33.*
§. 4. acerbitate pœnæ isti malo obviam ire conantur, sumendæ de illis,
qui

qui contumelia alterum affecerint. Obiter duellorum antiquitatem, & ex quo fonte ea sint orta, docet *Diodorus Siculus* l. V. c. 28. *Galli inter ipsas epulas, causa ex jurgio quomodocunque arrepta, insurgere, & ex provocatione, nihili vitæ jacturam aestimantes, inter se digladiari solent.* Cujus rei ratio adsignatur, quod persuasi sint, animas denuo in corpora reverti. *Inde ruendi in ferrum mens prona viris, animæque capaces Mortis, & ignavum est redituræ parcere vitæ.* *Lucanus* l. 1. Eandem rationem audaciæ Germanorum adsignat *Appianus in Celtico.*

§. 9. Manifestum porro & illud est, existimationem simplicem naturalem non posse alicui adimi per imperantem pro mero arbitrio, nisi ex antegresso ipsius delicto, quod sui fœditate, aut per legum sanctionem expressam, infamiam habet comitem. Nam cum talis potestas nullo modo possit facere ad conservationem aut emolumentum civitatis, eandem in imperantes non fuisse collatam intelligitur. Quanquam uti per injuriam imperans civem civitate potest ejicere; sic itidem per injuriam poterit istum privare existimatione civili, saltem hæcenus, ut spoletur emolumentis illis, quæ existimationem integram in civitate comitantur. Intrinseca autem illa & naturalis existimatio non magistrali adimitur, quam ipsius honestus animus. Accedit, quod contradictionem involvat, infamem aliquem declarare ex nuda libidine, id est, arguere aliquem affinem fœdorum criminum, non quia revera ista patravit, sed quia innoxium hoc modo tanquam noxium tractare placet. Sed & illud certum videtur, neminem civem obligari, ut existimationem suam simplicem civitati impendat, seu ut veram infamiam contrahat propter utilitatem civitatis. Facta enim turpia, ex quibus vera infamia oritur, neque à civitate imperari possunt, neque à cive præstari debent.

§. 10. Illud non ita liquidum est, an ab honesto cive postulari queat, ut ipse principis aut civitatis infamiam in se suscipiat, seu pro istius sceleribus sese velut reum subdat? Hæc etsi videatur, vix posse quenquam sese scelestum sine scelere fingere; putaverim tamen, distinguendum esse inter delicta principis domestica sive privata, & publica, seu quæ in totam civitatem redundant. Circa priora, ut quis se pro principe reum subdat; neque hic honeste postulare potest, neque ille præstare; eo nempe sine, ut vel plausibilem prætextum sceleri principis suppeditet, vel maculam, quæ hujus existimationem naturalem affe-

ctura

Stura erat, in se derivet. Nam civilem existimationem principi, supra iudicia civilia posito, nemo ademerit. Neq; puto quenkum cordatum probaturum illud Aniceti factum, qui Octaviae sese adulterum iactabat, ut Neroni prætexus foret ipsam matrimonio exturbandi. Vid. *Tacit. A. xiv. 62.* *Euripides Helena: ἐδὲ Κυρῶνω χόρει θοίνῃ ἀν, ἐξ ἧς δυσκλήτης φανήσομαι. neque in fratris gratiam facile suscipiam maculas infamiae.* Add. historia Antonii Perezii apud *Thuanum* l. 104. Solet tamen non raro contingere, à ministro quidpiam tractari cum aliis ex mandato principis, aut contra eosdem suscipi, sed ita ut in reip. damnum sit redundaturum, si publico id consilio factum adpareat; quod damnum declinari queat, culpa in ministro collata, quasi privato id auso ab ipso fuerit susceptum. Heic arbitrator bonus civis non detrectabit ad avertendum à civitate sua magnum malum simulare, nullo publico mandato sese id egisse; modo ficta duntaxat infamiae poena defungiliceat. (Add. *Marselaër Legatol. 1. c. 33. p. m. 200.*) Nam mortem aut deditioem eo nomine subire, durum nimis foret. Illud autem quidquid est simulatae poenae facile iterum tolli, aut alia via pensari potest. Cæterum id manifestum est, infamiam civilem aboleri posse per eum, cui eandem infligendi potestas est. Vid. *Cornel. Nepos Alcibiade c. 6. Justinus l. 5. c. 4. Libanius orat. 7. Dissoluta esse, nec perfecta, quae perfecta fuerint, ex eo genere est, quod fieri nequit. Verum infamiam penitus delere ab ignominiosis, id integrum est. Hujus autem morbi medicus nullus alius est, nisi tu solus.* (Julianum Imperat. alloquitur.) Ita tamen, ut si quidem illa fuerit inflicta ex flagitiis, restitutio famae tantum producat effectus civiles externos integræ existimationis; naturalis existimationis labem per se haut quidquam tollat.

§. II. Existimatio *intensiva* est, secundum quam personæ, alias quoad existimationem simplicem æquales, sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero insunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem honor, qui intensioni existimationis respondet, significatio iudicii nostri de præstantia alterius. Unde revera honor non est in honorato, sed in honorante. *Aristoteles Nicom. l. 1. c. 3. Ἦμὴ δοκεῖ ἐν τοῖς ἡμιῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν πῶσιν ἡμιῶμεν.* Et si enim quilibet sibi ipsi valorem ponere pro lubitu queat, sicuti venditor merces suas quantivult, indicare potest: tamen ubi pretium mercium ultimato ab emptore definitur, ita quanti quis aliis videatur, penes hosce est determinare. Vid.

Ioan.

Joan. VIII. 54. Quanticunq; quis seipſū aſtimet, tanti tamen eſt, quanti aſtimatur ab aliis. Hobb. Lev. c. x. Ita tamen aliquis honore ab aliis ſibi delato afficitur, prout ille reſpondet valori, quem quiſque ſibi ipſi poſuit. Cæterum meronymica quadam ratione ipſa quoque exiſtimatio, ſeu id, quod honorem meretur, eo vocabulo inſignitur. Sicuti & peculiariter certi ſtatus, quos honos comitatur, honores dici ſveverunt. Id autem recte ab *Eodem de civ. c. 1. §. 2.* obſervatum eſt, cauſam gloriationis, & honorem, cum comparatione & præcellentia conſtet, ſi omnibus adſit, nemini addeſſe. Neque ſocietatem inter multos homines, aut multi temporis iniri poſſe gloriæ cauſa, ſeu ut ſocii mutuo ſeſe adjuvent ad nanciſcendam gloriam & honorem. Quippe cum tanti quiſque inter homines iudicetur, quantum ſine aliorum hominum ope ipſe poteſt. Vid. *Seneca epiſt. 27. de Calviſio Sabino.* Sicut contra quæ pluribus incumbit ignominia, multitudine elevatur. Iſthæ autem exiſtimatio intensiva conſiderari poteſt vel inter eos, qui invicem *in naturali libertate vivunt*, vel qui *eadem civitate continentur*. Deinde expendenda erunt *fundamenta* iſtius intensivæ, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus* proprie dictum, quo idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat.

§. 12. Fundamenta intensivæ exiſtimationis in genere cenſentur omnia illa, quæ inſignem aliquam præſtantiam aut perfectionem habent, (*Cicero de naturâ deorum l. 1. habet venerationem juſtam, quidquid excellit,*) aut eandem judicantur arguere; & quidem talem, cujus effectus cum ſine legis naturalis aut civitatum congruit. Nam ſtulto vulgi iudicio eos quoque interdum videas celebrari, qui circa vitium aliquod exercendum cum primis ſeſe ſtrenuos exhibent. Uti ſunt potatores bicongii & tricongii: & in quos cadit illud *Juvenalis ſat. 4. Nulli major fuit uſus edendi Tempeſtate mea. Ariſtophanes Acharnenſ. act. 1. ſc. 2. οἱ βάρβαροι γὰρ ἀνδρας ἡγῶν μόνος ἴες πλείους δυνάμινος καταφαρεῖν καὶ πιαν.* Item acerrimi præliatores *Venerci βιφοκιδυνοί*, aſtutiſſimi fures, & id genus homines vitiorum ſuorum anteſignani. Qui tamen quo perfectius artificium ſuum callent, eo nequiores à probis viris habentur. *Philo Judæus de migratione Abrahami: In rebus inhoneſtis excellere, inſignis turpitudine eſt: ſicut ſecundo loco cenſeri, levior miſeria. Arriani Epicteſus l. 3. c. 14. Si mihi dixeris, te vehementer calcitrare; dicam & ipſe tibi, eo te ſuperbire, quod ſit aſini proprium.* Etiamſi iſta sæpe robur corporis, aut vividum animum arguant,

fed qui in prava detortus eo vehementius vitiis exuberat, quo majore vigore florefcit. Ex quibus & hoc facile colligitur, laudem, gloriamque tanti haberi, quanti sunt illi, qui eam tribuunt; adeoque à laudatis demum laudari præclarum esse. Contra sapiens ἐδὲ τὸν παρὰ τοῦ τοῦ ἰσπανοῦ ἐν λόγῳ ἰδὲ, οἷοι ἐδὲ αὐτοὶ ταυτοῖς ἀρεσκον, *laudem eorum nihili pendit, qui ne quidem sibi ipsis placent. Marcus Antoninus* l.3. §.4. In specie autem inter ista fundamenta sunt perspicacia mentis, & capacitas animum variarum notitia rerum excolendi, maxime ubi actu ista capacitas fuerit impleta. Idoneum circa res gerendas, & ambigua discernenda iudicium. Vid. *Ecclesiastes* c.IX. 15. *1. Regum* III. 28. Animus firmus, & per externa inconcussus, illecebrisque & terroribus superior. Facultas decore & copiose animi sensa explicandi. Tum robur, decus, & dexteritas insignis corporis, prout isthæc præclara animi indicia vel instrumenta iudicantur. Vid. *Virgil. Æneid.* V. v. 344. *Isocrates in encomio Helena*, ubi tamen rhetorem nimis agit. *Baco in sermon. fidel.* c. 41. 42. Quanquam autem in proceritate corporis heroicum quid aut magnificum inesse quid vulgo iudicetur, eoque Deos heroasque in theatris sublimes cothurnis representari moris esset; & multi sint, qui staturæ suæ aliquid addi, nemo qui demi optet: illud tamen nimis quam simplex, quod tradit *Themistius orat.* 14. ex *Herodoti Thalia*: ἀθλιωτικὴ ἐχειροτόνων ἢ βασιλείᾳ πύχρῃ καὶ μέτρω γνομαυόυοτες ἢ ἀρετῆν. *Æthiopes, cubito atque mensura comprobata, reges suos designabant.* Cui conspirat iudicium illi° Americani è nova Francia, qui temporibus Caroli IX. in Gallia versatus, inter alia hoc sibi quoque mirum videri dicebat, quod Galli potius istum adolescentem tenui corpusculo regem sibi constituissent, quam aliquem ex proceris illis & robustis, ac barbatis, qui regem stipabant; satellites Helvetios innuens, ap. *Mich. Montaigne essai* l. 1. c. 30. Add. *1. Samuel.* X. 23. 24. Præsertim cum frequenter huc trahi possit illud *Oppiani Cyneg.* l. 3. v. 68. μέισσι μὲ μείζων ἰλιθῆ. μεγάλοις ἤ μείων. Et sæpe natura breves animis ingentibus artus finxerit. *Claudian. de bell. Getico. Quintus Calaber* l. 5. Ἦροσὶν ἴε ἀπορηκτὸ ἰλιθῆ, μέγισθὸ δ' εἰς ἐδερ αἰξὶ ἀνέρε, εἰ μὴ οἱ πυρρὴ ἐπὶ μῆτις ἔσση. *Robur virile inefficax est, & proceritas ad nihil conducit viro, nisi prudens eum consilium comitetur.* Bona præterea quæ vocantur fortunæ, prout arguunt vel dexteritatem in acquisitione, vel facultatem aut materiam præclara patrandi. Maximè autem existimationem intendunt res egregiè gesta, quod & illæ intrinsecam præstantiam

tiam præsupponant, eamque in ufum deductam & ad legitimos fines adhibitam ostendant. *Arist. Rhetor. l. 1. c. 5. Τιμῶν δὲ δικαίως πρὸς μάλα αἰοῦνται τῶν κατὰ τὴν ἀρετὴν ἢ ὁ δυνάμει ἢ οὐκ ἐπιτελεῖται. Maxime honorantur, idque iuste, qui benefecerunt. Sed & honoratur, qui bene facere potest. Pindarus Olymp. od. 6. Τιμὰρ' ἄριστος ἔκαστος. Indicat opus quemq;.* Et quidem prout illa præstantia, aut res gestæ in plurimorum notitiam pervenerunt, *claritas* proprie dicitur. Ubi autem comitatur aliquem apud alios opinio peculiaris prudentiæ ac sapientiæ circa dextre determinanda dubia practica, aut veritates theoreticas *autoritas* nuncupatur: quam rotundius aliqui *opinionem majoris scientiæ conjunctam cum probitate* definiunt. Neque alio intuitu ætas provecior existimationem judicatur intendere, quam quia ex multo rerum usu, & diuturna contemplatione negotiorum humanorum prudentiam conciliaffe putatur. Vid. l. 5. D. *de jure immunitatis. Quintus Calaber l. V. αἰεὶ δ' ἐν βελῆσι γέρον πολὺνδεὶς ἀμείνως ἰσοπολίτεμ πύλιν ἀνδρῶς, ἐπεὶ μάλα μνεῖα οἶδιν. Semper enim in consiliorum tractatione peritus senex potior est homine florentioris ætatis, cum plurimarum rerum cognitione valeat. Diodorus Siculus l. XIX. c. 34. In omnibus sic comparatum videtur, ut plus reverentiæ & honoris grandioribus natu, quam minoribus exhibeatur. Oppianus halient. l. 1. γῆρας γὰρ ἐταῖοισιν ἀνδρῶν ἰδίῃσι. Senectus venerabiles viros reddit.* Et si non desint, apud quos cani ætatis tantum, non sapientiæ sunt indices; aut in quos quadrat illud *Ovidii metamorph. l. IX. fab. 11. Qui propter amara senecta Pondera despicitur, nec quo prius ordine regnat. Et stat magni hominis umbra. Lucanus l. 1. Eoque recte Horat. II. sat. 8. monet: Solve senescentem mature sanus equumne Peccet ad extremum videndus, & ilia ducat. Antiphanes: Κοῖδ' ἐστὶν ἡμῶν ὁ βίβ' οἶνος προσφιλές ὅταν ἦ τοῖσιν μικρὸν, ὄξ' ἔστι γίνεσθαι. Valde vita nostra vino est similis; si parum adhuc superest, acetum fit.* Add. *Charron de la Sagesse l. 1. c. 35. n. 5. Strabo l. xv. Indi ætati senum prerogativam nullam tribuunt, nisi prudentia excellent. Philo Judæus de Abrahamo. Senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur. Siquidem qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longevi pueri dicendi sunt.* Aliquando etiam locum habet illud *Varronis de re rustica l. 2. c. 2. Ea melior ætas, quam sequitur spes, quàm ea, quam mors. Quintil. Instit. Orat. l. 2. c. 1. Non id æstimandum, cujus quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Isocrates Archidamo: ἢ πῶς πλὴθ' ἔστι τῶν ἀνδρῶν τὸ φρονεῖν ἐν δὲ σφόδρῳ ἀλλήλων, ἀλλὰ τῆ φύσ' ἐστὶν ἑπιμελείαι. Non ætatum spatium, sed ingenium & diligentia in causa est, ut alios alii prudentia superemus. Philostratus in vita Apollonii Thyas. l. 6.*

Q999999 2

Non

Non prohibet adolescentia, ne quis possit melius etiam quam senes, aliquid discernere. Imo in univēsum fœminæ magis à flore ætatis, quem senio commendari volunt. Hinc Lais ætate provecior speculum Veneri dedicat, addita ratione: *ἰσμεὶ τῶν μὲν ὁρᾶσθαι ἐκ ἰσθλῶ: οἴη δ' ἦν πᾶρ, ἢ δύναι.* Nam me cernere talem, *Qualis sum nolo: qualis eram nequeo*, uti est in epigr. *Platonis antholog.* l. VI. *Quintilian. declam.* 306. *Neque amatur anus, nisi memoria.* Add. *Buco sermon. fidel.* c. 40. Sed & sexui masculino majorem præ fœminino dignitatem tribuere putatur l. I. *D. de senatoribus.* Add. tamen *Jacob. Godofred. de præcedentiâ part.* I. c. 5. §. 35. Quanquam in univēsum sexus fœmininus cum masculino quædam existimationis fundamenta habet communia; quædam peculiaria, uti est præcellentia in virtutibus, & functionibus, quæ in eum sexum præcipue judicantur cadere; quædam demum mutuatitia, ut quod radiis maritorum dicuntur fulgere, vid. l. 8. *D. de senatoribus*, aut quod se numero & præstantia prolis quam maxime efferunt. Vid. *Ovidius metamorph.* VI. *fab.* 4. v. 127. *seqq.* *Valerius Max.* l. 4. c. 4. §. 1. *Plutarchus in C. Græcho. de Cornelia.* Add. quoq; oratio *Kennedi ap. Buchananum rer. Scotic.* l. 12. *sub init.*

§. 13. Ex hisce adparet, quid judicandum sit de traditis ab *Hobbesio Leviath.* c. X. ubi omnia honoris seu existimationis intensivæ fundamenta ad *potentiam* revocat; quæ definitur possessione præsentium mediorum ad obtinendum probabiliter aliquod bonum. Eamque facit vel *naturalem*, vel *instrumentalem*. Illa consistit in excellentia facultatum corporis, aut animi; uti est insigne robur, insignis pulcritudo, prudentia, eloquentia, liberalitas, nobilitas, & similia. Illa est, quæ per isthæc aut per fortunam parta tanquam medium inservit ad plura paranda; uti sunt opes, honores, amici, prospera fortuna. Et in univēsum, quælibet qualitas, quæ amorem vel metum multorum hominum gignit, vel hujusmodi qualitaris opinio est. Inde *dignitas* definitur per valorem sive pretium hominis tantum, quanti potentia ejus usum aliquis emere vellet. Illum valorem declarare, seu manifestum facere, quanti aliquem æstimemus, est *honorare* & *inhonorare*; nempe magni æstimare est honorare; parvi, inhonorare. Hinc enumerantur signa honoris velut naturalia; uti sunt opem poscere, obedire, dona alicui magna & pretiosa dare, (ex quo fundamento, nescio an fat adposite, *Zanagæ Princeps in Africa apud Leonem Africanum* l. I. pro hospitiibus multos camelos ac struthio-

nes

sequi: amorem, qui ad bonitatem, spem & timorem, qui ad potentiam referuntur. Scilicet hic verus honor est, quem tres isti affectus junctim comitantur. Solutus timor, quem excitat potentia ad malum determinata pro honoris indicio haberi nullo modo potest; cum metus habeat conjunctum odium; quem autem quis odit, perire cupiat. Silius Italicus l. 1. *Et metui demens credebatur honorem.* Sic Christiani de magna Diaboli potentia, sed quæ bonitate careat, & non nisi ad malum feratur, persuasus sumus; quem tamen nemo sanus eo nomine honorandum duxerit. Sicut & iste, cum à Salvatore nostro adorari vellet, non ungues, sed dona ostentabat. *Matth. IV. 8. 9.* Et nemo nostrum adprobat rationem illam quorundam barbarorum, cultum diaboli hoc obtentu excusantium; ne noccat. Unde etiam ferri non potest, quod *Idem d. l.* inter signa honoris refert, *adulari alicui.* Cum omnis adulatio vitium vel in eo, qui adulatur, vel cui quis adulatur, præsupponat, & indolem irrisionis habeat, & sine affectu peragatur. Unde *Lucano l. 5.* dicuntur voces, *per quas jam tempore tanto Mentimur dominis.* Vid. *Plutarchus de adulatoris & amici discrimine.* Cordate Pescennius Niger apud *Spartianum*, cum ipsi Imperatori factò quidam panegyricum recitare vellet, dixit: *Scribe laudes Marii, vel Annibalis, vel alicujus ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur.* Nam viventes laudare irrisio est, maxime Imperatores; à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, possunt proscribere. Quod autem attinet fabulas Poëtarum, sunt equidem, qui per istas hoc innui arbitrentur, Deos supra leges esse positos. Et si aliam rationem afferat *Salustius Philosophus de diis & mundoc. 3.* *Sed quam obrem adulteria, furta, genitorum vincula, & reliqua improbitatis facinora fabulis complexi sunt? Neque hoc indignum admiratione, ut, qua adparet absurditate, statim animus sermones involucri esse existimans, veritatem ex iis, qua silentio involvenda sunt, esse intelligat.* Sed quidquid hujus sit, ego non magis adulteria & stupra sua Jovi cedere honori judico, quam Messalinæ, quod ex lupanari lassata viris, nondum satiata recessit. Cordate *Pindarus Olymp. od. 1. ἄστὶ δ' ἀνδρῶν φάμιν ἰοῦνδὸς ἀμφὶ δαμύων καλὰ.* Est autem homini conveniens dicere de diis honesta. Et *Isocrates in laudat. Busiridis* istas fabulas βλασφημίας, maledicta vocat, quibus talia de diis ipsis commenti sunt, qualia nemo in suos inimicos dicere audeat. Nec enim furta solum, & adulteria, & apud homines servitutes eis exprobrarunt; sed & liberorum devorations,

λαμπροὶ εἰς γένεσιν. χρημάτων δὲ δὴ πλείους, *genere splendidi, opibus egeni.*
Euripides Electra. Quin & tandem à sapientibus stultum habetur, homines ex opibus, dignitatibus, honoribus, & omnibus, quæ extra ipsum hominem sunt, æstimare; perinde ac si quis equum ex sella aut fræno vellet æstimare. Deinde cum delatio honoris eliciatur per id, ut quis agnoscat præcellentem in altero præstantiam, seque eam ob rationem ipsi ultro submittat; & vero hoc per vim externam non possit extorqueri, quæ contumaciam potius animi obfirmat: patet, inconveniens esse istis fundamentis in se tribuere vim juris perfecti, quod etiam vi armisque possit asseri. Cultus enim qui cogitur per vim imperii, signum non est honorantis internè, sed metuentis mortem. Accedit, quod cum externa honoris signa, ni ex animi submissione proficiantur, sint inania, & ludibrium potius, quam honor: stultum sane fuerit propter horum denegationem in arma ruere. Inprimis si alter protestetur, se venerationem omittere non ex contemptu, sed quia libertate sua velit frui; quæ ipsi indulgeat, non cogi per vim ad ea, quæ ex ipsius arbitrio & humanitate debeant dependere. Sicuti quondam Scythæ ad Alexandrum: *Qui sis, unde venias, licet nè ignorare in vastis sylvis viventibus?* Et Ariovistus apud Cæsarem de B. G. l. I. *Si quid ipsi à Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille se velit, illum ad se venire oportere.* Ad eundem fere modum Vologeses Parthorum rex Neroni, à quo arcessebatur, respondit: *Tibi quidem longe facilius est tam magnum mare transire, quam mihi. Si ergo in Asiam veneris, constituemus, quando nobis congregandum sit.* Xiphilinus epist. Dionis. Ex quibus manifestum esse videtur, etiam si rationi naturali congruum sit, ut præstantioribus honos deferatur; imò si quis velit, per nos quoque inter præcepta juris naturalis possit referri, digniores esse honorandos: id tamen officium inter illa esse referendum, quæ quis suo jure non possit exigere, sed quorum præstitorum laus alterius humanitati sit relinquenda. Verum ut quis suo jure possit honorem, aut quodvis ejus signum ab altero postulare, necessum est, ut vel imperium in ipsum obtineat, vel tale sibi jus quæsierit ex pacto, aut lege per communem dominum lata vel adprobata. Huc spectat, quod *Mandelsloitin. part. 2.* refert, cum inter Lusitanos & regem Cochini post diuturnum bellum de pace tractaretur, rem diu hæsisse, quod nobiles Indi, Nairos dicti, postularent, ut Lusitani ipsis via decederent, sicut plebeji, apud Indos facere

facere coguntur. Id cum Lusitanis indignum videretur, tandem res pugna singulari fuit commissa. In qua cum Lusitanus vicisset, inde teneatur Nairos jam Lusitanis via decedere, & subsistere, quousque illi præterierint.

§. 15. Cæterum inter privatos quidem super honore atque eminentia illud pulcherrimum fuerit certamen, si inter se contendant, quis promptior fuerit in honore deferendo, aut modestior in eodem deprecando. Et merito ridentur, qui super isto acrius certaverint; præsertim ubi idem sterilis, & nullo cum emolumento fuerit conjunctus. Ineptus, *per medium pugnat qui prior ire latus. Martial. l. X. ep. 10. Seneca de Ira l. 3. c. 37. Mingo honorato loco positus irasci cepisti convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferbatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? honestiorem te aut turpiorem potest facere pulvinus?* Sic ut merito commendari debeat sententia illius principis, lata in duos ministros minorū gentiū, superiori loco in templo contententes; ut qui stultitia inter ipsos excelleret, priori loco sederet. Add. *Mich. Montaigne essai. l. 1. c. 16.* Nam quod *Quintilianus declamat. 252. honorem vocat pretiosissimum pauperum censum*; id de existimatione simplici capiendum est. Enimvero inter principes, atque integros populos super eminentia dignitatis, & quæ inde dependet, præcedentia, majore prætextu nullis fere non seculis certatum deprehendimus. Sic ut in plurimos congruat illud apud *Ovidium l. V. fastor: turbaque cælestes ambitiosa sumus.* Eas circa lites quæ argumenta soleant adferri, paulo pressius considerandum. Illud igitur extra controversiam est positum, si unus principum ab altero dependeat tanquam à superiore, hunc isto esse digniorem, eique præ hoc deberi præcedentiam ex jure perfecto; ut ut fortasse pari uterque titulo gaudeat. Sic dantur exempla majorum regum, qui alios sub se habent nomine reges, revera magistratus & gubernatores provinciarum. Quidam regna sua ab aliis agnoscunt tanquam feuda, alii alio titulo. Sic apud *Tacitum Agricola, vetus ac jam pridem recepta populi Romani consuetudo vocatur, ut haberet instrumenta servitutis & reges.* Adherbal apud *Salustium Jugurth. Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidia tantummodo procurationem existimarem meam; cæterum jus, & imperium penes vos P. C. esse.* Et qui foedere inæquali alicui jungitur, is eo ipso alterius dignitatem eminentiorem fatetur, dum ad istius majestatem comiter colendam sese obstringit. Sed & illud dubio

R r r r r

caret,

caret, ubi princeps aliquis pro sua persona, aut tanquam caput suæ civitatis adversus alium jus præstantioris dignitatis, & præcedentiæ quæ si verit expacto, aut per consuetudinem & patientiam alterius, cujus nulla probabilior ratio possit proferri, quam quod hic istum se digniorem agnoscat, ei juri posse inhæreret, quamdiu durat iste velut character dignitatis, sub quo jus illud fuit quæsitum. Vid. *Jac. Godofred. de præcedentiâ part. 1. c. 1.* Add. quoque quæ apud *Andr. Maurocenum hist. Venet. l. 8. p. 301. seqq.* super præcedentiâ Oratoris Galli & Hispani disputantur. Et *Autoris Anonymi Memoires touchant les Ambassadeurs* p. 328. Ubi recte monet, non debere tertium aliquem sibi hoc sumere, ut quæ inter alia agitentur super præcedentiâ lites, definire velit.

§. 16. Enimvero ubi nondum alicui tale jus fuit quæsitum, variis argumentis dignitas eminentior asseritur. Inter ea præcipue solet allegari antiquitas regni atque familiæ; amplitudo & opulentiâ ditionum, & potentia: qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno gerit; & splendor tituli. Antiquitatem civitatibus & familiis venerationis quid addere persuasum vulgo est; jaçantque, qui isthac nituntur, sese jam tum sua dignitate exsplenduisse, cum alia adhuc regna vilis pars servientium forent; aut cum familia illa, quæ jam novo diademate superbit, adhuc intra plebejam obscuritatem latitaret. Nefas esse de dignitate contendere adversus illum, cujus majores alterius majoribus poterant uti ministris. Esse hanc velut naturalem, & communem legem, ut quæ posterius tempore producantur, prioribus subsint. Excurritur dehinc in magnificam commemorationem eorum, quæ ab isto regno, aut per familiam regnatricem præclare bello ac pace gesta sunt. Quorum novi isti parum aut nihil ostentare queant. Potentia autem venerationi terrorem quoque miscet: & non impudens solum, sed & temerarium videtur cum illo de dignitate velle contendere, cui plurima facultas nobis benefaciendi juxta atque nocendi. Et efficacissimus videtur modus ambiendi honores, si quis demonstrato suo gladio possit dicere; *si vos non vultis, hic faciet.* Sed & eminentius judicatur summa libertate gaudentem soli Deo subesse, quam legibus humanis, aut pactis degere obnoxium. Denique cum per titulum res ipsa soleat exprimi, ejus quoque splendor & amplitudo non inferiorem dignitatem arguere putatur. Vid. quoque *Andr. Maurocenus hist. Venet. l. 12. p. 484.* ubi de æmulatione Principum Italiæ agit, ea occasione.

casione excitata. quod Pius V. Cosmum Magni Ducis titulo insignivisset.
Et Petrus Suavis hist. Concil. Trident. l. V. p. m. 402.

§. 17. Hæc & similia quanquam sat plausibiliter possint jactari; fatendum tamen est, eadem omnia per se producere duntaxat jus imperfectum, nî accesserit aliquod pactum expressum, aut tacitum, quod recepto mori inesse intelligitur. Neque desunt, quibus vis ejusmodi argumentorum possit elevari. Ipsam antiquitatem in se nihil habere dignitatis, cum ea nihil notet, nisi tractum durationis, quæ vilem æque atque præstantem rem possit prosequi. Id habere omnia regna, ut sint libera, & ab alio non dependant. Id quamdiu obtinuerint, parum interesse. Equidem quod diu aliquod regnum floruerit, indicio esse, ejus compagem concinne dispositam, idemque bene fuisse administratum. Tum fati benignitate, aut civium virtute exterum hostem defuisse, aut feliciter fortiterque depulsum. Sed non minus recentes civitates commode posse disponi, & administrari, quam veteres. Imo fortasse commodius, quod harum bona instituta ex periculosis sæpe experimentis provenerint: illas autem optima quæque ab aliis jam inventa in usus suos posse transferre. Diuturnam quidem fati clementiam sibi neminem posse præstare; id tamen effici posse, ne per prava instituta civitas in se trahere ruinam incipiat. Denique ex præsentibus quemlibet æstimandum; præterita non amplius, futura nondum ad nos pertinere. Neque civitates aliquod velut systema, aut concilium inter se, constituere, ut recentissime cuique locus sit infimus occupandus; sed quamlibet seorsim sua sibi libertate gaudere. Quod una familia in civitate aliqua diu imperium tenuerit, sæpe quidem indicio esse, minores majorum virtutem æmulatõs; plerunque opes ipsam suas firmiter disposuisse, ut non ausus fuerit aliquis solio eandem dejicere. Interdum ingenio populi, à rebus novis abhorrentis, aliquam familiam diuturnam imperii possessionem debere. Nonnunquam solius fati beneficium vocandum, quod Metelli Romæ sint consules. Ast qui recentes ad illud fastigium enituntur, reponere possunt tritum illud: *Et genus, & proavos, & qua non fecimus ipsi, vix ea nostra puto.* Item, *Supplevit fortuna genus. Statius Sylv. l. 3.* Nihil facilius esse, quam partam à majoribus opimam hæreditatem cernere: sed suum patrimonium sibi ipsi acquirere virtutis opus esse. Sorti nascendi illos suam magnitudinem acceptam ferre; se propriæ

præstantiæ. Illos aliena & obsoleta decora crepare, se propriis & recentibus enitescere. Denique summum nobilitatis gradum haberi, regem esse. Hac recentem æque, atque antiquam familiam efferrî *Ovidius* de majestate: *Quoque die partu est edita, magna fuit.* Accommodari etiam huc potest illud *Arnobii* l. 2. *Novares est, quam gerimus? quandoque & ipsa vetus fiet. Vetus quam vos agitis? sed temporibus quibus cæpit nova fuit ac repentina.*

§. 18. Potentia autem hæcenus quidem signa venerationis apud infirmiores potest elicere, quod stultum sit illi non cedere, cui nocendi facultas. Sicuti facere *Favorinus* apud *Spartianum* *Hadriano*, arguentibus amicus, quod male cederet *Hadriano* de verbo, quod idonei autores usurpassent; non recte, inquit, suadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. Nam plurima sunt, quæ non audent homines pertusa dicere *lena*. *Juvenal. sat. 5.* Enimvero si alicui regi tantum sit vitium, ut regnum suum commode possit tueri, ille sane non habet, quare alicui cedat, opibus quidem superiori, sed quas ipse neque metuere, neque ambire sui conservandi causa necessum habeat. Libertas quippe in æquo posita est, quæ magnitudine opum haut quidquam distinguitur. Pateat igitur unius imperium per sexcenta milliaria, alterius per centum duntaxat. Idem tamen imperium hic in modica sua, quam alter in laxiore ditione obtinet: neque hic minus, quam alter finem civitatum institutarum assequitur. Ne dicam quod sola potentia, prout notat vires aliis nocendi, in sese non significet talem præstantiam, quæ sit idonea seriam venerationem elicere. Nam hæc antiore quoque iam temperata est. Nocendi autem vires odium conciliant. *Add. Jacob. Godofred. d. tr. part. I. c. 3.*

§. 19. Porro potestatem absolutam, & nullis legibus limitatam habere, utique majorem venerationem terrore mixtam apud subjectos conciliat: non item apud alios principes, qui alterius absolutam potestatem in ordine ad se pro nuda libertate naturali æstimant: quæ per se nullam dat præminentiam in eum, in quem quis imperium non habet. Et cum princeps non ex propriis tantum juribus, sed & ex conditione illius civitatis, cui præest, æstimandus sit; potest utique princeps limitatus ex isthac talia habere, ut absoluto aliquo longe sit potior. Denique tituli, & quidquid est verborum usu sicut nummi valent; & cum in rege nihil præstabi-

sona, & non petita venia in alienam ditionem accedat, ego non svaserim. Sane Gramondus *hist. Gall.* l. 13. fidenter pronunciat: *nihil peccari contra jus publicum ex larvati custodia principis.* Cujus rei tamen rationem non satis dispicio, nisi quod suspicionem ejusmodi accessus, & contemptum erga dominum territorii habere videatur. Ubi duo pluresvè in loco tertio congregiuntur, facile caveri potest, ut ne unus alteri prælatus videatur. Nam & conclavia licet comminisci, ut judicari nequeat, quis in iis prior aut dignior locus sit. Quo fine à multis in ejusmodi congressibus adhibetæ mensæ circulares. *Ausonius in ludo septem sapientum. Recte olim ineptum Delphicus lusit Deus Quærentem, quisnam primus sapientum foret: Ut in orbe tereti nomina eorum inscriberet, Ne primus esset, ne velimus quispiam.* Possunt etiam ab initio protestari, sese citra ullam præcedentiæ considerationem congressuros, sed promiscue sessuros prout cuique lubitum, aut prout casus tulerit. Sicut de Brachmanibus Indorum sapientibus refert *Philostatus de vita Apollonii Thyanaei* l. 3. *Nullum regi præcipuum locum assignantes, quod apud Græcos Romanosque maximi aestimatur: sed ut cuique in mentem venit accubere.* *Lucianus epist. Saturn.* τὸ γὰρ ἡδίστον αἰεὶ συμπιτικώτερον ἢ ἰσόλμια ἴσιν. *jucundissimum & convivii aptissimum aequalitas.* Add. *Athenæus dipnosoph.* l. i. c. 4. Idque eo facilius procedit, si isti principes dissimulata dignitate conveniant, & citra consuetam pompam. Quo ipso testantur, sibi super dignitate curam aut contentionem haut quidquam fore. Sed si hoc displiceat, forti res potest committi, idque ut vel semper quis illum locum retineat, quem semel est sortitus, vel ut ordo per sortem constitutus deinceps in orbem eat. Atque hæc facilius adhuc procedunt, si legati duntaxat congregiantur; præsertim cum circa hos aliud adhuc sit medium collisioni vitandæ, si non idem omnibus, sed disparis valoris velut character à suis principibus tribuatur. Nam isti dignitatum gradus, cum ex mera impositione oriantur, facillime plurimis modis variari possunt. Vid. *Autor Anonymus des Memoires touchant les Ambassadeurs.* p. 428. Nec insuper habendum, quod Rex Persarum Abbas in convivio, qui sectæ Persicæ addictierant, à dextris, qui Turcicæ, à sinistris collocaret; quod manus dextra sit honoratior apud Persas, sinistra apud Turcas: prout memorat *Petrus de Valle Itin. part. 2. ep. 5.* Add. *Jacob. Godofr. d. tr. part. 3.* Et quæ super controversia super præceden-

cedentia inter Legatum Gallum & Hispanum Romæ & Tridenti agitata sunt ap. *Petrum Suavem hist. Concil. Trident. l. 8.* Ubi tamen observandum, valorem ejusmodi characterum communi Principum consensu esse definiendum. Nam si unus proprio ausu novum characterem convinisci, suoque ministro imponere velit, ex quo hic apud alios certum honorem pretendere instituat, ceteri se istius arbitrio non teneri recte excipient. Vid. jam citatus *Autor Anonymus l. d. p. 534. seqq.* Quamquam fatendum sit, sæpe præstare istam æquanimitem, quam Agelilaus præ se tulit, cum in choro loco obscuro constitueretur: *bene habet, inquit, ostendam enim non loco virum, sed viro locum cohonestari. Plutarch. apoph. Lacon.* Aut Damonidas, qui in simili casu dicebat: *bene factum, invenisti enim hujus quoque stationis ornanda rationem. Idem apoph.* Addatur quoque *Idem symposiaco l. I. c. 2. 3. & in convivio septem sapientum.* Obiter quoque addendum commentum Alfonsi XI. qui ut aliquo modo componeret antiquam litem super præcedentia inter civitatem Burgensem & Toletanam, antequam litis ulla mentio fieret, dum in concilio sententias perrogat: *Toletanos, inquit, scio imperata libentissime facturos, loquantur Burgeses.* Qua regis oratione conquievit, cum utrique se prælatos existimarent. Toletani quidem, quod rex ante omnes eorum nomine locutus esset: Burgeses vero, quod primi omnium per se sententiam dixissent. Apud *Hieron. Osorium de rebus gestis Eman. l. I.* Add. quoque *Gramondus hist. G. l. 3. ab initio.*

§. 22. Quod si autem inter plures æquales societas aliqua duratura sit instituenda, & singuli focii æqualitatem retinere velint, neque circa locum fors aut alternatio placeat, alia ordinis ratio superest, quæ itidem sortis instar habet, neque dignitati alicujus fraudi potest esse; ut nempe eo quisque ordine in communi conventu sedeat, quo in eundem fuit receptus. Id quod in primis locum habet inter eos, qui societati jam constitutæ deinceps accedunt. Nam illis, qui primi societatem constituunt, locum sorte aut per conventionem attribui præstiterit. Et quia in plurimis conventibus & collegiis id usurpatum, ut secundum ordinem receptionis locus cuique assignetur; hinc *Grotius l. 2. c. 9.*

§. 21. tanquam univertale pronunciatum ponit: *naturalem inter socios hunc esse ordinem, prout quisque in societatem venit.* Add. *Bæclerus add. l. 1. x. D.*

de

de albo scribendo. l. 1. *C. de consul.* l. ult. *C. de tiron.* l. 1. *C. de præpos. sacrificuli.* l. 2. *C. de præf. prætor.* l. 10. *C. de professor. sac. Godofr. d. tr. part. 2. c. 3. §. 17. 18.* Ubi sciendum, in ejusmodi societatibus priorem aut posteriorem locum haut quidquam notare eminentiorem aut tenuiorem dignitatem; sed esse nudum ordinem inter pares dignitate; ac inter tales revera tinere tritum illum versiculum: *ultimus & primus sunt in honore pares.* Nam illud *Ausonii panegy. ad Gratianum:* *nulla est quidem contumelia secundi, sed ex duobus gloria magna prælati;* locum duntaxat habet, cum prælatio ob majorem in prælato præstantiam facta est. Sed & illud *Grotio d. l.* notatum, eundem morem antiquitus in Christianorum regum ac populorum conventibus, quibus ad constituendum Ecclesiæ velut universalis corpus concurrebant, obtinuisse, ut qui primi Christianismum professi forent, in conciliis ad rem Christianam pertinentibus præcederent cæteros. Quo argumento nonnullis præcipue niti placuit ad asserendam sibi præ cæteris præminentiam, tanquam jure sibi debitam, etiam in aliis quibuscunque congressibus. Enimvero ut ut in istis conventibus sacris forte non sine ratione dictus ordo fuit observatus: tamen ut in omnibus aliis congressibus idem observetur, aut ut ex sola antiquitate professionis Christianæ eminens præ aliis dignitas alicui generetur, necessarium non videtur. Præterquam enim quod inter decreta religionis Christianæ est, τῆ ἰμῆ ἀλλήλους προσηΐσθαι. *Roman.* XII. 20. *Add. Philip.* II. 3. etiam in conciliis multis sacerdotes primas partes egerunt; seculares in accessorii fere locum venerunt, ac decretis illorum stare jussi. Sed quidquid hujus sit, non statim qui in certo conventu ob certum respectum, qui ipsius dignitatem in universum haut quidquam afficit, alteri cedit: is ubique, & quando ejus respectus ratio non amplius habetur, alteri tenetur cedere. Sicut & in civitatibus videmus quosdam diversis interesse collegiis, & in uno collegio alteri loco cedere; extra illud autem, aut in alio collegio priorem præ eodem locum retinere.

§. 23. Enimvero illud manifestum est, imperio hanc vim inesse, ut prælationem tribuat per modum perfecti juris valituram adversus eum, in quem exercetur. Nam utique præstantius est imperare, quam parere; alterius voluntatem suæ voluntati habere obnoxiam, quam ad alteram sese attemperare. Et necessum est, ut in me adversus illum existat veneratio, cui & protectionem meam debeo, & qui metu poenæ ad
jussa

jussa sua obeunda me potest compellere. Sicut imperium per se inæqualitatem inter homines introducat. Et si præter venerationem, quæ muneri ejusdem debetur, possit etiam peculiaris existere æstimatione, ex singulari imperantis præstantia proveniens. Nestor apud *Homerum Iliad.* *Neque tu Pelide velis contendere cum rege ex adverso; nam nunquam æqualem sortitus est honorem Sceptryger rex, cui Jupiter honorem dedit.* Et si Achilles magis ductum Agamemnonis, quam imperium proprie dictum agnoscebat. Sed & illud apertum est, quo amplius est imperium, & efficacius, eo majorem id dignitatem imperanti apud subjectos circumponere. Quin ipsa imperii duratio, et si per se ad vim ejusdem nihil faciat, imperantis tamen dignationem non mediocriter auget. Id tamen non obstat, quo minus subditus eum, qui ipsi imperat, hicce honoris fundamentis excellat, quæ tantum jus imperfectum producent. Unde nimis ambitiosum erat, quod Imp. Hadrianus æmulum sese in quovis artis genere eminentibus ferret. Item quod Alexander, cum apud *Homerum* legisset, Græcos vovisse, ut Ajacis aut Diomedis aut Agamemnonis fors exiret, dixerit: *occiderem illum, qui me tertium nominasset.* Nam ducis gloriæ nihil detrahit, robustiores sub se habere bellatores. Non de nihilo tamen apud *Tacitum Agric.* Domitianus judicabat: *ducis boni Imperatoriam esse laudem.* Inter eos vero, qui in eadem rep. vivunt, existimationi intensivæ certam velut mensuram constituere, & ad præcedentiam præ altero perfectum jus concedere illius est, qui summum in civitate habet imperium. Quem iste locum cuique assignaverit, eum uti adversus concives recte tueri quis potest: sic & eidem omnino adquiescere tenetur. Vid. l. 3. D. *de officio prætoris.* Recte quoque emeritus iste centurio apud *Livium* l. 42. c. 34. *aquum est, omnia honesta loca ducere, quibus rem publicam defensori sitis.* Et licet forte unus vel alter præter meritum præstantioribus videatur prælatus; tamen nihilofecius tanquam contemtor potestatis summæ plecti poterit, qui aut illorum locum velit sollicitare aut suo contentus non esse. Vid. l. 1. C. *ut dignit. ordo servetur.* Huc spectat etiam, quod Solon apud *Diogenem Laërt.* aulicos calculis affimilavit. Nec incommode huc trahi potest illud M. Terentii apud *Tacitum* A. VI. *Non est nostrum æstimare, quem supra ceteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dederunt; nobis obsequii gloria relicta est.* Uti & illud *Luciani* *judicio vocalium:* *Est pulcrum, unamquamque*

S s s s s

lite-

*literam in eo ordine, quem primum sortita est, manere: transcendere vero eo, quo non oportet, ejus est, qui jus & aequum solvit. Et qui primus vobis hac legem finxit & formavit, ordinem, per quem sua quibusque literis praesidentia dignitas firmiter permanet, definivit. Plinius l. 9. epist. 5. Discrimina ordinum dignitatumque, si confusa, turbata, permixta sint, nihil est ipsa aequalitate inaequalius. Recte tamen fecerit princeps tollendis hominum ambitiosorum querelis, si in assignando loco honoratiore fundamenta dignitatis, supra enumerata, insuper non habeat: ac in primis singularia in reip. merita, quae eminente potius existimationis gradu, quam pecunia, aut similibus praemiis is remunerari inter subtiliores regnantium artes est. Vid. Xenophon Cyropaed. l. 8. ubi memorat, quo ordine Cyrus convivas suos collocaverit. Eoque magis, quod nisi dignitas & praerogativa eminentium civium mensureretur ex beneficiis & auxilio, quod ab ipsis in tenuiores proficiscitur, aut proficisci potest, inter inania sit referenda. Quia tamen molestum foret principibus, si quidem semper cuique ex intrinseca sua dignitate locus foret assignandus, tam saepe suorum civium recensionem instituire, in qua non posset non longe maxima pars eorum offendi, cum plerique non eos soleant numerare, quos à tergo reliquerunt, sed quos sibi praelatos cernunt: expeditissimum visum, saltem primariis civibus ex muneribus, quibus in rep. funguntur, dignationem assignare. Add. Baco serm. fidel. c. 53. Ubi itidem querelis an sa praescindetur, si merentibus, & idoneis talia munera conferantur; (alias enim obtinebit illud Claudiani in Eutropium l. 2. *Quis non Consule tali vilis honorus?*) Sique ipsorum munerum ordo apte sit dispositus. Ordo autem munerum in rep. in universum hic maxime videtur concinnus, si eo major cuique adhaereat dignatio, quo praestantiora negotia, & ad summam reip. plurimum facientia per id obeantur, & quae nobilissimas animi artes requirant. Ovidius metam. l. 13. *Ratem qui temperat anteit Remigis officium.* Apud Homerum Iliad. a. praestantia muneris sanguini, ac fortitudini praefertur. Sic enim Nestor ad Achillem: *Si vero tu fortis es, deaque te genuit mater: At hic quidem potentior est, quia pluribus imperat.* Fit tamen aliquando, ut quibusdam muneribus in republ. quo plus honoris, eo minus imperii & potentiae tribuatur, & vice versa; ne dignitati circumpositae opes magistratus in perniciem reip. arment. Vid. Bodinus de rep. l. 3. c. 6. p. m. 501. In singulis autem munerum generibus eo dignior quis-*

quisque habeatur, quo nobiliore opera fungitur. Et si & hoc sapissime contingat, ut unum quidem munus in se altero sit nobilius; non statim tamen omnes & singuli, qui nobiliori muneri operam dant, omnibus & singulis in altero munere constitutis præferantur; sed ut v. g. qui princeps est in posteriori munere cedat quidem ei, qui priori in munere primas obtinet, reliquis tamen omnibus primo subordinatis præferatur. Illud rarius est, ut ex homine munus dignationem mutuetur; quod Thebis officio Telearchæ contigit, postquam Epaminondas id gesserat. Vid. *Plutarch. in præceptis gerenda reip.* Et si circa intrinsicam insignium honoris & dignitatum æstimationem verum sit illud *Salustii Jugurth. Perinde, quasi prætura, & consulatus, atque omnia alia hujuscemodi per se ipsa clara, & magnifica sint: ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est.* Nec insuper habendum illud Antisthenis, qui aliquando Atheniensibus suadebat, ut a finos decernerent equos esse. Quod cum illi à ratione alienum dicerent; At, inquit, duces apud vos sunt, qui nihil didicerunt, & tantum decreto vestro declarati sunt; apud *Diogenem Laërtium. l. VI.* Quod si vero ipsi cives inter sese super loco conventionem ineant, aut si in aliqua civitate certus ordo sit per consuetudinem introductus, utrumque legis vim obtinebit, si quidem à supremo imperante ipsi non fuerit contraditum. Vid. *l. 2. C. ut dignitatum ordo servetur.* Notandus quoque locus apud *Svetonium Vespasiano. c. 9.* *Utinotum esset, utrumque ordinem non tam libertate inter se, quam dignitate differre, de jurgio quodam senatoris, equitisque Rom. ita pronunciavit: Non oportere maledici senatoribus: remaledici civile fasque esse.* Cui conspirat illud *Sophoclis Ajace flagell. ἰγὼ γὰρ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω κλύοντι φλαῦρα, συμπαθεῖν ἔπι κακῷ.* Nam ego quidem illi ignosco, qui maledictis provocatus remaledicit.

§. 24. Quod si autem inter se sint comparandi eminentes viri diversarum civitatum, patet, fundamenta intensivæ existimationis ne inter hos quidem aliud parere, quam aptitudinem recipiendi venerationem ab his, qui istis fundamentis minus pollent. Idque sive præstantior ille in civitatem alterius tanquam peregrinus veniat, sive in loco tertio congregiantur. Nisi princeps civi suo injunxerit, ut peregrino cedat; aut tertius apud quem convenitur, rem definiverit, aut con-

ventionem vel consuetudine res sit decisa. Adeoque ne ipsa quidem præstantia muneris, quod quis in sua civitate gerit, jus ipsi dat sese præferendi civibus alienæ reip., qui tali duntaxat munere gaudent, quod ipse in sua civitate præcedebat. Nam quod jus valet adversus civem, id non statim valet adversus alios. Prorsus uti leges aliarum civitatum nos haut quidquam stringunt. Add. *Memoires de Vicquefort touchant les Ambassadeurs* p. 519. seqq. Neque obstat, quod extraneus ille titulum ejus, quicum contendit, in ipsius civitate præcellit. Nam in cujusque civitatis arbitrio est, quem valorem apud se velit imponere titulis, aliisque honorum insignibus, quæ abs se aut aliis collata sunt. Quin & officiorum, quorum amplitudine ut plurimum dignitates mensurantur, diversus apud diversos valor. Ipse quoque solidæ artes alibi plus, alibi minus æstimantur. Sicut alibi pacis, alibi belli artes pluris fieri notum est. Cum primis autem circa vocabula dignitatum gradus experientia observandum, quod illa non solum diversis in civitatibus diversas novent dignitates, sed etiam in eadem civitate aliquando plus, aliquando minus valeant: prout tractus temporis aliarum quoque rerum pretia minuere aut intendere sivevit. Scilicet existimationis exteriora signa valorem determinatum habent ex impositione singularum civitatum; etsi fundamenta existimationis intensivæ in se, & prout sapientibus æstimantur, valorem ubique suum obtineant. Unde nullibi non virtuti, & eximiis artibus, aut functionibus suus est honos. Sed ex illis solis certa honorum insignia suo jure apud externos postulare nemo potest, nisi modis supra dictis jus illud sibi quæsierit. Verum quia insignia honorum ubique ob eximiæ virtutis opinionem tribui præsumuntur, cultissimæ quæque gentium exterorum honoribus eandem fere venerationem solent deferre, quam ipsorum civitas iisdem assignat. Id tamen ex civilitate & humanitate, non ex obligatione aliqua perfecta præstare videri volunt. Quanquam nec desunt, apud quos extranei honores in exiguo sunt pretio. Sic enim *Ciceroni* peregrini nonnulli, splendidis familiis orti, vocantur non absolute, sed *domi*, aut ap. *suos nobiles*; scilicet quod peregrinæ nobilitati Romæ non idem esset valor, atque in sua cuique civitate. *Ejusdem* est vox valde insolens in orat. pro *M. Fontejo*: *An si homines ipsos spectare convenit, non modo cum infimo cive Romano, quisquam amplissimus Gallia comparandus est?*

Sic

Sic quis ignorat, quantus honos Olympionicis apud Græcos quondam habitus? Quo nomine eorum levitatem perstringit *Cicero pro L. Flacco*. Eundem si apud alios, queis tanti æstimatæ non fuerunt vires corporis, aut dexteritas, exhiberi sibi postulassent, rideri merebantur.

§. 25. Denique cum plurimas apud gentes natalibus aliqua dignitas judicetur adhærere, hoc loco non abs re fuerit curatius inquirere, quidnam nobilitati sanguinis subsit, & quo illa in se spectata valore sit æstimanda. Quam vix ullibi majoris fieri putaverim, quam apud Indos, de quibus *Hieron. Orosius de reb. gest. Emanuel. l. 2. Si vir ignobilis nobiles attingat, nobilitatem contaminari, genusque pollui censent, & tam insignem injuriam illat a cæde miseris hominibus, qui in eos inciderunt, ulciscuntur. Idcirco qui nobiles non sunt, quoties iter faciunt, voces edere coguntur. Nobiles vero cum eos adventare ex vocibus illorum præsentiant, eos deslectere de via jubent: & sic fit, ut ignobiles mortis, nobiles macula sempiternæ periculum depellant. Illis neque nobilitatem obscurari flagitiis, neque generis obscuritatem illustrari virtutibus concessum est: sed omnibus illa conditio necessario subeunda, in qua majores illorum versati sunt.* Iidem nobiles, quos Malabarica lingua Nairios vocant, id sibi privilegium asserunt, ut cum alienis uxoribus concumbant, quando, & ubi placet. Et si illorum quis apud uxorem sit, (cujus signum est clypeus ad fores positus,) maritus non audeat in propriam domum introire. *Phil. Baldæus descript. ora Malabar. & Coromandel. c. 26. & de Idololat. Indorum part. 2. c. 16. Mandelsloh. itiner. l. 2. c. 10. Add. Abrab. Rogerius de Braminibus c. 1. 2. Diodor. Siculus l. 1. c. 74.* Id igitur in aprico est, natales nobiles per se haut quidquam tribuere præstantius temperamentum corporis, ut ut sæpe bonitas alimentorum aliquid huc faciat; aut præstantiorem animum, eximiamque vim ingenii: sed plebejis ex natalibus æque feliciter hæc posse provenire. Nec alio ordine in producendis nobilibus, quam plebejis, natura procedit. Sed & pari sanctorum plebejorum quam nobilium matrimonia coluntur aut coli possunt. Nec facile quis præstiterit, minus frequenter auratos thoros ab adulteris persultari, quam modicas spondas. Imo apud *Euripidem Hippolyto Coron.* de adulteriis dicitur: ἐν γενναίῳ δόμῳ τὸ δὴ ἦρξεν θηλείαισιν γένεσθαι κακόν. *Clarissæ familiæ hæc labe cæpit adspersi in famineum genus.* Adeo ut si vel maxime virtus parentum in prolem semper transfunderetur; multis tamen difficillimum sit futurum probatu, abs prima stirpis origine in-

raminatum, & citra alieni mixturam sanguinem ad sese demissum. Vid. *Dis Chrysoſtomus orat. XV. post initium. p. m. 236.* Et *Grotius l. 2. c. 7. §. 8.* Sed nec illud vulgatum, *fortes creantur fortibus & bonis*, adeo citra exceptionem est, quin in contrarium æque invaluerit, *heroum filii noxa.* Marius apud *Salustium Jugurth. Majores eorum omnia, quis licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquerent, neque poterant: ea sola neque dono datur, neque accipitur.* Porro plebeji non semper deterius educantur, quam nobiles; imo sæpe quo plura his media indulsit fortuna bene excolendo animo, eo turpius iisdem ad luxuriam, segnitiam, aliorumque vitiorum alimenta abutuatur. Recte *Plato Alcibiade I. Bene natos, si & bene educati fuerint, probabile est ad virtutem perfectos fore.* Et ipsa res ostendit, multos nobilium degeneres majorum gloriam obfuscasse. *Aristoteles Rhetoricorum l. 2. c. 15. Est autem nobile (ιουρικ) ex generis virtute; generosum (γενναϊον) vero ex eo, ut non deficiat à natura. Id quod plerunque non accidit nobilibus, sed sunt multi abjecti.* Add. *Stobæus serm. 84. 85.* Multos quoque obscuro natos loco per suam virtutem ad summa provectos constat: nec solus *Tydides melior patre.* Quanquã autem *Isocr. encom. Helena* nobilitatem inde commendat, quod nõ, uticætera fortunę bona, celeriter aut intereat, aut transeat ad alios, sed semper ap. eodem maneat, eoque pulcerrimum liberis patrimonium eam relinquere: tamen nõ vel propria virtute sis subnixus, vel eo nomine peculiaribus juribus in civitate fruaris, merito inter inania est referenda. Inde in ipsa quidem natura nulla adparet necessitas, quare aut in munera, aut in existimationis paternæ gradum solos ob natales filius debeat succedere; præsertim cum ultimo demum omnes ex eadem stirpe genus deducamus. Marius apud *Salustium Jugurth. Ego naturam unam, & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosum esse.* Ille autem non tam majorum quam propria æstimatur præstantia, qui sequitur illud *Tibulli l. 4. Quamquam antiqua gentis superant tibi laudes, Non tua majorum contenta est gloria fama, Nec quaris quid quaque iudex sub imagine dicat, Sed generis priuscos contendis vincere honores, Quam tibi majores, majus decus ipse futurus.*

§. 26. Nihilominus multis civitatibus placuit, ut præclare meriti cives statum illum, certis privilegiis, certoque existimationis gradu donatum, in quem ipsi per civitatem sunt locati, in sobolem suam per natiuitatem velut aliquam hæreditatem transmitterent. *Lesbonactes orat. hortato-*

tato-

tatoria: τὸ ἐν τοῖς δεινοῖς ἀνδρῶν ἀγαθῶν γινόμενων δι' αἰδῶς ἐυγενῆς νομίζουσι. Eorum, qui periculosis temporibus strenue se gesserunt, posteri nobiles habentur. Sane enim natales nobiles præ plebejis naturaliter nihil habent eximii: sed ea prærogativa oritur ex impositione & indultu civitatis, quæ constituit, ut certus status, cui annexa certa jura, gradusque existimationis, in aliquem semel collatus ad ipsius posteros citra novam collationem per solos natales derivetur. Qua impositione sublata, vel splendissimi natales à plebejis ne hilum quidem discrepabunt. Add. *Huart⁹ scrut. ing. c. 16. p. m. 488. seqq.* Unde quando princeps plebejum inter nobiles transcribit, in ipsius natura, ortuque nihil immutat, nec novum aliquem vigorem ejus animo infundit; sed jubet ipsum censei statu plebejis contradistincto, quem una cum adhærentibus juribus ad posteros suos sit transmissurus. Cui illustrando facit commentum Amasis regis Ægyptii, qui ut ostenderet, obscuritatem generis non obesse, quo minus regi sibi factò honos exhiberetur, auream pelvim, in simulacrum dei confectam adorandam exposuit. *Herod. Eut.* Vice versa si quis ordine nobilium ejiciatur ob delicta, aut quod legibus nobilium in sua civitate positis conformem sese non gesserit, ejus sane neque natura, neque animus mutatur, aut quem ex majoribus traxit sanguis; neque efficitur, ut nobilibus parentibus non sit natus: sed adimitur duntaxat ipsi status, atque jus nobilitati in ea civitate comperens. Quo factò statim plebejus est. Quemadmodum neque legitimitatio, neque nataliam restitutio aliquid in natura mutant, sed meros tribuunt effectus morales. Quo sensu capiendum est illud apud *Euripidem Phœnissis*: ἢ ὁ μὴ καλὸν, ἢ ὁ δὲ ἴσου καλὸν. ἐστὶ δὲ μὴ νόμιμοι παῖδες, ματρὶ λόχου μα, μίας ματρὸς. *Nam id quod honestum non est, non fit honestum unquam, neque liberi illegitimi, matri turpis partus, patri probrum.* Vid. tit. *Cod. de jure aur. annolorum, & de natal. restituendis.* Huc facit, quod *Nic. Machiavellus hist. Florent. l. 3.* tradit. Cum post oppressum ducem Athenarum summa rerum Florentiæ ad plebem rediisset, exclusis lege à magistratu gerendo nobilibus Bencho Boundelmontio, equestris dignitatis viro, ob strenuam operam in bello Pisano navatam, præmii loco fuisse datum, ut in populi classe censeretur, seu pro plebejo haberetur. Idem beneficium aliis nobilibus collatum refertur ab eodem l. V. Et apud Romanos P. Clodius per adoptionem à Patriciis ad plebem transibat, ut tribunus pl. posset fieri.

§. 27. Fatendum tamen est, plerasque gentes in conferenda nobilitate

VIII
 nom ad sese demissum
 Et Græci ad hoc quod
 & bonis, adeo commoventur
 berum fuisse. Ne
 quælibet, sed præ
 virtutem non illi quæ
 Pono plene
 quo plurimum
 eo turpius videtur
 abutuntur. Recte
 est ad
 de genere
 15. Eji autem
 non desit
 multi de
 loco per
 Quæ
 quod non
 ad alios, sed
 patriam
 vel eo nomine
 est referenda
 aut in munera
 debet succedere
 genus de
 communi
 qui sequitur
 Non tu mag
 imagine dicit
 majores
 placuit, ut
 exist. mat
 in fidelem
 transmuterent

tate præstantes quasdam artes & egregia merita respexisse. Quibus qui enituerat uti recte reliquos dignatione eminebat; ita largius judicabatur æstimari virtus, cujus præmia ad istos quoque derivarentur, quos natura quilibet quam carissimos habet. Præsertim cum caeres speraretur civium virtutem extimulatura, acrius affectandis ejusmodi præmiis. Simul proles ista, domesticis exemplis excitata, parentum virtutem æmulatura credebatur, splendoremque illum iisdem, quibus partus erat, artibus tuitura. Nec minus putabantur parentes operam daturi, ut quantum in se prolem sibi non indecorem reip. repræsentarent. Cui consequens erat, ut postquam nobilitatem sorte nascendi adquiri receptum fuit, curiose circa deligendas uxores versarentur nobiles, ne dispari se genere miscentes proli suæ ista jura interverterent: an ut æqualium potius, quam inferiorum filiarum in consortium ejus dignitatis adsciscerentur, aut ne nobiles pauperulæ post ditium mercatorum filias haberentur. Ac ne proli fortasse super natalibus lites olim moverentur, accurate majores longa serie annotare rationis erat. Cum contra plebejis supervacuum foret, avos proavosque ambitiose disponere; quippe quibus ex natalibus nihil privilegii, sed propria cuique virtute & industria nitendum.

§. 28. Hisce illustrandis non abs re fuerit Romanorum super nobilitate instituta curatius excussisse. Ut igitur suam illam hominum colluviem Romulus in justam formam populi componeret, ex universa multitudine centum delegit, consilio sibi præstò futuros, quos Patres appellari placuit, exprimendo muneri, aut propter ætatem: reliqui plebs mansere. Istorum progenies patricii dicti, simplicissima denominatione, quasi Patrum posterii; aliis ideo, quod hi soli patres suos possent ostendere: cum cætera turba fugitivorum fuerit, nec valentium proferre patres ingenuos, verbo, terræ filii. Vid. *Plutarch. Romulo, & quest. Romanis*. In eam rem argumento usi sunt, quod quotiens patricii convocarentur à regibus, præcones quemque suo ac paterno cicerent nomine; plebejos vero ministri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem excitaverint. Etsi more suo *Dionys. Halicarn. antiq. Roman. l. 2.* institutum hoc mollius interpretetur, evocationem patriciorum per præcones honoris, plebis per cornua celeritatis causa factam asserens. Contra *Dionysium* tamen videtur valere illud *Decii apud Livium l. X. c. 8. En unquam fando audistis, patricos primo esse factos non de cælo demissos, sed qui patrem*

patrem cedere possent, id est, nihil ultra quam ingenuas? Consulem jam patrem
 cedere possum, avumque jam poterit filium meum. Juvenalis sat. 8. Et tamen ut
 longe repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis a seculo. Ma-
 jorum primus quinquis fuit ille tuorum, Aut pastor fuit, aut illud, quod dice-
 re nolo. Unde adparet, ad primævam in urbe Romana nobilitatem
 adquirendam suffecisse, ut quis ex legitimo natus esset matrimonio, pa-
 rentibus ingenuis. Scilicet in novo populo omnis repentina atque ex virtute
 nobilitas est. Livius l. 1. c. 34. Inde quoque est, quod patricii soli sibi gen-
 tem esse jactarent, ipsosque inter se gentiles esse. Sic enim gentiles defini-
 untur à Cicerone in Topicis; qui inter se eodem nomine sunt, ab ingenuis oriundi,
 quorum majorum nemo servitutem servierit, qui capite non sunt deminuti.
 Boëtius itidem in Topicis: Gentiles sunt, qui eodem inter se nomine sunt, ut Bru-
 ti, Scipiones; quod si servi sunt, nulla gentilitas esse potest. Quod si libertinorum
 nomen eodem nomine nuncupantur, gentilitas nulla est, quoniam ab ingenuis an-
 tiquitate gentilitas ducitur. Jctus Cajus instituit. Libertinorum aut servorum
 gentilitas non est. Etsi posterioribus temporibus plebejos quoque gentem
 sibi asseruisse constat. Add. Franc. Connarius comment. jur. civil. l. 2. c. 11. Sic
 hodieq; linguæ, quæ ex Latina profluxere, nobiles solent vocare gentiles
 homines. Enimvero cum deinceps plebej quoque honesta cum ingenuis
 inirent connubia, & lapsu temporum labes illa, si quæ fuit, sordidæ origi-
 nis exolesceret; inde ut alia differentia à plebejis distinguerentur patricii,
 sacris gentilitatis institutis peculiarem sibi sanctimoniam circumponere
 sunt aggressi. Quo nomine sibi soli deferri posse magistratus contem-
 derunt; quasi qui soli haberent auspicia. Vld. Livius l. IV. c. 2. VI. c. 42.
 X. 7. Quod ludibrium tamen postea plebs non immerito explosit. Quan-
 quam & plebejorum quidam, eludendæ isti patriciorum prærogativæ,
 privata sibi sacra instituerunt. Quæ cum in hæredes transfirent non sine
 onere, quomodo per coëmptiones extincta sint, docet Cicero pro Muræna.
 Add. Godofr. ad Ciceronis epist. famil. VII. 29.

§. 29. Ast cum deinceps senatoria dignitas, & magistratus, qui
 hætenus penes solos patricios fuerant, cum plebe communicaren-
 tur, factum est, ut Romani dehinc nobilitatem non tam ex antiqui-
 tate generis & patriciatu, quam multitudine imaginum æstimarent.
 Ex quo tempore familiæ nobiles in patricias & plebejas distingui cœ-
 ptæ. Livius l. X. c. 7. Numerarentur triumpho plebejorum: jam ne nobi-
 litatis

T t t t t

litis

...amenta respexisse. Quibus
 ... emmibatur ita largi...
 ... quæque dem...
 ... cum caris...
 ... modis...
 ... parentum...
 ... quibus...
 ... operam...
 ... narent. Cui...
 ... ad quæ...
 ... nobiles, ne...
 ... an ut...
 ... ad...
 ... nitas...
 ... moverentur, accuratè...
 ... contra...
 ... quibus...
 ... industria...
 ... Romanorum...
 ... suam...
 ... populi...
 ... futuros...
 ... aut propter...
 ... simpli...
 ... soli...
 ... nec...
 ... Romule...
 ... patricii...
 ... nent...
 ... buccinas...
 ... Halicarn...
 ... evocationem...
 ... factam...
 ... apud...
 ... de...
 ...

litatis quidem sua plebejos pœnitere. Idem l. VI. c. 37. Ex ea die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem. Equites autem rex instituit civitatis Romanæ nobiles proprie loquendo non erant. Nam quod est apud *Tacitum Agricola*, cum habuisse utrumque avum procuratorem Cæsaris, *quæ æquestris nobilitas est*; hunc habet sensum: ut eorum, qui ex senatoriis sunt familiis, nobilitas ex magistratibus curulibus æstimatur; ita inter equites procuratorem Cæsaris fuisse aliquod instar nobilitatis habet, cum post præfecturam prætorii vix splendidius munus in illum ordinem ut talenti cadat. Sic igitur posterioribus temporibus Romæ nobiles non constituebant peculiarem ordinem, & per insignia jura à reliquis distinctum; sed prout quis multos *summos Equitum cum Dictatore magistros* in attio disposuerat, aut propria virtute ad honores adspiraverat, ita majorum, aut propriis meritis nobilis censebatur. Quo facit illud *Claudiani paneg. de Probrino & Olybrii consulatu: Quemcunque requires Hac de stirpe virum certum est de consule nasci. Per fasces numerantur avi, semperque renata Nobilitate vigent.* Quanquam autem Romæ multi magistratus non minus belli quam pacis tempore valebant, puta, dictatores, magistri equitum, consules, prætores: tamen quia pax est velut ordinarium tempus reip., bellum extraordinarium, adeoque magistratus isti & adpellatione, & indole sua pacem magis quam bellum viderentur spirare; adparet; paci magis quam bello originem suam debere nobilitatem Romanam. Neque vero congruens erat, ex simplici virtute bellica, & quæ non esset conjuncta eum munere & artibus ducis, nobilitatem derivare, quæ quidem peculiarem ordinem, & multis juribus præfulgentem constitueret in tali reip., in qua communis omnium civium velut professio erat militia. Sic igitur apud Romanos nobilitas non tribuebat peculiarem ordinem in civitate, nec ex illa aliud fere emolumentum, quam quod majorum imagines aditum ad honores faciliorem panderent.

§. 30. Ex hisce manifestum est, ab ista diversum esse genium nobilitatis hodiernæ in plerisque Europæ regnis. Nam apud nos nobiles peculiarem ordinem constituunt, à reliquis civibus dignitate & eximiis juribus distinctum. Dein nobilitas etiam citra officium publicum confertur ab eo, qui summam in rep. habet imperium, & quidem non ita frequen-

quenter togatæ, quam bellicæ virtutis intuitu. Cujus rei inter alia argumentum est, quod nobiles familiæ tam inter se, quam à plebejis distingui soleant insignibus, quæ clypeo sustinentur, imposita galea, & inde *armorum* nomine veniunt. De quorum antiquitate testari potest illud *Diodori Siculi* l. V. c. 30. *Arma Gallis sunt scuta ad staturam hominis porrecta, & insigni proprio variegata. Quidam aneas bestiarum imagines tam ad defensionem, quam ornamentum affabre factas præferunt. Aeneis præterea galeis cum magnis appendicibus ad prolixam ostentationem factis capita muniunt. Nam vel cornua affixa, vel avium quadrupedumque facies in illis expressas habent.* Add. *Hobbes Leviath.* c. X. De causis autem, quare virtuti bellicæ tantum istæ nationes detulerint, cum apud *Chinenses* contra eruditi militares viros præcedere soleant, ita est habendum. Equidem in se non minoris sunt, quæ togati in *remp.* possunt conferre, quam quæ sagati. *Leges* salutares condere, jus integre dicere, opes civitatis per artes & commercia introducta augere, eloquentia populi tumentes animos mulcere, & in quam partem expediat flectere, consilio exterorum conatus adversum nos subtiliter investigare, atque eludere, præclarissima utique sunt, & quo vis honore digna. Neque ista tamen semper, apud imperitos imprimis, sat ample æstimantur, tum quod artes, ex quibus talia promanant; non adeo in oculos incurrunt, & à plebe parum intelligi possunt; tum quod cum tranquillitate quadam, & citra impetum atque periculum sese videantur explicare. Quæ omnia in virtute bellica secus sunt. Atque inde, quanquam administratio togata citra fortitudinem atque firmitatem animi non possit obiri; longe tamen splendidius creditum apud *Martii* spiritus populos, & qui sanguine quam sudore rem quærere maluerunt, contra tam terribilem armorum adparatum, & ubi præsentem omnia mortem intentant, intrepidum offerre pectus, & pretiosissimam rerum humanarum periculo exponere, ut cæteris eo tutius ævum exigere liceat. Add. *Aristot. probl. sect. 27. quæst. 5.* Sic & plerisque in regnis *Europæ* nobiles prædia sua feudorum nomine possident, à multis immunita oneribus, quibus plebejorum bona premuntur, ut isti militarem operam reip. præstent. Cujus rei origo videtur insinuari apud *Lampridium Alexandro Severo*: *Sola qua de hostibus capti sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit; ut eorum ita essent, si heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens: attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.*

Inde quoque nobilibus mercaturam exercere insolitum, non quod illa in se habeat quid inhonestum & sordidum, sed ne per eam nobiles à studiis militaribus abstrahantur, & feuda sua atque privilegia gratis possideant. Et si quibus in civitatibus nobiles citra diminutionem dignitatis mercaturæ dant operam, tuto iudices licet, eam nobilitatem ex militia haut quidquam originem ducere. Conf. *Bodin. de rep.* l. 3. c. 8. p. n. 560. Aliqui tamen hujus rei rationem petunt ex *Eccl.* 25. 29. & quia, uti *Cicero Offic.* l. 1. ait: *nihil proficiunt, nisi admodum mentiantur.* Facit etiam huc, quod tradit *Herodotus* l. 2. apud *Aegyptios, Scythas, Persas, & Lydos*, denique apud omnes fere barbaros haberi pro ignobilioribus civibus eos, qui artificia discunt, eorumque liberos; generosiores autem eos, qui à manuum operibus abstineant, præsertim qui cessent ob bellum. Add. l. 6. C. de dignitatibus. l. 3. C. de commerc. & mercator. *Aristot. polit.* l. 3. c. 3. *Siracid.* 38. v. 25. seqq. *Cicero Offic.* l. 1. *Illiberales & sordidi questus mercenariorum omnium, quorum opera non quorum artes emuntur. Est enim in illis ipsa merces aut ornamentum servitutis.* Quin & Romæ lex lata à *Q. Claudio* tribuno plebis, æquis senator, qui vè senatoris pater fuisset, *maritimam naudem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Id satis habitum ad fructus ex agris vendendos, questus omni Patribus indecorus visus est. *Liuius* l. 21. c. 63. Cum contumelia quoque *Proventali sat.* 14. dicitur: *Vilis facti mercator olentis.* Et quandoque contumeliosum habetur pro pecunia quid ab aliquo velle obrinere. Add. tamen *Bodin. de rep.* l. 3. c. 8. p. m. 546. seqq.

§. 31. In quibusdam tamen civitatibus exigua natalium dignatio, & sua cuique ex virtute propria, meritis in rep. ac muneribus nobilitas. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 92. de laudationibus funebribus apud *Aegyptios*: *de genere quidem nihil, ut Græcorum consuetudo habet, memorant; quin omnes æque nobiles in Aegypto esse censent, sed ut à puero educatus, & institutus, & ad virilem ætatem progressus pietatem in deos, justitiam, itemque continentiam, & alias virtutes coluerit, recensent.* *Tullus Hostilius* apud *Dionys. Halicarn.* l. 3. v. 75. *ὅτι ἀπὸ τοῦ ἀπὸ τῶν ἀρετῶν ἐπιτελεῖται ἡ ἀρίστη, καὶ ἡ ἀρίστη ἐστὶν ἡ ἀρίστη, καὶ ἡ ἀρίστη ἐστὶν ἡ ἀρίστη, καὶ ἡ ἀρίστη ἐστὶν ἡ ἀρίστη.* nulla alia re quam virtute humanam nobilitatem constare ducimus. *Vetus Poëta*: *Ὀὐδὲν ἀρετῆς ἐστὶν ἢ ἀρετῆς ἀρίστης.* Vir optimus nunquam fuerit ignobilis. De moribus *Turcarum Auger. Busbequius epist.* l. *Turca neminem æ suorum quidem, nisi ex se pendunt: sola domo Ottomanorum excepta, quæ*

quæ sui censetur natalibus. Add. quæ *ibidem* de Gianizaris tradit. Add. *Bodinus de rep.* l. 3. c. 8. p. m. 557. *Martinius præfat. histor. Sinica:* *A vestitate sanguinis nulla apud hanc gentem nobilitas. Pauperrimo cuique per literas patet iter ad summa.* Et ipse Sinarum Imperator ejusque liberi in deligendis uxoribus non prosapiam, sed solam corporis formam respiciunt. *Neuhof. in legat.* p. 280. Isthæcuti à moribus nostris abhorrent; ita illud à sapientibus recte inculcatur, non debere nobiles solo sanguine, sed multo magis virtute niti. *Seneca Hercule Furente:* *Qui genus jactat suum aliena laudat.* *Boëtius de consolat. philosoph:* *Quid genus & proavos strepitus? Si primordia vestra, Autoremque Deum spectes, Nullus de genere extat; Ni vitis priora fovens Proprium deserat ortum.* *Horatius serm.* l. I. sat. 6. ad Mæcenatem: *Reserre negas, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus.* *Claudianus* l. 7. de laudibus *Siliconis:* *Lectos ex omnibus oris Evebis: & meritum, nunquam cunabula queris, Et qualis, non unde satius.* Add. *Seneca de beneficiis* l. 3. c. 28. & *epistola XLIV.* *Canulejus apud Livium* l. IV. c. 3. *dum nullum fastiditur genus, in quo emiteret virtus, crevit imperium Romanorum.* *Herodianus* l. 5. c. I. *Fortuna munera etiam parum dignos exornant, animi virtus propriam cuique gloriam conciliat. Et claritas quidem generis, divitiæque, atque id genus reliqua, etsi beatorum propria putantur, minime in ipsis utpote ab aliis tradita, laudantur.* Graviter quoque *Antigonus fortis centurionis ignavo filio ad honores adspiranti;* *ἐπιδοῖ,* inquit, *ἀνδραγαθίας ἐστὶν ἢ παρὰ γὰρ ἀδίας ἡ μάχῃ.* apud *Plutarch.* de vitioso pudore, & in *apophth.* *Plato in Theateto.* *Innumeri unumquemque nostrum avi atque proavi antecesserunt, quorum in numero divites & inopes, reges & servi, Barbari & Græci innumerabiles præcessere.* Similis locus extat apud *Dionem Chrysostomum orat. XV. de servitute.* *Hoc fieri non potest, ut ab omni ævo aliquod sit hominum genus, in quo non innumerabiles liberi sint procreati, nec pauciores, qui servitutem servierint: & tyranni, & reges, & vincti, & stigmati notati, & caupones, & sutores, aliarumque quæcumque inter homines sunt, conditionum fuerint, omniaque opera, omnes vivendi conditiones, omnes fortunas atque calamitates vicissim sint experti.* Addit, ideo heroum genus ad Deos à Poëtis relatam, ut ne, dum ulterius id investigatur, ejusmodi fordes detegerentur. *M. Seneca l. I. controvers. 6.* *Quemcunque volaveris revolve nobilem: ad humilitatem pervenies.* Huc facit illud *Lycurgi factam,* exemplo duorum canum ostendere conati, magis per disciplinam,

quam naturam ad virtutem nos formari; apud *Plutarchum apophth. Laconicis*, & *de educ. liberis*. Sic & novi homines antiquis nobilibus, sed degeneribus, recte occurrunt illud *Iphicratis* apud *Plutarch. apoph.* cui cum *Harmodius* unus de *prisci illius Harmodii* posteris exprobraret ignobilitatem, respondit: *meum à me incipit genus; tuum in te desinet*. Add. *Philo Judæus de nobilitate. Stobæus serm. 84. 85. 86. 87. Th. Brovve de religione Medicipart. 2. c. 1. Vulgum cum dico, non plebeculam tantum & infima sortis homunciones intelligo. Est & inter patricios plebeja quadam & ignobilis turba, ex eodem prorsus luto fictam diceres; hominum quidem genus ipsis mechanicis contribue, ut cunque animi tenuitatem de auret census, & crumena prostituta transgat. Sunt etiam qui disputant; iniquum videri propter solos natales, (qui neque per se quid virtutis conferunt, & quos nemo sibi ipsi præstare potest, πολλοὶ γὰρ ὄντες ἰουγενεῖς, εἰσὶ κτακτοί. multi enim nobiles sunt degeneres. Euripides *Electra*.) alicui conferre immunitatem à certis reip. oneribus in fraudem reliquorum civium, aut propiorem aditum ad munia reip. concedere; cum artes ad ista munera obscunda necessariæ in aliis æque, aut magis quam in istis inveniantur: multo que magis, si quis ex illorum sit censu, de quibus *Aristophanes Ranis act. 3. sc. 1. v. 2. πῶς γὰρ ἐξ ἐπιπέδου, ὄσπερ γὰρ ἀλλοτρίων ὄντων καὶ βίην μόνον; & Juvenalis sat. XI. Quibus in solo vivendi causa palato est. Esse denique morbum reip. non mediocrem, si summa potestas civilis circa mandanda munia publica certo ordini sit ita alligata, ut aliorum opera civium uti nequeat in negotiis, quibus maximè deprehenduntur idonei; præsertim ubi non sit ipsi concessum egregios viros in istum ordinem cœoptare. Nam si principi alicui nobiles ideo sint fovendi, ut horum ope reliquos cives eo melius possit coercere, id signum est potestatis titubantis, & paulo minus quam curru jam excussæ; dum velut in factionem cum parte civium cogitur coire, nec amplius aperta imperii vi, sed callidis artibus nititur. Add. quoque *Baco sermon. fidel. c. 14. & de augment. scient. 1. 8. c. 3. n. 3. ubi monet, adspirantibus ad magnitudinem regnis prorsus cavendum, ne nobiles majorem in modum multiplicentur.***

§. 32. Illud demum quæritur, an dignitas, honorumque insignia in civitate, uti in origine, sic & in duratione à summo imperio civili dependeant? Ubi putamus dispiciendum, an honoris insignia & jura unice adhæreant alicui muneri in rep., quod conferre sit penes arbitrium summi

mi

ni imperii; an vero tanquam proprium bonum in civem sint collata. Ubi prius factum est, patet, summo imperio idem esse potestatis, quod circa magistratus constituendos aut removendos. Si non magnanimitatis duntaxat specimen exhibebat, sed & civitatis potestatem agnoscebat Fabius Cunctator, dum sibi Dictatori magistrum equitum exæquari patienter tulit. Vid. *Livius* l. XXII. c. 15. 22. Quo pertinet illud dictum Solonis apud *Diogenem Laërtium*, quod etiam expressit *Polybius* l. V. c. 26. *Qui apud tyrannos autoritate valent, eos calculis, quibus in componendis rationibus utimur, comparare consueverat. Ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem significant: ita & tyrannos horum quemque prout sibi visum fuerit, aliquando illustrem & inclytum, aliquando obscurum habere & ignobilem.* Addendum quoque factum Amasis regis Ægyptii, qui ex pelvis statuam dei cuiusdam faciebat, apud *Herodotum Euterpe*. Et hætenus admittitur illud *Ciceronis pro Plancio*: *Est conditio liberorum populorum, posse suffragiis vel dare vel detrabere, quod velit, cuique.* Etsi vocabulum *detrabendi* magis denegationem honoris petiti, quam quæsitam jam ereptionem notare videatur. Verum ubi ista posteriori modo à civibus possidentur, regulariter ipsis adimi nequeunt, nisi per modum pœnæ. Quo facit illud *Aristotelis* apud *Ælianum* V. H. l. XIV. c. 1. *Non est simile, dignitatem aliquam non suscipere, & cum acceperis, ea spoliari. Non enim grave est non adipisci: at cum adeptus sis, rursum amittere, id molestum est.* Huc spectat quoque *Dionis Chrysostomi Rhodiaca*. Sed quæ honoribus adhærent immunitates & privilegia, urgentibus reip. temporibus suspendi aut tolli utique possunt, pensatione tamen, quatenus fieri potest facta; cum omnia ejusmodi privilegia exceptionem summæ necessitatis reip. intelligantur habere; & absurdum sit, illis tantam sanctimoniam tribuere, ut ne salutem quidem reip. eadem cedere debeant. Ex dictis etiam colligi potest, quatenus quædam civitates recte potuerint sancire, ut proditorum filii sint *ætrius*. Quale quid in *Antiphontem* Athenis decretum in *ipsis* vita patet. Et *Sylla* Romæ proscriptorum liberos honores petere vetuit. Scilicet ab honoribus & magistratibus tales excludere poterunt, existimationem simplicem adimere recte non potuerunt.

DE POTESTATE SUMMI IMPERII CIRCA
BONA TAM PUBLICA QUAM
PRIVATORUM.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Quid potestatis in bona regi sit, si regnum sit ipsius patrimonium.</i> | 6. <i>Et tributorum.</i> |
| 2. <i>Non ubique cives dominium rerum suarum debent civitati.</i> | 7. <i>De domino eminente.</i> |
| 3. <i>Summum imperium potest leges ferre, quomodo cives bonis suis uti debent.</i> | 8. <i>Quid liceat regi circa bona publica.</i> |
| 4. <i>Idem potest tributa exigere.</i> | 9. <i>De alienatione regni, & ejus partium.</i> |
| 5. <i>Quid observandum circa impositionem vectigalium.</i> | 10. <i>Rex non potest infeudare regnum, aut oppignarare sine consensu populi.</i> |
| | 11. <i>Neque alienare bona, qua principatum sequuntur.</i> |

AD intelligendam potestatem imperii summi in bona civium, observandum; eam profluere vel ex ipsa natura summi imperii per se, vel ex peculiari modo acquirendi imperii. Sane enim non parum interest, an is, qui summum in civitate imperium gerit, sibi ipsi velut cives fecerit, atque primus rerum, quas civitas complectitur, omnimodum dominium adquisiverit, an vero ultro in imperium sit vocatus ab hominibus, qui jam quorundam bonorum proprietatem habebant. Priori casu patet, imperantem in quavis bona civitate contenta non id modo habere potestatis, quod ex imperio per se fluit, sed & quod quivis paterfamilias in patrimonium suum habet; nisi forte ultro quid de jure suo remiserit. Heic igitur si rex istud dominium sibi illibatum servarit, cives sua non alio tenebunt jure, quam quo servi quondam Romæ peculia sua obtinebant; sicut eorum possessio sit mere precaria, arbitrio regis, quandoque visum fuerit, revocabilis. Quamdiu tamen istorum bonorum possessio civibus relinquatur, ex iisdem alimenta & alia vitæ sustentandæ necessaria recte sibi decerpunt velut loco mercedis ob impensam in iisdem excolendis & custodiendis operam. Atque de ejusmodi duntaxat subditis verum est, quod male ad quosvis cives extendit *Hobbes, de cive* c. VI. §. 15. & c. XII. §. 7. *singulos cives suum sibi proprium habere, in quod nemo concivium suorum jus habet; non autem pro-*
prium.

prium ita habere quidquam, in quod non habeat jus ille, qui habet summum imperium. Sicut filii familias proprietatem rerum suarum à patre concessam habent, distinctam quidem à cæteris filiis ejusdem familia, sed non à proprietate ipsius patris. Sic ut in familia filiorum singulorum propria sint bona, quæ & quamdiu vult pater. Quod si autem ejusmodi rex de jure suo aliquid remiserit, tantum subjecti in bona sua habebunt juris, quantum regis concessio ostenderit. Super quo à diversis diverso modo dispositum. Sic Pharaon dominus terræ Ægypti quintam partem frugum sibi vindicabat, quatuor partes cultoribus relinquebat. *Genes. 47. v. 23. 24. 26.* Excipiebantur tamen agri sacerdotum, ad quos tertia terræ pars ex donatione Isis spectabat. Vid. *Diodor. Siculus l. 1. c. 21. 72. & Grotius ad Genes. 47. 26.* De Indorum agricolis *Strabon. l. XV. Cum regio tota sit regis, ipse eam conducti operantur pro quarta parte fructuum.* Add. *Diodor. Sicul. l. 2. c. 40.* Id quod adhuc hodie in regno magni Mogoris obtinet, ubi & rex heres est suorum ministrorum & mercatorum. Add. *Garcilassus de la Vega Comment. Reg. l. V. c. 5.* Sic in regno Congo nemo proprii quid habet, quod ad heredes transmittere queat, sed omnia regis sunt, qui administrationem & usum bonorum pro lubitu distribuit, teste *Eduardo Lopez.* In hisce igitur regnis quicquid singuli juris in bona obtinent, id originarie ab indultu regis dependet, qui de universis bonis absolutam disponendi potestatem habet, quantum pacta aut concessionis irrevocabiliter ab ipso factæ admittunt. Ubi tamen non insuper habendum, quod *Benier de nuperis motibus in Imperio Magni Mogolis* observavit, absolutum illud Principum dominium in eo regno, aliisque per Orientem imperiis in causa esse, quare istæ regiones cætera felicissimæ, incultu, barbarie ac paupertate quotidie in deterius eant, aut saltem non eo splendore efflorescant, quo pleraque Europæ regna, ubi dominia civium per imperantes parcius delibantur, ac ubi cives habent, quod suum etiam adversus Principem dicere possint. Cui obiter addere possis, quod *Garcilassus de la Vega Comment. Reg. l. 5. c. 2.* memorat; ex instituto Yncarum debuisse subditos suos prius agros excoluisse, quam ad Regis agros colendos accederent: quod fieri non possit, ut Regis res benè curentur, nisi ab iis, quibus suæ res benè sunt compositæ: contra pauperes cives pace ac bello inutiles ferebant.

§. 2. Enimvero dantur civitates, ubi cives bona sua originarie haut quidquam tanquam beneficium imperii civilis agnoscunt. Idque

U u u u u u

vide-

videtur contingere duobus potissimum modis; vel quando populus alicuius auspicio regis abs se creati novas sibi sedes quaesivit; vel quando plures patresfamilias, quibus jam suae opes erant, in civitatem ultro eivere, aut civitati jam constitutae ultro accesserunt, & sic seipsos ac sua bona imperio civili subjecerunt. Circa prius ita regulariter fieri solet, ut ejusmodi populus auspicio rectoris sui occupet regionem aliquam, terminis naturalibus aut ex arbitrio hominum circumscriptam, per universitatem, cujus partes deinde singulis sorte, aut arbitrio rectoris, rarius propria ipsorum electione, assignentur. Vid. *Cornelius Nepos Miltiade* c. 2. Ubi sciendum, quanquam singulorum dominium non tam à propria ipsorum adprehensione, quam assignatione rectoris populi videatur incipere; non tamen quod singuli habent, beneficium rectoris est; cum qui ejusmodi expeditioni sese socios ultro adjunxere, jus sibi perfectum quaesiverint portionem aliquam de parta terra habendi. Vid. *Genes.* XIV. 14. 21. 23. 24. Add. *supra* l. IV. c. 6. §. 3. 4. Multo minus autem dominia privatorum originarie dependent ab arbitrio & indultu regis, quando patresfamilias liberi, bonis jam instructi, ultro sese ipsius imperio subjecerunt. Quin enim isti, qui extra civitates degunt, proprii quid habere possint, manifestissimum est; quidquid repugnet *Hobbes* d. l. Sane ponamus, naturam dedisse cuique jus in omnia; quid tamen obstat, quo minus interveniente pacto sua cuique portio possit assignari? Et quanquam duorum aut paucorum pacta circa rem in medio positam reliquis nihil praedjudicent, sed iisdem jus suum primævum relinquunt integrum: tamen si omnes super dividendis rebus commune incant pactum, expressum aut tacitum, quin vera proprietates rerum introducat, dubitari non debet. Inde falsum est pronunciatum illud *Hobbesii*: *patres diver sarum familiarum, qui neque patri, neque communi domino subjiciuntur, jus commune in omnia habent.* Vid. *Genes.* IV. 4. XIII. 5. *seqq.* Etsi hoc certum sit, eorum qui in civitatibus vivunt, dominia longe esse firmiora, quam singulorum qui in naturali libertate degunt. Nam hi proprii duntaxat viribus nituntur: istorum autem bona viribus totius civitatis contra externos juxta atque concives proteguntur. Vid. *Genes.* XXXIV. 30. Socrates apud *Xenophontem memorabil.* l. 2. κρείττον σὺν πολλοῖς οἰκῆντα ἀσφαλῶς ἀρχῆν εἶχεν, ἢ μόνον διατρίβωντος τὰ ἴαυ· πολλῶν επικυρώτως πάντα κερτῆσαι. *Melius est cum multis secure habitare, modica-*
que

que possidere, quam bona omnium civium habere solum cum periculo viventem. Et hætenus tantum admitti potest illud Ciceronis pro Cacinna: *Jure civili sublato nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, quid alienum sit. Idem Off. II. clarius: Hanc ob causam maximè, ut sua tenerentur, resp. constituta sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen custodia rerum suarum urbium præsidia querebant.*

§. 3. In civitatibus ergo, ubi bona civium originarie à rectoribus non dependent, summo imperanti id tantum potestatis in eadem competit, quantum ex imperii summi natura per se fluit, nisi cives amplius quid ultro ipsi detulerunt. Facit huc illud Seneca de beneficiis l. VII. c. 4. *Jure civili omnia regis sunt: & tamen illa, quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, & unaquæque res habet possessorem suum. Itaque dare regi & domum, & mancipium & pecuniam possumus; nec donare illi de suo dicimur. Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt. Et totus ager hujus aut illius resp. est: pars deinde suo domino quoque censetur. Ideoque donare agros nostros resp. possumus, quamvis illius esse dicantur: quia aliter illius sunt, aliter mei. Omnia rex imperio possidet: singuli dominio. Add. Grotius ad 1. Regum 16. 24. Hinc Adrianus populo, servum aurigantem ut in libertatem assereretur flagitanti, restitit his verbis: *Neque me alienum servum libertate donare, neque vos domino ejus vim afferre decet*, apud Zonaram tom. II. Et *ibid.* Imp. Claudius edicto vetuit, ne ab Imperatore res alienæ peterentur. Erat enim eo tempore opinio, Cæsarem talia donare posse. Unde & ipse, quem privatus hoc modo acceperat fundum, domino restituit. Eoque probari non potest illud Friderici Imp. apud Guntherum Ligarino l. 3. *Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus, Jure quidem nostrum, populo concedimus usum. Rege figuratam, regis patet esse monetam; Casaris & domino sub Casare fulget imago.* Ista porro potestas ad tria potissimum capita revocari commodissime videtur: ad jus ferendi leges circa usum bonorum ad salutem civitatis attemperandum; deinde ad jus indicendi tributa; & denique ad exercitium domini eminentis. Ad primum caput referuntur leges sumtuaræ, seu quæ modum statuunt sumtibus extra necessitatem positis, quibus privatæ domus, &*

Uuuuuu 2

inde

inde civitas exhauritur, pecuniis ad externos translatis, postquam in exoticas delicias luxuria cum primis solet insanire. *Plinius N. H. l. 6. c. 28. In universam gentem (Arabum) ditissima, ut apud quas maxime opes Romanae Parthorumque subsidunt, vendentibus quae à mari aut sylvis capiunt, nihil invicem redimentibus.* Idem d. l. c. 23. *Nullo anno imperii nostri minus HS quingentis exhauriente India, & merces remittente, quae apud nos centuplicato veneant.* Conf. Idem l. 12. c. 18. Quo & illud incommodum accedit, quod qui opes suas per luxum dissiparunt, ad sumtus in remp. erogandos fiant inepti. Qui enim v. g. duas quintas partes reddituum suorum annuorum expendit, si duae praeterea quintae partes in tributum sint erogandae, nihil incommodi sentit, & sortem insuper suam una quinta parte auget. Cum contra qui universos suos redditus expendere sivevit, ubi in publicum quid est conferendum, vel ipsa fors sit minuenda, vel de assuetis sumtibus sit detrahendum. Quales illae leges fuerint in rep. Romana, enumerat *Paulus Manutius de L. L. Romanis ex Macrobiani Saturnal. l. 3. Plato l. VI. de LL. ad nuptias non nisi decem ex propinquis vocari, & à ditissimis supra minam impendi non vult.* Add. *Aelian. V. H. l. 3. c. 34. & Garcilass. de la Vega Comment. Reg. I. V. c. 11.* Item, leges contra aleam latae. Vid. t. t. D. & C. de aleatoribus. Add. *Gratianus c. 7. 8. 9. distinct. 86.* Et quae passim prodigos coercerent. Quo facit institutum Periantri apud Corinthios, quo non permittebatur *δυνασῆν πλὴν, ἢ κατὰ τὰς ἀπορίδας, non plus insumere, quam census ferret.* *Heracledes de politis.* Id quod cum primis circa illos observandum, qui remp. tractant. Quo facit insignis locus *Polybii l. X. in exceptis Peirescianis. ἢ διὸν τοῖς κοινῶν ἀποσταῖν καλῶς τὸν ὀλιγοῦντα τῶν κατὰ τὸν ἴδιον βίον, εἴτι μὴν ἀποχρῆσθαι τῶν τῆς πατρὸς ἔσσις πολυλίετρας ἢ τῆς κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπαρξίν χορηγίας.* *Fieri non potest, ut is reip. recte praesit, qui in privata vita est negligens; neque à diripienda publica pecunia sibi est temperaturus, qui sumtuosius vivit, quam privati redditus ferant.* Conspirat illud *Luciani in Antholog. ἢ ἔστι κακῶς περιουσίαν ἀδραστὸν ἰδίῳ, εἶνα πιστὸν ἐν ἀλλοτρίῳ.* non potest male usus propriis esse fidelis in alienis. Item leges de modo & qualitate possessionum, qualis erat Romana lex Licinia, ne quis ultra D. agri jugera, neque pecoris majoris ultra C. minoris ultra D. capita haberet. Vid. *P. Manutius d. l.* Huc pertinet *Numer. 36. v. 7. 9.* Add. *Aristoteles polit. l. II. c. 5. 7. l. VI. c. 4. (5.) ubi*

memoratur lex in multis civitatibus democraticis usitata, *μη πολεει εξειαι*
ηε αρωτες κληρε, ne primas agri partes liceat vendere. Et lex Oxyli, *μη δια-*
νιζειν εις ηε μισθον & υποχευονε ιαδεν γαι. ne quis in partem agri cuiusquam mu-
 tuum det. Add. *Lex Burgundionum tit. 84. §. 1.* Huc spectat illud SCtum
 apud *Plinium* l. VI. *epist. 19.* quo candidati jubentur patrimonii tertiam
 partem conferte in prædia Italica. Item, leges circa modum donationum,
 legatorum, & quibus testandi facultas circumscribitur: aut quibus mo-
 dus consecrationi rerum ponitur. Vid. *Exodi* 36. 6. Item illæ leges, quæ
 certos cives certum genus rerum possidere vetant. Sicuti de Indis re-
 fert *Strabo* l. xv. *privato homini equum & elephantum alere non licet. Utrum-*
que enim regis possessio censetur. Et leges contra otiosos latæ: Qualis illa
 apud Nabathæos, qua publice mulct abatur, qui opes suas imminuerat, apud
Strabonem l. XVI. Et contra eos, qui res suas incultu perire patiuntur.
 Vid. *Gellius* l. 4. c. 12. Item illa lex regis Amasis apud Ægyptios, qua om-
 nes apud provinciarum præsides singulis annis demonstrare teneban-
 tur, unde viverent; pœna mortis in secus facientes constituta. *Herodotus*
Euterpe. Possis etiam huc referre leges, qua certæ res civibus adquiri,
 aut certus modus rem augendi vetatur. Sicut de Italia *Plinius* N. H. l. 3.
 c. 20. *Metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. Sed interdicitum id*
vetere consulto patrum, Italia parcere jubentium. Spectat quoque huc lex
 Venetorum, ut nullus testamento, venditione, aliavè causa bona immo-
 bilia perpetuo Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare inconsulto Se-
 natu queat, apud *Maurocenum hist. Venet.* l. 17. Item, quæ vetant pecunias
 extra civitatem efferi, & commercia cum exteris sola mercium commu-
 tatione expediri jubent.

§. 4. Sed & hoc juris summo imperio competit, ut partem ali-
 quam de bonis civium decerpere tributi nomine possit. Quippe cum
 tributa intra justum modum imperata, & recte impensa nihil sint aliud,
 atque merces, quam singuli pendunt civitati pro defensione salutis ac
 bonorum suorum, & ad tolerandos, qui heic requiruntur, sumtus: Hinc
 cum *Nero* dubitaret, *an cuncta vestigalia omitti juberet, idque pulcerrimum*
donum generi mortalium daret; impetum ejus attingere senatores, dissolutio-
nem imperii docendo, si fructus, quibus resp. sustineretur, deminuerentur. *Tacit.*
Ann. XIII. Apud *Eundem Hist. iv.* Cerialis ad Treveros: *Nos jure victoria id*
solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine
armis; neque arma sine stipendiis; neque stipendia sine tributis haberi queunt.

Uuuuuu 3:

Apudi

Apud *Isæum* orat. VI. dicitur: *existimans pro se modicos sumtus facere oportere, & quæ reliqua erant civitati acquirere, ut impensis sufficeret. Themistius orat. XIV. Athenis lex prohibet eos, quorum nomina in ararium relata sunt, Remp. prius capessere, quam debitum illud dissolverint. Quæ qui probe expendit, fatebitur iniquas sæpe & impudentes esse querelas vulgi, cui maxima fere miseriarum suarum causa videtur tributorum gravitas. Quam ad rem cumprimis faciunt, quæ tradit *Hobbes de Cive* c. XII. §. 9. Etli multo improbiores sint querelæ eorum, in quos cadit illud apud *Plantum Cistellar.* act. 2. sc. 2. *Quasi non fundis exornata multa incedant pervias. At tributus cum imperatus est, potesse pendere negant: Illis, quibus tributus major penditur, pendipotest.* Huc spectat quoque illud *Archidami*, qui bello *Peloponnesiaco* sociis poscentibus, ut tributum certam præscriberet quantitatem, dixit: ὁ πόλεμος ἢ ἡταγμαίνα ζιτεῖ, *bellum definito non alitur emolumento*, apud *Plutarchum apophth.* Et *Idem Crasso*: ὁ πρὸς πόλεμον πλεῖτον ἀόεις. *opes ad bellum definiri nequeunt. Procopius de bello Persico* l. 2. c. 26. πόλεμος τις αὐτὸν ἀφαιρεσιν, ἢ τις ὁμολογουμένοις ἢ μήτοι ἰσι. *Bellum ab iis, qui illud inferunt, non potest poni in rerum numero, quas certo tenent.* Et raro locum habet illud *M. Catonis* apud *Livium* l. 34. c. 9. *Bellum seipsum alet.* Imo in universum sumtus publici certa quantitate includi semper non possunt, ob varios casus, qui non à nobis, sed à vicinis nostris dependent, ad quos dispellendos pecunia opus est. Sed & ad quemvis adparatum bellicum applicari potest, quod de classe extat apud *Nicetam Choniaten* l. 1. s. 1. Joannis Puzeni summi quæstoris sub Imperatore *Manuele Comneno* vectigalia nautica, olim in classem conferri solita, in fiscum fuisse relata, triremesque abolitas, quod diceret: *triremes non semper reip. esse utiles: sumtus vero, qui in eas fierent, & annuos esse & immensos. Eos igitur in fiscum referendos, necessitate vero postulante, ex Imperatoris thesauris stipendia promenda esse.* Quæ cum dixisset, vir optimus, & rerum gerendarum peritissimus est habitus, cum revera sententiam crudelissimo pirata dignam dixisset. Imperatorem enim sumtuum magnitudine decepit, & parvitate impensarum rursus exhilaravit. Quæ si ve temeritate, si ve tenacitate factum est, ut *maritima provincia latrocinii vexarentur.* Inde secutas calamitates ei æque imputari potuisse, infert: atque spicam ei, qui sevit, acceptam ferimus, & is accusatur, qui non refecuit, & incendium non ei duntaxat imputatur, qui ignem iniecit, sed & ei, qui id restinguere cum posset noluit. Gemina habentur ap. *Nicephorum**

phorum Gregoriam l. vi. qui talia sub Andronico Palæologo quoque con-
tigisse refert.

§. 5. Est tamen prudentis rectoris, hæcenus querulo vulgi inge-
nio se attemperare, ut quantum fieri potest minimo quasi cum sensu &
motu tributa colligantur. Et quidem vulgo durius longe videtur, illa,
quæ semel in bonis suis numeravit, iterum erogare, quam quædam non
adquirere. Vid. *Livius* l. V. c. 23. Et *Plutarchus* *Camillo*, ubi ægerrime tu-
lit plebs, quod decimam partem prædæ jam divisæ cogere conferre.
Homerus *Iliad.* a. *quæ ex urbibus captis diripiimus, ea divisæ jam sunt. Popu-
lum vero non decet ea rursus collecta congregare.* *Claudianus de cons. Mallii:*
Graviorem amissæ dolorem, Quam necdum quasita movent. Add. l. 5. §. 13. *D.*
de donat. inter vir. & uxor. Hannibal apud *Livium* l. 30. c. 44. *Tantum ex
publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quidquam
acrius, quam pecunia damnum stimulat.* Inde multis commodissimum vi-
sum, semel isto onere defungi, & partem bonorum in usus publicos per-
petuo disponere. Vid. *Diodorus Siculus* l. 1. c. 72. Et *Paulus Warnefridus de
gest. Langobard.* l. 3. c. 16. Aliqui minus affici vulgus judicant per mode-
rata vectigalia, & assisias, quas vocant, quam collectas & tributa. Quan-
quam circa vectigalia in merces importandas constituenda consideran-
dum sit, an merces illæ sint necessariæ, an vero luxuriam duntaxat instru-
ant. Nam circa has illa recte intendi possunt, reprimendø luxui, & quia
istis fere utuntur homines locupletes, aut qui alias multis privilegiis in-
structi reip. parum contribuunt. Vid. l. 16. §. 7. *D. de publicanis.* Item an
non eadem merces apud nos provenire, aut elaborari possint, si ad sit
indigenarum industria. Quam ob rationem recte merces exoticæ ve-
ctigalibus onerantur, illæ cum primis, per quas luxus tantum instruitur,
& per quas *exteri tributum à nobis accipiunt*, *φόρος παρ' ἑξῆς λαμβάνουσιν, ἢ τῆς
χωρῆς, ἢ δὲ τῆς βασιλείας, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀνοίας τῆς ἡμετέρας, non pro regione neque pro
pecoribus, sed pro dementia nostra;* uti loquitur *Dio Chrysostomus orat.* 79.
Circa exportandas merces videndum, an reip. intersit eas non ex-
portari; an vero necessum sit eas exportari, quod aliud non sup-
petat medium civibus rem faciendi. Prius facit, ut vectigalia in-
tendi queant, posterius ut remitti debeant. Neque id insuper ha-
bendum, an exteri vehementer istis mercibus opus habeant; an eas-
dem quoque aliunde possint habere? **homi-**

hominum solertia? *Extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* Ita enim fieri solet, ut si in uno loco nimis onerentur mercatores, alia sibi emporia quæsitum eant; aut occinant illud Gallieni apud *Trebellium Pollionem*: *Quid? sine lino Ægyptio esse non possumus. Non sine trabeatis sagis tutare. sp. est?* Sicuti & ad vectigalia maxime quadrare judicaverim illam *Hesiodi* regulam, *πλίον ἤμισυ πάντες*; *dimidium plus toto.* Nam sterilis est portus, quem mercatorum frequentia destituit. Quo loco etiam observanda constitutio *Neronis* apud *Tacitum* A. XIII. *ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis penderent.* Sicuti & id summi imperii est, quæ in quæstum publicanorum ab ipsis subinde inveniuntur, nec non eorundem importunitatem, & vexationes, quæ ipso vectigali gravius tolerantur, circumcidere. Apud *Dionem Cassium* l. 42. Cæsar dicitur Asiam à publicanis, qui eam acerbissime habuerant, liberasse, & *vectigalia in tributiformam rede gisse.* Add. l. 12. *princip. D. de publicanis.* Sic & laudat edictum *Neronis* *Tacitus* A. XIII. *ut leges cujusque publici, occulta ad id tempus, proscriberentur: ommissas petitiones non ultra annum resumerent: magistratus jura adversus publicanos extraordinem redderent.* Sed nec nimium favoris tribuendum fisco, *cujus causa nunquam mala est, nisi sub bono principe;* & cui nunquam desunt, qui fronte gravi, & tristi supercilio ejusdem utilitatibus contumaciter adsint. *Plinius paneg.*

§. 6. Circa imponenda autem tributa, & alia onera id maxime cavendum, ne subditis justa querelarum causa oriatur. Id quod primo fit, si onera civitatis civibus inæqualiter imponantur. Nam, uti recte *Hobbes de cive* c. XIII. §. 10. quod omnibus simul leve onus est, si multi se subtrahunt, cæteris grave, imo intolerabile erit. Neque enim homines tam onus ipsum, quam inæqualitatem ægre ferre solent, ob dolorem injuriæ, aut invidia adversus immunes. Et cum id, quod à civibus in publicum confertur, nihil aliud sit præter emtæ pacis pretium, rationis est, ut qui æque de pace participant, æquas partes solvant, pecunias aut operas reip. contribuendo. Sic ut immunitates & privilegia, quibus certi homines aut ordines in multis civitatibus gaudent, non aliter æquitatem habeant, quam quatenus ista nobilitate operæ, quam iidem reip. præstant, pensantur. Vid. *Diodorus Siculus* l. 4. c. 73. de Machaone & Podalirio. Et *Isocrates in laudat. Busiridis* de privilegiis sacerdotum Ægyptiacorum. Enimvero ut ista æqualitas recte inveniatur, accurate observandum est, non heic quæri

striam lucretur, neque recognitio census tam crebro fieri queat. Deinde si impositio tributi fieret anno elapso, ubi uterque rationes acceptorum & expensorum subduxit, & quidem pro ratione ejus, quod utriusque ex lucro prioris anni superest, uni simplum, & alteri duplum foret solvendum; cum tamen uterque æque beneficio pacis fruitus sit. Hoc modo & illud fieret, ut uni sua parsimonia fraudi, alteri sua luxuria levamento foret. Ergo commodissimum est, ipsas res consumendas taxari, ut sic unusquisque dum rem privatam consumit, partem civitati debitam pro ratione eorum quæ non habet, sed beneficio civitatis habuit, imperceptibiliter persolvat, dum id quod civitati persolvitur pro parte pretii rei consumptæ habetur. Cæterum, quod jamjam circa vectigalia monebamus, id ipsum circa tributa, & alia onera publica observandum. Quo spectat illud *Taciti Agricola: Frumenti & tributorum auctiorem aequalitate munerum mollire, circumcisis quæ in questum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis, & emere ultro frumenta, & vendere pretio cogebantur. Divortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis hibernis in remota & avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, pacis lucrosus fieret.* Add. *Cicero actione 3. in Verrem.* Sed & duram nimis arbitramur vocem Pescennii Nigri apud *Spartianum*, qui cum Palæstini rogarent, ut eorum censitio levaretur, respondit: *Vos terras vestras levare censitione vultis: ego vero etiam aërem vestrum censere vellem.* Cæterum quos modos pecuniæ colligendæ quandoque necessitas adhibere subigat, *Aristotel. Oeconom. l. 2. c. 1.* prolixissime tradit. Obiter heic monere placet de singulari genere tributi, quo Yncæ apud Peruvianos ab extreme pauperibus quotannis aliquot cornicula pulicibus demta, tributi loco præfectis suis offerri jubebant, ut nemo se immunem jactaret, & ut se ab istis insectis purgarent, ap. *Garcilassum de la Vega l. V. c. 6. & l. VIII. c. 5. & 6.*

§. 7. Domini eminentis non tam rem, quam vocabulum aliqui damnant. Ipsam enim vim imperii, propter salutem publicam instituti, sufficientem principi titulum præbere, urgente necessitate utendi bonis suorum subditorum; eo quod omnia simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. Ambitiosum quoque esse id vocabulum, quo mali principes abuti possint ad dissipandas subditorum facultates. Verum uti super vocabulis litigare supervacuum est; ita particulam summi imperii, quæ certo sese modo circa certam

certam rem exferit peculiari nomine insignire, non præter rationem est. Ejus autem dominii quæ vis sit, ex hisce intelligitur. Naturalis est æquitatis, ut, si ad communem quampiam rem conservandam ab iis qui de eadem participant, conferendum quid sit, singuli ratam dumtaxat partem conferant, nec unus supra cæteros graviter oneretur. Idem & in civitatibus obtinet. Sed cum sæpe ea sint reip. tempora, ut velurgens necessitas non admittat ratas partes à singulis colligi, vel certa quæpiam res unius aut paucorum civium ad necessarios usus reip. requiratur; poterit summum imperium eam rem publicis necessitatibus adhibere; ita tamen, ut quod ratam partem dominorum excedit, à cæteris civibus sit ipsis refundendum. Exempli loco hæc esse possunt. Si urbs sit munitionibus circumdanda, horti, agri, prætoria privatorum fossis aggeribusque occupantur. In obsidionibus ædes, arboresque privatorum dejiciuntur, aut perduntur, ne hostibus emolumento, obsessis fraudi sint. Materia quoque, quam suis usibus privati disposuerant, adhibetur muniendo oppido. Urgente fame, privatorum granaria recluduntur. Imminente necessitate, deposita publice pecunia, aut privatorum gazæ invaduntur; ubi, quod civilius est, à volentibus civibus istas pecunias velut mutuo accipere non licet; sicut apud *Xenophontem Cyropæd.* l. 8. Cyrus fecit. Et si dubiam habeat justitiam factum Cæsaris apud *Dionem* l. 42. licet legitimum dominum fuisse ipsum ponas: *Cæsar Roma post victum Pompejum mutui nomen ei pecunia, cujus exigenda probabilis alia ratio non extabat, prætexebat; quanquam vi alioquin eas quoque non secus atque debitas sibi poscebat, neque redditurus unquam erat.* Si alia ratio non sit hostem repellendi propria regio vastatur, quicquid usui esse potest, quod avehinequit, corrumpitur. Vid. *Curtius* l. III. c. 4. Imminente bello Romanorum Critolaus cum Achæorum magistratibus egit, *ut exigendi nomina jus ne esset, neve ducentem sequi alieni aris gratia necesse esset, ad belli finem usque debitorum solutione dilata.* *Polybius excerpt. legat.* 14.4. c. 3. Add. l. ult. D. de lege commissoria. Huc etiam pertinet, quod de pecuniis mutuis disposuit Julius Cæsar apud *Suetonium* c. 42. Ex quibus adparet, dominio eminenti locum non esse, nisi reipubl. necessitas requisiverit. De qua tamen *Bæclerus ad Grotium* lib. 1. cap. 1. §. 6. monet, necessitatem quæ hæc attenditur, habere utique suos gradus, neque ultimum semper ejus articulum sumendum esse, ubi hoc vocabulum auditur.

Neque tamen liberalis nimium ejusdem juris facienda est extensio, & quantum fieri potest, ad æquitatem idem temperandum. Quam in rem notabile est exemplum apud *Livium* l. xxxi. c. 13. Ex quibus & illud colligitur, civem à principe vi dominii eminentis solvi non posse; cum omni privilegio exceptio necessitatis rei. inesse intelligatur; ac contradictionem videatur implicare, velle civem esse, & tamen aliquod jus prætere, quo salvo civitas salva esse nequeat. Cæterum iis, qui hoc modo sua publico impenderunt, aut perdiderunt, à tota civitate quantum fieri potest ea restitui, aut pensari, manifestissima æquitate nititur. Exceptionem tamen aliqui faciunt, si damnum illatum inevitabile sit, adeo ut tale futurum esse prævideri potuerit. Puta si ædes in suburbiis tempore belli diruantur. Horum enim compensatio posci nequit, quia norant conditionem ejusmodi talibus locis annexam esse, eamque ipsi, dum nihilo secius ibi ædes ponunt, tacite quasi jam ante confirmaverunt. Tanto minus compensationi petendæ locus est, si omnes eadem necessitas stringat, aut æquale damnum involvat. Publico enim satis est, si neminem sua culpa deteriori reddi patitur; & nunquam illud damnis subditorum ferendis se se obligavit. *Jo. Christoph. Becmannus meditat. Polit. diff. xxxi. §. 8.*

§. 8. De publicis autem bonis, quæ ad ipsam civitatem ut talem pertinent, observandum, circa ea in nonnullis regnis id discrimen deprehendi, quod quædam destinata sit ad sustentationem regis, alia ad sumptus in conservationem regni impendendos. Sicuti & *Dion. Halicarn.* l. 3. aliud est *δημοσία κτήνη*, aliud *ἡ τοῖς βασιλεῦσι κτήνη*. *possessio publica*, aliud *perpetuum regium patrimonium*. Apud Sinenses nona agri pars regi attributa est, ut tradit *Martinius hist. Sin.* l. 4. c. 24. Scilicet alicubi de publico regi sunt assignata certa bona, quorum proventu regis suæ sumptus toleret. Eorum usum fructum quidem plenum habet rex, ita ut de eorundem proventibus pro arbitrio queat disponere; & si quid inde comparsum sit, id privato regis patrimonio accrescit, nisi forte leges regni aliter disposuerint. Huc facit illud *Seneca de beneficiis* l. VII. c. 6. *Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum, ac sua: & universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria*. Pertinax ap. *Herodianum* l. 2. c. 4. Imperatoriis possessionibus nomen suum inscribi vetabat: *non esse illas dictitans imperantium proprias, sed communes Romanorum & publicas*. Sic olim apud Peruanos sub imperio Yncarum agri erant tripartito divisi, & una pars Regi, altera Soli, ipsorum Numini, tertia civitati assignabatur; inde & de sua parte cives tributum nihil solvebāt. *Vid. Garcilasso*

ass. de la Vega Com. Reg. l. V. c. 14. Ast eorum bonorum, quibus tolerantur tamtus in reip. conservationem impendendi, nudam duntaxat administrationem habet rex, quæ pro scopo salutem civitatis habere debet, & non minore religione est tractanda, quam tutori in bonis pupilli versandū est. *Paul. Warnefrid. de gest. Longobard. l. 3. c. 16.* In diebus Authari, ob restaurationem regni, duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem regalibus usib. tribuunt, ut esse possit, unde rex ipse, sive qui ei adhererent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur. Ex quibus etiam facile colligitur, ad quemnam pertineant bona, quæ abs rege durante ipsius imperio parantur; ad ipsum, an ad regnum? Nam si illa parantur ex bonis ad remp. destinatis, aut per tributa & sanguinem civium, ac per talem eorum operam, quam ex communi sua obligatione civitati debent; eadem regno, non autem privato regis patrimonio accrescere in aperto est. Sed tamen contingere quoque potest, ut non ex ærario, sed ex suo patrimonio bellum rex instruat, & gerat, sine ullo civitatis onere aut periculo; vel etiam ex solis fructibus illius patrimonii, quod principatum sequitur. Tali bello quod rex adquisiverit, jure sibi, non civitati poterit vindicare. Nam proventus ejus rei, cujus ego usumfructum habeo, pleno jure mei sunt, deque iis pro lubitu licet mihi disponere. *Add. Grotius l. 1. c. 3. §. 12.*

§. 9. Consequens hisce est dispicere, quidnam regi liceat circa alienationem regni aut partium regni; & quidem non ejus, quod in patrimonio regis est, sed quod ultroneo populi consensu ipsi est delatum? Agit de hac quæst. *Grot. l. 1. c. 4. §. 10. & l. 2. c. 6 §. 3. seqq.* (ad utrumque locum addantur, quæ annotavit *Bæcl.*) & l. 3. c. 20. §. 5. *seqq.* Summa huc redit, nihil agere regem, qui regnum in alium propria autoritate transferre aggreditur, nec subditos isto actu regis teneri; verū heic non minus populi, quam regis consensus requiri. Nam uti invito regi regnum non recte eripitur; ita nec invito populo alius rex potest obrudi. Sed in alienatione partis præter consensum regis requiritur non solum populi, qui sub pristino rege remanet, sed vel maxime consensus illius partis, de qua alienanda agitur. Cujus rei ratio est, quod qui initio in civitatem coivere, aut ultro post accessere, pacto se invicem obstrinxerunt, quod uno eodemq; imperio regii velint, quamdiu intra ejusdem civitatis fines degere placeat. Unde quemadmodum singuli per istud pactum tale j^o quæsiwerunt, ut inviti non possint è civitate ejici, aut alterius sub imperium tradi, nisi in pœnæ vicem: ita universis in singulos itidem jus est quæsitum ex eodem pacto, ut nemo

possit alterius imperio sese subicere, aut ejus civitatis imperio renunciare, quamdiu intra ejusdem fines degere placet. Adeoque cum civitates tanquam corpora moralia consensu partium coaluerint, ex primævaco-euntium voluntate metiendum, quid toti in partes potestatis heic comperat. Quæ voluntas hautquaquam præsumi potest talis fuisse, ut jus esset corpori pro mero lubitu partes & abscindere à se, & alii in ditionem dare. Sic apud *Frossardum* l. IV. & *Polydorum Vergilium hist. Angl.* l. 20. Aquitani nequidquam per donationem Richardi II. à regno Angliæ separari volunt. Enimvero quod dicitur, non licere parti à corpore recedere, sic ut intra eosdem fines maneat; id hanc habet exceptionem, nisi summa necessitas adegerit, ac aliter servari non potuerit, quam in alterius ditionem sese dedendo. Nam in omnibus ejusmodi conventionibus excepta videtur summa necessitas, quæ facultatem dat salutem suam quovis modo expediendi. Hinc nemo jure urbes reprehenderit, quæ ubi pro virili hostibus restiterunt, dedere se demum maluerunt, quam excidium pati. Scilicet qui ab initio in civitates coiverunt, jam antea per naturam jus habebant salutem suam quovis modo defendendi; idque ut eo melius possent consequi, civitates subierunt. Eum finem ubi civitas ipsis præstare amplius nequit, censentur soluti vinculo, quo civitati tenebantur, ac recepisse jus suo sibi arbitrio consulendi. Ast ipsa civitas non habet aliud jus in membra sua, quam quod per eos, qui eam initio constituerunt, est concessum. Hæc quemadmodum singulis defensionem promittit sub exceptione, nisi magna necessitate impediatur; ita ubi isthæc ingruerit, non amplius intelligitur prohibere, quo minus quilibet, quantum potest, salutem suam prospiciat. Nam licet quidem directe perdere membrum aliquod, ut totum corpus servetur, quia membrum non vivit, nisi vita corporis: at membra corporum moralium etiam seorsim existere atque vivere possunt, adeoque in hæc corpori tantum juris non erit, quantum in illa. Quod si autem rex necessitate adactus cum hoste validiore pacem hæc lege fecerit, ut ipsi certam regionem concedat, quæ tamen isti cessioni contradixit; arbitramur, debere quidem ipsum ex eadem sua præsidia deducere, & non impedire, quo minus victor ejus possessionem adprehendat. Haut quidquam tamen eandem cogere poterit, ut omnino sese in alterius ditionem tradat. Neque illa regio ulla obligatione videtur

impe-

impediri, quo minus, si viribus suis confidat, se occupare volenti resistat, aut peculiarem deinceps civitatem constituat. Sicuti, cum pacto urbem Nisibin cederet Persis Jovianus Imperator, cives obsecrabant, ut propriis viribus patriam sibi sedem defendere liceret; apud *Ammianum Marcellinum*. l. XXV. c. 12. & *Zosimum* l. 3. Igitur ejusmodi pacto rex quidem & populus jus suum ad istam regionem amittunt; victor autem ex ipsius consensu & fide data in eandem legitimum imperium nanciscitur. De cætero quod aliqui jactant vel de omnibus regnis, vel de uno aliquo; bona coronæ inserta, seu uti loquuntur, incorporata, nulla ratione posse alienari, nec longissimum temporis tractum, alteriusque quietam possessionem impedire, quo minus vindicari semper queant; id sine dubio vanum est. Multo autem ineptius, uni alicui regno ejusmodi privilegium assertum ire; ut ipsum quidem aliis sua eripere possit, sed quæ semel arripuerit, nunquam ullo modo ab eodem iterum separari queant.

§. 10. Ex dictis quoque intelligitur, regi non esse licitum citra consensum populi regnum suum deinceps tanquam feudum ab altero recognoscere sub onere commissi ex feloniam, aut ut deficiente familia ad seniore illud devolvatur. Nam isthac lege facta infeudatio pro alienatione conditionali habetur. Sicut & vice versa populus irritam potest reddere remissionem homagii, quam rex vasallo fecit sine populi consensu. Sed & hoc consequitur, non posse regem alteri pignori opponere partem imperii, sic ut ejus administratio, & naturalis possessio tantisper sit penes creditorem, citra consensum populi, partisque oppignorandæ, multoque minus si sit adjuncta lex commissoria. Cujus rei ratio non ea solum est, quod pignoris dationem frequenter alienatio soleat comitari; sed etiam quia populus, regem ultro constituens, ab ipso voluit gubernari, non abs quovis alio. Et illi, qui in populum unum coiverunt, in plures particulas ut discerperentur noluisse præsumuntur.

§. 11. Sed & illud manifestum est, citra consensum populi non posse à rege alienari bona ipsi assignata, ut ex istorum redditibus tolerantur reip. aut regiæ dignitatis onera. In istis enim bonis non nisi usufructus regi competit, qui hautquidquam ad jus alienandi sese extendit. Et si forte rex sibi ad vitam suam satis prospectum judicet; tamen post ipsum alio rege populus opus habet, qui & ipse pro dignitate est susten-

sustentandus, Est tamen heic accurate distinguendum inter ipsa bona, seu patrimonium populi, & eorum fructus. Ista quippe alienare regi vetitur circa hos libera ipsi disponendi facultas. Sic ubi in patrimonio regni sit jus alluvionum, id in alium transcribere regi non licet. Sed quo minus circa partes per alluvionem adpositas pro lubitu disponat rex, utpote quæ in fructu sunt, nihil prohibet. Sic jus confiscandi est in patrimonio, bona confiscata in fructu. Illud reip. proprium; hæc ad regem pertinent. Potest nihilominus rex, cui potestas competit ex causa tributa nova proprio arbitrio indicendi, partes patrimonii publici, necessitate exigente, pignori opponere. Nam sicuti populus tributa ab ejusmodi rege ex causa indicta tenetur solvere; ita & rem ex causa pignori oppositam luere: cum perinde sit, an cives pecuniam contribuant, ne talem rem pignori exponere necessum foret, an pecunia post collata eandem redimant. Ubi illud manifestum est, singulos cives non esse istius pecuniæ debitores, etsi ad eam exsolvendam quisque suam portionem debeat conferre. Vid. *Seneca de beneficiis* l. VI. c. 20. Sic & ubi rex ex privato patrimonio in usum reip. quædam erogaverit, merito patrimonium publicum eo nomine hypothecæ loco eidem judicabitur obstrictum, quousque à populo debitum illud expungatur. Isthæc tamen omnia ita locum obtinent, nisi lex fundamentalis aut capitulatio aliter heic disposuerit, & regis populivæ jus auxerit, aut restrinxerit. Add. *Grotius dd. ll.*

CAPUT VI

DE JURE BELL

- | | |
|---|--|
| 1. Partitio sequentium. | 9. Bellum est vel solenne vel minus solenne. |
| 2. Pax est status hominis ordinarius; bellum extra ordinem à natura indulgetur. | 10. Magistratus ut talis non habet jus bellum movendi. |
| 3. Bellum est vel defensivum, vel offensivum. | 11. An idem bellum movere possit ex presunta voluntate summi imperantis. |
| 4. Belli causa debet esse liquida. | 12. Quatenus injuria civis prabeat causam belli contra civitatem. |
| 5. Causa bellorum injusta recensentur. | 13. De aequitate repressaliarum. |
| 6. In hostem dolo quoque licet uti. | 14. Pro quibus bellum recte suscipiatur. |
| 7. Quid in hostem liceat. | 15. De |
| 8. In civitatibus jus belli singulis est ademptum. | |

- | | |
|--|--|
| 15. <i>De belli indictione.</i> | 22. <i>Quatenus incorporalia bello acquirantur.</i> |
| 16. <i>Gentes in bello multum sibi licentia solent sumere.</i> | 23. <i>An creditum bello acquiratur.</i> |
| 17. <i>De licentia in corpus.</i> | 24. <i>Imperium in victos quot modis acquiratur.</i> |
| 18. <i>An liceat hostem interficere immixtis percussoribus. (res sacra.)</i> | 25. <i>Quomodo res capta recuperentur.</i> |
| 19. <i>A licentia bellica non sunt exempta</i> | 26. <i>Quomodo integri populi hosti iterum eripiantur.</i> |
| 20. <i>Quomodo res bello acquirantur.</i> | |
| 21. <i>Cuinam res bello capta acquirantur.</i> | |

CUM non minus singuli in libertate naturali viventes, quam civitates à natura concessam habeant facultatem sese contra vim injuste intentatam defendendi, ac jura sibi ab aliis læsa aut denegata per vim asserendi; conveniens puto fuerit prius dispicere, quæ bella singulorum & civitatum habeant communia; dein, quæ hisce sua natura aut moribus gentium sint propria.

§. 2. Id igitur legi naturali maxime congruit, ut ne quis alteri citra jus noxam, damnumvè inferat; utique invicem ab hominibus officia humanitatis exercentur, ac in primis illa ultro præstentur, de quibus peculiariter convenit. Quod ubi mortales invicem observant, pax dicitur; quæ est status humanæ naturæ quam maxime conveniens, & ad eam conservandam idoneus, cuique constituendæ ac servandæ lex naturæ potissimum hominibus est insita. Add. *Polybius* l. 12. c. 14. Imo pax est status humanæ naturæ, ut tali, proprius, quippe quæ oritur ex principio, quod homo præ brutis peculiare habet; cum bellum ex principio surgat, quod hominibus & brutis commune est. Scilicet & bruta instinctu naturali sese vi defendere ac conservare nituntur. Pacis autem indolem solus homo intelligit. Istius enim est ultro quid alteri præstare, & à lædendò abstinere intuitu alicujus obligationis, quæ est in me, & juris, quod est in altero; quæ citra rationis usum intelligi nequeunt. Equidem præstant jumenta dominis suis ministeria, sed ex metu plagatum, aut illecebra pabuli, non ex aliqua obligatione, cujus sensus in ipsa non cadit. Abstinent quoque bruta à lædendis hominibus, aliisque bestiis, sed vel ob imbecillitatem, vel quod in iis nihil inveniant adpetitui suo congruum. Quædam denique blandiuntur invicem, aut opitulantur, sed

Y y y y y

ut

ut ad illud se teneri non intelligant. Facit quoque huc illud *Quintilianus* declam. 9. *Natura præter cetera animalia induit nostris pettoribus quandam societatem, qua mutuo gaudere congressu, contrahere populos, condere urbes edocuit, & cum mentibus nostris varios imposuerit motus, nullum profecto meliorem benevolentia tribuit affectum. Quid enim foret humano genere felicius, si omnes esse possent amici? Non bella, seditiones, latrocinia, lites, ceteraque mala, qua hominibus ex seipsis nata sunt, fortuna accessissent. Id quia nimium Deo visum est, at certe honestis convenire mentibus, fidem colere, amoris gratiam referre, omnibus temporibus, omnibus gentibus præcipuum, & quodammodo sacrum fuit. Nihilominus ipsi quoque homini licitum, & quandoque necessarium fit bellum, quando nempe alter dolo malo noxam mihi intentat, aut debitum detrectat. Tunc enim propriæ salutis cura mihi potestatem facit quoquo modo, etiam cum læsione violatoris, me ac mea asserendi atque defendendi; aut jus per vim extorquendi, quod amice impetrari nequitum est, uti apud *Dictyn Cretensem* l. 2. loquitur *Ulysses*. Huc etiam facit illud *Maximi Tyrii* dissert. XIV. *Φαίνεται τοῖνυν ὁ πόλεμος τοῖς μὲν δυνάμοις ἀνάγκη, τοῖς δὲ ἀδύνατοις ἰσχυρῶς. Unde concluditur, bellum probis necessitate imponi, sponte suscipi ab improbis.* Add. *Bæcler. ad Grot. l. 1. c. 3. §. 1.* Accedit, quod natura non solum acerbum injuriarum sensum animis hominum indidit, ut abhorreant injuriis aliorum vexari; sed & manuum agilitate ac robore corpus armavit, ne easdem impune cogerentur tolerare. Ita tamen natura permittit bellum, ut id gereas pro fine sibi constituere pacem debeat. *Aristoteles Nicom. X. c. 6.* *Bellum gerimus, ut in pace degamus. Nemo enim est, qui bellum expetat, vel apparatus bellicum faciat bellandi causa. Sanguinarius enim prorsus quidam esse videretur, si amicos ea causa sibi hostes redderet, ut pugna & cades orirentur.* *Themistius orat. X.* *παλιμὲν ἄσπον οἰσθῆν. καὶ στρατιώοντες διὰ ἀνάγκη, ἢ καὶ διὰ τῆς ἐλευθερίας, ἀλλ' ἵνα ἀσπονῶς ἡσυχάσωσιν. Belli præteritum pax est; nec vero bella suscipiunt, quibus id necesse est, ut perpetuo bellum gerant, sed ut tuto in otio ac quiete esse possint.* *Tacitus H. IV.* *Nemo adeo in arma promptus, ut non idem præteritum quietis, quam periculi malit. Inde nequidquam probaveris, in quos cadit illud *Silii Italici* l. 3. *Nec vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis Lucis causa sita, & damnatum vivere paci.* Præterea etsi qui me læsit, statim mihi præbeat potestatem, quantum in se, bellum adversus ipsum suscipiendi: circumspiciendum tamen est, quan-**

quantum boni aut mali in me aut alios, qui me non læserunt, probabiliter sit redundaturum. Quæ enim injuriæ salutem meam non penitus ever-
tunt, eas bello persequi non debeo, si vel in me meosque exinde graviora
incommoda, quam commoda sunt oritura; vel si aliis quibuscum pax
adhuc colitur, occasione mei belli tanta damna sint eventura, quæ per
ejusmodi injuriæ, qualis mihi illata est, in ultam tolerantiam ex lege hu-
manitatis debebam avertere. Adeoque injuriam sibi illatam, ex qua
vindicata majus malum exurgere judicatur, quam bonum, recte & lau-
dabiliter quilibet bello persequi omittit.

§. 3. Justorum bellorum causæ ad hæc capita revocari possunt; ut nos & nostra servemus ac tueamur contra alios, qui nos lædere, aut hæc interciperè aut perdere conantur; aut ut, si qua ab aliis nobis ex jure perfecto debentur, asseramus, ubi ultro isti eadem præstare detrectant: aut denique ut illatorum nobis per injuriam damnorum reparationem obtineamus, cautionemque de non offendendo in posterum ab eo, qui nos læsit prior, extorqueamus. Unde resultat divisio inter justa bella offensiva, & defensiva, quorum hæc arbitramur esse, quibus defendimus & retinere laboramus, quæ nostra sunt; illa autem, quibus extorque-
mus debita, quæ nobis abnegantur, aut injuste erepta recuperatum imus, cautionemque in posterum quærimus. Quanquam & aliquando favor defensionis ab illius partibus stat, qui prior arma alteri infert; puta si quis subinde repentinis & vagis incurfibus fuerit vexatus, refugo ad ipsius ad-
ventum hoste; aut si quis hostem invasionis jam certum per celeritatem oppresserit, dum ille adhuc in adparando bello est occupatus. Vid. *Justinus* II. 3. 12.

§. 4. In universum autem causæ bellorum imprimis offensivo-
rum liquidæ debent esse, neque dubii quidquam habere. Solent quippe heic sæpenumero provenire dubia partim ex ignorantia facti, quando non liquido constat, an quid factum sit, nec nè, aut quo animo factum; partim ex obscura comparatione stricti juris cum lege caritatis; partim ex illiquida proportionè utilitatum, quæ ex bello suscepto aut omisso resultare sunt aptæ. Heic igitur neque ita temere etiam illiquida præ-
tensio jactanda, neque tamen statim ad arma provolandum. Sed tri-
plici potissimum via tentandum, ne res in arma crumpat; colloquio inter partes aut eorum mandatarios inito; provocatione ad arbitros,

Y y y y y 2

aut

aut denique sorte. *Valerius Flaccus* l. V. *An nullas præferre preces, nec fædera regis Ulli sequi; cæca sed cuncta impellere pugna Debuimus? sic Thraeces agunt.* Vid. *Grotius* l. 2. c. 23. §. 7. 11. Sed ut ut liquida sit belli causa, cordato tamen viro, antequam in arma ruat, probe sunt expendenda, quæ monet *Grotius* l. 2. c. 24. Nec minus cogitandum, magnam esse stultitiam tam singulorum, quam civitatum, quod rebus integris conciliari nequeant. ἰπὴν δὲ κακῶς ἀλλήλους διαθῶσιν, ἕδινὸς διαλύσει. αὐτοὶ δὲ βίβην; sed ubi alteri alteros mali multarint, nemine dirimente ultra discedunt. *Isocrates* orat. ad *Philippum*.

§. 5. Injustas bellorum causas recenset *Grot.* l. 2. c. 22. quarum aliquæ improbabilis plane sunt; aliquæ colorem, licet sat dilutum habent. Ad priorem classem refertur avaritia, ac libido superflua habendi, ambitio & dominandi cupido, ardorque famam ex oppressione aliorum querendi. Inter quas tamen illam studiose velut sordidi animi indicem solent dissimulare; hanc autem non pauci sub specie magnanimitatis venditant, regiam laudem vocantes de alieno certare. Cum tamen omnes reges sibi dictum credere debeant illud *Philisci* ad *Alexandrum*: δέξινος φέρτιζε, ἀλλὰ μὴ ἔσο λοιμὸς, καὶ μὴ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ ὑγιεία. Ad gloriam incumbere, verum ne sis pestis, vel magnus aliquis morbus, sed pax & sanitas. Quanquam enim *Deus* bello soleat uti velut purgatione generis humani, sicut apud *Euripidem* *Helena* *Jupiter* dicit collisisse Græcos & Phrygas, ὡς ἄχλυ βροτῶν πλήθους τε κωφίσετε μητέρα χθόνα, ut turba mortalium & multitudine levaret terram matrem: eo proposito tamen ipsos principes in bella more, si nulla alia causa subsit, nefas est. Et tamen *Ebræi* permissum sibi crediderunt, ad augendam majestatis *Israëliticæ* amplitudinem, citra aliam causam bello ex sententia *Synedrii* indicto alios populos invadere, ipsosque eum rebus suis in potestatem redigere. *Seldenus* de *I. N. & G.* l. 6. c. 3. & 12. Ad posteriorem classem spectat metus ex vicini viribus ac potentia collectus; & ubi velle putant, quodcumque potest. *Lucanus* l. 3. Qui solus tamē ad justam belli causam non sufficit, nisi de animo nos lædendi certitudine moraliter evidenti constet. Nam incerta periculi suspicio id quidē suadere potest, ut mature tibi præsidia circumponas; non jus facere, ut prior vim adhibeas, ne ad hunc quidem finem, ut realem, quam vocant, cautionē de non offendendo alter præstet. *Gellius* l. 7. c. 3. *Gladiator* composito ad pugnandū pugna hæc præposita fors est, aut occidere, si occupaverit,

aut

aut occumbere, si cessaverit. *Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis. Quamdiu enim quis alterum non læsit, nec manifeste in læsione adparanda deprehenditur, (inchoata enim injuria quandoque non minus, quam perfecta bello vindicari potest;) is in posterum quoque officium facturus præsumi debet, præsertim ubi verbis & fide data id confirmet. Abs tali realem cautionem per vim extorquere iniquum fuit; cum is hoc modo deteriore quam nos conditione esset, dum is utique nuda nostra fide adquiescere cogitur. Caterum posita juxta bellandi causa, gliscens nimium vicini potentia in deliberationibus super bello magnum habet momentum: cum experientia compertum sit, plerisque una cum viribus etiam dominandi libidinem crescere. Add. Cumberland de leg. nat. Cap. 2. §. 15. in fine. Et Baco Sermon. fidel. c. 19. Seneca Oedipo. Stat ingens arbor, atque umbra gravi sylvas minores urget. Procopius hist. Goth. l. IV. Gravis per naturam hominibus, quacunque in vicino modum excessit potentia, & ad inferendas injurias parata. Neque enim deesse possunt præpollentibus, quas in finitimos, quantumvis innoxios obtendant bello causas. Herodes orat. de republica: οἱ πλεῖστον δυνάστες ἐν ἀρχῶν ἡγεμονία, οἱ πλεῖστον οἱ μὲν ἀδυνάστες, ὅπως ἀντὶ ἀρχῶν; οἱ δὲ ὅμοιοι τῷ δυνάμει, ὅπως ἀντὶ κρείττονος γένου; οἱ δὲ ἰσχυροὶ, ὅπως ἀντὶ βαδίστητον ἀρχῶν. Qui prope habitant vicinorum seditionem non moleste ferunt: imbecilliores ne jugum subeant; pares viribus, ut potiores fiant; superiores, ut imperium obtineant facilius. Polybius l. 1. c. 83. ἡ δὲ ἐνὶ χερσὶ Ἰνδικαυτῶν συγκατασκευάζειν δυναστείαν, ὅπως ἢν ἐδὲ ἀπὸ τῶν ὁμοιομενῶν ἐξίσει δικαίων ἀμφισβητήν. Nemini tanta est adstruenda potentia, ut cum eo postea de tuo quantumvis manifesto jure disceptare ex æquo non queas. Appianus Alexand. Lybico: εἰ καὶ φίλος ἐστὶν, ἢ καὶ σπέρποιός ἐστιν ἐκείνου ἀμείνων. tametsi amicus est, tamen ne ipse quidem augendus supra modum. Utilitati par cum necessitate jus in res alienas dare, impudens foret; uti Athenienses jaçant apud Thucydidem l. 1. æquitatem nemo unquam tanti fecit, ut oblatam occasionem aliquid vi consequendi ob eam à manibus dimitteret. Præsertim cum revera generi humano inutilissimum sit futurum id juris introduci, ut quod mihi utile videtur, alteri etiam invito possum per vim eripere. Nam in me quoque eandem licentiam alii sibi asserent, quam ipse in eisdem sumo. De reliquis prætextibus, qui d. l. adducuntur, idem est sentiendum. Sicuti nec nobis probatur illud Baconis de Verulamio de augm. scient. p. m. 348.*

quod ad bellum Americanis inferendum putat sufficere, quod isti possint intelligi velut per ipsum jus naturæ proscripti, ideo quia apud illos sit consuetudo sacrificandi, homines, & humanas carnes manducandi. Ubi distincte considerandum fuerit; An princeps Christianus Indos tanquam à natura proscriptos bello possit invadere, tantum quia carnib⁹ humanis, tanquam alio cibo, vescuntur? An ideo, quia carnibus hominum suæ religionis vescuntur? An, quia carnibus exterorum vescuntur? Circa quos iterum disquirendum, an illi extranei accedant tanquam hostes & prædones? an vero veniant tanquam hospites innoxii, aut vi tempestatum compulsi? Nam in hoc ultimo tantum casu jus belli est illis, quorum cives ita crudeliter habentur; in cæteris non item.

§. 6. Est & hoc omnibus bellis commune, ut quanquam proprius ipsorum mōdus ac velit genius sit vis terrorq;: dolo tamen ac fraude adversus hostem liceat uti; modo perfidia, pactorumque, & datæ fidei violatio absit. Agesiplus ap. *Plutarch. in ipsius vita: Fidem in fœdere fallere nihil aliud est, quam Deos contemnere: hostium vero circumventio non modo cum justitia, sed & cum magna laude, & jucundo conjuncta est compendio.* Et huc proprie pertinet illud Cleandridæ ap. *Polyanum strat. l. 2. δὲν μὴ ἔχαρται ἢ λιοτῆ, ἴοτε γὰρ & ἡ ἀλωπευῆς ἀποδείκνυται.* *Qua leonina non pertingit, vulpina est assuenda.* Silius Italicus l. 1. *Et metuens nudo sine fraudibus ensi.* Add. *Xenophon Cyropæd. l. 1. Livius l. 4. 2. c. 47. Grotius l. 3. c. 1. §. 6. & supra l. IV. c. 1. §. 12. 19.*

§. 7. Ut autem recte intelligatur, quousq; per vim in hostem, ejusque res liceat grassari, observandum est, aliter se habere licentiam in hostem, prout simpliciter ex statu hostilitatis oritur, aliter prout ipsam mansuetudo legis naturalis temperare jubet. Scilicet cum exhibitio officiorum pacis ex lege naturæ mutua debeat esse; qui prior illa adversus me abruptit, me quoq; quantum in se absolvit à præstandis officiis pacis; eoq; dum hostem sese meum profiteretur, licentiam concedit vim contra ipsum exserendi in infinitum, aut quantum mihi videatur. Præsertim cum finis belli, sive offensivi sive defensivi, citra licentiam, hanc, si necessum foret, vim adversus hostem intra certum modum, & citra ultima sistere, obtineri nequeat. Quam ob causam etiam condicta bella aliquod instar contractus talis habent; tenta quid ipse valeas, ego itidem omnia experiar. Atque istud obtinet non solum, si ipse hostis adversus me in infinitum grassari instituerit, sed & si forte citra extrema in me injurius esse velit.

Neque

Neque enim alter majus habet jus mediocrem, quam gravissimam injuriam intentandi. Inde non solum eousque vim licet in hostem adhibere, quoad ego periculum ab ipso mihi intentatum depulero, aut quod injuste mihi eripuerat, vel præstare detrectabat, recuperavero, aut extorsero; sed & ad cautionem in posterum obtinendam progredi possunt. Quam dum alter per vim sibi patitur extorqueri, satis ostendit sibi superesse animum etiam in posterum injurias mihi inferendi. Neque vero semper injustum est, pro minori malo majus reponere. Nam quod quidam obijciunt, retributionem fieri debere proportionate; locum duntaxat habet in tribunalibus, ubi poenæ à superioribus infliguntur. Ast quæ mala jure belli inferuntur, proprie poenarum rationem non habent; quippe quæ nec à superiore ut tali proficiuntur, nec ad emendationem lædentis aut cæterorum directe tendunt, sed ad defensionem atque assertionem salutis ac rerum juriumque meorum. Cui fini licet adhibere media, quæcunque videbuntur commodissima contra talem, qui injuria sua affecit, ut nulla à me ipsi injuria possit inferri, quousque denuo inter nos convenerit de omittendis in posterum læsionibus. Ast vero lex humanitatis non id solum considerari vult, quid hostis citra injuriam possit pati, sed & quid humanum, adde & generosum victorem facere deceat. Unde curandum, ut, quantum ejus fieri potest, & nostra defensio atque securitas in futurum admittit, quæ hosti inferuntur mala temperentur ad eum modum, quem in taxandis delictis, aliisque litibus forum civile solet sequi. De quo temperamentum prolixè agit *Grotius* l. 3. c. 11. seqq. ad 16. Sicuti & ad licentiam bellicam intelligendam non parum faciunt tres illæ regulæ ab *Eodem* traditæ l. 3. c. 1. §. 2. 3. 4. Sæpe quoque ut licentiam bellicam temperemus, anceps belli alea svadet, ne quæ ipsi edidimus exempla, conversa fortuna in nos statuantur. Vid. *Diadorus Siculus* l. 14. c. 47. *Virgil. Æn. X. Belli commercia Turnus sustulit ista prior, jam tum Pallante peremto.* Huc facit, quod apud *Anton. Gratianum de bello Cyprio* l. V. refertur, cum *Columna* captos in prælio ad *Naupactum* Turcas Romæ liberaliter haberi præciperet, ad *Mehemetem* versus, discite, inquit, à nobis humanitatem, qui tam acerbe ac tam crudeliter sævire atq; habere Christianos captivos soletis. Cui barbarus: Ignoscere nobis debes, inquit; neq; enim capi & in hostium potestatem venire, hætenus nostrorum fuit, & tantum facere captivos, non etiam esse, Turcæ didicim⁹. Quid autem liceat in eos, qui hosti res duntaxat subministrant, *Idem* docet l. 3. c. 1. §. 5. & c. 17.

§. 8. Videamus de quæstionibus quæ peculiariter spectant bellum à civitatibus, earundemque rectoribus gestum. Ubi ab initio observandum, jus belli, quod statum naturalem comitatur, singulis in civitate ademptum esse; adeoque singulis non amplius licere injurias sibi factas propria vi, proprioque arbitrio ulcisci, aut si quid sibi debitum denegatur propria violentia extorquere; sed super hisce magistratus est ad eundem, cujus est læsis reparationem damni, cautionemque in futurum præstare, atque efficere, ut suo quisque jure potiatur. Huc facit l. 176. D. de reg. juris. l. 11. §. fin. l. 12. l. 13. D. quod metus causa. l. 7. §. 3. D. quod vi aut clam. l. 14. C. de Judæis & caliculis. Quanquam autem singulis in civitate quandoque concedatur licentia propriis se viribus defendendi; ea tamen proprie jus bellandi vocari nequit. Nam jus belli gerendi hoc utique continet, ut proprio ex judicio bellum possit suscipi, idque quousque visum fuerit geri, & per pacta cum hoste componi. Atqui civibus vim propriam expedire indultum duntaxat in periculo inevitabili, nec ulterius, quam idem fuerit depulsum. Sicuti nec necessum est, ut per pacta privatorum pax inducatur, cum eam summi imperii autoritas jam tum satis sanciat. Quin si vel maxime inter privatos reconciliatio intervenit, ea tamen non impedit, quo minus integrum sit magistratui injuriam vindicare, quæ civium rixæ causam præbuit. Interdum tamen contingit, ut singulis redeat jus defensionis, quale in libertate naturali est; puta si quis deveniat in loca, quæ ad nullam civitatem pertinent, sed in primæva adhuc communione subsistunt. Ubi tamen videndum, an quis ibi à suo cive, an vero ab alio invadatur. Priori enim casu præsens duntaxat periculum vi potest depelli, persecutio injuriæ ad communem dominum deferenda; nisi forte adpareat, invasorem istum in patriam non reversurum; nec iste domi habeat, unde pro injuria satisfacere queat. Ab extraneo autem si quis in ejusmodi loco invadatur, non prohibetur quidem ad extremum eundem persequi, ubi prævaluerit. Licebit tamen & istum deferre apud ipsius civitatem, ibique satisfactionem & pœnam exigere, adhibita quoque interventione propriæ civitatis; quæ ubi civi suo justitia denegatur, jus nanciscitur violento modo satisfactionem civi suo præstandi. Unde si quis in oceano libero invadatur, non semper necessum habet vim propriam ultra depulsionem periculi expromere; cum invasori, ubi ad suos iterum adpulerit, actio in sua civitate intentari queat.

Sed

Sed & defensionem suo arbitrio instituere quis potest, si iudicis auctoritatem cives neglexerint, aut iudex aperte iustitiam administrare detrectet; præsertim si extra territorium civitatis excedat. Quod si tamen iudex tempora reip. prætendat, & ut persecutionem mearum injuriarum differam, aut reip. condonem hortetur; boni civis est, ipsius voluntati acquiescere.

§. 9. Frequens est distinctio belli in *solemne*, & *minus solemne*; ad quorum illud requiritur, ut geratur autore utrinque eo, qui summum habet imperium, & ut rite sit indictum. Minus solemne vocatur, quod denunciatum non est, aut quod in privatos geritur. Quorum illud speciem fere incursionis aut latrocinii habet: hoc autem ex altera parte involvit crimen rebellionis, aut ejusmodi vitæ genus, quod indignum aliquem faciat justii bellatoris nomine. Sic & minus solemnia sunt bella civilia, quando civitas ita est divisa, ut ex qua parte stet summum imperium, non satis adpareat. Ubi circa bellum solemne est observandum, quod qui illud gerunt populi, eorum vè rectores ab autoribus justii hostes vocari soleant, latronibus & prædonibus oppositi. Vid. l. 118. D. de verb. signif. l. 19. §. 2. l. 21. §. 1. l. 24. D. de captiv. Cicero *Philippica* IV. *Ille est hostis, qui habet remp. curiam, ærarium, consensum & concordiam civium, & præstationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis.* Etsi non statim civitas pro cœtu latronum habenda, quæ nonnulla injusta velut publice recipit. Neque cœtus latronum civitatis dignationem sortitur, licet ipsi inter se speciem quandam justitiæ servant. Add. *Grotius* l. 3. c. 3. §. 2.

§. 10. Hoc loco occasione eorum, quæ à *Grotio* l. 1. c. 3. §. 4. traduntur, quæstio movetur; an magistratui proprie dicto, ut tali, competat potestas belligerendi? Id quod utique negandum. Cum enim bellum vel præcipuum sit ex iis negotiis, quibus universa civitas periculo possit involvi, magistratui ut tali ex propria auctoritate de bello statuendi potestatem dare idem est, atque eidem summum imperium tribuere. Vid. l. 3. D. ad L. *Juliam majest.* Equidem id manifestum est, ubi magistratui ab summa potestate particula negotiorum publicorum exsequenda injungitur, eidem quoque id virium tributum intelligi, quantum muneri isti obeundo sit necessarium. Unde juris Romani scitum est, mixtum imperium cohærere omni magistratui, qui jurisdictionem habet, qua tali; adque mixtum imperium definitur per potestatem modice coercendi re-

fractarios ad tuendā jurisdictionem, & jus redditum exsequendum. Enimvero si qui jurisdictioni præest, magistratus vi cogat paucos quosdam impares, haut quidquam bellum gerere est censendus. Vis quippe coactiva in subditos non est jus belli. Et bellum videtur geri inter æquales, aut qui tales sese prætendunt esse. Quod si tamen refractariorum tantus sit numerus, ut ex illorum irritatione tota civitas periculo possit involvi, nec ordinarii lictores aut adparitores sufficiant, recte magistratus summæ potestatis sententiam super tali negotio expectat. Unde fallitur *Grotius* l. i. c. 3. §. 4. dum tradit: *scilicet a leges civiles res spectetur, omnem magistratum sicut ad tuendam plebem sibi creditam, ita ad exercendam jurisdictionem, si vis occurrat, jus habere belli gerendi.* Nam plebem tueri summo imperio proprie competit. Magistratus autem qui jurisdictioni præest, hæcenus tantum plebem tuetur, dum tenuibus contra potentiores jus reddit. Cui fini haut quidquam necessarium est jus belligerendi. Est & illud heic obiter monendum, etsi recte poena, non bellum vocatur, quod *Moses* ob aureum vitulum aliquot millia hominum trucidavit: tamen belli potius quam animadversionis indolem habet cædes *Benjaminitarum*. *Judic.* etsi diversa videatur *Erasmo Roterodamo epist. l. VI. ep. 29.* Quo loco congruum fuerit in universum quædam subicere de potestate magistratum militarium, seu ducum, qui alienis auspiciis rem gerunt. Dux igitur, qui cum plena potestate mittitur ad bellum gerendum, offendere non min⁹ hostem, quã ab eo sese defendere potest omnibus modis, prout ipsi ex usu videbitur esse. Hic tamen uti novum movere bellum nequit; ita nec motum jam pace componere, sine auctoritate summi imperantis. Quod si alieni restricta mandata circa gerendum bellum sint data, ex iis manifestum erit, quantum ipsi potestatis comperat. At vero omnes, sive libera, sive restricta mandata habeant, id potestatis obtinent, ut quovis modo ab ingruente hoste sese defendere queant, ubi impetum ejus honeste retrocedendo declinare non datur. Atque in hoc duntaxat casu admitti potest illud *Ciceronis epist. X. 16.* *Ne in rebus tam subitis, tamque angustiis à senatu consilium petendum putes. Ipse tibi si senatus, quocumque ratione ipse ducet, sequare.* Defensio autem non in eo tantum consistit, ut intentata ab hoste vis repellatur aut declinetur, sed & ut hosti vis reponatur. Unde v. g. *navarchus*, jussus sese duntaxat defendere, nequaquam prohibetur in classem hostilem fulminare, eamque perditum

ire, ubi ab eadem laceffitus fuerit; sed tantum vetatur quiescentem ultro laceffere. Sic qui exercitui terreſtri præeſt, ubi hoſtem invadere interdicitum fuit, ſi caſtra ſua oppugnentur, non modo recte hoſtem repellit, ſed & eruptionibus in eum pugnat. Idem ſi in itinere ab hoſte invadatur, ubi tuto & honeſte cedere non licet, prælio recte decertabit. Unde quilibet provinciis aut urbibus gubernandis præfeſtus, cum primis ſi milites ſub ſe habeat, ubi abs hoſte invadatur reſiſtere poteſt, inconſulto ſummo imperio. Aſt non temere bellum in alienas terras transferre, niſi id expreſſe in mandatis habeat. Dux vero aliquis inferior, cui cum præſidio militum commiſſum eſt urbem aut arcem tueri, ad eam defendendam omnibus modis conſtituti debet. Et quidem regulariter eoſque, donec internecio nulli uſui futura non amplius videtur poſſe evitari. Ex hiſce judicari poteſt de facto Pinarii apud *Livium* l. XXIV. c. 37. Illi tuenda arx Ennenſis erat credita. Civibus autem claves tradere, flagitium erat capite luendum. Ergo cum judicaret internecionem ſuis imminere, n̄ in rebellionem ruentes occuparet, cives infidos cædendo nihil fecit extra limites ſuæ poteſtatis, niſi quod periculo depulſo præter neceſſitatem ſerviſſe videatur. Neque vero novum bellum Pinarius ſuſcitabat; ſed jam publicum gerebatur bellum in Sicilia contra Pœnos, eorumque ſocios, quibus ſeſe adjungere moliebantur Ennenſes. Sed an in illum populum, qui auxilia hoſti ſubmiſit, præfertim ubi id bellum eſt compoſitum, arma ſint transferenda, ducis non eſt judicare. De facto Cn. Manlii in Gallogræcos moventis, vid. *Livius* l. 38. c. 45. ſeqq. & l. 41. c. 7. & *Florus* l. 2. c. 11. Enimvero ſi cui præſidi provinciæ cum primis à metropoli imperii longius remotæ facultas belli pacisque cum vicinis ſuis ſit conceſſa; abs tali ſuſcepta bella ſolemnia habebuntur; cum quis ejus autor cenſeatur, qui ad certum quid agendum poteſtatem alicui detulit. Quod ſi autem præſes aliquis citra autoritatem ſummi imperii bellum alteri intulerit, penes ſummum imperantem erit, factum ſui miniſtri probare velit, vel non. Si probat, pro ſolemni habendum erit bellum, atque iſthæc ratio habitio velut retro autoritatem bello impertitur, ut ex eo tota civitas teneatur. Aſt ubi ſummus imperans ſui præſidis auſa improbaverit, pro latrocinio iſtius arma cenſebuntur, nec tota civitas eo bello implicabitur, ſi præſes iſte vel dedatur, vel domi pleſtatur, reparatione damni dati quantum fieri poteſt procurata. Eo ſpectabat interrogatio legatorum Ro-

manorum, sua an publica auctoritate saguntum oppugnaret Hannibal, apud *Livium* l. XXI. c. 18. Ubi recte excipiebant Poeni, illam prius quaestionem decidendam: an Sagunti oppugnatio fieri potuerit salvo foedere inter ipsos Romanosq;? Hac nondum decisa, Romani gratis quærebant, an civis Poenorum propria, an vero publica quid auctoritate fecisset. Ad dantur, quæ super facto Phoebidæ Cadmæam occupantis disputantur apud *Xenophontem rer. Græc.* l. V.

§. 11. Ulterius quaeritur, an præses, qui generali aut peculiari mandato destituitur, possit extraneo bellum recte inferre, tantum ex conjectura voluntatis, seu quia credit, suum factum summo imperanti probari? Id quod negandum. Neque enim hoc sufficit videre, quid placitum sit hoc rerum statu summam potestatem habenti, si consulatur; sed hoc magis considerandum est, quid idem, ubi res moram fert, aut dubiam habet deliberationem, se inconsulto cupiat fieri, si lex ferenda sit, seu ubi in universum super ejusmodi casibus sit constituendum. Heic sine dubio id statueretur, ne minister se inconsulto aliquid suscipiat summam rerum spectans, quale est bellum, & imprimis offensivum, de quo heic proprie quaeritur, quodque regulariter moram fert. Adeoque etsi contingat, ut summus quoque imperans judicet nunc bellum adversus certum hostem sumi; non potest tamen non ipsi displicere, ministrum limites muneris sui excessisse. Huc spectat factum Cambysis, qui ministros occiderat, quod Croëso pepercissent, quem tamen ipse servatum gaudebat, apud *Herodotum Thalia*. Item factum C. Pisonis Proprætoris Siciliæ apud *Senecam de ira* l. III. c. 26. Add. tamen *Livius* l. 44. c. 10.

§. 12. Cæterum qui in libertate naturali singuli vivunt, uti bello non possunt peti, nisi ob injurias à se profectas: ita quomodo in civitate reatus injuriæ, & causa quare bellum inferri possit ab iis, qui immediate eandem pataverunt, in totam civitatem diffundatur, ulterius quaerendum est. Id igitur constat, communitatem tum aliam quamvis, tum civilem, ex facto singulorum, non teneri sine aliquo suo facto aut omissione culpabili. Nam quantascunque comminationes adhibeat civitas, semper tamen penes civium voluntatem naturalis libertas diversum faciendi relinquitur; sic ut nullo modo singulorum facta præstare possit civitas. Add. *Grotius* l. 2. c. 21. §. 2. & quæ ibi allegantur exempla ex *Livii* l. XXIX. 16. xxxv. 31. XLV. 23. *Valerius* *Max.*

Max. l. 6. c. 6. §. 3. 5. Porro ex illis modis, quibus rectores civitatum bello obnoxii fiunt propter injurias à suis civibus patratas, duo potissimum considerandi sunt: patientia & receptus. De patientia ita est habendum: qui scit delinqui, idemque prohibere citra probabile periculum gravioris mali potest, & tenetur, is ipse deliquisse censetur. Scilicet conjunctim requiritur scientia & facultas prohibendi, nec alterutrum horum seorsim ad reatum alteri affricandum sufficit. Vid. l. r. §. 1. D. *si familia furtum fecisse dicatur.* Sciri autem à rectoribus civitatum præsumuntur, quæ à subditis aperte & frequenter patrantur. Facultas prohibendi semper præsumitur, nisi ejus defectus manifeste probetur. Facit huc illud *Lycurgi orat. adv. s. Leocratem: Delicta tantisper, dum non judicata fuerint, apud auctores suos manent: simul ac vero sententia de illis & judicium factum fuerit, apud eos manent, qui non jure illa ipsa ulciscuntur.* Add. *Polybius* l. IV. c. 27. *ab init. Gratianus* c. 1. & 3. *distinct.* 86. Circa receptum autem, & quatenus civitas causam belli contra se præbeat recipiendo & defendendo eos, qui in alios deliquerunt, plene docet *Grotius* d. l. §. 3. 4. 5. 6.

§. 13. De repressaliis, sive violentis executionibus in cives aut bona civium alterius resp., quæ justitiam administrare detrectat, sufficienter tradit *Grotius* l. 3. c. 2. Circa quarum æquitatem hoc quoque addiderim, quemadmodum ex conjunctione in corpus civile factum est, ut quæ uni infertur injuria per extraneos, ea totam civitatem videatur tangere; ita non iniquum visum, singulos velut in subsidium pro debito civitatis obligatos esse; cum quod eo nomine illi erogaverint, à civitate sua ipsis sit refundendum. Quod si autem hoc modo unus aut alter civium damnum sentiat, debet id inter illa incommoda referri, quæ civitates tantum non necessario consequuntur; etsi hæc minimam partem faciant eorum malorum, quæ singulos extra civitatem mansurancrant.

§. 14. Bellum non solum quemlibet pro se, sed & sæpe pro aliis gerere solere manifestum est. Sed ut hoc recte fiat, in isto quidem, cui succurritur, justa bellandi causa requiritur: in eo autem, qui auxilium alteri latum it, adesse debet peculiare aliquod vinculum, quo principali belligeranti nectatur; quod idoneum sit, ut in gratiam unius hominis alterum æquè hominem hostiliter tractare queat. Alias

enim locum habebit illa querela apud *Lucanum* l. 4. *Quis conferre duces meminit? quis pendere causas? Quà stetit, inde favet: veluti fat alis arena Muneribus non ira vetus concurrere cogit Productos: odere pares.* Inter eos igitur, quos non recte solum possumus, sed & debemus defendere, sunt nostri subditi. Idque non ideo solum, quia isti sunt velut pars rectorum, sed & quia ut tali defensione fruerentur, imperia liberi homines ultro constituerunt, aut subierunt. Sic apud *Livium* l. VII. c. 31. & *Florum* l. I. c. 16. Campani inevitabilem Romanis necessitatem afferri credebant arma pro ipsis capessendi, dum se, suaque omnia iisdem dedunt. Quanquam circa hoc exemplum observandum est, siquidem Campani Sannites antea bello injuste lacerassent, non recte à Romanis eorum utut deditiorum defensionem potuisse suscipi, nisi prius æqua pro dato damno, bellique impensis satisfactione oblata. Pro singulis tamen civibus rectores civitatum tunc demum recte arma sumunt, siquidem id fieri possit sine graviore incommodo omnium aut plurium civium. Quippe cum istorum officium magis circa totum, quam circa partem versetur, & quo pars est major, eo propius ad totum accedit. Add. *Grotius* l. 2. c. 25. Proximi à subditis, pro quibus arma ferre teneamur, sunt socii, in quorum hoc foedere comprehensum est. Qui tamen subditis nostris omnino cedunt, siquidem utrisque ferri auxilium nequeat; idque salvo foedere. Nam nulla civitas alicui magis obligatur, quam suis civibus. Ergo quando aliis auxilia promittit, intelligitur id facere ea lege, quatenus id salva obligatione erga proprios cives fieri queat. Inde etiam stultus est, qui confidit in foedere, quod servari alterius non interest. Quemadmodum autem nemo bella injusta aut temeraria debet suscipere; ita & nemo foederatum talia bella moventem adjuvare tenetur. Quod etsi præcipue in bellis offensivis locum habeat; aliquo tamen modo in defensivis quoque obtinet. Nam si socius meus videat, se hosti parem non esse, etiam adjunctis meis viribus, & tamen perseveret in certam perniciem ruere, cum liceat tolerabilibus conditionibus transigere; stolidus forem, si alieno me furori comitem adjungerem. Et hætenus accipiendum illud *Grotii d. l. ad auxilium nos non teneri, si nulla spes sit boni exitus; quia boni, non mali causa societas contrahitur.* Nam si nullum plane periculum, aut damnum pro socio sub-

CUN-

emendum fuerit, frustra fœdus inicitur. Post fœdus locum invenium amici, seu quibus peculiari benevolentia jungimur. His etsi expresso fœdere auxilium certum atque definitum non sit promissum; in ipsa tamen amicitia conjunctione mutua fidem inesse intelligitur, ut alteri alterius salus curæ sit, quantum arctiores obligationes patiuntur, & quidem impentius, quam alias communis inter homines cognatio postulat. Quæ ipsa tamen sufficere potest, ut quis defensionem alterius contra injurias aliorum manifestas suscipiat; cum præsertim nostra quoque facillime interesse possit, quin & publico omnium bono redundet, ut ne aliquis injuriis alios impune insultet. Huc facit, quod Solon interrogatus, quomodo quam paucissimæ inter homines injuriæ sint extituræ, respondit: *οἱ ὁμοῖος ἀχθοῖντο τοῖς ἀδικημένοις οἱ μὴ ἀδικημένοι.* Si perinde cum læsi doleant, qui non læsi fuerunt. *Diog. Laërt. Solone.* Spectat quoque huc illud *Quintiliani Inst. Or. l. 4. c. 1.* Est naturalis favor pro laborantibus. *Euripides supplicibus:* ἔχει καταφυγὴν, θῆς μὲν πέτραν, δῦλοι δὲ θυμὸς θιῶν. πόλις δὲ πρὸς πᾶσι ἔστυξι, χεῖμα δῖστα. *Habet refugium petram quidem fera, servi aras deorum; civitas vero ad civitatem confugit, tempestate exagitata.* Quæ tamen ita temperanda sunt, ut non statim quilibet, etiam qui in naturali libertate vivit, jus habeat bello alium, qui injuriam cuivis alteri intulit, coercendi & castigandi, eo solo obtentu, quod boni publici ratio postulet, injurias innoxii non impune inferri, ac quod unum tangit omnes tangere debere. Cum enim ei, qui tali modo invaditur, ademptum non sit, alterius, quem ipse utique non læsit, vim pari vi repellere; jam pro uno bello duo bella genus humanum turbabunt. Quin & contra naturalem æqualitatem pugnat ultro sese velut arbitrum rerum humanarum obtrudere. Ne nunc dicam, quod eadem res in magnum abusum pateat, cum vix ullus sit, in quem non hoc obtentu bellum sumi queat. Igitur nunc demum injuria alteri illata ad causam belli nobis sufficere potest, quando, qui eadem afficitur, nos in auxilium evocat; sicut non nostro, sed læsi nomine, quidquid heic suscipimus, agamus. Sed an & quis arma potest capere pro alienis subditis, ut ab ipsis injuriæ imperantis arceantur? Super qua quæstione videatur sententia *Grotii l. 2. c. 25. §. 8.* Nobis tutissimum videtur statuere, non alio casu alienorum subditorum defensionem licite suscipi, quam quo ipsi immunitatem superiorum sævitiam armis recte abs sese possint amoliri.

§. 15. De indiçione, quæ ad bellum solenne requiritur, sufficientem præbere potest informationem *Grotius* l. 3. c. 3.

§. 16. Cæterum licentiam in hostem, quam jus naturæ indulgere supra diximus, multas gentes sine fine & modo exercuisse, copiose dedit *Grotius* l. 3. c. 4. *seqq.* Ubi tamen observandum, quanquam militibus frequenter à ducibus solcant leges præscribi, quousque hosti debeant nocere, quas ubi transgressi fuerint, poenas dant: id tamen fit, non quasi hosti injuriam fecerint, sed ob violatum ducis imperium, & servandæ disciplinæ militari. Sic & qui in bello solenni ultra, quam naturali lege concessum, cædibus aut rapinis sævit, pro homicida, aut rapitore haberi, aut punire non solet, si iste ad tertium pacatum forte delatus fuerit. Idque non ideo solum, quia nostra nihil interest, quid alibi quis deliquerit; sed & quia tacite inter gentes videtur conventum, ne alienorum bellorum arbitria ad sese revocent. Quare enim, qui neutri bellantium est socius, alienam litem temere suam fecerit? Quid quod etiam in justo bello vix satis cognosci potest, quis justus sit se tuendi, damnum resarciendi, vel cautionem exigendi modus. Sicut præstet isthæc conscientiæ bellantium relinquere, quam cum suo periculo eadem damnare. Præsertim cum ipsi bellantes tacito quodam pacto in sævitiam Martis, cujusque arbitrio exserendam aut temperandam, consenserint.

§. 17. In specie autem, quosque licentiam in personas hostium solcant multi extendere, latet docet *Idem* l. 3. c. 4.

§. 18. Illud heic peculiariter quæritur, an hostem liceat interficere immixtis percussoribus? Ubi *Grotius* l. 3. c. 4. §. 18. distinguendum judicat inter eos, qui fidem expresse aut tacite datam violant, uti sunt milites, cives, vasalli, recepti; & qui nulla fide tenentur. Posterioris generis percussoribus uti nullo jure prohibitum. Add. *Th. Mori Utopia* l. 2. Verum talibus uti, quorum factio perfidia inest, apud cultiores gentes infame habetur. Et si adversus rebelles, piratarumque aut latronum duces quovis etiam præmiis invitare religiosi quoque principes soleant; quod ob odium, quibus isti laborant, non reprehenditur. Pari fere modo responderi solet ad generalem quæstionem; an promiscue quorumlibet in bello opera uti liceat? Ubi discrimen fit inter proditores ac desertores suorum dominorum, qui se ultro offerunt, & inter eos, quorum fides

pro-

ad bellum solennerequum, sicut
 in Grotius l. 3. c. 3.
 in hostem, quamvis natura belli
 sine & modo exercuit, copiosum
 tamen oblatum, quamquam
 ante leges praescribi, quousque
 cretū fuerint, poenas dant: ut
 ant, sed ob violatum ducis impet
 sic & quam bello solenniter
 sicut rapinis ut, pro homin
 solet, sicut ad tertium pacum
 solum, quia nostra nihil intere
 ta tacite inter gentes videtur
 tra ad sese revocent. Quare
 alienam rem temere suam
 atis cognosci potest, quousque
 cautionem exigendi modus. An
 tiam relinquere, quam cum
 cum ipsi bellantes tacite quousque
 tatio e adferendam aut temperant
 quosque licentiam in personis
 docet l. 1. c. 4.
 inter quousque an hostem licent
 mel. l. 3. c. 4. §. 18. distinguit
 aut tacite datam violant
 illa fide tenetur. Postea
 onum. Add. To. Mori
 a inest, apud cultiores gentes
 paratarumque aut latronum
 soli quoque principes so
 non reprehenditur. Pari
 xationem; an premittit
 d. seramen sic inter proditores
 utro offerunt, & inter eos quousque

promissis, aut per praemia corrumpitur. Priorum operam per mores gentium recte adhiberi, posteriorum non item, sentit *Grotius* l. 3. c. 1. §. 21. 22. (Conferatur tamen *Quintilianus declamat. 255.*) Id quod tamen non extra dubium est positum. Quae enim duo ista hostis mei subditorum sollicitatione quaeruntur, auxiliis illum nudare, & damnum eidem dare, utrumque posita iusta belli causa faciendi mihi jus est. Eum finem cur non etiam corruptis per spem praemiorum animis civium adsequi liceat, nulla sufficiens ratio adparet. Praesertim cum omnes fateantur, posse hostis mei cives ad deditioem, adeoque ad deserendum suum dominum fictis terroribus compelli; qualis desertio sane omni vitio non caret: nec leges militares minus supplicium capitis intentant iis, qui hoc modo imponi sibi patiuntur, quam perfidis ac proditoribus, cum ignavia & credulitas officio militari non minus repugnet quam perfidia. Vis porro ita est legitimum medium hosti nocendi, ut ideo dolus non semper illegitimum sit medium. Ac licet illi desertores sine proprio peccato id non faciant; ex eo tamen in sollicitatorem nihil culpa videtur redundare; ideo quod nulla adparet obligatio, ut, qua commodissime datur, via jus meum consequi intermittam, ne occasionem praebeam peccandi illis, qui mecum commercia juris per injuriam suam abruerunt. Cur igitur argenteis lanceis oppugnare non possim, quos ferreis confodere licebat? Praesertim cum in arbitrio ipsorum relinquatur, quaecunque demum sollicitationes adhibeantur, utrum hostem me experiri malint, an gratiam meam utili mihi opera redimere. At cur in pace v. g. alterius servum non possim sollicitare, ut deserto per flagitium domino suo, ad me transeat, duplex ratio est: tum quia nulla mihi potestas competit istius res intervertendi; tum quia servo ipsi nullum malum recte inferre poteram, si suo transfugio me sibi non conciliaret. Quorum utrumque in isthoc casu adparet. Sicuti igitur dominium, quod hostis in res suas habet, respectu nostri nullum est, quin eas possimus eripere; ita & jus illud, quod idem in suos subjectos habet, haecenus nobis nullum est, quod nos curare non teneamur, ut istud jus inviolatum ipsi persistat. Unde quod alias huic sententiae opponitur; non posse aliquem incitare alterum ad id, quo facto is peccet; seu peccare, qui alteri peccandi causam aut occasionem dat; inter non-hostes duntaxat valere videtur. Hostis enim in respectu ad me in eo est statu, ut dum

Aa-aa aa aa

jus

jus meum adversus illum persequor, non curandum mihi sit, peccandis ansam inde arripiat, an minus. Eoque licet argentum aut promissa nostra alterum revera ad perfidiam moverint, nobis tamen in perfidia velut proprium peccatum imputari non posse videtur, quia in præsens per hostilem statum commercia juris nobis cum illo abrupta sunt, & ille quantum in se nobis licentiam adversus se in infinitum dedit. Et cum ubi belli ratio exigit; nobis nefas non sit hostem perdere, neque nefas videtur ansam ipsi porrigere, ut peccato se adstringat. Nam ea ratio elumbis est, quam aliqui adferunt: inter hostes fides servari debet, igitur subditi hostis non possunt sollicitari ad perfidiam. Cavendum tamen est, ne quis sibi ipse hec exemplo noceat. Et qui, cum posset, isto agendi modo abstinet, sine dubio eximie cujusdam generositate laudem meretur. Sed & veritas constat illi effato apud *Procopium hist. Goth. l. 1. Cui proditoris usus contigit, in præsens quidem gaudet beneficio ob victoriam: in posterum autem, ex rebus actis enascente suspitione, eum, à quo beneficium accepit, & odisse & metuere incipit, habens apud se mala ipsius fidei documenta.* Add. *Valer. Max. l. 6. c. 5. §. 7.*

§. 19. Quid in res hostium, etiam quæ sacræ dicuntur, licentia hostilis ferat, docet *Grotius l. 3. c. 5.*

§. 20. Acquirere jure naturali, ac salva conscientia justo bello ex rebus hostium ea quis potest, quæ ipsi debentur, aut debitis paria sunt, & ob quorum detrectatam solutionem fuit ad arma veniendum; computatis simul impensis in violentam juris executionem factis, ac si quid ulterius hosti eripi ad cautionem necessarium judicabatur. Unde si quis opum fiducia injuriam aliis intulerit, eidem victo recte superflua opera detrahuntur, ut in posterum sit modestior. Sed moribus gentium in bello solemnni quis sine fine & modo fit dominus eorum, quæ hosti eripit, etsi longe excedant prætensionem, ob quam bellum fuit motum. Vid. *Grotius l. 3. c. 6. §. 1. 2. seqq.* ubi etiam traditur, quando res tam mobiles, quam immobiles captæ intelligantur. Ubi tamen probe observandum, per adprehensionem bellicam acquiri tantum jus, quod valeat adversus quemvis tertium peccatum. Sed ut captor adquirat dominium, valiturum etiam adversus eum, cui res erepta fuit, necessum est, ut accedat

dat hujus cum altero pacificatio & transactio. Citra hanc enim priori domino jus remanere intelligitur ad rem istam, quando cunque vires superfuert, hosti iterum extorquendam.

§. 21. Illud quoque quaeritur, cui nam in bello solenni res adquirantur, an toti populo, an singulis, qui de populo sunt, aut iis, qui primas adprehenderunt? Id quod nobis paucis videtur posse expediri. Constat igitur penes summum imperium esse jus belli, sub quo comprehenditur jus cives armandi, & in expeditionem educendi, ut & jus iisdem imperandi pecunias, aut alia ad bellum necessaria. Sed cum bella suscipiantur vel ad asserenda privatorum debita, quæ hostis ultro exsolvere detrectat, vel ob causam, quæ totam remp. spectat, facile adparet, priori casu primo omnium id esse agendum, ut illi, quorum causâ bellum geritur, sibi quod debetur obtineant. Quod superat, & ubi publicam ob causam bellum geritur, uti autor belli est, qui summum imperium gerit; ita & huic primo acquiritur, quidquid in bello capitur, per quoscunque id primum adprehendatur, sive illi sint mercenarii milites, sive cives, quibus militia pro imperio, etiam citra stipendium fuit injuncta. *Ælianus V. H. l. VI. c. 6.* *ὡς ἔστιν ἀνάδει λαίκατοι ὑπὸ στρατιῶται ἢ πολεμίαι.* Non licebat viro Lacedæmonione spolia quidem hostis legere. Quia tamen bellum civibus singulis onerosum est, sive tributum, sive opera militaris injungatur, recte & humaniter facit ille, cui summum est imperium, ut vicissim aliquod emolumentum in singulos cives ex bello redundet. Quod fieri potest, si vel stipendium de publico civibus in expeditionem euntibus detur. Vid. *Livius l. IV. c. 60. l. V. c. 4.* vel præda inter eos dividatur, aut cuivis concedatur, ut, quod ipse rapuerit, sibi retineat; (sicuti apud Græcos, quando bellum alicui populo indicebatur, τὸ λάφυρον ἐπινοῦσαν, spolia jus fasque esse capere præconis voce significabant. Vid. *Polybius l. 4. c. 26. 36.*) vel præda in publicum redacta in posterum inde onera & tributa civium leventur. Mercenariis autem præter stipendium nihil debetur, nisi ex liberalitate, aut ob præstitam insignem operam, aut incitandæ ipsorum fortitudini. Add. *Grætius d. l. §. 8. seqq.* qui operose hanc quaestionem deducit. Ubi circa distinctionem actuum bellicorum in publicos, & privatos, qui occasione dumtaxat belli publici suscipiuntur, observandum: non extra dubium esse, omne id, quod privatis actibus, & injusso privatorum

ausu in bello capitur, id capientium utique fieri. Nam & hæc est pars juris belli, designare, quinam hosti nocere debeant, & quousque. Ergo privatis non licebit prædas ex hostico agere, aut quamcunque rerum hostilium invadere sine permissu summi imperii. Cujus itidem est definire, quousque privati eam prædandi licentiam debeant exserere, & tota præda, an pars aliqua ipsis cedere debeat. Sic ut quidquid hæc privatis competit, id omne ex indultu summi imperii dependeat. Scilicet ut aliquis miles sit, & actus bellicos offensivos exercere queat, publice autorandus est. Inde Cato *negat jus esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste*, apud *Ciceronem Off. I. Add. Ziegler. ad Grotii d. l. 5. 12.*

§. 22. Circa acquisitionem incorporalium in bello peculiariter observandum, ista non adquiri, nisi cum subjecto, cui inhærent. Quod subjectum sunt vel personæ, vel res. Rebus v. g. prædiis, fluminibus, portibus, oppidis, regionibus sæpe quædam jura inhærent; vel potius personis, quatenus istas res possident, certa jura in alias res aut homines competunt. Sed hæc videndum est, utrû isti rei hoc jus competat ex pacto aliquo personali, an ex pacto reali; seu utrû is, qui primus illud jus cum re conjunxit, ita pactus fuerit, ut illud jus perpetuo penes possessorem ejus rei esset, quisquis is sit, & quocumque titulo ad eum res ista pervenerit; an vero id jus duntaxat valere voluerit, quando certæ personæ eam rem certo titulo obtinerent. Si posteriori modo jus alicui rei adhæreat, non statim is, qui rem quoquo titulo occupavit, illud jus exercere potest, sed videndum est, utrum id jus etiam titulum bellicæ acquisitionis ex prima ejusdem institutione sequi debeat. Illa autem jura, quæ per se & immediate alicui personæ competunt, tendunt vel in alias personas, vel in res. Jura quæ personæ competunt in aliam personam, cum non nisi hujus consensu sint quæsitæ, (qui consensus non promiscue quemlibet spectavit, sed certum duntaxat hominem,) haut quidquam simul acquisita intelligentur, ut ut persona, cui ista competeabant, in hostium manus pervenerit. Sic rege ab hostibus capto, non statim hosti regnum quoque fuit acquisitum. Marito aut patre capto, non statim potestas in uxorem & liberos acquiritur. Quando autem quis uxorem simul cum marito cepit, jus in uxorem captivam accipit, non ex eo quod maritum simul cepit, sed unice ex eo, quod istam cepit; nec plus aut minus potestatis accepit, sive maritum simul, sive non ceperit.

Neque

Neque victor iste in captam alterius uxorem potestatem maritalem accipit, sed quale jus in captivos adquiri mos est. Conf. *Grat.* l. 3. c. 7. §. 4. Circa jura autem in res distinguendum est, utrum aliquis vivat in civitate, an vero extra civitatem in statu mere naturali. Si in hoc statu vivat, qui personam cepit, omnes simul ipsius res cepisse intelligitur, aut saltem facultatem natus est easdem quoque capiendi; quia nemo amplius obstat, qui istarum occupationem prohibere jure possit. Verum in civitatibus receptum, ut non cum persona res quoque ipsius pereat; sed ut istius jus ad alias personas ejus civitatis devolvatur, aut his non extantibus publicis bonis adcreseat. Unde si civis ab hoste captus fuerit, bona istius, quæ simul capta non fuerunt, non adquiruntur capienti, sed ad eum perveniunt, quem leges civiles ad successionem vocabant, si iste naturali morte functus esset. Quod si autem simul cum persona hostis ipsius quoque bona ceperit, sufficit ipsi ad dominium rerum captarum titulus captionis bellicæ, nec opus est, ut istud dominium demum arcessat ex persona prioris domini simul capti; adeoque perinde est, quantum ad jus captoris in res captas, sive dominum simul ceperit, sive non.

§. 23. Ad isthæc illustranda facit quæstio, apud Amphictyonas quondam agitata, de qua *Quintilianas Inst. Or.* l. V. c. 10. *Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutua Thessalis dedisset Thebanos continebatur. Has quia usus erat commilitio Thessalorum, donavit his ultro, postea restituti à Cassandro Thebani reposcunt Thessalos.* Thebanorum rationes *d. l.* adferuntur. Quibus Thessali reponere poterant. 1. Quod vi justa ablatum est, haut quidquam reposci posse. Consuetudine porro gentium vim in bello solenni adhibitam pro justâ reputari, adeo ut priori domino in erepta tali bello nullâ prætensio remaneat, postquam pacificatio intervenerit. 2. Jus belli utique aliquid valere in iis, quæ in judicium trahuntur. Sane enim post finitum bellum, si de re, quam bello adquisivi, controversia moveatur, sufficit titulum bellicæ occupationis allegasse. 3. Bello justo parta vel maxime etiam in pace jure possideri, in primis postquam pacto utrinque pax est constituta. Heic enim possessoris manere intelliguntur, de quorum restitutione expresse non fuit conventum. 4. Cum persona capta adquiri utique posse jura illa, quæ proprie & ultimato in ipsis rebus fundantur, ita tamen ut captus per consensum suum ea in me transferat: quem consensum inten-

tatione gravioris mali mihi eliciendi facultas est. Unde quemadmodum donare alteri possum actionem meam cum hoc effectu, ut debitor id æque ipsi, quam antea mihi solvere reneatur: ita si captus consensu suo actionem suam in me transtulerit, utique debitor, quod capto debuerat, mihi debere incipit. Et hoc modo Alexander creditum illud sibi adquirere poterat, siquidem Thebas civitatem reliquisset, adactis illis, ut jus suum in ipsum transferrent; & revera adquisivisse intelligitur, postquam citra ullius rei exceptionem Thebarum dominus factus erat. Qua ratione jus habebat id debitum à Thessalis exigendi, aut illud iisdem condonandi. Quin & Thebanos immediate adigere poterat, ut debitum illud Thessalis remitterent. Unde Alexander, dum Thessalis debiti tabulas concedit, non tam hoc agebat, ne Thebanorum civitas, quam ipse debebat, aliquando debitum posset exigere; sed ut testaretur, quod ipse eo nomine nihil istos esset posciturus. §. Illud falsum, quamdiu aliquis superesset civium, esse & censei ipsum totius summæ creditorem, adeoque habere idem jus, quod civitas habebat, exigendi, quod huic debebatur. Qui singuli enim de dissoluto plane civitatis corpore supersunt, haurquaquam jus civitatis sibi possunt asserere, cum ipsi nequaquam amplius eam civitatem constituent. Patet autem Alexandrum Thebanorum civitatem penitus delevisse, adeo ut qui cladi superessent, nequaquam pro populo aliquo possent censei. Et qui post Thebanorum oppidum instaurarunt, novus plane fuere populus; qui si qua peculiaria veteres Thebani jura habuerant, nequaquam sibi ex solo loco vindicare poterant, nisi de integro ea quæsiissent. Quod circa illud Thessalorum debitum factum non erat. 6. Thessali non quocunque modo possessionem tabularum nacti erant, sed ultro eas acceperant traditas ab eo, qui omnia Thebanorum adquisiverat, animo id debitum ipsis condonandi.

§. 24. Qua ratione in victos imperium quærat, docet *Grotius* l. 3. c. 8.

§. 25. Videndum & paucis est, quomodo res bello ereptæ iterum ad antiquos dominos redeant. Ubi illud quam maxime æquitati naturali congruere arbitramur, ut per bellum capti, ubi manus hostium quocunque modo evaserint, neque illis fide data sint obstricti, atque ad suos redierint, non modo pristinum statum, sed & omnia sua bona ac jurare-

cupe-

cuperent. Quod autem res attinet, quamdiu bellum durat, si hostibus iterum sint ereptæ sive per nos ipsos, sive per nostros cives aut milites, eas ad antiquos dominos redire par est, non immobiles tantum, sed & mobiles, modo liquido à nobis possint dignosci. Nam cum civitati incumbat quantum fieri potest bona civium defendere; ejusdem quoque erit, quantum in se est curare, ut quæ ipsis erepta sunt, recuperentur. Neque obstat, quod illa à militibus sint recepta. Hi enim ministri tantum sunt civitatis, & quæ adquirunt, civitati, non sibi proprie adquirunt. Cum autem iniqum sit, ut ista bona civibus erepta sibi adquirat civitas, nihil aliud supererit, quam ut ea pristinis dominis restituantur. Vid. 1. *Samuel. xxx. 22. seqq.* Apud *Homerum Iliad. 2.* præda divisa memoratur inter eos, quibus res ab hostibus ante ereptæ fuerant. Sed quid jure Romano potissimum circa postliminium sit dispositum, accurate tradit *Grotius l. 3. c. 9.*

§. 26. Integer autem populus si vel propriis viribus, vel sociorum armis jugum hostile excusserit, sine dubio libertatem & statum antiquum recuperat. Quod si autem aliqua pars bonorum, quæ antea ad ipsum pertinuerant, adhuc sub potestate hostis remaneat, ad illam recuperandam prætensionem retinet, quamdiu bellum pace nondum fuit compositum. Sed si tertius aliquis suo nomine hosti subactum antea populum bello eripuerit, hic dominum tantum mutabit, neque libertatem recuperabit. Idem quoque de parte alicujus populi est dicendum. Quod si pars populi vindicetur ab illo populo, cui tantisper avulsa fuit, aut istius sociis, antiquo iterum corpori conjungetur, & in pristinum locum ac jura redibit. Quanquam & cum sociis ita conveniri possit, ut ipsi retineat, quod quondam nostrum hosti eriperint. Sicuti Demetrius malebat Philippo regnum sibi ademptum cedere, quam id Romanis relinquere, apud *Justinum l. 29. c. 2.* Sed & si proprio ausu præsidia hostilia dejecerit, ad antiquum corpus revertetur, nec peculiarem constituere civitatem prætendet; cum civitas illa suo juri ad istanc partem non renun-
ciaverit.

DE PACTIS BELLICIS.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Pacta, quæ bellum præsupponunt, dividuntur.</i></p> <p>2. <i>An pacta, quæ ad statum belli tollendum non spectant, sint valida.</i></p> <p>3. <i>Quid sint inducia?</i></p> <p>4. <i>De duratione induciarum.</i></p> <p>5. <i>Inducia relinquunt causam belli.</i></p> <p>6. <i>Post inducias indictio non est opus.</i></p> <p>7. <i>Inducia expresso pacto contrahuntur.</i></p> <p>8. <i>De initio & fine induciarum.</i></p> | <p>9. <i>Quando inducia obligent subditos.</i></p> <p>10. <i>Quid per inducias liceat, quid non?</i></p> <p>11. <i>Quid si quis in hostico post elapsas inducias invitus deprehendatur?</i></p> <p>12. <i>Quid si violentur inducia?</i></p> <p>13. <i>De jure commæatus.</i></p> <p>14. <i>De captivorum redemptione.</i></p> <p>15. <i>De pactis ducum.</i></p> <p>16. <i>De pactis privatorum in bello.</i></p> |
|--|--|

Dispiciendum jam de pactis publicis, quæ statum belli præsupponunt. Eorum aliqua ipsum statum belli tollunt, alia eundem relinquunt, sed aliquatenus temperatum. De his antequam sigillatim agamus, in universum erit videndum de validitate posterioris generis pactorum.

§. 2. De pactis igitur, quæ cum hoste ineuntur, in universum pronunciat *Grotius* l. 3. c. 19. ea servanda esse. Quod quanquam omnino obtineat circa pacta, quæ ad pacem tendunt; tamen circa illa, quæ statum belli relinquunt, neque ad eum tollendum spectant, res non omni caret dubio. Neque enim adeo valida est argumentatio: hic intelligit, quid geratur, & potest consentire; Ergo ex promisso ipsius alteri cuicumque nascitur jus, aut ipsi adversus alterum obligatio. Status enim belli, ut talis, proprium agendi modum vim agnoscit; pacis autem proprium instrumentum est fides. Igitur incongruum videtur fidem adhibere, ubi de pace reducenda aut conservanda non agitur; imo ubi status belli magis fovendi, quam destrui videtur. Dein, quicum paciscor, ab eodem postulo, ut fidem mihi adhibeat. Atqui implicat, postulare, ut alter fidem meam sequatur, & nihilominus profiteri, me velle ipsius hostem manere, id est, qui quacunque via ipsi nocere velit. Nam hostilis status utique in se dat licentiam nocendi alteri in infinitum. Ergo protestatio de non usur-

usurpanda adversus alterum hostilitatis licentia facto videtur contraria, quamdiu quis in pleno statu belli sese permansurum fert. Unde neque locum heic habere poterit, quod supra traditum fuit; eos qui inter sese paciscuntur, eo ipso renunciassse exceptionibus, quæ ex alterius persona desunt: metum possent facere; ne alter fidem fallat. Nam si serio istis exceptionibus renunciant, jam hostes esse desinunt: sin de hostilitate adhuc continuanda aperte profitentur, ipsa res verbis eorum fidem detrahit; ac potius præsumendum est, eos inter se insidias struere, & viam nocendi quærere altero in securitatem dato. Quo facit illud apud Procopium *hist. Goth. l. IV.* cum legati Narsetis ad Totilam dicerent; *in quod tempus pralium condicis? ille, post octo, inquit, dies pugnemus. Reversi ad Narsetem legati audita, conventaque renunciant. At ille fraudem Totila suspectans, parabat se, ut postero dimicaturus, neque eum sefellit sua conjectura: sequenti enim luce adest nuncium omnem præveniens cum toto exercitu Totilas.* Quin nec alteri, qui ejusmodi pacto decipitur, novum aliquod jus adversus decipientem oriri potest; quippe cum jam ipsa hostilitas adversus hostem in infinitum vim exserendi præbeat. Quod si autem quis dicat, ideo standū esse ejusmodi conventis, ne hostis deceptus vehementer irriteretur, & in nos deinceps acrius sæviat; is hoc ipso agnoscit, eadem utilitate æstimari. Quod referendum est illud *Ambrosii Off. l. 1. c. 29.* *Si constitutus sit cum hoste aut locus, aut dies pralio, adversus justitiam putatur, aut loco prævenire, aut tempore. Siquidem vehementioribus hostibus & insidis, & his qui amplius læserint, vehementior refertur ultio.* Equidem non tenemur omnem licentiam belli in hostem exserere, & sæpe, cui extrema quæq; poterant inferri, parcere cum laude est conjunctum. Sed tamen cum hoc sine bellum sit concessum, ut jura nostra tueamur, aut asseramus, ubi pacificis mediis id obtineri non poterat: igitur brevissimam quamque viam, qua eo pertingi possit, naturæ quam maxime probari censendum est. Adeoque ubi per pacta illa, vim hostilem temperantia non nisi bellum alatur, naturæ eadem repugnare manifestum est. *Conf. Hobbes de Crive c. 3. §. 27.* Ut ista sint, tamen inter cultiores gentes uti plura alia, ita & hoc in favorem fortitudinis bellicæ receptum, ut & ista pacta valerent, quæ ad statum belli tollendum non pertinerent, sed tantum ad hostilitatem cum aliquo moderamine exercendam spectarent. Qualia sunt induciæ paucarum dierum aut horarum sepeliendis mortuis, pactum de

Bb bb bb bb conce-

10. Quis per...
11. Quis si quis...
12. Quis si...
13. De jure...
14. De captivorum...
15. De pactu...
16. De pactu...

publicis, quæ statum belli...
statum belli tollunt, atque...
temperant. De his autem...
videndum de valdine potest...
cum hoste incuntur in...
anda esse. Quod quamquam...
tendant; tamen circumspecte...
tollendum spectant, res...
est argumentatio: hinc...
Ergo ex promissione ipsius...
tutum obligatio. Statute...
vim agnoscit: pacis autem...
incongruum videtur fidem...
anda non agatur; imo ubi...
Dein, quæcum pacificæ...
At qui implicat, postulare...
prohinc, me velle ipsius...
nocere velit. Nam hostis...
manuum. Ergo procedit...

concedendo transitu per nostra præsidia. Item ut certis locis, hominibus aut rebus plane parceretur, ut certo tempore hostilitas non exerceretur, ut certa instrumenta nocendi non adhiberentur. Sic *Ad. Olearius itin. Persici* l. 5. c. 20. tradit, inter Persas & Turcas pactum esse, ut mercatores etiam belli tempore utrinque tuto commercia queant exercere, & hinc inde commeare; quod utriusque populi inter sit commercia non intermittere. Scilicet expedire rebus humanis videbatur, quædam velut commercia belli instituere, & in artem quasi bellum redigere, postquam plurimos in bella haut necessaria ambitio, & habendi cupido impulit; ut saltem innocentibus injuriæ eo fierent tolerabiles magis, si non omnem suam licentiam status bellicus exsereret. Accedit quod bellatoribus noxia fere sit opinio perfidiæ, aut per pacta aliis illudendi; & quod cordatiores non nisi semel decipiantur. Prudentis tamen non fuerit, ejusmodi pactis multum confidere, aut in securitatem sese resolvendo hosti nocendi occasionem præbere; adeoque ad talia citra necessitatem non descendere, nisi ubi fallenti paria reponendis facultas suppetat, aut alias satis nobis cautum sit.

§. 3. Inter pacta, quæ statum belli non tollunt, sed ejus actus tantum suspendunt, sunt induciæ, quæ sunt conventio, per quam bello manente, ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Quæ definitio illustratur à *Grotio* l. 3. c. 21. §. 1. Nam utique ad plures annos induciæ solent dari. Ubi tamen pro excusando *Varrone* & *Paulo* dici possit, eos ob oculos habuisse illas duntaxat inducias, quæ manentibus utrinque in expeditione exercitibus solent iniri; quæ regulariter non nisi paucorum dierum sunt: non autem illas, quibus totus belli apparatus dissolvitur, & quæ intra præfinitum tempus plenæ pacis instar gerunt; præsertim ubi istæ clausula sit expresse induciis inserta, ut interea de plena pace constituenda tractetur. Observandum autem est & hoc, licet induciæ posterioris generis regulariter complectantur omnes ditiones utrinque belligerantium; conveniri tamen ita posse & solere, ut certis duntaxat in locis induciæ observentur, in aliis autem bellum possit geri, v. g. populi Europæ, qui in India orientali aut occidentali terras possident, inducias concludere possent per Europam valituras, bellum autem in Indiis continuare.

§. 4. Hoc loco quæri potest: si certus terminus temporis sit paci addi-

Item ut certis locis
 ut certo tempore solitas
 necendi non adhaerent
 tradit, inter Partis & Partis
 tempore utriusque non
 commerciare, quod utriusque
 Sicut expedit non
 belli instigare, & in
 belli hauri necessitate
 inno centibus in
 licentiam status belli
 fere ut op. no per
 non nisi semel de
 p. d. s. multum conficere,
 occationem prae
 nisi do. talia
 non tollant, ita
 que sunt conventio,
 ab his abstinendum
 Nam ut ut
 excusando
 duntaxat inducias,
 solent unum
 non autem illas, quoniam
 praefinitum tempus
 clausula sit expresse
 trahitur.
 generis
 bellum gerantium,
 in locis inducias
 v. g. populi Europae
 possident, inducias
 autem in Indis
 certis terminis

additus, puta in annos XX. XL. &c. an pro induciis illud sit habendum.
 Nobis videtur omnem pacem sua natura aeternam esse, i.e. quandocunq;
 pax initur, partes ita paciscuntur, quod super illis controversiis, ex quibus
 bellum extitit, nunquam deinceps arma sint movenda; sed quod vel illae
 jam penitus tollantur, vel ad arbitros aut amicabilem compositionem
 rejiciantur. Unde pax ista aeterna haut quidquam rupta censebitur, etsi
 post inter eosdem bellum ex nova, & à priori diversa causa oriatur. Ne-
 que enim paci aeternae inest obligatio, alterius injurias citra resistantiam
 in perpetuum devorandi. Hinc licet vocabulum pacis adhibitum re-
 periat, si tamen certum tempus fuerit additum, quousque illa debeat
 durare, nec controversia, ex qua bellum surrexit, penitus sit sublata, indu-
 ciae duntaxat erunt, per quas interea officia pacis invicem sint exercenda.
 Sic apud *Justinum* l. III. c. 7. Lacedaemonii in annos L. pacem pepigisse
 dicuntur; sed mox cum post sexennium bellum recruidisset, *inducias* ru-
 pisse arguuntur. Ex adverso absurdum videtur, v. g. Romulum cum
 Vejentibus ad centum annos inducias fecisse, apud *Livium* l. I. c. 15.
 (quanquam simpliciter *Dionysius Halicarn.* l. 2. *Corodae, foedera* adpeller.)
 Cum nulla videatur injuria dari, quae non tanto temporis spatio ultro
 velut exolescat, sic ut ejus persecutionem ultra saeculum rejicere absur-
 dum sit. Quod enim apud *Eundem* l. 7. c. 20. *populo Cariti pax data* dici-
 tur, sed *inducias in centum annos factas in Scetum relatum* fuisse; id ideo fa-
 ctum crediderim, ne manifestam injuriam ita simpliciter condonando
 auctoritati suae quid Senatus detraheret. Apud *Sozomenum hist. Eccles.* l. 9. c. 4.
 Theodosius II. cum Persis inducias in centum annos pepigisse dicitur.
 Sic & pacis in centum annos inter Ambraciotas & Acarnanes mentio-
 nem facit *Diodorus Siculus* l. XII. c. 60. Sic Ferdinandus Catholicus & Al-
 phonfus V. rex Lusitaniae pacem fecerunt in annos centum & unum,
 apud *Conestagium de unione Lusitan.* l. 1.

§. 5. Cum igitur per inducias status belli maneat, id quod fieri ne-
 quit, nisi manente praetensione, & nondum composita controversia, ob
 quam bellum fuit exortum; patet absurde peti, ut alter quidem inducias
 necumineat, & tamen omni praetensioni adversus me renunciet. Hoc
 enim si fiat, quid ad pacem amplius deest? aut quare mihi velim reservare
 licentiam post elapsum certi temporis spatium sine causa bellum reno-
 vand? Vid. *Baudius de induciis belli Belgici.* p. m. 118.

B b b b b b 2

§. 6.

§. 6. Sed & hoc ex natura induciarum patet, si post illas elapsis ad arma iterum sit redeundum, nova indictione belli opus non esse. Conf. *Grotius* l. 3. c. 21. §. 3. Nihilominus in longioribus induciis, & quibus adparatus belli fuit plane solutus; quibusque regulariter clausula hæc inest, aut saltem inesse debet, ut interea de controversia penitus tollenda tractetur; si non necessarium, saltem decorem fuerit, aliquam de novo præmittere indictionem conditionatam, ut testemur nos bello non delectari, neque per nos stetisse, quo minus plena pax coiret.

§. 7. Id quoque monendum, inducias, quarum quidem servandarum aliqua sit obligatio, non nisi pacto expresso contrahi, aut per tales actus amicitiae pacique similes, qui ad nullam aliam causam possunt referri; etsi tractatus de pace per se vim induciarum non habeant, nisi expresse sit conventum. Unde ex eo solo, quod ab exercendis actibus hostilibus ego aliquantisper abstinuerim, hostis haut quidquam recte concludit, mecum ipso in inducias consensisse. Nec si post ejusmodi quietem, qua ipsum in securitatem dedi, eundem de improviso invadam, fidei tacitæ violatæ me potest arguere. Et hoc modo sunt explicandi autores, qui intermissum hostilitatis exercitium ad aliquod tempus citra pactum, induciarum tacitarum vocabulo solent notare. Vid. *Justin.* l. VI. c. 7. *Livius* l. 2. c. 18. & c. 64. & l. XXIII. c. 46. Quorum locorum sensus est, per istud tempus hostes bona fide quievissent non secus, ac si super ea re conventum fuisset.

§. 8. De tempore, quo induciæ circumscribi solent vid. *Grot. d. l. §. 4.* Ubi tamen id probare non possumus, quod tradit; à quo die mensura aliqua temporis incipere dicitur, is dies intra mensuram non erit; quia præpositionis à vis est discernere, non jungere. Nam initium utique maxime est pars rei. Unde si ita conventum sit: induciæ erunt in decem dies à calendis Juliis; sane nemo hoc aliter interpretabitur, quam illas calendas induciis quoque comprehendit. Neque semper voculæ à vis est discernere eam rem, cui adpõnitur, à sequente; sed sæpe etiam initium notat in aliqua re comprehensum. Quid notius illis locutionibus à capite ad calcem, ab ovo ad mala?

§. 9. Quando induciæ subditos potissimum utrinque bellantium obligare incipiant, docet *Grot. d. l. §. 5.*

§. 10. Quantum per inducias liceat, quantum non liceat, enumerat

Grot.

induciarum patet, si post illas ex
nova inductione belli epis nos
omnis in longioribus modis, de
status, quousque regulariter
interiora de controversia penam
nam, saltem decorum fuerit, ut
manentiam, ut reitemur nos
quo minus plena pax coart.

quum inducias, quarum quidem
a pacto expressio contrahi, ut
qui ad nullam aliam causam possunt
am induciarum non habeant, in
lo, quod ad exercendis actibus
hostis haut quidquam recte con
esse. Nec si post ejusmodi quere
ndem de improviso invadam, ut
hoc modo sunt expiand
nam ad aliquod tempus citat
o solent notare. Vid. *J. de*
l. c. 40. Quorum locorum
e quere videtur non secus, ac si perat

o inducia circumveniri solent
non possumus, quod tradit de
e dicitur, is dies intra mentiam
discernere non conjugere. X
Unde si uacuum sit
sane nemo hoc aliter
quoque comprehendit. Neque
tem, cui adponitur, a sequente
e comprehendit. Quid non
no ad mala?

inductos potius unum
a. §. 6.
accas liceat, quorum non

Grot. d. l. §. 6. seqq. Ubi tamen arbitramur, in quavis induciarum specie actus mere defensivos esse licitos, licet forte sub alio pretextu induciae sint petita & obtenta. Unde non erit illicitum v. g. si tantum sepeliendorum hominum causa datae sint induciae, sese in locum tutiorem recipere, aut munitionibus circumdare. Aut si obsessi per inducias sibi tantum stipulati sint, ne oppugnentur, auxilia ab iisdem & comitatus admitti. Nec *Grotii d. l. §. 10.* ratio videtur sufficere: *cum illa inducia alteri partium prosint, non debere interim ejus, qui dedit, causam duriores facere.* Nam cum nullo pacto jus sese defendendi soleat abdicari, ipse qui tales inducias concessit, suae facilitati & imprudentiae adscribat, qui non satis cavet, ne hostis sese interim confirmare possit. Vid. *Xenophon orat. de Agesilai laudibus.* & *Cornel. Nepos Agesilao. c. 2.* de induciis Tissaphernis cum Agesilao: ubi arbitramur, si revera iste regi suo significavit, an aliqua ratione ipsi cum Lacone convenire possit, perjurii eum ideo solum non esse reum, quod in omnem eventum arma paravit. Add. quoque *Montaigne essai l. 1. c. 16.*

§. 11. Finitis induciis, quod qui vi majore impeditus intra fines hostiumprehenditur, retineri queat, docet *Idem d. l. §. 9.*

§. 12. Si fides induciarum ab altera parte rumpatur, laeso liberum est sine inductione ad arma redire. Quanquam & si velit ad induciarum terminum quiescere possit. Quo de certa poena sit conventum, exsolvenda ab eo, qui prior inducias violavit: ubi illa postulat, & persolvitur ab eo, qui contra inducias fecit, jam bellandi jus non esse patet. Nam ideo multa solvitur, ut caetera salva maneat. Contra si laesus bellum moveat, a poena recessisse intelligitur. Et si & illud pacto repugnet, neglecta poena statim ad arma ruere. Nam regulariter non ita solet conveniri, ut optio sit alteri, poenam commissam accipere, an arma resumere velit. Vid. *Grot. d. l. §. 11. 12.*

§. 13. De pactis circa indulgendum comitatum, seu praestandum securum itum & reditum per loca hosti infesta, & quomodo ista sint interpretanda, plene docet *Grotius d. l. §. 14. seqq.*

§. 14. Pacta circa redemptionem captivorum apud Christianos multum habent favoris, praesertim si quis apud barbaros captivus detineatur, in quorum redemptionem etiam sacra vasa recte conflantur. Vid. *l. 21. C. de SS. Eccles. Gratianus caus. 12. quest. 2. c. 13. 14. 15.* Et si mo-

tribus Romanorum secus erat, de quibus vid. *Livius* l. 22. c. 59. 61. *Horatius Carm.* l. 3. od. 5. *Silius Italicus* l. X. *Noxam superaverat omnem Armatum potuisse capi.* Apud *Eutropium* l. 3. Hannibali, qui Romanis captivos, ut redirentur, obtulit, à senatu est responsum: *eos cives non esse necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent.* Plato quoque de republ. l. V. τὸν ζῆλον εἰς τὴν πολέμῳ ἀλόγια ἀγ' εἰ δὲ ἄλλαν δίδόναι τοῖς θύλασι, καὶ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ἀποστῆναι. *Eum qui vivus ab hostibus captus fuerit etiam gratis reddere volentibus relinquendum, ut præda quomodocunque lubet utantur? Omnino.* *Quintilian.* declam. 339. *Longe felicissimum in bellis est vincere: fortissimum, si victoria non detur, pro causa mori. Est tamen tertium aliquod inter dedecora, in patriam certe redire, & si vincere non detur, effugere. Potest enim credi qui hoc fecit, ad secundam se aciem servasse, & victum adversis animum reposuisse. Ille vero qui se inter virtutem hosti dedit, qui abjectis armis paratas in vincula præbuit manus, quam tandem nobis spem in posterum facit? Quæ spes in milite residua est, si nihil potius fuerit, quam capi? Quæ circa isthæc observanda sint, docet Grot. d. l. §. 23. seqq. Ubi ad §. 28. addimus, quod apud *Marinum Barletium de vita Castriota* l. 7. memoratur, cum captus adolescens barbarus Musachio prædæ nomine concessus cum ipso convenisset de CC. aureis loco lytri, cum mox istos ex veste depromptos victori numerasse. Qui recusavit eum dimittere, causatus, jam sibi istos numos cum persona acquisitos. Sed re a Castriotam delata, ipse pro barbaro pronunciavit.*

§. 15. De pactis ducum, & quid circa illa observandum, tradit *Grot.* l. 3. c. 22. Ubi tamen ad §. 8. notandum: breviores duntaxat inducias concedere ducum esse; non autem tales, quibus adparatus bellicus plane dissolvitur. Hoc enim est summorum imperantium.

§. 16. Denique quousque privati in bello cum hostibus pacifiquent, docet *Idem* l. 3. c. 23. Quibus addi potest mos Anglis & Scotis quondam receptus circa isthæc pactorum genera. *Si quis ad diem dictum non redeat, hæc pœna est. In congressibus, quæ ob res repetendas fieri solent, qui deceptum se queritur, manus effigiem aut chirothecam in hasta oblonga omnibus conspicuam circumfert. Ea summa apud ipsos infamia habetur: adeo ut, qui fidem violavere, amicis propinquisque fiant detestabiles: nec paulo honestior eos convictu, sermone, aut domo sua dignetur.* *Buchananus* rer. *Scotic.* l. 9. Notabile quoque est pactum militis Gothi & Romani, qui in eandem fo-

fo-

foveam inciderant, apud *Procopium hist. Goth.* l. 1. qui muttam invicem salutem stipulati sunt; quorum conventionem Gothi ratam dein habuerunt.

CAPUT VIII.

DE PACTIS PACEM REDUCENTIBUS.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>An pacta pacis infirmantur per exceptionem metus?</i> | 4. <i>Terminus implenda pacis strictè interpretandus. (pralii?)</i> |
| 2. <i>An cum rebellibus valide pax in-eatur?</i> | 5. <i>Quid si pax referatur ad eventum</i> |
| 3. <i>Quatenus in pace bona privatorum condonari possint?</i> | 6. <i>Obses in principis locum succedens non amplius tenetur.</i> |
| | 7. <i>De sponsoribus pacis.</i> |

DE pactis, quæ bellum plane finitur, ita plene exsecutus est *Grotius* l. 3. c. 20. ut vix quidquam nisi per modum spicilegii addere liceat. Circa quæ præcipua est quæstio: num illa possint reddi irrita per exceptionem metus injuste incutiti? Id quod circa bella solennia negat *Grotius* l. 2. c. 17. §. 20. & l. 3. c. 19. §. 11. cum contrarium jure gentium sit receptum ideo, quod alias ejusmodi bellis, quæ valde sunt frequentia, nec modus nec finis potuisset imponi; id quod tamen fieri generis humani intersit. Etsi salva conscientia bello injusto extortum retineri nequeat. Enimvero uti de restitutione quidem dubium non est: ita nondum adeo liquido constat de jure aliquo gentium, per quod non liceat contra victorem injustum exceptionem metus opponere. Et si vel maxime talis jus extaret, non tamen tranquillitati generis humani multum videretur decessurum, si istud negligatur. Nam, tradente *Grotio*, belli solennis, qualemcunque habeat causam justificam, hic est effectus, ut dominium, quod ipse vocat, externum rerum hostilium adquiratur. Si quis ergo solenne bellum antea victori post intulerit, utut nullam justificam belli causam præter metum illum habuerit; ubi fortuna arriserit, non amissas modo per injustum bellum res, sed & omnia hostis bona adquiret. Inde simplex valde est, si quis injusta vi quid alteri extorsit, qui alia ratione quam vi possessionem suam magis stabiliri credit. Non minus ineptus, qui alterum per injustam vim ad duras pacis leges adegerit, ni statim, quamdiu adhuc alterum oppressum tenet, executionem pacis fieri curet; sed solo victi pacto adquiescat, eumque in tali statu relinquat, ut malum, quod passus fuit, reponendi

Gru

sit facultas. Vid. *Guicciardin. hist.* l. 16. *sub fin.* & l. 17. *sub init.* Ergo verius videtur, eum, qui bello injusto petirus, postquam ad pacificam disceptionem sese obtulit, & bellum deprecatus est, ad iniquam pacem adigitur, nullo jure prohiberi, quo minus paci nondum impletæ exceptionem metus opponat; aut post occasione data reparationem injuriæ quærat. Sicuti & *Polyb.* l. 3. c. 30. pronunciat, justam fuisse Pœnis causam belli secundi in Romanos suscipiendi, eo nomine, quod quondam ipsis inter res domi ancipites versantibus Sardiniam, & magnam vim pecuniæ Romani extorsissent. *καὶ τὸ γὰρ πεισθίτες, ἡμῶν ὀλοῦς εὖν καὶ τὸ βλάψαι.* *occasione enim invitati, ultum ierunt eos, qui per occasionem temporum ipsis nocuerant.* Aliter tamen dicendum fuerit, si inter belligerantes ab initio contractus velut alæ fuerit initus. Id quod fieri intelligitur, quando de causa nondum liquida rejectis mediis pacificis ad arma protinus convolatur, aut persecutio injuriarum, prætensionumque, quæ via juris aut per transactionem haberi poterat, eventui belli committitur. Heic enim aperte Mars arbiter sumitur, & hoc animo utrinque in bellum descenditur; aut bello jus injuriamvè asseram, aut plura perdam. Hoc sane modo qui in bellum ruunt, ubi adversi quid patiantur, non magis de injuria sibi facta conqueri possunt, quam si qui ex condicto in duello pugnans vulneratur. Sic ut qui heic succumbit, adplicare sibi debeat illud *Plauti Amphitruone act.* 1. *sc.* 1. *Ut lubet, quod tibi lubet fac, quoniam pugnis plus vales.* *Conf.* l. 3. §. 3. *D. de injuriis.* & l. 7. b. 4. *D. ad L. Aquiliam.*

§. 2. Illa quoque quæstio varie agitur; an pax & transactio cum civilibus rebellibus à civitate, eorumvè rectoribus sit servanda? *Grotius* l. 3. c. 19. §. 6. *seqq.* affirmativam sat copiose deducit. Nobis autem planius ita dicendum videtur. Subditos rebelles qui per vim in ordinem redegit, quid de ipsis statuatur, ipse viderit. Sed si per pacta res componatur, ipsa negotii natura ostendit, regem rebellibus gratiam delicti facere; sic ut obtentu rebellionis pacta nequeant irrita reddi. Rebelles autem per eam pactationem de integro civitati conjungi, eique obsequium spondere intelliguntur; cujus sui obsequii velut conditionem præsupponunt observantiam ejus pacti à civitate præstandam. Sic ut in regnis potissimum illud vim capitulationis aut legis fundamentalis obtineat. Iis tamen, qui ideo rebellant, ut principi cupita extorqueant, bene observandum illud *Gramondi hist. Gall.* l. 2. *extra fidem regi debitam nihil est præsidio subditis.*

§. 3. Quantum circa condonanda privatorum bona per pacificationes civitati liceat, ex indole dominii eminentis intelligitur. Cujus vitique bona privatorum, quocunque titulo quæsitæ, pro necessitate recipi aut magna ipsius utilitate possunt tradi; ita tamen, ut civitas istud damnum teneatur privatis sarcire de publico vel statim, vel ubi solvendo esse cœperit. Cæterum illa disquisitio, utrum bona civi privato sint auferenda aut condonanda, in monarchia ad regem spectat: ut autem singulis damnum hoc modo extra suam ratam sarciantur, universitas civium obligatur rege exigente. Astexteri, quibus ea bona traduntur, non opus habent inquirere, ex usu civitatis fuerit, nec ne, illa sibi tradi; sed sufficit illis ad dominium legitimum acquirendum factum regis, tum ob præsumptionem, quæ actus regis comitatur; tum quod nulla ratio foret cum extraneis transigendi, nisi fixum foret, rite geri, quæ à capite civitatis geruntur. Porro uti ejusmodi bona hosti concessa, sic & damna privatis ab hoste data per reliquos cives pro viribus sarciri lex societatis suadere videtur; præsertim si nulla ipsorum peculiari culpa bellum excitum fuerit. Vid. l. 52. §. 4. D. *pro socio* & t. t. D. *de lege Rhodia de jactu*. Etsi satis apertum sit, ubique fere miseros cives ejusmodi damna inter fatales calamitates referre juberi.

§. 4. Si tempus præfigatur, intra quod conditiones pacis debeant impleri, illud strictissime fuerit interpretandum. Sic ut stricto jure non admittatur purgatio moræ ob breve tempus, nisi vis major impediverit, aut omnis doli suspicio abfuerit. Ratio est, quia etiam breve tempus ad magnas rerum conversiones valere potest. Si igitur ad implendas pacis conditiones alteri mora indulgeretur, facile foret occasionem nancisci à pactis resiliendi. Accedit quod alter exercitum, qui utique magno sumtu sustentatur, non prius tuto possit dimittere, quam conditiones pacis fuerint impletæ.

§. 5. Quandoque paciones pacis referri solent ad eventum alicujus pugnæ, inter singulos, binos, ternos, pluresvè, aut integros quoque exercitus ineundæ. Ubi ardua est quæstio: an fortuna totius civitatis alicujusmodi prælii recte committatur? Equidem videtur hoc modo parci sanguini humano, & calamitates belli velut in compendium mittuntur. Sed contra fatius videtur vel cruento bello defungi, quam libertatem & salutem civitatis per ejusmodi duellum simul & semel perdi; cum ex ad-

Cccc cccc

verso

verso etiam post unum atque alterum infelix prælium fortuna belli reparari queat. Quod si tamen nulla spes boni eventus sit, si viribus totius civitatis certetur, tanquam è malis minimum admittente hoste ejusmodi singularis pugna suscipitur. Sed & ubi principes non de juribus civitatis, sed propriis super negotiis bellum gerunt; facile concedere possunt civitates, ut isti inter se singulari pugna decernant. Exemplum vid. apud *Diodorum Siculum* l. 4. c. 60. *Dionysius Halicarn.* l. 3. *Ducos si propriam afferant principatum, honeste ac necessario tale inter se certamen suscipere: quotiens vero civitates ipsa de principatu contendunt, non modo periculosum esse hujusmodi aleam, sed etiam turpem.* Et si ipsi principes controversiam adhuc ancipitem tam violento modo recte non disceptent. Ubi tamen observandum, qui sic in eventum pugnae decisionem controversia rejiciunt, de suo quod habent jure posse transigere, non autem alteri, quod jus penes ipsos non est, dare. Unde si rex super regno, quod in ipsius patrimonio non est, certare velit, nihil aget, nisi accedat consensus populi, & eorum qui jam nati ad successionem jus habent. Cæterum in ejusmodi condictis præliis saepe in controversiam venit, quis pro victore sit habendus. Ubi sciendum, regulariter ejusmodi pugnas esse decretorias. Unde si inter duos pugnetur, ille victor erit, qui adversarium occiderit, aut ita debilitaverit & oppresserit, ut victum se ipse fateatur. Sicut Turnus gravi vulnere saucius faciebat, apud *Virgil. Æneid.* XII. Ubi plures pugnant, illa pars victrix erit, quæ adversarios occiderit, aut fugatos ita debilitaverit, ut resistere amplius nequeant. Quod si res geratur inter integros exercitus, spolia legere, ad sepulturam corpora concedere, in loco pugnae pernoctare, prælio iterum lacescere, per se victoriam non probant, cum talia possint etiam qui æquo Marte pugnaverunt. Sed si alia concurrant indicia, non parum momenti faciunt ad probandam hostium fugam. Et certe qui loco cessit post conflictum, in dubio magis est ut fugisse credatur. Ubi apud neutram partem firma sunt victoriae argumenta, res manet eo loco, quo fuit ante prælium; & ad bellum, aut novas pactiones erit redeundum. Memorabile est exemplum, quod refertur à *Plutarcho* in *parallelis*, & *Herodoto* in *Clio*. *Argivis & Lacedæmoniis de agro Thyreatico altercantibus, Amphictyones pugna utrinque letorum hominum rem decernendam censuerunt, victorique agrum detulerunt istum. Lacedæmonii à parte sua Othryadem summæ rei, Argivi Thersandrum præfecerunt. Prælio de Argivis duo superstites fuerunt, Agenor, & Chromius, qui de*

qui de victoria civibus nuncium attulerunt. Facta autem quiete Othryades etiamnum vivens, sultusque hastilibus semis fractis, mortuorum scuta abstulit, tropæum erexit, suoque sanguine id Iovi, tropæorum tutori, inscripsit. Ego non dubitaverim secundum Argivos pronunciare. Add. lo. Meursius Miscell. Lacon. l. IV. c. 14.

§. 6. Circa obsides, qui pacis firmandæ causa dantur, præter tradita à Grotio d. l. id quoque observandum, si contingat, ut obses hæres & successor fiat ejus, qui ipsum dedit, postquam hic fato fuerit functus, non amplius obsidem teneri, etiamsi foedus isto mortuo non expiraverit. Hic enim casus tacite exceptus intelligitur, ut non amplius esset obses, si in principalis debitoris locum ipse transierit: ita tamen ut alium pro se teneatur substituere, ubi id postulatum fuerit.

§. 7. Est & alius modus cavendi securitati pacis, dum alii, in primis qui mediatores paci intervenerunt, fidem suam interponunt, conventa utrinque servatum iri. Cui velut fidejussioni implicitum est foedus circa ferendum auxilium illi, qui contra pacta invaditur, adversus injuriæ autorem. (vid. Diodorus Siculus l. 4. c. 55.) Ad quod auxilium ferendum sponsores non tenebuntur, si ex nova causa bellum sit motum; sed tantum, si pax conventa rupta fuerit.

CAPUT IX.

DE FOEDERIBVS.

- | | |
|---|--|
| 1. Fœderum divisio. | 8. Vex generalibus notia. |
| 2. Fœdera, quibus nihil extra juris naturalis debitum disponitur. | 9. An fœdera pertineant ad reges expulsos? |
| 3. Quid fœdera aequalia sint, & quotuplicia. | 10. An sociorum nomine etiam futuri veniant? |
| 4. De fœderibus inæqualibus. | 11. Fœdera tacite non intelliguntur renovari. |
| 5. Viri ex pluribus fœderatis potius sit ferendum auxilium. | 12. Ad quid sponsores teneantur sponcione non rati habita. |
| 6. Fœderum alia realia, alia personalia. | 13. An sponsio rati habeatur per silentium summi imperantis. |
| 7. Quæ dignoscuntur vex considerata-
tione singulorum; | |

Videndum deinceps est de illa pactorum publicorum specie, quæ peculiariter foederum nomine veniunt. Quæ à Theseo inventa *Plinius* N. H. l. VII. c. 56. tradit. Quod admitti non potest, nisi hoc sensu, quod vel primus in Græcia iste foedera icerit, vel certoritus, sacraque adjecerit. Eorum divisionem commodissime desumemus ab eorundem materia, dum alia quid constituunt, quod jam antea juris erat naturalis; alia autem officiis juris naturalis aliquid superaddunt, aut saltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

§. 2. Ad priorem classẽ referuntur illa foedera, quibus de simplici duntaxat humanitate hinc inde exercenda convenitur, aut de noxa invicem non inferenda. Vid. *Genes.* XXII. 23. In foedere, quod Lacedæmonii cum rege Persarum iniverunt, hæc clausula legitur apud *Thucydidem* l. 8. *Quascunque regiones, urbes, rex jam possidet, regisque majores possederunt, in regis ditione maneat. Eas sive belli inferendi, sive alio modo nocendi causa Lacedæmonii, eorumvè sociis adeundi jus ne esto, neve tributum exigendi Lacedæmonii sociisvè eorum jus esto. Regi de sua ditione statuere licitum esto.* Nisi dicere velimus, hanc clausulam continere renunciationem omnium prætensionum, quæ ullo modo Lacedæmonii in Asiam obtinere possent. Alias enim citra foedus Laconicum Asia regis erat; & ex natura dominiũ fluit, tum ne quis rem meam invadere debeat, tum ut de sua re quisq; statuere possit. Conferatur quoque foedus pacis inter Athenienses & Persas apud *Diodorum Siculum* l. 12. c. 4. Cæterum ejusmodi foedera necessaria, apud antiquos cum primis, habebantur inter eos, qui antea nihil invicem negotii habuissent. Nimirum quod apud complures dogma illud juris naturalis; (cognitionem quandam inter homines esse à natura, ac nefas proinde alterum citra antegressam offensam lædere;) oblitteratum foret; adeo ut crederetur in solos cives humanitatis officia esse conferenda, externos quosque hostium esse loco, quos lucri nostri causa lædere non nefas foret. Vid. *Grot.* l. 2. c. 15. §. 5. Enimvero inter illos, qui juris naturalis observantiam cultu morum profitentur, talia foedera non sunt necessaria. Nisi quod uti inter singulos, quando primum aliquid negotii invicem cœpit intercedere, prolixiorem amicitiaẽ contestationem adhiberi non indecorum sit. Quo adplicari potest illud *Ciceronis epist. ad fam. l. XIII.* 10. *Sed tamen in omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua commendatione quasi amicitiaẽ fores aperiantur.* De cætero

cætero pudere propemodum debebat homines cultos pactum inire, cuius capita nihil aliud contineant, quam ne simpliciter ac directe jus naturæ violetur; quasi citra illud pactum non satis quis officii sit memor futurus. Conf. l. 50. D. *de pactis*. Equidem veniunt ista fœdera frequenter nomine amicitia. Verum fas amicitia proprie dicta plura requirit, quam commune illud humanitatis officium. Nam utut præstationes amicitia non sint definita, sicuti quæ ex pacto debentur: tamen in genere id quilibet amici novit esse, bona cum amico libenter communicare, de ipsius salute curam agere, monendo, consulendo succurrere, mala ipsi imminetia pro viribus propulsare, eaque omnia intensiore cum affectu, quam quæ aliis ex nuda humanitate præstantur. Ad hoc genus etiam *Grotius* d. l. refert fœdera, quibus cavetur, ut utrique sit jus hospitii, & jus commercii, quatenus ista jure naturali debentur. Vid. *supra* l. 3. c. 3. §. 9. II. Enimvero socios & fœderatos proprie non esse, qui nil nisi communia humanitatis officia sunt pacti, explicatur apud *Livium* l. XLI. c. 24. Ubi Macedonibus ob offensam in regem Persea regione sua interdixerant Achæi. Exinde horum servis fugitivis Macedonia receptaculum erat, quod illius fines ingredi vererentur Achæi ad vindicandum suos homines. Perseus igitur eam gentem conciliare studens, literis pollicetur, sese fugitivos ipsis traditurum, modo tollatur decretum, quo Achaia prohibeantur Macedones. Cum ea res agigaretur in concilio Achæorum, Callicrates gratificandum regi negabat, ne Romani offenderentur. Contra Arco differebat, salvo fœdere cum Romanis regis petito posse satisfieri, addita ratione: *non enim agi de novo fœdere aut nova societate; sed tantum peti commercium juris præbendi repetendique, ne interdictione finium & ipsi quoque regno arceamur, ne servis nostris aliquò fugere liceat.* Neque hoc esse adversus Romana fœdera, utpote in quibus nihil peculiariter adversus Persea fuerit conventum.

§. 3. Ast fœderum, quibus aliquid adjicitur officii, quæ jure naturali homines invicem debent, alia sunt æqualia, alia inæqualia. Illa sunt, quæ utrinque eodem sese modo habent, seu quando non solum utrinque æqualia promittuntur, simpliciter, aut observata virium proportionem, sed & æquali modo, ita ut neutra pars sit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia. Quæ inæqualia sint, mox videbimus. *Isocrates Panegyri. συνθηαί μιν εἶσιν, αἵτινες ἀν' ἑαυτοῦ καὶ κοινῶς ἐν ἀμοιβάσει ἔχουσιν, πρὸς ἀλλήματα δὲ, τὰ τῶν ἑτέρων ἐλαττωτάτα.*

ἰσότητα. *Pactiones* seu foedera æqualia sunt, cum par & æquum jus utrisque tribuitur: *jussa* vero, seu foedera inæqualia, cum alteri deteriore sunt conditione. Nam ut addatur *ἡ δὲ τὸ δίκαιον*, non opus est. Utraque porro iniri potissimum solent ob aliquam societatem contrahendam; quæ societas spectat vel ad commercia, vel ad communitatem belli, seu auxilia mutuo præstanda in bello offensivo aut defensivo; vel ad alias res. Æqualia foedera circa commercia varia esse possunt: puta, si conveniatur, ne cives utriusque foederati ad alterutrius terras aut portus accedentes ullum vectigal solvant, aut non plus quam in præsens solvitur, aut ne supra certam quantitatem, aut ne plus quam cives, vel alii focii solvunt, & quæ sunt similia. Æqualia foedera circa societatem bellicam sunt, si conveniatur, ut utrinque præstentur paria auxilia militum, navium, aut alterius adparatus bellici: idque vel utroque tempore, sive bello alteruter invadatur, sive alteri bellum velit ipse inferre; vel si alteruter bello impetatur. Quandoque etiam auxilia promittuntur ad certum duntaxat bellum, aut contra certos hostes, aut contra omnes quidem, sed exceptis utriusque foederati fociiis. Denique æqualia foedera circa alias res sunt, si conveniatur, ne in confinio alterius alter arces habeat, ne subditos alterius defendat, aut recipiat, aut ut comprehensos alteri transmittat, ne iter alterius hosti præbeat, & quæ sunt alia. *Grotius* d. l. §. 6.

§. 4. Ex æqualibus porro foederibus quæ sint inæqualia, facile est intelligere: scilicet quando vel inæqualia sunt, quæ invicem promittuntur, vel alterutra pars est deterioris conditionis. Inæqualia promittuntur aut à digniore foederato, aut à minus digno. Illud fit, si potentior auxilia promittat alteri, nec restipuletur; aut si majora quam alter, seu huic non proportionata auxilia promittat. Hoc contingit, si foederatus inferior plura teneatur præstare, quam ab altero recipit. Istorum foederum nonnulla cum imminutione summi imperii sunt conjuncta. Quale erat foedus Romanos inter, & Pœnos in fine belli secundi Punici; in quo cautum, ne cui Carthaginenses bellum facerent injussu populi Romani. Quo possis referre Armeniam majorem, de qua *Appianus Alex. præfat.* ἡς Ῥωμαῖοι ἐκ ἀρχῆς μὴ ἐκ φόβου κομισθῆν, αὐτοὶ δὲ αὐτοῖς ἀποδεικνύουσιν τὴν βασιλείαν, *nulla quidem Romanis tributa pendens, sed ex eorum autoritate reges accipiens.* Addatur quoque pactum Petri cum Theudato circa Siciliam initum apud *Procopium hist. Gothica* l. I. Vice versa, illa foedera summum imperium

non imminuunt, quæ adjunctum habent aliquod onus transitorium, seu quo simul & semel licet defungi, v.g. si in pace alteri parti injūgatur stipendia alterius militibus solvere, sumtus belli restituere, aut certam summam pecuniæ multæ loco numerare; item si teneatur mœnia arcesque diruere, locis quibusdam decedere, obsides, naves, arma tradere. Sic *Plinius N. H. l. 34. c. 14.* tradit: in *foedere, quod expulsis regibus, populo Romano dedit Porfena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur.* Conf. *1. Sam. XIII. 19. 20.* Quo loco notatu dignum est, quod refert *Procopius l. IV. hist. Goth.* cum ex induciis, quæ Justinianum inter & Chosroem convenerant, ille bis mille libras auri solvere deberet, hæc illico poscebat: *Isdiagunus legatus Persicus: sed Justinianus dare volebat annis singulis quadringentas, ut à violandis induciis eo velut pignore Chosroem retineret. Sed concessere tandem Romani, summamque totam presente pecunia exsolverunt, ne annua tributum pendere viderentur. Adeo vocabula magis turpia quam res ipsas averfarimos hominum est.* Sed de hoc potissimum dubitatur, utrum illa foedera inæqualia, quæ permanentia & perpetuo duratura onera habent adjuncta, semper & in se summum imperium minuant; seu utrum alterius socius inæqualis possit retinere summum imperium? Onera ista perpetua sunt, v.g. ut unus debeat eosdem amicos cum altero habere, non vice versa; ne liceat certis locis arces extruere; ne exercitum ducere; (sicuti in foedere Romanorum cum Latinis cautum erat, ne hi proprio arbitrio copias conscriberent, eisque suos duces præficerent, ac in expeditionem emitterent; ex quo fiebat, ut cum Romani soli de bello & pace decernerent, socii quidem laboris essent participes, gloria autem & fructus victoriarum in Romanos redundaret, quorum auspiciis res gerebantur. Vid. *Dionys. Halicarn. l. 8.*) ne naves habere ultra definitum numerum; ne urbem condere, ne navigare, ne militem certis locis conscribere; & quæ sunt alia. In primis si unus foederatorum alterius majestatem comiter teneatur colere; adeoque alterum dignitate se superiorem agnoscere, & in omnibus actionibus reverentiã quandam adversus ipsum ostendere. Id quod etiam explicat *Cicero pro L. Cornel. Balbo.* Sic *Isocr. Panegy.* Athenienses cum sociis ita egisse tradit, ut penes ipsos quidẽ summa rerum directio esset, seorsim vero hisce libertatem concederent, & formã reip. democraticã ap. eosdẽ constituerent. Ad isthanc quæstionẽ resp. *Grot. l. 1. c. 3. §. 21. cxl. 7. D. de captivis.* Enimvero ex subsequentibus mox JCri

verbis

non imminuunt, quæ adjunctum habent aliquod onus transitorium, seu quo simul & semel licet defungi, v.g. si in pace alteri parti injūgatur stipendia alterius militibus solvere, sumtus belli restituere, aut certam summam pecuniæ multæ loco numerare; item si teneatur mœnia arcesque diruere, locis quibusdam decedere, obsides, naves, arma tradere. Sic Plinius N. H. l. 34. c. 14. tradit: in foedere, quod expulsis regibus, populo Romano dedit Porfena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur. Conf. 1. Sam. XIII. 19. 20. Quo loco notatu dignum est, quod refert Procopius l. IV. hist. Goth. cum ex induciis, quæ Justinianum inter & Chosroem convenerant, ille bis mille libras auri solvere deberet, hæc illico poscebat: Isdiagunus legatus Persicus: sed Justinianus dare volebat annis singulis quadringentas, ut à violandis induciis eo velut pignore Chosroem retineret. Sed concessere tandem Romani, summamque totam presente pecunia exsolverunt, ne annua tributum pendere viderentur. Adeo vocabula magis turpia quam res ipsas averfarimos hominum est. Sed de hoc potissimum dubitatur, utrum illa foedera inæqualia, quæ permanentia & perpetuo duratura onera habent adjuncta, semper & in se summum imperium minuant; seu utrum alterius socius inæqualis possit retinere summum imperium? Onera ista perpetua sunt, v.g. ut unus debeat eosdem amicos cum altero habere, non vice versa; ne liceat certis locis arces extruere; ne exercitum ducere; (sicuti in foedere Romanorum cum Latinis cautum erat, ne hi proprio arbitrio copias conscriberent, eisque suos duces præficerent, ac in expeditionem emitterent; ex quo fiebat, ut cum Romani soli de bello & pace decernerent, socii quidem laboris essent participes, gloria autem & fructus victoriarum in Romanos redundaret, quorum auspiciis res gerebantur. Vid. Dionys. Halicarn. l. 8.) ne naves habere ultra definitum numerum; ne urbem condere, ne navigare, ne militem certis locis conscribere; & quæ sunt alia. In primis si unus foederatorum alterius majestatem comiter teneatur colere; adeoque alterum dignitate se superiorem agnoscere, & in omnibus actionibus reverentiã quandam adversus ipsum ostendere. Id quod etiam explicat Cicero pro L. Cornel. Balbo. Sic Isocr. Panegy. Athenienses cum sociis ita egisse tradit, ut penes ipsos quidẽ summa rerum directio esset, seorsim vero hisce libertatem concederent, & formã reip. democraticã ap. eosdẽ constituerent. Ad isthanc quæstionẽ resp. Grot. l. 1. c. 3. §. 21. cxl. 7. D. de captivis. Enimvero ex subsequentibus mox JCri

verbis difficultas movetur: *at fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus.* Nam id sane subjectionem arguit, si jus alteri comperat cives nostros ad tribunal suum evocandi, eosq; plectendi. Quo spectat exemplum Decii Magii apud *Livium l. XXIII. c. 7. seqq.* Inprimis autem, quod memorat *Pausanias in Achaicis*; cum instinctu Callicratis legatus Romanus Achæorum principes partibus Persei studuisse argueret, eorum unus Xenon fiducia conscientia dicit: se non dubitare vel in Senatu Romano super hoc crimine iudicium sustinere. Quod à legato subdole arreptum, quasi ultro Romam provocaret. Atq; inde ipse & plurimi alii Romam missi sunt. Et tamen, uti *Polybius excerpt. legat. CV.* loquitur de istis evocatis: *τὸ, τὶ γὰρ κείναι ἐν ἐνόμιζον αὐτῆ καθ' ἑαυτοῦ.* *Vi iudicium de reis perageret Senatus, convenire sibi non arbitratur.* Heic planissima est responsio, priora verba capienda de antiquis temporibus populi Romani, quando major cura ipsi fuit fœderum leges observare, & alio modo tractare, qui ultro in amicitiam concesserant, quam qui bello victi fuerant. Sicuti *Cicero Offic. II.* penes antiquos *patrocinium* fuisse sociorum, non *imperium* prædicat. Et *Scipio* jactat: *populum Romanum exterarum gentes malle fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio.* Posteriora autem verba capienda sunt de sequentibus seculis, quibus paulatim reverentia fœderum antiquorum minui cœpit, nulloque discrimine bello victi ac focii jugo premebantur. Vid. *Livius l. 42. cap. 1. Appianus de bello civili l. 1.* ubi memorat, *Syllam* adegisse omnes socios hætenus immunes ad tributum conferendum. Quo tempore id quoque usurpatum, ut ex civitatibus fœderatis rei Romam evocarentur, atque velut subditi Romanorum plecterentur. Satis autem adparet, in epistola *Proculi* inter priora & posteriora verba non pauca fuisse interjecta. *Grotius* autem postquam operose enumerasset controversiarum genera, quæ inter socios oriri possunt, demum tamen ad motam difficultatem nihil reponit. Vid. quoque *Antonius Matthæus de criminibus ad tit. ad L. Iul. Majestatis c. 1. §. 5. 6.* Bene tamen monent prudentes, plerumque accidere, ut qui superior est in fœdere, si potentia multum antecellat, paulatim imperium proprie dictum exercent; inprimis si fœdus sit perpetuum, & cum jure introducendi præsidia in oppida. Vid. *Bodinus de republ. l. V. c. 6. Isocrates Archidamo*: *καὶ τὰς θυλομένους ἰλευθέρως εἶναι τὰς μὴ ἐν ταῖς ἀποσταγμάτων συνθήκας φεύγειν, ὡς ἰγγὸς δελείας ὕψους.* *Cupidis libertatis fœdera cum mandato fugienda sunt: parum enim differunt à servitute.*

§. 5. Illam

§. 5. Illam porro quæstionem: si plures ejusdem fœderati bellum gerant, utri potius auxilium ferre debeat, quod utrique est fœderatus; deducit *Grotius* l. 2. c. 15. §. 13. Vid. etiam *Simlerus de republ. Helvetiorum*. l. 1. p. m. 119. Ubi & illud addendum, in omnibus fœderibus, quæ rex aliquis cum extraneis circa ferenda auxilia init, subintelligi debere hanc exceptionem: siquidem per rationes proprii regni illud commode fieri possit, quæ etiam quibusvis respectibus privatis, & ipsi sanguinis atque affinitatis necessitudini præponderant. Add. *Gellius* l. 2. c. 29. Nam cum nemini rex propius teneatur, quam suis civibus; non potest extraneo valide promittere, quod cum ipsorum utilitate aperte pugnat. Apud *Guicciardinum hist.* l. 16. *Franciscus rex dicit: precedere juramentum Rhemis factum, quo obligentur reges Francia, ne quid de patrimonio coronæ alienent.* In quem sensum admitti potest, quod habet *Baco de Verulamio de sapientia veterum* c. V. *Inter principes unum est verum & proprium fidei firmamentum, necessitas, (magnum potentibus Numen,) & periculum status, & communicatio utilitatis.* *Aristotelis Nicom.* l. VIII. cap. 5. *simplicius dixerat: δοκῶσι αἱ συμμαχίαι τὰς πάλαι γινώσκειν ἵνα τῷ συμφέροντι.* *Confœderationes inter civitates fieri utilitatis causa videntur.* *Idem Rhetor.* l. 3. c. 14. *ἀπιστοῖσι ἄλλοι τι πρᾶττεν ἰσότα, πλὴν τὸ συμφέρον.* *Non credunt, aliud agere quæquam sponte præter id, quod utile est.* *Valerius Flaccus* l. 4. *Certa fides animis, idem quibus incidit hostis.* *Isocrates Orat. ad Philip.* *Civitates neque inimicitiarum, neque injuriæ, neque ullius rei alterius rationem ducunt, nisi si quid sibi profuturum putant.* *Sic Polybius* l. 2. c. 47. *de Arato dicit: cum sciret, reges natura quidem neminem vel hostem vel amicum ducere, verum ex suis utilitatibus semper amicitias & inimicitias æstimare.* *Andr. Maurocenus hist. Veneta.* l. 1. *de Senatu Veneto: amicitias publica utilitate dignitateque metimur.* *Et si de Rhodiis tradat Polybius excerpt. legat.* 93. c. 6. *eos per centum quadraginta annos nullum cum Romanis fœdus percussisse, licet in pluribus bellis auxilia ipsis miserint.* *Ratio hujus instituti hæc subjungitur: Qui enim nulli regum spem auxilii societatisque suæ vellent abscindere, arctius se cum quoquam copulare, & libertatem sibi jurejurando ac pactis præcipere volebant; sed omnia sibi servantes integra, spes singulorum lucrari.* *Ob aliam rationem à fœderibus ferendis abstinere Utopienses, tradit Th. Morus Utop.* l. 2. *Qui autem per fœdus, quod mutatis alterius rationibus expirat, damnatum capit, habet quod sibi imputet, quod non accuratius socii suo*

Dddd dddd

con-

conditionem perspexerit. Vid. l. 19. *D. de reg. juris*. Quamquam boni sit socii, ubi res suæ non ferunt diutius in societate persistere, alterum monere, quo & ipse rebus suis simul consulere queat. Nam uti est apud *Euripidem Iphigenia in Tauris*: τὰ τῶν φίλων αἰχίσιον, ὅσι καταβαλὼν εἰς θυμφορὰς αὐτὸς σίτουσαι. *Turpissimus est, qui postquam amicorum res in discrimen coniecit, ipse solus servatur.* Inde in foederibus bellicis maximi momenti habetur clausula; ne separatim & excluso socio, liceat cum communi hoste pacisci. Cui tamen aliqui ex æquitate hanc inesse restrictionem tradunt, dummodo alter sociorum æquas pacis condiciones non respuat. Hoc enim casu foedus videri violatum, & alteri socio fas esse sibi separatim consulere. Quod tamen cum grano salis accipiendum, ne ansa eludendo foederi hoc modo quærat, & unus sociorum alterius velut iudex constituatur. Vid. *Joh. Labardus hist. de reb. Gallic. l. V. p. 313. edit. Paris. An. 1671.*

§. 6. Est & illa nobilis foederum distinctio in realia & personalia; quorum hæc sunt, quæ cum rege intuitu ipsius personæ fuerunt inita, & cum ipso simul extinguuntur: illa vero, quæ non tam ipsius regis, populivè rectorum, quam ipsius regni & reip. intuitu sunt inita, ac perdurant, extinctis licet rectoribus populi, penes quos administratio reip. tempore foederis inita erat. Ad utram classem quodlibet foedus pertineat, ex sequentibus manifestum erit. Illud igitur certum, quævis foedera, quæ cum libero aliquo populo in eunt, sua natura esse realia, & perdurare usque ad terminum in ipso foedere expressum; ut ut magistratus illi, quorum interventu id fuit percussum, extincti sint aut mutati. Ex quo inferri potest, si quidem foedus abs libero populo sit in initum, ac post status reip. ex democratico in monarchicum fuerit mutatus, foedus esse mansurum: ideo quod idem populus maneat, forma licet reip. mutata. Et quia rex consensu populi in regnum adscitus intelligitur id suscipere cum omnibus obligationibus, quæ ab isto populo, quatenus in se summum habuit imperium, sunt contractæ. Accedit, quod cum foedera in eantur ab his, qui summo imperio gaudent, ejus imperii commune subiectum eo civitas: idem censebitur esse summum imperium, quod exercetur per suffragia universi populi, & quod geritur post à rege per consensum populi constitutum. Excipiendâ tamen hæc sunt illa foedera, quæ præsentis status conservationem pro fine habent; puta si duo liberi populi foedus iniverint

iniverint mutui auxilii contra illos, qui per vim statum reip. mutare aggrediantur. Nam si tunc alteruter populus in mutationem status reip. libere consenserit, intelligetur ipsum quoque foedus, cessante ejusdem ratione, expirare. Enimvero non si foedus, quod cum libero populo initur, regulariter est reale, ideo omne foedus cum rege initum personale est, & cum rege extinguitur. Nam plerunque persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, qua persona interveniente pactum sit factum. l. 7. §. 8. D. de pactis. Quia tamen constat, quaedam foedera à regibus inita omnino hac intentione facta, ut cum ipsorum morte expirent, quaedam autem, ut & apud successores continerentur; igitur certæ notæ sunt habendæ, ex quibus pateat, ad quam speciem quodvis foedus regium sit revocandum.

§. 7. Grotio l. 2. c. 16. §. 16. magis placet, ex cujusque foederis conceptis verbis hanc rem dijudicare, quam in univsum aliquid definire. Sic igitur realia foedera erunt, quibus clausula hæc expresse est addita, ut sint perpetua; aut quod sint facta in bonum regni; aut quod incantur cum rege & ipsius successoribus; aut si durationi certum tempus sit præfinitum. Sed & alia verba, & ipsa interdum materia foederis, nec non causa ad id ineundum impellens, conjecturam possunt præbere non obscuram. Quod si autem conjecturæ in utrumque sunt æquales, supererit, ut favorabilia esse credantur realia, odiosa vero personalia. Favorabilia autem sunt foedera commerciorum causa. Foedera autem bellica nequaquam sunt omnia odiosa, sed defensiva magis ad favorem, offensiva ad odium accedunt.

§. 8. Paulo distinctius tamen videtur deduci posse, quatenus antecessoris regis foederibus successor teneatur. Nam primò constat, pace ab antecessore facta successorem quoque teneri. Per pacem quippe antecessoræ injuriæ, quæ bello causam dederant, plane extinguuntur. legibus pacis rite expletis. Deinde dubium non est, quin successor teneatur servare illas conventiones legitimas, quibus ab antecessore suo in tertium jus fuit collatum. Sed & illud certum est, quando alter foederatorum ex foedere jam quid præstitit, & rex antequam quod ipse debebat, reposuerit, sit mortuus; ab ipsius successore id omnino solvendum. Cum enim id, quod sub conditione præstandi æquipollentis ab altero præstitum fuit, in usum reip. cesserit aut saltem ea intentione fuerit exhibitum; patet sane, nireponatur æquipollens, jus remanere alteri ad repetendam

rem velût jam indebito præstitam: adeoque successorem teneri ad refusionem rei ab altero præstitæ, nî malit id ipsum, quod in lege tanquam æquipollens est expressum, exhibere. Denique circa illa fœdera, ex quibus aut nihil adhuc ab alterutra parte fuit præstitum, aut quæ præstita fuerunt, a qualia sunt, in univèrsum hoc videretur pronuntiandum: regem si fœdus fecit tanquam caput sui populi, & cum intentione commodum populi promovendi, intelligi reale fœdus fecisse, quod successorem quoque teneat. Quia istud fœdus totum quoque populum stringit, cujus caput sequens rex eodem jure, eodemque sub onere est, atque prior fuit. Ast ubi fœdus directe spectavit commodum personæ ipsius regis, ejusque familiæ; patet ipso mortuo aut hac extincta, fœdus quoque expirare. In consuetudinem tamen abiit, ut fœdera etiam indubie realia rege mutato renouentur, saltem verbis generalibus: ne forte excipi possit, cum ex illo fœdere nihil adhuc sit in usum regni conversum, fœdus sola ineuntis fides tetisse, nec in successorem transire. Præsertim cum fœdera ineantur ad promovendam reip. utilitatem; de qua cum diversum judicare queat successor, quam antecessor, aliam quoque jure suo viam heic insistere potest, adeoque negligere fœdus, quod jam suo regno inutile censet. Add. *Joan. Labardeus hist. de reb. Gallicis* l. 5. p. 74. 75. edit. Paris. an. 1671. Est & hoc monendum, si quibusdam inter se diversa antehac fœdera intercesserint, & ista deinceps ab iisdem renouentur in genere; postremum potissimum intelligi renovatum; cum posteriora semper prioribus derogent. Vid. *Polybius excerpt. legat.* XLI. c. 4. Ubi tamen nullo modo excusari potest fœda plane fœcordia tam legatorum, quam ejus qui eos miserat; quod cum renovare fœdus cum Ptolomæo rege instituerent, ipsi ignorarent, quæ fœdera olim Achæis cum rege intercessissent, aut quodnam ex illis ipsi jam renovare vellent.

§. 9. Id quoque heic quæritur, si rex, quicum fœdus fuit initum, à subditis suis fuerit pulsus, utrum fœderatus teneatur illi ferre auxilia promissa, cum adhuc regno potiretur? *Grotius* d. l. §. 17. affirmat; ideo quod jus regni maneat penes talem per injuriam expulsus, utcunque possessionem regni amiserit. Nobis de eo quidem casu certum videtur, si fœdus expresse ad defensionem personæ regis, ejusvè familiæ sit conceptum, quod ad recuperandum regnum auxilia debeant ferri. Sed ubi fœdus sancitum sit in utilitatem regni, valde dubium est, an rex expulsus ex fœdere

dere auxilia postulare queat. Nam illa auxilia præsumuntur esse promissa adversus hostes externos: de hoc autem casu cogitatum non fuit. Et si nec idem foedus obstare videatur, quo minus legitimo regi ad depellendum invasorem suppetitas latum eamus. Sicuti & ubi foedus nobis sit cum populo libero, quem sub servitium redigere intestinus invasor laborat, recte auxilia ad illum dejiciendum ferre possumus, antequam in legitimum principem evaluerit. Nam qualitates in foederibus; puta si dictum sit, foedus esse initum cum *rege & ejus successoribus*, notant jus proprie dictum; non nudam usurpationem, seu tales, qui iusto titulo regnum adquisiverunt, non qui iniusta vi nituntur.

§. 10. Est & illa quaestio illustris, si in foedere cautum sit, ut utriusque focii ab utrisque tuti sint, num per focios intelligantur illi tantum, qui focii erant tempore foederis initi, an & hi, qui postea ab alterutro adsciscuntur? Ea super quaestione quid disceptatum fuerit quondam inter Romanos & Pœnos sub initium belli secundi Punicis, vid. apud *Polybium* l. 3. & *Livium* l. XXI. c. 19. *Grotii* decisio d. l. §. 13. eò redit, salvo foedere & Pœnos potuisse Saguntinis, à Romanis deinceps in foedus adscitis, bellum inferre, & Romanos eorundem defensionem suscipere. Quippe cum salvo foedere fieri possit, ut duorum sociorum unus eundem oppugnet, alter eidem auxilia mittat. Sicuti & super eo casu expresse in foederibus solet conveniri. Vid. foedus, quod Pœnos inter & Romanos iectum est tempore belli Tarentini, apud *Polybium* l. III. c. 25. Quanquam ex tali occasione proximus sit gradus ad rumpenda foedera; cum pari sensu afficiant plagæ, quas alieno quis nomine, quam quas proprio infligit; in primis ubi belli sedes in auxiliatorum terras transferatur. Vid. *Iustin.* l. III. c. 7.

§. 11. Est & illud monendum, foedera ad tempus certum inita, elapso illo, haut quidquam tacite renovata intelligi; non ideo solum, quod nemo præsumatur ad novum onus temere sese adstringere, sed etiam quia isthac modo de ejusdem duratione constare non possit. Unde si qui post illud finitum exercentur actus, pro benevolentiae magis, quam renovati foederis indiciis habendi erunt. Nam simplex utique amicitia etiam post finitum foedus persistit. Denique ex communi natura pactorum est, ut ubi una pars foedere non stetit, & alteri ab eo discedere liceat. Potest tamen à foederatis conveniri; ut licet in uno capite foederi non fu-

fuerit satisfactum, reliqua tamen inviolata observentur. Quod tamen ita capiendum est, ut altera pars non teneatur præstare, quod capiti ab una parte neglecto respondebat, & ne simul positiva aliqua nexa alteri inferatur.

§. 12. Videndum jam est de sponsionibus, seu pactis illis publicis, quæ à ministro summæ potestatis circa negotium ad eandem spectans sine ipsius mandato ineuntur. Super quibus ardua cum primis quæstio movetur; si sponsio pure sit facta, citra adjectam conditionem rati habitationis faciendæ à summa potestate, ubi eam rati habere abnuvit summa potestas, ad quidnam sponsores teneantur illis, quibuscumque pepigerunt? De qua re acriter disceptatum legimus occasione sponsionis Caudinæ apud *Livium*. l. IX, c. 8. *seqq.* Et sane, si stricto jure rem velimus metiri, neque ad istam sponsionem rati habendam, neque ad rem in priorem statum restituendam tenebatur S. P. Q. Romanus; sed sufficiebat sponsores dedere. vid. *Grotius* l. 2. c. 15. §. 16. *Valer. Max.* l. 4. c. 8. §. 1. *Io. Mariana hist. Hispan.* l. 21. c. 12. Si tamen ex æquo & bono rem æstimare velimus, omnino videbatur, populum R. rati habere debuisse illam sponsionem, ut ut suo injussu factam. Equidem penes consules non erat citra peculiare mandatum de toto bello transigere, & pacem ac fœdera cum hoste facere. Quia tamen isti consensum populi non præter rationem præsumserant, & tot millia civium, adeoque flos ipse populi, alio modo servari non poterant, & ab hostibus fuerat præstitum, quod utique paci & fœderi æquipolleret, par sane erat à populo rati haberi conditiones nihil duri & iniqui habentes, (vid. *Guicciardinus hist.* l. XII. p. m. 542. & 344. ubi agit de sponsione Tremollii Divione cum Helvetiis inita; & *Templius in Observationibus ad statum Provinciarum Vnitarum Belgii* p. m. 153. Ubi refert, se anno 1668. intra quinque dies tres tractatus cum Statibus Generalibus conclusisse, inconsultis provinciis, quod observato agendi modo ordinario illi omnino artibus aliorum forent disturbandi, cum tamen iidem Reipublicæ essent summe necessarii. Additque, nî provinciæ factum ipsorum probassent, de capite ipsos fuisse periclitaturos, cum ea res alias istorum mandata excedat.) Nam tunc demum præfracte populus potuisset insistere illi principio, se non posse injussu suo à magistratibus obligari, si intolerabile quid Samnites postulassent. Id mordebat ambitiosum populum, quod sub jugum missus fuerat exercitus, stulto sane consilio

filio ducis Samnitis, dum contumelia, viribus nihil detractura, iras ferocis populi immensum accendit. Verum ea ignominia dignus erat exercitus, quod nullis præmissis exploratoribus in locum incognitum ita temere sese coniecisset. Quam ipsam tamen sufferre satius erat, quam vires populi R. excindendas præbere. Expendantur, quæ Lentulus sponsonem suadens differit apud *Livium* l. IX. c. 4. Quin & sæpe à civitate rati habentur promissa & acta ducum ob insignem eorum autoritatem, & ne ipsorum fidem aliis prostituant. Inde apud *Tacitum* A. XII. *Mithridates consultat, cujus misericordiam experiretur: quod Romanorum nemo id autoritatis adesset, ut promissa ejus magni penderentur.* Sed nimirum superbissimus populus nolebat considerare, sibi non esse privilegium, quo minus & ipse aliquando experiretur, quod aliis sæpe intulerat. Generose tamen Samnites, quod deditos sponsores non reciperent. Id autem ridiculum plane & ineptum erat, quod cum deditio fieret, Posthumius genu suo A. Cornelii fecialis femur, quanta maxima vi poterat, perculerit, & clara voce inclamaverit: se Samnitium civem esse, illum legatum fecialem à se contra jus gentium violatum, eo justius bellum gesturos. Nec in super habendum, quod *Livius* ita de hoc processu judicat: sponsores postquam dediri erant, & non recepti, iterum in castra Romana discessisse, *sua fide liberata, sed dubitabundus addit, forsitan & publica.*

§. 13. Ad quæstionem denique: si summa potestas noverit à ministro suo sponsonem factam, & siluerit, an inde colligatur hanc ab ipsa adprobari? respondet *Grotius d. l. §. 17.*

CAPUT X.

DE PACTIS REGUM PROMISCUIS.

- | | |
|--|--|
| 1. Ordo sequentium. | 6. Quatenus civi actio contra regem ex contractu sit. |
| 2. Quatenus rex restitutione in integrum gaudeat contra extraneum. | 7. Contractus civium subjacent dominio eminenti. |
| 3. Et quatenus contra cives suos. | 8. Quatenus ex contractu regum obligentur successores. |
| 4. Contractus regum quatenus exempti legibus civilibus. | 9. An donationes regum sint revocabiles. |
| 5. Rex de suo juramento valido dispensare nequit. | |

Restat

Restat ut videamus de illis quæstionibus, quæ circa pacta regum promiscua agitari solent. Quæ ad tria capita revocari possunt, primo an regi competat peculiaris aliqua potestas circa pacta propria; deinde quid ipsi liceat in obligationes adversus subditos contractas: & denique qua ratione successores suos queat obligare.

§. 2. Circa primum quæritur, cum rex cives suos in contractibus læsos in integrum queat restituere, aut justis de causis à juramento absolvere, an idem quoque possit in seipso; ubi scilicet per dolum aut vim, vel ex lubrico ætatis cum altero damnose contraxerit, aut si alias in contractu enormiter læsus sit, aut si temerario juramento seipsum obstrinxerit. Ubi observandum, si isthæc quæstio ita crude, & uti verba jacent, accipiantur, eam contradictionem involvere. Nam restituere in integrum, absolvere à juramento, tales sunt actus, qui non solum in alium tendunt; sed & qui proficiuntur ab eo, qui potestate aliqua superiore est instructus in alterum, qui restituendus aut absolvendus est. Ergo quæstio ita potius exprimenda fuerit: si rex in obligatione aliqua contrahenda læsus fuerit, an postea læsione deprehensa, propriam per autoritatem possit declarare, obligatione illa sese ob adhærens ei vitium non teneri? Heic sciendum, quemadmodum qui in libertate naturali vivunt, nemini mortalium subiecti, suarum rerum ipsi sunt arbitri; ita si ab altero in pacto injuste lædantur, ipsi per se restitutionem aut supplementum exigere possunt, modo læsio & injuria sit manifesta. Nam ubi ea dubii quid habet, par fuerit per arbitros rem definiri. Igitur si rex, utpote naturali gaudens libertate, pacto suo inesse aliquod vitium deprehenderit, per seipsum alteri potest declarare, se ex vitioso illo pacto nolle teneri; neque necessum est, ut ab alio ejus relaxationem impetret, quod intrinseca sua natura ad obligationem & jus producendum est ineptum. Apud *Gramondum hist. Gall.* 1. 2. Ludovicus 13. asserit: *justam appellationem à rege in vinculis posito ad regem liberum esse.* Enimvero quia fieri potest, ut quis per malitiam ad fidem fallendam incitatus perfidiæ suæ vitium aliquod pacti prætexat; inde in civitatibus recte constituitur, quinam actus ipso jure pro invalidis & nullis sint habendi, aut super quibus cognitio & sententia judicis sit expectanda.

§. 3. Quod si autem regi sit negotium cum suis civibus, tunc de distinctis casibus distincte putaverim pronunciandum. Minorennitas regis

gis tam diu durare judicatur, quod regni administratio penes tutores est. Intra eam cum extraneis quidem ipse nihil contrahere potest. Sed si cum cive suo contraxerit, eoque deinceps contractu læsum se deprehendat; non adparet ratio, quare nec ipse legum beneficio frui dedeat, quod aliis indulget; cum alias deteriore conditione, quam privatus esset; nec propter ætatis infirmitatem præsumi potest, ipsum exceptioni minorennitatis valide renunciaffe. Pacta cum extraneis per tutores regios legitime inita rex sub obrentu minorennitatis post revocare non potest; quia alias nemo secure cum rege minorenni pacisci posset. Tutores tamen administrationis suæ rationem reddent. Sed nec ulla exceptio metus aut læsionis, dolivè valet contra capitulationes, circa quas cum regibus limitatis populus in delatione regis convenit. Quod si leges istæ nimis duræ videbantur, nemo erat, qui regnum suscipere cogeret. Nec præsumitur, populum aliquem adeo imprudentem esse, ut regem suum ejusmodi legibus velit adstringere, quæ summum imperium reddant mancum, aut velut immobile. Quo loco & illud obiter quæritur: an David potuerit retractare juramentum, quo Simeï, qui profugum conviciis infectatus fuerat, impunitatem promiserat? Id quod negandum. Nam neq; per vim metumvè, aut per imprudentiam juraverat rex, sed cauto potius consilio, ut tanto clementiæ specimine defectionis sibi conscius populus confidentius ad obsequium rediret. Et vero impunitas illa in se non erat illicita, poteratque delictum illud rex, utpote in suam personam commissum, citra cujusquam injuriam condonare. Verum an recte fecerit, quod in ultimis mandatis Salomonem super facinore isto monuerit, quidam dubitavere. Nos arbitramur Davidem nihil heic contra juramentum suum fecisse. Neque enim præcipiebat filio, ut ipse Simeï ob delictum plecteret; sed monebat duntaxat, ut hominem pravum, & familiæ suæ infestum caute observaret, ne res novas moliretur, & si quid flagitii de novo committeret, in venia danda non adeo facilis esset. Hinc Salomon ipsi præcepit, ut Hierosolymis sub oculis regis habitaret, nec rivum Cedron transiret, ne adspiciendo locum, in quo Davidi tam foede maledixerat, super impunitate sua gaudium conciperet. Verum divina providentia ita disposuit, ut leges tam faciles, abs sese quoque approbatas, violaret, ut justa foret occasio, condigno nequam hominem exitio tradendi.

Eccc cccc

§.4. Ob-

§. 4. Observandum deinde, ut ut reges, quando actus quosdam cum civibus suis exercent non ut reges, sed ut quisvis alii privati, præsumantur ob oculos habuisse leges civitatis positivas, quæ super validitate talium actuum extant: tamen cum ipsi sint superiores legibus civilibus, nulla necessitate stringuntur, ut omnino eas leges etiam in privatis actibus sequantur. Igitur si scientes volentesque contractum aliquem in-eant, qui alias per leges civiles invalidus erat; censentur contractum istum abs vi legum civilium, si qua est, exemisse, ex iisdem irritum non declarandum; cum alias nihil ab ipsis foret actum. De facto Philippi II. regis Hispaniarum, qui obtentu legum ære se alieno exsolutum ibat circa finem superioris seculi, videatur *Grotius histor. Belgica* l. V. Id tamen omnino admiserim, si in contractu enormem læsionem, quam ab initio non videbat, postea rexprehenderit; eum contractum ab ipso posse rescindi, aut saltem ad æquitatem reformari. Add. *Grot.* l. 2. c. 14. §. 2.

§. 5. Illud manifestum est, haut quidquam licere regi juramentum suum rescindere, valide conceptum, & cui nullum adhærebat vitium, eo tantum obtentu, quod quædam suorum subditorum juramenta eidem liceat rescindere. Nam quæ hoc modo rescinduntur, jam antea hanc conditionem in se habebant; nî superior noluerit. Atqui nullam posse contrahi obligationem, si quis suo arbitrio reservaverit facultatem non præstandi, in aprico est. Add. *Grotius d. l.* §. 3.

§. 6. Cæterum etsi promissâ ac pacta æque conscientiam regis, quam alicujus privati stringant: in eo tamen est diversitas inter obligationem regis & subditorum, quod iste facili negotio à subdito tergiversante debitum possit extorquere. Verum civi, quamdiu tali, nullum suppetit medium ab invito rege debitum extorquendi. Etsi nullus cordatus rex legitime contractum debitum solvere abnuet, qui cogitaverit, suam salutem atque eminentiam fide pactorum niti; ac indignum esse, si cui justitiæ asserendæ est ipse constitutus, eam ipse ultro proculcet. Quod si tamen reges ex contractu subditis adversus se actionem concedant in proprio tribunali, ista actio non tam jure civili, quam æquitate naturali nititur; quasi cognita sua obligatione non possint, quod debent, non velle præstare. Adeoque ejusmodi actione non id quæritur, ut rex cogatur ad solvendum debitum, sed ut subditus liquido ostendat, princi-

peira

pem ad id solvendum sese obligat. In ejusmodi autem iudicio merito debet obrinere illud Si simethræ apud *Heliodorum Æthiop.* l. X. τὰς ὑπεροχὰς ἢ δυνάμεις τὸ δίκαιον· ἀλλ' εἰς τὸ βασιλείων ἐπιτακείσθαι, ὅ τοις ἐυλογώτεροι· κρατῆρ. *Fastigia dignitatis non respicit æquitas: sed is regnat in iudicio, qui probabilitatibus vincit rationibus.*

§. 7. Id quoque contingere potest, ut subdito jus quæsitum ex contractu auferatur, in pœnam, vel ex vi domini eminentis; ut tamen heic necessitas reip. antecedit, & refusio de publico fieri debeat. Sicuti etiam ex causa solutio differri potest, ubi magna reip. necessitas pecuniam, privato alias solvendam, tantisper sibi impendi imperat. Ex quibus etiam adparet, quid de tabulis novis iudicandum sit; quæ Soloni vocabatur *Κεισύθηια*. Vid. *Plutarchus Solone. Cicero Offic. II. circa fin.*

§. 8. Porro ut adpareat, an & quatenus rex antecessor possit obligationem transmittere suo successori ex contractu privato; videndum prius est, an rex regnum suum habeat in patrimonio, an vero idem possideat jure velut usufructuario. Qui regi succedit, cui priori modo regnum tenetur, is ut in omnia ipsius bona, sic & in debita, & obligationes, quæ non ultimato in ipsius persona terminabantur, succedere censendus est. Circa debita autem regum, qui posteriori modo regna obtinent, *Grotius* l. 2. c. 14. §. 11. censet, ad ista exsolvenda non teneri successores *ἐμύτως*, & eo ipso, quod in locum alterius subeunt. Nam tales reges jus suum ad regnum non accipiunt ab eo, qui proxime decessit, sed ab ipso populo. Verum *ἐμύτως* & per interpositam civitatem etiam tales successores ex debito antecessorum obligantur, non quidem veluti pro se, sed tanquam capita civitatum, quam ultimato afficit debitum à rege tanquam istius capite contractum. Quod enim regibus competat facultas ipsam civitatem per debita obligandi, inde manifestum est, quod sæpe alia ratione necessitatibus reip. non possit succurri, quam ut ejusmodi debita contrahantur. Cum autem regi competat facultas civitatem administrandi & conservandi, etiam competent ipsi omnia media, sine quibus finis ille non potest obtineri. Neque tamen illa potestas obligandi civitatem in infinitum abit; sed tantum eousque, quoad probabilem rationem debitum contrahendi rex habuerit. Neque enim ad eas angustias redigendus est rex, ut non nisi illa debita in civitatem devolvere possit, quæ actu in utilitatem civitatis cesserunt; (licet municipales magistratus

huc adstringi possint; vid. l. 27. D. *de rebus creditis*:) sed sufficit si probabilem rationem facti sui habuerit, licet fors præter spem eventu destitutus fuerit. Vid. l. 12. C. *de transact.* Sic igitur contractus regum obligabunt civitatem, qui non manifeste absurdi aut iniqui sunt; et si in dubio pro ratione regis præsumitur. Adeoque ex illis etiam successores tenebuntur, quatenus capita civitatum. Quin & ipse populus tenebitur, si rege sublato, sui juris esse cœperit. Nam & si quid populus antea liber contraxisset, obligaretur & is, quem postea populus etiam plenissimo jure constituisset. Atque hoc modo isthanc quæstionem definire melius est, quam adhibita distinctione inter læsionem modicam, & magnam. Nam in administratione rerum civilium longe æquius est probabilem rationem, quam exitum spectare; cum etiam prudentissime cogitata improvisus casus soleat intercipere.

§. 9. Ist hæc, quæ de contractibus regum dicta sunt, etiam ad donationes eorum adplicari debent; ut nempe illæ à successoribus revocari nequeant, siquidem probabilem rationem habuerint. Vid. *Svetonius Titus* c. 8. *Plinius l. X. epist. 66. Gratianus caus. 25. quæst. 1. c. 15.* Contra Galba largitiones à Nerone factas repetere instituit, decima tantum liberalitatis parte apud quemque relicta. *Svetonius Galba* cap. 15. *Tacit. H. l. 1.* Et apud eundem *H. l. 3.* ridentur Vitellii remp. lacerantis donationes, *quæ neq. dari neque accipi salva rep. poterant.* Sic Senatus rursus vectigales jusserat civitates, quas Sulla pecunia accepta immunes fecerat. Quod tamen improbat *Cicero Off. 3.* Et sane videtur, pecuniam ipsis fuisse restituendam, siquidem ea in publicos usus impensâ fuerat. Sic etiam *Basilius Macedo*, cum antecessor ipsius *Michaël* omnem pecuniam publicam dissipasset, decrevit, *ut qui nulla probabili de causa pecuniam accepissent, eam, ut saltem ejus semissem restituerent,* apud *Zonaram in Basilio Macedone.* Add. *Hieron. Orosius de reb. gest. Eman. l. 1.* ubi de donationibus regis *Joannis*, morte instante factis, agit. Quanquam & circa ejusmodi donationes observandum, de quonam factæ sint. Si de suo rex donavit, plane irrevocabilis donatio erit. Sin de fructibus bonorum facta donatio fuerit, quorum administratio penes regem erat; spectandum omnino, an ea rationem, modumque habuerit. Nam uti nemo negaverit, quin ex arario bene meritis aut merentibus donare quid possit, prout opes reip. ferunt: ita si in homines nauci, atque inutiles immodica pecunia sit profusa, arariumq;

per ambitionem exhaustum, satius credo fuerit, inde revocari, unde publicæ egestatis causa. Add. *Bæcler. ad Grot. l. 1. p. m. 107. Grotius d. l. §. 12.* Non insuper quoque habendum, quod de Ferdinando Arragonio refert *Laurentius Valla de rebus gestis ejus Regis l. 3. In patrimonio regali tuendo tenax: quod qui alienarent, aiebat, inimicos potius parare sibi, quam amicos, quia ex subditis illos quosdam regulos facerent, semper sollicitos ac suspicantes, eorum jura licentiamque iri deminutum.* Eadem quoque adplicari poterunt ad privilegia & immunitates, ut nempe inspiciatur, an & ipsa rationem atque modum habuerint, & an cum salute civitatis consistere possint. Nam quin hæc pluris esse debeat, quam inconsulta regis facilitas, dubium non est. Sicuti & alias ejusmodi privilegia, quatenus ad onerandos reliquos cives pertinent, strictè interpretanda sunt. *Conf. l. 1. §. 10. 16. D. ne quid in loco publico, & oratio Demosthenis adversus Leptinem.* Apud *Appianum Alexandr. Iberico* cum Romanis tributa & militiam exigentibus Celtiberi privilegia ab ipsis Romanis concessa opponerent; additur: *Et ita se res habebat. Sed cum Senatus ejusmodi privilegia alicui indulget, semper hanc addit exceptionem: νεείας ίριδξ μίχεται άύτιήρη τή δήμου δουή. valitura, quamdiu sibi populoque Romano fibuerit.* Apud *Guicciardinum hist. l. 7.* Ludovicus rex, Genuensibus rebellibus devictis, annullavit omnes conventiones inter ipsum, & eam civitatem initas: sed tamen eadem omnia iterum concessit, tanquam privilegia, non tanquam pacta; *ut semper foret in sua potestate istis eandem privare.* Quod tamen circa quævis privilegia procedere non crediderim; sed illa tantum, quæ non nisi vim precarii obtinent.

CAPUT XI.

QVIBVS MODIS CIVIS ESSE QVIS DESINAT.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Civis quis esse desinit, rege sine successore mortuo.</p> <p>2. Item, si quis migret.</p> <p>3. Quid in migratione observandum?</p> <p>4. An gregatim possit discedi.</p> <p>5. An licitum sit simulare transfugam?</p> | <p>6. An civitas possit expellere civem pro lubitu?</p> <p>7. De exilio.</p> <p>8. Civitas amittitur per vim hostilem.</p> <p>9. An deditus, nec receptus, civis maneat?</p> |
|---|--|

Eccc cccc 3

Inter

INter modos, quibus aliquis civis esse definit, à nonnullis & iste numeratur, si rex sine omni hærede & successore moriatur, aut regnum habere cœperit pro derelicto. Tūc enim singulos in libertatem naturalem abire. Sed cum planum sit regnum ejusmodi casu non penitus dissolvi, sed in formam interregni recidere; igitur perit quidē tunc obligatio civium adversus regem, qui nullus amplius existit, ita tamen ut primævo adhuc civitatum pacto inter se cives conjuncti maneant.

§. 2. Illud frequentissimum est, ut quis sponte, permittente sua civitate, in aliam civitatem concedat, sedem ibi fortunarum fixurus. Istæ hæc spontanea migratio quousque civibus sit permissa, ex modis, quibus aliquis in civitatem sit receptus, colligitur. Quidam enim justo bello victi, aut extrema necessitate adacti in civitatis alicujus ditionem concedunt: qui quanta hæc libertate gaudeant, ex legibus civitatis est cognoscendum. At si quis liber homo, qui vel nullius imperio ante subjectus fuit, uti prisca illi patresfamilias, vel eo, quo antea tenebatur, jam solutus, sponte sese alicui civitati adjunxerit; itidem ex statutis ejus civitatis erit judicandum, quidnam circa migrationem libertatis ipsi sit relictum. Dantur enim civitates, ex quibus citra expressum earundem consensum migrare non licet. Alicubi certo onere ea licentia est redimenda; puta summa aliqua pecuniæ, aut aliqua bonorum portione. De Argivis *Ovidius metam. l. XV. Prohibent discedere leges, Pœnaque mors posita est patriam mutare volenti.* Ubi autem circa eam rem nullæ extiterint leges, quid liceat, ex consuetudine aut ex natura subjectionis civilis colligendum. Quæ consuetudo admittit, eorum licentiam quilibet civis habere censetur. Si neque hæc præluceat, & in subjectionis pacto in neutram partem ea de re mentio sit facta: magis est, ut licentiam pro arbitrio migrandi liber sibi homo reservasse intelligatur; utque adeo *mundanum* se potius cum Socrate quam glebæ certæ adscriptum ferre velit. *Valerius Flaccus l. 7. Omnibus hunc communem animantibus orbem, Communes & crede deos; patriam inde vocato, Quæ redit itque dies: nec nos dIs nata malignis Cluserit hoc uno semper sub frigore messis, Fas mihi non habiles, & fas tibi linguere Colchos.* Qui enim civitati se adjungit, ille cura sui ac rerum suarum haut quidquam sese abdicat; sed id potius agit, ut insignæ sibi firmamentum circumponat. Quia tamen sæpe contingit, ut publicum regimen privatis alicujus rationibus parum expediat, aut alibi commodius iisdem queat prospicere & vero

postulari nequit, ut ad unius aut paucorum lubitum resp: reformetur: proximum erit, ut ipsis sit concessum per migrationem rebus suis consulere. *Cicero Tusc. Quast. l. 5. Demaratus Torquini regis pater tyr. annum Cypsellum quod ferre non poterat, fugit Turquinius Corintho, & ibi suas fortunas constituit. Num stulte anteposuit exilii libertatem domesticae servituti? Add. Diodorus Siculus l. 1. c. 67. Aliis, ut dotes animi exferant, sua civitas campum non præbet. In quos cadit illud Statii Sylvar. l. 1. Vidi ego transfertos alieno in robore ramos Altius ire suos. Alii experiuntur illud: ἕδεις ἀποφάνης ἀνδρὸς ἐν ᾧ πατρίδι ἀνδρῶ. Nullus Propheta est acceptus in patria sua; quod livore tuncant ignavi oculi, cum virtute supra se evectos sentiunt, quos quondam in æquo, aut infra viderunt. Vel etiam quia, ut Lacydes agebat apud Diogenem Laërtium l. 4. τὰς εἰκόνας πρὸς ἑαυτὸν δὲ διαγεῖσθαι, procul spectari imagines oportet; quia minuit presentia famam. Talibus licentiam migrandi denegare velle, idem foret atque liberis hominibus imperare, ut supra parentum suorum conditionem nunquam adspirare audeant. Sed & ipsæ civitates ex hac migrandi licentia commodum sentire possunt. adscitis aliunde egregiis viris. Cicero pro Balbo: jure nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cujus esse se civitatis velit. Et mox: multi etiam superiore memoria cives Romani sua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis, alias se in civitates contulerunt. Et ex omnibus civitatibus via est in nostram, nostrisque civibus patet iter ad ceteras civitates. Idque jus amplissimis verbis extollit: O jura præclara, inquit, atque divinitus jam inde à principio Romani nominis à majoribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, ne vè in civitate maneat invitus. Hac sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris & retinendi & dimittendi esse dominum. Add. l. 12. §. 9. D. de capt. & postlim. & Grot. l. 2. c. 5. §. 24. Neque obstat, quod patres familias, qui initio civitatem constitutum iverunt, pacto intelligantur singuli singulos obstrinxisse, quod ipsi suas vires in commune velint conjungere. Nam etiam aliis societatibus renunciare potest socius, si id fiat citra dolum malum, non intempestive & in fraudem cæterorum, præsertim si ad certum tempus societas non sit contracta. Quanquam & ideo multæ civitates parum curent, an sui cives migrent, quod multitudine hominum laborent, & potius circa eam minuendam sint sollicitæ.*

§. 3. Ista tamen migraturo ex debito aut decore observanda sunt, ut, cum civitatis plerunque intersit nosse civium numerum, indicet de suo discessu. Nisi forte certis ex argumentis colligat, civitatis nihil interesse, gnara ipsa, an inscia quis discedat. Illis autem utique expresso civitatis consensu opus est, qui ad peculiare munus, præsertim ad certum tempus, sese obstrinxere; puta qui legationem obeunt, qui in expeditione versantur, aut alio in munere, quod ex singulari pacto fuit susceptum. Sed & tempestive debet fieri discessus, & quando civitatis non peculiariter interest, ne is fiat. Quam in rem hæc adfert exempla *Grotius d. l. Si magnum sit contractum as alienum, nisi paratus sit civis in præsens partem suam exsolvere. Item si fiducia multitudinis aut virtutis certorum civium bellum sit susceptum, præsertim si obsidio imminet; nisi paratus sit civis ille aliam aque idoneum substituere, qui temp. defendat. Vid. Lycurgi oratio contra Leocratem. Nec bonos cives dixeris, in quos adplicari queat illud Horatii l. 1. od. 35. diffugiunt cadis Cum fece siccatis amici, Ferre jugum pariter dolosi.* Id autem probe observandum, vocabulum migrandi ita heic accipi, ut quis alicujus civitatis fines & territorium excedat; non ut imperio civitatis in se renunciare velit, & nihilominus intra ejusdem territorium domicilium habere. Quæ enim certis finibus ditionem suam circumscripta civitas, censetur simul prohibere, ne quis ipsa invita domicilium ibi habeat, qui ejus imperium nolit agnoscere. Quo loco & illud observandum, spurium esse modum obligatione suæ civitatis sese exsolvendi, qui olim Hispaniæ Proceribus frequentabatur, ut publicis tabulis patriæ renunciarent, & in alia loca se conferrent. Quo facto credebant, nefas sibi non esse, arma Regi patriæque suæ inferre, nec eo nomine majestatis postulari se posse. Vid. *Mariana de reb. Hispan. l. 13. cap. 11.* Ex hætenus dictis etiam colligi potest, quam efficaciam habeant mandata avocatoria, queis indigenas ab exterorum ministeriis abstrahere vult civitas. Scilicet si ex civitate, in qua promiscue jus emigrandi usurpatur, aliquis nullo peculiari vinculo adstrictus in aliam civitatem fortunarum sedem transtulerit, in eum nihil amplius juris habet antiqua civitas; adeoque nihil agit, si vel maxime dispendium famæ non parituro minetur. Ast in illum adhuc civitati jus manet, qui vel contra ipsius leges migravit, vel peculiari vinculo fuit obstrictus, vel bona adhuc præsertim immobilia sub ipsius ditione possidet, vel denique peregrinandi duntaxat causâ, reservato sibi civitatis jure, abest. Quo loco etiam obiter

obiter memoranda lex Solonis apud *Plutarchum* in ipsius vita: qua recipi civitate vetat, nisi qui sint in perpetuum exilium patria sua exacti, aut cum toto domicilio Athenas artis sua exercenda gratia commigraverint. Quod statuisse ferunt eum non tam summovendorum causa alienigenarum, quam invitandorum Athenas spe certa in communicationes se venturas civitatis, simul fidos existimans fore hos, quod consulto, illos quod coacti patriam suam repudiassent. Cæterum cum in eum, qui semel vinculo civili liberatus est, civitas nihil potestatis retineat, in aprico est, istum, si à nova sua civitate, in quam se contulit, ad veterem civitatem tanquam legatus mittatur, omnino privilegiis legatorum frui, inter quæ præcipuum est, ut exemptus sit à jurisdictione ejus, ad quem mittitur. Nam si quis veterem civem tali honore dignari non velit, admissionem istius detrectare potest. Quod eousque videtur extendendum, ut si civis sciente sua civitate alteri civitati fidem suam addixerit circa hujus negotia ibidem sub charactere legati & ministri publici expedienda, ista eidem obligationem civicam remisisse intelligatur; cum duæ obligationes ejusmodi indolis in uno subjecto hæere nequeant. Eoque talis ex eo tempore in patria sua, quam fictione quadam mutasse judicatur, utique juribus & privilegiis legatorum fruatur.

§. 4. Gregatim tamen non posse discedi *Grotius d. l.* asserit ex ea ratione, quia hoc concesso, civilis, societas non possit subsistere. In moralibus autem necessarium judicari, citra quod finis aliquis obtineri nequit; & fieri non posse, quod eundem intercipit aut destruit. Add. *Livius* l. 41. c. 8. 9. Quæ tamen sententia dubio non caret. Si enim singulis licet pro arbitrio migrare, cur non idem liceat pluribus, quibus sedem fortunarum eodem tempore transferre commodum est; modo nihil eorum, quæ supra monuimus, obstat. Nec ad rem facit, quod hoc modo civitas debilitetur. Nam qui jus non habet me invitum retinendi, illi non fit injuria, si futurum aliquod commodum, nondum debitum, meo discessu ipsi intercipiatur. Neque vero necessarium est, ut hæc civitas tot myriades civium habeat, aut vicinis semper sit formidanda: non magis, quam ut hic vel ille privatus tot millia possideat, quorum utrique tamen per media illicita nihil subtrahendum. Unde etiam *Grotii* argumento parum roboris inesse videtur.

F f f f f f

Licet

Licet enim hæc vel illa civitas per migrationem civium gregatim factam insigniter debilitetur, aut demum plane desoletur: non tamen ideo societas civilis inter homines penitus tollitur. Sed unius corruptio alterius est generatio; unius decremента alteri incremento cedunt. Natura quippe civiles esse societates in genere humano jam multiplicato voluit; sed ut hæc vel illa civitas perpetua, florensque subsisteret, nusquam iussit. Sic Babylon per Seleuciam, hæc per Ctesiphontem exhausta fuit. *Plin. N. H. l. 6. c. 26.* Si qui tamen gregatim discedere velint, illis itidem, uti singulis, territorium civitatis est relinquendum. Alias enim summa imperiorum confusio foret, si liceret integris urbibus aut regionibus pro lubitu à civitatis suæ imperio sese subtrahere, & aut alteri se subicere, aut peculiarem deinceps remp. constituere.

§. 5. Quo loco etiam illa quaestio est examinanda, an probandi sint illi, qui transfugas se simulant, ut hac ratione grave damnum illis concilient, ad quos confugiunt, in usum suæ civitatis? Equidem imprudentiæ notam non effugiunt, qui ejusmodi hominibus temere fidem adhibent. Vid. *1. Samuel. xxix. 4.* Nec valde reprehendas illos, qui proditoribus post præstitam operam dignum imposuere supplicium. Vid. *Papiscum Aureliano. c. 23.* Nequaquam tamen alterum honeste possum fallere ideo tantum, quia infidiis meis facilem sese præbet. Nec debere aliquem suo scelere civitati inservire, supra ostensum. Quin autem scelus sit, fidem dare, ut ea violata, occasionem gravius nocendi nanciscare, extra dubium est. Et execranda semper bonis visa est vox Lylandri sive Philippi, *pueros talis fallendos, viros jurejurando.* Vid. *Ælian. V. H. l. 7. c. 17.* Si igitur expresse ejusmodi transfuga fidem dederit, sine scelere non poterit eam violare, ut iis, quos deseruit, serio aut simulate, utile aliquod officium exhibeat. Quod si autem aliquis regerat: cum is, ad quem transfuga se contulit, nosset, hunc ipsi sine scelere non posse operam aliquam præstare, neque ad scelus patrandum aliquem se valide potuisse obligare, adeoque fidem à transfuga datam esse nullam; ergo ipsi non fieri injuriam, si, dum rei inani confidit, deceptus fuit. Hæc non opusest, ut inquiramus, peccet aliquis utendo opera transfugarum, an non. Neque enim sequitur: ego utendo alicujus opera pecco: ergo ille eo ipso jus habet mihi noxam inferendi. Uti non sequitur: qui sicari-

rium.

rium conducit ad alterum confodiendum, non minus quam ipse sicarius peccat: ergo sicarius recte in conductorem suum ferrum convertere potest. Etsi communis sit sententia, quod *transfugam jure belli recipiamus*, in l. 51. D. de *adquir. rer. dom.* i. e. quod contra jus belli non sit cum admittere, qui desertis hostium partibus, nostras eligit; uti illam legem explicant *Cujacius Obs.* l. 4. c. 9. & *Grotius* l. 3. c. 1. §. 22. Quod tamen an de externo jure belli, quod *Grotius* vocat, an de interno, quod ad legem naturæ examussim congruit, sit capiendum, non immerito dubites. Sane si quis plenam licentiam adhibendi operam transfugarum defendere velit, putaverim, ipsum non tam hoc argumento niti debere, quod etiam Deus diaboli & impiorum parata opera utatur; quam favore justorum armorum, quæ geruntur repellendis alterius injuriis, aut consequendo juri nostro. Ob quem favorem non videtur justo bellatori curiose inquirendum, utrum illi, qui hostilem statum adversus ipsum exuerunt, honestis an inhonestis causis fuerint moti. Adeoque cum præsumere possit, justis de causis eos priores partes deseruisse, tanquam ex approbatione injusti transfugii reatum non contrahet. Quidquid tamen hujus sit, illud in aprico est, nefas esse fidem inter instrumenta fallendi disponere. Deinde patet, fidem ejusmodi transfugæ, qui citra justam causam partes se suas deseruisse fert, inanem esse; utpote quæ tendit ad scelus faciendum, aut continuandum; adeoque valde imprudenter agere, qui in ista aliquid fiduciæ collocat. Inde plerunque transfugæ, qui aliquo numero esse cupiunt apud receptatores suos, quivè nocendi occasionem simulatione transfugii aucupantur, præ se ferunt, intolerandis se injuriis adactos, ut hac ratione salutis suæ consultum irent. Sic quis ignorat, qua ratione sibi Zopyrus apud Babylonios, Sex. Tarquinius apud Gabinos fidem conciliaverit? Sic qui M. Crassum in patentia camporum traxit Mezeras Syrus, uti *Floro* vocatur, aut Abarus Arabs, uti *Appiano*, aut Ariannes, uti *Plutarcho*, Pompeji in se benevolentiam & beneficia extollendo, de studio suo in Romanas partes infelici fidem fecit. Maro quam graphice describit astum Sinonis, ut ab imprudentiæ labe Trojanos purget! Fingit iste, se invisum fuisse Ulyssi, de quo nulla non fraus credi poterat, & cujus odium commendationis instar apud Trojanos habebat. Odiî causam arcessit à nece Palamedis, ideo occisi, quia bella vetabat.

Se aris destinatum dicit non oraculo deorum, ne videretur se victimam pro salute civium voluisse subtrahere, sed mendacio Calchantis, ab Ulyse subornati, & temeraria cæterorum adprobatione. Quæ utique tam atrox sit injuria, ut recte dicere possit: *patria teneor neque legibus ullis*. Et tamen veterator deos, & omni sacra prius testatur, ut *fas sibi sit odisse viros*, jam quidem injuste infensos, quondam tamen cives. Nec id tamen plene iisdem persuasit, priusquam ostento dicta ejusdem firmata viderentur. Recte quoque apud *Livium* l. 22. c. 22. dicitur, *transfugam sine magna rei prodicione venientem ad hostes, nihil aliud quam unum vile atq; infame corpus esse*. Add. oratio Indibilis apud *Eundem* l. 27. c. 17: Et Cn. Marcii ad Volscos apud *Dionysium Halicarn.* l. 8. Segestis apud *Tacitum* A. l. *neque odiopatria, (quippe proditores etiam iis, quos anteponunt, invisit sunt,) verum quia Romanis Germanisque idem conducere, & pacem, quam bellum probabam.* *Ammianus Marcellinus* l. 18. c. 11. in fine. Sub transfugarum autem numerum non veniunt, qui recte ad hostes abeunt, quo improvisam aliquam cladem istis inferant, neque fidem dant, quod ipsorum partes sint secuturi. Neque censendi sunt tacite fidem dedisse, quod nihil inimici sint tentaturi in statum hostium, eo ipso, quia intra præsidia hostium versantur. Ejusmodi enim tacita fides præsumitur de eo, qui ad alterum venit pacis, non qui belli tempore.

§. 6. Porro & hoc quæritur: an non civitas ex adverso pro suo arbitrio civem possit expellere invitum, nullo antegresso delicto? Equidem *Cicero* d. l. inter fundamenta libertatis posuit, *ne quis invitus civitate mutetur*. Neque ideo heic deterior fit conditio civitatis, quam singulorum civium, quod hi pro lubitu migrare possint; illa invitos pellere nequeat. Qui enim in civitatem aliquam concedit, utique omnes suas rationes, saltem in præsens, eidem velut illigat, quas turbari aut everti necessum foret, si quolibet tempore posset expelli. Quod cum sit summe odiosum, inde civis hoc quoque abs civitate velut stipulari intelligitur, ne invitus præter meritum possit ejici. Sed contra civitas fortunas suas & incolumitatem uni alterivè vulgari civi non superstruxit, adeoque nihil aut parum ipsius interest, si is pro lubitu demigret. Ubi enim in aliquo eximio cive magnam collocarit fiduciam civitas, solet eundem peculiaribus pactis adstringere, ne pro lubitu discedere amplius possit. Nec.

Nec invidendum est, plusculum heic licet civi, quam civitati. Nam ubi ille ad arbitrium civitatis sese non composuerit, facile potest in ordinem redigi. Civi autem si administratio reip. displicuerit, nihil aliud relictum, quam patientia aut emigratio. Solet nihilominus à civitatibus usurpari medium minus odiosum amolendi cives suspectos, aut supervacuos, & multitudine prægraves, quo cæteris laxior locus fiat; ut nempe eos in colonias transcribant. Etsi plerunque volentibus hoc fit, dum lautiores conditiones in coloniis sperant, qui domi cum inopia conflictabantur, aut ipsi ex oculis civitatis, cui invisi sunt, sese subtrahere gaudent. Sic *Isocrates orat. ad Philippum* huic suadet, ut in Asia urbes condant, & in iis collocet, qui nunc obrerum egestatem oberrant, & obviamque infestant. Verbo, urbium purgamenta. Quodidem ab Atheniensibus factum in *Panathenaico* commendat. Add. *Baco sermon. fidel.* c. 33. De more autem illo, multis barbaris atque Græcis recepto, juventutem Deo cuiquam sacram emittendi ad quærendas novas sedes, luculenter tradit *Dionysius Halicarn.* l. 1. *Idem* l. 2. scribit, Aborigines fuisse talem juventutem, diis consecratam more patrio, ad quærendas sedes, quasunque fortuna obtulisset, à parentibus missam. Sic *Plinius* l. 3. c. 13. Picentes ortos dicit à *Sabinis*, voto fere sacro. Et *Strabo* l. V. Samnites simili ratione à *Sabinis* ortos memorat. Adde *Justinum* l. 24. c. 4. & *Festum*, in *ver sacrum* & in *Mamertini*. *Livium* l. 34. c. 44. Quomodo *Lydus* & *Tyrrhenus*, urgente frugum sterilitate fortiti sint, uter cum parte multitudinis patria decederet, videatur apud *Vellejum Paterc.* l. 1. c. 1. *Dionysium Halicarn.* l. 1. *Strabonem* l. V. Paria de Scandinaviæ populis memorat *Paulus Warnefridus de gestis Longobardor.* l. 1. c. 2. Possunt autem & solent coloniarum diverso modo deduci. Vel enim manent pars civitatis, unde emittuntur; vel civitati matri reverentiam exhibere, ejusque majestatem comiter conservare deinceps tenentur, adeoque velut inæquali fœdere junguntur, vel denique pari jure cum metropoli agunt. Add. *Garcilassus de la Vega Comment. Reg.* l. VII. c. 1.

§. 7. Inviti cives esse desinunt, qui ob crimen verum aut per calumniam intentatum civitate ejiciuntur. Dum enim civitas aliquem pro membro suo non amplius vult agnoscere, & finibus suis expellit, remittit ipsi obligationem, qua antea tanquam civis tenebatur. Quo ipso

Ffffff 3.

illi

illi sit facultas ubicunque possit sedem sibi novam constituendi, nec civitati in ejusmodi exules quid jurisdictionis remanet. Inde apud *Euripidem Heraclidis* v. 185. Iolaus negat Argivis fas esse ipsos Athenis abducere, quippe qui in exilium ab istis ejecti sint. Est autem in exilium eijci ob factum crimen gravis injuria, (etli adversus istam viro forti solatia non desint. Vid. *Stobæus serm.* 38.) ob verum, gravis poena; sic ut morte gravius id judicet *Philo Judeus de Abrahamo*. Si enim vel maxime salva relinquuntur bona, aliò tamen ea transferre molestum est; nec minus acerbum à necessitudinibus abstrahi: & ignominia plenum, indignum fuisse judicatum, cui in civitate locus concederetur. Add. *Oppianus Halievt.* l. 1. v. 274. seqq. Penitus enim effrontem esse oportet, in quem dici queat illud *Juvenalis sat.* 1. *Hic damnatus inani ludicio, (quid enim salvus infamia nummis?) Exul ab octava Marius bibit, & fruitur diis Iratis.* Nec est quod aliquem moveat illud *Ciceronis pro Caccina: Exilium non supplicium est, sed per fugium portusque supplicii. Nam qui volunt poenam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertant, hoc est, sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras civitates, maleficcium ullum exilio esse multatum. Sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, qua sunt legibus constituta; confugiunt quasi ad aram in exilium. Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur his civitas, sed ab his relinquuntur atque deponitur.* Add. *Polybius* l. VI. c. 12. Scilicet hoc est ex peculiari ratione antiqui juris Romani, per quod invito non poterat civitas adimi. *Cicero pro domo sua: hoc jus à majoribus proditum, ut nemo civis Romanus civitatem possit amittere, nisi ipse autor factus sit. Quo minus autem à magistratibus togatis civi capitalia supplicia injussu populi irrogarentur, leges Porciae & Semproniae prohibebant. Ne tamen delicta impunita manerent, & nihilominus nemo invitus civitate ejectus videretur, voluerunt credi, exilium sponte à civibus suscipi declinandæ poenæ causa. (contrarium plane institutum apud Æthiopes memorat *Diodorus Siculus* l. 3. c. 5.) Apud *Salustium Catilin.* Cæsar: *aliae leges condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent.* Et iterum: *exilium damnatis permittitur.* Necessitatem tamen soli vertendi satis inuebant, quando capitalium criminum damnatis aqua & igni interdice-*

bant,

bant, seu ne iis intra ditionem populi Romani uterentur. Et si circa irrogationem exilii cavendum est, ne ex illa in civitatem damnum redundet, dum qui civitate expellitur, in hostem abire potest. Unde quibusdam populis poena exilii non usurpatur, puta Turcis, Moscovitis, & quondam Judæis, licet ex alia ratione, ne jacturam simul faceret religionis. Mitior poena est relegatio, per quam jus civitatis non amittitur, sed tantum in certo loco necessarium quis domicilium habere, aut certa civitatis parte abstinere jubetur. Quod posterius quibus injunctum, apud Romanos proprie *interdicti* vocabantur. Vid. *Briffonius select. antiq.* l. 3. c. 5. *Anton. Matthæus de crimin. ad tit. de poena c. l. §. 6. 10.* Aliquando tamen non absurde applicari potest illud Diogenis, cum quidam ipsi diceret; *Σινωπεῖς ἐν Φυγῆν κερταροῦσαν*, *Sinopenfes exilio te multarunt*, reponebat iste, *ἐγὼ δὲ ἐν ἐκείνῳ μόνῳ*, *ego autem illos mansione.*

§. 8. Alio modo civitatem non lubens quis mutat, quando vi hostili subactus alterius se imperio subjicit, tanquam civem & subditum, sive simul sedem mutet, sive non. Id quod non singulis modo civibus, saltem qui non alio quam communi civium vinculo tenentur, sed & integris urbibus, ac provinciis licere, quando alia salutis expediendæ via non adparet, in confesso est. Vid. *Grotius* l. 2. c. 6. §. 5.

§. 9. Solet & illud contingere, ut civis abs sua civitate propter injuriam alteri civitati illatam eidem dedatur, ne illa ob istud factum causam belli contra se præbeat. Vid. *Herodotus Calliope*, ubi de Timegenide & Attagino narrat, qui autores fuerant Thebanis, ut Persis sese adjuungerent. Ubi quæstio oritur: an qui à sua civitate deditur, nec ab altera receptus sit, in illa civis maneat, nec ne? Propouitur hæc quæstio in l. 17. D. *de legationibus*. Non manere censebat P. Mutius, quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate videatur expulisse, sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret. Eadem quæstio quoque magna contentione fuit agitata circa Mancinum, qui Numantinis deditus, ab iis receptus non fuit. Quem dein senatū intrare volentem tribunus plebis Rutilius prohibuit, obtendens, quo tempore pater patratu, ad solvendam religionem civitatē, hostibus ipsum populi Romani dederit, civē eum Romanū esse desillē. Plures tamē in mitiorē sententiā inclinabant, hoc inter alia usi argumento: nihil videri traditū esse, quod ab eo, cui traderetur, receptū non foret.

Nobis

Nobis super ea controversia ita videtur: civitatem læsam in alienum civem habuisse jus bello ipsum persequendi. Sed per deditioem eum sic subjici alienæ civitati, ut tanquam de proprio cive possit supplicium sumi. Qui ubi receptus fuit, priori civitati omne jus in ipsum perit, quia illa volente sub alterius civitatis imperium pervenit. Ubi autem deditus receptus non est, licebit civitati dediti istum vel plane ejicere, vel pro ratione delicti punire. Ubi tamen neutrum horum contigit, censetur non amisisse jus civitatis. Quia deditio in se est tantum oblatio juris illius, quod civitas habet in suum civem, facta alteri civitati, non autem pura abdicatio & renunciatio. Adeoque deditio in se non privat aliquem jure civitatis, nisi forte per expressam legem sit constitutum, ut qui talem in casum provenerit, eo ipso civitate excidisse sit censendus. Facit huc illud *Ciceronis pro Cæcina*. *Civis, quem pater patratuſ dedit, si non est ab hoste receptus, retinet integram causam, & jus civitatis.* Ex dictis etiam illud colligitur, si deditio sit accepta, & postea casu aliquo in patriam reversus fuerit is, qui deditus erat, eum civem non futurum, nisi ex novo beneficio. Vid. l. 4. D. *de captiv. & postlim.* Nam jus postliminii illis tantum prodest, qui sua civitate in vita in aliorum potestatem venerunt, non quos ipsa civitas ultro in aliorum potestatem tradidit.

CAPUT XII.

DE MUTATIONE ET INTERITU
CIVITATUM.

- | | |
|--|---|
| 1. <i>Multa forma reip. idem manet populus.</i> | 5. <i>Quid si ex una civitate plures fiant?</i> |
| 2. <i>Debita civitatis per mutationem non tolluntur.</i> | 6. <i>Quid si plures civitates uniantur?</i> |
| 3. <i>Acta invasoris quatenus eo depulso consistant.</i> | 7. <i>Populi quatenus aterni.</i> |
| 4. <i>Quem civitas post mutationem locum obtineat?</i> | 8. <i>Quomodo materiale populi pereat?</i> |
| | 9. <i>Quomodo formale?</i> |

Muta-

Mutationes in civitate triplici modo contingunt, vel ut civitas maneat eadē, vel ut non amplius sit eadem, vel ut civitas esse plane desinat. Primi generis mutatio accidit, mutata civitatis forma; puta si regnū migret in aristocratiam, aut si ex democratia & aristocratia fiat regnum. Heic enim forma civitatis essentialis manet; mutatur duntaxat illa forma, quæ ex subjecto proprio summi imperii resultat. Unde & idē est populus sive à rege, sive ab Optimatibus, sive populariter regatur. Quin etsi contingat, ut populus antea liber sub regis alicujus ditionem bello ita perveniat, ut deinceps in ejus patrimonio sit, non ideo idem desinit esse populus, modo rex victor populum subjectum tanquam peculiare regnū in posterum velit regere, non autem tanquam provinciam alteri populo eundem annectere. Cum enim is sit populus, qui complexu suo summum imperium continet; ideo quantum ad naturam populi nihil inter est, pleno an minus pleno jure imperium rex obtineat: utrovis enim modo unius & ejusdem corporis caput est.

§. 2. Ex dictis resolvenda est quæstio ab *Aristotele polit.* l. 3. c. 1. & 2. proposita: si civitas ex tyrannide aut oligarchia in libertatem & populare imperium pervenerit, an tum *συμβόλαια*, pacta conventa, ut & alia acta tyranni & oligarchicorum servare oporteat civitatem liberam? Qui negabant, hisce rationibus utebantur; quod, quæ tyrannus aut pauci illi egerint, non egerit civitas, quæ tantum ex facto suo obligatur. Et quod civitas sit, ubi ad communem omnia utilitatem referuntur, ubi aliter fiat, non jus, non nomen reip. sed vim solam & potestatem superesse. Quæ ratio sine dubio frivola est. Nam ne illa nunc proferamus, quæ supra de tyranno tradita sunt, etiam morbidum caput, caput est; & quæ à morbo licet capite aguntur, ipsa civitas egisse censetur. Et quis morbo laborantem civitatem ex classe civitatum excludere velit? Agitabatur quondam hæc controversia apud Athenienses ex tali occasione. Triginta illi viri, qui Athenis rerum potiebantur, pecunias mutuo à Lacedæmoniis publico nomine sumserant. His ejectis, Lacedæmonii Athenienses jam liberos pecuniam repositabant. Ubi prævaluit sententia eorum, qui debitum illud de communi civitatis dissolvi æquum & concordie proficuum putabant. De quo facto ita judicat *Demosthenes contra Leptinen:*

Gggg gggg

φαι

Φασὶ τὸν δῆμον εἶλεθ' συνασπίζουσαν αὐτὸν καὶ μετασχεῖν τῆς δαπάνης, ὥστε μὴ λύσαι δημο-
 λογομήτωρ μηδὲν. *Ferunt populum maluisse per se conferre impensas, quam de pa-*
Et is conventis quidquam non impleri. Et mox Athenienses alloquens: *Et*
etiam quidem etiam illis, qui injurii in vos fuerunt, pecunias illas conferre volu-
istis, ne quid de rerum conventarum fide deperiret. Idem factum tangit *Ifo-*
crates in Areopagitico. Quin ne quidem si in formam provinciae redacta
 civitas esse desinat, quod antea pecuniae mutuo accepit, debere desinit:
 quippe cum debitum illud in ista civitate non praecise ut tali, sed ut bona
 aliqua possidente fundatum, ad quemcunque possessorem simul
 transeat.

§. 3. Sed uti de aere alieno, quod in usum civitatis impensum, ac in
 toto istius corpore velut haerere praesumitur, res plana videtur: ita num-
 idem de omnibus actis alicujus in vasoris, eodem depulso, pronuncian-
 dum sit, non ita liquidum est. Equidem si in vasor civitatis cum alia civi-
 tate foedus iniverit de auxiliis in communem hostem conferendis, si par-
 tem praedae eidem donaverit, aut vendiderit; & foedus, & donatio, & ven-
 ditio firma manebunt, in vasore depulso. Alteri enim civitati sane jus
 validum ex istis actibus fuit quaesitum, quippe quas inivit cum in vasore
 tanquam capite civitatis, & velut in emolumentum ejusdem: quocunq;
 autem titulo ad imperium iste pervenerit, sua nihil interesse judicavit.
 Neque isti actui aliud insuper vitium subest. Quid si autem spolia civi-
 bus oppressis per injuriam erepta, in vasor externae civitati vendiderit?
 Num eo depulso, isti vindicare eadem potuerunt? Haec *Baerlerus differt-*
de eo, quod egit civitas, fas esse putat, si scientes emerint, ut suam culpam
agnoscant, & aequo animo careant illis, quae nec vendi nec emi sine inju-
ria possunt; imo et si imprudentes emerint. Quod quidem in foro con-
 scientiae plausibiliter dicitur. Si tamen communem populorum mo-
 rem respiciamus, non adparet, quomodo spoliati abs tertia civitate, quae
 amiserunt, vindicare queant. Nam quamdiu in vasor mera duntaxat vio-
 lentia grassatur, pro hoste civitatis habetur: & spolia civibus extorta, u-
 bi in alienam civitatem translata fuerint, eodem jure censentur, quo
 aliae res mobiles, quo vis bello partae. Ubi autem consensu civium isti-
 us in vasoris imperium fuerit confirmatum, exteri bona civibus erepta
 tanquam jure confiscata habere possunt. Nam ut alias pacifici, quorum
 nihil

nihil interest, belligerantes æqualiter æstimare, & factum sequi possunt ac solent; ita quid aliena civitas de suo imperio apud se disponat, exterorum non est judicare. Verum acta in vasorum injustorum, quæ intra civitatem terminantur, istis dejectis, sane rescindi poterunt abs legitima potestate; quantum ex usu reip. fuerit. Idque non solum circa leges abs talibus latas valet; sed & circa donationes, aut alienationes rerum, quæ salva rep. salvisque legibus in alios transferri non poterant.

§. 4. Solet & alia heic quæstio moveri: quisnam locus sit assignandus regi, qui in populum antea liberum sibi imperium quæsit, aut populo libero post abolitum statum regium? Ubi quidem *Grotius* l. 2. c. 9. §. 8. respondet, eundem civitati post mutationem locum deberi, quem antea ipsa, ejusvè caput in conventibus habebat. Nobis tamen distinguendum videtur, utrum v.g. rex, qui in liberum populum sibi imperium quæsit in antiquo conventu aut systemate permaneat: an vero ab eo deinceps sese disjungat, suasque res seorsim administret. Nam priori casu sine dubio non poterit alium prætere locum, quam antea populus liber obtinebat, non obstante illo splendore aut majestate, quæ personam regiam comiratur. Sicut & vice versa populus liber, exterminato statu regio, in communi conventu eundem, quem ipsius quondam reges locum obtinebant, sibi vindicare poterit. Ast si vel populus, vel rex penitus sese ab antiquo conventu aut systemate separaverit, antiquus istius civitatis locus præjudicium illi nullum adferet, ut necessario locus inferior sit occupandus, cedendumque illis, qui in communi quondam conventu priorem tenebant locum; cum naturaliter inter se æquales sint, qui summum imperium obtinent.

§. 5. Mutationes, quæ efficiunt, ut civitas non amplius videatur eadem, duplici potissimum modo contingunt: vel ut ex una civitate duæ pluresvè fiant; vel ut plures civitates in unam conjungantur. Prius evenit vel consensu mutuo, vel vi bellica. Consensu mutuo ex una civitate plures fiunt, emissis coloniis ad eum morè, qui Græcis quondam erat. Nam Romani post, quos & hodie populi Europæi fere sequuntur, colonias ita deducebant, ut illæ pars civitatis matricis sive majoris partis manerent.

Gggg gggg 2

Sed

Sed quæ priori modo deducebantur coloniæ, peculiarem deinceps civitatem constituebant; ita tamen ut majorem patriam decenti honore, & quodam quasi pietatis cultu tenerentur prosequi. Vid. *Thucydides* l. I. & *Henr. Valesius ad excerpta Peiresciana* p. 6. & 7. *Hobbes de Civitate* c. 9. §. 3. Ceterum hoc modo emissa colonia, nisi in ejus deductione id expresse fuerit conventum, non tenebitur exsolvere debita abs civitate matre contracta; quippe quæ hujus bona ultimo afficiunt, de quibus colonia (quod supponitur,) nihil participat. Et licet aliqua commoda ex illis debitis forte in personas colonorum redundarint eo tempore, cum ipsi in antiqua adhuc patria hærent; eo tamen nomine nihil sese exacturam profitetur antiqua civitas, dum liberos eos abs sese dimittit. Quanquam si accurate rem consideremus, civitas, emissa colonia, in se non mutatur, nec eadem videri desinit; sed (uti in naturali generatione) efficit, ut pro una deinceps duæ civitates existant. Quod si autem regnum aliquod in duas pluresvè distinctas deinceps civitates communi consensu dividatur; æquum fuerit, ut regni patrimonium publicum, nec non debita toti inhærentia æqualiter dividantur. Etsi quando ejusmodi divisio ultro instituitur, vix contingere queat, ut non expresse super ejusmodi casibus disponatur.

§. 6. Ad ejusmodi mutationem, qua civitas aliqua eadem esse desinit, referunt quoque, si duo populi uniantur, non per modum fœderis, aut per communem regem, sed ut revera ex duabus civitatibus una fiat. Quo casu *Grotius* d. l. censet, jura, quæ singulæ civitates uniendæ habuerunt, non amitti, sed communicari, sicut & onera atque debita, ubi diversum non convenerit. Vid. *Livius* l. I. c. 52. *sub init.* Est tamen accurate considerandum, an duo pluresvè populi ita se conjungant, ut pari deinceps omnes jure novam aliquam civitatem constitutum eant; puta, si duo diversi populi democratici, abolito pristino regimine, in unum populum regnumque coalescant; aut si duo regna, sublatis utrinque legibus fundamentalibus, remotisque familiis antiquis regnatricibus, novum regnum condant. Quæ unione priores civitates deleri, ac novam exurgere manifestum est. Ast vero ubi una civitas alteri ita conjungitur, ut uni quidem sua resp. sedesque maneat, alterius vero cives relicta sua sede, in alterius civitatis jura sedemque adsciscantur, unam quidem penitus

peire

perire constat: illa autem quæ remanet, eadem esse non desinit, utut tali accessione insignia capiat incrementa. De cætero uniri civitates diversas, ut maneat quæque quod fuit, non possunt, nisi per modum arctioris fœderis; quod systema aliquod, non autem civitatem proprie dictam producere aptum est.

§. 7. Mutatio denique, qua civitas penitus esse desinit, contingit, quando ipse populus dissolutus fuerit, aut extinctus. Equidem communi dicitur: reges esse mortales, resp. æternas. Sed hoc ideo dicitur, non quod non populi quoque violento aliquo casu extingui aut dissipari queant; sed quia non, uti singuli homines, certo decurso a vi spatio, per naturam deficient, sed mutatis licet singulis, alii continuo succedant, idque vel surrogatione exterorum in locum deficientium, vel propagatione sobolis. Qua successione continuatione idem semper populus videtur, iisdemque juribus fruitur, utut sæpius singuli cives fuerint mutati. *Lucianus in Amoribus. Sciens deinde (natura) quod omnes mortalissimus materia opificium, & quod breve adeo tempus vivendi unicuique fato præstitutum sit; alterius interitum, ut alterius ortus esset, excogitavit; ac morienti, id quod nascitur, è diverso adpendit, ut mutuis successione in perpetuum tempus viveremus.* *Virgilius Georg. IV. de apibus: Ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi Excipiat, (neque enim plus septima ducitur ætas;)* *At genus immortale manet, multosque per annos Stat fortuna domus, & xvi numerantur avorum.* Quæ res ut accuratius intelligatur, observanda sunt, quæ super diversitate corporum ab antiquis Philosophis tradita sunt, v. g. apud *Plutarchum conjugal. præcept. τῶν σωμάτων οἱ φιλόσοφοι τὰ μὲν ἐκ διαστάτων λόγων εἶναι, καθάπερ εἶλον καὶ στρατόπεδον τὰ δὲ ἐκ συναπλομαίων, ὡς οἰκίαν καὶ ναῦν, τὰ δὲ ἰνωμίνα καὶ συμφυῆ, καθάπερ ἐστὶ τῶν ζώων ἕκαστον.* *Corporum philosophi alia ajunt ex partibus de junctis constare, ut classem, exercitum; alia ex compæctis, ut domum, ut navim; alia ex unitis, & in unam naturam concretis, ut animalium singula.* Add. l. 30. D. de usurp. & usucap. l. 23. §. 5. de rei vindicat. *Cujacius observ. l. 15. c. 33. & l. 26. c. ult. Seneca epist. 102.* Quæ etiam tali modo exprimi possunt: quod in universum corpus sit, quod ἕξ aliqua, cohærentia, aut vinculo aliquo ita continetur, ut unum sit. Illud vinculum porro, quo partes corporis in unitatem combinantur, triplex est, naturale, artificiale & morale. Vinculum naturale est, quo corpora

Gggg gggg 3

natu-

naturalia continentur. Artificiale, quo res, alias natura disjunctæ, per industriam humanam compinguntur in unum & continuum aliquid. Morale denique, quo per institutum humanum diversa individua ita colligantur, ut unum esse intelligentur. Qualia corpora etiam si ex brutis quoque constare possint, ut grex: præcipue tamen conjunctio multorum hominum heic attenditur. Atque hinc resultant tria genera corporum, naturalia, artificialia, & moralia. Quæ omnia hoc habent, ut manere eadem videantur, quamdiu illa connexio, per quam ab initio istorum partes continebantur, simul & semel abrupta non fuerit. Exinde est, ut homo idem videri non desinat, etsi particulæ corporis ipsius varie transpiraverint, & in eorum locum ex nutrimentis aliæ suffectæ sint. (*Th. Brovne de religione Medici sect. 36. Hoc quicquid est, quod intueris corpusculi per os intravit, hæc olim carnis fabrica in quadra jacuit, ipsi denique nos ipsos devoravimus.*) Quo spectat locus apud *Senecam epist. 58. & Plutarch. de Ei apud Delphos, edit. Xyland. p. 392. A. B. Add. Lucretius l. 3. v. 860. seqq.* qui tamen cum grano salis accipiendus, ne ad articulum de resurrectione carnis extendatur. Huc quoque circa corpora artificialia spectat quæstio apud antiquos vexatissima super navi Thesei, quæ successu temporis ita erat paulatim refecta, ut nihil de istis lignis, ex quibus ab initio fuerat extructa, superesset. Vid. *Plutarch. Theseo p. 10. C. l. 76. D. de judiciis l. 10. D. quibus modis ususfr. amitt. c. si huic legi repugnare videatur l. 98. §. ult. D. de solution. l. 83. §. 5. D. de verb. obligat. Dionys. Halicarn. l. 1. de casa Romuli. Add. Alex. & Alexandro l. 3. c. 1. Mich. Piccardus ad polit. Aristot. l. 3. c. 3.* De corporibus moralibus agit l. 76. *D. de judiciis.* Luculentus quoque est locus *Plutarchi de fera Numinis vindicta: Civitas est res quedam unica & continens, animalis instar, neq. mutationib. secundum atates suam exuit naturam, aut ratione temporis aliud sit ex alio, sed semper eadem erga se affectiones, & naturæ suæ consentaneas servat, quamdiu communitas, quæ mutuis complexibus devincit, unumque corpus efficit, unitatem suam conservaverit.* Addit, singulos homines successu temporis plus mutationis suscipere, quam civitates. Si enim intra paucos annos amicum tuum non videris, adeo habitum vultumque ejus, imo sæpe & mores sic reperies mutatos, ut eum vix sis agniturus. Contra si vel post XXX. annos in eandem venias civitatem, non solum eadem ædificia, sed & eadem instituta, eodemque mores

populi

populi deprehendes. Add. *Grotius* d. l. Etsi lapsu temporum omnino fiat, ut populus secundum omnes effectus non pro eodem habeatur. Vid. *supra* l. 8. c. 3. §. 29. *Hobbes Philos. prima* c. XI. §. 7. isthanc doctrinam ita maluit exprimere: *Sirei alicui propter formam talem, que sit principium motus, nomen inditum sit, manente eo principio, idem erit individuum.*

§. 8. Hæc quanquam ita sint; fieri tamen utique potest, ut populus aliquis plane intereat, idque si vel simul pereat materiale populi, seu multitudo civium, vel morale vinculum, quo populus cohæret, abrumpatur. Materiale seu corpus populi perit, vel sublatis simul omnibus partibus, sine quibus corpus subsistere nequit, vel sublata corporis ratione. Exempla populorum, qui simul & semel fuere extincti, memorat *Grotius* d. l. §. 4. Add. l. 21. D. *quib. mod. usufr. amitt.* Ubi quæritur, si ex ejusmodi clade tam pauci super fuerint, ut ipsi amplius pro populo censi nequeant, num hi jura populi antiqui retineant? (vid. l. *ult. D. quib. mod. usufr. amitt.*) *Grotius* d. l. sentit, posse in istis paucis subsistere dominium, quod populus habebat ad modum privatorum; non si quid populo ut tali competiit, i. e. posse tales sibi asserere possessiones & bona delictorum civium, non posse autem sibi eosdem attribuerè summum imperium, & quæ alia inde dependent. Quod si tamen pauci isti, alio præter bellum casu ad paucitatem redacti, se tantisper contra exterorum invasiones tueri possint, donec iterum injusti numerum populi allectis aliis sese suppleverint, non video, quare prioris populi jura sibi asserere nequeant. Vid. *Eustin.* l. V. c. 6. n. 5. præsertim cum nondum sit definitum; quotnam patres familias ad populum requirantur; & ab initio cum genus humanum in populos discederet, sicut exiguus numerus populum fecerit. Apud *Iustinum* l. X. quinquaginta filii Artaxerxis *tantus populus* vocantur. Niobe apud *Ovidium metam.* l. VI. quatuordecim suos liberos vocat *populum.* *Apulejus apologia:* *Quindecim liberi homines, populus est.* Add. l. 7. §. 2. D. *quod cuiusque universit.* Ubi etiam in uno nomen universitatis, (collegii, non populi) stare dicitur; cui tamē necessū fuerit de adsciscendis collegiis mature dispicere. Interit quoq; multitudo hominū, ex qua populus constat, quando non quidem singuli cives extinguuntur; sed tamen sponte ob pestilentiam aut seditionem discedunt, aut vi ita distrahuntur, ut coire amplius inter se nequeant. Unde per adulationem magis, quam ex

vero

vero Ilicenses Romanorum sese majores jactabant, apud *Iustinum* l. 28. c. 1. & l. 31. c. 8. Quomodo Scoti à Maximo dispersi fuerint, videri potest ap. *Buchananum* rer. *Scotic.* l. 4. *sub finem.*

§. 9. Formale seu species populi int erit, si aut omnis, aut perfecta juris communitas tollatur. Penitus tollitur communitas juris & imperii, si cives singuli passim distracti diversis civitatibus accrescant, sive libertatem personalem retineant, sive ad servilem quoque conditionem redigantur. Exemplum Capuæ vid. apud *Livium* l. 26. c. 16. Perfecta autem communitas juris inter membra ejusdem populi tollitur, si singuli quidem libertatem personalem retineant, inque oppidis & agris suis relinquantur; ita tamen, ut alterius civitatis imperium subeant. Quales populi in provinciæ formam redigi dicuntur. Sola tamen mutatio loci, oppidorumque, aut detractio munimentorum, ut populus idem esse desinat non efficiunt.

F I N I S.


SOLI DEO GLORIA.

L. B. S.

Si qua typothetarum errata correctoris oculos effugerunt, Ben. Lector pro sua dexteritate facile emendabit.



INDEX



INDEX CAPITUM

LIBER PRIMUS.

	Pag.
CAP. I. De Origine & Varietate Entium Moralium.	1.
II. De Certitudine Disciplinarum, quæ circa Moralia versantur.	21.
III. De Intellectu hominis, prout concurrat ad actionis morales.	38.
IV. De Voluntate hominis, prout concurrat ad actiones morales.	52.
V. De Actionibus moralibus in genere, deq; earundem ad agentem pertinentia, seu ad imputationem aptitudine.	66.
VI. De norma actionum moralium, seu de lege in genere.	88.
VII. De actionum moralium qualitatibus.	115.
VIII. De actionum moralium quantitate.	134.
IX. De actionum moralium imputatione.	137.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. Hominis naturæ non congruere, ut vivat exlex.	145.
II. De statu hominum naturali.	154.
III. De lege naturali in genere.	178.
IV. De præstationibus hominis adversus seipsum tam circa culturam animi, quàm curam corporis ac vitæ.	232.
V. De defensione sui.	267.
VI. De Jure & favore necessitatis.	308.

LIBER TERTIUS.

CAP. I. Ut nemo lædatur, & si quod damnum fuit datum, reparetur.	322.
II. Ut omnes homines pro æqualibus naturaliter habeantur.	339.
III. De promiscuis officiis humanitatis.	354.
IV. De servanda fide, ubi etiam de divisionibus obligationum.	386.
V. De natura promissorum & pactorum in genere.	396.
Hh hh hh hh	VI. De

INDEX CAPITUM.

VI. De consensu circa promissa & pacta adhibendo.	402.
VII. De materia Promissorum & Pactorum.	424.
VIII. De conditionibus Promissionum.	440.
IX. De ministris obligationum contrahendarum in genere.	445.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. De Sermone, & quæ eundem comitatur obligatione.	451.
II. De iurejurando.	485.
III. De facultate humani generis.	518.
IV. De Origine Domini.	527.
V. De objecto Domini.	533.
VI. De Occupatione.	564.
VII. De acquisitionibus Accessionum.	581.
VIII. De iure in res alienas.	592.
IX. De transactione Domini in genere.	600.
X. De testamentis.	607.
XI. De Successionibus ab intestato.	618.
XII. De Usucapione.	640.
XIII. De obligatione, quæ ex dominio rerum per se oritur.	654.

LIBER QVINTVS.

CAP. I. De Pretio.	665.
II. De Contractibus, qui pretia rerum præsupponunt, in genere.	690.
III. De æqualitate in Contractibus onerosis observanda.	699.
IV. De Contractibus beneficiis in specie.	709.
V. De Contractibus onerosis in specie, & primò quidem de Permutatione, Emptione, Venditione.	720.
VI. De Locatione Conductione.	732.
VII. De Mutuo.	739.
VIII. De Societate.	756.
IX. De Contractibus, qui aleam continent.	758.
X. De Pactis accessoriis.	764.
XI. Quibus modis solvantur obligationes, quæ ex pactis oriuntur.	775.
XII. De interpretatione.	787.
XIII. De modo litigandi in libertate naturali.	818.

**INDEX CAPITUM.
LIBER SEXTUS.**

CAP. I. De Matrimonio.	830.
II. De potestate patria.	993.
III. De potestate herili.	925.

LIBER SEPTIMUS.


CAP. I. De causa impulsiva constituendæ civitatis.	938.
II. De interna Civitatum structura.	958.
III. De generatione summi Imperii civilis, seu Majestatis.	99L
IV. De partibus summi Imperii, earumque naturali connexione.	1001.
V. De formis Rerumpublicarum.	1015.
VI. De affectionibus summi Imperii.	1047.
VII. De modis acquirendi imperium, imprimis Monarchicum.	1076.
VIII. De sanctitate summi Imperii civilis.	1095.
IX. De officio summorum Imperantium.	1108.

LIBER OCTAVUS.

CAP. I. De jure dirigendi actiones civium.	1118.
II. De potestate summi Imperii in vitam civium ex occasione defendendæ civitatis.	1135
III. De potestate summi Imperii in vitam ac bona civium ex causa delicti.	1146.
IV. De potestate imperii civilis circa definiendum valorem civium.	1212.
V. De potestate summi imperii circa bona tam publica, quam privatorum.	1256.
VI. De jure belli.	1272.
VII. De pactis bellicis.	1296.
VIII. De pactis pacem reducentibus.	1303.
IX. De foederibus.	1307.
X. De pactis rerum promiscuis.	1319.
XI. Quibus modis quis civis esse desinat.	1325.
XII. De mutatione & interitu civitatum.	1336.

H h h h h h h h h h a

IN-



INDEX RERUM.

A.

A cceptare quatenus quis pro altero possit.	445.	<i>Equalitas naturalis qualis sit.</i>	340. in contractibus observanda. 699. in contractibus beneficii locum non habet.	ibid.
Acceptatio.	445.	<i>Agrorum differentia.</i>		590.
Accessiones quotuplices.	581.	<i>Alapa an cum cade repellenda.</i>		294.
Actio bona qua.	115.	<i>Alea belli.</i>		760.
Actio injusta quid.	110.	<i>Aliena an quis emere teneatur.</i>		378.
Actio necessaria, licita.	115.	<i>quatenus promittantur.</i>		438.
Actio perfecta quid sit.	176.	<i>Alienatio.</i>		601.
Actio moralis quid. 67. ejus materiale. ib. & formale. 68. semper est ens positivum.	71.	<i>Alluvio.</i>		582.
Actiones aliena quomodo imputentur.	81.	<i>Ambiguitas sermonis.</i>		471.
<i>Actiones mixta.</i>	64.	<i>Amici an cognatis in successionebus preferendi.</i>		637.
<i>Actiones voluntaria.</i>	67.	<i>Amor natura humana temperandus.</i>		249.
<i>Actionum bonitas, & malitia in quo consistat?</i>	115.	<i>Antiquissimi mortalium viri inter heredes bona distribuerunt.</i>		611.
<i>Actionum moralium effectus quomodo deleantur.</i>	147.	<i>Arbitri officium.</i>		820.
<i>Ad moderamen inculcata tutela quid requiratur.</i>	276.	<i>Aristocratia.</i>		1023.
<i>Adprehensio quomodo fiat.</i>	573.	<i>Asscuratio.</i>		763.
<i>Adulterium quid? 29. solvit matrimonium.</i>	879.	<i>Atheismus.</i>		389.
<i>Advocatus an falsum dicere queat pro reo.</i>	483.			
<i>Edificia quatenus solo cedant.</i>	583.			

B.

B ellum quid & quotuplex.	1275.
Beneficium.	1281.
Beneficium.	381.
Benefactores an cognatis in successionebus prepoſeant.	616.
Bona	

INDEX RERUM.

<i>Bona fides.</i>	446.	<i>Compensatio.</i>	779.
<i>Bonum imaginarium.</i>	56.	<i>Conatus summus an semper sufficiat.</i>	429.
C.			
C <i>Edes in defensione patrata est innoxia.</i>	300.	<i>Concessio perpetua habitationis exteriorius.</i>	374.
<i>Carnibus humanis an vesci liceat.</i>	316.	<i>Concilio voluntas.</i>	996.
<i>Casus.</i>	328.	<i>Concubina.</i>	926.
<i>Cavillatio.</i>	8.	<i>Conditio quid & quotuplex. 440. 441. an referatur ad tempus praesens, aut prateritum.</i>	ib.
<i>Causa moralis.</i>	69.	<i>Condonatio.</i>	815.
<i>Causa socia.</i>	318.	<i>Connubia inter parentes & liberos nefaria.</i>	891.
<i>Cautio de non ladendo in posterum.</i>	1151.	<i>Consanguinitas.</i>	895.
<i>Certitudo moralis quid sit?</i>	37.	<i>Conscientia quid, & quotuplex.</i>	41.
<i>Charta.</i>	584.	<i>Conscientia dubia.</i>	45.
<i>Christiani religio.</i>	194.	<i>Conscientia recta. 42. differt à probabili.</i>	ib.
<i>Circumventio in emtione an naturaliter licita?</i>	707.	<i>Conscientia scrupulosa.</i>	46.
<i>Civilis status.</i>	985.	<i>Consensus. 406. tacitus. 407. supponit usum rationis. 408. ejus signa.</i>	422.
<i>Civis bonus.</i>	984.	<i>Consensus parentum an liberis sit necessarius ad incundum matrimonium.</i>	923.
<i>Civis quid.</i>	986.	<i>Consensus gentium.</i>	254.
<i>Civitas an à natura. 430. quid. 973. quare instituta. 976. an per vim hostilem amittatur.</i>	1335.	<i>Consilium.</i>	85. 86.
<i>Civitatis interna structura.</i>	958.	<i>Consilia solo cedunt.</i>	582.
<i>Coactio.</i>	38. 75.	<i>Contractus quid, & quotuplex. nominatus & innominatus.</i>	692.
<i>Coelibatus.</i>	854.	<i>Contractus Regum quatenus exempti legibus civilibus.</i>	1322.
<i>Coetus apum quid à civitate differat. 960. quid ad eam requiratur. 965.</i>		<i>Contractus mixti.</i>	697.
<i>Cognitionis jus.</i>	608.	<i>Contractuum requisita.</i>	692.
<i>Cognitio boni & mali penes quem</i>	1168.	<i>Contradictio adparens.</i>	820.
<i>Colonia.</i>	1332.	<i>Consuetudo.</i>	64.
<i>Comitia.</i>	1094.		
<i>Commodatum.</i>	714.		
<i>Commoditas morum.</i>	366.		
<i>Communio quid. 527. primæva. 533. oppugnata & vindicata. 540. 599.</i>			

Hh bh bh bh 3

Cor-

INDEX RERUM.

<i>Corpus ut curandum.</i>	392.	<i>Disciplinis moralibus certitudo apodi-</i>	
<i>Criminum definitio.</i>	1184.	<i>ctica à plerisque eruditis abjudica-</i>	
<i>Culpa quid.</i>	132.	<i>tur.</i>	21.
<i>Cultura animi necessaria.</i>	233.	<i>Discrepantia judiciorum pacem gene-</i>	
<i>Cura corporis non est negligenda.</i>	256.	<i>ris humaniturbat.</i>	955.
D.			
D <i>ammum quid. 324. si quod da-</i>		<i>Discrimen inter furem diurnum &</i>	
<i>tum reparandum. ib. quinam</i>		<i>nocturnum. 305. inter pacta & pro-</i>	
<i>dent.</i>	326.	<i>missa conditionata. 444. inter nun-</i>	
<i>Debitor obaratus.</i>	408.	<i>cium & mediatorem.</i>	447.
<i>Decretum quid.</i>	90.	<i>Dispensatio.</i>	110.
<i>Dedi innocens civis an possit.</i>	1264.	<i>Dissimulatio.</i>	461.
<i>Deditus an maneat civis.</i>	1335.	<i>Divortium.</i>	996.
<i>Defensio sui violenta est licita.</i>	268.	<i>Dolus.</i>	408.
<i>an sit in obligatione. 369. qualis in</i>		<i>Dominium quid. 18. 528. 529. quotu-</i>	
<i>libertate naturali. 271. qualis in</i>		<i>plex. 501. an à Deo. 532. quatenus</i>	
<i>civitatibus. 275. an, & contra in-</i>		<i>per sola pacta adquiratur. 605.</i>	
<i>vasorem errantem. ib. rerum qua-</i>		<i>Dominii origo. 527. utilitas. 536. ob-</i>	
<i>lis. 302. ejus, qui autor est inju-</i>		<i>jectum.</i>	553.
<i>ria.</i>	307.	<i>Donatio mortis causa.</i>	617.
<i>Defensiones inculcata punctum.</i>	258.	<i>Donationes regum an sint revocabiles</i>	1334.
<i>Deformitas.</i>	301.	<i>Dubia conscientia.</i>	45.
<i>Dei jus in creaturas.</i>	526.	<i>Duellum.</i>	286.
<i>Delegatio.</i>	786.	<i>Duelli detrectatio.</i>	1221.
<i>Democratia.</i>	1013.	E.	
<i>Demonstratio quid sit. 22. in quam di-</i>		E <i>Brietas voluntatem hominis ad cer-</i>	
<i>sciplinam moralem cadat. ib.</i>		<i>tum actionis genus non parum ir-</i>	
<i>Demonstrationum Principia.</i>	23.	<i>ritat. 62. impedit usum rationis. 496.</i>	
<i>Depositum.</i>	716.	<i>Educatio liberorum.</i>	940.
<i>Deus non quovis genere cultus homi-</i>		<i>Efficacia entium moralium unde fluat. 4.</i>	
<i>nibus propitiatur. 231. absolutus</i>		<i>Electio Regum quotuplex.</i>	1080.
<i>est Dominus vite nostra.</i>	309.	<i>Emerere aliena nemo tenetur.</i>	382.
<i>Dictamen recte rationis.</i>	203.	<i>Emphyteusis.</i>	604.
<i>Dictator Romanus.</i>	1086.	<i>Emtio venditio.</i>	720.
<i>Differentia inter pacta & contractus.</i>	630. sqq.	<i>Entia moralia quid. 3. eorum primus</i>	
		<i>autor est Deus. 4. eorundem finis. ib.</i>	

INDEX RERUM.

<i>vis operandi in quo cōsistat. ib. ad quid sint instituta. s. quomodo pereant.</i>	20.	<i>Fæderatorum utri potius ferendum auxilium.</i>	1302.
<i>Error quotuplex. 49. diversos habet effectus circa actiones.</i>	ib.	<i>Fætus animalium ad quem pertineat.</i>	582.
<i>Error practicus.</i>	51.	<i>Foripræbitio.</i>	327.
<i>Error theoreticus circa actiones. necessarias. 33. aut indifferens. ib.</i>	50.	<i>Fortitudo.</i>	206.
<i>Error circa actionem malam.</i>	51.	<i>Frater.</i>	654.
<i>Error circa promissã.</i>	407.	<i>Fretum.</i>	365.
<i>Error circa pacta & contractus.</i>	408.	<i>Fructus quotuplices.</i>	581.
<i>Error circa matrimonium.</i>	881.	<i>Fugere quatenus quis teneatur.</i>	269.
<i>Exceptio necessitatis.</i>	298.	<i>Fungibiles res.</i>	784.
<i>Executio rei judicata.</i>	829.	<i>Furiosus.</i>	552.
<i>Exilium.</i>	1333.	<i>Furis nocturni cades licita.</i>	304.
<i>Existimatio quid & quotuplex.</i>	1213.	<i>Furis obligatio.</i>	338.
<i>Existimatio sui conservanda.</i>	244.	<i>Furtum quid? 29. 1144. ex necessitate.</i>	306.
F.		<i>Furtipæna.</i>	1210.
F <i>Abularum usus.</i>	194.	<i>Futura an impotentur?</i>	79.
<i>Factio.</i>	1117.	G.	
<i>Facultas intrinseca.</i>	146.	G <i>Generatio.</i>	920-942.
<i>Facultas naturalis differt à jure.</i>	394.	G <i>Gradus ætatis.</i>	9.
<i>Facultates libera.</i>	39.	<i>Gratitudo.</i>	382.
<i>Facultates naturales.</i>	39.	H.	
<i>Falsiloquium non omnino illicitum.</i>	466.	H <i>Abitatio.</i>	597.
<i>Falsum quatenus liceat dicere.</i>	475.	H <i>Habitus.</i>	51.
	477.	<i>Hæres quatenus defuncti debita exsolvere teneatur.</i>	639.
<i>Favorabilia.</i>	834.	<i>Herilis potestas.</i>	952.
<i>Fera bestia cuius sint.</i>	531.	<i>Homicida injustus quis.</i>	332.
<i>Ferarum captura alicubi quibuslibet permessa. 568. alicubi solis Principibus relicta.</i>	569.	<i>Homicidium quid. 29. ejus pœnã.</i>	1206.
<i>Fidejussio.</i>	769.	<i>Homini datum est singulare mentis lumen.</i>	3.
<i>Fides servanda.</i>	402.	<i>Hominis causa an omnia creata. jus in creaturas.</i>	519. ib.
<i>Fiducia.</i>	767.	<i>Homo unde socialẽ naturã acceperit. 30 est animal ambitiosum. 32. nobilissima præ-</i>	
<i>Fædera quotuplicia.</i>	1397-1314.		

INDEX RERUM.

- praditus est anima.* 36. *de quibus actionem posci queat.* 71.
- Homo rebus extrinsecis ad sui conservationem indiget.* 245. *animal ferrox.* 920.
- Homo honorem ejusque res ladere non debet.* 322. *alterum tanquam naturaliter sibi aequalem estimare debet.* 340. *ac alterius commoda quomovere.* 355. *naturâ magis se amat, quàm societatem.* 939.
- Homini datum est singulare mentis lumen.* 3. *ejus imbecillitas.* 152.
- Hominis causa an omnia creata.* 519. *ejus jus in creaturas.* ib. *imbecillitas.* 196. *pravitas.* 194. *varietas.* 1071.
- Honestum ante leges an detur.* 24.
- Honor.* 1227. *quatenus debeat.* 1231. *an ab arbitrio imperanti tum dependeat.* 1254.
- Honoris defensio.* 1228. *fundamenta.* 1228.
- Hospitii jus.* 374.
- Hosti falsum dicere licet.* 480.
- Hostium res quomodo adquiratur.* 586.
- Humanitatis simplicia officia.* 324-326.
- Hypotheca.* 775.
- I.
- I***gnorantia quid; & quotuplex.* 47. *imputationem tollit.* 76.
- Illicitorum nulla est obligatio.* 488.
- Imperii vis.* 928.
- Imperium quid.* 18. *unde.* 93. *summum & limitatum.* 1055. *temporarium.* 1071. *quatenus occupetur per vim justam.* 1078.
- Impositio.* 443.
- Impossibilitas.* 74. *circumscripta.* 429.
- Impossibile nulla est obligatio.* 424.
- Impudentia quid?* 29.
- Imputativitas.* 72-76-81.
- Imputatio actualis.* 138. *ex gratia.* ib. *ex debito.* 1139.
- Inaqualitas inter homines unde proveniat.* 353. *emergens quatenus corrigenda?* 706.
- Incorporalia quatenus bello adquirantur.* 1292.
- Incestus quid?* 29.
- Indifferentia actionum naturalium.* 27. *voluntatis.* 54.
- Infantes an domini capaces.* 552.
- Infantibus quatenus falsum liceat dicere?* 472.
- Inducia.* 1298.
- Infamia.* 121. *an patiatur substitutum.* 1120.
- Ingratitudo.* 384.
- Injuria quid.* 130-131.
- Instrumentum.* 41.
- Intellectus.* 36. *faciem praefert nostris actionibus.* 39.
- Intentio.* 494.
- Interpretatio.* 787.
- Interregnum.* 1081.
- Inviectum quid.* 65-227.
- Invasori imperii quatenus parēdū.* 1106.
- Inven-*

INDEX RERUM.

<p><i>Inventio rerum amissarum.</i> 586. <i>Invidia pravae effectus producit.</i> 250. <i>Ir vitum quid.</i> 65. 227. <i>Judex.</i> 814. <i>Judicii officium.</i> 312. <i>Judiciorum discrepantia.</i> 976. <i>Jura in res alienas quot.</i> 593. <i>Juramentorum divisio.</i> 513. <i>Juris vocabulum valde ambiguum.</i> 18. <i>Jus emphiteuticum.</i> 593. <i>Jus commentus.</i> 1301. <i>Jus gentium positivum an detur.</i> 236. <i>Jus natura homini cū brutis nō est commune.</i> 180. 181. <i>ejus objectum.</i> 183. <i>nititur consensu gentium.</i> 189. 199. <i>ex ipsa hominis recta ratione eruendum.</i> 201. <i>ejus distributio.</i> 230. <i>quomodo acquiritur.</i> 384. <i>Jus possessionis bona fidei.</i> 594. <i>Jus vita & necis.</i> 1147. <i>Jus superficiarium.</i> 593. <i>Jurjurandum quid.</i> 584. <i>concipiendum per solum Deum.</i> 488. <i>est vinculum accessorium.</i> 495. <i>excludit cavillationes.</i> 503. <i>in alterius animam.</i> 507. <i>interpretari penes quem.</i> 505. <i>quatenus obliget heredem.</i> 511. <i>relaxare penes quem.</i> 516. <i>Jurjurandi rescissio.</i> 498. <i>divisiones.</i> 513. <i>Justitia est vel actionum, vel personarum.</i> 119. <i>ejus divisio.</i> 120. <i>universalis.</i> 121. <i>vel particularis.</i> 122. <i>distributiva.</i> <i>ib.</i> <i>in quo consistat.</i> 122. <i>commutativa.</i> 124. <i>Justitia actionum quid?</i> 219.</p>	<p><i>Iustus quis.</i> 219. 186. <div style="text-align: center; font-weight: bold; margin: 10px 0;">L</div> <i>Laedendus nemo.</i> 312. <i>Laedentes quo ordine teneantur.</i> 328. <i>Lesio quot modis fiat.</i> 329. <i>Latitia natura cum primis congruit.</i> 249. <i>Latitudo moralis.</i> 32. <i>deprehenditur in quantitatibus moralibus.</i> 35. <i>Latro an fidei capax.</i> 396. <i>Latrocinium.</i> 164. <i>Legati ipso jure natura sunt inviolabiles.</i> 229. <i>Legationum jus.</i> 204. <i>Lege quis obligetur.</i> 112. <i>Leges civiles pœnam in violatores semper habent conjunctam.</i> 108. <i>Leges fundamentales.</i> 1072. <i>sumptuaria.</i> 1286. <i>Legis ratio.</i> 789. <i>naturalis distributio.</i> 246. <i>Legislator & lex debent esse cognita.</i> 105. <i>ejus requisita.</i> 100. <i>Lex quid.</i> 89. <i>differt à consilio.</i> 88. <i>à pacto.</i> 90. <i>& jure.</i> <i>ib.</i> <i>quomodo definiatur.</i> <i>ib.</i> <i>ut obliget, quid requiratur.</i> 98. 103. <i>naturalis & positiva.</i> 114. <i>an in hominem cadat.</i> 145. <i>Lex civilis an possit repugnare legi naturali.</i> 121. <i>Lex natura fundamentalis.</i> 208. <i>Liberi naturales.</i> 628. <i>Liberis quid debeat.</i> 629.</p>
---	--

INDEX RERUM.

<i>Liberi naturales.</i>	648.	<i>Materia legum.</i>	112.
<i>Liberorum obligatio.</i>	946.	<i>Matrimonia inter consanguineos qua-</i>	
<i>Libertas in genere quid.</i> 146. <i>in Deo</i>		<i>re vetita.</i>	883.
<i>qualis. ib. iratorum qualis.</i>	147.	<i>Matrimoniorum libertas.</i>	379.
<i>Libido vaga.</i>	864.	<i>Matrimonium.</i> 832. <i>irregulare.</i> 846.	
<i>Licidum.</i>	168.	<i>ad matrimonii obligatio.</i> 838. 841.	
<i>Limitatus rex quid.</i>	1082.	<i>Matris jus in prolem.</i>	894.
<i>Litteris usus.</i>	370.	<i>Medictor.</i>	447. 824.
<i>Locatio conductio.</i>	733.	<i>Mendacium quid.</i>	465.
<i>Lotaria.</i>	762.	<i>Meretrix.</i>	440.
<i>Ludi.</i>	761.	<i>Meritum quid.</i>	141.

M.

M <i>Agistratus non habet jus belli.</i>	1291. 1397.	<i>Metus humana menti inimicus.</i>	250.
<i>Majestas an realis, vel personalis.</i>	994.	<i>promissa & pacta reddit invalida.</i>	412. 599.
<i>Malitia actionis.</i>	80.	<i>Metu nemo ad contrahendum adigen-</i>	
<i>Malitia causa nequaquam in Deo qua-</i>		<i>das.</i>	704.
<i>renda.</i>	118.	<i>Migratio ex civitate.</i>	1328.
<i>Malitiosa desertio solvit matrimo-</i>		<i>Militare in bello injusto non fas sit.</i>	1284.
<i>nium.</i>	870.	<i>Militaris disciplina.</i>	1282.
<i>M. jorennitas quid.</i>	9.	<i>Militum obligatio.</i>	1140.
<i>Mandatarius debet adhibere sum-</i>		<i>Mina.</i>	291.
<i>nam diligentiam.</i> 710. <i>quatenus</i>		<i>Minorennitas quid.</i>	9. 407.
<i>idem indemnis debeat prestari.</i> 711.		<i>Modi quomodo dividantur.</i>	16.
<i>Mandatum quotuplex.</i> 416. 709. <i>ejus</i>		<i>Modus producendi entia moralis.</i>	4.
<i>singularis apud Romanos Religio.</i>		<i>Modus solvenda obligationis qualis.</i> 775.	
<i>710. an expleatur per equipol-</i>		<i>Monarchia.</i>	1024.
<i>lens.</i>	712.	<i>Moneta mutatio.</i>	738.
<i>M. re quatenus proprium.</i> 535. <i>ejus u-</i>		<i>Monopolium.</i>	730.
<i>sus.</i>	588.	<i>Mons pietatis.</i>	745.
<i>M. ritualis potestas.</i>	85.	<i>Moralia entia quid.</i> 3. <i>conjuncta.</i> 28.	
<i>M. rito imperium in uxorem unde ori-</i>		<i>Moraliter certum quid.</i>	38.
<i>atur.</i>	851.		

Mores

INDEX RERUM.

<i>Mores gentium fœdi.</i>	206.	<i>temporaria.</i>	394.	<i>mutua, vel non</i>
<i>Mutilans tenetur in impensas.</i>	334.	<i>mutua.</i>	395.	<i>non cadit in illicita.</i>
<i>Mutilatio cum cade arcetur.</i>	269.			432.
<i>Mutuum. 739. an sit alienatio.</i>	742.	<i>Obligatio liberorum emancipatorum.</i>		915.
		<i>Obligatio naturalis est à Deo.</i>		218.
N.		<i>Obligationes possunt ex diversis prin-</i>		
N <i>aturalis juris origo an voluntas</i>		<i>cipiis derivari.</i>		161.
<i>Dei.</i>	204. 205.	<i>Obligationes adventitia unde prove-</i>		
<i>Navigatio quatenus libera.</i>	560.	<i>niant.</i>		396.
<i>Necessaria imputari homini non possunt.</i>	72.	<i>Obligationis quis capax.</i>		93. 96.
<i>Necessitas quotuplex. 308. quid illa</i>		<i>Obligatur nemo sibi met ipse.</i>		95. 259.
<i>cui, det juris in seipsum, aut directè</i>		<i>Obligari an quis possit ad ferenda ma-</i>		
<i>in alios; quid indirectè eidem in-</i>		<i>la humanam constantiam superan-</i>		
<i>dulgeat. 312. quid in res alienas.</i>	314. sqq.	<i>tia.</i>		429.
<i>Necessitatis effectus.</i>	310.	<i>Obscena vocabula.</i>		420.
<i>Nobilitas quid notet. 9. natalibus non</i>		<i>Obses.</i>		1397.
<i>inest à natura.</i>	1240.	<i>Occupatio. 565. quotuplex. 566. bel-</i>		
<i>Notitia sui necessaria. 239. quid exin-</i>		<i>lica.</i>		579.
<i>de sequatur.</i>	240.	<i>Oceanus domini expert. 561. ejus na-</i>		
<i>Notitia naturales.</i>	236.	<i>vigatio & commercia quatenus li-</i>		
<i>Novatio.</i>	786.	<i>bera.</i>		563.
<i>Novalis actio.</i>	311.	<i>Odiosa.</i>		806.
<i>Nuditas.</i>	886.	<i>Odium restringendum.</i>		250.
<i>Numus.</i>	684.	<i>Olla fortuna.</i>		862.
<i>Nuptia minus solennes.</i>	901.	<i>Opera servilia.</i>		598.
		<i>Ordines Regni.</i>		1084. 1089.
		<i>Origo Entium Moralium.</i>		1.

O.

O*bligatio quid. 20. 92. 101. quomodo differat à coactione. 92. congenita vel adventitia. 386. naturalis & civilis. 391. perpetua vel*

P.

P*acta sunt servanda. 388. Pacta turpia, re integra non obligant. 452. Partes legis essentielles qua-*

INDEX RERUM.

<i>Factorum necessitas.</i> 386. <i>eorundem</i>	<i>Personas plures unus sustinere potest.</i>
<i>divisio.</i> 450.	14.
<i>Factorum adjectorum varietas.</i> 764.	<i>Pictura.</i> 584.
<i>Factum quomodo differat à lege.</i> 84.	<i>Pignus.</i> 773.
<i>quid.</i> 720. <i>nudum an obliget.</i> 412.	<i>Pisces.</i> 574.
<i>tacitum.</i> 418. <i>universale.</i> 534. <i>ad-</i>	<i>Pæna quid.</i> 1151. <i>an sit in obligatione</i>
<i>jectum.</i> 794. <i>bellicum an validum.</i>	<i>humana.</i> 1153. <i>non in omnia deli-</i>
1296.	<i>cta cadit.</i> 1161. <i>universitatum.</i>
<i>Parentibus quid debeat.</i> 674.	1203. <i>quando expiret.</i> 1205. <i>ob</i>
<i>Participatio sceleris.</i> 316.	<i>alienum delictum non sumitur.</i> 1209.
<i>Pater an filium possit vendere.</i> 914.	<i>Pæna sumenda & jus penes quem.</i> 1154.
<i>Patri potestas.</i> 903. 919.	<i>finis.</i> 1162. <i>condonatio quando lo-</i>
<i>Patris & matris comparatio.</i> 960.	<i>sum habeat.</i> 1172. <i>justa magnitudo.</i>
<i>Patrimonium.</i> 1078.	1180.
<i>Pauperies.</i> 304.	<i>Polygamia.</i> 960.
<i>Pax quid, & quotuplex.</i> 8. 1334. <i>na-</i>	<i>Populi quatenus æterni.</i> 1342.
<i>turalis.</i> 176. <i>infide.</i> 177.	<i>Possessio quid, & quotuplex.</i> 603. <i>bona</i>
<i>Peccati abolitio.</i> 164. <i>astimatio.</i>	<i>fidei.</i> 660.
1234.	<i>Possessor bona fidei.</i> 608.
<i>Pecunia.</i> 712.	<i>Postliminium.</i> 1300.
<i>Percussores in bello an adhibendi.</i>	<i>Potentia an sola honore digna.</i> 1236.
1288.	<i>Potestas quid.</i> 17. <i>quomodo dividatur.</i>
<i>Perjurus quis.</i> 510.	18.
<i>Permissio.</i> 87. 88.	<i>Præcedentia.</i> 1233.
<i>Permissio legis quid.</i> 110.	<i>Præcepta absoluta & hypothetica.</i> 261.
<i>Permutatio.</i> 710.	<i>affirmativa & negativa.</i> 360.
<i>Persona moralis.</i> 11.	<i>Præcepta decalogi an sint leges civiles.</i>
<i>Persona compositæ quid.</i> 12.	1125.
<i>Persona divisiones.</i> 11.	<i>Pretia rerum quare intendantur.</i>
<i>Persona fictæ.</i> 14.	671.
<i>Persona repræsentativa quid.</i> 10. <i>ca-</i>	<i>Pretium quid, & quotuplex.</i> 667.
<i>rum essentia in quo consistat.</i> 11.	<i>Pretium affectionum.</i> 675.
<i>Persona simplices quomodo dividan-</i>	<i>Pretium legitimum.</i> 676.
<i>tur.</i> 10.	<i>Pretium commune.</i> 677.
<i>Personarum privatarum differentia</i>	<i>Pretium vulgare.</i> 680.
<i>unde desumantur.</i> 11.	<i>Primogenitura.</i> 321.
	<i>Pro-</i>

INDEX RERUM.

<p><i>Probabilitas.</i> 42.</p> <p><i>Promissa invalida quomodo convalescant.</i> 419.</p> <p><i>Promissio quatuorplex. 400. quotuplisciter fiat.</i> 440.</p> <p><i>Promittere & pacisci etiam possumus per alium.</i> 445.</p> <p><i>Propria cades an sit licita.</i> 263.</p> <p><i>Proprietas quid. 527. ejus requisita.</i> 540.</p> <p><i>Provincia.</i> 1060.</p> <p><i>Proximus sibi quisque.</i> 281.</p> <p><i>Publicorum bonorum alienator.</i> 1306.</p> <p><i>Pudicitia cum cade violatoris victi defenditur.</i> 293.</p> <p><i>Pudicitia defensa favor.</i> 294.</p> <p><i>Pudor unde oriatur. 16. 31. circa partes genitales.</i> 885.</p> <p><i>Pudoris quatenus falsum dici possit.</i> 492.</p> <p><i>Pugna singulares.</i> 1306.</p> <p><i>Purpura.</i> 585.</p>	<p><i>Quantitas actionum.</i> 134.</p> <p><i>Quantitates physicae.</i> 35.</p> <p><i>Quid rebus nostris servandis liceat inter res aliorum.</i> 320.</p> <p><i>Quod promiscue omnibus conceditur, an uni possit negari.</i> 380.</p>
<p>R.</p>	
<p><i>Quod dicitur. 224. usus. 396.</i></p> <p><i>Rebellibus an fides servanda. 1204.</i></p> <p><i>an cum iisdem valide pax ineatur.</i> 1395.</p> <p><i>Reductivae quae juris naturalis.</i> 230.</p> <p><i>Regnum patrimoniale. 1094. usufructuarium.</i> ib.</p> <p><i>Regulae circa eligenda utilia. 44. 45.</i></p> <p><i>Regulae conscientiae probabilis.</i> 43.</p> <p><i>Regum contractus.</i> 1322.</p> <p><i>Reparatio damni.</i> 1324.</p> <p><i>Repraesentationis jus.</i> 630.</p> <p><i>Repressalia.</i> 1285.</p> <p><i>Rerum publicarum forma. 1017. vitiosa. 1026. 1031. irregulares. 1033. inter se comparatae.</i> 1945.</p> <p><i>Res aliena empta an restituatur venditori possit?</i> 664.</p> <p><i>Res derelictae.</i> 528.</p> <p><i>Res fungibiles.</i> 740.</p> <p><i>Res hostium.</i> 579.</p> <p><i>Res morales. 16. earum incertitudo.</i> 25.</p> <p><i>Res naturalis quid.</i> 2.</p> <p><i>Reservatio mentalis.</i> 472.</p> <p><i>Restituendae res alienae.</i> 681.</p>	<p><i>Restituendae res alienae.</i> 681.</p>
<p>Q.</p>	
<p><i>Quales intentio requiratur in foro divino?</i> 131.</p> <p><i>Quales intentio sufficiat in foro humano?</i> 131.</p> <p><i>Qualitates actionum moralium quid?</i> 115.</p> <p><i>Quantitas actionum relativa.</i> 137.</p> <p><i>Quantitas moralis rerum quid.</i> 667.</p> <p><i>Quantitates morales. 20. unde proveniant.</i> 35.</p>	<p><i>Quantitas actionum.</i> 134.</p> <p><i>Quantitates physicae.</i> 35.</p> <p><i>Quid rebus nostris servandis liceat inter res aliorum.</i> 320.</p> <p><i>Quod promiscue omnibus conceditur, an uni possit negari.</i> 380.</p>

INDEX RERUM.

<i>Restitutio in integrum.</i>	1340.	<i>Societates privatae quales.</i>	13.
<i>Retractus.</i>	760.	<i>Societatis contractus quot modis inea-</i>	
<i>Reus an delictum recte neget.</i>	473.	<i>tur?</i>	756.
<i>Rex populo superior. 1091. non potest</i>		<i>Solutio.</i>	820.
<i>in feudare regnum, aut oppignorare</i>		<i>Somnia.</i>	78.
<i>sine consensu populi.</i>	1271.	<i>Sors arbitraria. 347. naturalis. ib.</i>	
S.		<i>Spatium duplex.</i>	6.
<i>Salarium.</i>	754.	<i>Specificatio.</i>	586.
<i>Sanctio legis naturalis.</i>	220.	<i>Spei emptio.</i>	795.
<i>Sanctus inter homines quis vocetur.</i>		<i>Spes temperanda.</i>	230.
	186.	<i>Spontaneum.</i>	58.
<i>Scrupulosa conscientia.</i>	46.	<i>Sponsio.</i>	761.1307.
<i>Sermonis usus. 451. ejus origo. 454.</i>		<i>Status quid. 5. quomodo differat à</i>	
<i>Servi naturâ an dentur.</i>	349.	<i>spatio. ib. naturalis & adventitius.</i>	154.155.158.166.
<i>Servilis proles.</i>	933.	<i>Status determinati.</i>	8.
<i>Servitus quid. 18. quomodo tollatur.</i>		<i>Status respectum ad temp^o habentes. 9.</i>	
	937.	<i>Studia literarum an utilia. 251. quid</i>	
<i>Servitutes quid, & quotuplices.</i>	594.	<i>circa illa observandum.</i>	205.
	598.	<i>Stuprans virginem tenetur ei refun-</i>	
<i>Servitutis origo. 927. incommoda. 935.</i>		<i>dere amplitudinem dotis.</i>	357.
<i>Sibi ipsi an quis obligetur.</i>	238.	<i>Substantia physica.</i>	5.
<i>Signa.</i>	438.	<i>Successio ab intestato. 619. in regnis</i>	
<i>Simulatio in rebus quatenus licita?</i>		<i>quadruplex. 1083. viris iudex com-</i>	
	471.	<i>petens.</i>	1092.
<i>Socialitas fundamentum legis natura-</i>		<i>Summi imperantes an injuriam face-</i>	
<i>lis.</i>	212.232.	<i>re queant subditis.</i>	1140.
<i>Socialis homo an naturâ.</i>	234.	<i>Summis imperantibus an ullo casu pos-</i>	
<i>Societas inter homines sine lege iniri</i>		<i>sit resisti.</i>	1144.
<i>non potest.</i>	153.	<i>Summum imperantium officium. 1156</i>	
<i>Societas herilis.</i>	925.	<i>Summum imperium unde resultave-</i>	
<i>Societas sagata qua.</i>	13.	<i>rit. 991. est sacrosanctum.</i>	1112.
<i>Societas irregularis.</i>	757.	<i>Summi imperii partes. 1060. qua in-</i>	
<i>Societas omnium bonorum.</i>	732.	<i>divisibiles. 1065. affectiones. 1214.</i>	
		<i>Superbia.</i>	148.
			Su-

INDEX RERUM.

<i>Superficies.</i>	680.	<i>Venatio quatenus licita.</i>	570.
<i>Supra vires non nitendum.</i>	241.	<i>Veritas quid.</i>	465.
<i>Systemata civitatum.</i>	1076.	<i>Virtus patientia ad omnes promiscuè injurias devorandas nõ obligat.</i>	299.
T.		<i>Vis obligandi an insit nudis pactis.</i>	403.
T <i>Alio.</i>	1216.	<i>Vita quare homini à Deo concessa.</i>	275.
<i>Temperamenti vis.</i>	58.	<i>quatenus in aliorum usus impendenda.</i>	261. aut pro altero periculo exponenda.
<i>Tempus defensionis naturalis.</i>	276. in statu civili.		262.
<i>Testamentum.</i>	609.	<i>Vocabulorum significatio unde.</i>	455.
<i>Testis.</i>	826.		457.
<i>Thesaurus.</i>	578.	<i>Volenti non fit injuria.</i>	133. ejus ratio.
<i>Titulus 16. eorum differentia.</i>	ib.		ib.
<i>Traditio.</i>	602.	<i>Voluntas.</i>	92. quomodo sese exerat circa actiones humanas. ib. ejus libertas.
<i>Transfuga.</i>	1330.		53. ejusdem indifferentia.
<i>Transitus concessio.</i>	362.		55. quomodo in bonum feratur.
<i>Translatio juris.</i>	398. in quo consistat.		56. sq.
	399.	<i>Voluntas hominis sollicitatur per certas constitutiones corporis.</i>	58. item per habitum.
<i>Tribunal divinum.</i>	991.		59. & affectus.
<i>Tributa.</i>	1115.		nec non ebrietatem.
<i>Tributorum justa impositio.</i>	1264.	<i>Voluntatis libertas nullo morali vinculo extinguitur.</i>	103.
<i>Tristitia animum corpusq; exedit.</i>	249.	<i>Voluptates licita modicè degustanda.</i>	249.
<i>Turpe ante legem an detur.</i>	29.		597.
<i>Turpiter data an repeti possint.</i>	436.	<i>Usus.</i>	
	664.	<i>Usucapio.</i>	640. quatenus noceat nondum natis.
<i>Turpium non est obligatio.</i>	437.		650. inter diversas gentes locum habet.
<i>Tutor.</i>	596.	<i>Usura.</i>	747.
<i>Tyrannus an occidi possit.</i>	1120.	<i>Ususfructus.</i>	598.
V.		<i>Vilitas an mensura juris.</i>	105. seq.
V <i>Alor pecunie obnoxius.</i>	688.	<i>Vilitatis regula.</i>	44.
<i>Varietas Entium Moralium.</i>	1.	<i>Vulneris aestimatio.</i>	375.
<i>Vs.</i>	772.		
<i>Varietas ingeniorum.</i>	151.		
<i>Vestigal an pro transitu exigiqueat?</i>	367.		
<i>Vegetabilium facultatum effectus.</i>	72.		

F I N I S.

